UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

urn:nbn:de:hbz:466:1-83614

Visual Library

Th. 892a.

C. IX. 18.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE REV. PATRE

EDMUNDO SIMONNET

SOCIETATIS JESU PRESBYTERO,

Sacræ Theologiæ Doctore & Exprofessore,

Universitatis Mussipontanæ Cancellario.

TOMUS SECUNDUS.



Collegii Sortis Jesu Paduanæ

1758.

VENETIIS,

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCXXXI.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

INDEX.

TRACTATUS SEXTUS.

De Gratia.

ARTICULUS PRÆAMBULUS.

De variis acceptationibus & divisionibus Gratiæ.

DISPUTATIO PRIMA.

De Pelagianis & Semipelagianis.

Art. 1. EXponuntur errores Pelagianorum circa gratiam. 21

Art. 2. Utrùm Pelagiani etiam tandem aliquando admiserint interiorem gratiam inspirationis, seu interiorem gratiam ex parte voluntatis, qua scilicet gratia Deus immediatè afficiat & corroboret voluntatem, eique vires tribuat ad faciendum id quod faciendum esse cognoverit per internam illustrationem. 5

Resp. Pelagiani nunquam admiserunt interiorem inspirationi gratiam, hoc est, interiorem illam gratiam, quà voluntas immediatè afficitur & adjuvatur. *ibid.*

Art. 3. De quo gratiæ adjutorio controversia fuerit Catholicos inter & Pelagianos. 7

§. 1. Exponitur Doctrina Jansenii circa præsentem controversiam. *ibid.*

§. 2. Probatur responsio nostra ex Conciliis in causa Pelagianorum celebratis. 8

§. 3. Probatur responsio nostra authoritate S. Augustini. 9

§. 4. Confirmatur responsio nostra, &c. *ibid.*

§. 5. Solvuntur objectiones aliquæ. 10

§. 6. Solvuntur objectiones reliquæ. 11

Art. 4. Exponuntur errores Semipelagianorum. 13

§. 1. Admiserunt quædam initia justitiæ & salutis, quæ in nobis essent ex nobis, &c. *ibid.*

§. 2. Vehementer improbarunt Semipelagiani id quod docebat S. Augustinus circa perseverantiam. 14

§. 3. In primis exhorrebant Semipelagiani gratuitam illam prædestinationem, qua ex pura misericordia Deus media cum assecutione salutis certò & infallibiliter connexa præparavit ab æterno certis hominibus, &c. 15

§. 4. Contendebant Semipelagiani Deum, quantùm est ex se, æqualiter & indifferenter velle salutem omnium hominum, &c. *ibid.*

Art. 5. Utrùm Semipelagiani admiserint necessitatem gratiæ irresistibilis & insuperabilis ex natura sua, ad bona opera tum incipienda tum perficienda, & ad perseverantiam finalem. 16

Resp. Semipelagiani nunquam admiserunt necessitatem talis gratiæ, sed è contra talem gratiam exhorruerunt, & constantissimè rejecerunt. *ibid.*

Art. 6. Utrùm Semipelagiani admiserint necessitatem interioris gratiæ prævenientis, ad fidem inchoatam, & ad orationem. 17

Resp. Non admiserunt, sed è contra docuerunt naturales liberi arbitrii vires sufficere ad fidem initialem, sanitatis desiderium, & orationem. *ibid.*

Art. 7. Utrùm Augustinum inter & Semipelagianos controversia fuerit de gratia irresistibili ex natura sua, seu de gratia dominante & necessitante. 20

Resp. Augustinum inter & Semipelagianos controversia non fuit de gratia dominante & necessitante, sed de necessitate interioris gratiæ prævenientis ad quemlibet actum salutarem, adeòque etiam ad fidem inchoatam & imperfectam. *ib.*

DISPUTATIO II.

De variis naturæ statibus.

Art. 1. UTrùm possibilis sit status naturæ puræ? 21

Resp. Status naturæ puræ possibili est. 22

Art. 2. Solvuntur objectiones. 24

Art. 3. Utrùm status naturæ puræ, integræ, & innocentis, inter se differant. 27

Resp. 1. Status naturæ integræ differt à statu naturæ puræ. *ibid.*

Resp. 2. Status naturæ integræ differt à statu naturæ innocentis. *ibid.*

Art. 4. Utrùm homo in statu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad cognoscendum verum. 28

Resp. 1. Homo in statu innocentiæ non indigebat auxilio gratiæ ad cognoscendas veritates naturales, quæ per sensus haberi possunt, aut ex rebus sensibilibus non ita difficilè erui. *ibid.*

Resp. 2. Homo in statu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ non solùm ad cognoscendas veritates supernaturales, sed etiam ad cognoscendas naturales multas, à sensibus valdè remotas, etiam sigillatim sumptas. *ibid.*

Art. 5. Utrùm homo in statu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad operandum bonum. *ibid.*

Resp. 1. Homo in statu innocentiæ non indigebat auxilio gratiæ ad exercenda opera moraliter bona ordinis naturalis, imò nec ad servandam totam legem naturalem. *ibid.*

Resp. 2. In statu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad producendos actus virtutum infusarum fidei, spei, charitatis, &c. ad servandam legem naturalem, & ad perseverandum in integritate ac sanctitate accepta. 30

Art. 6. Utrùm in statu naturæ lapsæ major sit naturæ infirmitas, quàm esset in statu naturæ puræ. *ibid.*

Resp. Major est infirmitas & difficultas circa bonum exercendum & malum vitandum in natura lapsa, quàm foret in natura pura. *ibid.*

Art. 7. Verùm gratiæ sanitatis & gratiæ medicinalis discrimen exponitur. 32

Propos. 1. Adamus in statu innocentiæ ad faciendum bonum & vitandum malum modo salutari, indigebat supernaturali illustratione. *ibid.*

Propos. 2. Adamus in statu innocentiæ, ad faciendum bonum sicut oportet ad salutem, non indigebat supernaturali motu indeliberato complacentiæ vel desiderii, quo voluntati bonum, per supernaturalem illustrationem propositum, suaviter placet. *ibid.*

Propos. 3. Homo in statu naturæ lapsæ, ad bonum volendum & operandum sicut oportet ad salutem indiget supernaturali illustratione, & supernaturali motu indeliberato complacentiæ, vel desiderii, quo voluntas delectatur bono salutari. 33

Propos. 4. Gratia sanitatis in supernaturali illustratione, & in sola supernaturali illustratione consistebat. *ibid.*

Propos. 5. Gratia medicinalis, ad volendum & operandum bonum sicut oportet ad salutem necessaria, consistit non solùm in supernatuali illustratione, sed etiam in supernaturali motione voluntatis indeliberata, quà scilicet voluntas sibi complacet in bono salutari, vel illud desiderat indeliberatè, adeòque illo indeliberatè delectatur. 34

Prop. 6. Gratiæ igitur sanitatis & medicinalis discrimen in eo positum est, quòd gratia sanitatis esset tantùm supernaturalis illustratio mentis; gratia verò medicinalis sit supernaturalis illustratio mentis simul, & supernaturalis motio voluntatis indeliberata, qua bonum salutare, per supernaturalem mentis illustrationem propositum suaviter placet voluntati. 35
Propos. 7. Discrimen gratiæ medicinalis à gratia sanitatis substantiale est. *ibid.*
Art. 8. Solvitur objectio petita à libro quem scripsit S. Augustinus de correptione & gratia. 36

DISPUTATIO III.

De Gratia efficaci.

Art. 1. EXponitur doctrina Jansenii circa gratiam efficacem. 43
Art. 2. De consonantia doctrinæ Jansenii cum doctrina Calvini in hac materia. 45
Art. 3. Utrùm & quantùm systema Jansenii, quod ad gratiam & liberum arbitrium, eorumque inter se concordiam attinet, differat à systemate defensorum physicæ prædeterminationis. 53
Resp. Multis ex capitibus differt. *ibid.*
Art. 4. Utrùm gratia efficax sit gratia necessitans voluntatem ad consensum. 59
Resp. Gratia efficax non est gratia necessitans voluntatem ad consensum. *ibid.*
Art. 5. Solvuntur objectiones. 61
Art. 6. Utrùm systema duarum delectationum, terrenæ scilicet & cœlestis, quæ voluntatem, hæc ad bonum, illa ad malum alternatim determinant, prout alternatim prædominantur, fundetur in doctrina S. Augustini. 66
Resp. Systema duarum delectationum, terrenæ & cœlestis, voluntatem alternatim insuperabiliter determinantium, nullum habet fundamentum in doctrina S. Augustini. 67
Art. 7. Utrùm gratia efficax constitui possit in excitante gratia ex natura sua irrepudiabili. 70
Resp. Non potest. *ibid.*
Corollar. 1. Gratia efficax constitui non potest in excitante gratia, ex natura sua efficaci. 73
Corollar. 2. Gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione, voluntatem ad consensum insuperabiliter determinante, sive dicatur voluntatem prædeterminare physicè, sive dicatur prædeterminare moraliter tantùm, eò quòd alliciendo & delectando prædeterminet. *ibid.*
Corollar. 3. Gratia efficax constitui non potest in delectatione cœlesti, quæ à voluntate repudiari nequidem potest potentia ad actum reducibili. *ibid.*
Corollar. 4. Gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione, quæ à voluntate repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili. *ibid.*
Corollar. 5. Gratia efficax constitui non potest in delectatione cœlesti, semper & infallibiliter cum consensu salutari connexa per excessum, quo superat terrenam delectationem. 74
Corollar. 6. Omninò respuendum est systema recentiorum, constituentium gratiam efficacem in in omni & sola delectatione cœlesti, terrenam delectationem uno vel pluribus intensionis gradibus superante. *ibid.*
Art. 8. Utrùm gratia efficax constituenda sit in operante gratia, voluntatem ad salutarem consensum physicè prædeterminante. 77
Resp. Constituenda non est. *ibid.*
Art. 9. In quo auxilio consistat gratia efficax. 80
Resp. 1. Gratia efficax est gratia excitans, certo modo attemperata voluntati, ex natura sua etiam moraliter & humanitùs repudiabilis, cum consensu salutari connexa infallibiliter infallibilitate absoluta quidem, sed extrinseca, petita à præscientia, sub cujus directione gratis & misericorditer donatur. *ibid.*
Resp. 2. Gratia efficax adæquatè sumpta, quoad rem & physicè est supernaturalis illustratio cum supernaturali motione voluntatis indeliberata. Sumpta secundùm quod præsenti naturæ lapsæ statui propria est, quoad rem & physicè est supernaturalis motio voluntatis indeliberata, voluntati ad volendum & operandum bonum necessaria, qua voluntas sanatur, aut saltem inchoatur ejus sanitas. Sumpta denique secundùm quòd præsenti naturæ lapsæ statui propria est, & perfectè sanat voluntatem, quoad rem & physicè est supernaturalis motio voluntatis indeliberata, qua bonum salutare quà tale, suaviter placet voluntati. 83
Resp. 3. Gratia efficax, secundùm quòd præsenti naturæ lapsæ statui propria est, & voluntatem perfectè sanat, consistit in quadam ineffabili suavitate affectiva, indeliberata, ex natura sua etiam moraliter & humanitùs compossibili cum negatione consensus salutaris, quocum tamen connexa est infallibiliter infallibilitate summa, sed extrinseca, quatenùs Deus ea perfundit voluntatem, quomodo novit ei congruere, ut velit & operetur bonum salutare, non ex timore pœnæ, sed ex amore justitiæ. 84
Art. 10. Solvuntur objectiones petitæ ab authoritate Scripturarum. *ibid.*
Art. 11. Solvuntur objectiones petitæ ab authoritate Conciliorum & Patrum. 86
Art. 12. Solvuntur objectiones petitæ à ratione. 88

DISPUTATIO IV.

De Gratia sufficiente.

Art. 1. DE systemate & doctrina Jansenii circa sufficientem gratiam. 92
§. 1. Quid sentiat Jansenius de voluntate Dei circa hominum salutem. *ibid.*
§. 2. Quid sentiat Jansenius de morte Christi pro salute hominum. 93
§. 3. Quid sentiat Jansenius de gratia sufficiente, qualem defendunt Doctores omnes Catholici. *ibid.*
§. 4. Quam gratiam ut verè sufficientem agnoscat Jansenius. 94
§. 5. Quid circa gratiæ sufficientis distributionem sentiat Jasenius. *ibid.*
Art. 2. Utrùm admitti debeat gratia sufficiens. 95
Resp. Præter gratiam efficacem datur gratia sufficiens, hoc est gratia interior excitans, dans completum posse voluntati, seu quacum voluntas habet completam & expeditam potestatem operandi bonum, quod tamen non operatur, quia non vult. *ibid.*
Art. 3. Solvuntur objectiones. 96
Art. 4. Utrùm fidelibus justificatis detur gratia sufficiens ad servanda præcepta divina, & ad permanendum in statu justitiæ. 99
Resp. 1. Fideles justificati accipiunt gratiam verè sufficientem ad servanda præcepta divina, etiam quando ea transgrediuntur. *ibid.*
Resp. 2. Fidelibus justificatis datur gratia verè sufficiens ad permanendum in statu justitiæ, etiam iis qui non permanent; unde in illis, eorum culpa est merè sufficiens. 100
Art. 5. Utrùm fidelibus peccatoribus detur gratia sufficiens ad conversionem. 101
Resp. 1. Fidelibus peccatoribus non obduratis datur gratia sufficiens ad conversionem. *ibid.*
Resp. 2. Peccatoribus, etiam excœcatis & obduratis, datur gratia sufficiens ad conversionem. *ibid.*

Resp. 3.

Resp. 3. Gratia ad conversionem sufficiens peccatoribus non adest omnibus momentis ; sed solùm certis temporibus, prout Deus vult: unde quædam sunt tempora, quibus peccatores, præsertim obdurati, carent omni gratia sufficiente ad resurgendum à peccato. 102
Art. 6. Utrùm infidelibus omnibus, etiam iis qui laborant infidelitate negativa, detur gratia sufficiens ad salutem. 103
Resp. Infielibus omnibus, etiam iis qui laborant infidelitate negativa, datur pro loco, tempore gratia sufficiens ad salutem. *ibid.*
Art. 7. Solvuntur objectiones ex Scriptura & Patribus petitæ. 104
Art. 8. Solvuntur objectiones à ratione petitæ. 106
Art. 9. Utrùm peccatoribus omnibus adsit auxilium sufficiens ad vitanda peccata, adeòque ad servanda præcepta divina, quæ transgrediendo, peccant imputabiliter. 107
Resp. Peccatoribus omnibus adest, &c. *ibid.*

DISPUTATIO V.

De necessitate Gratiæ.

Art. 1. UTrùm tentatio aliqua superari possit solis naturæ viribus. 110
Resp. Nulla vera tentatio superari potest solis naturæ viribus, & sine aliquo gratiæ auxilio. 111
Art. 2. Utrùm homo possit boni aliquid velle in iis quæ ad pietatem & salutem pertinent, sine adjutorio gratiæ. 112
Resp. In iis quæ ad pietatem & salutem æternam pertinent, homo nihil potest, &c. *ibid.*
Art. 3. Utrùm mysteria fidei nostræ credi possint sine adjutorio gratiæ. *ibid.*
Resp. Sine interiore gratia illustrationis & inspirationis, homo credere non potest fide divina mysteria nostræ religionis, quantùmvis credibiliter proposita. 113
Art. 4. Utrùm sine adjutorio interioris gratiæ, possit diligi Deus propter se. 114
Resp. 1. Dilectio Dei sive ut largitoris gratiæ & gloriæ, sive etiam ut authoris naturæ appretiativè perfecta, superat vires liberi arbitrii, nec haberi potest sine interna gratia illustrationis & inspirationis. *ibid.*
Resp. 2. Etiam dilectio Dei non solùm ut largitoris gratiæ & gloriæ, sed & ut authoris naturæ appretiativè imperfecta, qua Deus propter se, sed non super omnia diligitur, superat vires liberi arbitrii, nec haberi potest sine interna gratia illustrationis & inspirationis. *ibid.*
Art. 5. Utrùm homo solis naturæ viribus possit aliquo modo se disponere ad recipiendam gratiam. 115
Resp. Homo solis naturæ viribus nullo modo potest sese disponere ad recipiendam gratiam actualem. *ibid.*
Art. 6. Utrùm homo possit solis naturæ viribus servare legem divinam. 116
Resp. Homo non potest solis naturæ viribus ad longum aliquod tempus servare totam legem naturalem quoad substantiam operis, ita ut ex omni parte vitet peccatum. 117
Art. 7. Utrùm homo solis naturæ viribus possit bonum aliquod morale perficere. 118
Resp. Potest homo, etiam infidelis, solis naturæ viribus perficere aliquod bonum morale, si nulla tentatione pulsetur. *ibid.*
Art. 8. Solvuntur objectiones. 119

DISPUTATIO VI.

De Justificatione impii.

Art. 1. UTrùm in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio. 120
Resp. In justificatione impii vera fit peccatorum remissio. *ibid.*
Art. 2. Utrùm in justificatione, præter veram peccatorum remissionem, accipiat homo inherentem justitiam, quà interiùs renovetur, & justus fiat. 121
Resp. Homo in justificatione accipit inherentem justitiam, qua renovatur interiùs, & fit intrinsecè justus. *ibid.*
Art. 3. Utrùm justitia inhærens, quæ infunditur in justificatione, sit habitualis, an actualis. 122
Resp. Justitia quæ in justificatione infunditur, habitualis est, non actualis. *ibid.*
Art. 4. Utrùm inhærens justitia habitualis, quà justificamur, sit qualitas simplex, an plurium qualitatum collectio. 123
Resp. Inhærens justitia habitualis consistit in collectione habituum fidei, spei & charitatis, quibus unà cum peccatorum remissione justificamur. *ibid.*
Art. 5. Utrùm præter habitus theologicos fidei, spei & charitatis, admittenda sit gratia sanctificans, ab illis realiter distincta, illisque realiter superaddita; quæ cum illis hominem sanctificet, & renovet interiùs. 124
Resp. Videtur non esse admittenda. *ibid.*
Art. 6. Utrùm peccatorum remissio sit effectus formalis justitiæ inhærentis. 125
Resp. Peccatorum remissio est effectus formalis justitiæ inherentis. *ibid.*
Art. 7. Utrùm peccatorum remissio sit effectus formalis primarius, an verò secundarius tantùm inhærentis justitiæ. 126
Resp. Peccatorum remissio est effectus formalis secundarius inhærentis justitiæ. *ibid.*
Art. 8. Per quam sui partem inhærens justitia excludat peccatum mortale. 127
Resp. Inhærens justitia expellit peccatum mortale per supernaturalem habitum charitatis. *ibid.*
Art. 9. Utrùm inhærens justitia per modum causæ formalis constituat hominem amicum Dei, filium ejus adoptivum, & hæredem vitæ æternæ. *ibid.*
Resp. 1. Habitus fidei, spei & charitatis, ex quibus inhærens justitia constituitur, per se & ex intrinseca perfectione, suppositâ remissione peccatorum, reddunt hominem proportionatum amicitiæ divinæ, & adoptione divina dignum. *ibid.*
Resp. 2. Ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ, præter habitus fidei, spei & charitatis, atque remissionem peccatorum, requiritur novus Dei favor, novumque beneficium. *ibid.*
Resp. 3. Status integer & perfectus amici Dei, &c. ad quem homo in justificatione evehitur, est effectus formalis, non primarius, sed secundarius inhærentis justitiæ. 128
Art. 10. Utrùm in justificatione, præter habitus virtutum theologicarum, infundantur etiam habitus virtutum moralium in entitate supernaturales. *ibid.*
Resp. In justificatione, præter virtutes theologicas, infunduntur etiam virtutes morales in entitate supernaturales. *ibid.*
Art. 11. Utrùm in homine ad justificationem prærequirantur aliquæ dispositiones. *ibid.*
Resp. 1. In parvulis ad justificationem nullæ dispositiones prærequiruntur. *ibid.*
Resp. 2. Ad justificationem aliquæ dispositiones prærequiruntur in adultis. *ibid.*

Resp. 3. Præter fidem, requiruntur etiam alii actus ad hoc ut adultus ad justificationem disponatur. *ibid.*

DISPUTATIO VII.

De Merito.

Art. 1. UTrùm homo cum gratia Dei operans, mereatur apud Deum. 130
Resp. Justi cum gratia Dei operantes, merentur apud Deum. *ibid.*
Act. 2. Utrùm justi mereantur apud Deum etiam de condigno. 131
Resp. Justi apud Deum merentur etiam de condigno. *ibid.*
Art. 3. Quid ex parte Dei & ex parte hominis requiratur ad meritum de condigno. 133
Resp. 3. Ad meritum de condigno ex parte Dei requiritur mercedis promissio. *ibid.*
Resp. 2. Ad meritum de condigno requiritur ex parte hominis status viatoris. 134
Resp. 3. Ad meritum de condigno ex parte hominis, requiritur etiam ut sit justus, & filius Dei adoptivus. *ibid.*
Art. 4. Quid ad meritum de condigno requiratur ex parte operis. *ibid.*
Resp. 1. Ad meritum de condigno requiritur, ut sit actus à voluntate elicitus, aut saltem imperatus. *ibdi.*
Resp. 2. Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit liber non solùm à violenta, sed etiam à voluntaria necessitate. 135
Resp. 3. Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit moraliter bonus & honestus. *ibid.*
Resp. 4. Ad meritum de condigno vitæ æternæ requiritur denique, ut actus sit elicitus, vel saltem imperatus à charitate. *ibid.*
Art. 5. Utrùm actus imperatus addat aliquid ad meritum actus imperantis. 137
Resp. 1. Actus internus per se & intrinsecè bonus, & liberè elicitus, addit aliquid ad meritum actus imperantis; ita ut ex utroque existat majus meritum, quàm ex solo imperante. *ibid.*
Resp. 2. Actus externus imperatus, actui interno à quo imperatur, non addit novam rationem meriti. *ibid.*
Art. 6. Unde habeant opera justorum, ut sint magis meritoria. 138
Resp. 1. Meritum crescit ratione majoris gratiæ sanctificantis, in operante præexistentis. *ibid.*
Resp. 2. Meritum crescit ex circumstantia durationis: ita ut opus bonum eò magis meritorium sit, quò diutiùs continuatur. *ibid.*
Resp. 3. Difficultas in operando non auget per se meritum operis. *ibid.*
Art. 7. Quid adulti possint vel non possint mereri. 139
Resp. 1. Adulti, qui justificantur, non merentur de condigno primam gratiam actualem, imò nequidem merentur de congruo. *ibid.*
Resp. 2. Adulti, qui justificantur, non merentur de condigno primam gratiam sanctificantem, sed merentur eam de congruo. *ibid.*
Resp. 3. Adultus qui justificatur, non meretur de condigno primam gloriam. 140
Resp. 4. Perseverantia finalis non cadit sub meritum de condigno, imò nec sub meritum de congruo, quod effectum suum infallibiliter obtineat. *ib.*
Resp. 5. Justi reparationem post lapsum, neque de condigno, neque de congruo infallibiliter merentur per opera in Deo facta in statu justitiæ. 142
Resp. 6. Justi merentur de condigno augmentum gratiæ sanctificantis. *ibid.*
Resp. 7. Justi merentur de condigno augmentum gloriæ. *ibid.*
Art. 8. Quid & quotuplex sit meritum de congruo. 143

TRACTATUS SEPTIMUS.

De Virtutibus Theologicis.

PARS PRIMA.

De Fide.

DISPUTATIO PRIMA.

De Objecto formali fidei.

Art. 1. UTrùm revelatio sit in objecto formali fidei divinæ. 144
Resp. 1. Revelatio divina est in objecto formali fidei divinæ. *ibid.*
Resp. 2. Revelatio divina adæquatè sumpta, hoc est, non solùm revelatio interna, sed etiam externa, est in objecto formali fidei divinæ. 145
Art. 2. Utrùm veracitas divina sit in objecto formali fidei divinæ. 146
Resp. Veracitas divina est in objecto formali fidei divinæ. *ibid.*
Art. 3. Utrùm deitas sit in objecto formali fidei divinæ. *ibid.*
Resp. Deitas non est in objecto formali fidei divinæ. *ib.*
Art. 4. Utrùm motiva credibilitatis sint in objecto formali fidei divinæ. 147
Resp. Motiva credibilitatis non sunt in objecto formali fidei divinæ. *ibid.*
Art. 5. Utrùm revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debeant esse obscuræ. 148
Resp. 1. Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, requiritur & sufficit ut obscurè tantùm, ostendant rem revelatam. *ibid.*
Resp. 2. Veracitas & revelatio simpliciter evidentes secundùm se & immediatè, non possunt esse objectum formale fidei divinæ. 149
Resp. 3. Revelatio & veracitas inevidentes in se, quamvis simpliciter evidentes sint in motivis credibilitatis evidentia magna morali, possunt esse objectum formale fidei divinæ. *ibid.*
Resp. 4. A fortiori revelatio & veracitas divina inevidentes in se, & solùm evidenter credibiles per motiva credibilitatis, possunt esse objectum formale fidei divinæ. 150
Art. 6. Utrùm revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debeant saltem esse evidenter credibiles. *ibid.*
Resp. Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, requiritur saltem, & sufficit quòd sint evidenter credibiles per motiva credibilitatis. 151
Art. 7. Utrùm revelatio privativa sufficiat ad objectum formale fidei divinæ; & an publica, ut sit objectum formale fidei divinæ, debeat proponi ab Ecclesia. 153
Resp. 1. Ad objectum formale fidei divinæ sufficit revelatio privata facta credibiliter. *ibid.*
Resp. 2. Ad objectum formale fidei divinæ non requiritur absolutè ut revelatio publica proponatur ab Ecclesia. *ibid.*

DIS-

INDEX.

DISPUTATIO II.

De objecto materiali fidei divinæ.

Art. 1. UTrùm objectum materiale fidei divinæ sit necessariò verum. 154

Resp. Rex à Deo revelatæ, quatenus subsunt revelationi divinæ, sunt infallibiliter veræ infallibilitate absoluta. *ibid.*

Art. 2. Utrùm mysteria nostræ fidei sint saltem evidenter credibilia. 155

Resp. Mysteria nostræ fidei habent saltem evidentiam credibilitatis maximam, hoc est tantam, quanta esse potest infra evidentiam simplicem. *ibid.*

Art. 3. Utrùm evidens sit non solùm evidentia credibilitatis maxima, sed etiam evidentia simplici, mysteria religionis christianæ esse vera, & à Deo revelata. 157

Resp. Evidens est etiam evidentia simplici, mysteria religionis christianæ esse vera, & à Deo revelata. *ibid.*

Art. 4. Utrùm objectum materiale nostræ fidei successu temporis creverit. 160

Resp. 1. Objectum materiale fidei nostræ, etiam quoad articulos fidei, ab Adamo usque ad Christum inclusivè crevit simpliciter. 161

Resp. 2. Ex tempore Christi & Apostolorum, articuli fidei non creverunt simpliciter. *ibid.*

Resp. 3. Creverunt secundùm quid. *ibid.*

Art. 5. Utrùm ea quæ deducuntur ex principiis revelatis, sint in objecto materiali fidei, & possint ac debeant credi fide divina. 162

Resp. 1. Conclusio legitimè deducta ex duabus præmissis credibiliter revelatis, potest credi fide divina. *ibid.*

Resp. 2. Conclusio legitimè deducta ex majore universali revelata credibiliter, & minore non revelata, sed certa certitudine metaphysica, vel physica, potest credi fide divina. 163

Resp. 3. Conclusio legitimè deducta ex majore universali revelata credibiliter, & minore non revelata, sed evidente evidentia magna morali absoluta, & respectu omnium excludente omnem prudentem dubitationem, est in objecto materiali fidei respectu omnium, & potest ab omnibus credi fide divina. 164

Resp. 4. Conclusio legitimè deducta ex majore universali omninò certa, licet non revelata, & ex minore omninò absolutè revelata credibiliter, fide divina credi potest. *ibid.*

Resp. 5. Generaliter omnis conclusio legitimè deducta ex una præmissa absolutè revelata credibiliter, & ex altera omninò certa, & consequenter evidente evidentia vel metaphysica, vel physica, vel magna morali absoluta, est de fide quoad potentiam credendi, imò & quoad credendi obligationem, saltem post definitionem & præceptum Ecclesiæ. 165

DISPUTATIO III.

De actu interno fidei.

Art. 1. UTrùm actus fidei divinæ sit certus, & quanta sit ejus certitudo. *ibid.*

Resp. 1. Actus fidei divinæ infallibilior est quovis assensu naturali, quantùmvis evidenti, qui non versatur circa perfectionem aliquam Dei necessariam. 166

Resp. 2. Actus fidei divinæ ex merito objecti appretiativè saltem firmior est omni assensu naturali, quantùmvis evidenti. *ibid.*

Resp. 3. Actus fidei divinæ est absolutè & simpliciter certior omni omninò assensu naturali, sive obscuro, sive etiam evidenti, quantacumque supponatur esse hæc evidentia. *ibid.*

Art. 2. Utrùm actus fidei divinæ pertineat ad intellectum. 168

Resp. Actus fidei divinæ pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem. *ibid.*

Art. 3. Utrùm aliqui alii, & quinam actus, ad actum fidei divinæ prærequirantur. 169

Resp. 1. Ad actum fidei divinæ prærequiritur actus voluntatis, quo voluntas positivè determinet intellectum ad credendum. *ibid.*

Resp. 2. Voluntatis imperium ad fidem divinam prærequisitum supponit judicium practicè practicum de credibilitate veritatis revelatæ propter revelationem divinam. 170

Resp. 3. Judicium practicè practicum, piæ credulitati prærequisitum, supponit judicium speculativum de existentia, aut saltem prudenti credibilitate revelationis. *ibid.*

Art. 4. Utrùm actus fidei divinæ sit liber & honestus speciali honestate. *ibid.*

Resp. 1. Actus fidei divinæ est positivè voluntarius & liber. *ibid.*

Resp. 2. Actus fidei divinæ habet specialem honestatem objectivam intrinsecam. *ibid.*

Resp. 3. Actus fidei divinæ habet etiam specialem honestatem formalem, non intrinsecam, sed extrinsecam. *ibid.*

Art. 5. Utrùm actus fidei divinæ, & alii actus ad illum prærequisiti, sint supernaturales. 171

Resp. 1. Actus fidei divinæ supernaturalis, est. *ibid.*

Resp. 2. Imperium voluntatis, ad actum fidei divinæ prærequisitum, supernaturale est. *ibid.*

Resp. 3. Judicium practicè practicum, ad pium credendi affectum prærequisitum, est supernaturale. *ibid.*

Resp. 4. Supernaturale etiam est judicium speculativum de existentia revelationis, vel ejus credibilitate, evidens evidentia, morali absoluta, & sufficiente respectu omnium, ad credendum cum certitudine appretiativè summa. *ibid.*

Art. 6. Quomodo resolvatur actus fidei divinæ, & an Catholici in reddenda ratione suæ fidei, vitiosam circulationem admittant. 172

DISPUTATIO IV.

De necessitate fidei divinæ, & ejus externæ professionis

Art. 1. UTrùm actus fidei divinæ sit necessarius necessitate medii respectu adultorum existentium in statu peccati mortalis. 174

Resp. Actus fidei divinæ necessarius est ad salutem necessitate medii, omnibus adultis, in statu peccati mortalis existentibus, sive ante, sive post baptismum. *ibid.*

Art. 2. Quarum veritatum fides necessaria sit necessitate medii ad justificationem & salutem adulti existentis in statu peccati mortalis. 175

Resp. 1. Fides qua explicitè creditur Deum existere, esse authorem rerum omnium, curam salutis hominum gerere, & esse finem nostrum supernaturalem, fuit quovis tempore adulto peccatori necessaria ad salutem necessitate medii. *ibid.*

Resp. 2. Explicita fides mysterii Incarnationis, quoad divinitatem, passionem & resurrectionem Christi, non fuit medium necessarium ad salutem adulti peccatoris in lege naturæ & Mosaica. *ibid.*

Resp. 3. Fides, qua explicitè creditur mysterium Incarnationis, quoad munus redemptoris & mediatoris Dei & hominum, fuit necessaria necessitate medii ad salutem adultorum in statu peccati mortalis existentiũ tempore legis naturæ & Mosaicæ. 176

Art. 3. Utrùm fides explicita Incarnationis sit necessaria necessitate medii ad salutem adultorum peccatorum in lege gratiæ. 178

Resp. 1. In lege gratiæ aliqua fides explicita mysterii Incarnationis, est medium simpliciter & in re necessarium ad salutem adultorum peccatorum. *ib.*

Resp. 2. In lege gratiæ fides explicita mysterii Incarnationis, non solùm quoad munus redemptoris & mediatoris Dei & hominum, sed etiam quoad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, est medium simpliciter necessarium ad salutem adulti existentis in peccato mortali. *ib.*

Art. 4. Utrùm fides explicita Trinitatis in lege gratiæ necessaria sit necessitate medii ad salutem adultorum peccatorum. 180

INDEX.

Resp. post sufficientem Evangelii promulgationem, fides explicita Trinitatis est medium simpliciter necessarium ad salutem adultorum existentium in peccato mortali. *ibid.*

Art. 5. Utrùm actus fidei divinæ sit etiam necessarius necessitate præcepti. 181

Resp. Necessarius est necessitate præcepti. *ibid.*

Art. 6. Utrùm actus externus fidei sit necessarius ad salutem. *ibid.*

Resp. Externa confessio fidei necessaria est necessitate præcepti, quo jubemur profiteri fidem nostram suo tempore. 182

DISPUTATIO V.

De habitu fidei, & ejus subjecto.

Art. 1. UTrùm detur habitus fidei. 183

Resp. 1. Datur fidei habitus naturalis & acquisitus. *ibid.*

Resp. 2. Datur etiam in intellectu habitus fidei per se infusus & supernaturalis. *ibid.*

Resp. 3. Præter habitum illum intellectualem, per se infusum & supernaturalem, quo intellectus immediatè & intrinsecè completur ad eliciendum actum fidei divinæ, datur etiam in voluntate habitus per se infusus supernaturalis ad eliciendum actum piæ crudelitatis, seu imperii, quo intellectus à voluntate efficaciter applicatur ad actum fidei. *ibid.*

Resp. 4. Præter habitum fidei & habitum piæ credulitatis per se infusos & supernaturales, datur etiam in intellectu habitus per se infusus & supernaturalis ad eliciendum judicium practicè practicum supernaturale, quo immediatè dirigitur pius credendi affectus. 184

Art. 2. Utrùm habitus fidei aliquando infundatur priùs tempore, quàm habitus charitatis. *ibid.*

Resp. Habitus fidei nunquam infunditur priùs tempore, quàm habitus charitatis. *ibid.*

Art. 3. In quibus reperiatur habitus fidei. *ibid.*

Resp. 1. Habitus fidei non est in Beatis. *ibid.*

Resp. 2. Habitus fidei non est in damnatis. 185

Resp. 3. Habitus fidei fuit in Angelis viatoribus, & in homine innocente. *ibid.*

Resp. 4. Habitus fidei est in animabus Purgatorii. *ibid.*

Resp. 5. In hac vita habitus fidei est in omnibus fidelibus justificatis; imò & in iis omnibus peccatoribus, qui è statu gratiæ per peccatum mortale, à peccato infidelitatis diversum, exciderunt. *ibid.*

Resp. 6. Habitus fidei non manet in hæreticis formaliter. 186

DISPUTATIO VI.

De vitiis fidei oppositis.

Art. 1. QUid sit, & quotuplex sit infidelitas. 187

Resp. 1. Infidelitas in genere triplex est, negativa scilicet, contraria, & privativa. *ibid.*

Resp. 2. Infidelitas contraria triplex est, nempe paganismus, judaismus, & hæresis. *ibid.*

Resp. 3. Hæ tres infidelitatis contrariæ species non distinguuntur essentialiter in ratione peccati, sed solùm accidentaliter secundùm magis & minùs in eadem peccati specie. *ibid.*

Resp. 4. Hæresis subdividitur in plures species, non quidem formaliter, sed materialiter tantùm diversas. 188

Art. 2. Utrùm infidelitas negativa sit peccatum, an pœna peccati tantùm. *ibid.*

Resp. Infidelitas purè negativa non est peccatum, sed pœna peccati. *ibid.*

Art. 3. Quid sit propriè hæresis. 189

Resp. 1. Ad hæresim requiritur ex parte intellectus judicium erroneum contra fidem; ex parte voluntatis pertinacia; & ex parte subjecti, professio fidei christianæ. *ibid.*

Resp. 2. Hæresis est voluntarius error intellectus contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia assertus ab eo qui se christianum profitetur. *ibid.*

Art. 4. Utrùm sit hæreticus ille, qui habet dubitationem in rebus fidei. 190

Resp. 1. Qui deliberatè & positivè dubitat de veritate aliqua revelata, & ut tali ab Ecclesia sufficienter proposita, est formaliter hæreticus. *ibid.*

Resp. 2. Qui de veritate aliqua revelata, & ut tali ab Ecclesia sufficienter proposita, dubitat negativè, hoc est per meram suspensionem assensus, à voluntate imperatam propter rationes contrarium suadentes, est etiam formaliter hæreticus. *ibid.*

Art. 5. Utrùm errans in fide ex ignorantia culpabili quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, sit formaliter hæreticus, & infidelis infidelitate pellente habitum fidei. *ibid.*

Resp. 1. Non est formaliter hæreticus, qui errat in fide ex ignorantia culpabili sive affectata, sive non affectata, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia. *ib.*

Resp. 2. Qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, sive affectata, sive non affectata, quòd contrarium doceatur ab Ecclesia; non est infidelis infidelitate pellente habitum fidei. *ibid.*

PARS SECUNDA.

De Spe & Charitate.

DISPUTATIO PRIMA.

De Spe.

Art. 1. QUodnam sit objectum materiale Spei. 194

Resp. 1. Objectum materiale primarium spei non consistit in sola beatitudine formali, seu in sola possessione Dei. *ibid.*

Resp. 2. Objectum materiale primarium spei non consistit in sola beatitudine objectiva, seu non consistit in Deo secundùm se sumpto, & præciso ab actibus, quibus eum possidemus, eoque fruimur. *ibid.*

Resp. 3. Objectum materiale primarium spei consistit in beatitudine objectiva, seu in Deo, tanquam in parte principaliori. *ibid.*

Resp. 4. Objectum materiale primarium spei consistit etiam in beatitudine formali, seu in possessione Dei, tanquam in parte minùs principali. 195

Resp. 5. Objectum materiale secundarium spei sunt ea omnia bona creata, tam supernaturalia quàm naturalia, quæ nobis ad consequendam beatitudinem necessaria vel utilia esse possunt. *ibid.*

Art. 2. Solvuntur objectiones. *ibid.*

Art. 3. Quodnam sit objectum formale spei theologicæ. 197

Resp. 1. Objectum formale spei, ut est desiderium efficax beatitudinis, est bonitas Dei respectiva. *ib.*

Resp. 2. Objectum formalè spei, ut est erectio voluntatis adversùs difficultates, est virtus Dei auxiliatrix, per divinas promissiones quodam modo obligata nobis. *ibid.*

Corollar. Spei theologicæ objectum formale adæquatum consistit in complexo ex bonitate Dei respectiva, & ejus infinita virtute auxiliatrice, nobis quodam modo obligata per promissiones divinas. 198

Art. 4. Utrùm præter amorem charitatis, detur alius amor Dei honestus & supernaturalis, in quo fundetur spes, &c. 199

Resp. 1. Amor quo Deum diligimus, qua summum bonum nostrum est, est honestus & supernaturalis. *ib.*

Resp. 2. Amor quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, non est amor charitatis, sed concupiscentiæ. *ibid.*

Resp. 3. Ex hoc amore concupiscentiæ, quo Deum diligimus ut summum nostrum bonum, nascitur spes theologica. *ibid.*

Resp. 4. Amor concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, & desiderium efficax beatitudinis, seu spes quæ ex illo amore oritur, pertinent ad eandem virtutem theologicam, nempe virtutem spei. 200

Resp. 5.

INDEX.

Resp. 5. Amor concupiscentiæ, quo Deum diligimus quia summum nostrum bonum est, & desiderium seu spes, quæ ex illo amore oritur, pertinent ad habitum realiter distinctum ab habitibus fidei & charitatis. *ibid.*

Art. 5. Utrùm aliquis timor, & quis pertineat ad virtutem spei. 201

Resp. Timor servilis simpliciter, quo scilicet ordinatè & secundùm mensuram rectæ rationis, pœna æterna, vel aliud quodvis ad eam ducens, timetur ut malum & incommodum nostrum, pertinet ad virtutem spei, ut actus ab ea elicitus. 202

Art. 6. De proprietatibus spei. 203

Propos. 1. Spes theologica est affectivè firmissima. *ib.*

Propos. 2. Spes theologica ex parte sua est certissima tum intrinsecè, tum extrinsecè. *ibid.*

Propos. 3. Spes theologica necessaria est necessitate medii, ad salutem adultorum peccatorum. *ibid.*

Propos. 4. Spes Theologica est etiam necessaria necessitate præcepti, non solùm adultis peccatoribus, sed etiam justis. *ibid.*

Art. 7. De habitu spei. 205

Propos. 1. Datur habitus spei per se infusus, & supernaturalis in entitate, qui vera & propria virtus est. *ibid.*

Propos. 2. Habitus spei inter habitus theologicos medium perfectionis locum tenet. *ibid.*

Propos. 3. Subjectum proximum habitus spei est voluntas, remotum verò sunt suppositа omnia intellectualia, actuum ejus capacia. *ibid.*

DISPUTATIO II.

De Charitate.

Art. 1. DE objecto materiali charitatis. 205

Propos. 1. Objectum materiale primarium charitatis est Deus, secundarium verò proximus. *ib.*

Propos. 2. Homo quilibet, etiam relatè ad seipsum, pertinet ad objectum materiale secundarium charitatis. 206

Propos. 3. Bona supernaturalia pertinent ad objectum materiale secundarium charitatis, non tanquam id quod diligitur ut amicus, sed tanquam id quod amico diligitur. 207

Art. 2. De objecto formali charitatis. *ibid.*

Propos. 1. Objectum formale charitatis est infinita Dei bonitas absoluta. *ibid.*

Propos. 2. Bonitas Dei absoluta, sumpta non solùm pro collectione omnium perfectionum divinarum, sed etiam pro singulis perfectionibus divinis seorsim sumptis, est objectum formale charitatis. 208

Propos. 3. Deus non solùm ut author bonorum supernaturalium, sed etiam ut author bonorum naturalium, est objectum formale charitatis justificantis & supernaturalis. 209

Art. 3. Quid sit charitas actualis, & quotuplex. *ibid.*

Art. 4. Utrùm dari possit vera amicitia homines inter & Deum. 211

Resp. Datur vera amicitia inter Deum & hominem, qui charitatem habet. *ibid.*

Art. 5. De habitu charitatis. 212

Propos. 1. Habitus charitatis est ens creatum, nempe qualitas physica, supernaturalis, & per se infusa, inhærens animæ, ipsamque permanenter habilitans ad actus, quibus Deus propter se, & proximus propter Deum diligitur. *ibid.*

Propos. 2. Charitas habitualis est virtus specialis, theologica, & omnium virtutum præstantissima. *ibid.*

Propos. 3. Charitas habitualis est virtus amicitiæ. 213

Propos. 4. Charitatis habitualis subjectum immediatum est voluntas, mediatum verò sunt justi omnes, sive in via, sive extra viam sint. *ibid.*

Art. 6. Utrùm ad charitatis habitualis augmentum requirantur actus ipsa intensiores. 214

Resp. Charitas habitualis augetur non solùm per actus ipsa intensiores, sed etiam per remissiores. *ibid.*

Art. 7. Utrùm status charitatis perfectæ excludat actus virtutis spei, &c. 216

Resp. Bonum operari, & vitare malum intuitu proprii interesse seu commodi supernaturalis, non repugnat statui perfectorum, adeòque nec amor & desiderium beatitudinis, quà summum bonum nostrum est, nec timor æternæ damnationis, etiam quatenùs est summum nostrum malum, repugnat huic statui. *ibid.*

Art. 8. De præcepto charitatis. 219

Propos. 1. Datur charitatis præceptum ab aliis omnibus distinctum. *ibid.*

Propos. 2. Præceptum charitatis positivum aliquando per se obligat, & aliquando per accidens tantùm. *ib.*

Propos. 3. Præceptum charitatis obligat ad amandum Deum propter se cum summa appretiatione. *ibid.*

Propos. 4. Præceptum charitatis obligat ad referenda omnia ad Deum. 220

Art. 9. Utrùm præceptum charitatis obliget non solùm ad diligendum Deum propter se, sed etiam ad diligendum proximum propter Deum. 221

Resp. 1. Unusquisque tenetur ex charitate proximum suum diligere. *ibid.*

Resp. 2. Præceptum charitatis, etiam quatenùs pertinet ad proximum, obligat ad actum internum. *ibid.*

Resp. 3. Præceptum charitatis in proximum non solùm obligat ad actum internum dilectionis, sed etiam ad actus externos, hoc est, ad beneficia proximo cùm necesse est, quantùm possumus præstanda. 222

Artt. 10. Quem ordinem servare debeamus in actibus externis, quibus nobis & proximo subvenire possumus. *ibid.*

Resp. 1. Tenemur ex charitate magis providere nobis, quàm proximo in bonis spiritualibus, quæ ex charitate tenemur nobis velle, & proximo. *ibid.*

Resp. 2. Secundùm ordinem charitatis, nemo tenetur, aut etiam potest velle peccare, etiam venialiter tantùm, & ita pati spirituale detrimentum, quale à peccato veniali causari potest, ad procurandum bonum spirituale proximi. 223

Resp. 3. Detrimentum spirituale, quo impeditur augmentum meritorum & gratiæ sanctificantis, non est ex charitate eligibile, ad procurandum bonum spirituale proximi. *ibid.*

Resp. 4. Potest aliquis, ad procurandam salutem proximi, secundùm ordinem charitatis, aliquando velle pati detrimentum spirituale, charitati omninò extrinsecum, putà velle carere spirituali delectatione seu dulcedine. *ibid.*

Resp. 5. Quilibet ex charitate tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quàm seipsum in corporalibus. *ibid.*

Resp. 6. In eodem genere bonorum & necessitatum temporalium, quilibet secundùm ordinem charitatis potest sibi potiùs providere quàm alteri privato. 224

Resp. 7. Homo, per se loquendo, non potest pro servanda proximi vita, propriam vitam exponere, secundùm ordinem charitatis. *ibid.*

Art. 11. Quomodo ordo charitatis servandus sit inter proximos. 225

Resp. 1. In eodem genere bonorum & necessitatum, consanguinei extraneis præferendi sunt. *ibid.*

Resp. 2. Ex consanguineis, in eodem genere bonorum & necessitatum, nobis propinquiores, & ex æquè propinquis digniores præferendi sunt. *ibid.*

Resp. 3. Inter extraneos, præferendi sunt meliores, in eodem genere bonorum & necessitatum. *ibid.*

Art. 12. Utrùm charitatis præceptum obliget ad dilectionem inimicorum. *ibid.*

Resp. 1. Mortale est contra charitatẽ odisse inimicos. *ib.*

Resp. 2. Sub mortali ex charitatis præcepto tenemur actu interno positivè diligere inimicos nostros. 226

Resp. 3. Præceptum charitatis obligat ad diligendum inimicos in particulari in casu necessitatis; & extra casum necessitatis, per se loquendo, obligat tantùm ad diligendum eos in communi. *ibid.*

Resp. 4. Ex præcepto charitatis unusquisque tenetur specialiter & singulariter subvenire inimico in casu necessitatis; extra casum necessitatis non tenetur. *ibid.*
Resp. 5. Tenemur ex præcepto charitatis ea inimicis beneficia, vel benevolentiæ signa exhibere, quæ exhibemus aliis hominibus in communi, sive tunc præceptum aliis hominibus exhibendi urgeat, sive non urgeat. *ibid.*
Art. 13. De præcepto Correctionis fraternæ. 227
Resp. 1. Datur præceptum de correctione fraterna, 228
Resp. 2. Præceptum correctionis fraternæ ex genere suo sub gravi obligat. *ibid.*
Resp. 3. Quodlibet peccatum mortale commissum & non emendatum, est materia gravis & sufficiens præcepti correctionis fraternæ. *ibid.*
Resp. 4. Ut præceptum correctionis fraternæ obliget, requiruntur aliæ circumstantiæ, quibus existentibus, statim obligat. 229
Resp. 5. Præceptum correctionis fraternæ obligat eos omnes, qui ad corripiendum idonei sunt, 230
Resp. 6. Præceptum correctionis fraternæ obligat ad corripiendos non solùm inferiores, sed etiam æquales & superiores, quando correptione indigent. *ibid.*
Resp. 7. Quando delictum proximi publicum est, publicè corrigi potest statim, nec præmissa admonitione secreta. 231
Resp. 8. Si delictum proximo occultum est, sed vergit in detrimentum boni communis, potest & debet statim, nulla secreta admonitione præmissa, denuntiari superiori. *ibid.*
Resp. 9. Si delictum proximi non est notorium, & ita non generat publicum scandalum, nec vertitur in detrimentum boni communis, aut alterius personæ privatæ, denuntiationem præcedere debet admonitio secreta, si sit spes aliqua fructus in ea. *ibid.*
Art. 14. De præcepto Eleemosynæ. 232
Propos. 1. Datur præceptum eleemosynæ, ex genere suo obligans ad mortale. *ibid.*
Propos. 2. Homo non potest facere eleemosynam extra casum necessitatis extremæ, nisi ex bonis quorum dominium habet non impeditum, aut quorum legitimam & absolutam administrationem habet. 233
Propos. 3. Homo non potest facere eleemosynam ex bonis restitutioni obnoxiis, nisi vel in casu extremæ necessitatis, vel cùm sic restitutio facienda est. 234
Propos. 4. Proximo in extrema necessitate existenti tenetur homo sub mortali subvenire ex non necessariis ad conservationem vitæ propriæ, vel suorum, adeòque ex necessariis ad conservationem status. *ibid.*
Propos. 5. Proximo in gravi necessitate constituto tenetur homo sub mortali subvenire, etiam ex iis quæ ei aliquo modo necessaria sunt ad integram status decentiam. *ibid.*
Propos. 6. Unusquisque tenetur simpliciter superflua erogare in pauperes communes. *ibid.*
Propos. 7. Præcepto eleemosynæ non satisfit per mutuum, aut alium contractum onerosum, quo indigens obligetur ad aliquid sive absolutè, sive conditionatè tantùm, putà si postea ditescat, si postea domum vel agrum possideat, &c. 235
Art. 15. De Scandalo. *ibid.*
Propos. Scandalum est peccatum speciale & mortale ex genere suo. 236
Art. 16. De Bello & Duello. 239
§. 1. De Bello. *ibid.*
§. 2. De Duello. 240
Resp. 1. Duellum, si fiat authoritate publica, & ex causa publica, non est intrinsecè malum, sed licitum & honestum esse potest. *ibid.*
Resp. 2. Duellum quod fit authoritate privata, ex quacumque causa fiat, est intrinsecè illicitum & inhonestum. *ibid.*

TRACTATUS OCTAVUS.

De Legibus.

DISPUTATIO I.

De lege in communi.

Art. 1. Quid sit lex. 242
Resp. Lex propriè dicta benè describitur, rationis ordinatio communitatis obligativa, ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata, qua scilicet permanenter sancitur aliquid, vel præcipiendo, vel prohibendo, vel permittendo, vel denique statuendo ut aliquæ res aut personæ tali vel tali modo se habeant in ordine ad aliquos effectus morales. *ib.*
Art. 2. Qualis debeat esse. 243
Art. 3. Quotuplex sit lex. 244

DISPUTATIO II.

De lege naturali.

Art. 1. Quid sit lex naturalis. *ibid.*
Resp. 1. Lex naturalis bene describitur, rationis divinæ ordinatio ad bonum commune naturæ rationalis, à Deo ut authore illius promulgata, & creaturam rationalem obligans, qua permanenter statuit ea omnia quæ sunt juris naturalis, præcipiendo ea quorum omissio, & prohibendo ea quorum commissio naturam rationalem dedecet, atque statuendo deesse morali rectum in ordine ad certos effectus morales. *ibid.*
Resp. 2. Lex naturalis quoad rem & entitatem consistit, non quidem adæquatè, sed completivè, seu tanquam in complemento intrinseco & essentiali in dictaminibus rectæ rationis, practicè & imperativè dictantibus quid sit faciendum vel omittendum, velut consentaneum vel dissentaneum naturæ rationali, quà tali. *ibid.*
Art. 2. Quid præscribat, & ad quid obliget lex naturalis. 247
Resp. 1. Lex naturalis prohibet quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem, seu quod idem est, prohibet id omne cujus commissio intrinsecè & essentialiter dedecet naturam rationalem, *ibid.*
Resp. 2. Lex naturalis præcipit id omne quod ex natura rei, sive antecedenter ad omnem ordinationem & constitutionem sive divinam sive humanam, necessarium est ad vivendum conformiter ad naturam rationalem, seu, quod idem est, præcipit id omne, cujus omissio intrinsecè & essentialiter naturam rationalem dedecet. *ib.*
Resp. 3. Lex naturalis, aliquid fieri præcipiens, non solùm præcipit actum, sed etiam modum virtutis. *ibid.*
Resp. 4. Inter actus humanos aliqui non solùm prohibentur, sed etiam irritantur lege naturali. 248
Resp. 5. Lex naturalis obligat in conscientia circa ea

ea omnia, quæ Deus, ut author naturæ ſtatuit, ſive præcipiendo, ſive prohibendo, ſive etiam irritando. *ibid.*
Art. 3. Utrùm lex naturalis ſit neceſſaria. *ibid.*
Reſp. Lex naturalis non eſt neceſſaria abſolutè, ſed eſt neceſſaria ex hypotheſi præſenti, in qua natura rationalis condita eſt cum uſu rationis ac libertatis circa bonum & malum, & cum fragilitate ſibi connaturali. *ibid.*
Art. 4. Utrùm lex naturalis capax ſit mutationis propriè dictæ. 249
Reſp. Lex naturalis non poteſt mutari propriè, *ibid.*
Art. 5. Utrùm lex naturalis pati poſſit diſpenſationem propriè dictam. 250
Reſp. Nulla poteſtas, ſive humana, ſive divina, diſpenſare poteſt propriè in lege naturali. *ibid.*

DISPUTATIO III.

De Lege Moſaica.

Art. 1. AQuo, & quibus lata fuerit lex Moſaica. 251
Reſp. 1. Lex Moſaica immediatè à Deo lata eſt hominibus. *ibid.*
Reſp. 2. Tota lex Moſaica, ab Exodo uſque ad Deuteronomium incluſivè, à Deo immediatè lata eſt. 252
Reſp. 3. Lex Moſaica à Deo lata eſt ſoli populo Judæorum. *ibid.*
Art. 2. Utrùm lex Moſaica fuerit perfecta, an imperfecta. *ibid.*
Reſp. 1. Lex Moſaica non fuit imperfecta poſitivè, ſeu non fuit mala & injuſta, ſed bona & ſancta. *ibid.*
Reſp. 2. Lex Moſaica fuit imperfecta negativè, & comparativè, hoc eſt minùs perfecta quàm lex Evangelica. 253
Art. 3. Utrùm, & à quo, & quando abrogata ſit Lex Moſaica. *ibid.*
Reſp. 1. Lex Moſaica abrogata eſt. *ibid.*
Reſp. 2. Lex Moſaica abrogata eſt non ſolùm quoad præcepta cœremonialia & judicialia, ſed etiam quoad moralia. *ibid.*
Reſp. 3. Lex Moſaica à Chriſto abrogata eſt. 254
Reſp. 4. Lex Moſaica tunc abrogata eſt, cùm lex Evangelica ſufficienter intimata & promulgata eſt Judæis. *ibid.*
Art. 4. Utrùm Lex Moſaica, ſtatim atque mortua eſt, mortifera fuerit. 255
Reſp. Lex Moſaica, etiam quoad præcepta cœremonialia, non fuit mortifera ſtatim atque mortua eſt: ita ut aliquo tempore poſt abrogationem legis Moſaicæ, licitum fuerit præcepta illa ſervare, licèt non fuerit neceſſarium. *ibid.*

DISPUTATIO IV.

De Lege Evangelica.

Art. 1. UTrùm Chriſtus novam legem condiderit, & quotuplicia ſint hujus legis præcepta. 257
Reſp. 1. Chriſtus non ſolùm legem veterem abrogavit, ſed etiam novam condidit. *ibid.*
Reſp. 2. Nova lex à Chriſto lata, continet præcepta moralia. *ibid.*
Reſp. 3. Nova lex à Chriſto lata, continet etiam præcepta cœremonialia. *ibid.*
Art. 2. Quandonam lex Evangelica cœperit obligare. 258
Reſp Lex Evangelica non cœpit obligare per modum legis, niſi poſt ſufficientem promulgationem. *ibid.*
Corollar. 1. Lex Evangelica non obligavit per modum legis ante diem Pentecoſtes. *ibid.*
Corollar. 2. Lex Evangelica non ſtatim & eodem tempore toto terrarum orbe obligavit per modum legis. 259
Corollar. 3. Lex Evangelica priùs obligavit Judæos, quàm gentiles. *ibid.*
Corollar. 4. Lex Evangelica in univerſo terrarum orbe cœpit obligare per modum legis, ante mortem Apoſtolorum. *ibid.*
Art. 3. Utrùm lex Evangelica à Moſaica differat quoad modum promulgationis, & quoad vim juſtificandi. 260
Reſp. 1. Lex Evangelica à Moſaica differt quoad modum promulgationis, in quantum lex Moſaica ſcripto tradita fuit in tabulis lapideis: Evangelica verò non fuit per ſe primò ſcripta, ſed viva voce exteriùs intimata, & interiùs per abundantem Spiritus ſancti gratiam altè inculpta cordibus hominum. *ibid.*
Reſp. 2. Lex Evangelica vim habet juſtificandi, & in hoc differt à lege Moſaica. *ibid.*
Art. 4. Utrùm per legem Evangelicam fideles eximantur ab obligatione mandatorum divinorum & humanorum. 261
Reſp. 1. Lex Evangelica non eximit fideles ab obligatione mandatorum divinorum. *ibid.*
Reſp. 2. Lex Evangelica non liberat fideles ab obligatione legum humanarum. *ibid.*
Art. 5. Utrùm leges divinæ poſitivæ cadere poſſint ſub diſpenſationem divinam, vel humanam. 262
Reſp. 1. Leges divinæ poſitivæ cadere poſſunt ſub diſpenſationem divinam. *ibid.*
Reſp. 2. Lex poſitiva divina, putà Evangelica, non cadit ſub diſpenſationem humanam. *ibid.*
Art. 6. Utrùm legum poſitivarum divinarum interpretatio cadat ſub poteſtatem humanam. 263
Reſp. Legum divinarum poſitivarum interpretatio cadit ſub poteſtatem humanam. *ibid.*

DISPUTATIO V.

De Lege humana.

Art. 1. UTrùm Prælati Eccleſiaſtici leges eccleſiaſticas, & Principes ſæculares leges civiles condendi poteſtatem habeant. *ibid.*
Reſp. 1. Prælati Eccleſiaſtici poteſtatem habent condendi leges eccleſiaſticas. *ibid.*
Reſp. 2. Principes ſæculares poteſtatem habent condendi leges civiles. 264
Art. 2. Utrùm poteſtas condendi leges, ſive civiles, ſive eccleſiaſticas, dependeat à fide, aut moribus legislatoris. 265
Reſp. Poteſtas condendi leges, ſive civiles, ſive eccleſiaſticas, non dependet à fide, aut moribus legislatoris. *ibid.*
Art. 3. Utrùm ad valorem legum humanarum requiratur acceptatio majoris partis communitatis. 266
Reſp. Ad valorem legum humanarum, ſive civilium, ſive eccleſiaſticarum, quæ feruntur abſolutè, non requiritur acceptatio majoris partis communitatis. *ibid.*
Art. 4. Quantam habeat efficaciam poteſtas legislativa Principum, tum Eccleſiaſticorum, tum Sæcularium. 267
Reſp. 1. Principes, ſive eccleſiaſtici, ſive ſæculares, leges ferre non poſſunt niſi ſubditis ſuis. *ibid.*
Reſp. 2. Principes, ſive eccleſiaſtici, ſive ſæculares, non poſſunt leges ferre niſi de rebus regimini ſuo ſubjectis. *ibid.*
Reſp. 3. Principes, ſive eccleſiaſtici, ſive ſæculares, non poſſunt leges ferre contrarias legibus ſuperiorum. *ibid.*
Reſp. 4. Principes, ſive eccleſiaſtici, ſive ſæculares, per leges ſuas præceptivas aut prohibitivas, non obligant ad aliquid agendum aut omittendum, niſi ſubditos uſum rationis habentes. *ibid.*
Reſp. 5. Principes, ſive eccleſiaſtici, ſive ſæculares, non tenentur legibus à prædeceſſoribus ſuis, vel à ſe latis. 268

Reſp. 6.

Resp. 6. Principes, sive ecclesiastici, sive sæculares, legibus suis non obligant exemptos à sua jurisdictione. *ibid.*
Resp. 7. Principes, sive ecclesiastici, sive sæculares, non obligant legibus suis extra proprium territorium. *ibid.*
Resp. 8. Peregrini, & advenæ tenentur legibus loci in quo inveniuntur, sive diutiùs ibi morentur, sive breviùs. 269

DISPUTATIO VI.

De materia & obligatione legum humanarum, tam civilium quàm ecclesiasticarum.

Art. 1. UTrùm legislator humanus possit præcipere vel prohibere actus internos. *ibid.*
Resp. Legislator humanus non potest præcipere, vel prohibere actus merè internos. *ibid.*
Art. 2. Utrùm Legislator humanus possit præcipere actus internos, sine quibus quidem possunt existere actus externi quos præcipit, sed sine quibus non possunt habere quoddam esse morale quod intendit. 270
Resp. 1. Legislator humanus præcipere potest actus internos, ad hoc necessarios, ut actus externi habeant quoddam esse quasi artificiale, ut esse contractus, sacramenti, orationis, &c. *ibid.*
Resp. 2. Ecclesia potest etiam præcipere actus internos, necessarios ad esse morale honestatis, seu ad esse moralis integritatis actuum externorum. 271
Art. 3. Quid legislator humanus præcipere, prohibere, vel statuere possit circa actus externos. 272
Resp. 1. Legislator humanus non potest quidquam statuere contra jus divinum, sive naturale, sive positivum. *ibid.*
Resp. 2. Legislator humanus potest multa præcipere, vel prohibere aut statuere, quæ jure divino, sive naturali, sive positivo, non sunt præcepta, vel prohibita, aut statuta. *ibid.*
Resp. 3. Legislator humanus nihil potest statuere, quod non sit utile ad bonum commune. *ibid.*
Resp. 4. Legislator humanus potest præcipere honesta, non solùm materia justitiæ, & prohibere vitia huic virtuti opposita, sed etiam in materia virtutum aliarum. *ibid.*
Resp. 5. Nullus legislator humanus præcipere potest actus virtutum omnium, aut prohibere omnia vitia. *ibid.*
Art. 4. Utrùm & quando leges humanæ obligent in conscientia. 273
Resp. 1. Lex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest obligare in conscientia. *ibid.*
Resp. 2. Lex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest inducere obligationem in conscientia, sufficientem ad peccatum mortale. *ibid.*
Resp. 3. Ad hoc ut lex humana, sive civilis sive ecclesiastica, gravem in conscientia, ac proinde sufficientem ad peccatum mortale imponat obligationem, requiritur materia gravis, graviter præcepta, vel prohibita. *ibid.*
Art. 5. Utrùm lex humana obliget sub mortali, ne violetur ex contemptu, etiam in minimis. 274
Resp. Transgredi legem humanam ex formali contemptu legislatoris humani formaliter sumpti, semper est peccatum mortale. 275
Art. 6. Utrùm lex humana obliget cum periculo cujuscumque nocumenti temporalis, etiam mortis. *ibid.*
Resp. 1. Legislator, tam civilis quàm ecclesiasticus, potest quandoque suis legibus obligare cum mortis periculo. *ibid.*
Resp. 2. Lex humana tunc maximè, & quasi per se obligat cum periculo vitæ, quando tale periculum per se conjunctum est actui præcepto, modò tamen lex justa sit, quod semper præsumi debet, nisi contrarium constet evidenter. 276
Resp. 3. Quando mortis periculum non est per se, sed solùm contingenter connexum cum actu præcepto, tunc lex humana per se non obligat cum periculo vitæ. *ibid.*

DISPUTATIO VII.

De Lege pœnali.

Art. 1. UTrùm dari possit lex pœnalis mixta, & an reipsa detur. 277
Resp. 1. Dari potest lex pœnalis mixta. *ibid.*
Resp. 2. Reverà dantur leges pœnales mixtæ. 278
Art. 2. Utrùm possint dari, & reverà dentur leges purè pœnales. *ibid.*
Resp. 1. Dari possunt leges purè pœnales. *ibid.*
Resp. 2. Dantur leges purè pœnales. 279
Art. 3. Utrùm lex pœnalis obligare possit in conscientia, ad subeundam pœnam ante sententiam judicis. *ibid.*
Resp. 1. Lex pœnalis potest obligare in conscientia, ad subeundum ante sententiam judicis pœnam merè passivam, seu pœnam privativam, ad cujus executionem ministerium delinquentis non requiritur. *ibid.*
Resp. 2. Lex pœnalis obligare potest in conscientia, ad subeundum ante sententiam judicis pœnam passivam, seu privativam, ad quam requiritur ministerium delinquentis. *ibid.*
Resp. 3. Lex pœnalis potest obligare in conscientia, ad subeundum ante sententiam judicis pœnam activam, hoc est, pœnam quæ in actione delinquentis consistit. *ibid.*
Resp. 4. Lex pœnalis non potest obligare ipso facto, & ante omnem sententiam judicis, ad quamcumque pœnam, ad cujus executionem actio delinquentis requiratur. 280
Art. 4. Utrùm lex pœnalis obliget judicem ad pœnam imponendam, & reum ad illam exequendam post sententiam judicis. *ibid.*
Resp. 1. Si lex pœnam imponit, tenetur judex, facta sufficienti probatione, crimen declarare, & procurare executionem pœnæ per legem impositæ. Si verò lex minatur tantùm pœnam, debet judex illam imponere, & illius executioni incumbere. *ibid.*
Resp. 2. Lex pœnalis, post latam à judice sententiam, reum obligat in conscientia, ad pœnam physicam patienter, & sine positiva resistentia sustinendam. *ibid.*
Resp. 3. Quando lex pœnalis imponit pœnam ipso facto, si ad executionem pœnæ aliqua delinquentis actio, vel cooperatio necessaria est, ad eam statim delinquens præstandam obligatur in conscientia, postquam à judice lata est sententia criminis declaratoria; modò tamen pœna ipso facto imposita, talis non sit, ut propter hunc modum imponendi pœnam, æquitatem & justam moderationem excedat. *ibid.*
Resp. 4. Reus damnatus ad pœnam corporalem, quæ sit contra vitam, vel integritatem, ut mors & mutilatio, vel gravem dolorem & ignominiam afferat, ut acerba, publica ac ignominiosa flagellatio, non obligatur in conscientia ad eam exequendam, sed judex per ministros suos debet illam exequi. 281
Resp. 5. Reus damnatus ad pœnam corporalem, quæ in corpore, vel per corpus exerceri potest sine nimia acerbitate, ut sunt exilium, detentio in carcere non valdè incommodo, moderata & honesta flagellatio, ad illam exequendam obligatur in conscientia. *ibid.*
Resp. Reus damnatus ad solvendam aliquam pecuniæ summam, si ordinaria est, & moderata, obligatur in conscientia ad hujus pœnæ executionem. *ibid.*
Art. 5. Utrùm ignorantia excuset à pœna quam lex impo-

imponit vel jubet imponi, aut propter actum quem prohibet, aut propter omissionem actus quem præcipit. *ibid.*
Resp. 1. Omnis ignorantia quæ excusat legis transgressionem, ne sit culpabilis, excusat etiam pœnam in utroque foro. *ibid.*
Resp. 2. Quando ignorantia legis non excusat transgressionem ejus, ne sit graviter culpabilis, non excusat à reatu pœnæ, quæ propter gravem illam legis transgressionem imposita est, modò lex non addat verbum, quod scientiam & dolum requirat. 282
Resp. 3. Quando ignorantia excusat transgressionem legis, ne sit culpa gravis, licèt non excuset ne sit venialis culpa, excusat tamen à pœna gravi per legem imposita. *ibid.*
Resp. 4. Inculpabilis ignorantia solius pœnæ præcisè non excusat ab ejus reatu. *ibid.*

DISPUTATIO VIII.

De Lege irritante.

Art. 1. UTrùm dari possint leges irritantes, & an sint pœnales. 284
Resp. 1. Dari possunt leges humanæ irritantes. *ibid.*
Resp. 2. Lex irritans actum indirectè tantùm, & consequenter ad institutionem formæ servandæ in contractu, non est pœnalis. *ibid.*
Resp. 3. Lex prohibens actum, & irritans illum intuitu boni communis, vel privatorum, quod in bonum commune aliquo modo redundat, non est pœnalis. *ibid.*
Resp. 4. Lex prohibens & irritans actum in odium personæ, seu in vindictam culpæ, propriè dictæ, etiam qua irritans, pœnalis est. *ibid.*
Art. 2. Utrùm, quando, & ad quid obligent leges irritantes. *ibid.*
Resp. 1. Lex dans formam actui, & ita indirectè & consequenter tantùm irritans ipso facto actum carentem tali forma, non obligat quidem ad exercitium actus, sed obligare potest ad non exercendum actum sine tali forma; & reipsa ita obligat, quando vel se obligare velle significat sufficienter, vel id materia legis ex natura sua postulat. *ibid.*
Resp. 2. Lex prohibens directè aliquem actum, & huic prohibitioni irritationem addens ipsofacto, obligat in conscientia ad vitandum illum actum. 285
Resp. 3. Lex purè irritans, etiamsi ipso facto irritet, non obligat in conscientia ad vitandum actum quem irritat. *ibid.*
Resp. 4. Lex ipsofacto irritans, obligat in conscientia ad ea omnia quæ intrinsecè ex irritatione consequuntur, nisi tamen effectus legis seu irritatio impediatur. *ibid.*
Resp. 5. Lex non irritans actum ipsofacto, sed solùm præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas personas ante sententiam judicis. *ibid.*
Art. 3. Utrùm & quomodo impediri possit irritatio actus, quando lex irritat actum ipsofacto, & ante sententiam judicis. *ibid.*
Resp. 1. Quando lex irritat aliquem actum in vindictam culpæ, licèt ipsofacto irritet, irritatio actus impeditur per ignorantiam, vel aliam similem causam, quæ culpam illam excusat. *ibid.*
Resp. 2. Quando lex irritat actum ipsofacto, quamvis irritet tantùm in vindictam alicujus culpæ, irritatio actus non impeditur per ignorantiam, etiam inculpabilem solius irritationis. *ibid.*
Resp. 3. Quando lex absolutè & simpliciter prohibet & irritat actum ipsofacto propter bonum commune, irritatio actus nunquam impeditur, lege stante in suo vigore, nec interveniente Principis dispensatione. *ibid.*
Resp. 4. Quando lex constituit formam substantialem servandam in actu, & sic indirectè irritat ipso facto actum sine tali solemnitate factum, tunc actus sine tali solemnitate facti irritatio impediri nullatenus potest, lege stante in suo vigore, nec interveniente Principis dispensatione. 286
Art. 4. Utrùm & quomodo impediri possit irritatio actus, quando lex non irritat illum, nisi dependenter à sententia judicis. 287
Resp. Quando lex irritat actum dependenter à sententia judicis, potest actus irritatio impediri multis modis; & quandiu per sententiam judicis non irritatur, manet validus. *ibid.*
Art. 5. Utrùm lex omnis purè ac simpliciter prohibens actum aliquem, hoc ipso irritet illum, ita ut omnis actus, contra legem prohibentem factus, irritus sit. *ibid.*
Resp. 1. Ex sola rei natura lex purè, ac simpliciter prohibens actum aliquem, non irritat illum. *ibid.*
Resp. 2. Leges civiles, purè ac simpliciter prohibentes actum, irritant illum in terris imperio subjectis, & irritant ipsofacto, & in conscientia, ante judicis sententiam. *ibid.*
Resp. 3. Leges civiles, purè ac simpliciter prohibentes actum, non irritant illum in terris non subjectis imperio. *ibid.*
Resp. 4. Leges ecclesiasticæ non irritant actum, quem purè & simpliciter prohibent. 288

DISPUTATIO IX.

De interpretatione, dispensatione, abrogatione & cessatione legum humanarum.

Art. 1. QUotuplex sit legum humanarum interpretatio. *ibid.*
Art. 2. Penes quos sit potestas dispensandi in legibus humanis. *ibid.*
Resp. 1. Potestatem dispensandi in lege humana ordinariam habet Princeps, vel alius superior, qui eam tulit; item successor illius cum pari potestate; item qui potestatem habet superiorem circa eosdem subditos. *ibid.*
Resp. 2. Inferior non habet potestatem ordinariam dispensandi in lege superioris, at potest habere delegatam. 289
Resp. 3. Qui potestatem habet ordinariam, & à fortiori qui non habet nisi delegatam dispensandi in lege, peccat dispensando sine justa & rationabili causa. *ibid.*
Resp. 4. Dispensatio data etiam sine justa causa, valida est, si detur ab eo qui ordinariam habet potestatem dispensandi; secùs, si ab eo qui tantùm delegatam habet. *ibid.*
Art. 3. Utrùm & quot modis abrogari possint leges humanæ. *ibid.*
Resp. 1. Legislator potest quacumque de causa validè abrogare legem à se latam. Idem potest successor cum pari potestate, & à fortiori utriusque superior. *ibid.*
Resp. 2. Inferior non potest abrogare legem superioris sine ejus licentia. *ibid.*
Resp. 3. Abrogatio legis fieri potest tribus modis. *ibid.*

INDEX.

TRACTATUS NONUS.

De Regulis Fidei.

DISPUTATIO PRIMA.

De Scriptura sacra.

Art. 1. UTrùm dentur aliquæ Scripturæ sacræ, seu divinæ. 291

Resp. 1. Dari aliquas Scripturas evidenter credibile est evidentia absoluta & perfecta, adeòque respectu omnium sufficientissima. *ibid.*

Resp. 2. Immò dari aliquas Scripturas divinas, simpliciter evidens est evidentia magna morali. *ibid.*

Art. 2. Quot & quos in suo canone libros habuerint Hebræi. *ibid.*

Art. 3. Quinam libri, tam ex veteri quàm ex novo Testamento, sint in canone Ecclesiæ Catholicæ. 293

Resp. In canone Ecclesiæ, sunt, ex veteri Testamento, quinque Libri Moysi, &c. *ibid.*

Art. 4. Quinam ex libris veteris Testamenti, canone nostro comprehensis, sint proto-canonici, quinam verò deutero-canonici. 294

Resp. 1. Libri proto-canonici ex veteri Testamento, sunt Genesis, Exodus, &c. *ibid.*

Resp. 2. Libri deutero-canonici ex veteri Testamento, sunt Hester, Baruc, &c. *ibid.*

Art. 5. Proponuntur aliquæ difficultates contra Scripturas deutero-canonicas veteris Testamenti, & solvuntur. 295

Art. 6. Quinam ex libris novi Testamenti, canone nostro contentis, sint proto-canonici, quinam verò deutero-canonici. 297

Art. 7. Utrùm libri omnes, tam deutero-canonici quàm proto canonici, canone nostro contenti, sint certò canonici, seu divini. 300

Resp. 1. Libri tam veteris quàm novi Testamenti, qui canone nostro continentur, & proto-canonici vocantur, sunt certò divini certitudine magna morali. *ibid.*

Resp. 2. Libri tam veteris quàm novi Testamenti, qui continentur canone nostro, & vocantur deutero-canonici, sunt certò divini certitudine magna morali. *ibid.*

Coroll. 1. Libros omnes, tam veteris quàm novi Testamenti, canone nostro contentos, divinos esse, nonnisi stultissimè & imprudentissimè negari potest. *ibid.*

Coroll. 2. Quòd libri omnes, tam veteris quàm novi Testamenti, contenti nostro canone, sint divini, evidens est evidentia etiam absoluta & metaphysica, adeòque certum est certitudine etiam absoluta & metaphysica. *ibid.*

Coroll. 3. Quòd libri omnes, canone nostro contenti, sint divini, certum est certitudine etiam divina, adeòque appretiativè summa. 301

Art. 8. Proponuntur aliquæ difficultates contra secundam Responsionem, & resolvuntur. 302

Art. 9. Utrùm libri sacri fuerint Deo inspirante conscripti. 304

Resp. Deus res saltem, & sententias, in libris sacris expressas, authoribus sacris inspiravit. *ibid.*

Art. 10. Utrùm Scripturæ sacræ fuerint etiam divinitùs inspiratæ quoad omnia, & singula verba. 307

Resp. Scripturæ sacræ videntur non fuisse à Deo inspiratæ quoad omnia, & singula verba. *ibid.*

Art. 11. Quotuplex sit Scripturæ sensus. 309

Art. 12. Utrùm sensus litteralis Scripturæ sacræ sit obscurus. 310

Resp. Sensus litteralis Scripturæ sacræ sæpè obscurus est. *ibid.*

DISPUTATIO II.

De Editionibus, & Versionibus Scripturæ.

Art. 1. UTrùm Editio hebraica, à Mose & aliis Prophetis condita, atque ab Esdra reparata, fuerit posteà studiosè depravata à Judæis. 311

Resp. Editio hebraica non fuit à Judæis studiosè depravata. *ibid.*

Art. 2. De Editionibus græcis veteris Testamenti. 313

Art. 3. De Editione græca novi Testamenti. 317

Art. 4. De latinis Editionibus Scripturæ sacræ, & Vulgatæ nostræ authore. *ibid.*

Art. 5. Quid sit author Vulgatæ nostræ editionis latinæ. 318

Art. 6. Utrùm aliquid ex iis quæ ad rectè interpretandas Scripturas, earumvè interpretationes emendandas, necessaria sunt, desideratum sit in S. Hieronymo. 320

Resp. In sancto Hieronymo eximia fuere ea omnia, quæ ad Scripturas rectè interpretandas, earumvè interpretationes emendandas necessaria sunt. *ibid.*

DISPUTATIO III.

De authentia veteris & vulgatæ Editionis latinæ.

Art. 1. UTrùm vulgata nostra editio latina habeat authentiam, tum intrinsecam, tum extrinsecam. 322

Resp. 1. Vulgata nostra editio latina habet authentiam intrinsecam. *ibid.*

Resp. 2. Vulgata nostra editio habet authentiam extrinsecam. 324

Art. 2. Respondetur iis quæ contra secundam nostram assertionem objiciuntur. *ibid.*

Art. 3. In quo sensu vulgata editio sit intrinsecè authentica. 326

Resp. Vulgata editio est intrinsecè authentica, etiam in eo sensu, quòd Scriptorum sacrorum autographis ubique consentiat quoad sententias, & res expressas; atque ita ne in levissima quidem circumstantia à veritate Scripturæ originalis aberret, &c. *ibid.*

Art. 4. Solvuntur objectiones. 327

Art. 5. In quo sensu vulgata editio sit intrinsecè authentica, seu in quo sensu authenticam esse vulgatam editionem declaraverit Synodus Tridentina. 330

Resp. Videtur Concilium decreto suo Vulgatam declarare authenticam, eo sensu, quòd sit Scripturæ originali ubique quoad sententias, & res expressas conformis, ita ut, &c. 331

DISPUTATIO IV.

De Traditione.

Art. 1. QUid sit Traditio, & quotuplex sit. 333

Art. 2.

Art. 2. Utrùm extiterint aliquæ traditiones divinæ in lege naturæ, & lege Mosaica. 334
Resp. 1. Extiterunt aliquæ traditiones divinæ in lege naturæ. *ibid.*
Resp. 2. In lege Mosaica, præter Scripturam sacram, extiterunt aliquæ traditiones divinæ. 335
Art. 3. Utrùm præter Scripturam veteris, & novi Testamenti, existant traditiones divinæ in lege Evangelica. *ibid.*
Resp. Præter Scripturam Sacram, existunt etiam traditiones divinæ in lege Evangelica. *ibid.*
Art. 4. Solvuntur objectiones. 337
Art. 5. Quantam authoritatem habeant Traditiones divinæ. 339
Resp. Traditiones divinæ summam habent authoritatem. *ibid.*
Art. 6. Quibus regulis discerni possint veræ traditiones à falsis. 340

DISPUTATIO V.

De Constitutivo Ecclesiæ.

Art. 1. UTrùm Cathecumeni sint de Ecclesia. 341
Resp. Cathecumeni non sunt in Ecclesia. *ibid.*
Art. 2. Utrùm Schismatici sint de Ecclesia. 342
Resp. Schismatici non sunt in Ecclesia. *ibid.*
Art. 3. Utrùm Hæretici sint de Ecclesia. 344
Resp. Notorii Hæretici non sunt de Ecclesia. *ibid.*
Art. 4. Utrùm Excommunicati sint de Ecclesia. 346
Resp. Nominatim Excommunicati non sunt de Ecclesia. *ibid.*
Art. 5. Utrùm etiam reprobi inveniantur in vera Christi Ecclesia. *ibid.*
Resp. Non solùm prædestinati, sed etiam reprobi inveniuntur in vera Christi Ecclesia. *ibid.*
Art. 6. Utrùm etiam imperfecti inveniantur in vera Christi Ecclesia. 347
Resp. Non solùm perfecti, sed etiam imperfecti, hoc est, qui in venialia labuntur peccata, inveniuntur in vera Christi Ecclesia. *ibid.*
Art. 7. Utrùm etiam magni peccatores inveniantur in vera Christi Ecclesia. 348
Resp. Etiam magni peccatores inveniuntur in vera Christi Ecclesia. *ibid.*
Art. 8. Solvitur objectio petita ab authoritate S. Augustini. 349
Art. 9. Utrùm infideles occulti sint in vera Christi Ecclesia. 352
Resp. Infideles occulti sunt in Ecclesia Christi. *ibid.*
Art. 10. Quid sit Ecclesia. 354
Resp. Ecclesia sufficienter describitur, Cætus hominum inter se conjunctorum ejusdem fidei Christianæ professione, & eorumdem sacramentorum communione, sub regimine legitimorum pastorum, & præsertim unius in terris Vicarii Christi Pontificis Romani. *ibid.*

DISPUTATIO VI.

De Ecclesiæ visibilitate, perpetuitate, & indefectibilitate à vera fide.

Art. 1. UTrùm Ecclesia sit visibilis. 355
Resp. Vera Christi Ecclesia visibilis est. *ibid.*
Art. 2. Utrùm Ecclesia visibilis sit perpetua. 357
Resp. Vera Christi Ecclesia perpetuò visibilis est: ita ut esse visibilis nunquam desierit, aut desitura sit usque ad finem mundi. *ibid.*
Art. 3. Utrùm universitas fidelium errare possit in rebus ad fidem pertinentibus. 359
Resp. Universitas fidelium errare non potest in rebus ad fidem pertinentibus, sive earum fides sit absolutè ad salutem necessaria, sive non; sive in Scripturis expresè contineantur, sive non: ita ut quidquid fideles tanquam de fide tenent, non possit non esse verum, & de fide. *ibid.*
Art. 4. Utrùm Ecclesia visibilis repræsentativè sumpta, hoc est, universitas pastorum seu Episcoporum, errare possit in fide. 362
Resp. Universitas pastorum seu Episcoporum, non potest errare in fide, ita ut quidquid tenet, ut pertinens ad fidem, non possit non esse verum, & de fide. *ibid.*
Art. 5. Utrùm Romana Ecclesia particularis errare possit in fide. 364
Resp. Romana Ecclesia particularis non potest errare in fide. *ibid.*
Art. 6. Solvitur objectio petita ex iis quæ circa Pelagium, & Celestium ejus dicipulum Romæ gesta sunt sub Zozimo. 367

DISPUTATIO VII.

De notis veræ Ecclesiæ.

Art. 1. UTrùm vera Christi Ecclesia sit una, Sancta, Catholica & Apostolica. 370
§. 1. Vera Christi Ecclesia est Una. *ibid.*
§. 2. Vera Christi Ecclesia est Sancta. 371
§. 3. Vera Christi Ecclesia Catholica est. *ibid.*
§. 4. Vera Christi Ecclesia Apostolica est. *ibid.*
Art. 2. Quibus notis vera Christi Ecclesia, ab omnibus aliis cætibus, qui se Ecclesiam Christi dicunt, possit nunc discerni. *ibid.*
Resp. Notæ veræ Christi Ecclesiæ sunt unitas fidei cum principio hujus unitatis, sanctitas, Apostolica fundatio, ab Apostolis ad nos usque per visibilem, & perpetuam pastorum successionem continuatio, & per totum Orbem notum diffusio. 372
Art. 3. Utrùm Ecclesiæ Romanæ, & soli Ecclesiæ Romanæ conveniant notæ veræ Christi Ecclesiæ. 373
§. 1. Ecclesia Romana habet, & sola habet unitatem fidei doctrinæ cum principio hujus unitatis. *ibid.*
§. 2. Ecclesia Romana est, & sola est sancta. 374
§. 3. Ecclesia Romana fundata est, & sola fundata est ab Apostolis. 375
§. 4. Ecclesia Romana ab Apostolis ad nos usque visibiliter & sine interruptione perduravit, & sola perduravit. 376
§. 5. Ecclesia Romana habet, & sola habet successionem Episcoporum ab Apostolis ad hæc tempora visibiliter, & sine interruptione continuatam. *ibid.*
§. 6. Ecclesia Romana toto Orbe diffusa est, & sic sola diffusa est. 377
Art. 4. Utrùm Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia. *ibid.*
Resp. Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia. *ibid.*
Art. 5. Utrùm de fide sit hanc numero Ecclesiam Romanam, cui nunc præest Innocentius XIII. esse veram Christi Ecclesiam. 379
Resp. 1. Possumus fide divina credere hanc numero Ecclesiam Romanam, &c. esse veram Christi Ecclesiam. *ibid.*
Resp. 2. Non solùm possumus, sed etiam tenemur fide divina credere hanc numero Ecclesiam, &c. esse veram Christi Ecclesiam. 380
Art. 6. De notis quibus volunt sectarii discerni veram Christi Ecclesiam. *ibid.*
Propos. 1. Legitimus usus sacramentorum nec est, nec potest esse nota veræ Ecclesiæ. 381
Propos. 2. Sincera fidei doctrina nec est, nec potest esse nota veræ Ecclesiæ. *ibid.*

INDEX.

DISPUTATIO VIII.

De Romano Pontifice, & Conciliis.

Art. 1. UTrùm Petrus à Christo primatum in universa Ecclesia acceperit. 383
§. 1. Probatur Petri primatus ex verbis Christi, Matth. cap. 16. *ibid.*
§. 2. Probatur ex verbis Christi subsequentibus eodem capite. 384
§. 3. Probatur ex capite 21. Joannis. 385
§. 4. Probatur ex Patribus Græcis & Latinis. *ibid.*
§. 5. Solvuntur objectiones reliquæ. 386
§. 6. Primatus Petri in universam Ecclesiam, transiit ad ejus successores. 387
Art. 2. Utrùm Episcopus Romanus succedat Petro in primatu universæ Ecclesiæ. *ibid.*
Resp. Succedit. *ibid.*
Art. 3. Solvuntur objectiones. 388
Art. 4. Cujus sit convocare Concilia. 390
Resp. Munus convocandi Concilium generale pertinet ad Romanum Pontificem. *ibid.*
Art. 5. Cujus sit præsidere Concilio generali. 392
Resp. Munus est Romani Pontificis, vel per se, vel per legatos suos Concilio generali præsidere. *ib.*
Art. 6. Quinam ad Concilium convocandi sint. 394
Resp. Soli Episcopi ordinariè jus habent suffragii decisivè in Conciliis tam generalibus quàm particularibus, &c. 395
Art. 7. Utrùm Concilia generalia sint absolutè & simpliciter necessaria. 396
Resp. Quamvis Concilium generale possit esse, & sit aliquando valdè utile, & necessarium secundùm quid, &c. nunquam tamen potest esse necessarium absolutè, &c. *ibid.*
Art. 8. Solvitur objectio petita ex facto duorum Pontificum Victoris & Stephani. 397

DISPUTATIO IX.

De Judice Controversiarum.

Art. 1. UTrùm detur in Ecclesia Judexcontroversiarum fidei, & qualis. 399
Resp. 1. Datur in Ecclesia aliquis Judex controversiarum fidei. *ibid.*
Resp. 2. Scriptura sacra non est Judex controversiarum in materia fidei. 400
Resp. 3. Spiritus privatus non est judex controversiarum in materia fidei. *ibid.*
Resp. 4. Principes sæculares non sunt judices controversiarum in materia fidei. *ibid.*
Resp. 5. Populus Christianus non est judex controversiarum in materia fidei. 401
Resp. 6. Primi Pastores seu Episcopi sunt judices controversiarum in materia fidei. 402
Resp. 7. Datur in Ecclesia aliquis judex infallibilis controversiarum in materia fidei. *ibid.*
Resp. 8. Corpus Pastorum, cujus caput est Romanus Pontifex, &c. est infallibilis judex controversiarum in materia fidei. *ibid.*
Resp. 9. Concilium perfectè œcumenicum est supremus & infallibilis judex controversiarum fidei. 403
Resp. 10. Extra Concilium generale, Romanus Pontifex, saltem cum Episcoporum toto Orbe dispersorum pluralitate ei consentiente, est supremus & infallibilis judex controversiarum fidei. *ibid.*
Coroll. 1. Decretum fidei in Concilio generali editum à pluralitate Episcoporum ibi præsentium, & à Romano Pontifice confirmatum, finale judicium est & irretractabile. 404
Coroll. 2. Decretum fidei extra Concilium œcumenicum à Summo Pontifice in particulari sua synodo editum, & ab Episcoporum toto Orbe dispersorum pluralitate expresso consensu receptum, est definitiva & irretractabilis sententia. *ibid.*
Coroll. 3. Decretum fidei extra Concilium, &c. tacito consensu receptum, est definitivum & irretractabile judicium. *ibid.*
Resp. 11. Judicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesia receptum, est hoc ipso, adeòque præciso omni tam tacito quàm expresso Episcoporum consensu, judicium finale & irretractabile. *ibid.*
Coroll. 1. Judicium in materia fidei, quod à Summo Pontifice profertur in frequenti conventu Cardinalium judicio consentientium, est judicium finale & irretractabile. 405
Coroll. 2. Judicium in materia fidei, quod à Summo Pontifice, &c. & postea ab Episcoporum toto Orbe dispersorum pluralitate, expresso vel tacito consensu receptum, duplici nititur infallibilitate, &c. *ibid.*
Art. 2. Solvitur objecto petita à lapsu Liberii, & gestis Synodorum Ariminensis & Seleucienses. *ib.*
Art. 3. Solvitur objectio petita à facto Liberii. 407
Art. 4. Proponitur objectio contra II. Propositionem, & solvitur. 409
Propos. 1. Sedes Apostolica in fide errare non potest. *ibid.*
Propos. 2. Sedes Apostolica est omnium fidei controversiarum judex. *ibid.*
Propos. 3. Sedes Apostolica est omnium fidei controversiarum judex infallibilis. *ibid.*
Propos. 4. Omne Sedis Apostolicæ judicium in materia fidei est infallibiliter verum & rectum. *ibid.*
Propos. 5. Particularis Ecclesia Romana separatim à Romano Pontifice non est Sedes Apostolica adæquatè sumpta. *ibid.*
Propos. 6. Particularis Ecclesia Romana cum Romano Pontifice est Sedes Apostolica adæquatè sumpta, seu, quod idem est, est simpliciter Sedes Apostolica. *ibid.*
Propos. 7. Judicium in materia fidei à Romano Pontifice latum, conscia & acquiescente Ecclesia particulari Romana, est judicium Sedis Apostolicæ. 410
Propos. 8. Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romæ degentium, est judicium Sedis Apostolicæ. *ibid.*
Propos. 9. Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romæ degentium, est infallibiliter verum & rectum. *ibid.*
Propos. 10. Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romæ degentium, est judicium finale & irretractabile. *ibid.*
Art. 5. Solvitur objectio petita ex epistola S. Leonis ad Flavianum. *ibid.*
Art. 6. Utrùm detur in Ecclesia infallibilis authoritas decidendi controversias quæ de orthodoxia, & heterodoxia textuum dogmaticorum exoriuntur. 412
Resp. 1. Datur. *ibid.*
Resp. 2. Residet in Pastoribus Ecclesiæ. *ibid.*
Resp. 3. Residet saltem in corpore pastorali. *ibid.*
Art. 7. Solvitur objectio proposita contra naturam & certitudinem hujus infallibilitatis. 415
Art. 8. Solvitur objectio petita ex Bellarmino. 416
Art. 9. Solvitur objectio petita à distinctione quæstionum juris & facti. 418
Art. 10. Solvitur objectio petita ex infallibilitate Ecclesiæ circa sensum authorum, qui textus dogmaticos componunt. 420
Art. 11. Solvitur objectio petita ex natura actus, quo credi debet orthodoxia, vel heterodoxia textuum dogmaticorum, decisa ab Ecclesia. 421

INDEX.

TRACTATUS DECIMUS.

De Incarnatione.

DISPUTATIO PRIMA.

De variis hæresibus, quæ adversùs mysterium Incarnationis insurrexerunt.

Art. 1. Hæretici, qui incarnationem omninò negaverunt, Christum nudum hominem asserendo, recensentur. 424
Art. 2. Hæretici, qui aut veram carnem, aut certè à muliere esse assumptam negaverunt, recensentur. 425
Art. 3. De Noeto, Sabellio, & Ario. 426
§. 1. De Noeto & Sabellio. *ibid.*
§. 2. De Ario. 427
Art. 4. De Apollinaristis. 428
Art. 5. De Diodoro Tarsensi, & Theodoro Mopsvestiæ Episcopo. 433
§. 1. De Diodoro. *ibid.*
§. 2. De Theodoro. 434
Art. 6. De Nestorio. 437
Art. 7. De Synodo Ephesina, à qua Nestorius damnatus est. 440
Art. 8. De Nestorii hæresi. 447
Art. 9. De Pelagianis, & ejusdem sectæ Leporio monacho. 449
Art. 10. De Eutyche. 450
§. 1. De hæresi Eutychis, & gestis circa ipsum, & ab ipso Constantinopoli. *ibid.*
§. 2. De gestis Ephesi in causa Eutychis. 451
§. 3. De gestis Chalcedone in causa Eutychis. 452
§. 4. Discrimina, in quæ ab Eutychianis adducta est Chalcedonensis Synodus, perstringuntur. 453
§. 5. De variis Eutychianorum factionibus. 455
Art. 11. De Scythis quibusdam & Acæmetensibus monachis. 456
Art. 12. De tribus Capitulis. 457
§. 1. Quænam fuerint tria illa Capitula. *ibid.*
§. 2. Qua occasione, & à quibus damnata sint tria Capitula. *ibid.*
§. 3. De quinta Synodo generali, habita Constantinopoli, in causa trium Capitulorum. 458
§. 4. Utrùm Vigilius quintam Synodum approbaverit. 459
Art. 13. De Monothelitis. 461
§. 1. De ortu, progressu & interitu hæresis Monothelitarum. *ibid.*
§. 2. De Synodo Constantinopolitana tertia, quæ fuit œcumenica. 463
§. 3. De iis, quæ absoluta Synodo sexta peracta sunt. 465
§. 4. Quænam fuit Monothelitarum hæresis. 466
Art. 14. De Honorio Papa. 468
§. 1. Utrùm Honorius damnatus fuerit à sexta Synodo œcumenica. *ibid.*
§. 2. Utrùm Honorius fuerit Monothelita. 471
Resp. Honorius non fuit Monothelita. *ibid.*
Art. 15. De hæresi Feliciana. 474

DISPUTATIO II.

De Incarnationis existentia.

Art. 1. Existentia Incarnationis probatur contra Judæos. *ibid.*
§. 1. Messias est homo Deus, seu persona sanctissimæ Trinitatis, in duabus naturis, divina scilicet & humana subsistens. *ibid.*
§. 2. Messias ille, qui simul est verus Deus, & homo verus, jam à multis sæculis advenit. 477
§. 3. Messias, quem hominem simul & Deum esse, & à plurimis jam sæculis advenisse probavimus, alius non est, quàm Christus, seu Jesus ex Maria Virgine natus, Augusto imperante, & sub Tiberio ab Judæis Cruci affixus. *ibid.*
Art. 2. Incarnationis existentia probatur contra Ethnicos. 482
Art. 3. Incarnationis existentia probatur contra hæreticos. 484
§. 1. Proferuntur Scripturæ testimonia. *ibid.*
§. 2. Proferuntur testimonia Patrum Græcorum, qui floruerunt ante Concilium Nicænum. 485
§. 3. Proferuntur testimonia Patrum Latinorum, qui floruerunt ante Concilium Nicænum. 486
§. 4. Proferuntur testimonia Patrum Græcorum, qui scripserunt post Nicænum Concilium. 487
§. 5. Proferuntur testimonia Patrum Latinorum, qui post Concilium Nicænum scripserunt. *ibid.*
§. 6. Profertur testimonium Conciliorum generalium. 488
§. 7. Solvuntur difficultates aliquæ. *ibid.*
Art. 4. Utrùm Verbum assumpserit verum corpus humanum, & animam rationalem. 489
Resp. 1. Verbum assumpsit verum corpus humanum, & animam rationalem. *ibid.*
Resp. 2. Verbum assumpsit corpus humanum ex Maria Virgine. 491
Art. 5. Utrùm Verbum ita assumpserit corpus & animam, ut divinitas, corpus & anima in unam naturam coaluerint. *ibid.*
Resp. Verbum non ita assumpsit corpus humanum, & animam rationalem, ut divinitas, corpus & anima in unam coaluerint naturam; sed post unionem in Christo duæ sunt naturæ integræ, distinctæ & inconfusæ, &c. *ibid.*
Art. 6. Utrùm Verbum ita corpus humanum, & animam rationalem assumpserit, ut divinitas, corpus & anima in unam personam coaluerint. 494
Resp. Verbum sic corpus humanum, & animam rationalem assumpsit, ut divinitas, corpus & anima in unam personam coaluerint, &c. *ibid.*

DISPUTATIO III.

De unione hypostatica.

Art. 1. Quæ sit unio hypostatica. 498
Prop. 1. Unio hypostatica humanitatis cum Verbo, est aliqua relatio transcendentalis humanitatis ad Verbum. 499
Propos. 2. Unio hypostatica humanitatis cum Verbo est transcendentalis relatio alicujus dependentiæ quam humanitas habet ad Verbi personalitatem. *ibid.*
Propos. 3. Unio hypostatica humanitatis cum Verbo quantùm intellectu creato attingi potest, videtur esse constituenda in sustentatione formali humanitatis, seu in ipsa humanitate,

Art.

INDEX.

Art. 2. Respondetur Modistis, unionem hypostaticam in modo quodam substantiali, à Verbo & humanitate realiter distincto, constituentibus. 500
Art. 3. Qualis sit unio hypostatica. 501
Resp. 1. Unio hypostatica est unio substantialis. *ibid.*
Resp. 2. Unio hypostatica est unionum maxima in ratione doni. 502
Resp. 3. Unio hypostatica est unionum maxima quoad vim uniendi. *ibid.*
Art. 4. Utrùm ex unione hypostatica resultarit persona composita. *ibid.*
Resp. 1. Persona Christi non est absolutè composita ex divinitate, vel si vis, ex personalitate Verbi & humanitate, &c. *ibid.*
Resp. 2. Persona Christi censeri tamen debet, & simpliciter dici composita. 504
Art. 5. Proponuntur objectiones contra primam responsionem, & solvuntur. 505

DISPUTATIO IV.

De Persona assumente, & natura assumpta.

Art. 1. UTrùm sola persona Verbi assumpserit humanitatem. 506
Resp. Sola persona Filii assumpsit humanitatem. *ibid.*
Art. 2. Utrùm persona Verbi assumpserit omnes partes naturæ assumptæ. 507
Resp. 1. Persona Verbi assumpsit immediatè sanguinem. *ibid.*
Resp. 2. Persona Verbi assumpsit etiam immediatè dentes, ungues & capillos. 508
Art. 3. Utrùm humanitas à Verbo assumpta, existat existentia propria. *ibid.*
Resp. Humanitas à Verbo assumpta, existit existentia propria. *ibid.*

DISPUTATIO V.

De communicatione Idiomatum.

Art. 1. UTrùm detur communicatio idiomatum in sensu Catholicorum. 511
Resp. Datur communicatio idiomatum in sensu Catholicorum. 512
Art. 2. Præcipuæ regulæ, ad rectam in præsenti materia prædicationem pertinentes traduntur. 513
Art. 3. Utrùm detur communicatio idiomatum in sensu Lutheranorum. 514
Resp. Non datur communicatio idiomatum in sensu Lutheranorum. *ibid.*

DISPUTATIO VI.

De necessitate, & fine Incarnationis.

Art. 1. UTrùm necesse fuerit Deum incarnari. 515
§. 1. Incarnatio non fuit absolutè necessaria necessitate physica. *ibid.*
§. 2. Incarnatio non fuit absolutè necessaria, etiam necessitate morali tantùm. 516
§. 3. Incarnatio non fuit necessaria, ex hypothesi creationis mundi. 517
§. 4. Nequidem ex hypothesi peccati primi Parentis, & naturæ lapsæ, Incarnatio necessaria fuit. *ibid.*
Art. 2. Utrùm incarnatio necessaria fuerit ad redimendum hominem per satisfactionem condignam, exhibendam ab homine. 518
§. 1. Purus homo de condigno satisfacere non potest pro peccato mortali proprio, aut etiam alieno. *ibid.*
§. 2. Purus homo, quantumlibet justus & Deo gratus, de condigno satisfacere non potest pro peccato mortali alieno. 521
§. 3. Quamvis merita Christi habuerint tantùm bonitatem moralem finitam, quodlibet tamen habuit valorem ad merendum, & satisfaciendum infinitum simpliciter. 522
§. 4. Proponuntur objectiones contra præcedentem paragraphum, & solvuntur. 524
§. 5. Christus potuit satisfacere condignè, & plusquam condignè, pro peccato originali, & aliis peccatis mortalibus hominum. 525
Coroll. Incarnatio necessaria fuit ad redimendum genus humanum per condignam satisfactionem ab homine exhibendam. 526
Art. 3. Utrùm Incarnatio facta tantùm fuerit ad redimendum genus humanum. *ibid.*
§. 1. Incarnatio volita fuit à Deo tantùm post prævisionem peccati, & ad redimendum genus humanum; ita ut vi præsentis decreti, Filius Dei incarnatus non esset, si genus humanum redemptione non indiguisset. *ibid.*
§. 2. Solvuntur objectiones petitæ ex scriptura. 527
§. 3. Solvuntur objectiones petitæ ex Patrum authoritate. 528
§. 4. Solvuntur objectiones petitæ ex ratione, *ibid.*
§. 5. Traditur ordo divinorum Decretorum, quantum ad præsentem materiam pertinet. 531
Art. 4. Aliquot dubia, quæ supersunt, resolvuntur. 532

DISPUTATIO VII.

De gratia, de defectibus, & passionibus Christi.

Art. 1. UTrùm Christus, ut homo, sanctus sit sanctitate substantiali. 533
Resp. 1. Christus, ut homo, sanctus est sanctitate substantiali, propter unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo. *ibid.*
Resp. 2. Sanctitas substantialis, quam humanitati Christi se ipso formaliter & immediatè confert Verbum, est infinita simpliciter in genere sanctitatis participatæ. 534
Resp. 3. Humanitas Christi per sanctitatem etiam substantialem, quam habet à Verbo formaliter & immediatè, non est tam sancta quàm ipsum Verbum. 536
Art. 2. Utrùm Christus, ut homo, sanctificetur etiam accidentaliter per gratiam habitualem. *ibid.*
Resp. Christus, ut homo, habet gratiam habitualem, ac proinde ut homo, fuit etiam sanctus sanctitate accidentali per gratiam habitualem. *ibid.*
Art. 3. Proponuntur dubia de defectibus Christi, & solvuntur. 539
Art. 4. Proponuntur dubia de passionibus Christi, & solvuntur. 541

DISPUTATIO VIII.

De scientia Christi, ut hominis.

Art. 1. DE Christi scientia in communi. 542
Prop. 1. Christus habuit intellectum creatum. *ibid.*
Propos. 2. Christus intellexit per intellectum suum humanum. *ibid.*
Prop. 3. Christus, ut homo, nihil formaliter intellexit per intellectionem increatam divinitatis. *ibid.*
Propos. 4. Omnis intellectio humana Christi fuit vera, certa & evidens. 543
Propos. 5. Imò ne quidem absolutè intellectus humanus Christi errare ac decipi potuit. *ibid.*
Propos. 6. Christus, ut homo, habuit scientiam beatificam, & habuit illam à primo instanti conceptionis suæ. *ibid.*

Propos. 7.

INDEX.

Propos. 7. Christus, ut homo, habuit scientiam supernaturalem, à scientia beatifica distinctam, & habuit illam à primo instanti conceptionis. 544
Propos. 8. Christus, ut homo, habuit scientiam naturalem. *ibid.*
Art. 2. De scientia beatifica Christi. *ibid.*
Propos. 1. Scientia beatifica Christi, ut hominis, est ejusdem speciei cum scientia beatifica aliorum beatorum, sed perfectior, ac intensior, &c. *ibid.*
Propos. 2. Christus tamen, ut homo, non cognoscit actu in Verbo, omnia quæ continentur in omni potentia divina. *ibid.*
Propos. 3. Christus, ut homo, actu cognoscit in Verbo possibilia omnia, quæ continentur in potentia creaturarum, pro aliqua temporis differentia existentium, &c. 545
Propos. 4. Christus, ut homo, videt simul & actu in Verbo, omnia quæ videt Deus scientia visionis. *ibid.*
Art. 3. De scientia supernaturali Christi. 546
Propos. 1. Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognoscit res naturales, quas Angeli per species inditas cognoscunt. *ibid.*
Propos. 2. Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognovit omnes actus liberos præteritos, præsentes & futuros, saltem usque ad diem judicii inclusivè. *ibid.*
Propos. 3. Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem quidditativè & intuitivè cognovit gratiam, habitus & actus supernaturales, lumen gloriæ, &c. *ibid.*
Propos. 4. Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognovit Deum quoad unitatem ejus, omnia ejus attributa essentialia, & personarum trinitatem. *ibid.*
Propos. 5. Christus in usu scientiæ supernaturalis, non dependebat à phantasmatibus. 547
Propos. 6. Proprius, & connaturalis modus cognoscendi per scientiam supernaturalem, quam habebat Christus ut homo, erat per simplicem intuitum. *ibid.*
Propos. 7. Christus à primo instanti conceptionis suæ, fuit semper in usu scientiæ supernaturalis. *ibid.*
Art. 4. De scientia naturali Christi, ut hominis. *ibid.*
Propos. 1. Christus, ut homo, etiam in statu viæ, habuit scientiam rerum omnium, quæ naturaliter cognosci possunt ab anima separata. *ibid.*
Propos. 2. Christus, ut homo, naturalem illam scientiam habuit à primo instanti conceptionis suæ, & in usu illius non dependebat à phantasmatibus. *ibid.*
Propos. 3. Christus, ut homo, habuit modo excellentissimo scientiam rerum omnium, quæ naturaliter acquiri potest componendo & discurrendo. 548
Propos. 4. Christus, ut homo, non habuit à primo instanti conceptionis, scientiam humanam experimentalem, sed eam successu temporis acquisivit. *ibid.*

DISPUTATIO IX.

De voluntate Christi, ut hominis.

Art. 1. UTrùm Christus, ut homo, habuerit actum volendi. *ibid.*
Resp. 1. In Christo, præter actum volendi divinum, fuit etiam actus volendi humanus. *ibid.*
Resp. 2. In Christo, præter facultatem volendi divinam, fuit etiam facultas volendi humana. 549
Art. 2. Utrùm voluntas humana Christi peccare potuerit. 550
Resp. Voluntas humana Christi nequidem de potentia absoluta peccare potuit. *ibid.*
Art. 3. Utrùm voluntas humana Christi elicere potuerit actum minùs perfectum, omisso perfectiori, sibi possibili. 553
Resp. 1. Humanitas Christi potuit potentia saltem physica, elicere actum minùs perfectum, omisso perfectiori sibi possibili. *ibid.*
Resp. 2. Christus, ut homo, potuit etiam potentia morali elicere actum minùs perfectum, omisso perfectiore. 554
Resp. 3. Humanitas Christi sic potuit, etiam moraliter, actum minùs perfectum elicere, omisso perfectiori, ut tamen habuerit exigentiam absolutè infrustrabilem assistentiæ specialis, vi cujus, &c. *ibid.*
Art. 4. Utrùm Christus, ut homo, habuerit liberum arbitrium. 555
Resp. Christus, ut homo, habuit liberum arbitrium. *ibid.*
Art. 5. Utrùm Christus, ut homo, capax fuerit præcepti. 557
Resp. Christus, ut homo, capax fuit præcepti, etiam sub culpa obligantis. *ibid.*
Art. 6. Quibus legibus Christus, ut homo, subjectus vel non subjectus fuerit. 558
Resp. 1. Christus, etiam ut homo, nullis legibus humanis subjectus fuit, aut esse potuit. *ibid.*
Resp. 2. Christus, etiam ut homo, nec legi Euangelicæ, nec Mosaicæ subjectus fuit. *ibid.*
Resp. 3. Christus, ut homo, subjectus fuit legi naturali. 559
Art. 7. Utrùm Christus, ut homo, rigorosum habuerit præceptum moriendi, & quomodo liber fuerit in obeunda morte pro salute hominum. *ibid.*
Resp. 1. Christus, ut homo, rigorosum habuit præceptum redimendi genus humanum per passionem & mortem suam. *ibid.*
Resp. 2. Christus in subeunda morte pro redemptione hominum, liber fuit non solùm ad circumstantias, sed etiam ad substantiam mortis. 560
Art. 8. De merito Christi. 562

DISPUTATIO X.

De prærogativis Christis.

Art. 1. UTrùm Christus, ut homo, sit servus Dei. 563
Resp. 1. Christus, ut homo, propriè ac strictè loquendo, non est servus Dei. *ibid.*
Resp. 2. Christus, ut homo, latè dici potest esse servus Dei. 564
Art. 2. Utrùm Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus. 565
Resp. Christus, etiam quà homo, nec dici potest, nec est Filius Dei adoptivus. *ibid.*
Art. 3. De reliquis prærogativis & officiis Christi, ut hominis. 567

DISPUTATIO XI.

De adoratione.

Art. 1. QUid sit adoratio, & quotuplex. 569
Resp. 1. Adoratio est honor quem exhibemus alteri propter aliquam ejus excellentiam, &c. *ibid.*
Resp. 2. Adoratio multipliciter dividitur. 570
Art. 2. Utrùm divinitas & humanitas Christi adorandæ sint una & eadem adoratione. *ibid.*
Resp. 1. Christus adorabilis est summa & perfectissima adoratione latriæ. *ibid.*
Resp. 2. Quando summa & perfectissima adoratione adoratur Christus, eadem illa adoratione coadoratur ejus humanitas. *ibid.*

Art. 3.

INDEX.

Art. 3. Utrùm Christus sit etiam adorabilis alia specie adorationis. 572
Resp. 1. Christus secundùm humanitatem, est adorabilis adoratione latriæ inferioris. *ibid.*
Resp. 2. Christus adorabilis est propter gloriam & sanctitatem creatam, quam habet secundùm humanitatem, & hæc adoratio inferior est omni adoratione latriæ, ac hyperdulia dicenda est. 573
Art. 4. Utrùm Angeli beati, & sancti homines vita functi, & cum Christo regnantes in cœlis, sint adorabiles cultu aliquo sacro. 574
Resp. 1. Angeli beati, & homines sancti cum Christo regnantes, adorandi sunt. *ibid.*
Resp. 2. Angeli beati, & homines sancti cum Christo regnantes, adorabiles sunt absoluta adoratione duliæ. 576
Resp. 3. Beata Virgo adorabilis est adoratione absoluta hyperduliæ. *ibid.*
Art. 5. Utrùm imagines Dei & Sanctorum adorabiles sint. 577
Resp. Imagines Dei & Sanctorum adorari possunt. *ibid.*
Art. 6. De Concilio Francofordiensi. 579
Art. 7. Qua adoratione adorabiles sint imagines. 583
Resp. 1. Imagines adorabiles sunt adoratione respectiva tantùm. *ibid.*
Resp. 2. Adoratio relativa imaginis est simul & indivisibiliter adoratio absoluta exemplaris. *ibid.*
Art. ult. Utrùm reliquiæ sint adorabiles. 586
Resp. Reliquiæ Christi, & Sanctorum adorabiles sunt. *ibid.*



R. P.

R. P.

EDMUNDI SIMONNET

Societatis JESU Presbyteri

TRACTATUS SEXTUS

DE GRATIA.

ARTICULUS PRÆAMBULUS.

De variis acceptionibus & divisionibus Gratiæ.

GRATIA in genere est donum à Deo gratis datum, juxta illud Apostoli Rom. cap. 11. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Hinc sic discurrit S. Augustinus enarrat. in Psal. 43. *Non fuisti, & factus es, quid Deo dedisti? Malus fuisti, & liberatus es, quid Deo dedisti? quid non ab eo gratis accepisti? Meritò & gratia nominatur, quia gratis datur.*

Gratia dividi potest in naturalem & supernaturalem. Naturalis est beneficium quodlibet ordinis naturalis, gratis collatum, ut beneficium creationis: *Etsi*, inquit S. Augustinus epist. 49. *quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, & arbor, quæ non sentit, aut pecus, quod non intelligit: sed homines, qui & essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus; & de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere debeamus: unde meritò & ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.*

Itaque creatio, & naturalia omnia, quæ à Deo in creatione accepimus, jure meritò vocantur gratia; quia non præcedentium aliquorum operum meritis retribuuntur, sed gratuita Dei bonitate donantur. Nec Patres reprehenderunt Pelagianos, quòd ejusmodi gratias assererent, & liberum hominis arbitrium hoc gratiæ nomine insignirent, sed quòd non etiam confiterentur alias gratias interiores supernaturalis ordinis, quales confitendas esse fides docet.

Et verò de his, non de illis gratiis Catholicos inter & Pelagium ejusque gregarios agebatur, ut testatur S. Augustinus eodem loco. Nam sic prosequitur: *Alia est tamen (gratia) qua prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur, ut dicere possimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. De hac gratia quæstio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quòd eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret non solùm ad facienda, verùm etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam.*

Quando igitur Doctores Catholici contra Pelagium de gratia disputant, loquuntur de gratia supernaturali, non de naturali, de qua nulla potest esse controversia: talem enim, qualem asserunt Catholici, Pelagius cum suis asseruit, & asserendo errores suos tegere conatus est.

Gratia supernaturalis est beneficium supernaturalis ordinis, gratis à Deo collatum. Dicitur autem esse beneficium supernaturalis ordinis, quia neque ad constituendam conservandamve naturam necessarium est, neque ex ea fluit, neque ei debetur ullo modo, sed omnem ejus sive physicam sive moralem superat exigentiam. De gratia sic accepta igitur in hoc Tractatu, & deinceps nuncupabitur Gratia sine addito, quia superioris ordinis est ad alteram, quæ proinde jure meritò non dicitur gratia, nisi secundùm quid, & cum addito diminuente, nempe naturalis.

Gratia itaque dividitur in eam, quæ ex pura liberalitate, & eam, quæ ex pura misericordia confertur. Prima est ea, quæ neque ex meritis Christi, neque indignis & peccatoribus, sed tantùm non dignis & non justis, ante absolutam cujuscumque operis sive boni sive mali prævisionem in æternitate præparata, in tempore datur. Talis fuit gratia Angelorum, & originalis justitia primo homini in creatione collata, quibus respectu humanitatis, quam Verbum in utero Virginis assumpsit, sibique hypostaticè copulavit, accenseri potest gratia unionis cum aliis omnibus donis, quæ hanc unionem naturaliter consecuta sunt. Sic intelligendus est sanctus Augustinus, cùm ait libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus*

bus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparavit? In eodem sensu gratiam accipit Scriptura, cùm ait Joan. cap. 1. *Vidimus ... plenum gratiæ & veritatis.* Et Luc. cap. 2. *Gratia Dei erat in illo.*

Secunda est ea, quæ post Adami & totius in Adamo humani generis lapsus absolutam prævisionem, intuitu meritorum Christi absolutè futurorum, in æternitate præparata est indignis & peccatoribus. Hæc gratia propriissimè & strictissimè gratia dicitur, quia non solùm est donum prorsùs indebitum, & omnem naturæ excedit exigentiam, nullumque opus bonum aut existens, aut absolutè prævisum, ex parte nostri supponit, sed etiam peccatoribus absolutè prævisis, adeòque positivè indignis præparatur in æternitate. De hac gratia loquitur passim in Epistolis suis Apostolus. Sic verbi gr. Rom. cap. 3. dicit: *Non enim est distinctio* (inter Judæos & Gentiles,) *omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Non contentus dixisse, *justificati gratis*, addit Apostolus, *per gratiam ipsius*; quia peccavimus omnes, & omnes egemus Redemptore, cujus meritorum intuitu nobis peccatoribus, & omni beneficio divino indignis, misericorditer donetur gratia illa, sine qua à statu peccati transire ad statum justitiæ, & liberati à servitute dæmonis, libertatem filiorum Dei consequi non possumus.

Gratia sic propriissimè sumpta dividitur in æternam & temporalem. Æterna sunt omnes illi actus Deo immanentes, quibus propter merita Christi prædefinita, & absolutè prævisa, nobis ab æterno, post lapsus Adami, & ante cujuscumque salutaris operis absolutam præscientiam, Deus misericorditer voluit salutem, & ad hunc finem præparavit media seu beneficia, aliis quidem efficacia, & cum assecutione gloriæ infallibiliter connexa, aliis verò ad consequendam gloriam idonea, & verè sufficientia, prout aliis efficaciter & absolutè, aliis verò sincerè quidem, sed non absolutè voluit gloriam.

Gratia temporalis sunt ipsa media salutis, qualia potissimùm sunt beneficia vocationis, justificationis, & finalis perseverantiæ pro electis, quæ nobis gratuitò & misericorditer conferuntur in tempore, vi amoris illius, quo Deus gratuitò & misericorditer dilexit nos in æternitate. Gratia temporalis subdividitur in gratis datam, & gratum facientem. Gratia gratis data dicitur ea, quæ ad aliorum, gratia verò gratum faciens dicitur ea, quæ ad propriam salutem præcipuè confertur. De prima loquitur Apostolus 2. Cor. cap. 12. cùm ait: *Divisiones gratiarum sunt &c.* De secunda 2. Cor. cap. 12. his verbis; *Sufficit tibi gratia mea.*

Nota 1. Gratia gratis data sic dicitur, non quòd ipsa sola, & non etiam gratia gratum faciens gratis detur; sed quia proprio & specifico nomine caret; unde tribuitur ei nomen genericum, quod etiam convenit gratiæ gratum facienti.

Nota 2. Gratia gratis data dicitur, non unicè, sed præcipuè conferri ad salutem aliorum; quia homini non solùm ad aliorum, sed etiam ad propriam salutem confertur, sic tamen ut primariò spectet utilitatem eorum, qui per hominem convertendi sunt ad fidem, vel ad pœnitentiam: secundariò verò propriam ipsius utilitatem, quatenùs donis illis, in quibus gratia gratis data consistit, in procuranda aliorum ad fidem vel ad pœnitentiam conversione, solerter utendo, servi boni ac fidelis laudem mereri, & mercedem consequi potest.

Similiter gratia gratum faciens dicitur, non unicè, sed præcipuè homini conferri ad propriam salutem; quia homini non solùm ad propriam, sed etiam ad aliorum salutem confertur, sic tamen ut primariò spectet propriam illius, cui confertur, utilitatem, secundariò verò utilitatem aliorum, quatenùs confertur homini, ut ipse justus & sanctus evadat, ac deinde alii bona ipsius opera, vitæque sanctimoniam contemplando, provocentur ad ejus imitationem, & ad propriæ salutis, perfectionisque amorem accendantur. Adde quòd, quò quis justior est & sanctior, eò ad aliorum salutem perfectionemve procurandam aptior est.

Nota 3. Apostolus 1. Cor. cap. 12. gratias gratis datas numerat novem, sapientiam, scientiam, fidem, genera linguarum, interpretationem sermonum, gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam, & discretionem spirituum: *Alii quidem*, inquit, *per Spiritum datur sermo sapientiæ, Alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum. Alteri fides in eodem spiritu. Alii gratia sanitatum in uno spiritu. Alii operatio virtutum. Alii prophetia. Alii discretio spirituum. Alii genera linguarum. Alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.*

Sapientia est intelligentia altissimorum mysteriorum, Trinitatis scilicet, Incarnationis, &c. *Scientia*, intelligentia eorum, quæ ad mores & vitam rectè instituendam pertinent. *Fides*, donum intrepidè prædicandi veritates evangelicas. *Genera linguarum*, donum loquendi variis linguis. *Interpretatio sermonum*, donum exponendi obscuriora Scripturæ loca. *Gratia sanitatum*, donum sanandi languores & morbos corporis. *Operatio virtutum*, donum patrandi miracula alia majora, ut dæmones ejiciendi, mortuos excitandi, &c. *Prophetia*, donum futura prædicendi. *Discretio spirituum*, donum discernendi cogitationes mentis, & intentiones cordis.

Præter has novem gratias gratis datas, enumerat alias Apostolus Rom. cap. 12. nempe donum ministrandi, donum docendi, donum exhortandi, donum distribuendi, & donum gubernandi: *Habentes autem*, inquit, *donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine.*

Nota 4. Gratiæ gratis datæ possunt ab invicem separari, & reipsa separari docet Apostolus, cùm ait: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, &c.* Item separari possunt à gratia sanctificante, ut patet exemplo Balaam & Caiphæ, qui futura prænunciarunt, quamvis essent homines mali. Regulariter tamen gratiæ illæ nonnisi justis & sanctis hominibus conceduntur. Hinc is, qui cæcus natus fuerat, Joan. cap. 9. dicit: *Scimus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Porrò ex gratiis gratis datis aliquæ consistunt in habitibus permanentibus, ut sapientia, scientia, genera linguarum, &c. aliquæ in motionibus transeuntibus, ut prophetia, discretio spirituum, &c.

Gratia gratum faciens subdividitur in habitualem & actualem. Habitualis est ea, qua homo fit intrinsecè & permanenter habilis ad exercendos actus divini ordinis, dignus Dei amicitia, & ejus adoptione, &c. & consistit saltem potissimùm in collectione virtutum theologicarum, fidei, spei, charitatis, cujus collectionis pars præcipua est charitas. De gratia habituali suo loco agetur. Gratia actualis est auxilium transiens.

Gratia actualis subdividitur in externam & internam. Externa sunt piæ exhortationes, bona exempla, aliaque innumera, extrinsecùs advenientia, quibus, adjuncta interiore gratia, excitamur, vel adjuvamur ad bonum agendum, malumve fugiendum. Interna, quæ propriè & simpliciter dicitur gratia actualis, est internum auxilium transiens, quo Deus nos interiùs partim excitat, partim adjuvat ad bene, & sicut ad salutem oportet, operandum.

Itaque gratia actualis interna subdividitur in excitantem & adjuvantem. Gratia excitans est ea, qua Deus interiùs pulsat voluntatem torpentem, eamque sollicitat ad bonum agendum, vel malum fugiendum;

& du-

& duplex est, una scilicet ex parte intellectus, & consistit in illustratione; altera ex parte voluntatis immediatè, & in inspiratione, hoc est, in indeliberata voluntatis motione posita est. Nomine tamen gratiæ excitantis, quoties agitur de homine lapso, intelligitur complexum ex utraque; tum quia secunda sine prima esse non potest; tum quia prima in hoc infirmitatis statu, in quo voluntas bonum salutare, quantumvis cognitum, velle non potest, nisi interiùs & immediatè corroboretur, inutilis & insufficiens foret sine secunda. Quare misericors Deus, quoties operatur in nobis ut bonum salutare velimus, hoc facit illustratione simul & inspiratione.

Porrò illustratio & inspiratio sunt intellectus & voluntatis actus necessarii, ad quos scilicet intellectus & voluntas à Deo prædeterminantur & necessitantur. Unde à Conciliis & Patribus dicitur Deus operari in nobis actus illos sine nobis, quia non liberè, sed necessariò cooperamur Deo in productione illorum actuum. Illustratio autem consistit modò in vehementibus certorum objectorum apprehensionibus, quibus ad bonum sollicitamur, vel deterremur à malo; modò in judiciis indeliberatis, quibus aliquid esse faciendum, vel omittendum judicamus. Inspiratio verò modò est actus indeliberatus amoris Dei, vel alterius boni ad salutem pertinentis, modò actus indeliberatus desiderii faciendi id, quod Deus consulit, vel præcipit; modò actus indeliberatus odii & fugæ circa illud, quod prohibetur à Deo; modò actus timoris gehennæ, vel aliarum pœnarum, quas Deus comminatur peccatoribus; modò actus gratitudinis circa beneficia divina; modò ipse actus salutaris, quem intendit Deus, & ad cujus productionem primam nos prædeterminat, ut illum postmodùm, accedente sufficienti advertentia, liberè & cum meritò continuemus, &c.

Gratia adjuvans est auxilium transiens, quo Deus voluntatem gratiæ excitanti consentientem adjuvat, seu quo Deus adjuvat voluntatem ad consentiendum gratiæ excitanti, ipsam pulsanti & sollicitanti, hoc est, ad ponendum actum salutarem, ad quem sollicitatur à gratia excitante: salutaris enim consensus voluntatis ipsissimus est actus salutaris, ad quem gratia excitans sollicitat voluntatem, à voluntate positus absque antecedenti determinatione intrinseca ad unum.

Gratia autem adjuvans non distinguitur adæquatè à gratia excitante, sed inadæquatè tantùm: adjuvans enim gratia consistit partim in ipsa gratia, qua voluntas pulsatur & excitatur ad actum salutarem, partim in actione, qua omnipotentia divina per seipsam immediatè voluntatem ad operandum complet & applicat. Quod ut intelligas, *nota*. Voluntas in præsenti statu duplicem habet insufficientiam ad ponendum actum salutarem: unam scilicet accidentalem, quam non haberet in statu innocentiæ; & alteram essentialem, quam proinde non potest non habere in quocumque statu sit. Primam tollit gratia excitans: hæc enim insufficientia oritur partim ex ignorantia, quam expellit illustratio; partim ex infirmitate, quam inspiratio sanat.

Secunda insufficientia tollitur per actionem omnipotentiæ per se immediatè agentis in voluntate: *Pro quo nota iterum*. Voluntas in operando essentialiter subordinatur Deo, tanquam causa secunda causæ primæ: unde ut in actus suos sive supernaturales, sive etiam naturales exeat, essentialiter exigit physicè applicari à Deo ad agendum. Voluntas igitur nec agit, nec agere potest sive supernaturaliter, sive etiam naturaliter, nisi Deus saltem natura priùs agat in ipsa, ipsamque, sic agendo, compleat, confortet, & quasi accingat ad agendum. Dico, compleat, confortet, &c. quia Deus voluntatem saltem ad actus liberos non aliter physicè applicat, quàm illam actione sua physicè complendo, confortando, & veluti accingendo ad operandum. Indigentia igitur, vel, si vis, exigentia physicæ applicationis, est secunda illa ad agendum insufficientia, quam dicimus essentialem esse voluntati, sicut & cuilibet alteri creaturæ, & quam tollit Deus immediatè agendo in voluntate, eamque actione sua complendo, confortando, & quasi accingendo ad agendum.

Ad eandem gratiam adjuvantem pertinent etiam actio, qua Deus supplet defectum habitus supernaturalis in eo, qui tali habitu destitutus est; & actio, qua Deus cum voluntate producit actum salutarem, supposito quòd hic actus non sit pura modificatio voluntatis, sed sit entitas ab ea realiter distincta. Ex dictis

Collige 1. Eandem gratiam simul esse excitantem & adjuvantem ex parte. Excitans est, qua torpentem voluntatem pulsat, ut bonum velit; adjuvans verò, qua voluntatem bonum volentem corroborat simul quidem tempore, sed naturâ priùs, quàm velit, quatenùs voluntas, ab ea pulsata, re ipsa vult bonum dependenter ab ea perseverante, & perseverando ipsam corroborante ad bonum sicut oportet volendum. Gratia autem voluntatem corroborat non solùm moraliter, quâ illustratio est, consulendo, suadendo, exhortando, incitando, virtutis pulchritudinem & turpitudinem vitii ostendendo, magnitudinem mercedis, & pœnarum acerbitatem proponendo; sed etiam physicè, quâ inspiratio est; quia, quâ inspiratio, pondus quoddam est contra motum concupiscentialem, quo pondere vel motus concupiscentialis extinguitur, aut minuitur, vel vis ejus eliditur, aut retardatur.

Collige 2. In gratia adjuvante duplicem esse actionem, seu concursum omnipotentiæ. Prima actio, qua scilicet voluntas completur & applicatur ad actum, ipsam voluntatem, secunda verò voluntatis actum immediatè attingit. Prima natura prior est, quàm actio voluntatis, quia illam cum ipsa voluntate causat; secunda nec prior, nec posterior natura, quia nec causat, nec causatur ab actione voluntatis, sed solùm cum voluntate causat actum ejus. Prima per voluntatem tanquam instrumentum suum, secunda cum voluntate in actum voluntatis influit, eumque producit.

De utraque gratia, excitante scilicet & adjuvante, loquitur 1. Scriptura Apocalyps. cap. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso.* (En gratia excitans:) *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* (En gratia adjuvans.) 2. Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. cùm ait: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, &c.* 3. S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 18. *Quòd ad Deum nos convertimus*, inquit, *nisi ipso excitante & adjuvante, non possumus, & hæc est bona voluntas*, quam scilicet non possumus habere sine auxilio gratiæ excitantis & adjuvantis. Et lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 17. ubi ait: *Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Denique utramque gratiam petit Ecclesia, dicendo: *Actiones nostras aspirando præveni, & adjuvando prosequere.*

Gratia excitans multis gaudet nominibus: nam non solùm excitans vocatur, sed etiam prævenies, præparans, operans, præoperans, & vocans. Dicitur excitans, quia voluntates nostras veluti à somno peccati, vel negligentiæ in bonis operibus exercendis excitat. Dicitur vocans, quia est quædam interna vox, qua Deus nos ad se, & amorem sui, aliarumque virtutum exercitium vocat. Dicitur prævenies, quia prævenit omnem pium & salutarem libertatis usum. Dicitur præparans, quia disponit nos ad bonum usum libertatis, illustrando mentem, & cor tangendo. Dicitur operans & præoperans, quia Deus per eam operatur in homine, sine libera hominis cooperatione, ut postea Deo sic operanti, illustrando scilicet & pulsando, homo liberè consentiens actum salutarem, & meritorium exerceat.

Denique gratia excitans, qualis nunc datur in hoc statu naturæ lapsæ & vulneratæ, dicitur sanans & medicinalis, quia per inspirationem, quam superaddit illustrationi, corroborat voluntatem contra insurgentes rebellis concupiscentiæ motus, & corroborando sanat nos utcumque ab ægritudine, ex originali peccato contracta, qua bonum fastidimus, & propendemus in malum. Dixi, utcumque: non enim erit perfecta sanitas, nisi in patria, ubi erit perfecta & consummata charitas. Sicut autem gratia excitans, ita & gratia adjuvans pluribus nuncupatur nominibus: nam etiam vocatur cooperans, concomitans, & efficiens; quod explicatione non indiget.

Porrò laborant Theologi in explicanda gratia subsequente; & in ejus explicatione varii sunt. Ad hoc breviter dicimus, gratiam subsequentem, juxta mentem S. Augustini, esse gratiam prævenientem, & adjuvantem, prout à Deo continuantur ad exequendum bonum propositum, præconceptum ex auxilio utriusque gratiæ. Nam sic loquitur S. Doctor in Enchiridio, cap. 32. *Utrumque legitur in sanctis eloquiis: Et misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustrà velit.* Et lib. 2. ad Bonifacium, cap. 9. *Ut incipiamus, dictum est: Misericordia ejus præveniet me. Ut perficiamus, dictum est: Misericordia ejus subsequetur me.* Et inferiùs eodem cap. *Hominis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.*

Gratia excitans subdividitur in sufficientem & efficacem. Gratia sufficiens est ea, quæ dat quidem posse, sed non dat operari, non ex defectu alicujus auxilii, ulteriùs requisiti ad operandum, & quod habere, non sit in potestate voluntatis; sed ex defectu ipsius voluntatis, quæ non vult consentire gratiæ, ponendo actum, ad quem sollicitatur à gratia. Gratia autem sufficiens sic dicitur, non quòd etiam sufficiens non sit gratia efficax, sed quia carens proprio & specifico nomine, genericum & utrique divisionis membro commune accipit.

Gratia efficax est ea, quæ non solùm dat posse, sed etiam ipsum operari, non determinando, aut necessitando voluntatem ad operandum, sed eam ita vocando, quomodo ei aptum est, ut re ipsa sequatur vocantem, eam sic vocando, quomodo ei congruit, ut vocantem non respuat, sicut loquitur S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. Breviter, gratia efficax est gratia certò & infallibiliter connexa cum voluntatis consensu; sive gratia, quæ, si detur, infallibiliter obtinet actum salutarem, ad quem datur, relinquendo tamen actus determinationem in potestate voluntatis.

DISPUTATIO PRIMA.

De Pelagianis & Semipelagianis.

ARTICULUS I.

Exponuntur errores Pelagianorum circa gratiam.

UT faciliùs intelligatur quid Pelagiani senserint, quantùm erraverint, & quanta fuerit eorum inconstantia circa existentiam & naturam gratiæ, juvat Pelagianismum in quatuor status distinguere. Primus itaque status est ille, in quo Pelagiani, nulla facta mentione gratiæ, dixerunt vires naturales liberii arbitrii sufficere ad implenda omnia præcepta, superandas quasvis tentationes, exercenda sicut oportet virtutum omnium officia, & consequendam salutem æternam. Hunc primum Pelagianismi statum colligimus ex sancto Augustino serm. 11. de verbis Apostoli, ubi sic Pelagianos loquentes inducit: *Ipsi fecimus nos, idest, ut justi essemus, justos nos libera voluntate fecimus. Quando condidi sumus, liberum arbitrium accepimus. Ut ergo justi simus, libero id arbitrio agimus. Quid adhuc Deum invocamus, ut justos nos faciat, quod habemus in potestate, ut justos nos ipsi faciamus?* Vide Pelagianos totos esse in extollendis viribus liberi arbitrii, omni gratiæ mentione posthabita.

Secundus status est ille, in quo Pelagiani, ut fallerent Catholicos, eorumque offensionem vitarent, liberum arbitrium cœperunt appellare gratiam, eò quòd scilicet gratis à Deo, nulloque nostro præcedente merito, nobis in creatione concedatur. Hunc statum describit sanctus Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli, ubi de Pelagianis sic loquitur: *Disputantes ergo contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & catholicis offensionem, cœperunt horreri, cœperunt ut certa pernicies devitari; cœpit de illis dici, quòd contra gratiam disputarent. Et invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Unde probas? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Vide acumen, sed vitreum.*

Tertius status est, in quo Pelagiani à Catholicis objurgati, quòd nullam aliam præter liberum arbitrium agnoscerent gratiam, novum gratiæ genus confessi sunt, nempe legem & doctrinam. Patet ex propositione Pelagii: *Gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina:* quæ propositio est numero septima inter eas, quas Synodus Palestina damnavit. Legi & doctrinæ addiderunt remissionem peccatorum, ut testatur sanctus Augustinus, & remissioni peccatorum virtutes & exempla Christi; sic tamen ut vellent hanc virtutum & exemplorum Christi, sicut & legis atque doctrinæ, gratiam non esse absolutè necessariam, & liberum arbitrium sine illis posse sicut oportet bonum operari, & à malo abstinere. Testatur hoc sanctus Augustinus libro de gratia Christi, cap. 41. Ubi sic ait: *Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ* (dicit Pelagius) *etiam propheticis fuisse temporibus, adjutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur: ut videlicet tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis ne deficiamus in via; quamvis & ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adjuvat gratia.*

Quartus denique status est, in quo Pelagiani præter remissionem peccatorum, & gratiam externam legis & doctrinæ, atque virtutum & exemplorum Christi, admiserunt gratiam actualem internam illuminationis, seu supernaturalem illustrationem. Hoc probant ipsa Pelagii verba, à sancto Augustino relata libro de gratia Christi, cap. 7. *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Idem testatur sanctus Augustinus libro de hæres. 88. ubi hæc habet: *Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenùs cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, &c.* At Pelagius non increpabatur à fratribus, quòd gratiam externam legis, doctrinæ, & exemplorum Christi non admitteret, hanc enim gratiam admittebat: sed increpabatur, quòd præter hanc externam gratiam, non admitteret aliam internam. Cùm ergo increpationi cesserit, admisit aliquam gratiam internam. Atqui non admisit gratiam internam inspirationis, ut infrà demonstrabitur. Ergo admisit internam illuminationis. Quod eodem loco de omnibus Pelagianis testatur S. Augustinus, his verbis: *Divinitùs nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur.*

Dices.

Dices. S. Augustinus libro de gratia Christi c. 7. ex verbis Pelagii suprà relatis sic concludit : *Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina*. Ergo ex verbis illis probare non potuimus à Pelagio admissam esse internam gratiam illuminationis. *R.* neg. conseq. *Ad ant. dico*. Sanctum Augustinum ita loqui, non quòd Pelagius verbis relatis exprimat tantùm externam legis & doctrinæ gratiam, sed quia admittit eam tantùm gratiam, quæ interiùs ostendit, quid agendum, quidve omittendum sit, nec ad agendum, vel omittendum libero arbitrio contra rebellantis concupiscentiæ motus vires interiùs suppeditat, quæque proinde benè reducitur ad gratiam legis & doctrinæ, præter quam, sive forinsecùs, sive etiam intrinsecùs per internam illuminationem proponatur, ulteriorem intrinsecam contendit S. Doctor esse confitendam, nempe gratiam inspirationis, qua intimè & immediatè afficitur liberum arbitrium, atque contra reluctantem concupiscentiam corroboratur.

Nota. Pelagianos internam illuminationis gratiam cum duplici corruptela admisisse. Dicebant enim, 1. necessariam non esse, nisi ad faciliùs operandum. Nam teste sancto Augustino libro de hæres. 88. Pelagius de interna illuminationis gratia dicebat, *ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam*. Ex qua Pelagii doctrina sic observat S. Augustinus : *Dicendo utique ut faciliùs possint, voluit credi, etiamsi difficiliùs, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa*. Gratiam verò ad bonum operandum, malumve fugiendum sicut oportet, simpliciter necessariam non aliam agnoscebant præter liberum arbitrium, quod Deus non per gratiam inspirationis, sed per solam legis & doctrinæ, modò forinsecùs, modò etiam intrinsecùs propositæ, gratiam adjuvat ad faciliùs posse. Nam sic pergit sanctus Doctor : *Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis, ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus*.

Dicebant 2. internam illustrationis gratiam bonis naturæ meritis obtineri posse. Testatur sanctus Augustinus libro de gratia & libero arbitrio, cap. 14. *Cùm fuerint*, inquit, *convicti, non defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur ..... ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari*. Ex quibus verbis habemus Pelagianos tandem aliquando confessos esse veram & internam Christi gratiam saltem ex parte intellectus, hoc est, internam & supernaturalem illustrationem, sed quam unusquisque nostrùm posset bonis naturæ meritis promereri : sentiebant enim nos ex solis arbitrii viribus verbi gratia, orare posse sicut oportet ad gratiam illam impetrandam, ut de Pelagio expresè testatur sanctus Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 41. *Ita ut*, inquit sanctus Doctor, *ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur* Pelagius, *nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur*.

ARTICULUS II.

Utrùm Pelagiani etiam tandem aliquando admiserint interiorem gratiam inspirationis, seu interiorem gratiam ex parte voluntatis, qua scilicet gratia Deus immediatè afficiat & corroboret voluntatem, eique vires tribuat ad faciendum id, quod faciendum esse cognoverit per internam illustrationem.

RESPONSIO.

PElagiani nunquam admiserunt interiorem inspirationis gratiam, hoc est, interiorem illam gratiam, qua voluntas immediatè afficitur & adjuvatur.

Prob. 1. Resp. De Pelagio, ex lib. de gratia Christi quem ad defendendam inspirationis gratiam contra Pelagium & Celestium scripsit S. Augustinus. Ex hoc autem libro habemus, 1. Pelagium tria in homine distinxisse, possibilitatem scilicet ; voluntatem, hoc est, volitionem ; & actionem, seu posse, velle, & esse, hoc est, agere : *Ecce*, inquit S. Augustinus cap. 5. *est totum dogma Pelagii ..... quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse, ideſt, possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta subtilitate curavit distinguere, ut, &c.*

2. Habemus, Pelagium sensisse ex his tribus solam possibilitatem à Deo adjuvari, non verò voluntatem seu volitionem, aut actionem : *Scire quippe debemus*, inquit S. Augustinus cap. eodem, *quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo : tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura ; cætera vero duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio, & ideò non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus*.

3. Habemus, Pelagium hoc possibilitatis adjutorium constituisse tantùm in lege & doctrina, quibus vocibus S. Augustinus comprehendit etiam virtutes & exempla Christi cum interna illustratione : *Hanc autem*, inquit S. Doctor c. 6. *naturalem possibilitatem, quam adjuvari Dei gratia confitetur* Pelagius, *non est hic apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari : sed, sicut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi, quàm legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur*.

4. Imò habemus, Pelagium nullibi confessum esse interiorem illam gratiam, qua voluntas & actio immediatè adjuvantur, & quæ gratia inspirationis est : *Illos etiam*, inquit S. Doctor cap. 34. *quos in eisdem litteris, quas misit* Pelagius *ad sanctæ memoriæ Papam Innocentium, libros suos vel scripta commemorat, legi præter unam epistolam, quam se brevem misisse ad sanctum Constantium Episcopum dicit ; nec alicubi potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, qua non solùm possibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere, etiamsi nec volumus nec agimus bonum, sed ipsa etiam voluntas & actio subministratione sancti Spiritus adjuvatur*, ideſt, qua libero arbitrio non solùm ostenditur, quid volendum & agendum sit, sed etiam ad volendum & agendum vires subministrantur. Quod est, Pelagium nunquam confessum esse interiorem illam gratiam, quæ in illustratione simul & inspiratione consistit.

Prob. 2. Resp. De Celestio, primario Pelagii discipulo, ex eodem libro de gratia Christi, ubi S. Augustinus cap. 30. testatur, se in Pelagii & Celestii scriptis, quæcumque legere potuit, nusquam inveniſse eos confiteri gratiam, qua non formaliter, sed efficienter justificamur, & quæ in interiori illustratione simul ac inspiratione ; & potissimùm in inspiratione consistit : *Istam quippe gratiam*, inquit, *qua justificamur, ideſt, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus*

est nobis, in Pelagii & Celestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri. Cujus dicti rationem reddens S. Doctor pro Celestio, ait se in omnibus ejus scriptis non aliud invenisse, quàm eum Dei gratiam, qua juvamur vel ad faciendum bonum, vel ad declinandum à malo, ponere in naturali voluntatis arbitrio cum lege & doctrina, modò scilicet forinsecùs, modò etiam intrinsecùs proposita, adeòque eum non aliam præter naturale arbitrium voluntatis gratiam interiorem confiteri, nisi ad summum illustrationem, qua homini divinitus innotescit bonum agendum, vel malum vitandum; nusquam verò confiteri internam inspirationem, qua homini suppeditantur vires ad faciendum id, quod norit esse faciendum, vel vitandum id, quod norit esse vitandum; imò expresè asserere, orationem ad hoc tantùm necessariam esse, ut homini ostendatur, quid concupiscat & diligat, hoc est, ad hoc orationem esse tantùm necessariam, ut homo per eam impetret illustrationis gratiam, quacum liberi arbitrii vires sufficiunt ad concupiscendum & diligendum, quod in ordine ad salutem concupiscere & diligere oportet. Ex his manifestè consequitur Celestium nunquam confessum esse necessitatem ulterioris gratiæ interioris, nempe gratiæ inspirationis, liberum arbitrium immediatè afficientis, illudque liberantis, sanantis, corroborantis: *Nam ut de Celestii opusculis interim taceam, vel libellis ejus*, inquit S. Doctor cap. eodem, *quos judiciis Ecclesiasticis allegavit, quæ vobis omnia, cum aliis, quas necessarias existimavimus, litteris mittenda curavimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis advertere, non eum ponere gratiam Dei, qua juvamur vel ad declinandum à malo, vel ad faciendum bonum, præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina; ita ut ipsas quoque orationes ad hoc asserat necessarias, ut ostendatur homini, quid concupiscat & diligat, &c.*

Prob. 3. *Resp.* De reliquis Pelagianis, ex S. Augustini lib. de hær. 88. ubi de illis S. Doctor affirmat, 1. adeò inimicos esse gratiæ inspirationis, ut non vereantur asserere, hominem sine illa, omnia mandata divina implere posse: *Hi Dei gratiæ*, inquit, *qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata.* 2. Gratiam illam, sine qua nihil boni possumus constituere in libero arbitrio, adjuto à Deo per legem & doctrinam, modò scilicet forinsecùs propositam, modò etiam intrinsecùs opera Spiritus sancti revelatam; non verò per aliquam aliam gratiam, qua à Spiritu sancto arbitrii libertas corroboretur ad faciendum bonum, quod innotescit per legis & doctrinæ sive externam sive internam propositionem: *Illam verò gratiam Dei*, inquit, *sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis, ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus.*

Ex his autem concludit S. Augustinus, Pelagianos admittere quidem gratiam illustrationis, sed inspirationis gratiam rejicere: *Ac per hoc*, inquit, *divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur. Charitatem autem dari negant, qua piè vivitur.* Hoc est, confitentur quidem Deum pellere ignorantiam, interiùs illustrando mentem, nobisque interna illa mentis illustratione ostendendo, quæ facere, quæ sperare debeamus: at negant Deum ulteriùs & interiùs liberum voluntatis arbitrium ad piè vivendum adjuvare, infundendo indeliberatum Dei vel alterius boni salutaris amorem, sine quo tamen in præsenti naturæ lapsæ statu sanctè pièque vivere non possumus. Quæ verba peremptoria sunt, & evidenter ostendunt, fictitium esse statum illum, in quo dicit Jansenius Pelagianos tandem confessos esse interiorem gratiam voluntatis & operis.

Obj. 1. Verba Pelagii relata à S. Augustino lib. de gratia Christi cap. 10. *Operatur*, inquit Pelagius, *in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis . . . suadet omne quod bonum est.* Quibus verbis Pelagius satis clarè non solùm gratiam intellectus, sed etiam gratiam voluntatis exprimit. *Resp.* Hoc negando. Nam si Pelagius hìc exprimit gratiam voluntatis, certè cùm ait Deum in desiderium sui stupentem suscitare voluntatem. At hoc non: dicit enim tantùm, Deum in desiderium sui stupentem suscitare voluntatem, revelando sapientiam; sicut tantùm dicit Deum operari in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, præmiorum & futuræ gloriæ magnitudinem nobis proponendo, quod pertinet ad solam gratiam intellectus.

Itaque manifestè Pelagius hoc loco non aliam gratiam prædicat, quàm gratiam legis atque doctrinæ, & gratiam intellectus, quæ meritò ad gratiam legis atque doctrinæ revocatur: nam interna illuminatio præcisè docet, quod etiam faciunt lex & doctrina forinsecùs propositæ. Sic respondet S. Augustinus cap. laudato: nam post verba Pelagii relata, continuò prosequitur in hunc modum: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina sanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet, cùm suadetur omne quod bonum est.*

Obj. 2. S. Augustinus lib. de grat. Chr. cap. 29. refert hæc Pelagii verba: *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs implere possint per gratiam.* Et subdit: *Tolle faciliùs, & non solum plenus, verùm etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam.* Quibus verbis apertè significat S. Doctor Pelagium tunc rectè sensisse circa existentiam & naturam gratiæ, & in eo tantùm errasse, quòd vellet veram & internam Christi gratiam necessariam non esse, nisi ad faciliùs implenda mandata divina.

Resp. Neg. S. Doctorem verbis suis hoc significare. Nam cap. sequenti expresè declarat se nusquam in Pelagii scriptis inveniisse, eum veram Christi gratiam, quomodo confitenda est, confiteri; eò quòd, ut apertè colligitur ex iis, quæ de Celestio subjicit, nusquam invenerit eum aliam præter naturale arbitrium voluntatis gratiam agnoscere, quàm legem atque doctrinam. Et cap. 31. expendens verba libelli, quem Romam miserat Pelagius ad Innocentium Pontificem, & in quo profitebatur, *ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos, quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio*; observat hæc postrema Pelagii verba ambigua esse, eumque posse, *sicut solet, velle intelligi legem atque doctrinam* per divinum illud adjutorium, quo profitebatur nos in omnibus bonis operibus adjuvari. Minimè igitur S. Doctori, Pelagium rectè circa existentiam & naturam gratiæ sentire, exploratum erat, cùm ajebat: *Tolle faciliùs, & non solùm, &c.*

Itaque cùm S. Augustinus dicit: *Tolle faciliùs, &c.* ad summum dici potest supponere, Pelagium ibi per gratiam intelligere internam & supernaturalem illustrationem. Quo supposito, etiam in ore Pelagii catholica est hæc propositio: *Ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam.* Tunc enim tantùm dicitur, internam & supernaturalem illustrationem esse absolutè necessariam ad implenda mandata divina, quod verum est & catholicum.

Dixi

Dixi autem, ad summum: quia rectè dici potest S. Augustinum, cùm ait: *Tolle facilius, &c.* non aliud velle, quàm propositionem hanc: *Ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam*, catholicam esse in sensu obvio, quidquid tandem nomine gratiæ intelligat Pelagius, quod hoc loco non expendit Augustinus: neque enim errores omnes simul confutari possunt; atque hìc refutare intendit S. Doctor unum hunc ex Pelagii erroribus, nempe quòd gratia non requiratur, nisi ad operandum faciliùs.

Obj. 3. Esto quòd Pelagius & Celestius nunquam admiserint gratiam voluntatis & actionis: at saltem admiserunt Julianus, & alii posteriores Pelagiani. Neg. *Prob.* S. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio c. 14. asserit Pelagianos fuisse tandem convictos, neque scientiam divinæ legis, neque naturam, neque peccatorum remissionem esse illam gratiam, quæ per Jesum Christum datur. Et serm. 13. de verbis Apostoli, gratias agit Deo, quòd Pelagiani coarctati sint tandem aliquando gratiam confiteri.

Resp. S. Augustinum his locis tam loqui de Pelagio & Celestio, quàm de Juliano & aliis Pelagianis, & de illis omnibus solùm affirmare, quòd tandem, præter liberum arbitrium, remissionem peccatorum, & gratiam externam legis, doctrinæ, & exemplorum Christi, aliam internam & supernaturalem gratiam confessi sint, quam dicimus fuisse gratiam intellectus, seu internam & supernaturalem illustrationem, qua Deus, ut ajebat Pelagius, revelando sapientiam in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, & suadet nobis omne quod bonum est; atque ita in nobis operatur velle quod bonum est, velle quod sanctum est.

Audiamus S. Doctorem: *Cùm fuerint*, inquit, *convicti non defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur; sed ipsa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur .... ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Horum autem verborum hic manifestè sensus est: Cùm convicti fuerint Pelagiani, præter scientiam divinæ legis, extrinsecùs comparatam, præter naturam, & remissionem peccatorum, confitendam esse interiorem gratiam; ad hoc se convertunt, ut conentur ostendere eam secundùm merita nostra dari. Non ergo aliud hoc loco dicit S. Doctor, quàm Pelagianos argumentorum pondere aliquando coactos esse, ad confitendam interiorem gratiam, & confessos esse cum hac corruptela, quòd asserent eam dari secundùm merita nostra; & hoc etiam nos post S. Doctorem dicimus. Cùm autem pro præsenti statu duplex sit gratia interior, una scilicet quæ se tenet ex parte intellectus, nempe illustratio, & altera quæ se tenet ex parte voluntatis, nempe inspiratio; ex ejusdem S. Doctoris doctrina addimus, Pelagianos eatenùs interiorem gratiam aliquando confessos esse, quatenùs se tenet ex parte intellectus; adeòque solam illustrationem aliquando, nunquam verò inspirationem confessos esse. Quòd si tamen tandem aliquando ipsam quoque inspirationem confessi esse dici possunt, certè in hac confessione inconstantes prorsùs fuere, & ad suum de viribus arbitrii errorem rediere.

Certè si Pelagiani tunc, cùm S. Augustinus librum hunc de grat. & lib. arbitrio scribebat, Catholicorum argumentis convicti, interiorem non solùm illustrationis, sed etiam inspirationis gratiam confitebantur, quomodo ejusdem libri c. 11. verè sic potuit loqui: *Quid est ergo, quòd vanissimi homines, & perversissimi Pelagiani legem dicunt esse gratiam, qua juvamur ad non peccandum?* Quid necesse fuit in eodem libro tot capitibus ostendere gratiam illam, quæ per Jesum Christum nobis datur, quæ facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur, neque in natura, seu libertate arbitrii, neque in lege & doctrina, neque in remissione peccatorum consistere? Non ergo tunc à suo circa existentiam & essentiam gratiæ recesserant errore Pelagiani, nisi quòd interiorem illuminationis gratiam, cum duplici tamen corruptela superiùs expositam admitterent, repudiata pertinaciter inspirationis gratia.

Dices. Julianus in epistola, quam miserat Romam, sic loquebatur: *Hominem Dei opus defendimus ... Et in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, in malum verò diaboli suggestionibus incitari.* Hæc autem Juliani verba sic suggillat S. Augustinus lib. 1. ad Bonifacium c. 19. *Cur non dixisti hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum diaboli suggestionibus incitari? Sed dixisti in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitùs adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita.* Quibus verbis S. Doctor Julianum reprehendens tantùm, quòd gratiam, qua in omni opere bono adjuvamur à Deo, videatur pedissequam voluntatis facere, manifestè supponit eum rectè sentire de natura ipsius gratiæ, adeòque nomine gratiæ, qua adjuvamur à Deo in omni opere bono, non solùm illustrationem internam, sed etiam internam inspirationem intelligere. *Resp.* Hoc esse falsum. Itaque S. Augustinus non supponit hìc Julianum rectè sentire de natura gratiæ, sed solùm non inquirit, quid nomine gratiæ intelligat, & accepto nomine gratiæ in sensu Catholicis obvio, reprehendit verba Juliani, quibus videtur insinuare, quòd voluntas se sola incipiat in opere salutari, & incipiendo, gratiam, qua juvetur ad perficiendum opus, promereatur.

Porrò per gratiam illam, qua hominem in omni opere bono adjuvari dicebat Julianus in præfata epistola, non gratiam inspirationis, qua voluntas immediatè excitatur & corroboratur, sed ad summum gratiam internæ & supernaturalis illuminationis, voluntatem adjuvantis, non vires ad agendum subministrando, sed quid agendum esset ostendendo, intelligebat. Quod demonstratur ex libro de hæres. quem paulò ante obitum, & operum suorum ferè postremum, post absolutos Retractationum libros scripsit S. Augustinus, ut ipsemet testatur in epistola huic libro præfixa. In eo autem num. 88. clarè distinguit gratiam illustrationis à gratia inspirationis; & à Pelagianis primam admitti, secundam verò rejici, expressè affirmat: *Divinitus*, inquit, *dari nobis scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur* (en gratia illustrationis;) *charitatem autem dari negant, qua piè vivitur* (en gratia inspirationis) *ut scilicet cum sit Dei donum scientia, quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat.*

ARTICULUS III.

De quo gratiæ adjutorio controversia fuerit Catholicos inter & Pelagianos.

§. I.

Exponitur doctrina Jansenii circa præsentem controversiam.

EX sententia Pelagii tria distinguentis in homine, in ordine ad opera salutaria, possibilitatem scilicet, voluntatem seu actum volendi, & actionem, atque asserentis in operibus salutaribus solam possibilitatem adjuvari à Deo, non voluntatem, aut actionem, Jansenius lib. 5. de hæresi Pelagiana occasionem sumit comminiscendi adjutorium duplex, unum videlicet, quod vocat adjutorium possibilitatis, & alterum, quod vocat adjutorium voluntatis & actionis.

Per adjutorium autem possibilitatis intelligit illud

omne quod 1. complet voluntatem ad bene agendum: *Adjutorium*, inquit cap. 11. *possibilitatis, sicut nomen ipsum præsefert, non est aliud, quàm adjutorium, quo possibilitas, ut Pelagius loqui solet, hoc est, potentia adjuvatur & roboratur, ut vel omninò possit, vel facilius possit velle, vel agere. Datur enim ut sit quoddam supplementum potentiæ non satis instructæ in actu primo ad agendum.* 2. Et ita complet voluntatem ad agendum, ut in ejus sensu compositio voluntas retineat & habeat activam indifferentiam ad agendum vel non agendum, atque ita in ejus sensu compositio possit agere vel non agere pro arbitrio, sic ut voluntas possit actionis negationem componere cum tali adjutorio, quantumvis ad agendum complente. *Quidquid*, inquit Jansenius cap. 19. *ipsum posse voluntatis, seu posse velle, seu potestatem volendi, & consequenter agendi adjuvat, ita ut velle & agere nostrum sit, hoc est, quo ita velimus & agamus, ut nobis liberum & indifferens sit, non habere voluntatem & actionem, hoc ex mente Pelagii adjutorium possibilitatis dicitur, tametsi istud adjutorium simul ad volendum & agendum pro nutu hominis sese cum illo determinantis aliquid conferat.*

Per adjutorium verò voluntatis & actionis manifestè intelligit adjutorium, è diametro oppositum adjutorio possibilitatis, adeòque adjutorium nullam potentiæ relinquens activam indifferentiam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum pro arbitrio: vel, si vis, & fortasse ad mentem Jansenii adhuc exactiùs, adjutorium voluntatis & actionis est adjutorium repugnans potentiæ, activè indifferenti ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum indifferentia spoliatæ, adeòque non valentis ampliùs ad alteruttram partem contradictionis se ipsam pro arbitrio determinare, & sic indigentis adjutorio, ipsam ad volendum & agendum ita flectente, & applicante, ut re ipsa velit & agat: ita ut, quoties re ipsa vult & agit potentia, velit & agat, non quia sub adjutorio illo & dependenter ab illo se ipsa ad volendum & agendum determinat, sed quia ad volendum & agendum ab illo adjutorio sic flectitur & applicatur, ut non possit non esse volitio & actio in sensu compositio talis flexionis & applicationis. Quod sanè nihil aliud est, quàm potentiam, quoties vult & agit sub tali adjutorio, velle & agere, quia ad volendum & agendum, ab illo determinatur & necessitatur.

Hæreticum illud voluntatis & actionis adjutorium verbis, quantùm potest, exornat & involvit Jansenius: *Adjutorium voluntatis & actionis*, inquit c. 11. *est illud, quo ipsa voluntas, hoc est, volitio & actio ita juvantur seu promoventur, ut in actu secundo fiant. Nam Augustinus illud auxilium ita solet exprimere, ut dicat esse auxilium quo fit, ut velimus & agamus, non quasi tantùm eo fine adhiberetur, ut voluntas & actio consequantur, sed quia per illud fit, ut consequantur. Ita videlicèt ut ista particula (re ipsa) non significet finem tantùm, sed effectum. Nam etiam adjutorium possibilitatis eo fine adhibetur ut velimus & agamus, sicut & ipsa possibilitas eo fine homini data est.*

Itaque, si Jansenio credimus, Pelagianos inter & Catholicos, quorum partes sustinebat Augustinus, controversia erat, non de admittendo adjutorio gratiæ, quocum maneret libertas arbitrii in utramque partem, & activa voluntatis indifferentia, hoc enim libentissimè admittebant, & prædicabant Pelagiani; sed de admittendo adjutorio repugnante libertati arbitrii, & activæ indifferentiæ voluntatis, voluntatemque, seclusa omni propria illius determinatione, ad volendum & faciendum antecedenter & ineluctabiliter applicante, uno verbo, de admittendo adjutorio dominante & necessitante. Juxta Jansenium, prædicabat hoc adjutorium Augustinus, certus libertatem arbitrii in utramque partem, & activam voluntatis indifferentiam per Adami peccatum interiisse: respuebant verò Pelagiani, propter libertatem arbitrii in utramque partem, & activam voluntatis indifferentiam, quam mordicùs tuebantur.

Doctrinam hanc hæreticam ex professo tradit Jansenius cap. 17. ubi ait, *luce meridiana clarius patere nunquam inter* Pelagianos *& Augustinum de tali adjutorio fuisse contentionem, quòd ... ab humano penderet arbitrio, ut ad voluntatem actionemque actualiter concurreret, aut non concurreret*, hoc est, de adjutorio ex natura sua repudiabili, adeòque compossibili cum libertate arbitrii in utramque partem, & activa voluntatis indifferentia. Quod adjutorium ubique data opera, quantum potest, verbis extenuare, & in invidiam vocare nititur.

Sed contra Jansenium ad quæstionem propositam respondemus, Pelagianos inter & Catholicos controversiam non fuisse de adjutorio gratiæ necessitantis, sed de interno & immediato adjutorio ex parte voluntatis, nempe de gratia inspirationis voluntatem immediatè afficientis, eamque prævenientis, excitantis, corroborantis, & adjuvantis ad volendum & agendum, sicut ad salutem oportet, salva libertate arbitrii in utramque partem, & activa voluntatis indifferentia.

§. II.

Probatur Responsio nostra ex Conciliis in causa Pelagianorum celebratis.

Pro omnibus unum sit Concilium Milevitanum can. 4. ubi sic pronunciat: *Quisquis dixerit gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc nos tantùm adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Quibus verbis profectò damnat Synodus Pelagianorum errorem circa veram Christi gratiam.

Errabant igitur Pelagiani circa veram Christi gratiam, non asserendo ab ea relinqui in voluntate activam indifferentiam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum pro arbitrio; sed docendo eam non adjuvare nos ad non peccandum, nisi ostendendo nobis, quid appetere, quid vitare debeamus. Errabant circa veram Christi gratiam, non quia constituebant eam in adjutorio, cui voluntas pro arbitrio consentire vel non consentire possit; sed quia eam ponebant in solo adjutorio nobis ostendente, quid appetere, quid vitare debeamus.

At inquis. Synodus postulat à Pelagianis, ut confiteantur gratiam, per quam nobis præstatur, ut, quod faciendum esse cognoverimus, diligamus, atque valeamus facere. Atqui talis gratia non potest esse, nisi adjutorium voluntatis & actionis. Ergo Synodus postulat à Pelagianis, ut confiteantur adjutorium voluntatis & actionis. Ergo postulat ab illis, ut confiteantur adjutorium antecedenter & irresistibiliter flectens & applicans potentiam ad volendum & faciendum.

Resp. 1. Gratiam illam, per quam nobis præstatur, ut diligamus, atque valeamus facere, tam esse adjutorium possibilitatis, quàm voluntatis & actionis, ut manifestè significat hæc vox, *valeamus*. *Resp.* 2. neg. secundam conseq. Quasi verò omne adjutorium voluntatis & actionis sit adjutorium antecedenter & irresistibiliter flectens & applicans potentiam ad volendum & agendum. Quasi verò adjutorium, ex natura sua repudiabile, non possit esse adjutorium voluntatis & actionis. Quasi verò Deus, qui omniscius & omnipotens est, non possit per adjutorium, etiam ex natura sua cum negatione volitionis & actionis compossibile, adjuvare & promovere volitionem & actionem ita, ut re ipsa sint.

Itaque

Itaque gratia illa, cujus confessionem Synodus postulat à Pelagianis, & per quam nobis præstatur, ut diligamus atque valeamus facere, est gratia inspirationis, quæ in nobis præstat, ut diligamus facere, nos inclinando, delectando, gratam nobis mandatorum observationem exhibendo; præstat ut valeamus facere, nobis ad faciendum vires subministrando, & vires nobis subministrat, contra rebellantem concupiscentiam nos corroborando. Est autem adjutorium possibilitatis, quatenùs complet volendi & faciendi possibilitatem. Est adjutorium voluntatis & actionis, quatenùs adjuvat voluntatem & actionem; & adjuvat voluntatem & actionem, quatenùs potentia volens & agens, vult & agit dependenter ab ea, ut natura prius excitante, inclinante, delectante, & roborante per se ipsam immediatè, salva tamen libertate arbitrii in utramque partem, & activa indifferentia potentiæ: nam potentia volens & agens sub illa gratia, vult & agit ex propria determinatione, quamvis hæc determinatio non sit à sola potentia, sed à potentia & à gratia, tanquam à duabus causis, quarum una, nempe potentia, alteri, nempe gratiæ, subordinatur, & quarum proinde una, nempe potentia, causæ secundæ, altera verò, nempe gratia, causæ primæ rationem habet respectu determinationis.

§. III.

Probatur Responsio nostra authoritate sancti Augustini.

S. Doctor lib. de grat. Chr. cap. 10. loquens de Pelagio, sic ait: *Istam* (gratiam) *aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verùm etiam creditur, & speratur: nec solum revelatur sapientia, verùm etiam & amatur: nec suadetur solum omne quod bonum est, verùm & persuadetur.* Quibus verbis clarè exprimitur controversia Augustinum inter & Pelagium de adjutorio gratiæ, cujus confessionem Augustinus, & cum Augustino Catholici alii postulabant à Pelagio & Pelagianis.

Igitur Augustinum inter & Pelagium non agebatur de gratia, antecedenter ac irresistibiliter flectente & applicante potentiam ad volendum & agendum; non agebatur de gratia necessitante, sed de gratia, qua non solùm promitttitur futuræ gloriæ magnitudo, verùm etiam creditur & speratur; qua non solùm revelatur sapientia, &c. hoc est, de gratia, quæ non solùm proponit nobis promissiones divinas, verùm etiam vires nobis suppeditat ad credendum & sperandum ea, quæ nobis promisit Deus; qua non solùm sive exteriùs, sive etiam interiùs revelatur nobis sapientia, verùm etiam placet; qua non solùm suadetur nobis omne, quod bonum est, bonitatem ejus nobis clarè proponendo, verùm etiam persuadetur, amorem ejus nobis inspirando.

Igitur Augustinum inter & Pelagium agebatur de gratia, qua non solùm mens illuminatur, & voluntati bonum proponitur, sed etiam ipsa voluntas intimè & immediatè bono sibi proposito delectatur, atque ad illud amplectendum roboratur & adjuvatur, hoc est, de complexo ex interna gratia illustrationis, & interna gratia inspirationis. Primam gratiam tandem aliquando admittebat Pelagius; secundam verò pertinaciter respuebat; utramque eum confiteri volebat Augustinus, cui, utramque admittendo, planè satisfeciisset Pelagius.

Nota obiter, quòd omninò sufficit ad exsufflandum Jansenii systema de adjutorio possibilitatis, & adjutorio voluntatis & actionis. S. Augustinus non postulabat à Pelagio, ut repudiato possibilitatis adjutorio, tanquam nobis in præsenti statu supervacaneo, solum voluntatis & actionis adjutorium, ejusque necessitatem agnosceret; sed ut cum adjutorio possibilitatis confiterentur quoque necessitatem adjutorii voluntatis & actionis. *Si consenserit*, inquit Augustinus, *nobis, non solam possibilitatem in homine ... sed etiam ipsam voluntatem & actionem ... divinitus adjuvari, &c.* Pondera hæc verba: *Si consenserit nobis*; ex quibus manifestum est, Augustinum, & alios Catholicos cum Pelagio adjutorium possibilitatis admisisse, & ab illo dissensisse tantùm in eo, quòd etiam adjutorii voluntatis & actionis confiterentur necessitatem, quam ille renuebat agnoscere.

Ex his autem, supposita utriusque adjutorii notione, quam affert Jansenius, sic argumentor. Augustinus, & cum eo alii Catholici, in homine pro statu præsenti agnoscebant possibilitatem. Ergo in homine pro statu præsenti agnoscebant libertatem arbitrii in utramque partem, & activam voluntatis indifferentiam, positis ponendis, ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum in rebus ad salutem pertinentibus. Item Augustinus, & cum eo alii Catholici, agnoscebant in homine pro statu præsenti adjutorium possibilitatis. Ergo agnoscebant in homine pro statu præsenti adjutorium ex natura sua repudiabile, & cum negatione voluntatis & actionis compossibile, quocum proinde salva & integra manet libertas arbitrii in utramque partem, & activa potentiæ indifferentia. Ergo non admittebant in homine etiam pro statu præsenti adjutorium voluntatis & actionis, quale fingit Jansenius: nam tale adjutorium è diametro pugnat cum adjutorio possibilitatis, & repugnat statui, in quo homo libertatem habet arbitrii in utramque partem, & activam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum indifferentiam. Ergo vel nullum admittebant in homine etiam pro statu præsenti adjutorium voluntatis & actionis, quod est falsum; vel admittebant planè diversum ab eo, quod fingit Jansenius.

§. IV.

Confirmatur Responsio nostra.

1. S. Augustinus eod. lib. de gr. Chr. c. 33. ad hæc, quæ refert, verba Pelagii: *Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio*; sic ait: *Ecce iterùm quærimus, quo auxilio nos indigere fateatur, & iterum invenimus ambiguum.* Augustinum vides sollicitum de auxilio illo, quo fatetur Pelagius nos semper indigere ad bonum liberi arbitrii usum. At, obsecro, quamobrem sollicitus est? Num veretur, ne Pelagius non intelligat auxilium dominans, determinans, irresistibiliter flectens & applicans? Num veretur, ne Pelagius intelligat auxilium de se repudiabile, & compossibile cum activa indifferentia, & libertate arbitrii in utramque partem? Minimè verò: sed quia veretur, ne Pelagius verbis illis non aliam confiteri velit gratiam, quam legis & doctrinæ, modò scilicet forinsecùs propositæ, modò intrinsecùs opera Spiritus sancti revelatæ. *Potest*, inquit S. Doctor, *respondere, legem se dicere, doctrinamve Christianam, qua naturalis illa possibilitas adjuvatur. Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus: Non enim dedit nobis Spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis, & continentiæ.* Veretur Augustinus, ne Pelagius non fateatur internum & immediatum liberi arbitrii adjutorium, quod potissimùm consistit in supernaturali & indeliberato amore vel desiderio alicujus boni salutaris, quem amorem in nobis sine nobis liberè cooperantibus operatur Deus modo ineffabili, quo amore voluntas nostra excitatur, inclinatur, delectatur, & confortatur, minimè verò irresistibiliter flectitur ad bene volendum & agendum.

2. Concilia & Augustinus gratiam, cujus confessionem exigebant à Pelagio, nunquam opponunt interiori gratiæ adjutorio de se repudiabili, supponenti & relinquenti activam indifferentiam & arbitrii libertatem in utramque partem contradictionis, sed solùm legi & doctrinæ, sive extrinsecùs, sive intrinsecùs propositæ. Merum igitur figmentum est, quod dicit Jansenius, Pelagium à Catholicis reprehensum fuisse, quòd internam ex parte voluntatis gratiam de se repudiabilem, cum negatione volitionis & actionis compossibilem, & activæ indifferentiæ consentaneam, admitteret, & respueret dominantem, & irresistibiliter flecten-

flectentem atque applicantem ad actionem. Sed Pelagius à Catholicis solùm reprehensus fuit, quòd præter legem, doctrinam, exempla Christi, & internam mentis illustrationem, non confiteretur aliam gratiam, intimè & immediatè afficientem potentiam volendi, eamque intimè & immediatè adjuvantem ad liberè & ex propria determinatione volendum & agendum bonum salutare.

§. V.

Solvuntur objectiones aliquæ.

*Obj.*1. Pelagius admittebat adjutorium possibilitatis, & respuebat adjutorium voluntatis & actionis. Sed per adjutorium possibilitatis intelligebat adjutorium illud, quod ita complet potentiam ad posse, vel saltem ad faciliùs posse, ut eam relinquat in indifferentia volendi vel non volendi, agendi vel non agendi: per adjutorium verò voluntatis & actionis intelligebat illud, quod ita voluntati dominatur, ut spoliet eam indifferentia illa. Ergo Pelagium inter & Augustinum contentio fuit de adjutorio dominante, & omnem tam activam, quàm passivam voluntatis indifferentiam excludente, quod scilicet Augustinus admitti volebat, & admittere nolebat Pelagius.

R. neg. min. Nam, ut manifestum ex lib. de gr. Chr. c. 6. & 41. Pelagius per adjutorium, quo possibilitatem adjuvari dicebat, intelligebat gratiam legis & doctrinæ, sub qua comprehendebat exempla Christi, & internas illustrationes. Per adjutorium verò, quo insuper Catholici dicebant voluntatem & actionem immediatè adjuvari, cum ipsis Catholicis intelligebat interiorem inspirationis gratiam, qua facultas volendi immediatè excitatur, & inclinatur ad volendum bonum, & roboratur ad illud agendum. Hujus gratiæ necessitatem defendebant Catholici propter infirmitatem & ægritudinem ex peccato originali contractam, & propter quam negabant vires liberi arbitrii etiam cum habitibus supernaturalibus ad volendum & agendum, sicut oportet, bonum, quantumvis cognitum, sufficere, nisi ulteriùs intimè & immediatè adjuvaretur per actuale auxilium, ipsum excitans, inclinans, delectans, & contra renitentem concupiscentiam corroborans. Cujus auxilii necessitatem negabat Pelagius, negans peccatum originale, adeòque ex tali peccato contractam esse aliquam infirmitatem & ægritudinem in ordine ad bonum cognitum, sicut oportet, volendum & faciendum; existimans præterea arbitrium non fore liberum, si præter adjutorium ostendens nobis, quid appetere, quid vitare debeamus, indigeat etiam alio adjutorio, quo immediatè excitetur & confortetur; cùm tale adjutorium non sit in nostra potestate.

*Obj.*2. Adjutorium, de quo Augustinum inter & Pelagium erat controversia, est illud, quod operatur in nobis velle & perficere, ut dicitur Philip. c. 2. Sed adjutorium relinquens in voluntate indifferentiam activam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum, non operatur in nobis velle & perficere. Ergo, &c. *R.* neg. min. de adjutorio, quod ita relinquit indifferentiam activam in voluntate, ut eam immediatè ad volendum & agendum adjuvet, eam immediatè excitando, inclinando, & roborando: tale enim adjutorium, cùm reipsa volumus & perficimus, verè operatur in nobis velle & perficere, excitando, inclinando, vires subministrando, & his omnibus modis adjuvando ad volendum & perficiendum.

Dices 1. Si contingat voluntatem cum tali adjutorio velle & agere, velle & agere attribui debet soli voluntati, utpotè se ipsam determinanti ad volendum & agendum. Ergo tunc adjutorium illud non operabitur velle & agere, sed sola voluntas. *R.* neg. ant. Nam tunc voluntas non se determinat ad volendum & agendum, nec vult & agit, nisi dependenter ab illo adjutorio [, ut immediatè adjuvante, & natura priùs influente, excitando, inclinando & corroborando. Unde tunc determinatio voluntatis ad volendum & agendum, ipsumque velle & agere tam, imò magis attribui debet adjutorio, quàm voluntati.

Dices 2. Voluntas cum tali adjutorio volens & agens, sibi ipsa daret velle & agere, non verò ab illo adjutorio acciperet. Ergo velle & agere attribui deberet soli voluntati. *R.* neg. secundam partem ant. Itaque voluntas cum tali adjutorio volens & agens, sibi dat velle & agere, simulque velle & agere accipit ab illo adjutorio. Sibi dat velle & agere, quia vult & agit ex propria determinatione, sive, quod idem est, quia vult & agit sine antecedenti & irresistibili ad volendum & agendum applicatione. Sed simul illud velle & agere, quod sibi dat, ab adjutorio illo accipit, quatenùs ex propria determinatione vult & agit dependenter ab eo, ut immediatè excitante, inclinante, & vires subministrante, atque ita multis modis immediatè adjuvante ad volendum & agendum ex propria determinatione.

Dices 3. Duabus causis ad eundem effectum concurrentibus, effectus tribui debet soli causæ determinanti: nam v. g. habitus naturales concurrunt ad operationes voluntatis, & tamen operationes illæ non attribuuntur habitibus naturalibus, sed voluntati utenti, prout lubet, habitibus illis. Sed voluntas volens & agens cum adjutorio, relinquente activam indifferentiam, ejusque exercitium liberum & expeditum, erit causa determinans sui ipsius, & adjutorii illius, quocum volet & aget. Ergo tunc velle & agere soli voluntati attribuendum erit.

R. 1. neg. maj. Supposito enim, quòd duæ causæ ad unum & eundem effectum verè concurrant, effectus utrique causæ attribui debet; etiam dato, quòd una se ipsam & aliam determinet ad causandum effectum. Tam enim repugnat existentiam effectus non attribui causæ, danti esse effectui, quàm repugnat aliquid simul esse & non esse causam alicujus effectus, sive, quod idem est, quàm repugnat aliquid simul esse & non esse effectum alicujus causæ. Et verò, effectum verè attribui posse alicui causæ, quid aliud est, quàm verè dici, effectum accipere, aut accepisse esse à tali causa? quàm verè dici, talem causam dare, aut dedisse esse effectui? Hinc operationes naturales voluntatis non solùm voluntati, habitibus naturalibus utenti pro arbitrio, sed etiam ipsis habitibus naturalibus attribui possunt & debent. Similiter habitibus supernaturalibus attribui possunt & debent operationes supernaturales voluntatis; quamvis habitus illi voluntatem non prædeterminent, sive necessitent ad operandum, sed eis voluntas pro arbitrio utatur, vel non utatur. Et verò quis negabit in homine justo actum, quo Deum propter se diligit, etiam charitati habituali, ad eum cum voluntate cooperanti, attribui posse & debere?

Denique actualis gratia, data Angelis viatoribus, relinquebat illis expeditam arbitrii libertatem in utramque partem, & activam indifferentiam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum, adeòque non erat causa determinans; & tamen quis, nisi Pelagianus, negaverit bene velle & agere in Angelis viatoribus, non soli voluntati angelicæ, sed etiam actualis gratiæ adjutorio attribui potuisse & debuisse? Certè si bene velle & agere in Angelis viatoribus soli voluntati Angelicæ attribui potuit & debuit, Angeli viatores, bonum volentes & operantes, in se potuerunt, non in Domino debuerunt gloriari: quod nemo, nisi Pelagianus, dixerit.

Porrò si bene velle & agere in Angelis viatoribus sibi vindicabat gratia sanitatis, eis data; quamvis non esset causa determinans, nec voluntatem angelicam, fortem & robustam adjuvaret, nisi proponendo intellectui bonum faciendum, & malum vitandum, atque ita ad bene velle & agere non concurreret, nisi remotè & moraliter per modum suadentis: quantò magis gratia medicinalis, infirmam hominis lapsi voluntatem adjuvans non solùm mediatè & moraliter, mentem illuminando, sed etiam immediatè & physicè, ipsam intimè afficiendo, tangendo, excitando,

tando, inclinando, & roborando, bene velle & agere in homine lapso sibi vendicare potest; licèt non sit causa determinans?

R. 2. neg. min. Nam se ipsam quidem ad volendum & agendum voluntas determinat sub adjutorio, relinquente activam indifferentiam; alioqui, cùm non sit aliundè determinata, nec vellet, nec ageret: at non determinat ipsum adjutorium: adjutorium enim, etiam relinquens activam indifferentiam, non eget determinatione: nam est quidem repudiabile; alioqui non relinqueret indifferentiam, quam tamen supponitur relinquere: at non est indeterminatum & indifferens ex se, ut sit vel non sit actus salutaris, ad quem datur, ut credi vellet Jansenius; sed est ex se causa necessaria, & determinata ad unum nempe ad actus salutaris productionem; ita tamen ut sit frustrabilis à voluntate, quam non flectit & applicat irresistibiliter ad illam actus salutaris productionem, ad quam ex se determinata est.

Quando igitur voluntas vult & agit sub tali adjutorio, se ipsa determinat; nam nec vellet nec ageret cum tali adjutorio, nisi se ipsa ad volendum & agendum determinaret; at non determinat ipsum adjutorium, sed obsequitur ejus determinationi, seu vult & agit secundùm ejus determinationem, & insuper se ipsa determinat dependenter ab illo ipsam intimè & immediatè excitante, inclinante, & corroborante, adeòque in ipsam intimè & immediatè agente, ut se ipsa determinet. Quare, cùm adjutorium illud intimè & immediatè adjuvet determinationem voluntatis, si voluntati tribuitur volitio & actio, quia se ipsa ad volendum & agendum determinat, tam imò magis volitio & actio tribui possunt & debent adjutorio, quia veram & physicam exercet causalitatem in voluntatis determinationem, quæ non est à voluntate, nisi ut causa inferioris ordinis, & subalternata, & est ab adjutorio ut causa superioris ordinis & subalternante.

Obj. 3. S. Augustinus postulabat à Pelagio, ut confiteretur gratiam, qua non solùm promittitur magnitudo præmiorum, sed etiam creditur & speratur; qua non solùm revelatur sapientia, sed etiam amatur; qua non solùm suadetur omne, quod bonum est, sed etiam persuadetur. Ergo postulabat à Pelagio confessionem gratiæ flectentis & applicantis irresistibiliter voluntatem ad volendum & agendum. *R.* neg. cons. Nam Augustinus non postulabat à Pelagio confessionem gratiæ, qua necessariò creditur & speratur magnitudo præmiorum, qua necessariò amatur sapientia, qua omne, quod bonum est, necessariò persuadetur: sed ab eo postulabat tantùm confessionem gratiæ, qua præmiorum magnitudo creditur & speratur, qua, &c.

Dices. Sola gratia dominans, necessitans, & applicans irresistibiliter ad credendum & sperandum, dici potest gratia, qua creditur & speratur. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam gratia intimè & immediatè voluntatem tangens, excitans, inclinans, & roborans ad credendum & sperandum, rectè dicitur gratia, qua creditur & speratur; quamvis ad credendum & sperandum non necessitet, aut determinet voluntatem: sicut habitus fidei, hoc ipso quòd immediatè adjuvat intellectum ad credendum, rectè dicitur habitus quo creditur, quamvis ad credendum non determinet intellectum: sicut etiam habitus charitatis, licèt non determinet voluntatem ad amandum, rectè dicitur habitus quo amatur, hoc ipso quòd ad amandum adjuvat voluntatem.

Dices. Ex loco in objectione indicato, manifestum est S. Augustinum postulasse à Pelagio, ut confiteretur gratiam efficacem. *R.* Augustinum non postulasse à Pelagio, ut confiteretur gratiam ex natura sua efficacem cum expedito activæ indifferentiæ exercitio incompossibilem, & cui non possit voluntas consentire vel dissentire pro arbitrio, eò quòd sit antecedenter & irresistibiliter applicativa potentiæ ad volendum & agendum. Augustinus postulabat à Pelagio ut confiteretur gratiam efficacem, non verò ut confiteretur gratiam dominantem & necessitantem. Postulabat à Pelagio ut confiteretur gratiam efficacem, qualem ipse admittebat, adeòque ut confiteretur gratiam efficacem, quæ voluntati relinqueret facultatem consentiendi, vel non consentiendi pro arbitrio, juxta illud lib. de spiritu & littera, c. 34. *Misericordia ejus prævenit nos*, potissimùm scilicet per vocationem efficacem: *consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Augustinus postulabat à Pelagio, ut confiteretur non solùm congruam illustrationem, sed etiam congruam inspirationem, congruè excitantem, inclinantem, delectantem, & roborantem, adeque congruè adjuvantem potentiam, ut re ipsa velit, & agat.

Dices. S. Augustinus postulabat à Pelagio, ut confiteretur gratiam, quæ facit hominem de nolente volentem, quæ à nullo duro corde respuitur, quæ movet & trahit voluntatem ad consensum, eumque insuperabiliter obtinet. *R.* S. Augustinum postulasse à Pelagio, ut confiteretur gratiam inspirationis, qua sic congruè voluntas excitatur & inclinatur ad volendum, ut, cùm antea nollet, jam velit; sic tamen ut posset adhuc nolle in sensu compositio excitationis & inclinationis; quæ à nullo duro corde respuitur, non quia non potest respui, sed quia tam aptè voluntatem vocat, ut vocantem non respuat; quæ ita movet & trahit voluntatem ad consensum, ut ei expeditam dissentiendi facultatem relinquat. Quòd si aliquando S. Doctor dicit per illam inspirationis gratiam consensum voluntatis obtineri insuperabiliter, illud, insuperabiliter, non ab eo dicitur relatè ad voluntatem, sed relatè ad impedimenta, quibus voluntas, congruè vocata, non potest magis sperari, quàm Deus, qui voluntaris consensum prædefinivit, vinci potest, & quem vinci repugnat; cùm repugnet eum non habere in thesauris sapientiæ & omnipotentiæ suæ media etiam de se repudiabilia, & quidem non tot, quin plura, quibus in quibuslibet circumstantiis voluntatis consensum liberum expressurus sit, si ea velit adhibere.

§. VI.

Solvuntur objectiones reliquæ.

Ob. 4. Pelagiani S. Augustinum & alios Catholicos accusarunt Manichæismi, quia scilicet putabant eos fatum inducere. At certè hoc non putabant, nisi quia Augustinus & alii Catholici defendebant necessitatem gratiæ dominantis, determinantis, & irresistibiliter applicantis voluntatem ad volendum & agendum: non enim Pelagiani adeò stolidi erant, ut crederent induci fatum per gratiam, quæ frustrabilis esset, & in voluntate relinqueret activam ad volendum, vel non volendum, ad agendum vel non agendum indifferentiam.

R. Revera Pelagiani Augustinum & alios Catholicos accusarunt Manichæismi, ut Augustinus ipse expostulat lib. 2. ad Bonifacium c. 1. ubi sic de Pelagianis loquitur: *Faciunt duo mala, quibus & ipsi anathematizandi sunt; unum quòd Catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterum quòd etiam ipsi hæresim novi erroris inducunt.* Ad hanc autem calumniam Augustino & aliis Catholicis impingendam, Pelagiani non ea ratione, quam comminiscuntur adversarii, moti sunt; sed duabus aliis planè diversis, quas commemorat & refellit S. Augustinus.

Prima ratio est, quòd S. Augustinus & alii cùm eo Catholici, assererent homines propter Adami prævaricationem nasci infectos originali peccato: unde sequi ajebant Pelagiani, quòd humana natura, secundùm Augustinum, & alios Catholicos, à Deo creetur mala, & naturali peccato, quod non possit vitari, corrupta. Hoc testatur S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium c. 3. *Quin etiam*, inquit, *Romanos Clericos arguunt* Pelagiani, *scribentes eos jussionis terrore perculsos, non erubuisse prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem sententiam suam ... postea pronunciarent malam hominum esse naturam.* Hanc autem

tem Pelagianorum calumniam confutat S. Auguſtinus cap. 4. ejuſdem libri, ubi ait: *Malam quippe hominum eſſe naturam non dicit Catholica fides, in quantum homo à Creatore primitus inſtitutus eſt*, ut dicebant Manichæi; *neque nunc, quòd illa Deus creat, cùm homines ex hominibus facit, hoc eſt malum ejus, ſed quod ex illo vitio primi hominis trahit.*

Secunda ratio eſt, quòd Auguſtinus & cum eo alii Catholici dicerent, humanam voluntatem tantam ex originali culpa contraxiſſe infirmitatem, ut nihil omninò bene velit aut agat ſine interiore gratia, ipſam intimè & immediatè afficiente, ſanante, corroborante, qua intimè & immediatè prævenitur, excitatur, inclinatur, quomodo ei congruum eſt, ut bene velit aut agat; quàm gratiam ſic congruam Deus pro ſuo mero beneplacito, quibus vult, miſericorditer concedit, & quibus vult, juſto, quamvis occulto judicio denegat, quamque proindeque nullatenùs promereri poſſumus: ita ut ſemper indignis, vel ſaltem non dignis, & ſæpe invitis ac reluctantibus detur. Ex hac autem Auguſtini & aliorum Catholicorum doctrina malè cauſabantur Pelagiani conſequi, quòd omnia regerentur fato: cùm & nihil boni, quod ad æternam ſalutem conducat, fieri poſſit ſine interiore gratia, liberi arbitrii viribus ſupperadita; nec in noſtra poteſtate ſit, promereri gratiam illam voluntati noſtræ certo modo attemperatam, ſine qua nihil unquam bene volumus, aut agimus.

Audiamus S. Auguſtinum lib. 2. ad Bonif. c. 5. ubi ſic ait de Pelagianis: *Unde autem hoc eis viſum fuerit nobis objicere, quod factum aſſeramus ſub nomine gratiæ, cùm aliquantò attentiùs cogitarim, priùs eorum verba, quæ conſequuntur, inſpexi. Sic enim hoc nobis objiciendum putarunt: Sub nomine, inquiunt, gratiæ ita fatum aſſerunt, ut dicant quia niſi Deus invito & reluctanti homini inſpiraverit boni & ipſius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum poſſet arripere ..... Ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare, vel putari velle, fatum nos aſſerere ſub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dicimus dari, ſed ſecundùm ipſius miſericordiſſimam voluntatem, qui dixit: Miſerebor, cujus miſertus ero:* Deinde c. 6. contra calumniatores ſuos ſic invehitur: *Itane verò filii ſuperbiæ, inimici gratiæ Dei, ò novi hæretici Pelagiani, quiſquis dicit, Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non ſit gratia, ſi non gratis datur, ſe debita merentibus redditur, fatum vobis videtur aſſerere?* Et iterùm: *Ubi non eſt meritum ... eſſe dicitis fatum: & ob hoc in gratia Dei meritum hominis vultis intelligi, ne fatum cogamini confiteri.*

Teſte igitur S. Auguſtino, Pelagiani putabant, aut ſaltem putari volebant Catholicos in iis, quæ ad ſalutem pertinent, fatum inducere, non quòd Catholici dicerent, gratiam ad benè volendum & agendum neceſſariam, dominari potentiæ, eamque neceſſitare, ſeu antecedenter & irreſiſtibiliter flectere; ſed quia aſſerebant, in præſenti ſtatu voluntatem humanam nihil poſſe bene vel agere ſine gratia eam immediatè tangente, excitante, inclinante, ſanante & roborante, prorſuſque nihil benè velle & agere, in ordine ſcilicet ad ſalutem, quod ſemper ſuppleri debet, ſine tali gratia eam præveniente, & tangente quomodo ei congruit, ut benè velit & agat; & addebant gratiam hanc non ſecundùm merita noſtra dari, ſed ſecundùm miſericordiſſimam Dei voluntatem, qui, cujus vult, miſeretur, vocando ſcilicet illum, quomodo illi aptum eſt, ut vocantem ſequatur.

Obj. 5. Pelagiani reſpuebant gratiam, cujus confeſſionem ab illis exprimere volebat Auguſtinus, quia putabant cum ejus neceſſitate ſtare non poſſe libertatem arbitrii, quam conſtituebant in indifferentia activa, ſeu in facultate volendi vel non volendi, agendi vel non agendi pro arbitrio. Atqui Pelagiani nequidem ſomniare potuerunt, libertatem arbitrii, etiam qualem admittebant, ſtare non poſſe cum neceſſitate gratiæ repudiabilis, cui proinde poſſit voluntas, prout lubet, conſentire, vel diſſentire. Ergo reſpuebant gratiam, cujus confeſſionem ab illis exigebat Auguſtinus, quia Auguſtinus exigebat ab illis confeſſionem gratiæ ex natura ſua irrepudiabilis & irreſiſtibilis; adeòque Auguſtinum inter & Pelagianos contentio erat de gratia ex natura ſua irrepudiabili & irreſiſtibili.

R. Revera Pelagianos nequidem ſomniare potuiſſe, libertatem arbitrii, qualem admittebant, ſtare non poſſe cum neceſſitate gratiæ ex natura ſua repudiabilis, quæ ſemper adeſſet, aut ſemper eſſet in noſtra poteſtate, ut adeſſet: at credere potuiſſe, & credidiſſe, libertatem arbitrii, qualem admittebant, ſtare non poſſe cum neceſſitate gratiæ repudiabilis, quæ nec ſemper adeſſet, nec eſſet, cùm abeſt, in noſtra poteſtate, ut adeſſet. Per libertatem arbitrii intelligebant Pelagiani completam & integram facultatem agendi vel non agendi pro arbitrio; adeòque per libertatem arbitrii in rebus ad ſalutem pertinentibus, intelligebant completam & integram facultatem bonum ſalutare volendi & agendi pro arbitrio, qualem facultatem habere nos negabant, ſi ad ſingulos actus ſalutares indigeremus gratia, quæ nobis non adeſt ſemper, & à ſolo beneplacito divino dependet, ut nobis adſit. Nam, inquiebant, ſi non poſſumus bene velle & agere, potentia ſcilicet ad actum reducenda, ſive quod idem eſt, ſi nunquam bene volumus & agimus, ſine gratia, quam non ſemper habemus, & quam habere, non eſt in noſtra poteſtate, quia pendet à ſola voluntate Dei, qui eam dat quibus vult, & quibus vult denegat; bonum ſalutare velle & agere non eſt in noſtra poteſtate, nec habemus liberum arbitrium in rebus ad ſalutem pertinentibus; quia nec habemus, nec eſt in noſtra poteſtate, ut habeamus completam & integram facultatem volendi & agendi pro arbitrio bonum ſalutare.

Hanc fuiſſe Pelagianorum mentem, oſtenditur ex S. Hyeronimo, qui in epiſtola ad Cteſiphontem, ſic loquentem inducit Pelagianum: *Fruſtrà dedit arbitrii poteſtatem, quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adjuverit. Deſtruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, niſi fecero quod voluero; ac per hoc aut utor ſemel poteſtate, quæ mihi data eſt, ut liberum ſervetur arbitrium, aut ſi alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me deſtruitur.* Et in tertio dialogorum libro ſic adhuc Pelagianum loquentem inducit: *Quomodo ſervas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil poſſe facere, niſi Deus ſemper adjuverit?*

Pelagiani igitur per liberum arbitrium intelligebant completam & integram facultatem volendi & agendi ubi, quando, & quoties nobis ex propria determinatione libuerit; quacum facultate malè certè conveniret neceſſitas adjutorii, quod nec ſemper adeſſet, nec eſſet in noſtra poteſtate, ut adeſſet, eò quòd nullo bono merito, vel quaſi merito naturali poſſemus illud promereri. Hanc ob cauſam Pelagiani, cùm hominem in præſenti ſtatu completam & integram ad bonum ubi, quando, & quoties libuerit volendum & agendum habere facultatem contenderent, pertinaciter repudiabant neceſſitatem gratuiti adjutorii, ſine quo nihil omninò bene volumus & agimus.

Addi poteſt Pelagianos exiſtimaſſe, de ratione liberi arbitrii & ejus eſſentia eſſe, non ſolùm ut ſit potentia activè indifferens, & ſui ipſius determinativa, ſed etiam ut ſit independens ab omni auxilio, ipſum immediatè adjuvante ad ſui determinationem, adeòque Pelagianos rationem & eſſentiam liberi arbitrii conſtituiſſe in eo, quòd ſit potentia activè indifferens, & ſui ipſius determinativa independenter ab omni auxilio, eam ad ſui determinationem immediatè adjuvante. Hoc dicere videtur Pelagianus apud S. Hieronymum in epiſtola laudata, cùm ait: *Deſtruitur voluntas, quæ alterius ope indiget. Liberum non erit* arbitrium, *niſi fecero quod voluero*, ex propriis ſcilicet viribus, & abſque alterius adjutorio: *Si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me deſtruitur.* Hoc etiam videtur dicere Pelagius apud S. Auguſti-

num

num lib. de gestis Pelagii, cap. ult. ubi hæc ejus propositio refertur: *Quòd non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei.* Cùm enim simpliciter ait, *Si indigeat auxilio Dei*, non verò, *Si indigeat auxilio Dei* dominante, determinante, irresistibiliter flectente & applicante, manifestè videtur significare, rationi & essentiæ liberi arbitrii repugnare, quòd ad volendum & agendum immediato Dei adjutorio indigeat, qualecumque tandem sit, & quantumcumque etiam ex se repudiabile & frustrabile esse supponatur.

Ratio autem ita sentiendi Pelagianis hæc sanè fuit, quòd crederent de ratione & essentia liberi arbitrii esse, quòd plenum habeat dominium in actus suos, plenamque potestatem de illis disponendi: unde Pelagianus apud Hieronymum dicit: *Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget:* cùm enim sic loquitur, nomine voluntatis intelligit actum, planè suum potentiæ illum elicientis; quia potentia illum eliciens, illi planè dominatur, de illoque planè potest disponere, illum pro arbitrio producendo, vel non producendo, aut productum destruendo. Quia autem cum pleno illo dominio potentiæ in actus suos, plenaque potestate de illis disponendi, Pelagiani credebant conciliari non posse indigentiam adjutorii divini, præsertim gratuiti & indebiti, quod proinde Deus pro arbitrio suo dare potest, vel denegare, aut datum subtrahere, talis adjutorii, præsertim cùm ab illius assertoribus gratuitum & indebitum esse prædicaretur, necessitatem, ut liberi arbitrii eversivam, rejiciebant; quoniam, ea semel admissa, non nos actuum nostrorum domini essemus, sed ipse solus Deus dominus esset; nec de actibus nostris disponeremus, sed ipse solus Deus disponeret; nec denique actus nostri nobis, sed soli Deo attribuerentur; quandoquidem adjuvante Deo, illos poneremus; non adjuvante, non poneremus. Hoc dicit Pelagianus apud Hieronymum in epist. laudata: *Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera, ejus est omne, quod gesserò; ergo non ego, qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilio.*

Pelagianis respondebat S. Augustinus, 1. Liberum hominis arbitrium per Adami prævaricationem sauciatum fuisse, & ita sauciatum, ut jam non possit cum sola illustrationis gratia bonum velle & agere, sicut oportet ad salutem. 2. Et ita jam liberum hominis arbitrium bonum sicut oportet ad salutem velle & agere non posse, sine novo interiori gratiæ auxilio immediatè se tenente ex parte ipsius facultatis volendi. 3. Sicque nunc neminem unquam bene velle & agere sicut oportet ad salutem sine interioris gratiæ adjutorio, quo facultas volendi ad benè volendum & agendum immediatè adjuvetur, vel, ut loquitur S. Doctor, quo adjuventur voluntas seu volitio, & actio. 4. Catholicos per necessitatem hujus adjutorii, quo adjuvat Deus volitionem & actionem in eo omni, qui reipsa bene vult & agit sicut oportet ad salutem, nullatenùs officere libero arbitrio, sed potiùs illud statuere, cùm per tale adjutorium non tollatur, sed potiùs restituatur liberum arbitrium; quia per illud indifferentia activa non perimitur, sed completur & perficitur: nam bene volendi & agendi potestatem dat, non necessitatem imponit: non enim voluntatem antecedenter & irresistibiliter alligat ad unum, sed sanat & corroborat: sanat autem & corroborat voluntatem, illam delectando de bono, cujus est amor indeliberatus: denique illam sic delectat, ut re ipsa ex propria determinatione, & absque antecedenti ad unum alligatione, bonum velit & faciat, sicut ad salutem oportet.

Audiamus S. Augustinum lib. de spir. & litt. cap. 30. ubi sic loquitur: *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio, sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligatur.*

ARTICULUS IV.

Exponuntur Errores Semipelagianorum.

§. I.

ADmiserunt quædam initia justitiæ & salutis, quæ in nobis essent ex nobis, hoc est, quæ in nobis essent ex solis arbitrii nostri viribus, & nulla interiori gratia præventis, nempe fidem inchoatam, orationem, desiderium sanitatis & salutis, cum quibusdam conatibus assurgendi è cœno peccati, & actus virtutum exercendi. Per hæc justitiæ & salutis initia, ut asserebant, ex solius naturæ vigore credimus nos salvari, & sanari posse per Christum; credentes desideramus sanitatem & salutem illam per Christum adipiscendam; desiderantes ad illam admittimur; frustrà per solas naturæ vires admittentes, medicum animarum & salutis authorem Christum imploramus; credentes autem, desiderantes, admittentes, implorantes, primam gratiam utcumque promeremur, & infallibiliter obtinemus. Ex qua doctrina sequebatur, primam gratiam non dari gratis, sed utcumque debitam reddi bonis quibusdam actibus, ex solis viribus liberi arbitrii elicitis. Quare hi, quorum hìc doctrinam exponimus, Semipelagiani dicti sunt, utpotè ex parte consentientes Pelagianis; nam ab illis dissentiebant, & sese discernebant in eo, quòd fatebantur animæ curationem à peccato, à concupiscentia, & ab ignorantia expectandam esse à gratia, item bonorum operum seu virtutum non solùm profectum, sed etiam initium, atque mandatorum divinorum observantiam, quibus promeremur vitam æternam, à libero arbitrio, utpotè per originale peccatum sauciato & infirmato, esse non posse sine adjutorio interioris gratiæ voluntatem immediatè prævenientis, excitantis, & roborantis.

Probantur autem hæc omnia ex Fausto Semipelagiano, qui lib. 1. de lib. arb. c. 17. sic ait: *Ita se duo ista conjungunt, attrahentis virtus & obedientis affectus quomodo si æger aliquis assurgere conatur, & facultas animum non sequatur, & propterea sibi porrigi dextram deprecetur. Exclamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem* (ex solis arbitrii viribus,) *attrahit desiderantem* (ex solis arbitrii viribus, *erigit adnitentem*) (ex solis arbitrii viribus.)

Ex Epistola Hilarii ad Augustinum, ubi hæc de Massilienfibus referuntur: *Id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augumentum, & totius sanatis suæ consequantur effectum.* Et infrà: *Quod dicitur: Crede & salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri: ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendum ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate conditoris* (non gratia redemptoris) *concessum est; & nullam ita depravatam, vel extinctam putant*, ut non debeat, vel possit se velle sanari: *propter quod vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua ægritudine puniatur: nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat* (ad sanitatem scilicet & salutem per se consequendam) .... *Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.*

Ex

Ex S. Augustino, qui de Semipelagianis hæc scribit lib. de dono persev. cap. 23. *Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse à nobis; non dari nobis ut petamus, quæramus, pulsemus; & hoc esse dicunt, quòd gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.* Idem de iisdem loquens lib. de præd. Sanct. sic ait cap. 2. *Putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Dei esse fidei supplementum.* Dixerat cap. 1. *Pervenerunt isti fratres nostri ... ut credant cum Ecclesia Christi peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Ex his autem omnibus testimoniis, quæ allegamus, simul junctis, jam habentur ea omnia, quæ Semipelagianis hactenùs attribuimus.

Porrò ex occasione textus ultimi, obiter observo nonnullos esse qui Semipilegianos in duas classes dividunt, & dicunt, ex eis alios prævenientis gratiæ etiam ad bona opera incipienda necessitatem confessos esse, alios verò negasse. Sed hæc conjectura caret sufficienti fundamento, eique apertè contradicit S. Augustinus verbis proximè citatis, quibus de Semipelagianis, nullo inter illo facto discrimine, simpliciter affirmat, quòd fateantur, neminem sine adjutorio interioris gratiæ prevenientis, ullum opus bonum vel incipere, vel perficere posse. Quod iterùm testatur cap. sequenti. *Nemo*, inquit, *sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum: quod jam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt: unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est.*

Quare cùm Semipelagiani apud Prosperum in epistola ad S. Augustinum dicunt, *pari momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere;* item: *Ad obedientiam mandatorum Dei* homines *posse suam dirigere voluntatem, & bona appetere;* intelligendi sunt de nudo desiderio, & conatu exercendi bona opera, & obediendi mandatis divinis; aliudque nihil voluisse dicendi sunt, quàm nos ex solis viribus naturæ, & absque interiore gratia præveniente, habere posse utiliter ad salutem nudum desiderium, nudumque conatum exercendi bona opera, & obediendi mandatis Dei; magnum autem, quod probè norant Massilienses, discrimen est inter initium boni operis, & boni operis nudum desiderium, nudumve conatum: nam initium boni operis est ipsum bonum opus incœptum: est enim ipsius boni operis exercitium, quamvis imperfectum: sic initium fidei est actus fidei imperfectus. At nudum desiderium boni operis, non est ipsum bonum opus, quod desideratur: id enim quod desideratur, & actus, quo desideratur, duo sunt: sicut duo sunt, id, quod videtur, & actus, quo videtur. Item qui conatur exercere bonum opus, non hoc ipso bonum opus exercet: sicut æger qui conatur surgere & ambulare, non hoc ipso surgit & ambulat. Quod verbis suprà relatis Faustus significare voluit.

Ad comminiscenda initia illa justitiæ & salutis, quæ in nobis essent ex solo vigore liberi arbitrii, quibus positis infallibiliter interiorem gratiam ad incipienda & perficienda virtutum opera necessariam obtineremus, non positis verò, ea privaremur, inducti sunt Semipelagiani, quia putarunt, 1. Libertatem hominis per Adami prævaricationem penitùs extinctam esse in iis, quæ ad salutem pertinent, & ita in iis, quæ ad salutem pertinent, nihil ex arbitrii libertate superesse in præsenti statu, nisi supersit illi naturalis facultas credendi in medicum, desiderandi sanitatem & ad illam admitendi, quærendi denique medicum sine adjutorio interioris gratiæ, ipsam volendi facultatem immediatè prævenientis & adjuvantis. Patet ex Cassiano collat. 13. cap. 12. ubi sic ait: *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit unquam, nec possit bonum* (ex solis arbitrii viribus,) *alioquin nec liberum ei permisit arbitrium, si ei tantummodò malum ut velit & possit, bonum verò à semetipso nec velle, nec posse concessit.*

2. Exhortationes & correptiones fore inutiles, si per illas homo non potest excitari ad eliciendos aliquos actus salutares ex solis viribus naturæ, per quos actus interiorem gratiam ad salutem necessariam utcumque promereatur, & infallibiliter impetret. Patet ex Hilarii epistola ad S. Augustinum, ubi de Semipelagianis dicitur: *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare.*

3. Deum fore personarum acceptorem, si pro solo voluntatis suæ placito, quibus vellet, gratiam donaret, & quos vellet ab ea repelleret. Hoc sui erroris præsidium acceperant à Pelagianis, de quibus sic ait S. Augustinus in sua ad Sixtum epistola 105. *Personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quos dignatur, vocat.*

§. II.

Vehementer improbarunt Semipelagiani id, quod docebat S. Augustinus circa perseverantiam. Testatur hoc Hilarius in sua ad Augustinum epistola. *Molestè ferunt*, inquit, *ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, ajunt, ita Adam adjutus est, & ut stare posset in justitia, & à justitia declinare: & nunc ita Sancti juvantur, ut declinare non possint, siquidem acceperunt eam volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint; vel si quidam deseruntur, ut aut nec accedant, aut si accesserint, & recedant, ad illam* (Adami) *voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est, præter illos, qui sic concreati sunt his, qui cum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi.*

Docuerat itaque S. Augustinus magnum discrimen esse inter gratiam Adamo innocenti datam ad perseverandum in statu innocentiæ, & gratiam, quæ nunc electis datur ad perseverandum in statu gratiæ; Adamum innocentem accepisse donum perseverantiæ, sine quo quidem perseverare non posset, sed quocum non esset necessariò perseverans; unde cum tali perseverantiæ adjutorio perseverare, vel non perseverare poterat pro arbitrio; adeòque Deus libero Adami innocentis arbitrio permiserat ejus perseverantiam in statu innocentiæ: Electos verò in præsenti statu accipere donum perseverantiæ, non solùm sine quo perseverantes esse non possunt, sed etiam quocum non possunt non esse perseverantes: unde cum tali adjutorio perseverantiæ non possunt pro arbitrio esse vel non esse perseverantes; adeòque electorum perseverantiam in statu gratiæ libero eorum arbitrio Deus non relinquit, sed eam ipse certò & infallibiliter, vel etiam, si vis, ineluctabiliter & insuperabiliter procurat & operatur: Electorum denique nullum non perseverare, quia omnes accipiunt donum perseverantiæ, quocum, qui illud accipiunt, non possunt non perseverantes esse; cùm è contra non electorum nullus perseveret, quia nullus ex non electis accipit donum perseverantiæ, sine quo, qui illud non accipiunt, perseverantes esse non possunt.

Hanc Augustini doctrinam putabant Semipelagiani nul-

nullum exhortationibus, minis & correptionibus locum relinquere; electis volendi, non electis verò nolendi justitiam, fatalem necessitatem imponere; atque ita quandam assequendæ salutis desperationem exhibere hominibus. Quibus malis ut occurrerent, docuerunt, Deum, sicut Adamo in statu innocentiæ dederat adjutorium, quocum perseverare posset, & si vellet perseveraret in statu innocentiæ, ipsa perseverantia in ejus arbitrio relicta; ita nunc omnibus hominibus, qui ex solo vigore naturæ credunt, credentes sanitatem desiderant, sanitatem desiderantes ad medicum suspirant, petendo, quærendo, pulsando, hoc qualicumque merito gratiam retribuere, quacum perseverare possint, & si velint, perseverent in statu gratiæ, ipsam interim perseverantiam permittendo eorum libero arbitrio: ita ut nihil prædestinatis donetur, quod amittere vel retinere non possint propria voluntate, hoc est, quod non possint, prout voluerint, amittere vel retinere.

Patet ex Hilario in sua ad Augustinum epistola, hæc de Semipelagianis scribente: *Quod autem dicit sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantum liberum* (per se scilicet, & excluso omni adjutorio superaddito) *asserunt, ut velit vel nolit admittere medicinam ... Nolunt autem ita hanc perseverantiam prædicari, ut vel non suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis, quantum putant, ad obtinendum vel amittendum, evidens est, qualecumque sit, initium voluntatis ... Cæterum quidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate, contendunt.*

§. III.

In primis exhorrebant Semipelagiani gratuitam illam prædestinationem, qua ex pura misericordia Deus media cum assecutione salutis certò & infallibiliter connexa præparavit ab æterno certis hominibus, qui idcircò electi dicuntur, reliquis in perditionis massa relictis, qui idcircò vocantur non electi, seu reprobi. Pro qua Prædestinatione Augustinus acerrimè pugnarat contra Pelagianos. Semipelagianorum horrorem Prosper in sua ad Augustinum epistola exprimit his verbis: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis* (dicunt) *curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre.* Superiùs dixerat: *Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.*

Aversabantur itaque Semipelagiani ut traditioni Patrum, & Ecclesiæ sensui contrarium propositum illud, quo Sanctus Augustinus post Apostolum asserit, Deum ex pura misericordia, & ex solo voluntatis suæ beneplacito prædefiniviſſe perseverantiam finalem, & actus salutares omnes, etiam fidem ipsam eorum omnium, qui re ipsa salvantur, & vi hujus prædefinitionis illis præparasse media congrua, quibuscum in tempore credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem certissimè perseverant, cæteris interim justo, quamvis occulto, judicio in communi perditionis massa derelictis, non quidem per positivam à salute exclusionem ante absolutam prævisionem malæ mortis, sed per negationem electionis eorum ad gloriam, & præparationis beneficiorum, quibus liberarentur, & gloriam consequerentur.

Huic autem proposito substituerunt aliud, nempe decretum neminem admittendi in regnum cœleste, nisi per gratiam baptismi, omuesque ad hanc gratiam indifferenter vocandi per legem, sive naturalem, sive scriptam, sive evangelicam, ut qui ex viribus naturæ credere voluerint, merito credulitatis ad hanc gratiam perveniant; ea verò priventur demerito incredulitatis, qui credere noluerint; atque ita Deus bonitatem suam erga omnes homines ostendat, generaliter & indifferenter volendo omnes salvari, & ad agnitionem veritatis venire per media omnibus communia, & omnibus æquè proposita, quibus, qui rectè uterentur per vires naturales, omnibus ab authore naturæ concessas, credendo, & salutem desiderando, necessariam ad bonorum operum exercitium & perseverantiam, acciperent gratiam, atque bona opera exercentes, & in justitia perseverantes, tandem consequerentur gloriam, velut meredem bonorum operum, exercitorum ex viribus liberi arbitrii, & gratiæ, merito credulitatis, & aliorum quorumdam actuum naturalium retributæ.

Audiamus Prosperum, qui in sua ad Augustinum epistola, hæc de Massilienſibus narrat: *Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omninò definiunt, quòd Deus constituerit, nullum in regnum suum nisi per Sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prædicationem vocari, ut & qui voluerint, fiant filii Dei; & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint; quia justitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire ... Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*, atque, ut supponitur, eo gratiæ auxilio benè usi fuerint, & cum illo in statu justitiæ perseveraverint. Quod facere vel non facere possunt pro arbitrio: cùm quidlibet donatum fuerit etiam iis, qui salvantur, illud retinere vel amittere possint propria voluntate. Hanc porrò fuisse Semipelagianorum mentem manifestum est ex dictis superiùs.

§. IV.

Contendebant Semipelagiani Deum, quantùm est ex se, æqualiter & indifferenter velle salutem omnium hominum, adeòque æqualiter & indifferenter paratum esse ad dandum omnibus hominibus gratias ad consequendam vitam æternam necessarias, solùmque expectare, ut secundùm vires naturales, quas habent, credant, desiderent, conentur, orent; ita ut per ejusmodi actus quilibet promereatur, & infallibiliter arripiat gratiam, quam pro arbitrio retinere vel dimittere possit. Quod probatur ex Prospero, qui in sua ad Augustinum epistola scribit Semipelagianos docere, *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte* (hoc est, ex naturalibus liberi arbitrii viribus) *crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.*

Hanc autem suam de æquali & indifferenti salvandi omnes homines voluntate, æqualique & indifferenti præparatione gratiarum ad salutem necessariarum, quas unusquisque infallibiliter obtinere possit per naturales arbitrii vires, sententiam venditabant, ut aptissimam ad excitandum in hominum animis salutis & perfectionis evangelicæ desiderium, qua potissimùm ratione adducebantur, ut asserent non gratiam libero arbitrio, sed liberum arbitrium gratiæ in negotio salutis præire. Dicebant enim, teste Prospero, *ita demùm posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandavit, elegerit: ac sic cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam*

tiam esse, quàm gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat: & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.

Quo sensu docuerunt Semipelagiani Deum velle omnium hominum salutem, eodem profectò voluerunt Christum mortuum esse pro omnibus hominibus. Itaque, ut refert Prosper in sua epistola, dicebant, *pro universo humano genere mortuum esse Dominum nostrum Jesum Christum, & neminem prorsùs à redemptione sanguinis ejus exceptum*; eo sensu, quòd propter meritum passionis & mortis Christi, omnibus hominibus æqualiter & indifferenter expositus esset gratiarum thesaurus, ex quo, qui vellet, hauriret merito naturalis fidei, desiderii, & orationis, quantùm vellet; qui verò nollet, non hauriret: ita ut neque nolenti detur gratia, neque volenti denegetur. Unde sequebatur discretionem fidelis ab infideli, & justi ab impio non à Deo, vel à Christo, aut à gratia, sed à naturalis fidei, desiderii, & orationis merito repetendam esse. Quod etiam expresè asserebant Semipelagiani verbis suprà relatis ex epistola Prosperi.

Quando autem ab eis quærebatur, cur his potiùs temporibus & nationibus, quàm aliis, prædicaretur Evangelium; cùm ante prædicationem Evangelii, nullarum nationum merita extitissent; respondebant Deum voluisse, ut annunciaretur Evangelium his nationibus potiùs, quàm aliis, quia prævidebat has nationes, & non illas, esse credituras, si Evangelium eis annunciaretur; adeòque has nationes, & non illas Evangelium accepisse non ex mero voluntatis divinæ beneplacito, sed propter meritum naturalis fidei, sub conditione futuræ. *Cùm autem*, inquit Hilarius ad Augustinum, *dicitur eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annunciaretur, quando & ubi prænoscebatur esse credenda.*

Cùm verò premerentur exemplo parvulorum, quorum alii cum baptismo moriuntur, alii verò sine baptismo, quamvis omnes in æquali nascantur damnatione, nec perventuri fuerint ad eam ætatem, in qua alii ab aliis possent se discernere, & consequenter posset esse ratio his potiùs, quàm, illis impertiendi baptismi gratiam: respondebant Deum hos, non illos, baptizari voluisse, quia præviderat hos, non illos, si ad discretionis annos pervenirent, bono naturæ seu libero arbitrio benè usuros fuisse, credendo scilicet, desiderando sanitatem, ad medicum suspirando, & orando; atque ita hos parvulos ab illis discerni per actus bonos naturales ex solis arbitrii viribus futuros conditionatè.

Hoc testatur Prosper in sua ad Augustinum epistola. *Cumque*, inquit, *inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique, excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur; ut ante discretionem boni ac mali de usu vitæ hujus auferendi, alii per regenerationem in cœlestis regni assumantur hæredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales ajunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit.*

Semipelagiani igitur pro parvulis, quorum alii baptizari, alii non baptizati migrant ex hac vita ante adultam ætatem, recurrebant ad actus bonos naturales, conditionatè tantùm futuros, seu futuribiles tantùm, quibus ajebant Deum ad baptismum his potiùs, quàm illis, procurandum moveri: quo effugio nihil miserabilius excogitari poterat, & à talibus viris excogitatum miratur Augustinus lib. de præd. Sanctorum cap. 12. ubi sic ait: *Unde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, ut futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum.* Merita merè futuribilia vocat S. Doctor merita futura, quæ non sunt futura, & quidem jure merito, quia non sunt futura absolutè, adeòque non sunt futura eo modo, qui secundùm prudentem æstimationem requiritur ad hoc, ut in ordine ad puniendum vel remunerandum, illorum possit haberi ratio. Quod enim nunquam erit, quantumvis foret, si poneretur aliqua conditio, non potest in ordine ad laudem vel vituperium majoris esse æstimabilitatis, quàm merè possibile. Quod non videre non potuere Massilienses ipsi: sed quidlibet devorare maluerunt, quàm agnoscere inæqualem in Deo affectum circa salutem hominum, & gratuitam aliquam electorum à reprobis discretionem confiteri.

ARTICULUS V.

Utrùm Semipelagiani admiserint necessitatem gratiæ irresistibilis & infrustrabilis ex natura sua, ad bona opera tum incipienda tum perficienda, & ad perseverantiam finalem.

Responsio.

SEmipelagiani nunquam admiserunt necessitatem talis gratiæ, sed è contra talem gratiam exhorruerunt, & constantissimè rejecerunt.

Prob. Nam existimantes, quamvis falsò, Semipelagiani S. Augustinum hoc Adamum inter & posteros ejus posuisse discrimen, quòd Adamo in statu innocentiæ data esset ad perseverandum gratia, cui posset pro arbitrio consentire vel dissentire; electis verò in statu naturæ lapsæ detur ad perseverandum gratia, cui resistere non possunt: adeò ut Adamo in statu innocentiæ liberum fuerit perseverare vel non perseverare; at electi in statu naturæ lapsæ necessariò perseverent, ex intrinseca & antecedenti necessitate bonum faciendi, & malum vitandi; cæteris omnibus in perditionis massa ita derelictis, ut omni auxilio ad perseverandum idoneo destituantur: hoc omninò molestè tulerunt, & ita S. Augustini verbis commoti sunt, ut dicerent per ea hominibus desperationem exhiberi, & per ea omnem tolli utilitatem exhortationum & comminationum pro statu præsenti naturæ lapsæ, illasque utiles non fuisse nisi in statu innocentiæ, si in hoc tantùm statu, & non in præsenti, homo habuit idoneam ad bonum perseveranter volendum & operandum gratiam, cui consentire vel dissentire posset pro arbitrio, & quacum proinde posset pro arbitrio bonum velle vel non velle, operari vel non operari perseveranter. Patet ex Hilarii ad Augustinum verbis, suprà relatis art. 3. §. 2.

Confirm. Quia si Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ dominantis, & necessitantis ab bonum volendum & operandum perseveranter, admiserunt donum perseverantiæ, quod ab iis, quibus confertur amitti nullatenùs potest, & quocum, qui illud accipiunt, non possunt non perseverare. Atqui Semipelagiani exhorruerunt omne donum, quocum necessariò perseveratur, & auxilium quodlibet etiam electis datum ad perseverandum, quod propria voluntate amitti vel retineri non posset, ut testatur Hilarius in sua ad Augustinum epistola. *Nolunt*, inquit, *ita hanc perseverantiam prædicari, ut non ... amitti contumaciter possit .... Cæterùm quidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate concedunt.* Ergo, &c.

Obj. 1. Semipelagiani docuerunt, gratiam, Adamo datam in statu innocentiæ, in hoc diversam fuisse à gratia, quæ in præsenti statu datur ad bonum volendum & operandum, quòd voluntas cum illa posset pro arbitrio velle vel non velle, operari vel non operari bonum; hæc verò dominetur voluntati, eamque ad volendum & agendum necessitet. Neg. *Probabis*, ex Hilario, de illis ita ad Augustinum scribente: *Unde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum, integris*

vi-

viribus voluntatis, juvaret gratia volentem, hos autem, amissis & perditis viribus, credentes tantùm non solùm erigat prostratos, verùm etiam suffulciat ambulantes. Ex quibus verbis sic argumentaberis. Semipelagiani docuerunt gratiam utriusque status in hoc differre, quòd una, nempe gratia status naturæ innocentis, adjuvaret tantùm ad volendum; altera verò, nempe gratia status naturæ lapsæ, prostratum hominem erigat, & suffulciat ambulantem. Atqui gratia adjuvans tantùm, est gratia non dominans, nec necessitans; gratia verò prostratum erigens, & suffulciens ambulantem, non est nisi gratia dominans & necessitans. Ergo, &c.

R. neg. min. Quasi verò gratia non possit prostratum erigere, & ambulantem suffulcire, nisi dominando voluntati, eamque necessitando ad volendum & agendum. Quasi verò gratia, quæ prostrato & infirmo non solùm ostendit qua surgendum & ambulandum est, verùm etiam ad surgendum & ambulandum vires necessarias subministrat, non possit rectè & propriè dici prostratum erigere, & ambulantem suffulcire; quamvis non ita dominetur voluntati hominis prostrati & infirmi, ut eum necessitet ad surgendum & ambulandum, hoc est, ut eum irresistibiliter flectat ad bonum, sicut oportet, volendum & operandum.

Itaque verba Hilarii significant, Semipelagianos discrimen gratiæ, quæ data est homini innocenti, à gratia, quæ datur homini lapso, constituisse in eo, quòd gratia homini innocenti data, eum sive ad incipienda, sive ad perficienda bona opera adjuvaret tantùm, ostendendo scilicet quid esset agendum: gratia verò, quæ homini lapso datur, ad bona virtutum opera etiam incipienda non solùm adjuvet, ostendendo quid faciendum sit, sed etiam prostratum erigat, suffulciat ambulantem, vires subministrando, sine quibus in hoc ægritudinis statu nec perficere, imò nec incipere possumus virtutum opera.

Talis autem discriminis hanc reddebant rationem, quòd voluntas Adami in statu innocentiæ integris esset viribus, adeòque non indigeret actuali auxilio, ipsam intimè & immediatè afficiente & corroborante: voluntas verò nostra per peccatum Adami ita sit fauciata atque debilitata, ut nequidem incipere possit opera virtutum sine actuali adjutorio interioris gratiæ, ipsam intimè & immediatè prævenientis, excitantis, inclinantis, delectantis, & delectando corroborantis contra importunos rebellantis concupiscentiæ motus.

Totum autem hoc discrimen gratiæ utriusque status catholicè asserebatur à Massilienſibus, nec in hoc erant Semipelagiani, sed in eo, quòd vellent erigentem & suffulcientem gratiam, in statu naturæ lapsæ, ad virtutum opera tum perficienda, tum etiam incipienda necessariam, retribui merito fidei elicitæ ex solis viribus naturæ sine adjutorio gratiæ interioris; nollentque liberum hominis arbitrium per Adami prævaricationem esse adeò depravatum, ut non posset se solo, & absque interiore gratia præveniente, ipsum immediatè adjuvante, velle, credere, sanitatem desiderare, ad medicum suspirare, petere, quærere, pulsare, & quærendo, petendo, pulsando, promereri interiorem gratiam inspirationis, quæ prostratum erigeret tangendo & excitando, atque ambulantem suffulciret roborando, & immediatè adjuvando ad sanitatem assequendam, virtutumque opera incipienda & perficienda.

Obj. 2. Semipelagiani, teste S. Augustino fatebantur omnia virtutum opera esse dona Dei. Atqui virtutum opera non sunt dona Dei, nisi fiant ex gratia dominante voluntati, eamque necessitante ad volendum & operandum bonum. Ergo, &c. *R.* neg. min. Quasi verò opera virtutum non sint sufficienter dona Dei, hoc ipso quòd non fiunt à voluntate, nisi Deus eam sua interiore gratia præveniat, excitet, inclinet, roboret, & immediatè adjuvet ad illa exercenda? Ex eo igitur quòd Semipelagiani confessi sunt omnia virtutum opera esse Dei dona, malè & pessimè infertur eos interioris gratiæ dominantis & necessitantis agnovisse necessitatem. Sed ex occasione data,

Nota obiter. Actus salutaris, qui sit à voluntate, præventa à gratia, est donum Dei, & à fortiori, ipsa quoque gratia, à qua prævenitur voluntas, est donum Dei, sed magno cum discrimine: gratia enim, qua voluntas prævenitur, est Dei donum tantùm, seu, quod idem est, est purum Dei donum. At actus salutaris, qui fit à voluntate, præventa à gratia, non est Dei donum tantùm; nam sic est donum Dei, ut sit etiam nostrum meritum. Ratio autem hujus discriminis alia esse non potest, quàm quia Deus donat gratiam voluntati, ipsam voluntatem antecedenter & irresistibiliter flectendo & applicando ad productionem motus indeliberati amoris, vel desiderii, in quo gratia consistit: at donat actum salutarem voluntati, non ipsam prædeterminando & necessitando ad productionem actus salutaris, sed per indeliberatum illum amoris vel desiderii motum, ad quem eam prædeterminat & necessitat ex absoluta & efficaci actus salutaris obtinendi intentione, tangendo & movendo illam, quomodo ei aptum est, ut actum salutarem velit producere, & producat ex propria determinatione: unde fit, ut actus salutaris sit suus Dei, ut gratuitò efficientis illum per voluntatem à se tactam & motam, quomodo novit illi congruere, ut ex propria determinatione velit & operetur tale bonum, & suus voluntatis, non solùm physicè, ut suus est indeliberatus gratiæ motus, sed etiam moraliter, & in ordine ad imputabilitatem, quia voluntas sub congrua Dei motione totam suam servat activam indifferentiam, seque ipsa ad actus productionem determinat; quanquam non ex suis solis, sed ex suis & motionis divinæ viribus simul & indivisibiliter se ipsa determinet. Hinc actus salutaris, quem producit voluntas, sic est Dei donum, ut sit etiam proprium voluntatis meritum.

ARTICULUS VI.

Utrùm Semipelagiani admiserint necessitatem interioris gratiæ prævenientis, ad fidem inchoatam, & ad orationem.

Responsio.

Non admiserunt, sed è contra docuerunt naturales liberi arbitrii vires sufficere ad fidem initialem, sanitatis desiderium, & orationem.

Prob. S. Augustinus circa fidem inchoatam in eo errore aliquando fuit, in quo postea fuere Semipelagiani; quia videlicet eodem sensu, quo illi postea putarunt, ipse putabat fidem inchoatam non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis. Atqui S. Augustinus putabat fidem inchoatam non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, quia putabat nos credere sine adjutorio interioris gratiæ voluntatem prævenientis, & ad credendum nos alia non indigere gratia, quàm externa gratia prædicationis Evangelii, qua concessa, possemus ex solis arbitrii & naturæ viribus credere, credentes orare, & orando impetrare interiorem gratiam prævenientem, & ad temperanter, justè, pieque vivendum in hoc sæculo necessariam. Ergo Semipelagiani postea similiter errantes circa fidem initialem, putabant eam non donari à Deo, sed à nobis esse in nobis, quia putabant nos credere sine adjutorio interioris gratiæ, neque nos ad credendum indigere, nisi externa gratia prædicationis Evangelii, qua præsupposita, possemus ex solis arbitrii & naturæ viribus credere, credentes, &c. adeòque manifestè falsum est, Semipelagianos interioris gratiæ etiam repudiabilis & frustrabilis ex natura sua ad fidem imperfectam & alia justitiæ & salutis initia, necessitatem admisisse. Conseq. patet.

Prob. 1. *Major* ex ipso S. Augustino, qui lib. de præd. Sanct. c. 3. relatis his Apostoli verbis: *Quid habes, quod non accepisti?* sic prosequitur: *Quo præcipuè testimonio etiam convictus sum, cum similiter errarem,*

rem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & justè & piè vivamus in hoc sæculo. Aliquando igitur S. Augustinus circa initium fidei erraverat eodem modo, quo Semipelagiani errabant postea, & eodem modo erraverat, quo postea errabant illi; quia sicut illi putabant postea, ita & ipse putaverat, fidem initialem non donari à Deo, sed à nobis esse in nobis, & eodemsensu putaverat; alioquin non similiter errasset.

Prob. 2. min. ex eodem loco S. Doctoris, ubi exponens quo sensu putaverit fidem non donari à Deo, sed à nobis esse in nobis, sic loquitur: *Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & in nobis ex nobis esse arbitrabar.* Itaque cùm erraret S. Augustinus circa fidem, putans eam non esse donum Dei, sed in nobis esse ex nobis, putabat non esse donum Dei, sed in nobis ex nobis esse; quia putabat ad eam, præter naturales liberi arbitrii vires, nihil aliud prærequiri, quàm externam veritatis Evangelicæ propositionem, adeòque eam nullatenùs pendere ab interiore gratia præveniente, hoc est, ab interiore gratia, voluntatem excitante, inclinante & corroborante, saltem natura priùs, quàm Evangelicæ veritati nobis propositæ consentiamus, aut etiam consentire possimus.

Confirm. Resp. Semipelagiani negabant fidem præveniri gratia; nam simili modo circa fidem antea erraverat Augustinus, quia fidem gratia præveniri negaverat. Unde Semipelagiani consequenter errando, docebant initium salutis esse, non ex Deo, qui salvat, sed ex hominibus, qui salvantur; cùm non gratia libero arbitrio, sed liberum arbitrium gratiæ præiret, credendo scilicet & orando; atque ita non gratia liberum arbitrium sibi subjiceret, ipsum præveniendo & præparando etiam ad primos actus salutares, sed è contra liberum arbitrium merito credulitatis & orationis sibi accerseret auxilium gratiæ ad exercenda virtutum opera: *Cum in his*, inquit Prosper in sua ad Augustinum epistola, *qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse, quàm gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat: & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Ergo falsum est, quòd Semipelagiani interioris gratiæ ad credendum necessitatem agnoverint.

Dices. Semipelagiani tantùm negarunt fidem præveniri gratia dominante, & necessitante ad credendum. *Resp.* hoc esse falsum; nam simpliciter negarunt fidem præveniri gratia, interiore scilicet, adeòque censendi sunt negasse fidem præveniri interiore gratia, sive dominans sit & necessitans, sive non, sed repudiabilis sit & frustrabilis ex natura sua. *Prob. tamen propositio negata.* Semipelagiani tantùm negarunt fidem præveniri ea interiore gratia, quæ humanam sibi subjicit voluntatem. Gratia autem quæ humanam sibi subjicit voluntatem, alia esse non potest, quàm gratia dominans & necessitans, seu irresistibiliter flectens & applicans ad volendum. Ergo, &c.

R. neg. min. Nam gratia, quantumvis repudiabilis & frustrabilis ex natura sua, sed congrua, verè subjicit sibi voluntatem humanam. *Nota.* Hoc ipso gratia rectè dicitur sibi voluntatem humanam subjicere, quam ita prævenit, ut ab ea consensum exprimat. Potest autem gratia duplici modo à voluntate consensum exprimere, nimirùm vel ita movendo voluntatem ad volendum, ut non possit non velle in sensu composito motionis, quæ proinde talis est, ut aut tollat, aut saltem liget activam voluntatis indifferentiam: vel è contra ita movendo voluntatem ad volendum, ut voluntas possit non velle etiam in sensu composito motionis, quæ proinde talis est, ut intactam & expeditam relinquat activam indifferentiam voluntatis. Primo modo consensum à voluntate exprimit gratia dominans, & ex natura sua irresistibilis atque infrustrabilis; secundo verò modo gratia, ex natura sua repudiabilis & frustrabilis, seu congrua. Utraque itaque gratia humanam voluntatem sibi subjicit, sed diversimodè; una scilicet tollendo, aut saltem ligando, altera verò integram & expeditam relinquendo arbitrii libertatem, & activam voluntatis indifferentiam.

Semipelagiani igitur simpliciter negantes fidem præveniri gratia, quæ humanam sibi subjiceret voluntatem, repudiabilis æquè ac irrepudiabilis gratiæ prævenientis ad credendum necessitatem rejecerunt, voluerunt que, suppositâ veritatum Evangelicarum prædicatione, superstites ex primi hominis ruina liberi arbitrii vires ad credendum sufficere. Quod aliunde tam evidens est ex testimoniis Hilarii, Prosperi, & S. Augustini suprà relatis art. 4. §. 1. ut jure mirari possimus Jansenium, quòd veritus non sit contrarium scribere.

Dices tamen adhuc. Quomodo gratia repudiabilis, etiam congrua, dici potest humanam sibi subjicere voluntatem? cùm ipsa è contra, hoc ipso quòd repudiabilis est, subjecta sit humanæ voluntati? *Resp.* ad hunc modum loquendi, ad conflandam dogmati Catholico invidiam à Jansenio inventum, si per to gratiam humanæ voluntatis subjectam esse, nihil aliud intelligis, quàm gratiam talem esse, ut voluntas sub illa retineat integram & expeditam vim se ipsam determinandi ad utrumlibet, atque ita voluntas sub illa possit pro arbitrio velle, vel non velle; operari, vel non operari bonum, ad quod inclinatur ab illa; breviter, si per to gratiam subjectam esse voluntati humanæ, nihil aliud vis, quàm gratiam esse talem, ut voluntas ejus motioni obtemperare, vel refragari; consentire, vel dissentire possit pro arbitrio; non difficor gratiam repudiabilem, etiam congruam, hoc sensu improprio subjectam esse voluntati humanæ; sed addo, gratiam repudiabilem congruam, sic humanæ voluntati impropriè subjectam, ipsam voluntatem humanam sibi verè & propriè subjicere, eam movendo, quomodo aptum est, ut ab ea, quantumvis activè ad utrumlibet indifferente, re ipsa consensum exprimat.

Addam adhuc, gratiam congruam ex eo quòd sit ex se repudiabilis, seu compossibilis cum negatione consensus ad quem movet, malè & perperam dici subjectam voluntati humanæ. Ratio est, quia gratia congrua se habet ad voluntatem humanam, ut movens ad motum, & consequenter ut causa superior & principalis ad inferiorem & instrumentalem. At non movens moto, sed motum moventi, nec causa superior & principalis inferiori & instrumentali, sed inferior & instrumentalis superiori & principali subjicitur. Ex eo igitur quòd gratia congrua ex se repudiabilis est, & frustrabilis, non voluntati humanæ subjecta, sed humanæ voluntatis exigentiæ accommodata dici debet.

Quod autem hìc dico de gratia congrua in specie, intelligi quoque debet de gratia repudiabili in genere, præscindendo ab ejus congruitate, vel incongruitate: nam ex eo quòd non dominatur voluntati, nec eam antecedenter & irresistibiliter obligat ad alteram partem contradictionis, tam frigidè & frivolè dicitur voluntati subjecta, quàm frigidè & frivolè voluntati subjecta diceretur recta ratio, ex eo quòd voluntas possit pro arbitrio facere, vel non facere id, quod faciendum esse recta ratio dictat, atque ita voluntas possit pro arbitrio obtemperare, vel refragari dictamini rectæ rationis. Itaque sicut, quantumvis voluntas possit rectæ rationis ductum sequi, vel non sequi pro arbitrio, non recta ratio voluntati, sed voluntas rectæ rationi subjecta est; ita, quantumvis voluntas gratiæ repudiabilis motioni obsequi, vel non obsequi pro arbitrio possit, non gratia repudiabili voluntati, sed voluntas gratiæ repu-

repudiabili subjecta est: quia sicut non regula regulato seu regulando, sed regulatum seu regulandum subest regulæ; ita non causa movens motæ, sed mota moventi subest.

Dices denique. Gratis & absque fundamento dicerentur Semipelagiani negasse fidem præveniri gratia repudiabili: nulla enim illis esse potuit causa id negandi: cùm omnibus manifestum sit, gratiam repudiabilem libertati indifferentiæ non adversari. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. & ejus prob. & dico, Semipelagianos non unam, sed plures in suis principiis habuisse causas negandi fidem præveniri interiore gratia, etiam repudiabili. Nam si fides prævenitur gratia etiam repudiabili, hoc est, si non possumus, potentia scilicet ad actum reducenda, seu, quod idem est, si nunquam credimus sine adjutorio gratiæ etiam repudiabilis, qua Deus movet nos, quomodo nobis aptum est, ut credamus, 1. non est in potestate hominis gratiam illam, sine qua bonum nec volumus nec operamur perseveranter, arripere; cùm non sit in potestate hominis habere gratiam illam repudiabilem, sine qua non creditur, atque ita non sit in potestate hominis habere credulitatem, cujus merito arripiat gratiam illam, &c.

2. Cùm Deus non omnibus, sed aliquibus tantùm det gratiam repudiabilem, quacum creditur, & sine qua non creditur, dando hanc gratiam his, & non aliis, erit acceptor personarum.

3. Deus convincitur non velle æqualiter & indifferenter salutem omnium hominum.

4. Qui credit, non se discernit ab eo, qui non credit; sed antequam crederet, discretus fuit à Deo, accipiendo gratiam repudiabilem, qua ad credendum vocatus est, quomodo ei congruebat, ut crederet.

5. Initium salutis non est ab homine, sed à Deo, qui, quos vult vocat, & quos non vult, non vocat interiùs, quomodo illis congruit, ut credant, & merito credulitatis arripiant gratiam illam, sine qua non volumus & operamur bonum perseveranter: quod quandam hominibus exhibet salutis desperationem.

6. Tollitur utilitas exhortationum & comminationum: nam sive fiant exhortationes & comminationes, sive non, quo Deus per gratiam suam repudiabilem vocaturus est, quomodo eis congruit, ut credant, certissimè credent; quos verò non sic vocaturus est, certissimè non credent.

7. Nihil in homine lapso supererit ex primæva illa libertate, quacum homo in statu innocentiæ bonum sibi per illustrationem propositum velle & operari poterat absque immediato voluntatis adjutorio: unde fiet, ut homo lapsus nequidem initia justitiæ & salutis habeat in sua potestate, quia nequidem ad hæc initia sufficiet arbitrii libertas, qualis nunc est, & aliundè internum gratiæ repudiabilis auxilium, sine quo in præsenti statu non ponuntur, non est in potestate hominis. Ex his vides quot capitibus Semipelagianorum doctrinæ repugnat interioris gratiæ etiam repudiabilis necessitas ad credendum, adeoque illam rejiciendi non defuisse causas Semipelagianis.

Obj. 1. Cassianum, unum è Semipelagianorum ducibus. Hìc autem, collatione 3. c. 4. sic loquitur: *Ex Deo quidem est* (vocatio) *quoties inspiratio quædam, immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis excitat, Deumque sequi, & ejus inhærere præceptis, compunctione saluberrima cohortatur*. Et collat. 13. c. 3. *Quibus manifestè colligitur, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi*. Agnovit igitur Cassianus interioris gratiæ prævenientis fidem, aliaque justitiæ & salutis initia, quæ libero arbitrio attribuebant Semipelagiani.

R. hoc negando. Nam in primo loco Cassianus dicit tantùm, interiorem gratiam inspirationis in nobis nonnunquam prævenire & excitare desiderium salutis; non verò dicit, quòd fides & desiderium salutis non possint esse, nisi præveniantur interiore gratia inspirationis. Præterea, quòd non semper præveniantur, expressè docet collat. 13. c. 11. his verbis: *Si gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæis fide, quid de illius in cruce Latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quandam regnis cælestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt*? Ecce apertè ait in Zachæo & Latrone fidem, pia desideria, piosque conatus, ex solis arbitrii viribus profecta, præviisse interiori gratiæ inspirationis, eamque promerita esse.

Secundus locus sensum planè catholicum continet, si secundùm obviam verborum significationem accipiatur. Dico, si secundùm obviam, &c. Nam in hoc loco Cassianus aliquas voces procul dubio subintelligit, & sensus ejus hic est: *Manifestè colligitur non solum actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse* quandoque *principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis* identidem *inspirat, &c.* Possent fortasse his vocibus, quandoque, identidem, substitui istæ, sæpè, ut plurimùm. Quòd autem nolit, nobis semper à Deo initia sanctæ voluntatis inspirari, & semper ex interiore Dei gratia cogitationum & actuum salutarium principium esse, patet ex pluribus subsequentibus capitibus ejusdem collationis 13.

Cap. 8. sic loquitur: *Cùm in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse*. Et cap. 9. *Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Et cap. 11. sub finem: *Cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat*. Et cap. 13. *Ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet, ne penitùs dormienti, aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videatur*. Quare jure merito S. Prosper in libro contra Cassianum edito, qui inscribitur, Liber adversùs Collatorem, Cassiano suam in doctrina inconstantiam exprobrat: *Doctor catholicæ*, inquit, *cur professionem tuam deseris? Cur ad famosam falsitatis caliginem, relicta sereniissima veritatis luce, devolveris? Quod in quærentibus, petentibus, pulsantibus miraris, cur non eidem gratiæ, quæ desideratur, adscribis*, constanter scilicet, sed è contrà modò gratiæ, modò soli naturæ, seu libero arbitrio adscribis? atque ita in rebus ad salutem pertinentibus modò gratiam libero arbitrio, modò liberum arbitrium gratiæ præire dicis?

Obj. 2. Gennadium in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, cap. 19. ubi interioris gratiæ repudiabilis prævenientis necessitatem ad initium salutis profitetur his verbis: *Manet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione .... Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante, habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus, divini est muneris: ut non labamur in adepto salutis* (id est, justificationis) *munere, sollicitudinis nostræ est, & cælestis pariter adjutorii: ut labamur* (& justificationis gratia excidamus) *potestatis nostræ est, & ignaviæ*. Atqui hoc loco Gennadius exponit sententiam Semipelagianorum; cùm ipse Semipelagianus fuerit, ut colligitur ex ejus de viris illustribus libro, in quo Cassianum & Faustum Regiensem Semipelagia-

nos laudibus extollit, & deprimit Prosperum Catholicæ de gratia doctrinæ defensorem. Ergo Semipelagiani confessi sunt, internæ inspirationis prævenientis necessitatem ad salutis initia, adeòque ad fidem, salutis desiderium, &c.

R. verbis Gennadii citatis, non Semipelagianorum, sed Catholicum dogma de gratia contineri. In illis enim dicit Gennadius, 1. Omnes omninò actus salutares, quibus ad justificationem disponimur, præveniri gratia inspirationis: *Initium salutis nostræ, Deo miserante, habemus.* 2. Nos prævenienti inspirationi consentire vel dissentire posse pro arbitrio: *Ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* 3. Cùm à Deo justificamur, nos gratis justificari: *Ut adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus, divini est muneris.* 4. Nostram in statu justitiæ perseverantiam pendere ab interioris gratiæ adjutorio, & à libera cooperatione nostra: *Ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adjutorii.* 5. Cùm gratiam justificantem per mortalem aliquam culpam amittimus, hoc non Deo, qui neminem deserit, nisi priùs ab eo deseratur, sed ignaviæ nostræ, & libertatis nostræ abusui tribuendum esse: *Ut labamur, potestatis nostræ est, & ignaviæ.* Hæc autem placita qui Semipelagiana esse dixerit, non se Catholicum, sed Calvinistam probabit.

Præterea, ex eo, quòd Gennadius in suo de viris illustribus libro propensiorem erga Semipelagianos animum ostenderit, perperàm colligitur, quòd illis consenserit in omnibus: vel si revera Semipelagianorum errores aliquando secutus est, certè dicendus est resipuisse, antequam scriberet librum suum de Ecclesiasticis Dogmatibus, aut denique hic liber, qui extat inter opera S. Augustini, non est Gennadii, sed alterius Authoris, Sanè hunc librum ab homine docto, Catholico, & à Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus alieno exaratum esse, vel ex prima ejus lectione manifestum est.

Dices. Semipelagianum se ostendit, qui laborem & sollicitudinem nostram cum adjutorio gratiæ conjungit in negotio salutis, & dicit nostræ potestatis esse, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi. Sed hoc utrumque facit Gennadius loco citato. Ergo, &c. *R.* neg. maj. alioquin. 1. Synodus Arausicana fuit Semipelagiana: nam can. 27. conjungit laborem nostrum cum adjutorio divino: *Hic etiam*, inquit, *secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* 2. Synodus Tridentina fuit Synodus Semipelagianorum. Nam sess. 6. cap. 5. docet, hominem abjicere posse inspirationem divinam; & can. 4. anathematizat eos, qui dicunt, hominem Deo excitanti atque vocanti dissentire non posse, si velit. Itaque Semipelagianos est, non qui laborem & sollicitudinem nostram conjungit cum inspiratione divina, sed qui laborem, & sollicitudinem nostram inspirationi divinæ, non inspirationem divinam labori & sollicitudini nostræ præire docet. Item Semipelagianus est, non qui dicit nostræ potestatis esse, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, sed qui dicit in nostra potestate esse salutiferam inspirationem. Malè ergo Semipelagianorum de gratia doctrinam exponere dicitur Gennadius, vel quicumque alius author est libri citati.

ARTICULUS VII.

Utrùm Augustinum inter & Semipelagianos controversia fuerit de gratia irresistibili & infrustrabili ex natura sua, seu de gratia dominante & necessitante.

Responsio.

AUgustinum inter & Semipelagianos controversia non fuit de gratia dominante & necessitante, sed de necessitate interioris gratiæ prævenientis ad quemlibet actum salutarem, adeòque etiam ad fidem inchoatam & imperfectam.

Prob. ex ipso S. Augustino, qui lib. de præd. Sanct. cap. 2. statum controversiæ suæ cum Massilienses exponit his verbis: *Priùs itaque fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere, si tamen diligentiùs id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisque fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen augeatur in nobis eo merito quo cœpit à nobis.*

Augustini igitur controversia cum Semipelagianis fuit circa fidem initialem, quam Augustinus cum omnibus Catholicis contendebat donari à Deo; Semipelagiani verò negabant, & volebant illam in nobis esse à nobis, Deumque eam expectare, ad retribuendam ejus merito prævenientem gratiam interiorem, ad omnia virtutum opera necessariam. Ex quo sequebatur manifesta absurditas, interiorem scilicet gratiam, qua fatebantur præveniri omnia virtutum opera, quæ proinde dona Dei esse concedebant, interiorem, inquam, illam gratiam non esse gratiam, quoniam secundùm illos non daretur gratis, & gratia non sit gratia, nisi gratis detur. Cùm autem testimonia, ab Augustino in suis contra Pelagianos libris ad probandum fidem esse Dei donum allata, vellent intelligi Massilienses de actu perfecto fidei, non de inchoato & imperfecto, librum de præd. Sanct. scripsit S. Augustinus, ut ostenderet ipsum etiam fidei initium esse donum Dei; quod re ipsa hoc libro executus est, non probando gratiæ irresistibilis & infrustrabilis ex natura sua ad credendum necessitatem, sed ostendendo hominem nunquam credere, nisi interiore inspirationis gratia præveniatur, moveatur, roboretur, adjuvetur.

At inquies. Semipelagiani negabant initium fidei donari à Deo, quia nolebant ad illud prærequiri gratiæ dominantis & necessitantis adjutorium, contendebantque sufficere prævenientem gratiam interiorem, ex natura sua repudiabilem. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Negabant enim Semipelagiani initium fidei donari à Deo, quia volebant ad illud sufficere naturales liberi arbitrii vires, adeòque hominem ad incipiendum credere, interioris gratiæ prævenientis auxilio non indigere.

Augustinum igitur inter & Semipelagianos quæstio non fuit, tantùm ad utrùm fidei sufficeret interior gratia repudiabilis, an è contra irrepudiabilis requireretur: sed quæstio fuit utrùm ad initium fidei sufficeret Evangelii prædicatio cum naturæ viribus; an verò præterea requireretur interior gratia, non solùm illustrationis, sed etiam inspirationis, prævenientis actum credendi, & ad credendum excitantis, atque adjuvantis.

Dices. Semipelagiani negabant fidem esse donum Dei, quia nolebant eam à Deo inspirari credentibus. Ergo negabant fidem esse donum Dei, quia nolebant eos, qui re ipsa credunt, à Deo necessitari ad credendum, sed solùm à Deo ad credendum per interiorem gratiam repudiabilem excitari & adjuvari volebant. *R.* neg. conseq. Neque enim, fidem inspirari credentibus, & credentes necessitari ad credendum, sunt unum & idem. Et verò Catholici omnes profitentur, fidem à Deo inspirari credentibus, & tamen negant credentes à Deo ad credendum necessitari.

Nota. Deus potest credentibus fidem inspirare duobus modis. 1. Necessitando, seu irresistibiliter flectendo & applicando ad credendum. 2. Interiùs excitando & adjuvando ad credendum. Unde, fidem inspirari credentibus, & credentes necessitari ad credendum, non sunt synonima, aut convertibilia, sed primum latiùs patet, quàm secundum, & se habet ad illud, ut superius ad inferius. Hinc qui præcisè dicit, fidem à Deo inspirari credentibus, non dicit credentes à Deo necessitari ad credendum. Nam ex affirmatione superioris non sequitur affirmatio unius

infe-

inferioris determinatè. Quare Catholici dicere possunt, fidem à Deo inspirari credentibus, & simul negare, credentes ad credendum necessitari: quamvis qui simpliciter negat, à Deo fidem inspirari credentibus, non solùm neget, credentes à Deo necessitari, sed etiam neget intrinsecè excitari & adjuvari ad credendum, quia negato superiori, negantur omnia inferiora.

Semipelagiani itaque cùm simpliciter negarent, fidem à Deo inspiranti credentibus, non solùm negabant, credentes à Deo necessitari, sed etiam negabant, interiùs quovis modo excitari & adjuvari ad credendum. Unde sic argumentor breviter. Semipelagiani negabant fidem (supple semper, inchoatam & imperfectam) esse Donum Dei, quia simpliciter negabant, eam à Deo inspirari credentibus. Ergo negabant, fidem esse donum Dei, quia non solùm negabant, credentes à Deo necessitari, sed etiam negabant, interiùs quovis modo excitari & adjuvari ad credendum. Ergo negabant, fidem esse donum Dei, quia volebant eam independentem esse ab omni interiore gratia præveniente, sive irrepudiabili, sive etiam repudiabili ex natura sua.

Dices. S. Augustinus, ut ostendat initium fidei esse donum Dei, probat Deum facere, ut credamus; ut credamus, Deum præparare voluntatem; fidem electorum ab æterno prædefinitam fuisse per electionem gratuitam; fidem electorum effectum esse vocationis secundùm propositum. Ergo S. Augustinus, ut ostendat fidem initialem esse donum Dei, probat eam esse ex interiore gratia, dominante, & necessitante ad credendum, adeòque de hac gratia controversia fuit Augustinum inter & Semipelagianos.

R. neg. conseq. Nam S. Augustinus probat quidem Deum facere, ut credamus; at non probat facere ut necessariò credamus.

Item probat, neminem credere, nisi dependenter à Deo præparante voluntatem: at præparare voluntatem, & eam necessitare, duo sunt, proindeque distinguenda, non confundenda; & tam Deus potest præparare voluntate per interiorem gratiam repudiabilem, quàm per interiorem gratiam necessitantem. Item probat Deum ab æterno prædefiniviſſe gratuitò fidem electorum; at non probat vi hujus prædefinitionis dari electis in tempore, ut credant, interiorem gratiam irresistibilem & infrustrabilem ex natura sua; & Deus potest tam infallibiliter electos ad credendum permovere per gratiam repudiabilem, quàm per irrepudiabilem. Item probat electos non credere, nisi quia vocantur ea vocatione, quæ est secundùm propositum: at non dicit vocationem hanc esse vocationem irresistibiliter flectentem & applicantem ad volendum. Dicit autem esse vocationem propriam electorum; esse vocationem, quæ effectus est gratuitæ prædestinationis; esse vocationem, cum aliis similibus infallibiliter connexam cum perseverantia finali; esse vocationem, quæ infallibiliter operatur effectum, ad quem datur. Quæ omnia vera esse possunt, & sunt, quamvis hæc vocatio sit ex natura sua repudiabilis & frustrabilis.

S. Augustinus, ut ostendat fidem inchoatam esse donum Dei, probat eam interiore gratia prævenire, & non tantùm præconio veritatis: ita ut, quantumvis prædicato nobis Evangelio, non credamus, nisi Deus intellectum & voluntatem nostram interiore sua gratia præveniat, & adjuvet ad credendum; atque ita non credamus, nisi Deus donet nobis fidem; Deus enim hoc ipso fidem donat nobis, quod ex absoluta & efficaci intentione fidem à nobis exprimendi, interiore gratia vocat nos, quomodo scit nobis congruere ut credamus, & interiori gratiæ liberè consentientes adjuvat ad credendum.

Semipelagiani è contra, ut ostenderent initium fidei non esse donum Dei, probabant, quantùm poterant, illud non prævenire interiore gratia, sed solo præconio veritatis, & prædicato Evangelio, ad credendum naturæ vigorem sufficere, sicque fidem saltem initialem & imperfectam prodire ex solis naturæ viribus, atque promereri prævenientem gratiam, deinceps necessariam ad opera virtutum exercenda.

Dices. S. Augustinus per interiorem illam gratiam, qua probabat prævenire initium fidei, intelligebat gratiam ex natura sua irrepudiabilem, adeòque dominantem & necessitantem. *R.* neg. Intelligebat enim gratiam, de qua ait alicubi: *Misericordia Dei prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est*: quæ profectò verba congruere non possunt vocationi, seu interiori gratiæ ex natura sua irrepudiabili, quam proinde à voluntate repudiari repugnat. Porrò de gratia, quam repugnat à voluntate repudiari, dici non potest, quòd ei consentire, vel dissentire possimus pro arbitrio.

Dices. Si ita est, quare ergo Prosper in sua ad Augustinum epistola ab eo enixè petit, ut exponat, quomodo gratia illa interior, sine qua dicit hominem non credere, aliudve bonum operari, concilietur cum arbitrii libertate: *Obsecro*, inquit Prosper, *ut digneris aperire, quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium*? *Resp.* hoc petere. 1. Quia S. Augustinus hanc præoperantem & cooperantem gratiam, sine qua nemo credit, aliudve bonum operatur salutariter, docebat esse planè indebitam & ita gratuitam, utnon possimus eam ullo modo promereri. At ægrè intelligitur, quomodo simus verè liberi ad credendum, seu quomodo credere verè sit in nostra potestate, si ad credendum indigemus auxilio alieno, nobis planè indebito, & quod habere, seu promereri, in potestate nostra non est. 2. Quia S. Augustinus hanc præoperantem & cooperantem gratiam, sine qua nemo credit, docebat, effectum, ad quem datur, operari infallibiliter. At ægrè intelligitur, quomodo liberè & ex propria determinatione credimus cum gratia, quæ prævenit voluntatem credendi, & eam infallibiliter operatur in nobis.

Dices. Ineptum est quærere, quomodo gratia ex natura sua repudiabilis, non impediat liberum arbitrium, seu libertatem indifferentiæ. *R.* ita esse. At hoc non quærebat Prosper, sed quærebat quomodo cum gratia ad credendum necessaria, quam habere in potestate nostra non est, & quæ, si detur, infallibiliter operatur effectum, ad quem datur; quomodo, inquam, cum tali gratia liberum agendi vel non agendi retineamus arbitrium? vel, si vis, quærebat Prosper, quomodo hæc præoperans & cooperans gratiam cum sua infallibilitate & efficacia, posset esse verè repudiabilis ex se, atque ita liberum arbitrium non impedire?

Dices. Secundùm nos, Prosper sciebat S. Augustinum per illam præoperantem & cooperantem gratiam intelligere interiorem gratiam repudiabilem, & talem esse ipse supponebat cum aliis Catholicis. *R.* Hoc quidem sciebat, & supponebat, sed non satis intelligebat, & idcircò explicationem petebat.

DISPUTATIO II.

De variis naturæ statibus.

ARTICULUS I.

Utrùm possibilis sit status naturæ puræ.

Nota 1. In genere status naturæ, ut hìc sumitur, est modus se habendi naturæ humanæ relatè ad finem suum ultimum secundùm providentiæ divinæ ordinationem. Dividitur in statum viæ, & statum patriæ. Status viæ dicitur ille, in quo tenditur ad beatitudinem; status verò patriæ, in quo possidetur beatitudo. De hoc statu hìc non agitur. Status viæ, de quo in hac Disputatione agendum est, subdividitur in statum naturæ puræ, statum naturæ integræ, statum naturæ innocentis, seu gratiæ sanctificantis, & statum naturæ lapsæ, ac reparatæ per Christum Redemptorem.

Nota 2. Status naturæ puræ est ille, in quo humana natura conderetur cum perfectionibus suis essentialibus naturalibus omnibus facultatibus, & concursu,

atque providentia, sibi naturaliter debitis, sine ullo gratiæ dono, ullisque sibi non debitis perfectionibus, sine peccato originali, adeòque & reatu pœnarum huic peccato debitarum. Certum autem est hunc statum, nec esse, nec fuisse, nec fore unquam; nam primi parentes nostri cum dono integritatis creati fuerunt, & in ipsa creatione, vel saltem paulò post ipsam creationem acceperunt dona supernaturalia fidei, spei, charitatis, &c. in ordine ad supernaturalem beatitudinem, ad quam à Deo gratuitò ordinati fuerunt, consequendam; ad quam etiam post lapsum manserunt ordinati cum posteris suis, qui concipiuntur vel in statu peccati originalis, vel in statu gratiæ sanctificantis, ut B. Virgo. Quæritur ergo tantùm, utrùm status puræ naturæ sit possibilis?

Statum naturæ puræ possibilem esse negavit, 1. Lutherus ad 3. caput Geneseos. *Quare*, inquit, *statuamus justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum à natura hominis, sed fuisse verè naturalem, ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum? Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quàm naturale est, quòd oculi lumen recipiant.* 2. Calvinus lib. 1. Instit. c. 15. n. 1. ubi dicit, in contumeliam Dei recidere, si quid vitii naturæ à Deo creatæ ineste probaretur, minimèque decere Deum esse mortis authorem. 3. Michael Bajus, cujus hæ fuerunt assertiones; *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis: ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Immortalitas primi hominis non est gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.* 4. Jansenius, qui status naturæ puræ repugnantiam conatur probare tribus integris libris. Sed contra hos omnes, sit

Responsio.

Status naturæ puræ possibilis est.

Probatur 1. authoritate S. Augustini, docentis pluribus in locis, gratiam fuisse donum integritatis. Sic enim loquitur lib. 13. de civ. c. 13. de primis parentibus: *Posteaquam transgressio præcepti facta est, gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt.* Et lib. 11. de Genesi cap. 31. *Mox ut præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente, omninò nudati in sua membra oculos injecerunt.* Et lib. 4. contra Julianum, c. 16. *Quid est, gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia, non habebat in suo corpore quod puderet, spoliatus gratia, sensit quod operire deberet.* At si donum integritatis, seu partis inferioris ad superiorem subjectio, magna gratia fuit in natura etiam innocente; certè superavit omnem naturæ etiam innocentis exigentiam, adeoque nec fuit, nec potuit esse naturalis ejus conditio. Unde consequens est, juxta mentem S. Doctoris, naturam etiam innocentem condi potuisse sine dono integritatis.

Quod autem hìc de dono integritatis dicitur, manifestè dicendum est de dono immortalitatis, ordinatione ad visionem beatificam, sublimatione in consortium divinæ naturæ, & aliis omnibus, quæ cum hac sublimatione connexa sunt: nam ista manifestè non fuerunt minùs dona purè gratuita in natura etiam innocente, quàm integritatis donum; atque ita non minùs superarunt exigentiam omnem naturæ etiam innocentis: quare nec fuerunt, nec potuerunt esse naturæ etiam innocenti connaturalia; unde consequitur secundùm S. Doctoris principia, quòd sine illis natura etiam innocens condi potuerit.

Prob. 2. authoritate Scholasticorum Doctorum, pro quibus omnibus erunt hìc S. Thomas & Scotus. S. Thomas 1. p. q. 95. art. 1. in O. sic ait: *Manifestum est, quod illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis? alioquin post peccatum mansisset, cùm etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint. Unde manifestum est, quod & illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solùm secundùm naturam, sed secundùm supernaturale donum gratiæ . . . Unde Augustinus dicit* 13. de civitate Dei, *quòd postea quàm præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt; senserunt enim motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Ex quo datur intelligi, si, deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, quòd per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.*

Prob. 3. authoritate summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. in Bullis contra Michaelem Bajum editis, in quibus præfatæ Baji assertiones damnantur. Pius V. in Bulla sua, quæ incipit. *Ex omnibus afflictionibus*, de præfatis Baji propositionibus, & aliis ad 79. quas inserit, sententiam fert his verbis; *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertionibus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè; ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium authoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem & similibus posthac, quoquo pacto, loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus. Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.*

Hæc Pii V. contra Michaelem Bajum Constitutio anno 1567. edita, anno 1570. publicata fuit in Lovaniensi Universitate, & ab omnibus hujus Academiæ Doctoribus unanimi consensu subscripta. Sed cùm nihilominùs nonnulli in eadem Academia Doctores damnatas à Pio V. Baji assertiones publicè defendere pergerent cum magno Ecclesiæ periculo, Gregorius XIII. novam edidit Constitutionem, quæ incipit, *Provisionis nostræ*, & in qua præfata Pii V. Constitutio descripta, innovata, & confirmata est.

Porrò cùm non obstantibus his Constitutionibus Pii V. Gregorii XIII. Jansenius cum intolerabili Sedis Apostolicæ, judiciorum ejus ac censurarum contemptu, cum totius Reipublicæ Christianæ scandalo, & fidei periculo, librum suum exarasset, quem *Augustinum* inscripsit, & in quo defendit damnatas Baji propositiones, quibus etiam novos addidit errores, Urbanus VIII. ut periclitanti Catholicæ fidei subvenire, suam quoque edidit Constitutionem anno 1641. quæ incipit, *In eminenti*; in qua præfatas Pii V. & Gregorii XIII. sanctiones confirmat, & memoratum Jansenii librum, ut jam semel atque iterum à Sede Apostolica damnatos Baji errores continentem & renovantem proscribit, omnibusque ne illum legant, vel apud se retineant, severè prohibet.

Cum autem, inquit summus Pontifex, *ex diligenti & matura ejusdem libri cui titulus*, Augustinus, *lectione postmodum compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus à Prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi; nos huic malo, in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes . . . Constitutiones prædictas, omniaque & singula in eis contenta, Apostolica Authoritate tenore*

præ-

præsentium perpetuò confirmamus & approbamus ; librumque prædictum , cui titulus est Augustinus, *articulos , opiniones , & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas , atque damnatas , ut à nobis compertum est , continentem & renovantem ... prohibemus ... Jubentes insuper , sub omnibus pœnis & censuris , in prædicta Constitutione Pii Prædecessoris contentis ... . ne quis cujuscumque conditionis & qualitatis sit ... de prædictis , ut suprà , damnatis , & in prædicto libro contentis ... articulis , opinionibus , sententiis ... loqui , scribere , & disputare audeat , librumque ... penes se retinere , vel legere præsumat .*

Ex his omnibus apparet , 1. Bajanas , quibus status naturæ puræ possibilitati contradicitur , assertiones non fuisse damnatas ab Apostolica Sede, nisi postquam stricto & diligenti examine ponderatæ fuerunt: neque enim verisimile est , Pium V. sanctissimum Pontificem , toti orbi Christiano solemniter mentiri voluisse. 2. Non fuisse damnatas ad tempus tantùm, donec scilicet sufficienter probarentur : nam cum reliquis indiscriminatim damnantur, circumscribuntur, & abolentur, tamque de illis, quàm de reliquis, loquendi, scribendi, & disputandi facultas quibuscumque interdicitur. Dicere autem, de omnibus Baji Propositionibus , quòd ad tempus tantùm , donec sufficienter probaretur earum veritas , proscriptæ fuerint, intolerabilis absurditatis est ; cùm proscriptæ fuerint, ut hæreticæ , erroneæ , temerariæ , &c. respectivè . 3. Non fuisse damnatas ob defectum sufficientium probationum : nam etiam postquam tres integros pro illis statuendis libros edidit Jansenius , earum condemnationem instauravit & confirmavit Urbanus VIII. imò & Augustinum Jansenii , ut assertiones illas continentem & renovantem prohibuit , jussitque sub gravissimis pœnis & censuris , ne quis cujuscumque conditionis & qualitatis esset , præsumeret librum illum legere , vel penes se retinere . 4. Perperam dici, non fuisse damnatas , nisi ut piarum aurium offensivas , non quidem propter falsitatem , sed solùm ob novitatem , & defectum sufficientis probationis : non enim erant novæ , nec adversarii dicent eas caruisse sufficienti probatione , quando earum condemnatio instaurata & confirmata est ab Urbano VIII.

Dices . Hæc tertia probatio nostræ responsionis committit recentiores Pontifices cum veteribus , & quidem numero pluribus , qui S. Augustini doctrinam approbarunt, quæ doctrina Bajanis assertionibus continetur. Certè recentiorum & pauciorum Pontificum authoritas antiquiorum & plurium authoritati postponenda est . *R.* in hac instantia multa esse reprehensione digna. 1. Enim falsum est, quòd probatio nostra committat Pontifices cum Pontificibus , recentiores cum veteribus : nam Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. Baji Propositiones damnando, minimè damnarunt ea , quæ olim approbarunt Innocentius primus, Zozimus, Bonifacius, Sixtus, Celestinus , Leo magnus , Gelasius , Hormisdas, & Joannes secundus , qui approbarunt S. Augustini , tanquam Magistri optimi, doctrinam de gratia contra Pelagianos. Hi enim Pontifices non omnia quæ de gratia contra Pelagianos scripsit S. Augustinus , specialiter approbarunt, sed solùm certa puncta, quæ novem articulis comprehendit Celestinus primus in sua ad Galliæ Episcopos epistola . In his autem articulis nihil de statu naturæ puræ, nihil de his quæ continentur Bajanis assertionibus, legitur . Præterea gratis & falsò supponitur , S. Augustini doctrinam de gratia adversùs Pelagianos repugnare statui naturæ puræ possibilitati ; imò verò hanc possibilitatem ex principiis S. Doctoris eruimus, ut patet ex probatione prima.

2. Falsum est & contra fidem , quòd major sit veterum Pontificum , quàm recentiorum authoritas; sicut falsum est , & contra fidem , quòd major sit priscæ Ecclesiæ authoritas, quàm recentioris Ecclesiæ . Sed sicut est pro omni tempore eadem invariabiliter Ecclesiæ authoritas , quia pro omni tempore moraliter eadem est Ecclesia : ita Sedis Apostolicæ authoritas invariabiliter eadem est pro omni tempore , quia Sedes Apostolica firmissima illa est & immobilis Petra , super quam Christus fundavit Ecclesiam suam.

3. Falsum est & contra fidem, quòd in controversiis fidei major sit authoritas plurium Pontificum , quàm pauciorum : falsum enim est & contra fidem , quòd in controversiis fidei major sit infallibilitas plurium Pontificum, quàm pauciorum, vel etiam unius tantùm. Ratio est, quia specialis Spiritus sancti assistentia annexa est , non Pontificum multitudini , sed dignitati & muneri pastoris supremi. Tota autem pontificia dignitas residet in unoquoque Pontificum , sicut & totum ei incumbit munus & onus pontificium. Quare tanta est in decidenda aliqua fidei controversia authoritas , vel in uno Pontifice loquente ex Cathedra , cùm ejus judicio tacitè vel expressè suffragatur major pars Episcoporum, quanta esset v. gr. centum Pontificum , qui successivè eandem de eadem fidei controversia sententiam tulissent. Pessimè igitur dicitur , recentiorum & pauciorum Pontificum authoritatem antiquiorum & plurium authoritati postponendam esse . Adde quod non magis verendum est , ne Pontifices ex Cathedra docentes Ecclesiam , Episcopis majori ex parte tacitè, vel expressè consentientibus, sibi invicem adversentur in rebus ad fidem pertinentibus, quàm verendum est, ne Concilia œcumenica in rebus ad fidem pertinentibus sibi invicem contraria sint . Quare in materia fidei & morum tam ineptè & pueriliter dicitur , antiquiores & plures Pontifices anteponendos esse recentioribus & paucioribus , quàm si diceretur , antiquiora & plura Concilia œcumenica recentioribus & paucioribus esse anteponenda.

Prob. denique ratione responsio nostra. Nam Deus de potentia etiam per sapientiam ordinata potuit , 1. naturam humanam condere cum perfectionibus essentialibus , facultatibus omnibus naturalibus , adeòque non solùm cum appetitu rationali , sed etiam cum materiali , & cum concursu ac provideutia naturaliter debitis: nam re ipsa ita condidit . 2. Potuit naturam humanam condere sine peccato originali, aliove peccato, & pœnis, quæ illi debentur, & præternaturales sunt : nam sic revera primos parentes nostros creavit . 3. Potuit condere naturam humanam absque dono integritatis, seu absque subjectione appetitus materialis ad rationalem: humana enim natura condi potuit sine donis sibi indebitis. At subjectio illa , cùm in primo homine fuerit magna gratia , ut docet S. Augustinus, nec fuit , nec potuit esse debita humanæ naturæ , etiam innocenti ; alioqui non fuisset gratia in primis parentibus : gratia enim dicitur id, quod , si datur , gratis datur , adeòque non debetur ei , cui datur . 4. Potuit condere naturam humanam sine ordinatione ad beatitudinem , quæ in visione intuitiva Dei consistit: potuit enim condi sine ordinatione ad finem superantem omnem ejus exigentiam, ut patet ex terminis . Illa autem beatitudo superat omnem exigentiam naturæ humanæ , quia , ut docet S. Thomas , visio intuitiva Dei soli Deo connaturalis est . 5. Potuit condere naturam humanam sine infusis habitibus fidei , spei , & charitatis , aliisque donis , quæ charitatem comitantur : hæc enim omnia ejusdem ordinis sunt cum fine illo , ad quem gratuitò & supra omnem suam exigentiam ordinata fuit humana natura : sunt enim ad finem illum assequendum media , homini data , hominemque complentia ad exercendos actus divini ordinis , ad quorum proinde excellentiam natura , facultatibus suis naturalibus relicta , aspirare non potest . Ergo , &c.

ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Non potuit Deus condere naturam humanam sine ordinatione ad finem ultimum. Ergo non potuit eam condere, nisi in statu elevationis. *R.* neg. conseq. Nam finis ultimus duplex possibilis est, naturalis scilicet & supernaturalis. Naturalis consistit in perfectissima quadam contemplatione Dei abstractiva, & ejusdem amore necessario, viribus naturæ non vitiatæ possibili. Supernaturalis verò consistit in intuitiva Dei visione cum amore necessario, huic visioni proportionato. Potuit Deus pro arbitrio naturam humanam ad alterutrum finem ordinare; & ad primum ordinasset, si eam in puris naturalibus condidisset. Quod autem eam ad posteriorem ordinavit, atque ita eam in statu elevationis condiderit, maximum & omninò gratuitum beneficium est.

Dices. Natura humana, in puris naturalibus condita, frustrà ordinata fuisset etiam ad illam naturalem beatitudinem, quam in abstrativa Dei contemplatione, & amore necessario, huic contemplationi proportionato, constituimus. Ergo, &c. *Probatur ant.* Nam 1. beatitudinem illam assequi non potuisset, 2. Vel ea fruitus esset homo ante mortem, vel post mortem. Neutrum dici potest. 3. S. Augustinus multis in locis negat hominem assequi posse suam beatitudinem sine gratiæ auxilio. 4. Imò lib. 10. de Civ. c. 2. & 11. dicit expressè, hominem sine gratia non posse consequi naturalem illam beatitudinem, quam Platonici constituebant in contemplatione Dei.

R. neg. ant. *Ad 1. prob. R.* neg. Nam natura humana in puris naturalibus condita, posset non solùm physicè, sed etiam moraliter, mereri suam beatitudinem naturalem per bona opera naturalia, quæ non solùm physica, sed etiam morali potentia posset exercere in illo statu, in quo favorabilior esset providentia, nec homo subjaceret tot ac tantis difficultatibus & impedimentis, quor & quantis obnoxius est in hoc statu naturæ lapsæ propter peccatum originale.

Ad 2. prob. R. Hominem, in natura pura conditum, fruiturum fuisse beatitudine sua naturali in altera vita post mortem, saltem secundùm animam, quæ immortalis est naturaliter.

Ad 3. prob. R. S. Augustinum loqui de ea beatitudine, ad quam homo re ipsa ordinatus est, hoc est, de intuitiva Dei visione, quæ soli Deo connaturalis est. Unde, cùm beatitudo, ad quam ordinatus est homo, omnem naturæ humanæ exigentiam superet, mirum non est, quòd ejus assecutio superet omnem naturalem naturæ humanæ facultatem, adeòque eam assequi non possit homo sine gratiæ adjutorio.

Ad 4. R. S. Doctorem loqui tantùm pro statu nunc existente, in quo natura humana lapsa est, & per originale peccatum depravata, in quo facilè cum S. Doctore agnoscimus hominem sine gratia beatitudinem etiam naturalem consequi non posse. Aliud autem esset de naturæ puræ statu possibili, de quo non loquitur S. Augustinus, & in quo natura non depravata, & ab innumeris impedimentis quibus implicamur, libera, ad proportionatam sibi beatitudinem per merita naturalia haud ægrè posset pertingere.

Dices. Visio intuitiva Dei negari non potest absque injuria naturæ innocenti. Ergo possibilis non est status naturæ puræ, in quo naturæ innocenti negaretur visio intuitiva Dei. *Prob. ant.* authoritate S. Augustini, qui multis locis reprehendit Pelagianos, qui dicebant parvulos nasci absque peccato, & nihilominùs privari regno cœlorum, si moriantur sine baptismo.

R. dist. ant. Visio intuitiva Dei negari non potest, &c. in statu, in quo natura elevata est ad supernaturalem beatitudinem, qualis est status præsens, C. ant. In alio statu, in quo non esset elevata, qualis esset status naturæ puræ, N. ant. In hoc enim statu naturæ etiam innocenti indebita esset visio Dei intuitiva, adeòque in hoc statu naturæ etiam innocenti, absque injuria denegaretur: non enim injuriam accipit, cui non datur id, quod ei non debetur.

Ad prob. ant. R. S. Augustinum Pelagianos reprehendere ex suppositione veritatis catholicæ, quam admittebant ipsimet Pelagiani, videlicet quòd homines sint & semper fuerint in statu naturæ elevatæ & ordinatæ ad visionem Dei intuitivam, qua proinde nemo jure privari potest, nisi propter peccatum aliquod mortale.

Obj. 2. Non potuit condi natura humana in eo statu, in quo homo non posset diligere Deum propter se. Atqui in statu naturæ puræ homo non potest diligere Deum propter se. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam duplex amor Dei propter se distinguendus est, naturalis scilicet & supernaturalis. Naturalis est ille, qui naturæ non vitiatæ, nec corruptæ per peccatum facultatem non excedit; supernaturalis verò per se scilicet, qui excedit propter suam similitudinem & universalitatem, seu appretiationem, ad quam pertingere non possunt creaturæ rationalis vires naturales, quantumvis supponantur non depravatæ per peccatum: unde ad hunc amorem non valent, nisi eleventur, & compleantur per habitum charitatis infusum, vel saltem per concursum extraordinarium, quo Deus charitatis habitualis causalitatem suppleat.

Duplicem autem sic distinguendi amorem Dei propter se fundamentum habemus, 1. In evidenti non repugnantia utriusque amoris; & verò quidni natura rationalis, non vitiata, cum solo concursu, & providentia naturali sibi debita, habere posset aliquem Dei amorem propter se, sicut habere potest aliquam Dei notitiam & perfectionum ejus, ob quas amabilis est? 2. In condemnatione harum Baji propositionum: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata: amor naturalis* (Dei scilicet) *qui ex viribus naturæ exoritur: ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Gratiæ Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

Dico itaque, quòd homo in statu naturæ puræ conditus posset diligere Deum propter se, seu amore vero & casto, licèt longè minùs perfectò, minùs firmo, minùs appretiativo, quàm sit amor ille, ad quem homo, ad beatitudinem supernaturalem ordinatus, per supernaturalem charitatis habitum elevatur; cui in statu innocentiæ necessariò prælucebat supernaturalis illustratio, cui in præsenti statu non solùm supernaturalem illustrationem, sed etiam delectationem cœlestem præire necesse est.

Dices. Capitalis error Pelagii fuit, quòd diceret amorem Dei propter se haberi posse solis naturæ viribus: de quo gravis fuit Pelagianos inter & Catholicos pugna, ut patet ex verbis S. Augustini lib. de grat. & lib. arb. c. 18. *Unde est*, inquit, *in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* *Resp.* Pelagium quidem graviter errasse in eo, quòd vellet amorem Dei propter se, etiam perfectum, & Dei super omnia appretiativum, in præsenti statu haberi posse solis naturæ viribus, sine interiore & immediato gratiæ adjutorio, se tenente ex parte voluntatis: in quo graviter reprehendebatur à Catholicis, & jure merito reprehendebatur. Sed præter hunc amorem Dei perfectum, & super omnia appretiativum quem cum Augustino profitemur in præsenti statu sine auxilio inspirationis exerceri non posse à voluntate, etiam cœlitus illustrata, & instructa supernaturali habitu charitatis; dicimus alium Dei amorem propter

se

se possibilem esse naturæ non viatiatæ, in puris naturalibus conditæ, de quo amore Catholicos inter & Pellagianos nulla fuit quæstio.

Dices. Secundùm doctrinam S. Augustini, nullus possibilis est amor Dei propter se, naturalis, & qui haberi possit sine vera Christi gratia. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam S. Augustinus multis in locis docet omnem creaturæ rationalis amorem esse charitatem, vel cupiditatem, per charitatem intelligendo amorem Dei propter se, qui diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum; per cupiditatem verò intelligendo amorem, quo creatura rationalis vitiatur & corrumpitur. Ergo juxta S. Doctorem, non datur medium inter amorem Dei, qui per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, & amorem, quo vitiatur, & corrumpitur creatura rationalis; adeòque juxta S. Doctorem, chymera est amor ille Dei propter se, quem dicimus in statu puræ naturæ possibilem esse.

R. revera nobis videri S. Augustinum in ea sententia fuisse, quòd nullus amor Dei propter se in præsenti statu naturæ lapsæ, & per originale peccatum depravatæ haberi possit sine interna inspiratione voluntatem excitante, sanante, & corroborante. Sed quid hoc facit contra statum naturæ puræ, in quo voluntas hominis non esset vitiata, nec depravata per peccatum originale, quo careret in illo statu?

Porrò quando S. Augustinus videtur asserere omnem amorem creaturæ rationalis esse charitatem, vel cupiditatem, 1. loquitur relatè ad statum præsentem, non relatè ad alium merè possibilem, qui nunquam fuit, aut erit. 2. Per charitatem intelligit, non amorem Dei propter se, sed amorem boni & honesti; vel, si vis, amorem justitiæ generaliter sumptæ, hoc est, virtutis alicujus. 3. Quoties ait, amorem hunc diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum, non intelligit qualemcumque amorem justitiæ, sed salutarem, ad assecutionem gloriæ cœlestis conducentem. Ex quibus nihil aliud potest colligi, quàm S. Doctorem in ea fuisse sententia, quòd omnis amor creaturæ rationalis sit honestus, vel inhonestus, & quòd omnis amor honestus, salutaris, & conducens ad æternæ gloriæ assecutionem, inspiretur nobis à Deo. Quæ vera sunt, sed ad præsentem controversiam impertinentia.

Obj. 3. Repugnat bonitati divinæ condere hominem in eo statu, in quo nihil omninò libertatis haberet ad faciendum ullum bonum, sed perpetua & in omnibus peccandi necessitate teneretur. Atqui talis esset status naturæ puræ. Ergo, &c. *Prob. min.* In statu naturæ puræ tanta esset impotentia bene agendi, & peccandi necessitas, quanta est in statu naturæ lapsæ. Atqui in statu naturæ lapsæ semper est impotentia bene agendi, & peccandi necessitas, quando abest gratia. Ergo, &c.

R. 1. Minorem falsam esse: falsum enim est, quòd homini in præsenti statu ita dominetur concupiscentia, ut absque auxilio gratiæ nullum possit opus bonum ordinis naturalis facere, nullumque peccatum vitare.

R. 2. neg. maj. Nam in statu naturæ puræ non esset tanta hominis infirmitas, quanta nunc est in statu naturæ lapsæ propter peccatum originale; melior & favorabilior esset providentia, saltem quandiu homo non peccaret; non tantam homo pateretur difficultatem à concupiscentia, quantam nunc patitur in statu naturæ lapsæ, in quo propter originale peccatum efferacior concupiscentia est; non tantùm homo ad peccandum sollicitaretur à dæmone (si tamen sollicitaretur,) quantùm nunc sollicitatur, quia tunc à Deo non permitteretur tantum sævire, quantùm nunc sævire permittitur in pœnam peccati originalis. Quare homo in statu naturæ puræ non solùm physica, sed etiam morali potentia posset servare totam legem naturalem, & omnia peccata huic legi opposita vitare ex affectu honestatis, vel etiam ex sincero affectu placendi Deo.

Obj. 4. Repugnat status, in quo concupiscentia esset à Deo. Atqui in statu naturæ puræ concupiscentia esset à Deo. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam repugnat concupiscentiam esse à Deo: cùm enim pugnet contra Spiritum & rectam rationem, non potest esse aliquid naturaliter bonum: aliquid autem, quod non est naturaliter bonum, à Deo esse repugnat. Pro solutione hujus difficultatis,

Nota. Concupiscentia sumi potest dupliciter, videlicet pro potentia, & pro actu concupiscendi. Actus autem concupiscendi duplex est, nempe actus concupiscendi formaliter, & actus concupiscendi materialiter tantùm. Actus, quo concupiscitur formaliter, est actus quo appetitur objectum aliquod; actus verò, quo concupiscitur materialiter tantùm, nihil aliud est, quàm motus quidam corporeus, seu immutatio quædam facta in corpore, & objectivè sollicitans ad actum, quo appetatur objectum, à quo mediatè causata est immutatio. Hinc potentia concupiscendi duplex est, nempe potentia concupiscendi formaliter, & potentia concupiscendi materialiter tantùm. Potentia concupiscendi formaliter est ea, à qua elicitur actus, quo appetitur objectum aliquod; & in homine est ipse appetitus rationalis, seu voluntas, cujus est, sive deliberatè sive indeliberatè appetere non solùm objecta immaterialia & insensibilia, sed etiam materialia & sensibilia. Potentia concupiscendi materialiter tantùm est ea, à qua immediate causantur immutationes illæ corporeæ, quæ passiones vulgò nuncupantur, & quibus objectivè sollicitamur, & inclinamur ad appetendum objectum aliquod sensibile. Hanc concupiscendi potentiam voco appetitum materialem, quia per illam non nisi impropriè & materialiter appetimus objectum: corporea enim immutatio, quam causat hæc potentia, se habet tantùm per modum objecti, cujus perceptione delectatur anima, atque ita propendet ad formalem objecti externi appetitionem.

Porrò neutra concupiscendi potentia contra rectam rationem pugnat: nam neque appetitus rationalis, qui est voluntas, neque materialis, quem existimamus nihil aliud esse, quàm ipsum cor, quà ex prævia determinatione in ipso à sensu interno, mediantibus spiritibus animalibus facta, potens impellere sanguinem & alios humores in has vel illas corporis partes, cum tali vel tali velocitate, aut tarditate, in tali vel tali quantitate, &c. neque, inquam, appetitus rationalis, neque materialis est aliquid rectæ rationi dissonum, ut per se manifestum est: sed è contra utraque concupiscendi potentia est aliquid naturaliter bonum: appetitus enim rationalis & materialis sunt perfectio & bonum naturæ, appetitus quidem rationalis, quà principium est bonorum actuum, licèt non sit perfectio, sed perfectionis defectus, quà potest exire in actus malos, & rectæ rationi repugnantes; materialis verò, quà principium est corporalium immutationum, quibus appetitus rationalis inclinatur ad actus bonos & honestos: licèt similiter non sit perfectio, sed defectus perfectionis, quà principium esse potest immutationum corporalium, quibus appetitus rationalis sollicitari potest ad actus inhonestos, & adversantes rectæ rationi.

Ex dictis patet, utramque concupiscendi potentiam posse esse, & re vera esse à Deo; cùm utraque sit perfectio & bonum naturæ, & neutra aliquam cum recta ratione repugnantiam habeat. Nec obest, quòd utraque sit bonum naturæ limitatum, adeòque utraque sit perfectio defectibilis: nam sicut absurdè diceretur, intellectum & sensus non posse esse à Deo, quia intellectus errare potest, & sensus falli possunt circa objecta sensibilia; ita & absurdè diceretur, appetitum materialem à Deo esse non posse, quia causare potest circa objecta illicita immutationes in corpore, quibus ad objectorum illorum prosecutionem sollicitari potest voluntas, sic etiam absurdè diceretur voluntatem non posse esse à Deo, quia tum indeliberatè, tum etiam deliberatè objecta illicita prosequi potest.

Inter actus concupiscendi sive formaliter sive materia-

terialiter tantùm, aliqui mali sunt, & cum recta ratione pugnant: tales sunt actus omnes, quibus sive deliberatè, sive indeliberatè appetimus objecta illicita, & corporales omnes immutationes, quibus sollicitamur ad objectorum illicitorum appetitionem: sed multi etiam mali non sunt, nec rectæ rationi repugnant, sed potiùs ei consentanei sunt: tales sunt actus omnes, quibus sive deliberatè, sive indeliberatè objecta honesta appetimus, & corporales omnes immutationes, quibus ad apperenda objecta honesta excitamur. Hos autem, non illos, posse esse à Deo, ut specialiter eos procurante, planum est. His præsuppositis,

R. ad obj. dist. maj, Repugnat status naturæ, in quo à Deo esset concupiscentia, sumpta pro actu concupiscendi sive formaliter sive materialiter tantùm, repugnante rectæ rationi, C. maj. Sumpta pro ipsa potentia concupiscendi, sive formaliter sive materialiter tantùm, N. maj. Appetitum enim sive rationalem, sive materialem, cùm uterque sit perfectio & bonum naturæ, à Deo esse non repugnat, & uterque in statu innocentiæ fuit, & nunc in statu naturæ lapsæ est à Deo. *Ad min. autem dico*, quòd in statu naturæ puræ esset à Deo concupiscentia, sumpta pro potentia concupiscendi sive formaliter sive materialiter tantùm, non verò sumpta pro actibus concupiscendi sive formaliter sive materialiter, adversantibus rectæ rationi: non enim in Deum, ut authorem, magis refundi possent, quàm non refundi possit peccatum: nam Deus ad illos non alio modo concurreret, quàm nunc concurrit ad entitatem peccati; nec Deus illos intenderet ullatenùs, sed è contra vellet impediri.

Dices. Actus concupiscendi materialiter, repugnantes rectæ rationi, non possunt cohiberi in statu naturæ puræ; tales enim motus corporales cohiberi non possunt sine gratia, quam homo in statu naturæ puræ non haberet, & excitati voluntatem necessitarent ad malum volendum & agendum. Ergo Deo, ut authori, attribui possent ea, quæ malè & culpabiliter fierent ex occasione talium motuum in statu naturæ lapsæ. Atqui hoc repugnat. Ergo & ipse naturæ puræ status. *R.* 1. neg. 1. part. ant. *Ad prob. R.* motus illos sine gratia cohiberi facilè posse à natura non vitiata, nec depravata per peccatum, qualis esset natura in puris naturalibus condita. *R.* 2. neg. etiam alteram ant. partem. Motus enim illi saltem regulariter non essent adeò vehementes, ut voluntatem necessitarent, quòd si contingeret aliquando voluntatem ab illis necessitari, tunc voluntas non nisi materialiter peccaret.

Obj. 5. Repugnat status, in quo licerent turpia. Sed liceret turpia in statu naturæ puræ. Ergo, &c.

Prob. min. Nam in statu naturæ puræ licerent ea omnia, ad quæ naturaliter propenderet natura. Atqui in hoc statu natura naturaliter propenderet ad turpia. Ergo, &c. *Prob. maj.* Quia omnis propensio naturalis naturæ bonæ bona est: natura autem, in puris naturalibus condita, bona esset, utpotè non vitiata, nec depravata per peccatum.

R. neg. min. objectionis. *Ad prob. min. R.* dist. maj. In statu naturæ puræ licerent ea omnia, ad quæ naturaliter propenderet natura, quà bona est, C. maj. Ad quæ naturaliter propenderet natura, quà defectibilis est, N. maj. In statu autem naturæ puræ natura propenderet naturaliter ad turpia, non quà bona, sed quà defectibilis est. *Ad prob. maj.* dist. similiter. Omnis naturalis propensio naturæ bonæ bonitate indefectibili, bona est, C. Omnis naturalis propensio naturæ bonæ bonitate defectibili, bona est, N. Natura autem, in puris naturalibus condita, bona quidem esset; at non esset bona, nisi bonitate defectibili; & naturaliter propendendo ad turpia, naturaliter deficeret: unde naturæ in puris naturalibus conditæ propensio ad turpia, quantumlibet naturalis, non esset bona, sed defectus, quem homo, in statu naturæ puræ conditus, teneretur, quantùm posset, cohibere.

Dices. In statu naturæ puræ carnem pugnare contra spiritum, imò carnem dominari spiritui, esset ordo naturalis, quem proinde sequeretur qui turpia quælibet perpetraret; atque adeò in statu naturæ puræ licitè & laudabiliter ageret qui turpia quælibet perpetraret, quia nimirùm perpetrando, sequeretur ordinem naturalem. *R.* neg. Nam in statu naturæ puræ quòd caro rebellaret contra spiritum, esset defectus naturæ, ex cujus imperfectione oriretur; quòd verò caro dominaretur spiritui, esset vitium & culpa voluntatis liberè subeuntis jugum carnis; cùm haud ægrè posset inordinatos motus illius cohibere, aut saltem eis non consentire.

Obj. 6. In statu naturæ puræ esset necessitas erubescendi: esset enim membrorum rebellio, ex qua erubescendi necessitas oritur. Atqui hoc est inconveniens, naturam scilicèt innocentem erubescendi necessitati subjacere. Ergo, &c. *R.* neg. min. Itaque in statu naturæ puræ esset aliqua membrorum rebellio, licèt non tanta, quanta nunc est; & consequenter esset aliqua necessitas erubescendi non de operibus Dei, & membris ipsis, sed de inordinatis illorum actibus, qui à Deo non essent alio modo, quàm peccati entitas: Deus enim ad eos non concurreret, nisi ex officio causæ primæ, & secundùm exigentiam causarum secundarum, velletque hominem ab eis, quantum posset, abstinere. *At inquies*. De actibus illis erubescendo, essemus ingrati erga Deum. *R.* N. Nam de eis erubescendo, solùm agnosceremus nostrum in eis regendis defectum, & imperfectionem naturalem.

Obj. 7. Non potest Deus condere hominem in eo statu, in quo laboret ignorantia invincibili, priusquam id aliqua sua culpa promeruerit. Atqui homo in statu naturæ puræ absque ulla sua culpa obnoxius esset ignorantiæ invincibili. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Deus enim condere potuit hominem cum defectibus sibi connaturalibus: quidni enim potuisset? At posse ignorare, est defectus homini connaturalis: cùm enim intellectus humanus in suis cognitionibus pendeat à perceptione sensuum, adeòque non nisi valdè imperfectè intelligat spiritualia; cùm essentias rerum non penetret, nec veritates tum speculativas, tum practicas assequatur sine magno labore; cùm pauca, quæ scilicèt per se nota, aut ex per se notis proximè deducibilia, vel sensibus obvia sunt, facilè attingat; quid homini connaturale magis est, quàm posse ob luminis naturalis exiguitatem in plurimis caligare & errare? Porrò quæ in statu naturæ puræ malè fierent ab homine ex ignorantia invincibili, essent tantùm peccata materialia, quæ Deo, ut authori, non possent attribui, quia non essent à Deo, nisi ut permittente, & concurrente concursu generali ex officio causæ primæ, & secundùm exigentiam causarum secundarum.

Dices. S. Augustinus sæpè dicit ignorantiam non esse comitem naturæ, sed pœnam peccati. *R.* S. Doctorem loqui non de quavis ignorantia, sed de ea, qua homo laborat in præsenti statu, in quo parvuli propter peccatum originale carent cognitione ætati suæ conveniente, quam habuissent non solùm in statu innocentiæ, sed etiam in statu naturæ puræ, & dum adolescunt, ac deinceps in assequendis veritatibus tum speculativis tum practicis, ætati suæ convenientibus, difficultatem patiuntur magnam; quam difficultatem non essent experti in statu naturæ innocentis, in quo unusquisque cognitiones omnes, ætati & conditioni suæ consentaneas magna facilitate sibi comparasset; imò nec experti essent in statu naturæ puræ, in quo cum longè minori labore plerasque saltem cognitiones sibi convenientes comparasset homo, nec ad multas alias indiguisset gratiæ auxilio, sine quo in præsenti statu comparari non possunt. Tantam autem ignorantiam, tantamque in assequendis veritatibus etiam naturalibus difficultatem, quanta laboramus, non comitem naturæ; sed peccati pœnam esse rectè dixit Augustinus. Sed quid hoc contra statum naturæ puræ possibilitatem facit?

Dices. Christus non assumpsit ignorantiam, sicut nec carnis rebellionem. Non nisi quia ista non possunt

sunt esse in creatura rationali, sine precedente aliquo peccato. Ergo, &c. *R.* neg. min. Christus igitur non assumpsit ignorantiam, qui à primo instanti constitutus est Rex Angelorum & hominum, supremus Legislator, & omnium Judex, magni consilii Angelus, lux mundi, & sol justitiæ. Talem autem ignorantiæ & errori obnoxium esse, omninò dedecebat. Item Christus non assumpsit carnis rebellionem, nec pronitatem ad malum, quia hoc dedecebat majestatem ac sanctitatem Verbi, & salutis nostræ Mediatorem. Præterea, Christus ut homo, debuit habere sanctitatem participatam summam, seu qua major nec esse, nec cogitari potest. Atqui talis sanctitas in sua idea manifestè includit perfectissimam subjectionem corporis ad animam, sicut & animæ ad Deum. Ergo, &c.

Dices. Deus creavit primum hominem sine ignorantia. Non nisi quia ignorantia supponit aliquod peccatum. Ergo, &c. *R.* neg. min. & dico, Deum creasse primum hominem absque ignorantia, quia pro summa sua erga illum beneficentia voluit ita creare, cùm potuisset aliter. Præterea, cùm Adamus à creatione sua constitutus fuerit universi rector & gubernator, conveniens fuit, ut crearetur in adulta ætate, & scientia ad munus illud idonea instrueretur.

Obj. 8. Non potuit homo creari in eo statu, in quo obnoxius esset morbis, & laboribus sine prævia aliqua sua culpa. Atqui in statu naturæ puræ homo sine prævia aliqua sua culpa obnoxius esset, &c. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Cujus falsitas patet ex condemnatione hujus Bajanæ propositionis: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.* Ratio autem est, quia potuit homo creari à Deo cum defectibus sibi connaturalibus; & melius esset homini sic creari, quàm in nihilo relinqui. At quòd homo possit mori, ægrotare, fatigari, &c. sunt defectus ei connaturales; cùm constet non solùm anima, quæ naturaliter immortalis est, sed etiam corpore, cujus habitudo naturaliter vitiari potest, & cujus partes naturaliter dissolvi, atque organa debilitari possunt.

ARTICULUS III.

Utrùm status naturæ puræ, integræ, & innocentis, inter se differant.

Responsio I.

Status naturæ integræ differt à statu naturæ puræ. *Prob.* Nam status naturæ puræ potuit esse sine statu naturæ integræ. Ergo, &c. *Prob. ant.* Status naturæ integræ est ille, in quo natura præter essentiam, proprietates naturales, & concursum atque providentiam sibi naturaliter debitam, haberet perfectam subjectionem corporis ad animam, seu perfectam subjectionem appetitus materialis ad rationalem. Atqui hæc subjectio, in qua consistit donum integritatis, non est debita naturæ, sed superat omnem ejus exigentiam. Ergo status naturæ integræ includit aliquam perfectionem naturæ indebitam, & excedentem omnem ejus exigentiam, adeòque perfectionem aliquam, sine qua condi potuit natura, & quam non habuisset, si in puris naturalibus, hoc est, si in iis tantùm, quæ debentur ei naturaliter, condita fuisset. Ergo status naturæ puræ potuit esse sine statu naturæ integræ.

Prob. min. 1. Authoritate summorum Pontificum, qui hanc Baji propositionem condemnarunt: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ, sed naturalis ejus conditio.* 2. Ratione. Quia connaturale homini est, ut constet diversis facultatibus, voluntate scilicèt, & appetitu materiali; ut cognitio ejus incipiat à sensibus, seu ut in eo sensus priùs percipiant, quàm intellectus intelligat; ut actio appetitus materialis naturali necessitate sequatur actionem sensuum, & ita appetitus materialis ab objectis sensu perceptis moveatur priùs, quàm intellectus & voluntas agant. Ergo homini connaturale est, ut appetitus materialis actione sua præveniat usum rationis, & suo modo feratur in objecta sensibilia, etiam reluctante voluntate. Ergo homini connaturalis est pugna appetitus materialis cum rationali; adeòque perfecta subjectio appetitus materialis ad rationalem, est perfectio indebita homini, & omnem naturæ humanæ exigentiam superans.

Obj. 1. Natura pura esset natura integra. *R.* Natura pura, si existeret, esset integra in aliquo sensu, sed non in eo, de quo agitur. Esset integra, quatenùs privativè imperfecta non esset, per carentiam scilicet alicujus perfectionis sibi debitæ: at non esset integra in alio sensu, de quo tamen agitur hìc; quia esset negativè imperfecta, per carentiam scilicet magnæ alicujus perfectionis, cujus esset capax, quamvis non esset ei debita: careret enim concordia potentiarum, & intestina dissidia experiretur, carne adversùs spiritum, & spiritu adversùs carnem concupiscente.

Obj. 2. Homini existenti in statu naturæ puræ deberetur id, sine quo non posset servare legem naturalem, & consequenter sine quo non posset assequi naturalem suam beatitudinem. Atqui sine dono integritatis non posset servare legem naturalem, &c. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam in statu naturæ puræ ea esset corporis temperies & organorum dispositio, ut motus inordinati concupiscentiæ & infrequentiores & remissiores essent, quàm nunc sunt: unde longè minor esset infirmitas in illo statu, minorque in operando bono difficultas, quàm nunc est. Itaque in statu naturæ puræ posset homo sine dono integritatis totam legem naturalem servare, & servando, naturalem suam beatitudinem promereri: quia voluntas hominis in illo statu motus inordinatos concupiscentiæ antevertere, comprimere, aut eis consensum denegare, haud ægrè posset saltem per brevius aliquod vitæ tempus, quale à Deo homini ad promerendam beatitudinem naturalem in statu naturæ puræ constitueretur, si opus foret.

Responsio II.

Status naturæ integræ differt à statu naturæ innocentis.

Prob. Status naturæ integræ posset esse sine statu naturæ innocentis. Ergo sunt duo status distincti & diversi. *Prob. ant.* Nam status naturæ innocentis est ille, qui præter omnia naturalia, quæ essent in statu naturæ puræ, & præter perfectam subjectionem appetitus materialis ad rationalem, includit ordinationem ad supernaturalem finem, infusos habitus fidei, spei, & charitatis, multaque alia privilegia, concessa Adamo, & posteris ejus, si non peccasset, concedenda, quales sunt immunitas mortis, morborum, & aliorum incommodorum, quæ essent in statu naturæ puræ. Atqui sine his omnibus potuit esse status naturæ integræ: cùm hic status præter naturalia omnia non aliud dicat, quàm perfectam appetitus materialis cum rationali concordiam, quæ potuit esse sine ordinatione ad beatitudinem supernaturalem, sine infusione habituum fidei, spei, & charitatis, sine immunitate mortis, &c. ut per se clarum est. Unde à summis Pontificibus damnata est hæc Baji propositio: *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* Observandum tamen est, per naturam integram identidem à Theologis intelligi naturam innocentem.

Quæres. Quænam fuerint dotes hominis existentis in statu innocentis naturæ, vel, ut etiam aliter dicitur, in statu justitiæ originalis?

R. plurimas & præstantissimas fuisse. Nam 1. habuit corpus naturaliter perfectum, & immortale futurum, si non peccasset. 2. Non peccando, immunis futurus fuit à morbis, doloribus, aliisque quibuscumque miseriis, quibus nunc affligimur. 3. Instructus fuit scientia rerum naturalium, ætati & conditioni

suæ

ſuæ conſentanea. 4. Notitiam habuit rerum ſupernaturalium, Dei ut finis ultimi; & per viſionem beatificam poſſidendi, atque mediorum, quibus conſequi poſſet beatitudinem ſupernaturalem, ſeu intuitivam Dei viſionem, ad quam erat ordinatus. 5. Accepit Theologicos habitus fidei, ſpei, & charitatis, dona Spiritus ſancti, virtutes morales infuſas, imò & virtutes naturales, quales ab unoquoque proprio labore acquiri poſſunt, ut ſtatim non ſolùm poſſet, ſed etiam facilè poſſet actus virtutum omnium exercere. 6. Appetitus materialis ita rationi ſeu voluntati ſuberat, ut nunquam, niſi ea volente & imperante, erumperet in actus ſuos, atque nunquam eam præoccuparet, nunquam ei reſiſteret, nunquam eam induceret in malum, nunquam eam à bono & honeſto avocaret, unde nihil erat in homine, quo voluntas ejus ab exercitio virtutum impediretur, aut retardaretur.

ARTICULUS IV.

Utrùm homo in ſtatu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad cognoſcendum verum.

Responsio I.

HOmo in ſtatu innocentiæ non indigebat auxilio gratiæ ad cognoſcendas veritates naturales, quæ per ſenſus haberi poſſunt, aut ex rebus ſenſibilibus non ita difficilè erui.

Prob. Nam intellectus humanus cum concurſu ſibi naturaliter debito ad veritates illas aſſequendas ſufficit per ſe, & ſecluſis impedimentis, quibus ab actione ſua impediri, vel retardari poteſt. Atqui in ſtatu innocentiæ nulla erant ejuſmodi impedimenta. Ergo, &c. Minor eſt extra controverſiam. Majorem tradit S. Thomas 1. 2. q. 109. in O. ubi ſic ait: *Intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda, ad ea ſcilicet, in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire.* Unde concludit S. Doctor intellectum humanum ad veritates ejuſmodi cognoſcendas non indigere per ſe, niſi concurſu generali. *Sic igitur*, inquit, *dicendum eſt, quòd ad cognitionem cujuſcumque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus a Deo moveatur ad ſuum actum: non autem indiget ad cognoſcendam veritatem in omnibus nova illuſtratione, ſuperaddita naturali illuſtrationi, ſed in quibuſdam, quæ excedunt naturalem cognitionem*, & de quibus ſuperiùs ſic ipſe loquitur: *altiora vero intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur, ſicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum eſt naturæ ſuperadditum.*

Responsio II.

Homo in ſtatu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ non ſolùm ad cognoſcendas veritates ſupernaturales, ſed etiam ad cognoſcendas naturales multas, à ſenſibus valdè remotas, etiam ſingillatim ſumptas.

Et 1. quidem, quòd homo in ſtatu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad cognoſcendas veritates ſupernaturales, non habet difficultatem: nam per ſe manifeſtum eſt, veritates ſupernaturales excedere lumen naturale intellectus humani, & conſequenter ad illas aſſequendas opus eſſe lumine aliquo naturali lumini ſuperaddito, & naturæ indebito, quod proinde lumen gratiæ dicitur, ut ait S. Thomas loco proximè citato.

Prob. Ergo reſponſio de multis veritatibus naturalibus, non ſolùm collectivè, ſed etiam diſtributivè ſumptis: nam multæ ſunt veritates naturales, adeò abſtruſæ, & à ſenſibus remotæ, ut neque in ſe percipi, neque aliunde per diſcurſum certò & accuratè cognoſci poſſint. Talis eſt ſubſtantia Angelica, talia ſunt prima continui componentia, &c. Ergo ad illarum cognitionem opus erat ſupernaturali auxilio, etiam in ſtatu innocentiæ.

Obj. Infuſa fuit Adamo ſcientia omnium veritatum naturalium. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Adamus enim eam tantùm in ſui creatione ſcientiam accepit, quæ ætati & conditioni ejus conveniens erat, & qualis neceſſaria eſſe poterat ad decentem eruditionem, & ut propriis neceſſitatibus conſuleret, utque rectoris univerſi munus obiret. Porrò ſcientiam illam, quam accepit Adamus, non ſimiliter accepiſſent ejus poſteri, perſeverante ſtatu innocentiæ, ſed eam paulatim propria induſtria, vel aliorum doctrina comparaſſent, longè tamen faciliùs, quàm in hoc ſtatu naturæ lapſæ comparari poſſit.

ARTICULUS V.

Utrùm homo in ſtatu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad operandum bonum.

Responsio I.

HOmo in ſtatu innocentiæ non indigebat auxilio gratiæ ad exercenda opera moraliter bona ordinis naturalis, imò nec ad ſervandam totam legem naturalem.

Prob. 1. pars ex S. Thoma 1. 2. q. 109. a. 2. in O. ubi ſic ait: *In ſtatu naturæ integræ quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis, poterat homo per ſua naturalia velle & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ.* Ergo, &c. Certè ſi homo in ſtatu innocentiæ non poterat ſine auxilio gratiæ opera moraliter bona naturalis ordinis exercere, non poterat ob difficultatem ea exercendi. Atqui hoc dici non poteſt: nam ſi quam nunc exercendi ejuſmodi opera difficultatem habet homo, non habet, niſi propter peccatum Adami; adeòque ſi Adamus non peccaſſet, hanc difficultatem homo non haberet. Talis igitur difficultas non fuit in ſtatu innocentiæ; quando quidem talis difficultas non cepit eſſe, niſi cùm eſſe deſiit ſtatus innocentiæ.

Prob. 2. pars ex eodem S. Doctore 1. 2. q. 109. a. 4. in O. ubi hæc habet: *Implere mandata legis contingit dupliciter: uno modo, quantum ad ſubſtantiam operum, prout ſcilicet homo operatur juſta & fortia, alia virtutis opera: & hoc modo homo in ſtatu naturæ integræ potuit* (ſine gratia) *omnia mandata legis implere ..... ſed in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt homo implere omnia mandata divina ſine gratia ſanante. Alio modo poſſunt impleri mandata legis, non ſolùm quantum ad ſubſtantiam operis, ſed etiam quantum ad modum agendi, ut ſcilicet ex charitate fiant, & ſic neque in ſtatu naturæ integræ, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia legis mandata.* Juxta S. Doctorem igitur, homo in ſtatu innocentiæ omnia legis naturalis mandata ſervare poterat, opera virtutum per hanc legem præcepta exercendo, & quidem ex motivo virtutum illarum, vel ex alio motivo honeſto; poterat, inquam, ſine auxilio gratiæ; quamquam ſine auxilio gratiæ non poterat opera illa exercere, & exercendo legem naturalem implere ex motivo charitatis perfectæ, qua nimirùm Deus ut author gratiæ & gloriæ, diligitur excellenti quodam modo, qui naturalem hominis facultatem excedit quantumvis ſupponatur ſana & integra: unde ad illum homo in ſtatu innocentiæ pertingere non poterat ſine prævia ſupernaturali illuſtratione, & concurſu habitus infuſi.

Ratio à priori noſtræ aſſertionis eſt, quia homo in ſtatu innocentiæ habebat principium neceſſarium & per ſe ſufficiens cum naturali concurſu ad implendam totam legem naturalem: habebat enim intellectum inſtructum ſufficienti ſcientia, ſine ignorantia eorum, quæ homo poteſt & tenetur ſcire; & voluntatem habitualiter propenſam ad omne honeſtum; & rectæ rationi conſentaneum; & aliunde non aderant impedimenta, quibus difficilis redderetur legis obſervatio: nam appetitus materialis perfectè

etè superat appetitui rationali; neque permittebatur dæmon sævire, imaginationem perturbare, humores commovere, debitam attentionem impedire.

Obj. 1. Sunt quædam jura naturalia adeò abstrusa, ut non potuerint etiam in statu innocentiæ detegi sine auxilio gratiæ. Ergo etiam in statu innocentiæ non potuit sine gratiæ auxilio servari tota lex naturalis. Neg. ant. *Probabis*. Sunt aliquæ veritates practicæ adeò abstrusæ, ut non potuerint etiam in statu innocentiæ sine auxilio gratiæ detegi. Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis*. Sunt aliquæ veritates speculativæ adeò abstrusæ, ut ad eas etiam in statu innocentiæ detegendas auxilium gratiæ necessarium fuerit. Ergo similiter, &c.

R. neg. conseq. Disparitas est, quia aliquæ sunt veritates speculativæ, etiam naturales, quæ neque in se ipsis cognosci, neque aliunde per discursum certò colligi possunt solo lumine naturali: unde certa earum & clara notitia superat captum intellectus humani. At nullæ sunt veritates practicæ naturales, quæ non possint aut in se ipsis cognosci, aut ex aliis notioribus certò colligi: intellectus enim humanus per se, & seclusis impedimentis, quæ passim occurrunt in hoc statu naturæ lapsæ, potest cum naturali concursu ex principiis moralibus per se notis conclusiones morales propinquiores, ex propinquioribus remotiores, & ex remotioribus remotissimas eruere, propter concatenationem, seu propter naturalem conclusionem remotissimarum cum remotioribus, remotiorum cum propinquioribus, & propinquiorum cum principiis moralibus per se notis connexionem. Unde nullæ sunt veritates practicæ naturales, quæ per se, & seclusis impedimentis, excedant vim naturalem intellectus humani.

Obj. 2. Præceptum, primis parentibus impositum, fuit de omissione actus naturalis, nempe de non comedendo certo fructu, & tamen illud servare non potuerunt sine gratiæ auxilio. Ergo non potuerunt sine auxilio gratiæ servare præcepta legis naturalis. *R.* neg. conseq. Nam præceptum illud de non comedendo certo fructu non fuit præceptum legis naturalis, sed legis positivæ divinæ: adeòque non potuit intimari primis parentibus, nisi per revelationem divinam, & sic illis non potuit sufficienter innotescere & proponi absque supernaturali illustratione, in qua consistebat gratia status innocentiæ. Quare non potuerunt primi parentes præceptum de non comedendo fructu implere absque adjutorio interioris gratiæ, statui, in quo erant, convenientis. Aliud autem est de præceptis legis naturalis, ad quorum intimationem & propositionem sufficientem non requirebatur supernaturalis illustratio, sed sufficiebat lumen naturale.

Obj 3. Lex naturalis præcipit amorem Dei propter se. Sed homo in statu innocentiæ non poterat sine gratia amare Deum propter se. Ergo, &c. *Resp.* dist. maj. Lex naturalis præcipit amorem Dei propter se, ut authoris naturæ, C. maj. Ut authoris gratiæ & gloriæ, vel, si vis, ut beatificantis creaturam rationalem per intuitivam sui visionem. N. maj. dist. min. Homo in statu innocentiæ non poterat sine gratia amare Deum propter se, ut authorem gratiæ & gloriæ, ut beatificantem creaturam rationalem per visionem sui intuitivam, C. min. Amare Deum propter se ut authorem naturæ, adeòque rerum omnium naturalium finem ultimum, N. min. Disparitatis autem ratio facilis est: nam homo in statu innocentiæ Deum ut authorem gratiæ ac gloriæ, & objectum supernaturalis beatitudinis cognoscere non potuit sine revelatione & supernaturali illustratione, adeòque ut talem sine revelatione & supernaturali illustratione, quæ fuit gratia hominis innocentis, amare propter se non potuit. Ad Deum verò ut authorem naturæ, rerumque omnium naturalium ultimum finem cognoscendum non indigebat homo in statu innocentiæ nisi lumine naturali; proindeque homini in statu innocentiæ ad diligendum Deum propter se authorem naturæ, & rerum omnium naturalium finem ultimum, sufficiebant facultates naturales, intellectus scilicèt & voluntas.

Dices. Lex ntturalis præcipit amorem Dei propter se ut authoris naturæ, rerumque omnium naturalium finis ultimi non qualemcumque, sed amorem, qui sit super omnia: præcipit enim homini ut Deum tanquam authorem naturæ & rerum omnium naturalium finem ultimum diligat plusquam se, & cætera omnia: præcipit enim ut dilectionem sui & cæterorum omnium referat ad dilectionem Dei. Atqui diligere Deum super omnia, etiam ut authorem naturæ, & rerum omnium naturalium finem ultimum, superat vires naturæ. Ergo homo nunquam, adeòque nec in statu innocentiæ, potuit legis naturalis præceptum de diligendo Deo implere sine auxilio gratiæ.

R. dist. min. Diligere Deum super omnia etiam ut authorem naturæ, &c. superat vires naturæ corruptæ, & per peccatum depravatæ, C. min. Superat vires naturæ sanæ & integræ, N. min. At in statu innocentiæ natura fuit sana & integra, quare homo in statu innocentiæ potuit ex solis viribus naturæ, cum concursu naturali, & absque adjutorio superaddito diligere Deum propter se super omnia ut authorem naturæ, & rerum omnium naturalium finem ultimum. Hanc totam doctrinam tradit S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 3. in O. ubi sic loquitur: *Homo in statu naturæ integræ poterat operari virtute suæ naturæ bonum, quod est sibi connaturale, absque superadditione gratuiti doni, licèt non absque auxilio Dei moventis: diligere autem Deum super omnia est quiddam connaturale homini .... unde homo in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei, sicut ad finem: & similiter delectionem omnium aliarum rerum: & ita Deum diligebat plusquam se ipsum, & super omnia. Sed in statu naturæ corruptæ homo ad hoc deficit secundùm appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei. Et ideò dicendum est, quod homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.*

Dices. Amor, quo Deus super omnia diligitur, est actus charitatis. Atqui ad actum charitatis producendum homo indigebat auxilio gratiæ in statu innocentiæ. Ergo homo in statu innocentiæ, ad producendum amorem, quo Deus super omnia diligitur, indigebat auxilio gratiæ. *R.* cum S. Thoma art. citato ad 1. Amor, quo Deus super omnia diligitur ut principium & finis boni naturalis, est actus charitatis, N. maj. Amor, quo Deus super omnia diligitur ut amicus, & objectum supernaturalis beatitudinis, est actus charitatis, C. maj. & concessa pariter minore, & dist. conseq. Ergo homo in statu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad producendum amorem, quo Deus super omnia diligitur ut objectum supernaturalis beatitudinis, & amicus, & quandam nobiscum habens societatem spiritualem, C. conseq. Hic enim amor habet excellentem quemdam in Deum tendendi modum, ad quem sufficere non potest naturalis facultas, quantumvis sana & integra. Quo Deus super omnia diligitur ut principium & finis boni naturalis, N. conseq. Hic enim amor non habet aliquem in Deum tendendi modum, ad quem pertingere non possit naturalis facultas naturæ sanæ & integræ, adjuta scilicet concursu sibi naturaliter debito: *Charitas*, inquit S. Doctor, *diligit Deum super omnia eminentiùs, quàm natura; natura enim diligit Deum super omnia, prout est principium & finis naturalis boni: charitas autem secundùm quòd est objectum beatitudinis, & secundùm quod homo habet quandam societatem spiritualem cum Deo: addit enim charitas supernaturalem dilectionem Dei, promptitudinem quamdam & delectationem*. Addit etiam majorem appretiationem & firmitudinem.

At

At inquies. Amor, quo Deus super omnia diligitur, etiam ut est principium & finis boni naturalis, est amor Dei summus. Ergo tam superat vires naturales naturæ sanæ & integræ, quàm actus charitatis, quo Deus super omnia diligitur ut objectum supernaturalis beatitudinis. *R.* dist. ant. Amor, quo Deus, &c. est amor Dei summus, quantùm ad gradum dilectionis, C. ant. Nam diligere Deum super omnia, est summus gradus dilectionis. Est amor Dei summus, etiam quantùm ad rationem diligendi, & modum dilectionis, N. ant. Actus enim charitatis, quo Deus super omnia diligitur ut objectum clara & intuitiva sui visione beatificans, excellentiorem habet rationem & modum diligendi Deum. Ita docet S. Thomas art. cit. ad 3. *Amor*, inquit, *dicitur summus, non solùm quantùm ad gradum dilectionis, sed etiam quantùm ad rationem diligendi & dilectionis modum: & secundùm hoc summus gradus dilectionis est, quo charitas diligit Deum ut beatificantem.*

Itaque juxta S. Doctorem, amor quo Deus propter se diligitur ut principium & finis omnis boni naturalis, est quidem summus secundùm aliquam considerationem, quatenùs per illum homo diligit Deum plus quàm se & cætera omnia naturalia, adeòque super omnia: at non est summus simpliciter, quia quoad rationem diligendi & modum dilectionis, superatur ab alio amore Dei, nempe ab amore charitatis, quo diligitur Deus super omnia ut objectum beatificans per claram & intuitivam sui visionem, seu ut summum bonum perfectissimè possidendum; quæ ratio diligendi Deum summa est, quia alia excellentior esse non potest. Unde amor charitatis summus est non solùm quoad gradum dilectionis, quatenùs diligit Deum super omnia, sed etiam quoad rationem diligendi Deum; sed & summus est quoad modum dilectionis, quia diligit Deum modo proportionato rationi diligendi, adeòque modo quo alius esse non potest excellentior. Quare amor charitatis summus est simpliciter; neque mirum est, quòd excedat naturalem facultatem naturæ etiam sanè & integræ, proindeque quòd homo in statu innocentiæ opus habuerit auxilio superaddito, confortante & elevante naturalem facultatem ad rationem illam & modum illum, quo charitas diligit Deum super omnia propter se.

Responsio II.

Homo in statu innocentiæ indigebat auxilio gratiæ ad producendos actus virtutum infusarum fidei, spei, charitatis, &c. ad servandam legem supernaturalem, & ad perseverandum in integritate ac sanctitate acceptа.

Prob. 1. *pars.* 1. Ex S. Augustino, lib. de corr. & grat. c. 11. ubi de Adamo sic loquitur: *Nec ipsum ergo Deus sine sua gratia esse voluit, quam reliquit in ejus libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem* (quod in virtutum infusarum actibus exercendis consistit) *nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* 2. Ex S. Thoma 1. 2. q. 109. art. 2. in O. ubi dicit, hominem in statu naturæ integræ potuisse quidem per sua naturalia velle & operari bonom suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ; at non potuisse *bonum superexcedens, quale est bonum virtutis infusæ.* Ratio autem à priori est, quia actus virtutum infusarum habent excellentem quemdam in objectum tendendi modum, vi cujus sunt in ordine divino, & ad quem sufficere non possunt vires naturæ, quantumvis sana sit & integra: quare indiget non solùm supernaturali illustratione, sed etiam habitibus infusis, aut saltem concursu extraordinario, quo confortetur, & elevetur ad modum illum, in excellenti quadam objecti appretiatione positum; ex qua appretiatione sequitur excellens quædam actus firmitas, & ad objectum adhæsio, naturalem hominis facultatem, sanam licèt & integram, superexcedens.

Dices. Amor charitatis, quo Deus diligitur super omnia, ut summum bonum beatificans, non est magis appretiativus Dei, quàm amor naturalis; quo Deus diligitur super omnia, ut principium & finis omnis boni naturalis. Ergo actibus virtutum infusarum gratis attribuitur excellens in objectum tendendi modus, qui superexcedat vires naturæ sanæ & integræ. *R.* dist. ant. Amor charitatis, quo Deus, &c. non est magis appretiativus, magis, inquam, extensivè, aut etiam intensivè, quàm amor naturalis, quo Deus, &c. Esto. Magis specificè, N. ant. Esto igitur, quòd amor charitatis nec Deum præferat pluribus objectis, nec habeat plures gradus intensionis: at habet appretiationem Dei specificè majorem, seu perfectiorem, & altioris ordinis ad illam Dei appretiationem, quam habet amor naturalis. Unde neg. conseq.

Secunda pars responsionis sequitur ex prima. Nam lex supernaturalis actus virtutum infusarum præcipit. Tertia pars sequitur ex secunda. Nam primus homo in integritate & sanctitate accepta permanere non poterat, nisi observando legem supernaturalem. Hinc S. Augustinus loco proximè citato ita ait: *Istam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus, sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset.*

ARTICULUS VI.

Utrùm in statu naturæ lapsæ major sit naturæ infirmitas, quàm esset in statu naturæ puræ.

Nota. Status naturæ lapsæ est præsens status, in quo natura propter peccatum ab Adamo, ut capite morali generis humani, commissum, è statu integritatis & originalis justitiæ delapsa est. Duplex autem distingui potest status naturæ lapsæ; unus scilicet naturæ lapsæ, & non reparatæ quoad malum culpæ, qualis est in non baptizatis, & originali peccato maculatis, vel baptizatis, sed mortalis alicujus personalis culpæ rei; alter verò naturæ lapsæ, sed reparatæ per justificationis gratiam quoad malum culpæ, quamvis non quoad malum pœnæ, quæ multiplex est, nempe rebellio carnis adversùs spiritum, mortalitas, morbi, aliaque incommoda, à quibus non liberamur, etiam cùm justificamur. Hinc in utroque statu naturæ, non reparatæ scilicet, & reparatæ quoad malum culpæ, eadem est, per se loquendo, & seclusis specialibus auxiliis, quæ naturæ debita non sunt, infirmitas, atque difficultas in exercendis bonis operibus. Jam verò, si statum naturæ lapsæ cum statu naturæ purè comparemus, quæstio est, utrùm in natura lapsa eadem sit infirmitas & difficultas, quæ foret in natura pura.

Responsio.

Major est infirmitas & difficultas circa bonum exercendum, & malum vitandum in natura lapsa, quàm foret in natura pura.

Prob. ex Conc. Tridentin. sess. 5. can. 1. ubi definitur, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi, iram & indignationem Dei, atque adeò mortem, quàm antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli; *totumque Adam per illam prævaricationem offensam secundùm corpus & animam in deterius commutatum fuisse.* Hæc autem postrema verba, *totumque Adam*, &c. vel nihil addunt superioribus, quibus dictum est, *primum hominem Adam amisisse sanctitatem & justitiam*, quod dici non debet; vel significant primum hominem ob prævaricationem suam non solùm spoliatum fuisse donis gratuitis & supernaturalibus, quibus exornatus fuerat in sui creatione, sed etiam vulneratum fuisse in naturalibus per læsionem virtum

natu-

naturalium in ordine ad bonum faciendum, & vitandum malum. Quæ læsio non fuisset in statu naturæ puræ, in quo vires naturales integræ fuissent. Ergo, &c.

Prob. ratione. Ibi major est infirmitas & difficultas, ubi major est rebellio carnis adversùs spiritum; major ignorantia; major propensio voluntatis ad bona sensibilia rationi contraria; ubi organa corporea deteriùs se habent: nam anima in suis operationibus non parùm dependet ab organis corporeis; unde eo pejus operatur, quo illa se habent pejus. Atqui 1. major est rebellio carnis adversus spiritum in natura lapsa, quàm esset in natura pura; quia in natura lapsa propter pravam corporis habitudinem, appetitus materialis faciliùs, promptiùs & vehementiùs exardescit circa sensibilia, rationi repugnantia; minùs à Deo refrænatur in pœnam peccati originalis, quàm refrænaretur in natura pura, quæ hujusmodi peccatum non haberet; magis denique & frequentiùs ad turpes & inordinatos motus incitatur à dæmonibus, qui nunc liberiùs tentare hominem permittuntur à Deo, quàm permitterentur in natura pura, & magis sæviunt, quia magis nunc invident homini, quàm inviderent in statu naturæ puræ, in quo homo non esset ordinatus, nec tenderet ad supernaturalem beatitudinem, ad quam ipsi ordinati fuerant, & à qua in æternum sua culpa exciderunt.

2. Major est ignorantia in natura lapsa, quàm esset in natura pura: intellectus enim in natura lapsa longè majorem in discernendo vero à falso difficultatem patitur, quàm pateretur in natura pura; tum propter vehementiores passionum æstus, quibus obscuratur; tum propter majores & frequentiores dæmonum illusiones, quibus decipitur; tum propter imbecillitatem sensuum, à quibus minùs adjuvatur; tum propter plurima incommoda, quibus distrahitur; tum propter majores, frequentiores & diuturniores corporis ægritudines, quibus debilitatur: quare quamplurimis, ne verum discernat, impeditur modis, quibus non impediretur in statu naturæ puræ.

3. Major est in natura lapsa, quàm esset in natura pura; habitualis propensio voluntatis ad prosequenda bona sensibilia, rationi repugnantia, majorque segnities ad prosequenda honesta repugnantia sensibus; quia voluntas naturaliter conspirat cum appetitu materiali; & ad illum plurimùm afficitur. At appetitus materialis ut jam dictum est, propter pravam corporis habitudinem, providentiam minùs favorabilem, majorem dæmonum sævitiam, multò efferacior est, multòque magis ad turpia, & alia rectæ rationi adversantia suo modo fertur & propendet, quàm propenderet in natura pura.

4. Denique, organa corporea deteriùs se habent in natura lapsa, quàm se haberent in natura pura, propter minorem parentum in generando libidinem, alimentorum qualitatem, meliorem astrorum aspectum, & favorabiliorem aliarum causarum naturalium ordinem, naturæ puræ debitum, & quo privamur in statu naturæ lapsæ in pœnam peccati originalis.

Obj. Ex S. Thoma 1. p. q. 95. art. 1. in O. in homine post peccatum originale omnia naturalia manserunt integra. *R.* neg. Nam docet quidem, vel potiùs supponit in homine post peccatum originale omnia naturalia mansisse; at nec docet, nec supponit, mansisse integra; & contrarium docet 1. 2. q. 109. ar. 2. in O. ubi dicit, *In statu naturæ corruptæ deficere hominem ad hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia*; quamquam tamen, *quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest etiam in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere . . . non tamen totum bonum sibi connaturale; ita quod in nullo deficiat, nisi prius sanetur auxilio gratiæ; sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ.* Ex quibus colligit S. Doctor hominem in statu naturæ lapsæ auxilio gratiæ, naturæ superaddito, opus habere, non solùm ut possit exercere actus virtutum infusarum, qui naturæ etiam sanæ vires superexcedunt, sed etiam ut possit totum bonum sibi connaturale, ad quod necesse est, ut sanetur ab ægritudine & infirmitate per peccatum originale contracta; quam sanitatem consequi non potest, nisi per gratiam naturæ superadditam: *Sic igitur*, inquit Angelicus Doctor, *virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo . . . in statu naturæ corruptæ, quantum ad duo, scilicèt ut sanetur* (ad hoc ut possit totum bonum sibi connaturale) *& ulterius ut bonum virtutis supernaturalis operetur.*

A. 3. in O. dicit S. Doctor, quòd *diligere Deum super omnia*, ut principium scilicet & finem omnis boni, *est quiddam connaturale homini*: unde homo in naturæ integræ statu per solas naturæ vires Deum plus quàm se ipsum & super omnia diligebat ut principium & finem omnis naturalis boni: *Sed in statu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei.* Et ideò homo, qui *in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ, superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia . . . in statu naturæ corruptæ indiget etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.*

Ex his autem sic argumentor. Si in præsenti statu naturæ lapsæ naturales hominis vires non essent læsæ, posset homo in hoc statu omne bonum, quod ipsi connaturale est, posset, inquam, cum solo concursu naturaliter debito, & absque auxilio gratuito, viribus naturalibus superaddito: bonum enim, quod homo ex natura rei non potest sine tali auxilio, non est ipsi connaturale, sed supernaturale, aut saltem præternaturale, ut patet ex terminis. Atqui homo in hoc statu naturæ lapsæ, juxta S. Thomam, non potest omne bonum, sibi connaturale, facere cum solo concursu naturaliter debito, sed ad hoc indiget auxilio gratuito, viribus naturalibus superaddito. Ergo juxta S. Thomam, naturales hominis vires læsæ sunt & imminutæ per peccatum originale, adeòque minores sunt, minùsque valentes in hoc statu naturæ lapsæ, quàm essent in statu naturæ puræ, in quo non esset peccatum originale, per quod læderentur & imminuerentur.

Confirm. Juxta S. Thomam, diligere Deum super omnia ut principium & finem omnis boni naturalis, est homini connaturale. Ergo juxta S. Thomam, debet homo per solas vires naturales, secluſa omni earum læsione & imminutione, posse sic Deum diligere cum concursu naturaliter debito: nam si non potest, sed ad hoc præterea indiget auxilio indebito, adeòque supernaturali, seu naturæ exigentiam superante, non magis erit connaturale homini diligere Deum super omnia ut principium & finem omnis naturalis boni, quàm eum diligere super omnia ut summum bonum per intuitivam sui visionem beatificans. Ergo juxta S. Thomam, in statu naturæ puræ, in quo nulla esset virium naturalium læsio & imminutio, homo cum solo concursu naturaliter debito posset Deum super omnia diligere ut principium & finem omnis naturalis boni. Ergo juxta S. Thomam, homo cum solo concursu naturaliter debito plus posset in statu naturæ puræ, quàm possit in statu naturæ lapsæ: nam juxta eundem S. Doctorem, homo in hoc statu naturæ lapsæ sine auxilio gratuito, & superaddito naturæ, eamque sanante, non potest Deum super omnia diligere, etiam ut principium & finem omnis naturalis boni. Ergo juxta S. Thomam, naturales hominis vires majores & valentiores essent in natura pura, quàm sint in natura lapsa, in qua homo, quia bono naturæ non privatur totaliter, potest adhuc aliquod bonum sibi connaturale agere per virtutem naturæ suæ; at non potest omne sine auxilio sanante, quia bono naturæ privatur ex parte; atque ita se habet ad modum

dum ægroti, qui potest per se ipsum aliquem motum habere, quia vires ejus per ægritudinem non sunt penitus extinctæ; at non potest perfectè moveri motu hominis sani, sine auxilio medicinæ, propter virium imminutionem.

ARTICULUS VII.

Verum gratiæ sanitatis & gratiæ medicinalis discrimen exponitur.

Propositio I.

ADamus in statu innocentiæ ad faciendum bonum & vitandum malum modo salutari, indigebat supernaturali illustratione.

Prob. 1. ex S. Augustino lib. de natura & gratia cap. 48. ubi in hæc Pelagii verba, *Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est. Quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare, non nostrum*; ita differit; *Si de integritate & sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus . . . nec sic rectè diceret, quod non peccare, nostrum tantummodò sit, quamvis peccare nostrum esset: nam & ibi esset adjutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant, se præbere volentibus.* Juxta S. Augustinum, in statu innocentiæ peccare, nostrum esset tantummodò, quia ad peccandum non indigeremus speciali auxilio Dei. At propter oppositam rationem falsum est, quòd non peccare tantummodò nostrum esset; nam ad non peccandum, speciali aliquo Dei adjutorio, reliquis, quibus potiremur, gratuitis donis superaddito, indigeremus, quod adjutorium esset menti nostræ tanquam lumen sanis oculis. Adjutorium autem illud, quod nobis esset, tanquam lumen sanis oculis, aliud profectò esse non posset, quàm illustratio cælitus immissa, qua quid & quomodo agendum, quid & quomodo vitandum esset, nobis ostenderetur. Ergo ex S. Augustino, &c.

Prob. 2. Homo in nullo statu potest, adeòque in statu innocentiæ non poterat velle & operari sive naturaliter sive supernaturaliter, sive prævia cogitatione directiva volitionis & operationis. Sed hæc cogitatio volitionis & operationis directiva, vel est prima aliqua cogitatio; vel ex prima aliqua cogitatione propter connexionem aut affinitatem naturali necessitate mediatè aut immediatè sequitur; vel denique ex ea per discursum deducitur mediatè aut immediatè. Ergo homo in statu innocentiæ non poterat velle & operari supernaturaliter sine prima aliqua cogitatione, & quidem volitioni & operationi supernaturali proportionata, adeòque sine prima aliqua cogitatione supernaturali. Atqui prima cogitatio naturalis, proindeque à fortiori supernaturalis, non est in potestate hominis, in quocumque tandem statu supponatur existere: *Quia*, inquit S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 25. *voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum: quid autem quisque velsumat, vel respuat, est in potestate; sed quo viso tangatur, nulla potestas est.* Quod tam dicit S. Doctor pro statu innocentiæ, quàm pro quocumque alio statu, ut patet ex subsequentibus. Ergo homo in statu innocentiæ non poterat velle & operari supernaturaliter sine cogitatione supernaturali, quæ non erat in ejus potestate, adeòque sine cogitatione, ad quam intellectus ejus à Deo ut authore gratiæ elevaretur & determinaretur? si enim non erat in hominis potestate, non poterat aliunde esse, quàm à Deo elevante & determinante intellectum hominis. Unde illud Apostoli 1. Cor. cap. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; tam ad hominem innocentem pertinet, quàm ad hominem lapsum. Ergo, quod probandum erat, homo in statu innocentiæ, ad faciendum bonum & vitandum malum modo salutari, indigebat supernaturali illustratione; cùm supernaturalis illustratio sit supernaturalis cogitatio, ad quam intellectus hominis à Deo elevatur & determinatur.

Porpositio II.

Adamus in statu innocentiæ, ad faciendum bonum, sicut oportet ad salutem, non indigebat supernaturali motu indeliberato complacentiæ vel desiderii, quo voluntati bonum, per supernaturalem illustrationem propositum, suaviter placet.

Prob. Nam posita supernaturali illustratione, qua bonum salutare proponebatur voluntati Adami in statu innocentiæ, Adami voluntas, secluso supernaturali motu indeliberato complacentiæ vel desiderii circa illud bonum, habebat omnia ad illud, sicut oportet faciendum necessaria. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam habebat, 1. habitus supernaturales, quibus erat intrinsecè & permanenter habilis ad operandum supernaturaliter. 2. Indifferentiam activam expeditissimam vi cujus, suppositâ sufficienti cognitione ad operandum supernaturaliter, poterat pro arbitrio uti supernaturalibus illis habitibus, quibus erat instructa. 3. Donum integritatis, quo sana erat & robusta, seu vi cujus intrinsecùs nihil aderat, quo impediretur, vel retardaretur à prosecutione boni salutaris, seu à volitione & operatione salutari. 4. Sufficientem ad bonum salutare benè volendum & operandum cognitionem, ut supponitur.

Ex his autem facilè intelligitur, Adamum in statu innocentiæ ad malum vitandum salutariter non indiguisse supernaturali motu indeliberato displicentiæ vel fugæ circa illud, aut complacentiæ vel desiderii circa bonum oppositum: facilè enim intelligitur, quòd voluntas Adami in statu innocentiæ divinitùs illustrata circa malum vitandum, & modum illud salutariter vitandi, omnia ad illud fugiendum & salutariter fugiendum necessaria haberet, secluso omni motu indeliberato sive displicentiæ vel fugæ circa illud, sive complacentiæ vel desiderii circa bonum oppositum.

Hanc porrò doctrinam non potest non admittere Jansenius, qui gratiam medicinalem, quàm à gratia sanitatis vult essentialiter esse diversam, constituit in cælesti suavitate seu delectatione, & probat toto ferè libro quarto de gratia Christi Salvatoris. C. 1. sic loquitur: *Vestigiis igitur sanctissimi & securissimi Doctoris inhærere qui statuerit, non multùm in ista difficultate, quæ tantopere recentiorum industriam exercuit, laborabit. Videbit enim perspicuè ex omnibus operibus ejus ac locis inter se concinentibus, gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem Schola vocat, non aliud esse, quàm cælestem quandam atque ineffabilem suavitatem, seu spiritalem delectationem, qua voluntas prævenitur & flectitur, ad volendum faciendumque quicquid eam Deus velle & facere constituerit.*

Per hanc autem cælestem suavitatem seu delectationem, in qua gratiam medicinalem constituit, non aliud intelligit, quàm supernaturalem motum indeliberatum complacentiæ vel desiderii circa bonum salutare. Patet vel ex solo titulo, quem præfigit capiti undecimo ejusdem libri. *Delectatio ista cælestis, secundum Augustini mentem, est actus vitalis & indeliberatus animæ; & quidem amoris ac desiderii, præcedentis consensum, ac delectationem illam, quæ & quies animi & gaudium dicitur.* Ex quibus sic argumentor breviter. Gratia medicinalis, juxta Jansenium, consistit in cælesti delectatione, hoc est, in vitali & indeliberato motu animæ, quo anima delectatur bono salutari. Ergo vel Adamus in statu innocentiæ ad bonum volendum & operandum modo salutari, non indigebat vitali & indeliberato motu animæ, quo voluntati suaviter placet bonum salutare; vel gratia sanitatis non fuit diversa quoad substantiam à gratia medicinali. Secundum repugnat Jansenii doctrinæ. Ergo, &c.

Confirm. Quia juxta Jansenium eod. lib. c. 7. *delectationis necessitas oritur ex infirmitate voluntatis, qua*

qua fit, ut nihil boni amplecti possit, nisi delectet. Hæc autem infirmitas, juxta eundem, non fuit in statu innocentiæ, in quo voluntas fuit sana & robusta propter donum integritatis: nec nisi propter privationem hujus doni voluntas est nunc infirma, adeòque ad bonum salutare volendum & operandum nunc indiget delectatione cœlesti, seu vitali & indeliberato motu animæ, quo suaviter placet bonum salutare. Ergo juxta Jansenium, hic animæ motus non fuit Adamo necessarius ad volendum & operandum bonum salutare in statu innocentiæ.

Adde quòd juxta Jansenii principia, Adamus habere non potuerit cœlestem delectationem in statu innocentiæ, sine jactura libertatis indifferentiæ: cùm enim in hoc statu non habuerit terrenam delectationem, quæ in indeliberatis concupiscentiæ motibus consistit, si cœlestem habuit, solam habuit, & consequenter, secundùm principia Jansenii, fuit ab illa antecedenter & insuperabiliter obligatus ad alteram partem contrarietatis, nempe ad volendum & operandum bonum; sicut secundùm eadem principia, in præsenti statu, antequam gratia medicinalem accipiat, quia terrenam habet delectationem, & solam habet, ab ea antecedenter & irresistibiliter ad alteram partem contrarietatis, nempe ad malum volendum & operandum, determinatus est. Itaque unum è duobus eligat Jansenius, aut quòd Adamus non habuerit libertatem contrarietatis in statu innocentiæ; vel quòd in eo statu caruerit delectatione cœlesti, adeòque nec illa indiguerit ad volendum & operandum bonum salutare.

Propositio III.

Homo in statu naturæ lapsæ, ad bonum volendum & operandum sicut oportet ad salutem, indiget supernaturali illustratione, & supernaturali motu indeliberato complacentiæ vel desiderii, quo voluntas delectatur bono salutari.

Prob. 1. *utraque pars propositionis*, ex S. Augustino, lib. de spir. & litt. c. 3. *Hos autem dicimus*, inquit, *humanam voluntatem* (in hoc statu naturæ lapsæ) *sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam* (non solùm forinsecùs, sed etiam intrinsecùs per illustrationem propositam) *qua præcipitur quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod est Deus .... ut hac sibi, velut arrha data gratuiti muneris, inardescat inhærere Creatori, atque inflammentur accedere ad participationem illius veri luminis, ut ex illo ei bene sit à quo habet ut sit. Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via* (ecce necessitas supernaturalis illustrationis,) *& cùm id quod agendum, & quo nitendum est, cœperit non latere nisi etiam delectet*, (ecce necessitas supernaturalis illius motus indeliberati, quo bonum salutare arridet volnntati) *& ametur*, (en boni salutaris amor deliberatus & efficax, ejusdem boni indeliberatam delectationem præsupponens,) *non agitur, non suscipitur, non benè vivitur. Ut autem diligatur* (deliberatè scilicet & efficaciter) *charitas Dei* (hoc est summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est, dilectio indeliberata, qua inhærere Creatori inardescit voluntas, atque inflammatur accedere ad participationem illius veri luminis,) *diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Prob. 2. ratione pro prima parte, seu pro necessitate illustrationis. Nam quod dictum est ad asserendam illustrationis necessitatem pro statu innocentiæ, tam, imò & à fortiori valet ad asserendam pro statu naturæ lapsæ. Itaque homo in præsenti statu ad volendum & operandum supernaturaliter, indiget prima aliqua cogitatione, quæ sit volitioni & operationi supernaturali proportionata, adeòque supernaturalis sit. Ergo ad volendum & operandum supernaturaliter, indiget aliqua cogitatione supernaturali, quæ non est in ejus potestate: cùm nequidem prima cogitatio naturalis sit in potestate hominis. Ergo ad volendum & operandum supernaturaliter, indiget cogitatione aliqua supernaturali, à Deo immissa, hoc est, cogitatione aliqua supernaturali, ad quam intellectus ejus à Deo elevetur, & determinetur. Ergo ad volendum & operandum supernaturaliter, indiget supernaturali illustratione: supernaturalis enim cogitatio, ad quam Deus per se elevat & determinat intellectum hominis, dicitur & est supernaturalis illustratio.

Præterea, homo ad volendum & operandum supernaturaliter, indiget cogitatione directiva volitionis & operationis supernaturalis. Atqui hæc cogitatio vel est deliberata & imperata à voluntate, vel indeliberata & omne libertatis exercitium antecedens. Si primum: est actus fidei. Omnis autem actus fidei supponit illustrationem supernaturalem ostendentem intellectui objectum revelatum & revelationem divinam sicut oportet ad supernaturalem assensum. Si secundum, vel ad eam intellectus determinatur à causa aliqua naturali, vel à Deo ut authore naturæ, vel denique à Deo ut authore gratiæ. Non primum: nam ulla causa naturalis determinare potest ad cogitationem supernaturalem. Non etiam secundum. nam Deus, ut author naturæ, non determinat, nisi ad cogitationem naturalem. Ergo tertium dici debet, nempe quòd Deus ut author gratiæ, intellectum elevet & determinet ad hanc cogitationem indeliberatam, quæ proinde erit supernaturalis illustratio. Ergo quod probandum erat, homo non potest velle & operari supernaturaliter, sine prævia aliqua illustratione supernaturali, quæ vel per se immediatè exhibet intellectui objectum salutare, qua tale, & modum salutarem illud volendi & operandi; vel certè alteri supernaturali cogitationi id præstanti, prælucet.

Prob. 3. ratione pro secunda parte, seu pro necessitate supernaturalis motus indeliberati complacentiæ, vel desiderii circa bonum salutare. Quia ex peccato originali tanta in voluntate relicta est infirmitas, & voluntas ita efferatæ concupiscentiæ vinculis constricta tenetur, ut, quamtùmvis cœlesti lumine perfusa, & supernaturalibus habitibus instructa, nullatenùs valeat assurgere ad bonum salutare volendum & operandum modo salutari, nisi excitetur, sanetur & corroboretur per motum illum indeliberatum, qui naturæ corruptæ vires omninò superat, & quem Deus mirabiliter & ineffabiliter operatur in voluntate, quam elevat & determinat ad amorem & desiderium boni, quod alioqui quà salutare, per corpus, quod corrumpitur, aggravata, fastidiret, atqui ita fastidiret, ut illud nunquam vellet & operaretur, sicut oportet.

Propositio IV.

Gratia sanitatis in supernaturali illustratione, & in sola supernaturali illustratione consistebat.

Prob. 1. *pars.* Gratia sanitatis erat auxilium actuale & transiens, donis permanentibus, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, hoc est, libero voluntatis arbitrio, habitibus virtutum infusarum, & dono integritatis superadditum, quo Adamus in statu innocentiæ indigebat ad bonum volendum & agendum utiliter ad salutem. Atqui tale auxilium vel totaliter, vel saltem partialiter consistebat in supernaturali illustratione: nam, ut constat ex Prop. 1. Adamus in statu innocentiæ supernaturali illustratione indigebat ad faciendum bonum, & vitandum malum utiliter ad salutem. Ergo, &c.

Prob. 2. *pars.* Nam si ad gratiam sanitatis præter supernaturalem illustrationem pertinebat aliquod aliud auxilium actuale & transiens, certè supernaturalis motus indeliberatus complacentiæ vel desiderii circa bonum salutare. Atqui hoc dici non potest: ut enim constat ex Prop. II. Adamus in statu innocentiæ ad faciendum bonum & vitandum malum utiliter ad salutem tali motu non indigebat. Ergo, &c.

Dices. Voluntas Adami in statu innocentiæ habebat supernaturales hujusmodi motus indeliberatos, quibus suaviter ei placebat bonum salutare, & ad illud deliberatè amplectendum accendebatur, ut dicit S. Augustinus, lib. 14. de Civ. cap. 13. ubi loquens de voluntate Adami innocentis, sic ait: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret*. Ergo non solùm supernaturalis illustratio, sed etiam supernaturalis motus indeliberatus complacentiæ vel desiderii, quo voluntas Adami de bono salutari delectabatur, pertinebat ad gratiam sanitatis.

R. 1. Jansenio, contra quem potissimùm hic agimus, antecedens negandum esse, nisi velit totam systematis sui molem ruere: tota enim incumbit huic principio: *Quod amplius nos delectat, indeliberatè scilicet, secundum id velimus & operemur necesse est*. Hoc autem principium manifestè falsum est, si Adamus in statu innocentiæ supernaturalem habuit delectationem indeliberatam circa bonum salutare: nam si habuit, cùm aliunde non haberet oppositam delectationem terrenam indeliberatam circa malum bono salutari oppositum, manifestum est illum tunc amplius indeliberatè delectatum, imò unicè delectatum fuisse bono salutari, quod tamen non voluit & operatus est necessariò; sed è contra velle vel non velle, operari vel non operari potuit pro arbitrio, ut millies asserit ipse Jansenius. Sed

R. 2. Concesso antecedente, nego conseq. Itaque Adamus in statu innocentiæ habuit quidem supernaturales motus indeliberatos, quibus sibi complacebat in bono salutari, vel illud desiderabat indeliberatè, antequam, plena accedente advertentia intellectus, illud deliberatè diligeret, vel desideraret: at tamen motus illi non erant actualis gratia, tum quia illis non indigebat Adamus innocens ad volendum & operandum bonum salutare; tum quia illos Deus non infundebat & operabatur per se, sicut per se infundebat & operabatur supernaturalem illustrationem: mente enim Adami cœlitùs collustrata circa bonum salutare, voluntas ejus, habitibus infusis instructa, & dono integritatis corroborata, continuò, & naturali necessitate in motus illos erumpebat, adjuta solo concursu generali, qualis debebatur in statu elevationis. Quare in statu innocentiæ supernaturales complacentiæ vel desiderii circa bonum salutare motus indeliberati non magis erant actualis gratia, quàm deliberati; sed sicut supernaturales complacentiæ vel desiderii circa bonum salutare motus deliberati non erant actualis gratia, sed effectus actualis gratiæ; ita & indeliberati.

Propositio V.

Gratia medicinalis, ad volendum & operandum bonum, sicut oportet ad salutem, necessaria, consistit non solùm in supernaturali illustratione, sed etiam in supernaturali motione voluntatis indeliberata, qua scilicet voluntas sibi complacet in bono salutari, vel illud desiderat indeliberatè, adeòque illo indeliberatè delectatur.

Quòd gratia medicinalis consistat saltem ex parte in supernaturali illustratione ab omnibus asseritur, & adhuc probatur breviter. Gratia medicinalis est auxilium actuale, transiens, libero voluntatis arbitrio, & habitibus infusis superadditum, & animæ intrinsecum, seu in anima, tanquam in subjecto receptum, sine quo in præsenti statu non potest homo velle & operari bonum salutare. Atqui supernaturalis illustratio est auxilium actuale, transiens, &c. ut per se clarum est; & sine supernaturali illustratione non potest homo in præsenti statu velle & operari bonum salutare, ut patet ex dictis Prop. III.

Quòd gratia medicinalis præter supernaturalem illustrationem includat supernaturalem voluntatis motionem indeliberatam, &c. probatur. Nam 1. motio illa est aliquid actuale, transiens, receptum in anima, tanquam in subjecto, & distinctum ab omni alia qualitate permanente, tam naturali, quàm supernaturali: est enim actus vitalis animæ.

2. Motionem illam in homine lapso Deus tam immittit, & per se operatur, quàm immittit, & per se operatur supernaturalem illustrationem: nam in præsenti statu voluntas nostra, quantumvis cœlitus illustrata circa bonum salutare, imò & instructa habitibus virtutum supernaturalium, non potest in ejusmodi motiones per se erumpere, & erumpendo sursùm assurgere, propter pondus carnalis concupiscentiæ, ipsam ad ima continuò deprimens. Unde sicut homo non illustratur sicut oportet, circa bonum salutare, nisi Deus in ejus intellectu modo quodam ineffabili operetur; ita nec, quantumvis circa bonum salutare illustratus, ad bonum salutare, sicut oportet, afficitur motu aliquo indeliberato, nisi Deus, cùm intellectum ejus illustrat, ineffabili quoque modo operetur in ejus voluntate, eamque necessitet ad actum aliquem indeliberatum, quo velut pondere quodam inclinatur, & quo bonum salutare, quod antea ei non placebat, aut etiam displicebat, incipit placere, & tantùm placere, quantùm necesse est, ut possit illud velle & operari sicut oportet ad salutem. Hæc igitur indeliberata voluntatis motio, de qua loquimur, nunc speciale beneficium est, quod à Deo misericorditer confertur, tamque speciale beneficium, & tam misericorditer à Deo collatum, quàm supernaturalis illustratio speciale beneficium est, & à Deo confertur misericorditer. Igitur tam pertinet ad gratiam status naturæ lapsæ. Nam

3. Hæc indeliberata voluntatis motio ad volendum & operandum bonum salutare, non minùs homini lapso necessaria est, quàm illustratio supernaturalis, ut passim inculcat S. Augustinus. Ejus verba, lib. de spir. & litt. cap. 3. jam suprà retulimus. Sic etiam ait lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 19. *Nos autem, quantum concessum est, sapiamus & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis suis ad alicujus operis justitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat: quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, dum antea lateret: ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret: ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur*.

Itaque juxta S. Doctorem, Deus etiam Sanctis gratiam ad opus aliquod pietatis faciendum necessariam aliquando denegat, vel non tribuendo certam scientiam, hoc est supernaturalem illustrationem, sine qua latet bonum, quod agendum est; aut victricem delectationem, hoc est, supernaturalem voluntatis motionem indeliberatam, sine qua bonum, quod agendum est, non placet, quomodo voluntati aptum est, ut illud velit & agat. Juxta S. Doctorem igitur, ad opera pietatis facienda indigemus non solùm supernaturali illustratione, sed etiam supernaturali voluntatis motione indeliberata, qua suave fit nobis bonum, quod nobis per supernaturalem illustrationem ostenditur. Unde cùm à Deo adjutorium ad faciendam perficiendamque justitiam necessarium petimus, utramque gratiam, illustrationem, & indeliberatam voluntatis motionem, qua quomodo nobis congruit, de bono delectamur, petimus. Denique cùm neque quod faciendum est, cognoscamus, neque cognitum facere diligamus sine speciali Dei beneficio, seu adjutorio, non est cur in nobis gloriemur, cùm bonum facimus, nec gloriandum est, nisi in Domino, qui, ut bonum faciamus, misericorditer & quod latebat, aperit, & quod non delectabat, suave facit.

Hujus indeliberatæ motionis, qua voluntati suave fit bonum salutare, necessitatem ad opera pietatis, con-

contra Pelagianos olim acriter defenderunt Catholici, & definierunt Concilia, ut patet ex Can. 4. Concilii Milevitani, in quo dicitur: *Quisquis dixerit gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc nos tantùm adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis relevatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.*

Ex dictis autem hactenùs sic adhuc argumentor breviter. Gratia medicinalis est auxilium actuale, transiens, ab omni alio dono tam naturali quàm supernaturali distinctum, & receptum in anima, tanquam in subjecto, quo voluntas indiget ad bene volendum & operandum, sicut oportet ad salutem. Atqui hoc auxilium complectitur præter supernaturalem mentis illustrationem, qua scimus quid appetere, quid vitare debemus supernaturalem voluntatis motionem, qua voluntas indeliberatè afficitur ad bonum salutare, eoque delectatur indeliberatè. Ergo gratia medicinalis complexum est ex supernaturali mentis illustratione & supernaturali voluntatis motione, qua voluntati bonum salutare suaviter placet.

Propositio. VI.

Gratia igitur sanitatis & medicinalis discrimen in eo positum est, quòd gratia sanitatis esset tantùm supernaturalis illustratio mentis; gratia verò medicinalis sit supernaturalis illustratio mentis simul, & supernaturalis motio voluntatis indeliberata, qua bonum salutare, per supernaturalem mentis illustrationem propositum, suaviter placet voluntati.

Patet ex dictis hactenùs hoc autem utriusque gratiæ discrimen, in quo nobis consentit Petavius tom. 1. Theolog. dogm. l. 10. c. 16. cum aliis recentioribus non paucis ortum habet ex differentia utriusque status naturæ scilicet innocentis, & lapsæ. Hoc docet S. Augustinus lib. de correpione & gratia, cap. 11. ubi sic loquitur. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitatem sui conditoris acceperat: neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsùs nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum. Libera nos à malo ..... Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis .... quoniam in eis caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem; atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla tali rixa à se ipso adversùs se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim latiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti.*

Juxta S. Doctorem, Adamus in statu innocentiæ magnam quidem habuit gratiam, sed diversam ab ea, quam implorant Sancti in statu naturæ lapsæ: quia Adamus in statu naturæ innocentis in bonis erat, in quibus nullum prorsùs patiebatur malum; Sancti verò in statu naturæ lapsæ in malis sunt, quoniam in eis caro concupiscit adversùs spiritum, & in hoc intestino certamine perpetuò laborant ac periclitantur: cùm Adamus in statu innocentiæ nulla tali rixa à se ipso adversùs se ipsum tentatus, atque turbatus, sua secum pace frueretur.

In statu innocentiæ propter donum integritatis intestina pace fruebatur homo, & ita voluntas ejus aliunde supernaturalibus donis ditata, fortis erat, sana, alacris, vigil, & ad bonum quodlibet valens atque expedita: unde ad bonum salutare volendum & operandum non alia indigebat actuali gratia, quàm gratia illustrationis quid volendum, quid verò nolendum esset ostendentis. At in statu naturæ lapsæ propter intestinam & continuam carnis adversùs spiritum luctam, voluntas hominis etiam justi infirma est, iners, torpens, somnolenta, & bonum quodlibet salutare nauseans, atque fastidiens: quare ad bene volendum & agendum, sicut ad salutem oportet, planè impotens est, quantùmvis divina luce collustrata, nisi etiam excitetur, erigatur suffulciatur, & à nausea sua liberetur per cœlestem illam delectationem, qua gratum & jucundum ei efficitur bonum salutare. Unde, ut ait S. Doctor lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 19. cùm à Deo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam: deprecamur non solùm ut aperiat quod latebat, sed etiam ut suave faciat quod non delectabat: quandoquidem, ut idem ait lib. de spir. & litt. c. 3. *Cum id, quod agendum & quo nitendum est, caperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè vivitur.*

Responsio VII.

Discrimen gratiæ medicinalis à gratia sanitatis substantiale est.

Prob. Nam illæ gratiæ inter se differunt substantialiter, quarum una fuit tantùm mentis illustratio, altera verò est etiam & præcipuè cœlestis delectatio. Atque gratia sanitatis fuit tantùm mentis illustratio gratia verò medicinalis est etiam & præcipuè cœlestis delectatio. Ergo, &c. Major per se clara est. Minorem autem fusè probavimus. Ergo, &c. Dixi cœlestem delectationem præcipuam esse partem gratiæ medicinalis: nam illud in gratia medicinali præcipuum censeri debet, per quod gratia medicinalis non solùm distinguitur à gratia sanitatis, eique supereminet, sed etiam in esse gratiæ medicinale constituitur. Sed gratia medicinalis non solùm distinguitur à gratia sanitatis, eique supereminet, sed etiam medicinalis est, qua cœlestis est illa & indeliberata suavitas, qua fructum suum dat terra nostra: ægritudini enim, quam ex originali culpa contraximus, medetur, & amissas arbitrii restituit vires, gratum nobis reddendo bonum salutare, quod antea non gratum aut etiam ingratum nobis erat, atque ita, quoties scilicet congrua est præstat, ut bonum illud agere non solùm valeamus, sed etiam deliberatè velimus, & diligamus.

Porrò observandum est hìc à nobis cum gratia sanitatis conferri gratiam medicinalem, non quamlibet, sed perfectam; quæ scilicet perfectè sanat ægritudinem, ex originali peccato contractam, præstando scilicet, ut bonum facere & malum vitare valeamus, atque re ipsa, si congrua est, bonum facere & malum vitare velimus ex affectu justitiæ, quod certè gratia medicinalis præstare non potest, nisi bonum salutare nobis gratum & suave efficiendo. Nolumus autem gratiam medicinalem cœlesti delectatione sic definire generaliter, ut ad eam pertinere negetur supernaturalis pœnarum à Deo infligendarum timor, quo Deus voluntatem humanam utiliter concutit, in ea per se operando certo & nobis ineffabili modo.

1. Timor ille est gratia, ut docet S. Augustinus hom. 50. ubi Deum sic loquentem inducit. *Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires ergo terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti.* 2. Est gratia medicinalis, ut docet idem S. Doctor, tract. 9. in epist. Joan. ubi sic ait: *Qui sine timore est, non poterit justificari. Opus est ergo ut timor intret primò, per quem veniat charitas, timor medicamentum, charitas sanitas.* His autem verbis manifestè loquitur de timore servili, non de timore casto: loquitur enim de timore, qui præcedit charitatem. At timor castus non præcedit charitatem, sed eam supponit. 3. Est gratia per Christum: nam in hoc statu naturæ lapsæ nihil gratiæ accipit homo, nisi propter merita Christi.

Itaque gratia medicinalis in genere præter supernaturalem mentis illustrationem, dicit indeliberatam

aliquam voluntatis motionem supernaturalem, qua voluntas somnolenta excitatur, prostrata erigitur, & infirma corroboratur ad faciendum bonum, vel ad malum vitandum. Duplex distingui potest & debet, una scilicet perfecta, & altera imperfecta. Perfecta dicitur ea, quæ perfectè sanat voluntatem; imperfecta verò, quæ imperfectè tantùm sanat. Prima delectat voluntatem; secunda verò terret. Cum prima voluntas bonum facit, vel ut placeat Deo, vel ut ab eo cœlestem gloriam accipiat; item malum vitat, vel ne Deo displiceat, vel ne ab eo separetur. Cum secunda voluntas bonum facit, & malum vitat, ne à Deo puniatur. Prima supernaturalis est illustratio mentis simul, & cœlestis quædam suavitas indeliberata, vi cujus voluntas delectatur exercitio operum pietatis, & observatione mandatorum divinorum. Secunda supernaturalis est illustratio mentis simul, & supernaturalis timor indeliberatus, vi cujus voluntas exhorret gehennam, & alias pœnas, quas Deus minatur peccatoribus. De prima denique semper, aut ferè semper loquitur S. Augustinus, cùm de gratia medicinali contra Pelagianos disputat.

ARTICULUS VIII.

Solvitur objectio petita à libro, quem scripsit S. Augustinus de correptione & gratia.

Obj. cum Calvino & Jansenio, S. Augustinus, lib. de corr. & grat. cap. 11. & 12. disputans de gratiæ sanitatis & medicinalis discrimine, has gratias in hoc differre docet, quòd gratia sanitatis in operando penderet à libero voluntatis nutu; ita ut in statu innocentiæ, in quo expedita circa bonum & malum libertate indifferentiæ fruebatur primus homo, voluntas ejus posset pro arbitrio consentire vel dissentire gratiæ, adeòque cum & sub gratia bonum velle vel non velle, operari vel non operari: gratia verò medicinalis in operando non pendeat à libero nutu voluntatis, quia liberum hunc nutum jam habere non potest voluntas, utpotè per peccatum originale spoliata libertate contrarietatis, omnique indifferentia activa, seu facultate se ipsam determinandi, unde sub gratia medicinali vult & operatur bonum, non quia se ipsa determinat, sed quia à gratia irresistibiliter determinatur ad illud volendum & operandum; atque eatenùs nunc liberè vult & operatur bonum, quatenùs illud vult & operatur spontaneè, cum plena rationis advertentia. Ergo, &c.

R. neg. ant. quod non Catholicam doctrinam, qualis certè fuit Augustini doctrina, sed hæreticam, ab Ecclesia anathematizatam, & à doctrina S. Doctoris prorsùs alienam continet. Nam 1. S. Augustinus, quòd vel solùm ad exsufflandam Calvini & Jansenii suppositionem sufficit laudatis capitibus gratiam Adamo ad perseverandum in statu innocentiæ datam non comparat cum gratia medicinali qualibet, sed cum ea tantùm, quæ misericorditer ab æterno præparata est, & in tempore datur electis ad perseverandum in statu justitiæ. Hoc vel prima capitum lectio manifestè ostendit. 2. Docet quidem gratiam Adamo innocenti datam ad perseverandum in statu innocentiæ, diversam fuisse à gratia, quæ datur electis ad perseverandum in statu justitiæ. *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem.* At minimè docet in eo disparem fuisse, quod Adamus innocens ei obtemperare vel refragari, cum ea bonum velle vel non velle, & agere vel non agere posset pro arbitrio; electi verò gratiæ medicinali non possint refragari, cum gratia medicinali non possint non velle & operari bonum. Et verò disparitatem gratiæ sanitatis à gratia medicinali electis ad perseverandum data, repetit S. Doctor à disparitate statuum naturæ innocentis & lapsæ, & hanc disparitatem constituit, non in eo quòd homo in primo statu habuerit activam indifferentiam circa bonum & malum, in secundo verò non ampliùs habeat; sed in eo quòd continuò obnoxius sit in secundo statu inordinatis concupiscentiæ motibus, à quibus liber erat in primo propter donum integritatis, adeòque in secundo statu in ordine ad volendum bonum & vitandum malum sicut oportet, languorem & infirmitatem contraxerit, cùm circa utrumque sanus & robustus esset in primo statu. Hinc autem sequitur quidem, quòd homo in hoc statu potentiore indigeat auxilio ad faciendum bonum & vitandum malum sicut oportet, minimè verò, quòd indigeat auxilio ad bene volendum & operandum irresistibiliter flectente & applicante voluntatem. Gratis igitur & immeritò dicitur S. Doctor, in eo utriusque gratiæ discrimen ponere, quòd una, nempe medicinalis voluntatem flectat & applicet irresistibiliter; gratia verò sanitatis non sic flecteret & applicaret voluntatem, sed ei liberum relinqueret indifferentiæ suæ exercitium.

At inquies. In quo ergo S. Augustinus docet gratiam sanitatis à medicinali differre? *R.* S. Doctorem capitibus laudatis multiplex afferre discrimen, sed sine præjudicio libertatis indifferentiæ circa bonum & malum pro statu præsenti, quam libertatem etiam circa bonum volendum vel non volendum pro arbitrio aut non amissam, aut certè non amissam irreparabiliter, constanter tenuit cum Catholica Ecclesia, ut suo loco fusè & accuratè ostensum est.

Primum itaque discrimen, juxta S. Doctorem est, quòd gratia electis ad perseverandum detur propter merita Christi; gratia verò ad perseverandum in statu innocentiæ data fuerit Adamo independenter ab illis meritis. Nam c. 11. sic loquitur. *Ille* (Adamus) *in illis bonis Christi morte non eguit: istos à reatu & hæreditario & proprio, illius Agni sanguis absolvit.* Ratio est, quia, ut sensit S. Doctor, incarnatio non fuit decreta, & consequenter merita Christi non fuere prædefinita, nisi post absolutam prævisionem lapsus Adami. Unde non nisi post hanc prævisionem gratiæ præparatæ fuerunt propter Christi merita, atque ita homo in tempore non accepit gratiam propter merita Chisti, nisi post lapsum suum.

Secundum discrimen, juxta S. Doctorem est, quòd gratia Adamo ad perseverandum data, lætior esset propter conjunctum integritatis donum, vi cujus immunis erat à concupiscentiæ motibus, quos etiam inviti patiuntur electi in præsenti statu. Nam sic ait eod. cap. 11. *In eis* (electis) *caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversus carnem .... ille verò* (Adamus) *nulla tali rixa à se ipso adversùs se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, verum tamen potentiore gratia indigent isti* (electi.)

Tertium discrimen, juxta S. Doctorem est, quòd gratia ad perseverandum in statu innocentiæ Adamo data, fuerit merè sufficiens, hoc est, fuerit quidem verè sufficiens, sed incongrua. Sufficientissimam quidem ad perseverandum in statu innocentiæ gratiam habuit Adamus: cœlitùs enim illustrabatur, quomodo illi idoneum erat, ut perseverare posset, & perseveraret, si vellet: at congruam non habuit, quia illustratus non fuit, aut certè illustratus non fuit ex parte voluntatis à Deo motæ, quomodo illi congruebat, ut perseverare vellet, & perseveraret. Meritò tamen illi imputatum est, quòd non perseveraverit, quia si voluisset, perseveraret, & ad perseverandum fuit sufficientissimè illustratus; neque ei debitum fuit, ut illustraretur, aut illustratus, ex parte voluntatis à Deo moveretur, quomodo ei aptum erat, ut re ipsa vellet perseverare.

Gratia verò, quæ datur electis in hoc statu naturæ lapsæ ad perseverandum in statu innocentiæ, non modò verè sufficiens, sed etiam congrua est, quia electis datur, quomodo illis aptum est, ut velint & consentiant: unde non solùm possunt velle & consentire, sed etiam re ipsa volunt & consentiunt, non ex naturalibus tantùm viribus, sed ex viribus naturæ simul & gratiæ illos congruè moventis simul & corroborantis & adjuvantis ad volendum & consentiendum:

qua-

quapropter hæc gratia rectè dicitur non solùm dare illis posse velle & consentire, verùm etiam facere ut velint & consentiant. *Tale quippe*, inquit S. Doctor eod. cap. *erat adjutorium* (Adami) *quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam. Sed hæc* (gratia electorum) *potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit. Secunda verò plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.*

Quartum discrimen, juxta S. Doctorem est, quòd gratia, quæ per Christum datur electis ad perseverandum, non solùm sit supernaturalis illustratio mentis, sed etiam & potissimùm cœlestis quædam delectatio indeliberata, qua bonum voluntati electorum suaviter placet, & ita placet, ut illud *velint, tantoque ardore diligant, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincant.* Gratia verò data Adamo in statu innocentiæ ad perseverandum, fuit tantùm gratia illustrationis, & quidem incongrua, licèt verè sufficiens, ut jam notatum est. *Ille* (Adamus) *non opus habebat eo adjutorio*, inquit S. Doctor eod. cap. *quod implorant isti* (electi) *cum dicunt: Video aliam legem, &c.* Quænam autem sit hæc gratia, quam electi in statu naturæ lapsæ contra rebellantem concupiscentiam & intestina dissidia implorant, expressè declarat S. Doctor lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 19. *Cum ab illo*, inquit, *illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat?*

Juxta S. Doctorem igitur, electi implorant non solùm cœlestem lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, sed etiam cœlestem suavitatem, qua det fructum suum terra eorum; implorant adjutorium, per quod non solùm aperitur quod latebat, sed etiam suave fit quod non delectabat; implorant non solùm supernaturalem mentis illustrationem, quæ ad faciendam perficiendamque justitiam sufficiebat Adamo in statu innocentiæ, sed etiam cœlestem & victricem delectationem, sine qua non placeret eis justitia, nec eam amarent, sed potiùs fastidirent propter terrenam delectionem, qua voluntas eorum tantoperè propendet & afficitur ad sensibilia: unde cœlesti illa & victrice delectatione ad faciendam perficiendamque justitiam indigent.

Quintum discrimen, juxta S. Doctorem est, quòd gratia, quæ electis ad perseverandum datur, sit potentior, quàm gratia sanitatis. *Proinde*, inquit S. Doctor, *etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti* (electi.) Potentior autem est, juxta mentem S. Doctoris, gratia medicinalis, non propter vim irresistibiliter voluntatem flectendi & applicandi ad volendum & agendum, quam ipsa habeat, & qua caruerit gratia sanitatis, sed partim propter congruitatem, quam habet, & qua gratia sanitatis caruit: nam vi hujus congruitatis, gratia medicinalis facit ut electi velint, & tantum velint, tantoque ardore diligant justitiam, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincant; partim propter adjunctam specialem providentiam, qua Deus electis procurat mortem in talibus circumstantiis, in quibus reperiuntur perseverantes in observatione mandatorum: nam vi specialis hujus providentiæ simul & congruitatis gratiæ fit, ut electi non solùm possint perseverare, sed etiam certò & infallibiliter usque in finem perseverent in statu justitiæ.

Ampliùs. Secundùm mentem S. Doctoris, gratia medicinalis, quæ datur electis, potentior est, quàm gratia sanitatis; quia hæc gratia solùm adjuvabat, mediatè scilicet, libertatem indifferentiæ; solùm voluntati sanæ & robustæ facem veluti præferebat; solùm complebat posse; solùm ostendebat bonum faciendum & malum vitandum; solùm vim habebat suadendi. At gratia, quæ datur electis in statu naturæ lapsæ, amissam libertatem circa bonum restituit; voluntatem somnolentam excitat, jacentem erigit, infirmam sanat, non solùm complet posse velle, sed etiam facit ut voluntas velit; non solùm ostendit bonum faciendum & malum vitandum, sed etiam ad utrumque vires efficacissimas suppeditat; non solùm vim habet suadendi, sed etiam vim immediatè & intimè movendi ægrotam voluntatem, & quidem quomodo ei congruit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat justitiam, ut quamvis de se infirma, tamen non deficiat, neque adversitate aliqua vincatur, sed invictissimè quod bonum est velit, & hoc deserere invictissimè nolit; non quòd ad volendum quod bonum est, & hoc deserere nolendum irresistibiliter flectatur. & applicetur per gratiam, sed quia movetur & adjuvatur, quomodo ei congruit, ut, quamvis absque antecedenti ad alteram partem contrarietatis obligatione, & ex propria determinatione velit quod bonum est, invictissimè tamen velit, neque adversitate aliqua vinci possit.

Sextum discrimen, juxta S. Doctorem est, quòd gratia Adamo data, fuerit tantùm adjutorium sine-quo non posset permanere, & quocum permaneret, si vellet, in statu innocentiæ; gratia verò, quæ electis datur ad perseverandum, completivè sumpta, sit adjutorium quo perseverant finaliter, hoc est, sit ex parte ipsa finalis perseverantia, qua accepta, non possunt non perseverasse. *Primo itaque homini*, inquit S. Doctor, c. 12. *qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.*

Juxta S. Doctorem igitur, Adamum in statu innocentiæ Deus illustrabat tantùm, & illustrando ad perseverandum adjuvabat, neque in ejus voluntate, aut in ejus intellectu operando, quomodo ei aptum erat, ut perseveranter justitiam teneret, neque speciali aliqua providentia impediendo lapsum ejus. Unde adjutorium perseverantiæ datum Adamo in statu innocentiæ, fuit tantùm adjutorium sine quo non. Electorum verò in statu naturæ lapsæ Deus non modò mentem illustrat, & cor tangit, quomodo illis aptum est, ut faciant perficiantque justitiam, verùm etiam procurat illis finem vitæ in iis circumstantiis, in quibus fervi fideles inveniuntur. Unde adjutorium perseverantiæ, quod in statu naturæ lapsæ datur electis, completivè sumptum, est adjutorium quo, quia per bonum vitæ finem formaliter perseverantes, nec nisi perseverantes sumus, ea perseverantia, qua salutis negotium consummatur: sicut per beatitudinem, cùm data fuerit, homo formaliter beatus, nec nisi beatus erit.

Juxta S. Doctorem igitur, donum perseverantiæ, datum Adamo in statu innocentiæ, adæquatè consistebat in supernaturali mentis illustratione, ad perseverandum merè sufficienti: donum verò perseverantiæ, quod datur electis in statu naturæ lapsæ, adæquatè sumptum, præter actualia auxilia, quibus ad faciendam perficiendamque justitiam intellectus illustratur, & voluntas delectatur congruè, includit bonum vitæ præsentis finem, misericorditer ab æterno præparatum, & in tempore certò & infallibiter procurandum, quo bono fine electi tanta necessitate perseverant, seu perseverantes sunt in statu justitiæ, quanta necessitate beatus est, qui beatitudinem, aut justus est, qui justitiam habet.

Dices 1. S. Augustinus cap. 11. dicit Adamum in statu innocentiæ accepisse gratiam, quam per liberum arbitrium deserere posset, quam desereret cùm vellet, in qua permaneret si vellet, qua fieret ut homo justitiam haberet, si vellet, non qua etiam fieret

ut vellet. Nam sic loquitur, cap. 11. *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret* (Adamus) *cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, ut habeat homo justitiam si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Ergo juxta S. Augustinum, in eo gratia sanitatis & medicinalis differunt, quòd Adamus cum prima posset pro arbitrio velle vel non velle, sub secunda verò non possint electi non velle bonum salutare; vel, si vis, quòd prima Adamo relinqueret expeditam ad utramvis partem contrarietatis activam indifferentiam, secunda verò cum tali activa indifferentia incompossibilis, irresistibiliter voluntatem flectat & applicet ad unum, nempe ad volendum bonum.

R. neq. conseq. S. enim Augustinus loco laudato, in eo tantùm opponit gratiam electorum gratiæ Adami innocentis, quòd hæc esset purè sufficiens, illa verò congrua sit & efficax; quòd hæc daret seu compleret tantùm posse, illa verò det etiam ipsum velle & agere, juxta S. Doctorem loco citato, gratia electorum & gratia Adami innocentis in hoc inter se differunt, quòd per gratiam Adami fieret tantùm, ut haberet homo justitiam si vellet, per gratiam verò electorum fiat non solùm ut habeat homo justitiam si velit, sed etiam ut re ipsa velit & tantum velit tantoque ardore diligat justitiam, ut eam faciat perficiatque, non obstantibus rebellantis continuò concupiscentiæ motibus. Facit autem gratia electorum, non solùm ut habeat homo justitiam, si velit, sed etiam ut velit, & tantum velit, &c. non quia irresistibiliter flectit & applicat voluntatem ad volendum, sed quia ita movet illam quomodo ei congruum est ad volendum, ut quamvis verè possit non velle etiam in sensu composito motionis, tamen re ipsa velit, & tantum velit, &c.

Dices 2. S. Augustinus c. 12. manifestè docet in hoc gratiam sanitatis & medicinalem inter se differre, quòd cum gratia sanitatis posset Adamus pro arbitrio velle vel non velle justitiam, adeòque posset pro arbitrio perseverare vel non perseverare in statu innocentiæ; cum medicinali verò gratia non possint electi non velle justitiam, atque ita non possint non perseverare in statu gratiæ. Ergo juxta S. Augustinum, gratia sanitatis & medicinalis in hoc inter se differunt, quòd gratia medicinalis irresistibiliter flectat & applicet voluntatem; gratia verò sanitatis non sic flecteret & applicaret; adeòque quòd gratia medicinalis sit irrepudiabilis ex natura sua, & necessitans; gratia verò sanitatis ex natura sua repudiabilis esset, & cum actus salutaris, ad quem dabatur, negatione componibilis.

Prob. ant. Nam 1. S. Doctor distinguit duplex adjutorium, nempe adjutorium sine quo non, & adjutorium quo. *Itemque*, inquit, *ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit.*

2. Primi generis dicit esse alimenta, sine quibus vivere non possumus, sed quibus, etiamsi adsint, non necessariò fit ut vivamus: possumus enim, si volumus, ea non sumendo mori. *Sine alimentis*, inquit, *non possumus vivere, nec tamen, cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit ut vivamus.*

3. Secundi generis dicit esse beatitudinem, sine qua homo beatus esse non potest, & qua, cùm data est, necessariò fit, ut homo sit beatus: præsente enim beatitudine, homo non potest non esse beatus; sicut absente beatitudine, beatus esse non potest: *At verò beatitudo*, inquit, *quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim, non solum sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit; quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus: & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, ut homo vivat; sed tamen sine illis non potest vivere.*

4. Denique dicit adjutorium Adamo datum ad perseverandum in statu innocentiæ, fuisse adjutorium sine quo non; adjutorium verò, quod electis datur ad perseverandum in statu gratiæ, esse adjutorium quo. *Primo itaque homini*, inquit, *qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.*

Ex his autem *sic argumentaberis*. Ex S. Augustino, adjutorium perseverantiæ, datum Adamo in statu innocentiæ, fuit adjutorium sine quo non; & adjutorium perseverantiæ, quod datur electis in statu naturæ lapsæ, est adjutorium quo. Atqui gratia sanitatis fuit adjutorium perseverantiæ, datum Adamo in statu innocentiæ; & gratia medicinalis est adjutorium perseverantiæ, quod datur electis in statu naturæ lapsæ. Ergo ex S. Augustino gratia sanitatis fuit adjutorium sine quo non perseverantiæ; gratia verò medicinalis est adjutorium quo. Atqui ex eodem, adjutorium sine quo non perseverantiæ, est tantùm id sine quo homo perseverare non potest, & quocum perseverare potest; adjutorium verò quo perseverantiæ, est id non solùm sine quo homo perseverare non potest, & quocum perseverare potest, sed etiam quo fit ut perseveret, & tanta necessitate perseveret, quanta necessitate beatus est, cùm data fuerit beatitudo. Ergo ex S. Augustino, gratia sanitatis & medicinalis in hoc inter se differunt, quòd cum gratia sanitatis Adamus non necessitaretur ad perseverandum; sed perseveraret, si vellet, & non perseveraret, si nollet, in statu innocentiæ: cum gratia verò medicinali necessitentur ad perseverandum electi; sic ut perseverare vel non perseverare in statu justitiæ non magis pendeat ab eorum libera determinatione, quàm ab eorum libera determinatione pendet esse, vel non esse beatos, cùm data fuerit beatitudo. Ergo ex S. Augustino, gratia sanitatis & medicinalis in hoc inter se differunt, quòd cum gratia sanitatis posset Adamus pro arbitrio velle vel non velle justitiam; unde poterat pro arbitrio perseverare vel non perseverare in statu innocentiæ: electi verò non possint non velle justitiam cum gratia medicinali; unde non possunt non perseverare in statu justitiæ. Ergo ex S. Augustino, gratia sanitatis & medicinalis in hoc inter se differunt, quòd gratia sanitas esset adjutorium ex natura sua repudiabile, adeòque non determinans, non necessitans; gratia verò medicinalis sit adjutorium irrepudiabile ex natura sua, adeòque irresistibiliter flectens & applicans voluntatem ad volendum & faciendum id, ad quod volendum & faciendum datur.

Ad instant. R. neg. ant. Itaque juxta S. Doctorem, gratia sanitatis & medicinalis (supple semper, quæ datur electis ad perseverandum) non in hoc inter se differunt, quòd una repudiabilis esset, & altera sit irrepudiabilis ex natura sua; quòd una irresistibiliter flectat voluntatem, & altera non sic flecteret; quòd cum prima Adamus innocens potuerit velle vel non velle; electi verò cum secunda non possint non velle justitiam: sed in eo quòd gratia sanitatis esse tantùm gratia intellectus; medicinalis verò sit etiam gratia voluntatis: quòd gratia sanitatis esset tantùm illustratio; medicinalis verò sit etiam cœlestis delectatio, & quidem voluntati maximè congrua: quòd gratia sanitatis tantùm illustraret Adamum, quomodo ei idoneum erat, ut perseveranter vellet habere justitiam; medicinalis verò non solùm illustret electos circa bonum faciendum & malum vitandum, sed etiam mo-

modo ineffabili operetur in eorum voluntate, eamque ita permoveat, ut bonum facere & malum vitare re ipsa velint, & tantùm velint, tantoque ardore diligant, salva eorum & integra circa bonum & malum activa indifferentia, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincant.

Ad prob. ant. R. distinctionem illam duplicis adjutorii, sine quo non, & quo, non juvare causam adversariorum, qui ea manifestè abutuntur contra mentem S. Doctoris; quam ut assequaris, sequentia accipe. 1. itaque S. Doctor distinguit duplex adjutorium, adjutorium scilicet sine quo non, & adjutorium quo. 2. Per adjutorium sine quo non, intelligit illud sine quo aliquid fieri non potest, & quocum fieri potest, sed quocum re ipsa non fit, si non volumus, hoc est, quocum re ipsa ut fiat vel non fiat, pendet à libera nostra determinatione. Hujus adjutorii exemplum ponit in alimentis, sine quibus vivere non possumus, sed quibuscum non vivimus, si nolumus ea sumere, & inedia perire decernimus. 3. Per adjutorium quo, intelligit illud, non solùm sine quo aliquid fieri non potest, & quocum potest, sed etiam quo re ipsa fit, sive velimus, sive non; hoc est, quo dato, in potestate nostra non est, ut sit vel non sit id ad quod datur, sed tanta necessitate fit, ut simpliciter repugnet non fieri. Hujus adjutorii exemplum ponit in beatitudine, quà non data, hominem esse beatum, & data, non esse beatum, contradictionem implicat.

4. Dicit Adamo, ad perseverandum in statu innocentiæ, datum esse tantùm adjutorium sine quo non; electis verò, ad perseverandum in statu justitiæ, dari adjutorium quo. 5. Per adjutorium sine quo non, datum Adamo ad perseverandum in statu innocentiæ, intelligit auxilium actuale ad bonum faciendum & malum vitandum, nempe supernaturalem mentis illustrationem, sine qua non poterat, & quacum poterat Adamus perseverare in statu innocentiæ, sed quacum re ipsa, nisi vellet, perseveraturus non erat: unde quia non voluit, non perseveravit. 6. Per adjutorium quo, quod electis datur ad perseverandum in statu justitiæ, non similiter intelligit auxilium actuale, aut collectionem auxiliorum actualium, quibus electi adjuvantur ad faciendum bonum malumque vitandum, & bonum faciendo malumque vitando permanendum in statu justitiæ; sed ipsam finalem in statu justitiæ perseverantiam, hoc est, ipsum vitæ terminum, quem Deus illis misericorditer procurat eo tempore, quo in statu justitiæ sunt. In hoc autem statu naturæ lapsæ, in quo statutum est omnibus hominibus semel mori, sine hoc vitæ termino nemo potest esse finaliter perseverans, hoc est, finaliter perseverasse; & cum hoc vitæ termino nemo potest non esse finaliter perseverans, hoc est, non finaliter perseverasse in statu justitiæ.

Audiamus S. Doctorem. *Hunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Igitur S. Doctor per adjutorium perseverantiæ, quod datur electis, hìc intelligit donum, cujus effectus formalis est, hominem facere finaliter perseverantem in statu justitiæ; intelligit donum, quo dato, hoc ipso formaliter & immediatè fit homo finaliter perseverans in statu justitiæ: sicut effectus formalis beatitudinis est, facere hominem beatum, & data beatitudine, hoc ipso formaliter & immediatè fit homo beatus. At donum, quo dato, hoc ipso formaliter & immediatè fit homo finaliter perseverans in statu justitiæ, non potest esse nisi vitæ terminus, homini in iis circumstantiis, in quibus justus est, à Deo procuratus, ut per se manifestum est. Ergo S. Doctor per adjutorium perseverantiæ, quod datur electis, intelligit hìc vitæ terminum, quem Deus ab æterno electis constituit pro talibus circumstantiis, in quibus erunt in statu gratiæ, & quem eis in tempore procurat, prout constituit ab æterno; adeòque adjutorium perseverantiæ sumit hìc, non completè, sed completivè tantùm, quo modo sumptum hoc adjutorium dicit tantùm vitæ terminum in iis circumstantiis, in quibus homo justus invenitur, procuratum.

Confirmatur ex verbis proximè subsequentibus, quibus probat illud adjutorium quo perseverantiæ, electis à Deo dari. Nam statim prosequitur sic: *Non solum enim dixit: Sine me nihil potestis facere: verùm etiam dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis eis non solùm justitiam, verum etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere: Forsitan non manebit? Sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei, sed vocatio eorum, qui secundum propositum vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet usque in finem: ac per hoc perseverabit usque in finem, nec eam nisi manentem vitæ hujus invenit finis.*

Deus igitur ex S. Augustino operatur salutem electorum, duo illis conferendo beneficia distincta; dando scilicet illis justitiam, & in justitia finalem perseverantiam; dando illis fidem, quæ per dilectionem operatur, & procurando ut in fide, quæ per dilectionem operatur, perseverent usque in finem. Dat autem illis fidem, quæ per dilectionem operatur, per gratiam medicinalem congruam vocando eos, quomodo eis aptum est ut re ipsa credant, Deum diligant, & alia pietatis opera exerceant; & procurant ut in fide, quæ per dilectionem operatur, perseverent usque in finem, providendo ne aliter eos, quàm in ea fide manentes, hujus vitæ finis inveniat.

Juxta S. Doctorem igitur, adjutorium perseverantiæ, sine quo electi perseverantes non possunt, & per quod non nisi perseverantes sunt, non est medicinalis illa gratia, qua moventur efficaciter ad faciendam perficiendamque justitiam, sed est beneficium ab ea distinctum, eique superadditum, nempe finis hujus vitæ eis ab æterno misericorditer præparatus, & misericorditer in tempore procuratus à Deo in iis circumstantiis, in quibus stant, & ea fide, quæ per dilectionem operatur, credunt. Procurat autem illis Deus hunc fœlicem vitæ exitum, vel rapiendo eos antequam cadant, vel postquam ceciderunt, eos expectando donec resurgant; quorum neutrum circa reprobos, qui aliquando justificantur, præstat: unde nullus eorum in justitia usque in finem perseverat.

Duorum illorum, quibuscum electi inter tot & tantas hujus vitæ procellas ad salutis portum appellunt, beneficiorum distinctionem exprimere pergit S. Doctor. Nam post verba proximè laudata sic prosequitur: *Major quippe libertas est necessaria adversus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc Sanctorum martyria docuerunt .... isti non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide .... unde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consecuti sunt ut fideles essent: à quo acceperunt spiritum non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis & charitatis & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent .... Horum cum fuisset voluntas serva peccati, liberata est per illum, qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut quamvis quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum ... non tamen ultrà serviant peccato, quod est ad mortem .... De quo peccato ... possunt multa & diversa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. Huic peccato ultrà non serviunt .... per secundum Adam Dei gratia liberati, & ista liberatione habentes liberum arbitrium quo serviant Deo, non quo captiventur à diabolo. Liberati enim à peccato, servi facti sunt justitiæ, in qua stabunt usque in finem, donante sibi illo perseveran-*

tiam, qui eos præscivit & prædestinavit, & secundum propositum vocavit, & justificavit, & glorificavit.

Ecce duo beneficia distincta, quibuscum electi mundum cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ejus vincunt, nempe major libertas, & donum perseverantiæ completivè sumptum, seu perseverantia finalis, qua major illa libertas munitur atque firmatur. Majorem autem illam libertatem, juxta S. Doctorem, facit gratia medicinalis congrua, de qua superiùs c. 11. sic loquitur: *Hæc potentior est in secundo Adam... plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat .... tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.* Juxta S. Doctorem igitur, gratia medicinalis, etiam ea, quacum electi vincunt mundum cum omnibus amoribus, terroribus & erroribus ejus, etiam ea qua fit ut electi velint, & tantum velint, tantoque ardore diligant, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincant, non est donum perseverantiæ, quomodo sumit illud hìc S. Doctor, hoc est, non est illud adjutorium quo, cùm datum fuerit, non nisi perseverantes esse possunt electi.

Sancti Martyres, juxta S. Doctorem, mundo non terrente tantùm, sed etiam sæviente ne starent, steterunt in fide, & in finem usque steterunt, quia à Deo misericordiam consecuti sunt, ut essent fideles, & essent usque in finem; & misericordiam consecuti sunt, quia Deus misericorditer dedit eis spiritum virtutis, & charitatis & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent, dono perseverantiæ, hoc est, perseverantia finali munitum atque firmatum. Per spiritum autem illum virtutis, charitatis, & continentiæ intelligit S. Doctor cœlestem illam delectationem, qua sanctorum Martyrum voluntas, excitata, accensa, corroborata, & adjuta est quomodo ei congruebat ut cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superaret.

Juxta S. Doctorem, electi omnes, quamvis quamdiu hìc vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, non tamen serviunt peccato quod est ad mortem, quia credunt ea fide, quæ per dilectionem operatur, & sic crèdunt usque in finem: credunt autem ea fide, quæ per dilectionem operatur, & sic credunt usque in finem, quia liberantur gratia Dei, quam meruit eis secundus Adam, hoc est, quia & vocantur, quomodo eis aptum est, ut credant ea fide, quæ per dilectionem operatur, & procuratur eis vitæ terminus in iis circumstantiis, in quibus sic credunt. Unde gratia liberans, de qua hìc loquitur S. Doctor, duo beneficia complectitur; nempe certam vocationem congruarum seriem, & perseverantiæ donum, seu vitæ finem in statu justitiæ procurandum. Hæc gratia liberans coincidit cum vocatione secundùm propositum: hoc enim propositum, secundùm quod electos vocari docet Apostolus, & post eum Augustinus, adæquatè sumptum, est actus quo Deus ab æterno absolutè & efficaciter decrevit & vocare electos, quomodo eis aptum erit, ut fidem, quæ per dilectionem operatur, habeant, & eis providere ne eos aliter, quàm in fide, quæ per dilectionem operatur, manentes inveniat finis hujus vitæ. Unde vocatio secundùm propositum duo dicit, unum in recto, nempe motiones voluntatis congruas, & alterum in obliquo, nempe vitæ finem electis procurandum tali tempore, quo scilicet in fide, quæ per dilectionem operatur, manentes invenientur. Ex his patet responsio ad argumentum pro adversariis efformatum, in quo perperam assumitur, quòd gratia medicinalis, seu actualis gratia, qua electorum voluntas sanatur, quomodo ei aptum est, ut faciat perficiatque justitiam, sit adjutorium perseverantiæ, quo electi non nisi perseverantes sunt, ut loquitur S. Augustinus: non enim aliud est, quàm finalis perseverantia, hoc est, finis hujus vitæ in statu justitiæ.

Dices 3. S. Augustinus eod. cap. dicit Deum, perseverare vel non perseverare in statu innocentiæ in Adami arbitrio reliquisse; Deum Adamo commisisse arbitrium perseverandi in statu innocentiæ. *Ut ergo*, inquit, *non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præsciente quid esset facturus injustè, præsciente tamen, non ad hoc cogente, sed simul sciente quid de illo ipse faceret justè.* At hoc dicit S. Doctor per oppositionem ad electos, quibus proinde sentit non committi arbitrium perseverandi in statu justitiæ, in quorum proinde libero perseverare vel non perseverare in statu justitiæ sentit non relinqui arbitrio. Ergo S. Augustino hoc discrimen interest Adamum inter & electos, quòd Adamus in statu innocentiæ ad perseverandum non acceperit actualem gratiam ex natura sua irrepudiabilem, & irresistibiliter flectentem voluntatem ad volendum & faciendum bonum; electi verò accipiant.

Confirmatur hæc consequentia. Nam 1. S. Doctor post verba laudata continuò subjicit isti: *Nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Quid autem sunt majora illa dona, quibus electorum infirmitatem adjuvari necesse est, nisi actuales gratiæ ex natura sua irrepudiabiles, & irresistibiliter flectentes voluntatem ad bonum?

2. Expressè asserit electis non relinqui voluntatem suam. *Si in tanta*, inquit, *infirmitate vitæ hujus... ipsis relinqueret voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.*

Itaque juxta S. Augustinum, Deus electis non relinquit voluntatem suam, ut cum adjutorio gratiæ perseverent si velint; sicut suam Adamo reliquerat in statu innocentiæ, ut perseveraret si vellet. At Deum suam Adamo reliquisse voluntatem, &c. juxta mentem S. Doctoris est, Deum in statu innocentiæ Adamo dedisse gratiam ad perseverandum idoneam, cui consentire vel dissentire, quacum velle vel non velle bonum, perseverare vel non perseverare posset pro arbitrio. Ergo pariter, juxta mentem Sanct. Doctoris, Deum electis non relinquere voluntatem suam, ut, &c. nihil aliud esse potest, quàm Deum electis ad perseverandum dare gratiam, actualem scilicet, cui non possunt non consentire, quacum non possunt non velle bonum, proindeque quacum non possunt non perseverare in statu justitiæ.

Hinc 3. apertè affirmat, voluntatem electorum gratia divina indeclinabiliter & insuperabiliter agi. *Subventum est igitur*, inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.*

4. Addit, Deum Adamo dimisisse & permisisse, ut faceret quod vellet; electis verò donare, ut invictissimè, quod bonum est velint, & hoc deserere invictissimè nolint. *Fortissimo quippe dimisit*, inquit, *atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere, invictissimè nollent.* Adamo autem, juxta mentem S. Doctoris, Deus dimisit & permisit facere quod vellet, quia ad perseverandum in statu innocentiæ non dedit ei adjutorium gratiæ, cui non posset resistere. Ergo à contrario, juxta eundem; electis non dimittit facere quod velint, quia ad perseverandum in statu justitiæ dat eis adjutorium gratiæ, cui non possunt resistere. Item, juxta mentem S. Doctoris, Adamo Deus dimisit facere quod

vellet,

vellet, quia velle vel non velle reliquit in ejus arbitrio. Ergo à contrario, juxta eundem, Deus non dimittit electis facere quod velint, quia velle vel non velle non relinquit in eorum arbitrio, sed ita per gratiam suam movet eos ad volendum bonum, ut non possint illud non velle.

Resp. ad instant. neg. conseq. Nam in sensu S. Augustini, Deus perseverare vel non perseverare reliquit in arbitrio Adami; Adamo commisit arbitrium perseverandi in statu innocentiæ, non quia dedit ei ad perseverandum actualem gratiam repudiabilem, seu, ut loquuntur, indifferentem & versatilem; hoc enim planè alienum est à mente S. Doctoris: sed quia dedit ei tantùm gratiam illustrationis, neque immediatè operatus est in ejus voluntate, quomodo aptum erat, ut justitiam permanenter vellet; neque specialem erga illum adhibuit providentiam, qua lapsum ejus aut præveniret, assumendo illum ad intuitivam sui visionem, antequam laberetur; aut impediret, impediendo ne tentaretur eo modo & in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam præsciebatur esse lapsurus, si tentaretur.

E contra in sensu ejusdem Doctoris, Deus non committit electis arbitrium perseverandi, non relinquit in eorum arbitrio perseverare vel non perseverare in statu justitiæ, quia non solùm aperit illis quod latebat, sed etiam suave facit, quod non delectabat; non solùm illorum intellectum illustrat, ut sciant quid appetere, quid vitare debeant, sed per cœlestem quandam suavitatem, qua placet eis justitia, immediatè operatur in eorum voluntate, quomodo eis aptum est, ut quod appetendum est appetere, & quod vitandum, est vitare velint efficaciter, & quia efficaciter volunt, possint potentia ad actum non reducibili tantùm, sed reducenda: *Eis*, inquit S. Doctor cap. 12. *non solùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.*

Deus igitur, juxta S. Doctorem, & electis dat supernaturalem illustrationem, sine qua velle non possunt, & per cœlestem delectationem voluntatem eorum ita accendit, ut velint & efficaciter velint, & efficaciter volendo, possint potentia, quæ ad actum reducitur: quare electi, Deo donante, & in eorum voluntatibus ineffabili modo operante ut velint, & ex propria determinatione velint efficaciter, re ipsa credunt ea fide, quæ per dilectionem operatur: adde, & ut sic credant usque in finem, procurat illis, independenter ab illis, vitæ terminum eo tempore, quo nonnisi sic credentes inveniuntur. Hic sensus est, quo juxta mentem S. Doctoris, Deus non committit electis arbitrium perseverandi in statu justitiæ.

Ad primam partem confirmationis Resp. Majora illa beneficia, quibus electorum infirmitatem adjuvandam esse ait S. Augustinus, esse duo; nempe cœlestem delectationem indeliberatam, qua Deus in eis operatur velle, voluntatem eorum inclinando & accedendo, quomodo ei congruit, ut velit; & vitæ hujus exitum in iis circumstantiis, in quibus nonnisi in ea fide, quæ per dilectionem operatur, manentes inveniuntur, illis procuratum.

Ad 2. part. R. Juxta mentem S. Doctoris, Deus non relinquit electis voluntatem suam; quia non solùm per supernaturalem illustrationem ostendit eis, quid appetere, quid vitare debeant, sed etiam per cœlestem delectationem operatur in eorum voluntate quomodo ei congruit ut velit, & efficaciter velit appetere quod appetendum, & vitare quod vitandum est. At verò Adamo innocenti reliquit voluntatem suam, quia ad perseverandum in statu innocentiæ non aliam dedit ei actualem gratiam, quàm gratiam illustrationis, qua ostendebatur ei quid faciendum, quidve omittendum esset: neque per se, ut poterat, in ejus voluntate operatus est velle, immediatè scilicet eam tangendo & movendo quomodo sciebat ei congruere, ut vellet, & tantum vellet, quantùm opus erat, ut in statu innocentiæ permaneret.

Ad 3. part. Resp. Has voces, *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, dici à S. Doctore non relatè ad voluntatem electorum, quasi agatur per gratiam irrepudiabilem & infrustrabilem ex natura sua, cujus proinde motioni non possit resistere, sed relatè ad tentationes & adversitates hujus vitæ, à quibus vinci non potest. Itaque juxta mentem S. Doctoris, voluntas electorum gratia divina, quamvis repudiabili & frustrabili ex natura sua, indeclinabiliter & insuperabiliter agitur, quatenùs per divinam gratiam, licèt ex natura sua repudiabilem & frustrabilem, ita congruè movetur & inclinatur ad volendam & efficaciter volendam justitiam, ut eam re ipsa velit, & velit efficaciter, atque ita ab ea volenda non magis deterreri possit tentationibus & adversitatibus hujus vitæ, quàm potest idem simul velle & non velle, idem simul velle efficaciter & non velle efficaciter, quod tamen absolutè repugnat.

Ad 4. part. Resp. Juxta mentem S. Doctoris, Deus Adamo innocenti dimisit atque permisit facere quod vellet, quia in ejus voluntate non operatus est, ut hoc potiùs quàm illud vellet, adeòque in ejus voluntate non operatus est, ut hoc potiùs, quàm illud faceret; sed eum tantùm divina luce collustravit, ut videret quid velle & facere deberet. Electis verò non dimittit facere quod velint, quia donat illis ut quod bonum est velint invictissimè, hoc est, efficacissimè, & hoc deserere invitissimè seu efficacissimè nolint: donat autem, voluntatem eorum ad volendum, non irresistibiliter, sed congruè flectendo & inclinando, atque ita congruè flectendo & inclinando, ut velit, & tantum seu tam efficaciter velit, tantoque ardore diligat quod bonum est, ut ab ejus prosecutione deterreri non possit ulla vitæ hujus tentatione vel adversitate: hæc enim vox, *invictissimè*, non ad voluntatem refertur, sed ad tentationes & adversitates hujus vitæ, ut jam observatum est de his vocibus, *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*.

Ad faciliorem textus S. Doctoris intelligentiam hìc observo obiter, adjutorium perseverantiæ, vel, si vis, gratiam liberantem, electorum propriam, cùm apud S. Doctorem duo dicat, nempe victricem delectationem, & donum perseverantiæ finalis, hoc est, vitæ terminum in statu justitiæ certò & infallibiliter procurandum; ab eodem S. Doctore modò adæquatè sumi pro delectatione victrici, & dono perseverantiæ finalis; modò inadæquatè sumi, & cùm inadæquatè sumitur, modò sumi pro sola delectatione victrici, qua voluntas electorum non irrepudiabiliter, sed congruè movetur ut velit, & efficaciter velit quod bonum est; modò pro sola finali perseverantia, quæ cùm data fuerit, nonnisi perseverantes facit, & est à statu peccabilitatis ad impeccabilitatis statum transitus.

Dices 4. S. Augustinus cap. 12. asserit Adamum peccando amisisse merita de quibus gloriari posset; adeòque electos in præsenti statu non in se, sed in Domino tantùm, non de meritis suis, sed tantùm de gratia liberantis gloriari posse. At hoc non asserit S. Doctor, nisi quia putat, Adamum peccando amisisse libertatem contrarietatis, & vim se ipsum cum gratia repudiabili quantumcumque magna determinandi ad bonum volendum & agendum; adeòque ad bonum volendum & agendum electos indigere gratia determinante & necessitante. Ergo ex S. Doctore, gratia Adamo data in statu innocentiæ, & gratia, quæ datur electis in statu naturæ lapsæ, inter se differunt in eo, quòd hæc sit determinans & necessitans; illa verò non esset.

Verba S. Doctoris sunt hæc: *Placuit Deo, quo maxi-*

maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipſo ... Unde autem non glorietur caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere, ſed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt, per liberum arbitrium, propter quod non reſtat liberandis niſi gratia liberantis. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipſo. Non enim gloriantur injuſti, quia non habent undè: nec juſti, quia ex ipſo habent unde.

Reſp. neg. min. Itaque juxta mentem S. Doctoris, Adamus in ſtatu innocentiæ poterat habere merita, de quibus aliquo modo gloriari poſſet, non præcisè, quia cum gratia repudiabili poterat ſe ipſum determinare ad bonum volendum & agendum ſicut oportet, ſed quia bonum velle & agere, ſicut oportet, ex propria determinatione poterat cum gratia repudiabili, quæ ſe teneret tantùm ex parte intellectus, & qua non erat indignus, cùm non haberet peccatum, propter quod indignus eſſet; imò quæ ſtatui, in quo gratuitò conditus fuerat, debebatur. Adamus ad merendum in ſtatu innocentiæ indigebat ſola gratia illuſtrationis: cùm enim voluntas ejus propter donum integritatis ſana & robuſta eſſet, non indigebat inſpirationis gratia, qua ſanaretur & corroboraretur ad bonum volendum & agendum ſicut oportet: unde ad bonum volendum & agendum ſicut oportet, accepta illuſtrationis gratia, ſibi cum infuſis, quibus inſtructa erat, habitibus ſuffiebat, adeòque quòd vellet & ageret bonum ſicut oportet, ſibi ſpeciali quodam modo attribuere poterat, atque ita poterat aliquo modo gloriari de meritis ſuis.

In ſtatu verò naturæ lapſæ nemo eſt, qui gloriari poſſit de meritis ſuis. 1. Enim injuſti non poſſunt, quia merita non habent, aut certè non habent niſi mortificata. 2. Nec poſſunt, qui juſti ſunt, quia ad bonum volendum & agendum ſicut oportet, adeòque ad merendum, indigent gratia Dei liberantis, hoc eſt, voluntatem eorum ſanantis, corroborantis, & à ſervitute concupiſcentiæ eximentis per cœleſtem delectationem, qua ſuave facit ei bonum ſalutare, quod alioqui propter concupiſcentialem morbum ex originali peccato contractum faſtidiret. Unde juſti non de ſuis meritis, ſed de gratia liberantis, & liberando donantis merita illa gloriari debent.

Electi non poſſunt gloriari de meritis ſuis, quia mereri non poſſunt, propriè ſcilicet & de condigno, niſi ſint in ſtatu juſtitiæ, ac proinde niſi priùs miſericorditer à ſervitute peccati transferantur ad libertatem filiorum Dei, & cùm juſti ſunt, ad merendum indigent gratia, quæ det non ſolùm poſſe velle & agere, ſed etiam ipſum velle & agere; quæ non ſolùm illuſtret intellectum, ut ſciant quid appetere, quid vitare debeant, ſed etiam voluntatem ipſam ſanet & corroboret, ut quod appetendum, quodve vitandum eſſe cognoverint, appetere vel vitare valeant; quæ non ſolùm ſit illuſtratio, ſed etiam inſpiratio, ſeu cœleſtis quædam ſuavitas, qua bonum ſalutare ſuave fiat voluntati, quomodo ei congruum eſt, ut illud efficaciter velit, & operetur ſicut oportet.

Hoc adhuc clariùs dicit S. Doctor paulò inferiùs: *Ac per hoc*, inquit, *nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis gloriari, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, &c.* Verba jam ſuperiùs laudata ſunt. Itaque, juxta S. Doctorem, electi non debent gloriari de meritis ſuis, non quòd non poſſint etiam cum gratia ſe ipſos determinare, atque ita indigeant gratia determinante & neceſſitante ad bonum volendum & agendum ſicut oportet; ſed quia ut ad bonum volendum & agendum ſicut oportet, ſe ipſi determinent, propter ortam ex originali culpa infirmitatem, majoribus donis adjuvandi ſunt, & indigent potentiore gratia, quæ non ſolùm perditam reparet libertatem, & det poſſe velle & agere quod bonum eſt, ſed etiam in eis operetur ut velint & agant; operatur autem, voluntatem eorum non antecedenter & irreſiſtibiliter applicando, ſed movendo, inclinando, delectando quomodo ei congruit, ut ex ſuis ſimul & ex ipſius gratiæ eam ſanantis & corroborantis viribus ſe ipſa determinet ad volendum & agendum bonum ſicut oportet. Et verò gratia, qua electi ad merendum indigent, in eorum voluntate non operatur tantùm ut velint, ſed etiam ut velint liberè & ex propria determinatione: at non poteſt operari ut ſic velint, niſi voluntatem eorum congruè movendo: voluntatem enim antecedenter & irreſiſtibiliter ad alteram partem contradictionis obligatam, velle liberè, & ex propria determinatione, evidenter repugnat.

Dices denique 5. S. Auguſtinus cap. 11. docet hominem in ſtatu naturæ lapſæ non habere libertatem indifferentiæ circa bonum & malum. Ergo dicendus eſt per gratiam illam, qua electi ad bene volendum & agendum indigent, intelligere gratiam voluntatis non congruam tantùm, ſed determinantem, & irreſiſtibiliter applicantem ad volendum & agendum.

Prob. ant. Nam 1. loquens de Adamo innocente, ſic ait: *Poſſet perſeverare ſi vellet: quod ut nollet, de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle poſſet & male.* Atqui his verbis S. Doctor opponit liberum arbitrium hominis innocentis libero arbitrio hominis lapſi. Ergo liberum arbitrium hominis lapſi non ita nunc liberum eſt, ut bene velle poſſit & male. Ergo liberum non eſt libertate contrarietatis, juxta S. Doctorem.

2. Sic loquitur: *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono meritò in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Ergo juxta S. Doctorem, impeccabilitas, qua beati fruuntur in cœlo, adeòque cœleſtis gloria fuit merces ſanctis Angelis, quia nimirùm, ut jam dixit ſuperiùs, Angeli ſancti ſteterunt per liberum arbitrium, & ita ſtando meriti ſunt cœleſtem gloriam.

Similiter gloria cœleſtis fuiſſet merces Adamo, ſi ſtetiſſet, quia ſimiliter ſtetiſſet per liberum arbitrium, & ſtando gloriam cœleſtem meritus eſſet. At in his qui liberantur, hoc eſt, in electis, factum eſt donum gratiæ, quod Angelis ſanctis fuit, & homini innocenti fuiſſet merces; hoc eſt, gloria cœleſtis non merces eſt, ſed gratiæ donum electis, quia nimirùm non ſtant per liberum arbitrium: non ſtant autem, quia illud perdiderunt, & perdendo perdiderunt bonum meritum, hoc eſt, vim merendi, qualem habuerunt Angeli ſancti, cùm eſſent in via, & qualem habuit Adamus, cùm eſſet in ſtatu innocentiæ.

Reſp. ad inſt. neg. ant. *Ad 1. prob.* neg. Quòd S. Auguſtinus verbis laudatis opponat liberum arbitrium hominis innocentis libero arbitrio hominis lapſi: opponit enim illud tantùm libero arbitrio Angelorum, & hominum beatorum. Patet ex contextu, ubi ſic legitur: *Ut nollet* (Adamus,) *de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle poſſet & male. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato? ..... Potuit non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deſerere ... Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: noviſſima erit multò major, non poſſe peccare. Prima immortalitas erat, poſſe non mori: noviſſima erit multò major, non poſſe mori. Prima erat perſeverantiæ poteſtas, bonum poſſe non deſerere: noviſſima erit fœlicitas perſeverantiæ, bonum non poſſe deſerere.* Vides S. Doctorem ſtatum innocentiæ non hominum lapſorum, ſed beatorum ſtatui opponere.

Ad 2. prob. Reſp. S. Doctorem non aliud velle, quàm perſeverantiam finalem fuiſſe meritoriam in bonis Angelis, & quòd fuiſſet ſimiliter meritoria in Adamo, ſi perſeveraſſet in ſtatu innocentiæ. Ratio eſt, quia perſeverare vel non perſeverare uſque in

finem

finem, fuit in potestate bonorum Angelorum: unde cùm re ipsa finaliter steterint, steterunt per liberum arbitrium, hoc est, steterunt, quia voluerunt stare. Similiter in potestate Adami fuit, usque in finem perseverare vel non perseverare in statu innocentiæ, hoc est, perseverare vel non perseverare in statu innocentiæ, donec ad cœlestem beatitudinem seu intuitivam Dei visionem assumeretur: unde si re ipsa steterit usque in finem, per liberum arbitrium, seu quia voluisset stetisse, adeòque meritoriè stetisset.

In electis è contra, juxta S. Doctorem, perseverantia finalis non est meritoria, quia non est in illis libera. Ratio est, quia perseverare vel non perseverare usque in finem in statu justitiæ non est in eorum potestate: perseverant enim usque in finem in statu justitiæ, quia moriuntur eo tempore, quo justi inveniuntur. At mori vel non mori eo tempore, quo justi inveniuntur, vel, si vis, mori eo tempore quo justi inveniuntur, potiùs quàm alio quo invenirentur injusti, non est in eorum potestate, sed in potestate solius Dei, cujus est unicuique hominum vitæ terminum præscribere; unde moriuntur eo tempore quo inveniuntur justi, non quia ipsi volunt & eligunt eo tempore mori, sed quia Deus misericorditer vult illis procurare, & illis procurat, ut moriantur eo tempore; atque ita finaliter perseverant, non quia volunt, sed quia Deus vult, & donat illis finalem perseverantiam: non igitur per liberum arbitrium, adeòque nec meritoriè perseverant finaliter. Per peccatum igitur primi parentis perdiderunt bonum meritum perseverantiæ finalis, quia per peccatum primi parentis perdiderunt potestatem finaliter perseverandi vel non perseverandi pro arbitrio. Hinc quod in Angelis bonis merces fuit etiam relatè ad finalem perseverantiam, nempe gloria cœlestis, relatè quoque ad perseverantiam finalem est purum gratiæ donum in electis. Ratio disparitatis est, quia in Angelis bonis perseverantia finalis fuit meritum. Merito autem correspondet merces; & quod merito retribuitur, retribuitur ut merces. At in electis perseverantia finalis est purum gratiæ donum. Dono autem gratiæ quod redditur, non potest esse, nisi gratiæ donum.

DISPUTATIO III.

De gratia efficaci.

ARTICULUS I.

Exponitur doctrina Jansenii circa Gratiam efficacem.

1. APud Jansenium gratia medicinalis & efficax inter se convertuntur: ita ut omnis gratia medicinalis sit gratia efficax, & omnis gratia efficax sit gratia medicinalis. Patet ex libro 2. de gratia Christi Salv. cap. 4. ubi asserit Jansenius gratiæ medicinalis adjutorium tale esse, *ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem: hoc ipso quo datur, simul usum ejus & influxum potestatis dari; quia est hoc ipsum quod suapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subjacet, sed invictè facit ut hoc vel istud arbitrium arbitretur & velit: ipsum bene velle fastidienti ægrotæque voluntati tribuere: invictissimè facere ut velit* voluntas, *& à voluntate non deseratur.*

2. Jansenius gratiam medicinalem adæquatè constituit in cœlesti suavitate, seu delectatione, qua bonum voluntati suaviter placet. Patet ex libro 4. de gratia Christi, cap. 1. ubi ait, ex omnibus S. Augustini operibus perspicuè videri, *gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem Schola vocat, non aliud esse, quàm cœlestem quandam atque ineffabilem suavitatem; seu spiritalem delectationem, qua voluntas prævenitur & flectitur ad volendum faciendumque quicquid eam Deus velle & facere constituerit.* Unde juxta Jansenium, præter hanc suavitatem, seu delectationem, non est alia vera Christi gratia.

3. Cœlestem hanc delectationem, in qua sola gratiam medicinalem consistere vult Jansenius, in actibus vitalibus & indeliberatis complacentiæ & desiderii constituit. Patet ex eodem libro, cap. 11. ubi sic loquitur: *Dicimus igitur delectationem istam seu suavitatem, in Augustino celebrem, esse partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est, partim etiam & crebrò secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur, quibus anima ita suaviter ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero consentiat, ac bonum diligat, tantò vehementiùs, quanto fortiùs illis actibus rapitur.*

4. Docet Jansenius voluntatem non posse amplius quidquam velle sine prævia delectatione. Patet ex eodem lib. cap. 7. ubi ait: *Voluntas sine delectatione velle aut moveri .... nullo pacto potest, quod sane respectu cujuslibet operationis locum habet.* Superiùs dixerat: *Ex quo consequenter fit, ut si illa desit* (delectatio cœlestis,) *voluntas veluti torpens ac mortua, nihil omninò boni amplecti possit: quemadmodum etiam è contrario nihil in carnalibus diligendo prosequi potest, nisi quod eam antè delectaverit.*

5. Docet insuper, voluntatem bonum velle non posse, nisi delectatio cœlestis major & intensior sit terrena delectatione; nec vicissim posse velle malum, nisi delectatio terrena major sit & intensior cœlesti delectatione. Patet ex eodem lib. c. 6. *Ex his*, inquit, *jam perspicuè intelligitur, tantoperè esse necessariam istam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit, quàm terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sanè delectatione minore superabitur, sed eam sequetur animus, quæ magis eum afficiendo suavitate detinuerit.*

6. Docet Jansenius, voluntatem sive bonum sive malum, quod ampliùs eam delectat, necessariò velle, adeòque ad malum ab intensiore delectatione terrena, & ad bonum ab intensiore delectatione cœlesti determinari & necessitari. Patet ex eodem lib. cap. 9. *Ille conflictus delectationum*, inquit, *qui sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit, & eò tantum animæ pondus vergat. Quod enim ampliùs delectat, secundùm id operemur necesse est: Vigente enim* (hoc est, prædominante) *delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat.* Juxta Jansenium, prædominante terrena delectatione, voluntatem velle bonum impossibile est. Quare? Certè quia juxta eumdem, voluntas per prædominantem terrenam delectationem antecedenter & irresistibiliter determinatur, adeòque necessitatur ad volendum malum, juxta illud Augustini, interprete Jansenio: Quod ampliùs nos delectat indeliberatè, secundùm id velimus & operemur necesse est. Superiùs c. 7. dixerat Jansenius: *Delectationem omnis operationis secuturæ mensuram statuit* (Augustinus) *succinctissimè, clarissimè, absolutissimèque pronuncians:* Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est: *nimirùm quia id quod ampliùs nos delectat, etiam ampliùs velimus ac diligamus necesse est: tantò enim quidque vehementiùs volumus, quanto delectamur ardentius: quod autem magis volumus ac diligimus, secundùm id operemur necesse est. Unde quemadmodum hic dicit necesse esse, ut secundùm id operemur, quod ampliùs nos delectat; ita paucis interjectis, in eodem loco adjicit necesse esse, ut id operemur atque sectemur, quod ampliùs dilexerimus, quia videlicet naturali ordine, ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio consequitur.*

7. Docet Jansenius voluntatem, quamvis ad malum à prævalente terrena delectatione, & ad bonum à prævalente delectatione cœlesti necessitetur, esse nihilominùs liberam libertate arbitrii; imò circa

ea malum à delectatione terrena, & circa bonum à cœlesti delectatione fieri liberam arbitrii libertate. Patet ex lib. 7. de gratia Christi, cap. 3. *Delectatio*, inquit, *non solùm arbitrium liberum ad actus malos facit .... quos sine delectatione velle non potest, sed etiam ad actus bonos*. Ratio autem ejus est, quia illud nobis liberum est libertate arbitrii, quod est in nostra potestate, & illud est in nostra potestate, quod fit cùm volumus, tametsi necessariò velimus. Unde necesse est illud nobis esse causam libertatis arbitrii, quod nobis est causa volendi etiam necessariò: *Cùm vera causa, cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur, sit delectatio, qua intrinsecùs, in ipsa voluntate mulcetur, hinc est, quòd consequenter Augustinus tradit tam in appetendo, quàm in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri. Cùm enim hoc sit liberum Augustino, quod est in potestate, seu quod fit cùm volumus, necesse est illud ipsum, quòd arbitrio volendi nolendique causa fuerit, etiam causam esse libertatis*. Et inferiùs: *Si delectatio boni velle facit, delectatio quoque ponit actum in potestate voluntatis; hoc enim est in nostra potestate, quod fit cùm volumus, & hoc ipso etiam liberum facit*.

Ex his, quod non est prætermittendum, colligit Jansenius solam coactionem seu necessitatem violentam, minimè verò voluntariam & spontaneam necessitatem repugnare libertati arbitrii: *Quæ si vera sunt, sicut juxta sanctissimi Doctoris principium verissima sunt, non poterit amplius de ejus mente dubitari, quia eum sentire & constanter docere diximus, libertati arbitrii solam necessitatem coactionis, seu quæ etsi nolumus, efficit id quod potest, esse contrariam, omnemque actum voluntarium seu spontaneum hoc ipso esse liberum* (libertate scil. arbitrii.) *Hoc enim ipsum, quod voluntatem sponte velle seu consentire facit, hoc eam, ut vidimus, etiam liberam facit* (libertate arbitrii.) Ecce Jansenius solam coactionem seu violentiam libertati arbitrii repugnare, concludit ex eo quòd delectatio major voluntatem necessitat, & tamen liberam facit libertate arbitrii, quia necessitando facit sponte velle. Unde sequitur ad liberratem arbitrii non aliud requiri, quàm voluntarietatem seu spontaneitatem actus volendi.

8. Juxta Jansenium igitur, ut ex dictis hactenùs liquet, gratia efficax est omninò cœlestis quædam delectatio, delectatione terrena intensior, sive indeliberatus quidam amoris vel desiderii spiritualis motus, indeliberato amoris vel desiderii carnalis motu intensior, à Deo voluntati impressus, cum activa ad utrumlibet ex oppositis indifferentia incompossibilis, voluntati ægrotæ & antecedenter ad malum per concupiscentiam, à qua in omnibus suis actionibus prævenitur, determinatæ necessarius ad bene volendum & agendum, voluntatem determinans ac necessitans, & necessitando faciens sponte velle & agere bonum, adeòque faciens bonum velle & agere liberè libertate arbitrii, cui sola coactio seu violentia repugnat.

Porrò hic describimus gratiam efficacem, quæ, juxta Jansenium, facit voluntatem velle, quantùm oportet, ut re ipsa operetur bonum. Cœlestis autem delectatio, juxta illum, hunc effectum non habet, nisi cùm intensior est delectatione terrena: unde cùm est minùs intensa, voluntatem in solis inefficacibus desideriis hærere, nec velle quantùm oportet ad operandum bonum, docet lib. 8. de gratia Christi, cap. 2. ubi sic loquitur: *Delectatio victrix* (qua nimirùm vincitur terrenæ delectationis impetus) *quæ Augustino est efficax adjutorium* (quod facit voluntatem velle quantùm oportet ut operetur bonum) *relativa est: tunc enim est victrix, quando alteram superat* (hoc est, quando altera, nempe terrena delectatione ardentior est:) *Quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum est*. Hinc adhuc ad plenam doctrinæ Jansenii in hac materia intelligentiam,

Observa 1. Juxta Jansenium, cœlestem delectationem terrena remissiorem, non esse gratiam efficacem in aliquo sensu, & simul esse in alio. Non est gratia efficax, per gratiam efficacem intelligendo eam, quæ facit voluntatem velle efficaciter, & quantùm oportet ad bonum operandum. Est gratia efficax, per gratiam efficacem, intelligendo eam, quæ habet totum effectum, ad quem datur à Deo: nam, juxta Jansenium, quando cœlestis delectatio, terrena delectatione minor infunditur, tunc tantùm datur à Deo, ut voluntas erumpat in quasdem velleitates, & quædam inefficacia desideria, quod voluntas non potest, juxta eundem, non facere sub illa cœlesti delectatione minùs intensa. Ex his,

Observa 2. In doctrina Jansenii omnem gratiam efficacem esse cœlestem aliquam delectationem, qua voluntas determinatur & necessitatur ad aliquem actum volendi. Duplex est, una scilicet efficax simpliciter, & altera efficax secundùm quid tantùm; vel, si vis, una perfectè, & altera imperfectè tantùm efficax. Perfectè efficax est ea, quæ voluntatem necessitat ad actum volendi perfectum & efficacem, adeòque eam necessitat ad velle actum salutarem, sicut oportet, ut illum re ipsa exerceat. Imperfectè tantùm efficax est ea, quæ voluntatem tantùm necessitat ad actum volendi imperfectum & inefficacem, adeòque non eam necessitat, nisi ad puram velleitatem actus salutaris, quem proinde nec exercet, nec exercere potest. Prima est cœlestis delectatio, terrena delectatione intensior; secunda verò cœlestis delectatio remissior delectatione terrena. Prima dicitur delectatio victrix, quia vincit terrenam delectationem, & ita vincit, ut faciat voluntatem operari bonum; quod non facit secunda. Prima dat posse bonum, non secunda; quia prima, non secunda, dat velle perfectum.

De prima sic loquitur Jansenius libro 8. de gratia Christi, cap. 20. *Delectatio* (quæ scilicet terrena major est,) *suaviter voluntatem provocat, & provocando facit velle* (perfectè) *& ipsum velle* (perfectum) *dando, etiam posse largitur. Quò enim quisque vehementius vult, eò robustior est, sive in bonum sive in malum: quia in libero arbitrio posse non præcedit, sed sequitur voluntatem*. Et inferiùs: *Ista victrix delectatio, sicut hoc ipso quò datur, è captivitate consensum eruit, ita hoc ipso semper cum bona voluntate conjuncta est. Velle ergo dat posse, & fortiter velle, fortiter posse, quia quantò vehementior est voluntas* (efficax,) *eò robustior & insuperabilior est potestas*.

De secunda verò lib. 2. cap. 27. loquitur, cùm ait: *Considerandum est multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus posse vocat; est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent; & hoc ipsum diversos gradus habet, donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur. Hæc ergo primus est cœlestis istius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus ..... Hæc igitur gratia quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid, ut istarum vel alterius cujusdam cœlestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet*.

Hinc juxta Jansenium, homines justi non possunt implere mandata, quæ re ipsa non implent, quantumvis conentur ea implere; quia tunc delectatio cœlestis in eis minor est terrena delectatione: nam si major est, mandata non transgrederentur, quod est contra suppositionem: unde tunc non habent nisi velle imperfectum, seu velleitatem, quacum operari non possunt.

AR-

ARTICULUS II.

De consonantia doctrinæ Jansenii cum doctrina Calvini in hac materia.

1. JAnsenius docet, hominem nunc spoliatum esse libertate indifferentiæ circa bonum & malum; & hanc S. Augustini sententiam esse. Idem ante eum docuit Calvinus: *Quia*, inquit in Antidoto ad Can. 5. sess. 6. *per liberum arbitrium intelligunt* (Patres Tridentini) *eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera, & soluta, titulum sine re esse, qui affirmant, Christum habent authorem & Augustinum.*

2. Jansenius Doctores Catholicos, qui libertatem illam indifferentiæ defendunt in homine lapso, infamat ut Pelagianos. Hoc ante eum fecit Calvinus: *Audiamus*, inquit, lib. 2. Institut. cap. 3. num. 13. *nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis adversam pro suo more criminentur. In quo scilicet Patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipse Augustinus protractus est.* Tum allegatis aliquot S. Augustini testimoniis, sic prosequitur: *Habemus nunc Augustini ore testatum quod in primis obtinere volumus, non offerri tantum à Domino gratiam, quæ libera cujusque electione aut recipiatur, aut respuatur; sed ipsam esse, quæ in corde & electionem & voluntatem formet.*

3. Jansenius docet, voluntatem medicinali gratia præventam, non posse pro arbitrio velle vel non velle; sed ipsam gratiam ineluctabiliter & insuperabiliter facere ut voluntas velit; & hanc esse S. Augustini doctrinam contendit. Idem ante eum, & quidem ut doctrinam Augustini tenuit Calvinus: *Voluntatem*, inquit, *movet* (gratia) *non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo* (hoc est, ad unum antecedenter & irresistibiliter applicando.) *Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est: Quem trahit, volentem trahit: quo insinuat Dominum, porrecta tantum manu, expectare an suo auxilio juvari nobis adlubescat. Nego*, inquit adhuc lib. 5. contra Pighium, *gratiam sic nobis offerri, ut nostræ postea sit optionis, vel obtemperare, vel refragari. Nego tantùm in hoc dari, ut imbecillitatem nostram subsidio suo adjuvet. Neque enim efficere Deum in nobis testatur Paulus, ut possimus bene velle; sed hoc quoque ipsum, ut velimus. Proinde efficaciter formari voluntatem nostram constituo, ut Spiritus Sancti ductum sequatur necessario: non autem incitari dumtaxat, ut valeat si velit.* Et inferiùs: *Si quis oblatam gratiam respuit, ubi illa, sicuti vocat Augustinus, indeclinabilis, & inseparabilis gratiæ actio? quæ non hominibus relinquit suam voluntatem, ut maneant in gratia si velint, sed etiam operatur ut velint: quæ non tantùm fidei consequendæ facultatem confert, sed etiam fideles facit: quæ non modò perseverandi copiam facit, sed tanta illos firmitate instruit, ut non nisi perseverantes sint.*

4. Jansenius constituit discrimen gratiæ sanitatis & medicinalis in eo, quòd Adamus cum gratia sanitatis posset pro arbitrio velle vel non velle; cum medicinali verò non possimus non velle; quòd Adamus cum gratia sanitatis posset pro arbitrio ad alterutram partem contradictionis, vel etiam contrietatis se ipsum determinare; cum medicinali verò non possimus, sed per eam determinemur & necessitemur à Deo, qui in nobis non solùm posse, sed etiam velle operatur.

Idem planè utriusque gratiæ discrimen ante Jansenium assignavit Calvinus: *Talem*, inquit libro 2. Institut. cap. 3. num. 10. *fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare: sed cum suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit, & possit: quid fiet nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur?* Et alibi si adhuc ait in Antidoto Trid. ad sess. 6. *In eo hallucinantur* (Tridentini) *quòd motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo falluntur, quòd nullum observant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen. Quod diligenter Augustinus exponit. Istam, inquit, gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, non quo fieret ut vellet. Sed potentior est gratia in secundo Adam, qua fit etiam ut velimus.*

5. Jansenius docet, voluntatem ad malum per concupiscentiam seu delectationem terrenam, ad bonum verò per cœlestem delectationem à Deo impressam prædeterminari & necessitari. Utrumque ante eum asseruit Calvinus. Nam lib. 2. Instit. cap. 2. ait Augustinum docere, quòd velle hominis formetur à gratia, *impresso delectationis affectu*. En cœlestis delectatio, quam Deus cordibus nostris imprimit, ut velle nostrum formet in nobis, hoc est, ut nos determinet & necessitet ad volendum bonum. Et lib. 3. de libero arbitrio sic loquitur: *Quid aliud sonant Augustini verba? Libera, inquit, est homini voluntas: sed ad malum. Cur? Quia delectatione & proprio appetitu movetur* (ad malum.) En carnalis seu terrena delectatio, en proprius appetitus, seu concupiscentia, quæ per carnalem seu terrenam delectationem voluntatem hominis movet ad malum, atque movendo determinat & necessitat, juxta Calvinum. Unde juxta eundem, voluntas male agendo nihilominùs peccat, quia malè agit cum delectatione, adeòque non coactè, sed voluntariè & sponte sua. Quod adhuc sic exprimit alibi Calvinus: *Hæc distinctionis summa observetur, hominem, ut vitiatus est ex lapsu, volentem quidem peccare, non invitum, nec coactum: affectione animi propensissima, non violenta coactione: propriæ libidinis motu, non extranea coactione.* Duplicis igitur delectationis, terrenæ scilicet & cœlestis, quarum una ad malum, & ad bonum altera voluntatem ineluctabiliter & insuperabiliter prædeterminat, systema novit & probavit Calvinus ante Jansenium.

6. Jansenius docet, solam coactionem seu violentiam, non verò voluntariam necessitatem, tollere libertatem arbitrii. Idem ante eum docuit Calvinus: *Liberi*, inquit lib. 2. Instit. c. 2. *arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactione. Si coactioni*, inquit alibi, *opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter asseverо: ac pro hæretico habeo, quisquis secùs sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.* Breviter Jansenius in homine lapso ad bene vel male agendum solam libertatem à coactione seu violentia agnoscit. Eandem homini lapso ad bene vel male agendum libertatem constanter asseruit Calvinus.

7. Jansenius conciliat libertatem cum efficacia gratiæ, asserendo voluntatem hominis ad bene volendum & agendum liberam esse, quantamcumque ei antecedentem necessitatem afferat gratia, quatenùs sub irrepudiabili & insuperabili motione gratiæ non se habet ad modum stipitis, & velut quoddam inanime, sed verè vult & agit, & quidem sponte & voluntariè, licèt ex antecedenti & insuperabili necessitate. Patet ex lib. 8. de grat. Christi, c. 5. 6. 7. 8. &c. Cal. 5. sic loquitur: *Ex quibus omnibus Pelagianorum objectionibus de liberi arbitrii subversione per Dei gratiam conquerentibus, & Augustini responsionibus, nihil evidentius esse potest, quàm Pelagianos non aliter putasse libertatem voluntatis violari, nisi quia Deus per gratiam totum solus faceret, adeoque hominem invitum & reluctantem ad bonum cogeret: nec aliter Augustinum liberum arbitrium defendere, & concordiam utriusque tradere, nisi quia non sola in*

homine

homine operatur, sed etiam voluntas ex nolente & repugnante fit volens, & volendo cum gratia, aliquid facit. Et c. 6. *Quapropter ut libertatem arbitrii salvam esse sub gratia manifestet, & utramque sibi invicem conciliet* (Augustinus,) *nihil prorsùs adversùs Pelagianos unquam ostendere conatur, nisi Deum per gratiam non operari solùm, sed ut voluntas divinitùs adjuta velit, & ita non prorsùs nihil, sed aliquid etiam ipsa simul agat.*

Eodem planè modo libertatem hominis cum gratia conciliavit ante Jansenium Calvinus. Sic enim contra Tridentinos scribit in Antidoto ad sess. 6. *Quid ergo, inquies, sibi vult Augustinus, cùm de libertate voluntatis loquitur? Nempe quod toties repetit, non cogi homines invitos Dei gratia: sed voluntarios agi, ut sponte pareant & sequantur. Unde illud: Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus efficit & operari. Item: Bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen tenebimus, nisi operetur in nobis & velle.* Juxta Calvinum, bonum volendo & operando liberi sumus, licèt bonum velimus & operemur necessariò, quia sponte volumus & operamur: non enim cogimur Dei gratia, sed voluntariè agimus, non ut nihil agamus, sed ut sponte pareamus & sequamur actionem & motionem gratiæ. Unde sub actione gratiæ volumus quidem, sed volumus, quia Deus necessitat nos ad volendum; operamur, sed Deus necessitat nos ad operandum: liberè tamen volumus & operamur, quia non cogimur, atque ita & verè & sponte volumus & operamur.

Si hæc Calviniana libertatis cum gratia conciliatio Jansenianæ absimilis est, ovum ovo simile non est. Meritò ergo quæritur in quo doctrina Jansenii discrepet à Calvini doctrina, quam Tridentina Synodus sess. 6. diris devovet? Quæritur quid in doctrina Calvini de gratia & libero arbitrio improbarit & damnarit Synodus Tridentina, & non improbarit ac damnarit doctrina Jansenii? Hanc sibi quæstionem proponit Jansenius ipse, lib. 8. de gratia Christi, cap. 21. & ait à Synodo improbata & damnata fuisse quinque Calvinianæ doctrinæ capita, quibus eam à sua discrepare contendit.

Primum est, inquit Jansenius, cap. 2. *quod Calvinus negat esse in homine boni & mali electionem .....* sic enim loquitur Calvinus in lib. 2. Instit. *Liberi arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit ....* Et Cap. 5. *Calvinus dicit, se eviciisse voluntariè fieri, quod liberæ tamen electioni non subjaceat. Quod ex diametro cum S. Augustini sensu pugnat, qui docet hominem liberè eligere non solùm malum, sed etiam bonum, atque ita eligere utrumlibet, ut illud, si nollet, non eligeret; quamvis bonum nonnisi gratia præstante eligatur.*

R. Calvinum ex hoc capite non discrepare à Jansenio. Calvinus negat quidem in homine esse facultatem eligendi, sed qualem asserunt Doctores Catholici, & qualem negat ipse Jansenius, hoc est, facultatem se ipsum determinandi ad unum potiùs quàm ad aliud; facultatem se ipsum determinandi ad malum potiùs quàm ad bonum, aut ad bonum potiùs quàm ad malum; facultatem eligendi, quæ sit in utramque partem libera & soluta. At non negat homini inesse facultatem eligendi, qualem ei Jansenius attribuit, hoc est, facultatem sponte volendi bonum vel malum ex prævia cognitione reflexiva, prout cœlestis delectatio terrenæ, vel terrena cœlesti prævalet, atque ita prout voluntas ad bonum à gratia, vel ad malum à concupiscentia prædeterminatur & necessitatur.

Item Calvinus negat quidem electionem liberam, sed eo sensu quo asserunt Doctores Catholici, & quo negat ipse Jansenius, hoc est, actum quo voluntas, antecedentis ad unum determinationis expers, per activam suam ad utrumlibet indifferentiam se ipsam determinat ad unum potiùs quàm ad aliud, ad malum potiùs quàm ad bonum, vel ad bonum potiùs quàm ad malum. At eodem sensu, quo Jansenius, admittit electionem liberam, hoc est, actum quo, præeunte cognitione reflexiva, voluntariè, & non coactè, voluntas vult malum, quando ad id necessitatur à concupiscentia, vel bonum, quando ad id necessitatur à gratia.

Patent hæc, 1. ex locis Calvini à Jansenio allegatis, ex quibus apparet Calvinum eam tantùm rejicere electionem, quæ sit actus facultatis activè indifferentis, & ex propria determinatione unum præ alio acceptantis.

2. Ex verbis Calvini à nobis n. 1. relatis, quibus liberum arbitrium in sensu Patrum Tridentinorum repudiat velut titulum sine re, quia Patres Tridentini *per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta*. Repudiat igitur Calvinus eligendi facultatem, non qualemcumque, sed eam, *quæ sit in utramque partem libera & soluta*, hoc est, eam, quæ sit facultas activè indifferens, & sui ipsius determinativa; eam, quæ non sit aliunde ad unum antecedenter determinata, hoc est, antecedenter determinata vel ad bonum à gratia, vel ad malum à concupiscentia.

3. Ex verbis ejusdem Calvini, quæ à nobis relata sunt n. 2. *Habemus*, inquit, *nunc Augustini ore testatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ libera cujusque electione aut recipiatur aut respuatur, sed ipsam esse, quæ in corde & electionem & voluntatem formet.* Repudiat igitur Calvinus eam electionem, qua gratiam à Deo oblatam recipimus aut respuimus pro arbitrio, hoc est, qua pro arbitrio consentimus vel dissentimur gratiæ à Deo oblatæ. At non repudiat, sed libenter admittit eam electionem, quam in nobis format & operatur ipsa gratia à Deo oblata, hoc est, actum quo voluntas sponte, non liberè, vult bonum, & ad quem prædeterminatur & necessitatur à gratia.

Juxta Calvinum, distingui potest duplex boni electio, una quæ sit electio libera in sensu Sorbonicorum illorum Doctorum, contra quos scribebat; & altera, quæ sit electio libera, ut putat, aut putare se simulat, in sensu Augustini. Prima est actus, quo voluntas vult bonum, quia sub gratia & cum gratia se ipsa determinat ad illud volendum. Secunda est actus, quo voluntas bonum vult, quia ad illud volendum gratia eam determinat & necessitat. Primam rejicit Calvinus, secundam disertè asserit. Quid ampliùs facit Jansenius, cùm verbis suprà laudatis significat admittendam esse electionem liberam in sensu Augustini? Et verò quid per electionem liberam in sensu Augustini intelligit Jansenius? Planè id quod intellexit Calvinus, hoc est, actum spontaneum, quo voluntariè, & non coactè, bonum volumus, & quem gratia necessitans format in cordibus nostris.

Nec dic, juxta Jansenium, electionem liberam in sensu Augustini esse eam, qua voluntas ita eligit unum, putà bonum, *ut illud si nollet, non eligeret*. Nam Jansenius per illud, *voluntatem ita eligere utrumlibet, ut illud si nollet, non eligeret*, non significat id, quod, eo & gregariis ejus exceptis, mortales omnes intelligunt, videlicet voluntatem unum præ alio assumere ex propria determinatione; voluntatem unum præ alio velle sine antecedenti ad illud volendum determinatione; voluntatem unum velle cum expedita facultate aliud volendi: hoc enim ejus systemati contradictorium est: sed solùm significat voluntatem, eatenùs unum præ alio eligere, quatenùs unum, & non aliud, non coactè, sed sponte vult: unde si illud nollet, non eligeret, quia cùm eligere sit idem, ac sponte & non coactè velle, nolle aliquid, & simul illud eligere, contradictoriè opponuntur. Hinc, quod notandum est, non dicit hominem liberè eligere unum, putà bonum, quatenùs *ita eligit, ut si nollet, non eligeret*; sed dicit, liberè eligere, quatenùs *ita eligit, ut si illud nollet, non eligeret*. Sub his vocibus, *si illud nollet*, latet totum virus Jansenianum. Sic lectores suos indignè ludificatur Jansenius.

Secun-

Secundum est, quòd Calvinus doceat gratiam ita movere hominem, ut non sit ei liberum resistere: sic enim loquitur, lib. 2. Instit. cap. 3. *Voluntatem movet, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari. Augustino vero, Dominus ita movet voluntatem, ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur, possit tamen motioni Dei refragari, aut obtemperare, seu, ut Concilium Tridentinum loquitur, illi dissentire si velit. Potentia quippe dissentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni & consensui, quamvis fieri nequeat, ut actualis dissensus cum actuali Dei motione jungatur.*

R. Et hìc Jansenium tam similem esse Calvino, quàm simia simiæ similis est. Nam 1. Calvinus negat tantùm hominem posse motioni gratiæ resistere in sensu composito, hoc est posse conjungere dissensum cum motione gratiæ, ut patet ex verbis ejus à Jansenio allegatis: voluntatem enim posse pro arbitrio motioni gratiæ aut obtemperare aut refragari, nihil aliud est, quàm voluntatem posse dissensum æquè ac consensum componere cum motione gratiæ. At idem omninò negat Jansenius, nempe quòd homo possit motioni gratiæ resistere in sensu composito, seu quòd homo possit conjungere dissensum cum motione gratiæ: *Quamvis*, inquit, *fieri nequeat, ut actualis dissensus cum actuali Dei motione jungatur.* Et verò cùm uterque asserat, per gratiam antecedenter voluntatem determinari & necessitari ad consensum, consequens est, ut uterque sentiat, voluntatem non posse conjungere actualem dissensum cum actuali motione gratiæ, adeòque voluntatem non posse motioni gratiæ resistere in sensu composito.

2. Calvinus verbis à Jansenio allegatis, negat tantùm, ut ex terminis manifestum est, Deum ita per gratiam movere voluntatem hominis, ut in sensu composito hujus motionis expeditam & ab omni antecedente ad unum determinatione solutam retineat facultatem volendi vel non volendi bonum, volendi bonum vel malum. An non idem negat Jansenius? Omninò negat: *Perspicuè apparet*, inquit lib. 8. de gr. Chr. c. 3. *impossibile esse, ut adjutorium illud cœlestis delectationis non determinet, imò prædeterminet voluntatem; quia facit ut velis, & sine illa velle non possis; facit etiam ut ardentiùs velis, & sine illa ardentiùs velle non possis; facit denique ut necesse sit animum istud sequi, & secundùm istud operari, quod ampliùs delectaverit.* At sub tali delectatione cœlesti, seu sub tali gratia expeditam ad utrumlibet, & ab antecedenti ad unum determinatione liberam manere facultatem, evidenter repugnat. Certè talem facultatem manere sub motione gratiæ ideò tantùm negat Calvinus, quia putat illam facere ut velimus, & ita facere, ut necesse sit, ut velimus.

3. Juxta Jansenium, homo non aliter potest motioni gratiæ resistere in sensu diviso, quàm sub motione gratiæ retinet potentiam peccandi, sive potentiam non faciendi id ad quod movetur à gratia. Et juxta eundem eatenùs sub motione gratiæ manet in homine potentia peccandi, quatenùs sub motione gratiæ manet ipsa voluntas, etiam quà flexibilis est ad malum, & cum voluntate ad malum flexibili manet concupiscentia: *Hoc est igitur*, inquit lib. 8. de gr. Chr. cap. 20. *quod S. Augustinus tradit, quando toties docet concupiscentiam & ignorantiam, per quam omnia peccata nunc committuntur, non auferri ex nobis, quandiu in hac mortali vita versamur. Hinc fit enim, quòd in nobis non solùm ipsa potentia voluntatis, qua de se ad malum flexibilis est, sed etiam pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi potestas perfectissima, quæ sane non solùm adest inestque voluntati, quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur. Propter quam sanè liberum arbitrium, qualicumque gratia ad agendum rapiatur, rectissimè dici potest posse peccare; licèt fieri nequeat, ut ipsum peccatum simul in sensu composito cum gratiæ operatione societur.* Et inferiùs: *Hæc est ergo peccandi potestas, quæ etiam sub gratia quantumcumque ad bonum determinante manet.* Et adhuc inferiùs: *Hoc ergo modo sentit Augustinus & Prosper, sub gratia manere peccandi potestatem, quia præter naturalem flexibilitatem ad malum, manet etiam concupiscentia, per cujus tentationes animus mutari potest.*

Juxta Jansenium igitur, sub motione gratiæ, quantumcumque ad bonum necessitantis, manet potentia non agendi, potentia peccandi, potentia resistendi in sensu diviso, quia sub motione gratiæ quantumcumque intima sua suavitate rapientis, & ad bonum necessitantis, manent duo, quandiu hanc mortalem vitam vivimus, nempe voluntas quà flexibilis ad malum, seu naturalis ad malum flexibilitas voluntatis, & concupiscentia, quæ non auferetur ex nobis, quandiu in hac mortali vita versamur, adeòque manet in voluntate, non solùm quando cœlesti delectatione caret, sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur; quæ (concupiscentia) est pondus ad peccandum; quæ per tentationes suas animum mutare potest; quæ est potestas peccandi perfectissima, hoc scilicet sensu, quòd nisi ab oppositâ delectatione majore vincatur, semper ad peccandum voluntatem necessitet.

Atqui in his omnibus nil planè discrepat à Jansenio Calvinus. Nam 1. nunquam inficiatus est, sub motione gratiæ manere naturalem voluntatis flexibilitatem; cùm hæc flexibilitas sit ipsa natura voluntatis, quam non destrui à gratia, sed ab ea efficaciter moveri, & ad bonum volendum & operandum prædeterminari docuit Calvinus; imò verò naturalem illam voluntatis tam ad bonum, quàm ad malum flexibilitatem luculenter professus est, asserendo voluntatem ad malum sponte volendum necessitari à concupiscentia, & ad bonum sponte volendum necessitari à gratia. 2. Sub motione gratiæ unà cum naturali voluntatis flexibilitate manere concupiscentiam; concupiscentiam non auferri ex nobis, quandiu in hac mortali vita versamur, atque ita adesse ineasque voluntati, non solùm quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur; concupiscentiam esse pondus ad peccandum, quod est potestas peccandi perfectissima in sensu explicato, proculdubio didicit Jansenius à Calvino, docente etiam electos, cùm sub motione necessitantis gratiæ bonum volunt & agunt, peccare propter concupiscentiam etiam tunc vigentem, & inordinatis suis motibus bona eorum opera inquinantem. Calvinum igitur dici non potest negasse potentiam illam peccandi & motioni gratiæ resistendi in sensu diviso, qualem admittit Jansenius.

Confirm. breviter. Juxta Jansenium, hominem posse resistere gratiæ in sensu diviso, nihil aliud est, quàm sub motione gratiæ necessitantis ad bonum, in homine simul remanere facultatem, & concupiscentiam, à qua facultas illa posset necessitari ad malum, à qua necessitaretur, si prævaleret, & à qua re ipsa necessitabitur toties, quoties prævalebit. Atqui Calvinus nunquam negavit sub motione gratiæ necessitantis ad bonum in homine simul remanere, &c. imò doctrinæ Calvini nil intimius est, aut magis affine. Ergo inverecundè diceretur Calvinus repudiasse potentiam illam resistendi gratiæ in sensu diviso, quam tenet Jansenius, & attribuit homini sub motione gratiæ necessitantis.

At inquies. Calvinus negat hominem à Deo motum & excitatum, *posse dissentire si velit*, & Jansenius affirmat; adeòque Jansenius consentit definitioni Tridentinæ Synodi, cui contradicit Calvinus. *Resp.* Et in hoc puncto Calvinum & Jansenium inter se mirificè consentientes esse. Nam in quo sensu Calvinus negat hominem *posse dissentire si velit*, in eodem planè negat Jansenius; & in quo vel quibus sensibus concedit Jansenius hominem *posse dissentire si velit*, in iis minimè negat Calvinus. Quæ duo facilè est demonstrare.

1. Itaque Calvinus negat hominem motioni gratiæ excitantis *posse dissentire si velit*, in naturali & obvio

obvio verborum sensu, hoc est, per to *posse dissentire si velit*, intelligendo facultatem in sensu compositio motionis gratiæ excitantis expeditam, & ab omni antecedente etiam voluntaria necessitate immunem, qua homo potest se ipsum determinare ad oppositum illius, ad quod movetur à gratia excitante. At talis facultas non minùs invisa est Jansenio, quàm Calvino, & ab utroque paribus studiis impugnatur.

2. Jansenius hanc Synodi Tridentinæ definitionem, hominem motioni gratiæ excitantis *posse dissentire si velit*, admittit ut veram, sed in alienissimo sensu, quem exponit lib. 6. de gratia Christi, c. 35. his verbis: *Sicut Scholastici, quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem voluntatem posse dissentire si velit, & Augustinum hominem Deo vocanti posse consentire si velit, putant & rectè putant, significari humani arbitrii libertatem; sic etiam intelligunt eadem prorsùs ratione, libertatem indicari, si diceretur voluntas posse velle si velit, posse non velle si velit. Nam quid est posse consentire, nisi velle? quid est dissentire, nisi non velle? Si ergo phrases istæ infallibiliter demonstrant humani libertatem arbitrii, profectò liberum erit arbitrium, etiamsi immutabiliter velit, aut immutabiliter nolit. Facit enim illa si vult, eodem modo sicut consentit si vult.*

Itaque, si Jansenio interpreti auscultamus, hominem gratiæ vocanti posse dissentire si velit, definit Synodus, non ut significet sub motione gratiæ vocantis remanere in homine expeditam ad utrumlibet sese determinandi facultatem, sed quia velle dissentire, seu nolle consentire est ipsum dissentire. Unde si homo à gratia vocante motus & excitatus, re ipsa, quod tamen fieri non potest, vellet dissentire, seu nollet consentire, re ipsa dissentiret; & si dissentiret, certè posset dissentire.

Eodem sensu verè dicitur: Homo potest non velle, si velit non velle, quantumlibet sit antecedenter determinatus ad volendum; quia si re ipsa vellet non velle, non vellet; & si non vellet, certè posset non velle. Eodem adhuc sensu beatus potest non amare Deum, si velit; quantumvis ad amandum Deum ineluctabiliter, insuperabiliter & invariabiliter necessitetur ab intensissima delectatione cœlesti; quia velle non amare, est non amare. Unde si beatus re ipsa, quod tamen impossibile est in sensu composito beatitudinis, non vellet amare Deum, re ipsa non amaret; & si non amaret, certè posset non amare. At obsecro, num Jansenio ita Synodum œcumenicam interpretanti contradiceret Calvinus? An non facilè concederet, tunc fore ut homo vocanti Deo posset dissentire, si, per impossibile, re ipsa vellet dissentire, & sic re ipsa dissentiret? Omninò, sed simul proculdubio Ecclesiæ definitioni ab Episcopo, qui se Catholicum profitetur, sic expositæ, insultaret ferociter.

Porrò interpretationis suæ, quod obiter observo, absurditatem nova cumulat absurditate Jansenius, lib. 8. de gratia Christi, cap. 17. ubi asserit Tridentinam Synodum illud, *non posse dissentire si velit*; adducere, non ut exprimat libertatem, sed solùm ut probet voluntatem sub motione gratiæ non merè passivè, sed activè, neque per modum stipitis, sed per modum rei animatæ & aliquid agentis sese habere: *Concilium igitur*, inquit, *istius potestatis abjiciendi ac dissentiendi meminit, non ut in eo libertatem arbitrii sitam traderet ..... sed ut ostenderet ex contrario, arbitrium sub gratia* non nihil omninò agere, non veluti inanime quoddam, non merè passivè se habere, *sed aliquid agere instar rei animatæ, instar rei activè se habentis, motum quoque & vitam & consensum suum habere, utpotè quod motu oppositæ inspirationem abjicere posset, eique dissentire si vellet.*

Si ita est, neque Tridentinus Canon, quo anathematizantur ii, qui negant liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, non posse dissentire si velit, neque Caput cui Canon ille respondet, & quo dicitur, hominem abjicere posse inspirationem, quam recipit, vel leviter perstringit Calvinum. Constanter enim docet voluntatem sub motione gratiæ excitantis aliquid agere. Nam sic loquitur lib. 2. Instit. c. 3. num. 14. *Quod autem alibi Augustinus dicit, non tolli gratia voluntatem, sed ex mala mutari in bonam, & cùm bona fuerit, adjuvari, significat tantùm hominem non ita trahi, ut sine motu cordis, quasi extraneo impulsu feratur; sed intùs sic affici, ut ex corde obsequatur.*

Juxta Calvinum, voluntas sub motione gratiæ se habet passivè simul & activè, patitur & agit. Patitur, quia sic movetur, sic afficitur: agit, quia sic mota, sic affecta, voluntariè obsequitur. Idem docet in Antidoto Trid. sess. 6. c. 6. ubi sic loquitur: *Quid ergo, inquies, sibi vult Augustinus, cùm de libertate voluntatis loquitur? Nempe quod toties repetit, non cogi homines invitos Dei gratia, sed voluntarios agi, ut sponte pareant ac sequantur. Unde illud: Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus efficit & operari.* Ex lib. 3. de lib. arb. *Egone*, inquit, *voluntaria esse bona opera unquam negavi? At nullas libero arbitrio partes in bonis operibus tribuo; nullas sanè, nisi ut agat dum agitur, quia per se nihil potest.* Juxta Calvinum, voluntas agitur, non ut nihil agat, sed ut sponte pareat & sequatur. Unde voluntas sub gratia Dei verè vult & operatur, quia Deus operatur in ea per gratiam suam, ut velit & operetur. Agit igitur voluntas sub Dei gratia, licèt non agat, nisi agatur, hoc est, ut intelligit Calvinus, nisi determinetur & necessitetur ad agendum, quia per se nihil potest.

Tertium est, inquit Jansenius, *quod nolit* (Calvinus) *hominem gratiæ moventi pedissequa voluntate consentire. Hæc enim expressa sunt ejus verba. Hoc perperam homini tribuitur, quòd gratiæ prævenienti pedissequa voluntate obsequatur.* Ubi pudor? In eodem enim illo loco, quem Jansenius designare ausus non est, Calvinus contrarium docet: sic enim ibi loquitur, lib. 2. Inst. c. 3. *Quatenùs voluntas à gratia prævenitur, in eo ut pedissequam appellas, tibi permitto: sed quia reformata opus est Domini, hoc perperàm homini tribuitur, quod prævenienti gratiæ pedissequa voluntate obsequatur.* (Supple, quasi verò non obsequatur, nisi quia se ipse determinat ad obsequendum; vel, quasi verò homini liberum sit obsequi, vel non obsequi pro arbitrio.)

Itaque Calvinus eò loci non negat voluntatem esse pedissequam gratiæ prævenientis, & hominem pedissequa voluntate obsequi gratiæ prævenienti, imò affirmat: sed solùm negat, quòd gratiæ prævenienti pedissequa voluntate obsequatur homo, hoc ei attribui debere; contenditque non homini, sed gratiæ prævenienti esse attribuendum, quia, ut putat, ad obsequendum pedissequa voluntate gratiæ prævenienti, homo non se ipse determinat, sed determinatur & necessitatur ab ipsa gratia præveniente; neque Deus offert tantùm gratiam prævenientem, cui pedissequa voluntate obsequi vel non obsequi integrum sit homini, sed ipsam gratiam prævenientem esse, quæ determinando & necessitando format in corde & electionem & voluntatem, qua ei obsequitur homo. Quod probat multis Augustini testimoniis, ex quibus sic concludit ibid. *Habemus nunc Augustini ore testatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantum à Deo gratiam, quæ libera cujusque electione aut recipiatur, aut respuatur, sed ipsam esse, quæ in corde & electionem & voluntatem formet.*

Hanc Calvini doctrinam tradit ipse Jansenius lib. de gratia primi hominis & Angelorum, cap. 15. *Si quod esset*, inquit, *vel esse posset voluntatis adjutorium talis naturæ, quod ita libero dominaretur arbitrio, ut illud secum in actum raperet, & in eo victrici quadam delectatione operaretur, ut vellet; jam influxus potentiæ, seu actio non esset ipsi arbitrio, sed dominantis istius virtutis efficaciæ tribuenda. Non quasi ipsum voluntatis arbitrium tunc non vellet aut faceret: sed quia per imperiosam virtutem illam hoc ei præ-*

præstaretur, ut vellet, ac faceret; non jam ut antea, virtutem illam secum ad volendum, faciendumque rapiendo & applicando; sed impetum ejus sua se dulcedine rapientem subsequendo. Atqui juxta Jansenium, non solùm potest esse, sed revera in hoc statu naturæ lapsæ est voluntatis adjutorium, nempe omnis vera Christi gratia, talis naturæ, quòd ita libero dominatur arbitrio, ut illud secum in actum rapiat, & in eo victrici quadam delectatione operetur, ut velit, quoties bene vult. Ergo in hoc statu naturæ lapsæ, juxta Jansenium, influxus potentiæ, seu actio, non libero arbitrio, sed dominantis gratiæ virtuti & efficaciæ tribuenda est; non quasi sub dominante gratia voluntas non velit aut faciat; sed quia per dominantem gratiam hoc ei præstatur ut velit & faciat; neque jam se ipsa determinat sub dominante gratia, sed solùm ejus impetum ipsam sua dulcedine rapientem sponte subsequitur, sponte volendo ac faciendo.

Et hoc omninò est, quod dicit Calvinus, cùm ait: *Quatenùs voluntas à gratia prævenitur, in eo ut pedissequam appelles tibi permitto*, non quòd ex propria determinatione sequatur, sed quia non sequitur, nisi præventa à gratia, ut sequatur: *sed quia reformata opus est Domini*, hoc est, quia quòd de mala in bonam conversa sit, opus est Domini solius, ipsam per prævenientem suam gratiam ad bonum volendum prædeterminantis & necessitantis, *hoc perperam homini tribuitur, quòd gratiæ prævenienti pedissequa voluntate obsequatur*; sed totum tribui debet gratiæ prævenienti, quæ illum, ut voluntate sua sequatur, trahit; quæ in illo format & electionem & voluntatem, qua sequitur; quæ illum intùs ita afficit, ut ex corde, hoc est, sponte & voluntariè, quamvis necessariò, obsequatur. Principium autem utrique, Calvino scil. & Jansenio, commune est, quòd cùm duæ causæ coagunt, & una alteram ad agendum necessitat, soli causæ necessitanti actio attribui potest & debet; nisi tamen aliunde subsit aliqua sufficiens ratio, eam attribuendi causæ, quæ determinatur & necessitatur ad agendum.

Quartum, inquit Jansenius, *& principium omnium istorum præcedentium, est, quòd exerte docet* (Calvinus,) *virtutem & vitium, bene agere & malè, non esse in nostra potestate. Nam* in lib. 2. *reprehendit illam sententiam Philosophorum, qua dicunt* virtutes & vitia esse in nostra potestate: *itemque* agere & non agere esse nostræ electionis. *Paulò inferiùs carpit illam Chrysostomi sententiam*: Quoniam bona & mala in nostra Deus potestate posuit, electionis liberum donavit arbitrium, & invitos non retinet, sed volentes amplectitur. *Et in cap. 5. damnat Chrysostomum, dicentem quòd* hæc sit voluntatis nostræ facultas, bonum aut malum eligere. *Et sanctum Prosperum, quem ipse Ambrosium vocat, asserentem*, neminem unquam à fide recessurum fuisse, nisi mutabilitatis conditionem Dei gratia nobis relinqueret ..... *Hæc & hujusmodi, quibus Calvinus passim sensus suos prodit, liberum arbitrium à fundamentis suis convellunt. Quid enim ad liberum arbitrium radicitùs extirpandum capitalius excogitari potest, quàm bene & malè agere, virtutem & vitium non esse in hominis potestate?* Ita Jansenius, qui tamen in hoc puncto ne transversum quidem digitum discedit à doctrina Calvini. Nam quo sensu Calvinus negat virtutem, & vitium esse in nostra potestate, negat & ipse Jansenius; & quo sensu Jansenius asserit virtutem & vitium esse in nostra potestate, non negat, sed æquivalenter affirmat Calvinus, quod utrumque facilè ostenditur.

1. Itaque Calvinus negat virtutem & vitium esse in nostra potestate eo sensu, quo ly *esse in nostra potestate*, ab omnibus accipi solet in communi usu loquendi, & quo dicitur illud omne, & solum esse in nostra potestate, circa quod habemus activam indifferentiam in utramque contradictionis vel etiam contrarietatis partem expeditam; ita ut à libera & propria nostra determinatione pendeat, ut fiat vel non fiat, vel etiam ejus oppositum fiat. Patet ex ipso loco, quem citat Jansenius, & in quo sic loquitur Calvinus: *Philosophi hoc extra controversiam ponunt, virtutes & vitia in nostra esse potestate. Nam si nostræ, inquiunt, electionis est hoc, aut illud agere, ergo & non agere. Rursùm si non agere; ergo & agere. Libera autem electione agere videmur, quæ agimus, & ab iis abstinere, quibus abstinemus: ergo si quid boni agimus ubi libeat, possumus illud omittere: si quid mali perpetramus, possumus id quoque fugere.* Tum ad marginem citat Aristotelem, cujus verba hìc exscribit.

Hanc Aristotelis doctrinam improbare cogitur Calvinus, quia docet ipse eos, qui malè agunt, ad malè, eos verò, qui bene agunt, ad bene volendum, & agendum necessitari, hos quidem à gratia, illos verò à concupiscentia. Cùm autem idem planè post Calvinum doceat Jansenius, manifestum est, quòd ipse quoque neget virtutem & vitium esse in nostra potestate, eo sensu, quo negat Calvinus. Hinc reprehendit eos, qui dicunt, ad hoc ut actus aliquis sit in nostra potestate, requiri facultatem illum ponendi vel non ponendi expeditam, & ab omni necessitate etiam voluntaria immunem: *Recentiores*, inquit, lib. 6. de gratia Christi cap. 4. *imaginantur, illum tantummodo actum esse in nostra potestate, hoc est, in libero nostræ voluntatis arbitrio, & illius tantùm nos esse dominos, quem pro libitu nostro, positis omnibus ad agendum necessariis, possumus facere & non facere. Qua in re, juxta Augustini sententiam celeberrimè nobis explicatam, sine dubitatione falluntur.* Falli autem non diceret, si eo sensu, quo negat Calvinus, virtutem & vitium in nostra esse potestate, ipse concederet.

2. Igitur Jansenius asserit virtutem & vitium esse in nostra potestate, eo sensu, quo asserit esse in nostra potestate bene & malè agere. Juxta illum autem bene & malè agere eatenùs est in nostra potestate, quatenùs nunquam bene aut malè agimus nolentes; sed cùm bene agimus, sic agimus quia volumus: similiter cùm malè agimus, sic agimus, quia volumus. Sic argumentatur Jansenius: Illud est in nostra potestate, quod si nolumus, non fit, & si volumus, fit; licèt cùm nolumus, necessariò nolimus, & cùm volumus, necessariò velimus. Atqui si nolumus bene agere, non agimus bene, & è contra si volumus bene agere, agimus bene: similiter si nolumus malè agere, non agimus malè, & è contra si volumus malè agere, agimus malè. Ergo bene & malè agere est in nostra potestate; licèt cùm nolumus sive bene sive malè agere, necessariò nolimus, & cùm è contra volumus, necessariò velimus. Ergo virtus & vitium sunt in nostra potestate; cùm virtus in bono, vitium verò in malo volendo & agendo consistat; quamvis, sive bonum, sive malum velimus, & faciamus necessariò, cùm illud volumus & facimus; & è contra nolimus & non faciamus necessariò, cùm illud nolumus & non facimus.

Nota. Paradoxæ, vel potiùs hæreticæ doctrinæ hoc Jansenio principium est: *Illud est in nostra potestate, quod cum volumus, facimus,* (lib. 6. de gratia Christi cap. 4. 5. &c.) & cùm nolimus, non facimus, quantumlibet sive velimus, sive nolimus, necessariò velimus, & nolimus. Unde colligit, omnem voluntatem seu volitionem, etiam necessariam, essentialiter esse in nostra potestate; nam cùm volumus, non potest non adesse voluntas seu volitio, & è contra non potest non abesse, cùm nolumus. Hinc cùm virtus sit voluntas boni, & vitium voluntas mali, virtus & vitium sunt essentialiter in nostra potestate, juxta Jansenium; quamvis circa virtutem & vitium nullam habeamus activam indifferentiam; quia voluntas boni & voluntas mali sunt essentialiter in nostra potestate; & sunt essentialiter in nostra potestate, quia non potest non adesse voluntas boni, cùm bonum volumus, & è contra non potest non abesse, cùm bonum nolumus. Similiter mali voluntas non potest non adesse, cùm volumus

malum, & è contra non potest non abesse, cùm nolumus malum.

Quid plura? Virtus, & vitium sunt in nostra potestate, juxta Jansenium, non quòd cum bonum, aut malum volumus, velimus sine antecedenti necessitate, & ex propria determinatione; nam, juxta Jansenium, cùm bonum volumus, ad illud volendum necessitamur à cœlesti delectatione, & cùm malum volumus, ad illud volendum necessitamur à delectatione terrena; sed quia virtus, & vitium essentialiter voluntaria sunt, adeòque nec habemus, nec habere possumus virtutem, aut vitium, nisi velimus, & non possumus non habere, si volumus; cùm virtus & vitium in volitione consistant, hoc in volitione mali, illa in volitione boni.

Atqui nullibi Calvinus negat, hoc sensu virtutem, & vitium in nostra esse potestate, sed è contra æquivalenter affirmat, expresè asserendo hominem, sive bonum sive malum velit, & agat, non coactè, sed sponte velle, & agere: *Egone*, inquit, lib. 3. de libero arbitrio *voluntaria esse bona opera, unquam negavi*? Et adhuc lib. 2. *Homini arbitrium concedimus, idque spontaneum, ut, si quid mali facit, sibi ac voluntariæ suæ electioni imputare debeat*. Idem patet ex pluribus aliis Calvini locis, jam à nobis allegatis. Hic igitur in hoc tantùm varii sunt Calvinus, & Jansenius, quòd Calvinus, cùm negat virtutem, & vitium esse in nostra potestate, sentit & loquitur ut hæreticus; Jansenius verò, cùm affirmat, cum hæreticis sentit, & loquitur cum Catholicis, & sic hæresim cumulat hypocrisi.

Quintum denique est, inquit Jansenius, *quòd fronte retecta tandem docet* (Calvinus) *non esse in homine liberum arbitrium, ipsumque nomen inane & exterminandum esse. Itaque quemadmodum etiam recentiores notant, Calvinus ex modo agendi, quo pollet gratia prædeterminando voluntatem, liberum arbitrium apertè destrui dixit, cùm potiùs libertatem cum gratia conciliare debuisset.*

Resp. 1. Calvinus, quod Jansenius ignorare non potuit, negat liberum arbitrium in sensu Catholicorum, hoc est, activam indifferentiam circa bonum, & malum expeditam, & ab antecedenti necessitate intrinseca, etiam voluntaria, liberam: *Quia*, inquit in Antidoto ad can. 5. sess. 6. *per liberum arbitrium intelligunt* (Patres Tridentini) *eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera, & soluta, titulum sine re esse, qui affirmant, Christum habent authorem, & Augustinum*. At non negat liberum arbitrium, sed è contra apertè profitetur in sensu Jansenii, qui liberum arbitrium constituit in facultate volendi, non à necessitate simplici, sed à sola coactione, & violentia immuni: *Si coactioni*, inquit Calvinus, *opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero; ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror*.

Resp. 2. Calvinus ex modo agendi, quo volebat pollere gratiam excitantem, prædeterminando voluntatem, non potuit non concludere, destrui liberum arbitrium in sensu Catholicorum, & idem concluderet ipse Jansenius, si sincerè ageret: voluntatem enim esse ad unum antecedenter alligatam, & simul retinere *eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera, & soluta*, evidentem implicat contradictionem, ut vidit Jansenius: unde ut idem cum Calvino de modo agendi gratiæ excitantis impunè sentiat, & doceat, sub vocabulo conatur latere, & vocetenùs liberum profitetur arbitrium, per liberum arbitrium intelligendo eligendi facultatem, non quæ in utramque partem libera, & soluta sit, sed quæ à sola necessitate violenta sit immunis.

R. 3. Duplex est modus cum gratia conciliandi libertatem arbitrii. Primus est, si neges gratiam excitantem esse voluntatis prædeterminativam, & ad alteram contradictionis partem antecedenter obligativam. Secundus est, si neges ad libertatem arbitrii requiri immunitatem à voluntaria necessitate, & solam à necessitate violenta immunitatem sufficere dicas. Primo modo non conciliavit Calvinus, sed nec ipse Jansenius conciliat; cùm idem omninò de natura gratiæ excitantis sentiat & doceat, quod ante eum sensit & docuit Calvinus. Secundo modo libertatem arbitrii cum gratia conciliat Jansenius, sed & ante eum ita conciliavit Calvinus: sic enim loquitur in Antidoto ad sess. 6. *Quid ergo*, inquies, *sibi vult Augustinus, cùm de libertate voluntatis loquitur? Nempe quod toties repetit, non cogi homines invitos Dei gratia, sed voluntarios agi, ut sponte pareant ac sequantur. Unde illud: Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle, &c.* Juxta Calvinum itaque libera est voluntas sub motione gratiæ excitantis, quia non cogitur, sed solùm agitur, ut sponte pareat & sequatur. Quærenti, quomodo sub motione gratiæ excitantis, prædeterminantis & necessitantis voluntatem, voluntas nihilominùs libera sit, respondet Calvinus voluntatem retinere libertatem sub motione talis gratiæ, quia sub motione talis gratiæ sponte paret & sequitur; quia sub motione talis gratiæ retinet immunitatem à coactione. Num aliter Jansenius cum gratia conciliat libertatem? Quis igitur Jansenium non mirabitur exprobrantem Calvino, quòd libertatem non conciliarit cum gratia?

At, inquit Jansenius, Calvinus non solùm carpit nomen liberi arbitrii, sed & de re ipsa censorium ejus decretum habes, lib. 1. Instit. c. 15. *Qui Christi se discipulos esse professi, in homine perdito & in spirituale exitium demerso liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philosophorum placita & cœlestem doctrinam partiendo, plane desipiunt, ut nec cœlum nec terram attingant*. *R.* 1. Calvinus carpit nomen liberi arbitrii, quatenùs per illud significatur libertas indifferentiæ circa bonum & malum, & optabat illud aboleri, quia desperabat per illud unquam in communi rerum usu aliud, quàm indifferentiæ libertatem significatum iri. Calvinus igitur non vocabuli tantùm, quod levis esset momenti, sed etiam rei, quam vocabulum significat, violatæ reus est, quod grave crimen est hæresis, cujus tamen criminis participem & socium habet ipsum Jansenium, irrito conatu illud à se amoliri tentantem.

Resp. 2. Calvinus in censorio suo decreto, per liberum arbitrium libertatem indifferentiæ circa bonum & malum intelligit. Perinde igitur est, ac si diceret: *Qui Christi se discipulos esse professi, in homine perdito & in spirituale exitium demerso, libertatem indifferentiæ circa bonum & malum adhuc quærunt, inter Philosophorum placita & cœlestem doctrinam partiendo, planè desipiunt, &c.* An non millies huic decreto suffragatur Jansenius? An non suffragatur verbi gratia, in præfatione libri sexti de grat. Christi, cùm ait: *Desinat hic obstrepere Aristotelica Philosophia, quæ in ista causa cum Pelagio, atque Juliano plenis buccis crepante damnata est. Neque enim aliud est quicquam hæresis Pelagiana de gratia & libero arbitrio, quam pura puta Aristotelica philosophia .... ex quo fit, ut nihil magis in hoc argumento de libero arbitrio suspectum esse debeat, quam Aristotelica illa philosophia, cujus solius armis instructus Julianus & Pelagius, libertatem humani arbitrii* (hoc est, libertatem indifferentiæ circa bonum & malum) *defenderunt*. Juxta Jansenium igitur, quòd homo in hoc statu habeat libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, est dogma Pelagianum, ex Aristotelis officina depromptum; & hoc est; quod in censorio suo decreto dicit Calvinus.

Pergit Jansenius, & concludit: *Hi sunt ergo errores illi multi & crassi, & graves, qui meritò S. Tridentinæ Synodo displicuerunt, quibus jugulandis illud decretum conditum est, in quo sancit quod homo* gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponitur *ad justificationem, &c.* *R.* Atqui hæc conciliari possunt cum eo, quod dicit Jansenius, decretum illud à Synodo non conditum fuisse, nisi ad damnandam eorum doctrinam, qui dicerent arbitrium, tangente Deo cor hominis,

nihil

nihil omninò agere, nihil cooperari assentiendo Deo, velut inanime quoddam nihil omninò agere, & hominem à gratia invitum cogi, aliumque de ipso, non ipsum proprio motu velle? Nam nihil tale unquam docuisse Calvinum, evidenter demonstratum est: imò verò oppositum passim disertè profitetur, ut patet ex textibus ejus superiùs allegatis. Unum adhuc profero ex lib. 3. de lib. arbit. in quo contra eos vehementer invehitur, quia ita sentiunt: *Id dicit Augustinus*, inquit, *ut deliræ & impiæ eorum imaginationi occurrat, qui Deum in homine, sicut in lapide, hoc est, sine intrinseco, ut ita loquar, voluntatis ejus motu operari fingunt*. Tum sententiam suam huic è diametro oppositam exponit inferiùs his verbis: *Hominem sic quidem docemus agi Dei gratia, ut simul tamen agat*. Vides Jansenium sibimet struxisse labyrinthum, ex quo evadere non potest.

Porrò ex dictis hactenùs sic argumentor. Synodus Tridentina sess. 6. c. 5. & can. 4. damnat Calvinum, ut confessus est Calvinus ipse, ut confitentur Calvini discipuli, ut docent Scholæ omnes Catholicæ, ut expressè agnoscit Jansenius. Ergo Synodus Tridentina damnat Calvinum, vel præcisè quia repudiavit vocabulum liberi arbitrii; vel quia docuit hominem sub motione gratiæ excitantis nihil omninò agere, & sese merè passivè habere, aut etiam invitum cogi; vel quia docuit hominem abjicere non posse inspirationem, eique resistere si velit in sensu Jansenii; vel denique quia docuit sub motione gratiæ excitantis hominem habere solam libertatem à coactione, hominem gratiæ excitanti consentire sponte tantùm, non verò ex propria determinatione; sub motione gratiæ excitantis non remanere in homine *eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta*, ut agnovit ipse Calvinus.

Non primum: quia dici non potest sine manifesta absurditate, & sine gravi injuria & contemptu Synodi œcumenicæ. Non secundum: nam Calvinus hoc nunquam docuit, sed è contra eorum, qui ita sentirent, sententiam velut deliræ & impiæ imaginationis fœtum explosit, disertisque verbis declaravit sentire se, *sic hominem agi Dei gratia, ut simul agat*. Non tertium: nam Calvinus, sub motione gratiæ excitantis, naturalem voluntatis flexibilitatem remanere nunquam negavit, ut demonstratum est. Ergo quartum dici debet, quod etiam fassus est ipse Calvinus, & post eum fatentur Calviniste omnes. Atqui hæc doctrina Calvino communis est cum Jansenio. Ergo non solùm Calvini doctrina, sed etiam doctrina Jansenii de gratia excitante & libero arbitrio anathemate feritur à Synodo Tridentina, & ut ipsius Jansenii verbo utar, jugulatur. Ergo Jansenii discipuli, qui ejus de gratia excitante & libero arbitrio profitentur doctrinam, tam hæretici sunt, quàm discipuli Calvini. Sed contra.

Objicies. Jansenius hominem sub motione victricis delectationis existentem subjicit tantùm necessitati partiali, relativæ, morali, & variabili: Calvinus verò subjicit necessitati totali, absolutæ, physicæ, & invariabili. Ergo malè confunditur Jansenii doctrina cum doctrina Calvini, & perperam dicitur cum Calvini doctrina damnari à Tridentina Synodo Jansenii doctrina.

Resp. 1. Esto ant. neg. conseq. Nam necessitas illa partialis, relativa, &c. compatitur solam libertatem à coactione, & tam verè excludit eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta, tam verè excludit facultatem agendi vel non agendi pro arbitrio, & componendi negationem consensus cum motione gratiæ excitantis, quàm necessitas totalis, absoluta, &c. Atqui Synodus Tridentina anathematizat omnem necessitatem compossibilem cum sola libertate à coactione, & excludentem eligendi facultatem, &c. Ergo Synodi Tridentinæ anathema tam Jansenii doctrinam jugulat, quàm doctrinam Calvini. Major per se patet.

Prob. min. 1. Ex confessione Calvini: *In eo*, inquit in Antidoto Concil. Trident. ad sess. 6. cap. 6. *hallucinantur* (Patres Tridentini) *quòd motum nobis offerri somniant, qui mediam nobis electionem relinquat*, (hoc est, qui nobis relinquat expeditam alterutrum è duobus pro arbitrio eligendi facultatem.) *Denique in eo falluntur, quòd nullum observant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen*; quia nimirùm volunt per regenerationis gratiam, quæ est propria status naturæ lapsæ, non magis excludi libertatem indifferentiæ, & expeditam ad utrumlibet activam indifferentiam, quàm excluderetur à gratia Adami, quæ fuit propria status innocentiæ:) *Dico apertè pugnare quod hic pronunciant, cum illa Christi sententia: Quisquis audivit à Patre meo, venit ad me ..... Constituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi si velit, auscultet*. Et adhuc: *Per liberum*, inquit in Antidoto ad sess. 6. can. 5. *arbitrium intelligunt* (iidem) *eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta*.

At inquies. In interpretanda Synodi mente erravit Calvinus. *R.* Nugæ. Nam errantem in re tanti momenti proculdubio castigassent Doctores Catholici, qui contra illum post Tridentinam Synodum scripserunt, quousque ad unum omnes sibi hac in re consentientes habet. Hinc

Prob. min. 2. Authoritate Catholicorum Doctorum, qui post Synodum Tridentinam contra Lutherum & Calvinum pugnarunt, quique omnes, nullo excepto, contra illos libertatem indifferentiæ circa bonum & malum in homine lapso defendunt ut dogma fidei, ab Ecclesia in Tridentina Synodo definitum, & sub motione gratiæ excitantis seu inspirationis libertatem non solùm à coactione, sed etiam à necessitate simplici, seu voluntaria immunem manere docent, & ex Tridentino decreto probant. Unus erit ad instar omnium Alvarez, accerrimus physicæ prædeterminationis defensor: *Ad liberum*, inquit lib. 12. de auxiliis divinæ gratiæ, disp. 115. num. 4. *arbitrium necessariò requiritur, quòd positis omnibus antecedenter secundum ordinem rationis vel temporis ad actum prærequisitis*, (unum autem ex his, quæ sic ad actum salutarem prærequiruntur, est gratia excitans, seu inspiratio) *possit operari vel non operari; ita videlicet ut cum eisdem prærequisitis stet simul in libero arbitrio facultas & potentia, qua possit operari, si velit, vel non operari, si nolit. In hac conclusione conveniunt omnes Catholici: habetur enim definita in Concilio Tridentino contra Lutherum & Calvinum. Lutherus enim asserebat liberum arbitrium merè passivè se habere, recipiendo in se actum liberum, a solo Deo productum. Calvinus autem dixit, hominem quidem concurrere activè ad actum, quem Deus in nobis producit; non tamen concurrere motu libero* (libertate scilicet oppositâ necessitati simplici seu voluntariæ) *sed spontaneo duntaxat, & non coactè*.

Resp. 2. neg. ant. Et dico necessitatem, cui Calvinus subjicit hominem sub motione gratiæ excitantis existentem, tam esse partialem, relativam, moralem & variabilem, quàm partialis, relativa, moralis & variabilis est necessitas, quam inducit Jansenius, & imponit homini existenti sub motione gratiæ excitantis. Nam 1. necessitas, cui Jansenius hominem sub motione victricis delectationis existentem subjicit, partialis est, quia victrix delectatio, qua homo ad bonum volendum necessitatur, juxta Jansenium, non tollit omnem potentiam ad oppositum; & non tollit omnem potentiam ad oppositum, quia relinquit remotam potentiam peccandi; & relinquit remotam potentiam peccandi, quia cum ea remanet naturalis flexibilitas voluntatis cum concupiscentia, quæ voluntatem ad malum necessitare potest, & re ipsa necessitat, quando prædominatur. Atqui in systemate Calvini, cum delectatione victrici remanet naturalis flexibilitas voluntatis cum concupiscentia, ut suprà demonstratum est. Ergo in systemate Calvini, cum victrici delectatione remanet remota potentia

tentia peccandi in sensu Jansenii ; adeòque delectatio victrix non magis omnem potentiam ad oppositum tollit apud Calvinum, quàm apud Jansenium; atque ita non minùs apud Calvinum, quàm apud Jansenium, partialis est necessitas illa, quam secundùm illos delectatio victrix inducit.

At inquies. Juxta Jansenium, cum delectatione victrici remanet potentia peccandi etiam proxima. *Resp.* Hoc esse falsum. Nam juxta Jansenium, non magis remanet peccandi potentia proxima cum victrici delectatione, quàm cum concupiscentia prædominante remanet potentia proxima non peccandi. Itaque, juxta Jansenium, sicut voluntas sub concupiscentia prædominante non habet potentiam proximam & completam non peccandi ; ita nec habet sub victrici delectatione potentiam proximam, & completam peccandi.

Ratio pro utroque à priori juxta illum est, quia potentia proxima & completa non præcedit, sed supponit velle perfectum & efficax. Unde cùm sic velle non peccare tribuat sola delectatio cœlestis prædominans, voluntas nec habet nec habere potest proximam & completam potentiam non peccandi, nisi sub delectatione cœlesti prædominante. Item cùm sic velle peccare tribuat sola prævalens concupiscentia, voluntas nec habet, nec habere potest potentiam peccandi proximam & completam, nisi sub prævalente concupiscentia.

Vide librum 8. de gratia Christi, cap. 20. ubi sic loquitur : *Hùc accedit quòd hujusmodi pondera delectationum, quibus efficitur ut voluntas rationalis actu velit bonum aut malum, non tam posse aliquid facere, quam velle tribuant : & ideò consequenter posse, quia tribuunt velle .... Delectatio quippe suaviter voluntatem provocat, & provocando facit velle, & ipsum velle dando, etiam posse largitur.* Et inferiùs : *Velle ergo dat posse.*

Juxta Jansenium igitur, voluntas non habet perfectum posse malum, nisi cùm habet perfectum velle malum; & non habet perfectum velle malum, nisi cùm prævalet delectatio terrena. Similiter non habet perfectum posse bonum, nisi cùm habet perfectum velle bonum; & non habet perfectum velle bonum, nisi cùm prævalet delectatio cœlestis. Atqui potentia proxima & completa est posse perfectum. Ergo juxta Jansenium, voluntas non habet potentiam proximam & completam circa malum, nisi cùm prævalet delectatio terrena ; nec habet potentiam proximam & completam circa bonum, nisi cùm prævalet delectatio cœlestis. Ergo juxta Jansenium, voluntas sub delectatione terrena prævalente habet remotam tantùm & incompletam potentiam ad volendum bonum, & sub delectatione cœlesti prævalente habet remotam tantùm & incompletam potentiam ad volendum malum.

Hæc autem qualiscumque potentia, quam Jansenius tribuit voluntati ad volendum bonum sub delectatione terrena prædominante, & ad volendum malum sub prævalente delectatione cœlesti, aliud non est, ut itelligitur ex dictis superiùs, quàm vis volendi bonum, si ad id à delectatione cœlesti, & volendi malum, si ad id à delectatione terrena necessitaretur, connotans possibilem in præsenti statu delectationum vicissitudinem. Quàm autem hæc omnia aptè quadrent Calvini doctrinæ, superfluum est ostendere.

2. Juxta Jansenium, necessitas volendi bonum relativa est ad cœlestem delectationem, terrena delectatione majorem ; quia pendet ab ea tanquam effectus à causa, sine qua nec est, nec esse potest: sicut, juxta eundem, necessitas volendi malum relativa est ad delectationem terrenam prædominantem; quia pendet ab ea tanquam effectus à causa, sine qua nec est, nec potest esse. Atqui apud Calvinum necessitas volendi bonum tam pendet à prævalente delectatione cœlesti, tanquam effectus à causa, sine qua nec est, nec esse potest ; sicut & necessitas volendi malum tam pendet à prædominante delectatione terrena, tanquam effectus à causa, sine qua nec est, nec potest esse. Ergo necessitas sive volendi bonum, sive volendi malum, tam ap. Calvinum relativa est, quàm ap. Jansenium.

3. Necessitas volendi bonum, cui Jansenius subjicit hominem, quoties bonum vult, à discipulis ejus abusivè & contra expressam ejus doctrinam, vocatur moralis ; quia spectat mores, & est effectus delectationis. Atqui pariter necessitas volendi bonum, cui Calvinus subjicit hominem, quoties bonum vult, mores spectat, & est delectationis effectus. Ergo ap. Calvinum necessitas volendi bonum tam est moralis necessitas, quàm apud Jansenium, juxta discipulorum ejus interpretationem.

Dixit autem, abusivè : nam propriè loquendo moralis necessitas volendi bonum non est nisi magna aliqua difficultas abstinendi à bono : sicut propriè loquendo moralis necessitas volendi malum non est nisi magna aliqua difficultas abstinendi à malo. Unde moralis necessitas volendi bonum propriè dicta, fallere potest, & carere effectu suo, quia magna difficultas superari potest, & quandoque superatur; quanquam eò rariùs superetur, quò major est. Atqui juxta Jansenium, necessitas volendi bonum in homine, cùm bonum vult, talis est, ut simpliciter repugnet, eam effectu suo frustrari. Nam juxta Jansenium, homo sub delectatione victrici tanta necessitate vult bonum, quanta necessitate justus est, cùm adest justitia, aut beatus est, cùm adest beatitudo. Ergo necessitas volendi bonum, quam inducit Jansenius, non potest dici propriè, sed impropriè tantùm & abusivè moralis necessitas.

Item dixi, contra expressam ejus doctrinam: nam juxta Jansenium, necessitas volendi bonum, quam facit delectatio cœlestis, est necessitas physica. Quod sic ostendo. Delectatio cœlestis voluntatem ad bonum volendum necessitat physicè, vel moraliter tantùm, prout eam ad bonum volendum prædeterminat physicè vel moraliter tantùm : eatenùs enim, juxta Jansenium, necessitat, quatenùs prædeterminat. Atqui juxta Jansenium, non moraliter, sed physicè prædeterminat : *Prævenit*, inquit, lib. 8. de gratia Christi, c. 3. *ipsam voluntatis determinationem, etiam prædeterminando, non solum moraliter, sed vera, reali & physica determinatione.* Cur autem non moraliter tantùm, sed verè, realiter & physicè prædeterminet, hanc convincentem rationem subjicit : *Moralis enim prædeterminatio illa dicitur, quæ tantum se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur, sive extrinsecus, sive intrinsecus : sed hæc* (delectatio cœlestis) *se habet in ipsa potentia voluntatis, quam propriè suæ suavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpotè causans in ea hoc ipsum ut se determinet, ideoque prædeterminat.* Ergo, &c.

Porrò, quod est obiter observandum, illud, *ut se determinet*, apud Jansenium idem sonat ac, ut sponte velit, & non coactè, ut patet ex verbis subsequentibus: *Ut enim*, inquit, *ex Augustino, tanquam rem certissimam asserente declaravimus .... quod amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est.* Nam si voluntas sub delectatione cœlesti, quando terrena delectatione major est, necessariò vult bonum, certè non vult illud ex propria determinatione, sed sponte tantùm. Præterea, velle ex propria determinatione effectus est activæ ad utrumlibet indifferentiæ, qua tamen indifferentia voluntatem hominis propter originale peccatum irreparabiliter spoliatam esse docet Jansenius. Maluit tamen scribere, *ut se determinet*, quàm, ut sponte velit, ad ludendum in verbis & lectoribus, si posset, illudendum.

4. Denique apud Jansenium necessitas volendi bonum mutari potest; sicut & necessitas volendi malum: quia utraque necessitas essentialiter relativa est ad aliquam delectationem, hæc ad terrenam, illa ad cœlestem; quæ delectationes in hac mortali vita alternis prædominari possunt, atque ita voluntas modò ab una, nempe à terrena, ad volendum malum, modò ab altera,

altera, nempe à cœlesti, ad volendum bonum prædeterminari ac necessitari, sicque modò à necessitate volendi bonum ad necessitatem volendi malum, & vicissim à necessitate volendi malum ad necessitatem volendi bonum transferri potest. Atqui etiam apud Calvinum utraque necessitas est essentialiter relativa ad aliquam delectationem, una scilicet ad terrenam, & altera ad cœlestem, & hæ delectationes alternatim prævalere possunt. Unde Calvinus docet lib. 3. Institut. cap. 2. electos quandoque transgredi voluntariè mandata divina, & è contra reprobos quandoque ea voluntariè observare. Docet enim electos quandoque v. g. voluntariè non credere, & ita voluntariè fidem amittere; reprobos verò quandoque voluntariè credere, & Deum diligere. Ergo tam apud Calvinum utraque necessitas variabilis est, quàm apud Jansenium.

Dices. Denique pro Jansenio contra Calvinum: Necessitas modò volendi bonum, modò volendi malum, cui hominem subjicit Jansenius, non excludit indifferentiam contrarietatis & contradictionis, ut patet ex titulo, cap. 20. lib. 8. de gratia Christi ubi dicitur: *Agnovit Augustinus sub gratia, & ante gratiam, indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu, non tamen tanquam libertatem, aut partem ejus.* Atqui Calvini necessitas excludit indifferentiam contrarietatis & contradictionis: utramque enim explodit Calvinus. Ergo perperam doctrina Jansenii cum Calvini doctrina subjicitur anathemati Tridentino.

Resp. Jansenii necessitas non excludit *indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu*. Hæc autem indifferentia contrarietatis & contradictionis *quodam sensu*, non est aliud, juxta Jansenium, quàm flexibilitas seu vertibilitas voluntatis, quæ nunquam, quandiu in hac mortali vita versamur, ad unum invariabiliter est prædeterminata; sicut è contra in altera vita voluntas beatorum ad bonum, & voluntas dæmonum ad malum volendum & agendum prædeterminata est invariabiliter. Unde fit (utar verbis ipsius Jansenii cap. citato) *ut quibuscumque positis, quæ ad agendum bonum aut malum requisita sunt, possit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum & non facere;* Hoc est, unde fit, ut voluntas possit alternatim facere bonum & malum, quia potest alternatim necessitari ad bonum & malum; ut possit alterutrum facere & non facere, prout ad alterutrum necessitatur, vel non necessitatur.

Hanc vertibilitatem, non ligatam, sed expeditam, non remotam tantùm & radicalem, sed proximam, quam in hac mortali vita propter delectationum inconstantiam & variabilitatem habet voluntas, & propter quam voluntas, juxta Jansenium, rectè dici potest habere indifferentiam contrarietatis & contradictionis aliquo sensu, didicit Jansenius à Luthero in libro de servo arbitrio, ubi Lutherus profitetur illam se voluntatis *mutabilitatem & vertibilitatem*, liberumque hoc sensu arbitrium amplecti, quamvis, inquit, *rectius vertibile arbitrium, vel mutabile arbitrium diceretur, quàm liberum.* Et ibidem: *Donemus id abusui, licet magno & periculoso, ut idem sit liberum arbitrium, quod vertibile arbitrium.* Et inferiùs illam voluntatis vertibilitatem & flexibilitatem sic exponit: *Humana voluntas in medio posita est seu jumentum. Si insederit Deus* (per gratiam suam,) *vult & vadit quò vult Deus. Si insederit Sathan* (per malam suggestionem) *vult & vadit, quò vult Sathan.*

A Luthero igitur didicit Jansenius in voluntate *sub gratia & ante gratiam* manere *indifferentiam contrarietatis & contradictionis aliquo sensu*; quamvis voluntas sive bonum sive malum nunquam velit & faciat, nisi ex antecedenti & insuperabili necessitate. Illam autem indifferentiam non excludit Calvini necessitas; cùm flexibilitatem & vertibilitatem voluntatis non excludat, ut demonstratum est: neque illam indifferentiam explodit Calvinus, sed activam contrarietatis & contradictionis indifferentiam, quæ est *eligendi facultas, in utramque partem libera & soluta*, quæ est vis volendi vel non volendi, agendi vel non agendi, omnis omninò antecedentis sive violentæ, sive etiam voluntariæ necessitatis intrinsecæ expers.

Hanc porrò activam indifferentiam non minori, quàm Calvinus, vehementia infectatur Jansenius, & tam, quàm ille, ut Pelagianæ pravitatis caput aversatur; ut patet etiam ex c. 20. lib. 8. de gr. Christi, ubi de illa sic loquitur: *Talis indifferentia contrarietatis ab Augustino constantissimè negata fuit, & à Pelagianis constantissimè postulata ... Illa quippe data, nihil facilius est, quam totam Pelagianam hæresim defendere, ipsumque peccatum originale de medio tollere. Nam illa sola ratio fuit, cur istam indifferentiam contrarietatis tam importunè flagitarint isti, & ille pernegarit.* Habes igitur Jansenium in omnibus, quæ ad actualem gratiam & liberum hominis arbitrium, eorumque inter se concordiam attinent, Calvino consentientem in re, licèt identidem fortasse vocetenùs dissentientem.

ARTICULUS III.

Utrùm & quantùm systema Jansenii, quod ad gratiam & liberum arbitrium, eorumque inter se concordiam attinet, differat à systemate defensorum physicæ Prædeterminationis.

Responsio.

Multis ex capitibus differt.

Prob. Nam 1. Jansenius essentiam libertatis arbitrii constituit in sola immunitate à coactione seu violenta necessitate: ita ut juxta illum, voluntas libera sit libertate arbitrii circa illud omne quod vult; quantumvis ad illud volendum sit antecedenter & irresistibiliter determinata, quia videlicet immunis est à coactione circa illud omne quod vult; cùm omnis volitio sit essentialiter spontanea, atque ita quidquid vult voluntas, essentialiter velit illud sponte, & non coactè. Quare juxta Jansenium, immunitas à necessitate simplici seu voluntaria, non est nisi quidam status liberi arbitrii, sine quo tota liberi arbitrii essentia potest esse: *Hanc esse genuinam*, inquit, *verissimamque loci illius de Civitate Dei intelligentiam, quòd sola videlicet necessitas illa violenta, sub qua arbitrium premitur atque cogitur, seu necessitas coactionis libertati arbitrii adversetur, non autem determinationem ad unum, non solum omnia Augustini principia, quæ tradidimus, fateri cogunt, &c.*

Physicæ Prædeterminationis defensores essentiam libertatis arbitrii in immunitate à simplici necessitate constituunt. Unus hìc nobis erit ad instar omnium Didacus Alvarez, insignis Thomista, qui pro physica prædeterminatione Romæ decertavit coram summo Pontifice. Hic lib. 12. disp. 115. num. 4. definit liberum arbitrium potentiam operandi vel non operandi, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Quam doctrinam tradit ut definitam in Concilio Trident. contra Calvinum, qui *dixit hominem quidem concurrere activè ad actum, quem Deus in nobis producit, non tamen concurrere motu libero* (à simplici necessitate) *sed spontaneo dumtaxat, & non coactè.* Hinc inferiùs docet Alvarez num. 9. amorem beatificum esse actum simpliciter necessarium, non verò liberum arbitrii libertate: *Dilectio*, inquit, *beatifica, quæ est in beatis, ut terminatur ad Deum, est actio simpliciter necessaria, & non libera:* quia nimirùm beati in cœlo amant Deum necessariò necessitate simplici.

2. Jansenius docet, ut non semel ostensum est, activam indifferentiam, seu facultatem se ipsum determinandi in homine penitùs & irreparabiliter extinctam esse per peccatum originale. Thomistæ verò hanc doctrinam execrantur ut hæreticam, & ut talem à Tridentina Synodo anathematizatam in Calvino, asserente hominem in hoc statu naturæ lapsæ ad actum ad quem movetur à Deo, non motu libero, seu spon-

ſpontaneo tantùm concurrere, ut patet ex Alvarez loco citato. Prætereà, Thomiſtæ ut dogma fidei tenent hominem in hoc ſtatu circa bonum & malum liberum eſſe libertate arbitrii, & libertatem arbitrii conſtituunt in activa ad utrumlibet indifferentia: *Formalis*, inquit Alvarez, lib. 12. diſp. 116. num. 8. *libertas arbitrii creati ..... conſiſtit ..... in indifferentia activa ipſius facultatis liberæ, quæ indifferenter ſe habet ad oppoſita.*

3. Juxta Janſenium, in præſenti ſtatu omnis gratia, quæ dat poſſe completum, eſt ex natura ſua & inſuperabiliter efficax, ut patet ex dictis art. 1. Unde juxta Janſenium, pro ſtatu præſenti gratia ex natura ſua ac infruſtrabiliter efficax, & gratia verè ſufficiens convertuntur inter ſe. Unde ulteriùs, juxta eundem, nulla eſt in præſenti ſtatu gratia verè ſufficiens, quæ non ſit ſimul ex natura ſua & infruſtrabiliter efficax; atque ita quicumque habet gratiam verè ſufficientem ad implendum aliquod præceptum, non poteſt illud non implere, quia ad illud implendum habet gratiam ex natura ſua & infruſtrabiliter efficacem: è contra quicumque non habet gratiam ex natura ſua & infruſtrabiliter efficacem ad implendum aliquod præceptum, non poteſt illud non tranſgredi, quia non habet gratiam verè ſufficientem ad illud implendum; item quicumque accipiunt gratiam verè ſufficientem ad ſalutem conſequendam, non poſſunt non ſalvari, quia accipiunt gratiam ex natura ſua & infruſtrabiliter efficacem ad ſalutem conſequendam: è contra quicumque non accipiunt gratiam ex natura ſua & infruſtrabiliter efficacem ad ſalutem conſequendam, non poſſunt non damnari, quia non accipiunt gratiam verè ſufficientem ad ſalutem conſequendam. Hinc in doctrina Janſenii, quicumque tranſgrediuntur præcepta, tranſgrediuntur ea neceſſariò, & ex vera ac reali impotentia ea ſervandi. Item qui damnantur, neceſſariò damnantur, & ex vera ac reali impotentia ſalutis conſequendæ.

Thomiſtæ præter gratiam ex natura ſua efficacem, admittunt gratiam ſufficientem. Nam ſic loquitur Alvarez, lib. 8. diſp. 71. num. 2. *Dicendum eſt, auxilium gratiæ convenienter ... dividi in auxilium ſufficiens, & auxilium efficax.* Et inferiùs: *Eadem diviſio gratiæ colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 11. ubi ait:* Deus impoſſibilia non præcipit, &c. Et adhuc inferiùs num. 12. *Si non daretur gratia verè ſufficiens, ſequeretur quòd illi omnes, qui non convertuntur, aut ſalvantur, revera converti non poſſent, aut ſalvari: quod tamen non poteſt admitti.* Docent præter hanc gratiam non aliud requiri auxilium, ad hoc ut voluntas verè poſſit bonum velle & operari; quamvis ulteriùs requiratur ad hoc ut voluntas velit & operetur bonum, adeòque docent hanc gratiam, dare completum & perfectum poſſe: *Gratia ſufficiens*, inquit Alvarez, lib. 8. diſp. 76. n. 3. *tribuit libero arbitrio vires ſufficientes, quibus revera poſſit ad Deum converti, aut piè operari.* Hanc gratiam ſaltem paſſivè ſumptam, conſtituunt in excitante gratia, quæ internam intellectus illuſtrationem ſimul & ſupernaturalem voluntatis motionem indeliberatam complectitur: *Reſpondetur*, inquit Alvarez num. 6. *gratiam excitantem, quæ non ſolùm recipitur in intellectu, ſed etiam in voluntate, tribuere homini vires ſufficientes, quibus ad Deum converti poſſit, vel piè operari ſi velit.* Superiùs dixerat: *Gratia excitans, ut complectitur non ſolùm illuminationem externam, & internam intellectus, ſed etiam motionem ſupernaturalem receptam in voluntate, idem eſt realiter quod gratia ſufficiens.*

Huic gratiæ dicunt hominem diſſentire poſſe, ſi velit, etiam in ſenſu compoſito: *Si ſermo ſit*, inquit Alvarez, lib. 9. diſp. 92. n. 8. *de auxilio ſufficienti, homo excitatus tali auxilio, poteſt illi diſſentire, etiam in ſenſu compoſito: nam diſſenſus actualis & auxilium ſufficiens ſimul compatiuntur in eadem.* Cùm è contra homo gratiæ efficaci diſſentire non poſſit, niſi in ſenſu diviſo. Nam ſic proſequitur idem: *Si autem loquamur de auxilio efficaci, liberum arbitrium motum tali auxilio, poteſt diſſentire abſolutè, & in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito.*

Ad majorem doctrinæ ſuæ explicationem diſtinguunt duplex poſſe, nempe poſſe ſimpliciter, & poſſe cum addito. Voluntas habet poſſe ſimpliciter, cùm habet omnia ex parte actus primi requiſita, licèt aliquid requiratur ulteriùs, ut ab actu primo tranſeat ad ſecundum. Habet poſſe cum addito, cùm habet quidquid requiritur non ſolùm ex parte actus primi, ſed etiam ex parte actus ſecundi; cùm habet quidquid requiritur non ſolùm ut verè & proximè poſſit operari, ſed etiam ut re ipſa operetur. Poſſe ſimpliciter, ſecundùm Thomiſtas, eſt poſſe verè & proximè ad actum reducibile. Poſſe cum addito, eſt poſſe re ipſa reducendum, vel potiùs quod re ipſa reducitur ad actum. Primum poſſe dicit ſolùm actum primum proximum; ſecundum verò actum primum proximum cum actu ſecundo. Gratia excitans, quæ complexum eſt ex interna mentis illuſtratione, & motione indeliberata voluntatis, dat primum poſſe, præciſo, aut etiam ſublato auxilio efficaci: unde eſt gratia verè ſufficiens; quamvis, ut voluntas re ipſa operetur, requiratur adhuc ulterior gratia prædeterminans; atque ita gratia excitans non det ſecundum poſſe, niſi accedente ulteriore gratia prædeterminante, quacum, dando hoc poſſe, conſtituit gratiam completè ſufficientem, ultra quam neque ad poſſe, neque ad operari requiritur ulterius auxilium. Hinc

In Thomiſtarum ſyſtemate diſtinguenda eſt duplex gratia verè ſufficiens; una verè quamvis incompletè ſufficiens, & altera verè & completè ſufficiens. Prima dat verum, completum, & proximum poſſe; ſed non dat ipſum operari: unde dicitur incompletè ſufficiens, non quòd det incompletum tantùm poſſe, ſed quia cum vero, proximo, & completo poſſe operari, non dat ipſum operari, quod dat ſecunda: unde dicitur non ſolùm verè, ſed etiam completè ſufficiens, quia includit ultimum complementum ad actualem operationem requiſitum & ſufficiens; quod complementum non includit gratia primo modo verè ſufficiens, quapropter dicitur ſufficiens incompletè. Prima carere poteſt ſuo effectu, & ſæpè caret; ſecunda verò illum non poteſt non habere. Primæ voluntas diſſentire poteſt, etiam in ſenſu compoſito; ſecundæ verò nonniſi in ſenſu diviſo.

De ſecunda loquitur Alvarez, cùm ait, lib. 8. diſp. 79. n. 3. *Illud auxilium dicitur complete ... ſufficiens ad aliquam operationem, ultra quod nullum aliud auxilium eſt abſolutè neceſſarium, ut illa operatio actu producatur.* De prima verò, cùm dicit eod. n. *Illud auxilium dicitur verè ſufficiens .... ad aliquam operationem, quod tribuit poſſe comparatione ejuſdem operationis, ita videlicet ut nullum aliud auxilium ſit abſolutè neceſſarium, ut homo verè dicatur poſſe illam operationem producere.* Quod ut probet, ſubjicit hanc concluſionem nu. 4. *Hæc duo ſimul ſunt compoſſibilia, quod ſcilicèt præter auxilium ſufficiens, quod tribuit poſſe, ſit abſolutè neceſſarium aliud auxilium prævenientis gratiæ efficacis, tribuens actualiter piè operari, & nihilominus auxilium illud, quod dicitur ſufficiens, ſit verè ſufficiens, &c.*

Dices, Gratia illa excitans, in qua Thomiſtæ conſtituunt gratiam ſufficientem, licèt præter illam ad actualem operationem requiratur aliud auxilium ex natura ſua efficax, & non eſt niſi nominetenùs gratia ſufficiens, & eſt re ipſa gratia inſufficiens in æſtimatione morali. Negatur. *Prob.* Ille non habet niſi gratiam in æſtimatione morali inſufficientem, qui non habet poſſe verum, completum & proximum in æſtimatione morali. Sed in ſyſtemate Thomiſtarum, hoc poſſe non habet, qui habet ſolam gratiam excitantem. Ergo, &c. Negatur min. *Prob.* Hoc poſſe non habet qui caret aliquo auxilio abſolutè neceſſario, ſive auxilium illud ad ipſum poſſe operari, ſive ad actualem operationem tantùm dicatur eſſe neceſſarium. Atqui in ſyſtemate Thomiſtarum, qui

habet

habet solam gratiam excitantem, caret aliquo ulteriore auxilio, ad actualem saltem operationem absolutè necessario. Ergo, &c.

Resp. dist. maj. Hoc posse non habet qui caret aliquo auxilio absolutè necessario, si necessarium sit ad ipsum posse operari, C. maj. Si tantùm necessarium sit ad actu operari, Subdist. Si careat illo auxilio absque omni sua culpa, iterùm C. maj. Si careat illo auxilio ob aliquam suam culpam, præsertim si hæc culpa præsens sit, Neg. maj. At in systemate Thomistarum, qui urgente v.g. præcepto aliquo, quod servari non potest sine adjutorio gratiæ, habet solam gratiam excitantem, 1. habet omne auxilium ex parte actus primi requisitum. 2. Non habet quidem auxilium absolutè necessarium ex parte actus secundi, at non habet ob suam præsentem culpam. Audiamus Alvarem, cui magno consensu suffragatur Schola Thomistica: *Carentia*, inquit lib. 9. disp. 102. n. 3. *adjuvantis gratiæ ... potest accipi, ut est privatio gratiæ adjuvantis, & in hac acceptione dicendum est, hanc causalem veram esse: quia homo non vult operari, aut benè uti gratia excitante, vel sufficiente; ideò non adjuvatur à Deo: quia homo se ipsum impedivit, ne daretur illi gratia adjuvans, ideò non confertur.* Et inferiùs: *Quamvis*, inquit num. 6. *prius sit in signo rationis, quòd homo juvetur à Deo; quàm benè utatur gratia sufficiente; non tamen est prius, quòd adjuvetur à Deo, quàm posse benè uti eadem gratia sufficiente. Cum ergo ante gratiam adjuvantem possit quis benè uti gratia sufficiente, si velit; ideò rectè dicitur, illum propterea non benè uti eadem gratia, quia non vult: ac per consequens rectè etiam dicitur ponere impedimentum gratiæ adjuvantis, quam Deus ex parte sua paratus est omnibus conferre.*

At inquies. Gratis dicunt Thomistæ gratiam prædeterminantem pertinere tantùm ad actum secundum, non ad actum primum, & se habere per modum concursus actualis, non verò per modum virtutis complentis posse simpliciter. Item gratis, improbabiliter, & inintelligibiliter dicunt, Deum, cùm dat alicui gratiam excitantem, simul offerre gratiam prædeterminantem, atque pendere ab homine, ut illam habeat, vel non habeat, non ponendo scil. vel ponendo impedimentum, ne detur.

Resp. Ipsi viderint: ipsorum enim est huic instantiæ satisfacere, & satisfacere se putant. Quod hìc nobis pro eorum systematis à systemate Jansenii discrimine sufficit, defendunt gratiam verè sufficientem, distinctam à gratia ex natura sua efficaci; præter gratiam physicè prædeterminantem admittunt gratiam excitantem, quæ dat verum, proximum, & completum posse ad actum reducibile, & quod re ipsa ad actum reduceretur, addita gratia physicè ad agendum prædeterminante, nisi homo se ipsum impediret, ut loquitur Alvarez, ne gratiam hanc, quam Deus ex parte sua paratus est omnibus conferre, acciperet; vel, ut alii loquuntur Thomistæ, si homo ad consentiendum excitanti gratiæ prædeterminanti se sineret: quare si, accepta excitante gratia, peccat, hoc non alicui impotentiæ, sed voluntatis suæ malitiæ imputare debet.

Dices adhuc. Eodem planè modo in systemate Jansenii potest assignari gratia verè sufficiens ad posse, distincta à gratia ex natura sua efficaci, absolutè necessaria ad velle. *R.* Hoc esse falsum. Nam in systemate Jansenii, sola gratia ex natura sua efficax, verè sufficiens est ad posse; quod facilè demonstratur. Gratia verè sufficiens ad posse, est ea tantùm, quæ sufficit ad perfectum posse; qua data, existit verum, proximum, & completum posse simpliciter; ita ut ad actu operandum, seu volendum, aut nullum ulterius adjutorium requiratur, aut si ulterius requiritur, non ad ipsum posse operari, seu velle, sed solùm ad actualem operationem, seu volitionem requiratur: ita docent Thomistæ. Atqui in systemate Jansenii, sola gratia ex natura sua & infrustrabiliter efficax, sufficit ad perfectum posse. Ergo in systemate Jansenii, sola & est & esse potest gratia verè sufficiens ad posse. *Prob. min.* In systemate Jansenii, gratia in tantum sufficit ad perfectum posse, in quantum sufficit ad perfectum velle: nam, juxta Jansenium, gratia dat posse, quia dat velle, & voluntas potentiam, non potentia voluntatem præcedit: unde, juxta Jansenium, si gratia dat tantùm imperfectum velle, dat tantùm imperfectum posse; nec dat perfectum posse, nisi quia dat perfectum velle. Atqui in eodem Jansenii systemate, sola gratia ex natura sua & infrustrabiliter efficax, sufficit ad perfectum velle: nam ad perfectum velle, juxta Jansenium, sola sufficit delectatio cœlestis prædominans, in qua gratiam ex natura sua efficacem constituit. Ergo, &c.

Probabis tamen negatum. Jansenius distinguit & admittit duplicem delectationem cœlestem, unam scil. majorem delectatione terrena, & alteram minorem. Atqui hæc cœlestis delectatio terrena delectatione minor, tam dici potest in systemate Jansenii gratia verè sufficiens ad posse, quàm gratia verè sufficiens ad posse dicitur gratia excitans, separata à physicè prædeterminante, in systemate Thomistarum. Ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam in systemate Thomistarum, homo cum gratia excitante habet verum, proximum, & completum posse simpliciter; quamvis ad actu operandum indigeat ulteriori auxilio prædeterminante ad actualem operationem; quia, secundùm Thomistas, auxilium hoc se habet per modum actualis concursus, pertinentis ad actum secundum, non per modum virtutis, ad actum primum pertinentis; & à Deo offertur homini, cùm ei dat excitantem gratiam; & sic in potestate hominis est, ut illud habeat; nec illo caret, nisi quia ponit impedimentum, ne illud accipiat. Unde in systemate Thomistarum, homo cum gratia excitante, verè, proximè, & completè potest piè operari si velit, & non operatur, quia non vult gratiæ excitanti consentire, cùm possit velle.

In Jansenii verò systemate, homo cum delectatione cœlesti, quæ terrena delectatione minor est, non habet verum, proximum, & completum posse simpliciter; vel, ut cum Jansenio loquar, non habet perfectum posse, sed imperfectum tantùm, & quod tantùm valet ad velleitates & inefficacia desideria, quibuscum homo nec operatur, nec operari potest bonum, ut docet Jansenius ipse, libro 2. de gratia Christi, cap. 27. Verba ejus articulo primo retulimus. Dicere autem quòd gratia, quæ dat posse, quod tantùm valet ad velleitates quasdam, & inefficacia desideria, quibuscum bonum nec agitur, nec agi potest, det verum & completum posse bonum, adeòque sit gratia verè sufficiens vel in sensu Thomistico, evidenter absurdum est & intolerabile: evidenter enim falsum est, quòd tunc homini nihil desit ex parte potentiæ ad hoc ut bonum velit & operetur. Ergo, &c.

Præterea, homo cum illa cœlesti delectatione non habet verum, proximum, & completum posse simpliciter bonum, quacum habet insuperabilem necessitatem peccandi: tunc enim habet insuperabilem necessitatem respuendi bonum, adeòque veram impotentiam volendi & operandi bonum. Atqui in systemate Jansenii, homo cum cœlesti delectatione, quæ terrena delectatione minor est, insuperabilem habet necessitatem peccandi. Ergo, in systemate Jansenii, homo cum cœlesti delectatione, quæ terrena delectatione minor est, non habet verum, proximum, & completum posse simpliciter bonum, sed è contra veram habet impotentiam volendi & operandi bonum.

Prob. min. In systemate Jansenii, tandiu homo insuperabilem habet peccandi necessitatem, quandiu subest terrenæ delectationi prædominanti. Atqui in eodem systemate, homo cum cœlesti delectatione, quæ terrena delectatione minor est, subest prædominanti terrenæ delectationi: tandiu enim, juxta Jansenium, terrena delectatio prædominatur, quandiu à delectatione cœlesti non superatur; nec superari

potest à delectatione cœlesti, quandiu hæc delectatio minor est. Ergo, &c.

Hoc argumentum suggerit Jansenius, lib. 4. de gr. Christi, cap. 6. ubi sic loquitur: *Ex his jam perspicuè intelligitur, tantoperè esse necessariam istam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus*, (semper autem, juxta Jansenium, dimicamus) *ut nisi major fuerit, quàm terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sanè delectatione minore superabitur.* Et sub finem: *Inde quoque proficiscitur, quòd quando animus istâ cœlesti suavitate* (quæ terrena major est) *destituitur, non possit aliud, quàm rerum terrenarum delectationes appetere & sequi.* Ecce, juxta Jansenium, homo cum cœlesti delectatione, quæ terrena delectatione minor est, non potest aliud, quàm rerum terrenarum delectationes appetere & sequi, adeòque non potest aliud, quàm peccare; & nihilominùs à Jansenii discipulis hæc minor cœlestis delectatio dici poterit gratia verè sufficiens, eo sensu quo Thomistæ gratiam excitantem dicunt esse gratiam verè sufficientem? sed qua fronte?

Thomistæ, cum cæteris omnibus, qui catholicè sentiunt, præter gratiam efficacem, quacum homo bonum vult & operatur, aliam agnoscunt & tuentur verè sufficientem, quacum homo verè potest operari bonum; quacum operaretur, si vellet, & quacum non operatur, quia non vult. Quantùm autem ab hac doctrina alienus sit Jansenius, testis ipse est, lib. 2. de gr. Chr. c. 27. ubi sic ait: *Respondeo nihil verius dici posse, quàm quòd omnia, quæ hactenus protulimus, de gratia efficaci Augustinus dixerit, atque intellexerit. Cujus rei causa est, quòd nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit, nisi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit & explicuit, vellet interimere.* Et inferiùs: *Quapropter quisquis jam alia divina gratiæ adjutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deserant si velint, & in quibus permaneant si velint, cum quibus tanquam sufficientibus operentur si velint; nihil aliud imprudens facit, nisi ut originalis peccati virus evacuet, illæsas liberi arbitrii vires esse, Christum fruſtrà venisse, & gratis mortuum esse persuadeat.*

Vides omnem gratiam verè sufficientem, à gratia efficaci distinctam, explodi à Jansenio ut hæreticam. Perperam enim dicerent, hìc peti à Jansenio gratiam verè sufficientem in sensu (ut placet illis dicere) Molinistarum, non verò gratiam verè sufficientem in Thomistarum sensu: Jansenius enim gratiam verè sufficientem in utroque sensu indiscriminatim rejicit, & aversatur; nam rejicit omnem actualem Christi gratiam, quacum homo verè possit operari bonum, & quæ tamen non sit gratia efficax; rejicit omnem gratiam, quacum homo operaretur bonum si vellet, & quacum non operatur, quia non vult; rejicit omnem gratiam, quacum homo habet verum, proximum & completum posse, ad actum secundum reducibile, ad quem tamen non reducitur; non quia homini deest Deus, sed quia ipse sibi deest; non ob carentiam alicujus virtutis, pertinentis ad posse, sed ob malitiam propriæ voluntatis. Talis autem est gratia verè sufficiens etiam in sensu Thomistico. Ergo gratia verè sufficiens in utroque sensu, Molinistarum scilicet & Thomistarum, Jansenio pariter hæretica est. Sed

Nota obiter. Thomistæ & Molinistæ in aliquo consentiunt, & in aliquo dissentiunt. Nam 1. utrique præter gratiam efficacem defendunt gratiam verè sufficientem, hoc est, gratiam, quæ dat verum, proximum & completum posse, ad actum secundum reducibile, quod tamen ad actum secundum non reducitur voluntatis humanæ vitio. Hoc est fidei dogma, in quo conveniunt. 2. Præter hanc gratiam, quæ dat verum, proximum & completum posse simpliciter, concursum prædeterminativum ad actualem volitionem necessarium esse contendunt Thomistæ, Molinistæ verò negant, & dicunt sufficere simultaneum, alii quidem simultaneum solum, alii simultaneum cum concursu prævio non prædeterminativo; alii denique cum concursu prævio prædeterminativo ad genus actionis, non ad hanc specie actionem, ut volunt Thomistæ. Hæc est scholaris controversia, quam inter se acriter agitant, animo nihilominùs catholico, & parati utrique, Molinistæ quidem (de quo pro illis sponsor sum) ad amplectendum concursum physicè prædeterminativum ad speciem actionis, ubi primùm ad actualem operationem necessarium esse definierit Ecclesia: Thomistæ verò (ut par est de illis credere) ad concursum illum deserendum, si quando Ecclesia definierit illum nec requiri, nec conciliari posse cum expedita ad utrumlibet libertate arbitrii. 3. Quærenti quare homo cum gratia sufficienti non operetur bonum, respondent Thomistæ, quia ponit impedimentum ne prædeterminetur, vel, quia non sinit se prædeterminari ad hoc, ut se ipse determinet ad volendum operari: Molinistæ verò breviter, quia se ipse non determinat ad operandum, sed è contra se ipse determinat ad non operandum.

Ex his apparet doctrinam gratiæ sufficientis in utroque sensu, Thomistico & Molinistico, è diametro pugnare cum principiis doctrinæ Jansenianæ: connotat enim activam in homine lapso indifferentiam non solùm apud Molinistas, sed etiam apud Thomistas, & hujus indifferentiæ, ratione priùs, quàm homo, sufficientem habens gratiam, careat concursu ad actualem operationem necessario, aliquod dicit exercitium, apud Molinistas quidem positivum; nam secundùm illos, homo non habet concursum simultaneum ad consensum, sed ad dissensum, quia se ipse positivè determinat ad dissentiendum; apud Thomistas verò interpretativum; nam secundùm illos, non habet concursum prædeterminativum ad consensum, sed ad dissensum, quia non sinit se prædeterminari ad consensum. Hoc autem, *non sinere se prædeterminari*, est activæ indifferentiæ, non quidem positivum, sed interpretativum, negativum, vel, si vis, privativum exercitium. Cùm igitur Jansenius nullum pro statu præsenti activæ indifferentiæ exercitium admittat, & activam pro statu præsenti indifferentiam insectetur velut dogma Pelagianum, imò & caput Pelagianæ hæresis; qui admittit gratiam sufficientem etiam in sensu Thomistico, doctrinæ Jansenii apertè contradicit. Hinc

Facilè apparet ratio propter quam Jansenius non admittit, nec admittere potest gratiam verè sufficientem, quæ simul non sit ex natura sua irrepudiabiliter efficax. Quam rationem ut exponam, sic argumentor pro Jansenio. Homo per peccatum originale amisit irreparabiliter activam indifferentiam circa bonum & malum. Ergo non potest ampliùs velle bonum ex propria determinatione. Ergo non potest ampliùs velle bonum, nisi ex antecedenti necessitate illud volendi. Ergo non potest ampliùs velle bonum sine auxilio necessitante ad illud volendum. Ergo nunc solùm auxilium necessitans est auxilium verè sufficiens ad posse bonum; & auxilium verè sufficiens ad posse bonum, tale est, quia vim habet necessitandi ad illud volendum, præsertim cùm ratione priùs sit velle, quàm posse; nec homo velit, quia potest, sed è contra possit, quia vult. Atqui auxilium necessitans ad volendum bonum, est gratia ex natura sua irrepudiabiliter efficax. Ergo nunc nulla est gratia verè sufficiens, quæ simul non sit gratia ex natura sua irrepudiabiliter efficax. Hæc est Jansenii doctrina! Hinc

Cùm apud Jansenium duplex sit gratia efficax, una perfectè, & altera imperfectè tantùm efficax, duplex quoque apud eum est gratia sufficiens, una perfectè, & altera imperfectè tantùm sufficiens. Gratia perfectè sufficiens est ea, quæ sufficit ad perfectum velle, hoc est, ad velle quantum oportet ad faciendum bonum, & sufficit ad perfectum velle, quia vim habet necessitandi ad perfectum velle. Gratia imperfectè

fectè tantùm sufficiens est ea, quæ tantùm sufficit ad imperfectum velle, hoc est, ad velle inefficax, adeòque insufficiens ad faciendum bonum; tantùm autem sufficit ad imperfectum velle, quia tantùm vim habet necessitandi ad imperfectum velle. Delectatio cœlestis terrena delectatione major, quia vim habet necessitandi ad perfectum velle (nam juxta Jansenium, quod ampliùs delectat, etiam indeliberatè, secundùm hoc operemur necesse est,) est gratia perfectè sufficiens. Cœlestis delectatio delectatione terrena minor, quia tantùm vim habet necessitandi ad imperfectum velle, est gratia imperfectè tantùm sufficiens, quacum hæremus in velleitatibus ac desideriis inefficacibus, & nihilominùs malum volumus & facimus, quia ad illud efficaciter volendum & faciendum necessitamur à delectatione terrena, cœlesti prævalente.

Neutra gratia potest esse purè sufficiens ob consensus defectum, sed utraque insuperabiliter exprimit consensum sibi proportionatum. Neutri unquam homo dissentit, aut dissentire potest in sensu composito, sed cum utraque ineluctabiliter facit id totum, quod cum utraque fieri potest. Apud Thomistas, gratia verè sufficiens, ab efficaci distincta, est purè sufficiens ob voluntarium & liberum consensus voluntatis defectum. Apud Thomistas, gratiæ verè sufficienti, quæ ab efficaci distinguitur, homo liberè dissentire potest, & re ipsa dissentit in sensu composito, tum quia non finit se prædeterminari ad consensum, tum quia sub physica prædeterminatione ad dissensum se ipse determinat ad dissentiendum. Ex his omnibus prudens lector judicet, num Jansenistæ, non repudiata magistri sui doctrina, admittere possint gratiam verè sufficientem in sensu Thomistarum.

3. Thomistæ gratiam efficacem constituunt in physica prædeterminatione, de qua sic loquitur Jansenius, lib. 8. de gr. Chr. c. 2. *Prædeterminatio physica est motio nescio quæ virtuosa, quæ habet esse quoddam incompletum, & fit in voluntate per modum quo colores sunt in aere, & impetus in re quæ impellitur. Cujus profectò speculationis in Augustino nullum vestigium esse video.* Hanc autem planè eandem physicæ suæ prædeterminationis descriptionem tradunt ipsimet Thomistæ. At juxta Jansenium, gratia efficax est cœlestis delectatio, terrena delectatione intensior, qua voluntas rapitur & necessitatur ad volendum & agendum bonum. *Augustino*, inquit, Jansenius ibid. *vera Christi gratia* (qualis est sola & omnis gratia ex natura sua irrepudiabiliter efficax,) *est verissimus motus voluntatis, ineffabilis videlicet delectatio objecti, quod proponitur, quæ totum animum sursum rapit ... unde non est sicut color in aere, aut virtus artis in instrumento, sed sicut verissima & realissima voluntatis affectio in suo connaturali & proprie dicto subjecto esse solet.* Hinc juxta Jansenium, gratia efficax est in voluntate ut vitalis actus illius; secundùm Thomistas verò, ut qualitas intentionalis, transiens, & mortua.

4. Gratia efficax, secundùm Thomistas, non potest de efficaci fieri inefficax: at apud Jansenium potest. Ratio ejus est, quia cœlestis delectatio non est efficax absolutè, sed relativè tantùm ad terrenam delectationem, intensivè minorem, quæ quia sic est quandoque intensivè minor, ut possit esse & sit quandoque intensivè major, sic quandoque à cœlesti delectatione vincitur, ut quandoque illam vincat. Unde fit ut cœlestis delectatio sit quandoque gratia efficax (simpliciter scilicet, & in ordine ad perfectum velle, quod semper suppleri debet,) quia quandoque vincit delectationem terrenam, quando scilicet ea intensivè major est; & quandoque non sit gratia efficax, quia quandoque intensivè minor est delectatione terrena, à qua proinde tunc vincitur. Unde ulteriùs fit ut in hac mortali vita voluntas hominis non subsit immutabiliter eidem necessitati, sed possit transferri ab una necessitate ad aliam, & rursus ab hac rapi ad illam, transferri à necessitate faciendi malum ad necessitatem faciendi bonum, & rursus à necessitate faciendi bonum rapi ad necessitatem faciendi malum. Unde homo quandoque benè, quandoque malè operatur, non quia se ipse determinat modò ad unum, modò ad alterum; sed quia modò à delectatione cœlesti ad benè, modò à delectatione terrena ad malè volendum & operandum necessitatur.

Audiamus Jansenium hoc suæ & Thomisticæ de gratia efficaci doctrinæ discrimen exponentem. *Prædeterminatio*, inquit ibidem, *physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam: Christi adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix, quando* (in gradibus intensionis) *alteram superat. Quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus* (quantùm ad bonum attinet) *desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum est.*

5. Ut ait Jansenius ibidem, Thomistæ dicunt, *quòd prædeterminatio physica sit instar concursus cujusdam generalis Dei in ordine supernaturali.* At juxta Jansenium, *adjutorium Christi*, seu gratia efficax, *nullo pacto*, sic se habet. *Nota.* Thomistæ in homine piè operante duplicem agnoscunt gratiam, excitantem scilicet, & prædeterminantem. Excitans est virtus complens potentiam; prædeterminans verò, actualis concursus prævius, quem, ut ait Alvares, Deus ex parte sua paratus est omnibus conferre. Prima dat verum, proximum, & completum posse simpliciter. Secunda dat agere. Prima se tenet ex parte actus primi, & cum ea voluntas potest non agere etiam in sensu composito. Cum secunda non potest quidem voluntas non agere, nisi in sensu diviso; sed se tenet tantùm ex parte actus secundi, aut ad summum, est quid medium inter actum primum & actum secundum, & transitus ab uno ad alterum. Adde quòd pendeat à voluntate, ut sit vel non sit hic transitus; pendeat, inquam, aliquo sensu, quatenùs potest voluntas finere, vel non finere se prædeterminari.

Hæc est Thomistarum doctrina, juxta quam nihil est in actu primo, etiam proximo & completo, quod voluntatem obliget ad alteram partem contradictionis, vel contrarietatis. Unde in systemate Thomistarum, voluntas in actu primo, etiam proximo & completo, immunis est ab omni necessitate, & expeditam habet facultatem agendi vel non agendi, agendi hoc vel ejus contrarium pro arbitrio. Hinc in systemate Thomistarum, nullum est adjutorium necessitans. Et verò si quod est, vel est gratia excitans, vel gratia prædeterminans. Non primum: nam gratia excitans se tenet quidem ex parte actus primi, sed compatitur dissensum, & sic non potest actum primum obligare ad unam partem. Non secundum: nam gratia prædeterminans non potest quidem compari dissensum; sed non tenet se ex parte actus primi, adeòque illum ad unam partem obligare non potest. Adjutorium autem necessitans est illud omne & solum, quod se tenens ex parte actus primi, illum ad alteram contradictionis partem obligat.

Juxta Jansenium, gratia efficax se tenet ex parte actus primi; quod facilè demonstratur. Nam 1. vel se tenet ex parte actus primi, vel se tenet ex parte actus secundi, vel mediat inter utrumque, & est transitus ab uno ad alterum. Non secundum, aut tertium; alioquin esset instar actualis concursus, quod negat Jansenius. Ergo, &c. 2. Gratia efficax, juxta Jansenium, se habet ad modum medicinæ sanantis potentiam infirmam & ægrotam. Atqui medicina se tenet ex parte subjecti, quod sanatur. Ergo juxta Jansenium, gratia efficax se tenet ex parte potentiæ. Atqui quod se tenet ex parte potentiæ, se tenet ex parte actus primi. Ergo, &c. 3. denique, illud se tenet ex parte actus primi, quod dat posse. Atqui juxta Jansenium, gratia efficax dat posse. Ergo, &c.

Dices. Tam dici potest in systemate Jansenii gratia efficax mediare inter actum primum & secundum, & esse transitus ab actu primo ad actum secundum, quàm dicitur gratia prædeterminans in systemate Thomistarum,

rum, mediare, &c. R. hoc esse falsum. Itaque in systemate Thomistarum, gratia prædeterminans dici potest mediare inter actum primum & secundum, & esse transitus ab uno ad alterum: 1. quia se habet instar actualis concursus prævii: nam quà actualis est concursus, supponit actum primum; & quà concursus est prævius, natura præcedit actum secundum: ergo mediat inter utrumque, & quidem ut transitus ab uno ad alterum; cùm potentiam ad agendum applicet. 2. Quia, illo nondùm posito, per gratiam excitantem habetur actus primus, proximus, & completus; & illo non posito, non habetur actus secundus.

In systemate Jansenii, gratia efficax non est instar actualis concursus, nec ea nondùm posita, potest esse actus primus, proximus, & completus. Itaque in Jansenii systemate, gratia efficax non mediat inter actum primum & secundum, nec est transitus ab actu primo ad secundum, sed mediat inter actum primum remotum, ac incompletum, & actum primum, proximum, ac completum, estque transitus ab actu primo, remoto ac incompleto, ad actum primum, proximum ac complectum; trasfert enim voluntatem ab uno ad alterum, dando ei perfectum posse; & dat ei perfectum posse, dando ei perfectum velle. Igitur in systemate Jansenii, gratia efficax se tenet ex parte actus primi; quod adhuc uno verbo demostari potest sic: Quia si non se teneret, in systemate Jansenii, voluntas proximam & completam volendi & operandi bonum haberet facultatem independenter ab omni gratia medicinali, quod pelagianissimum est, nec unquam admitteret Jansenius. Igitur in systemate Jansenii, gratia efficax est adjutorium verè necessitans; cùm sit adjutorium ineluctabiliter ac insuperabiliter prædeterminativum ad unum, & se teneat ex parte actus primi, adeòque actum primum ad alteram contradictionis partem ineluctabiliter ac insuperabiliter obliget. Hoc agnoscit Jansenius: unde voluntati sub tali adjutorio non aliam, quàm à coactione immunitatem, nec aliam quàm spontaneitatis libertatem concedit.

6. Thomistæ necessitatem gratiæ prædeterminantis repetunt ab essentiali causæ secundæ etiam liberæ ad Deum subordinatione in agendo, vi cujus subordinationis necesse est, ut in omni actione etiam liberæ causæ secundæ liberæ Deus natura priùs agat, quàm ipsa causa secunda libera, adeòque causa secunda libera non agat etiam liberè, nisi dependenter à Deo ipsam præmovente & prædeterminante ad agendum liberè. *Prædeterminatio physica*, inquit Jansenius ibidem, *necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quàm in esse suo subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet.*

Gratiæ prædeterminantis necessitatem repetunt etiam Thomistæ à voluntatis indifferentia, hoc est, negatione naturalis ad unum determinationis: unde voluntas sic activa est, ut non possit se in actum exerere sine prævia in ipsam actione primi motoris. Jansenius verò gratiæ efficacis necessitatem repetit ex vulnere homini per peccatum originale inflicto. Hoc autem vulnus, juxta Jansenium, consistit in eo, quòd homo, amissa irreparabiliter indifferentiæ libertate, qua in statu innocentiæ fruebatur, nunc ita concupiscentiæ vinculis constrictus teneatur, ut cum gratia indifferente, quantumcumque magna, non possit ampliùs se ipsum determinare ad bonum operandum: unde fit, ut nunc ad bonum operandum indigeat adjutorio, quod faciat eum, non ex propria determinatione, cùm propriæ determinationis non sit capax ampliùs, sed ipsorè velle, quantùm oportet, ut bonum operetur. *Prædeterminatio physica*, inquit Jansenius, *in agentibus liberis insuper exigitur propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam ut aliquid agere possit, prædeterminare debet: Christi adjutorium neutiquam. Nam nisi concupiscentiis voluntas vulnerata, sicut in quædam corporis membra, ita etiam in appetitus suos proprium perdidisset imperium, nulla Christi gratia eam determinare debuisset.*

7. Thomistæ docent gratiam prædeterminantem tam necessariam fuisse Angelis viatoribus, & homini in statu innocentiæ, quàm homini nunc necessaria est in statu naturæ lapsæ. Ratio eorum est, tum quia in Angelis viatoribus, & homine innocente, voluntas fuit ad unum indeterminata, sicut est in homine lapso; tum quia causæ secundæ liberæ ad causam primam subordinatio essentialis est, in quocumque statu existat. At juxta Jansenium, gratia efficax capitaliter repugnat statui Angelorum viatorum & hominis innocentis. Ratio ejus est, quia Angeli viatores & homo innocens habebant activam indifferentiam seu libertatem indifferentiæ, vi cujus poterant cum gratia indifferente & repudiabili bonum agere, & in bono perseverare, si vellent. At gratia efficax, qualem scilicet defendit, utpotè ex natura sua irrepudiabilis, & actus primi ad alteram contradictionis partem insuperabiliter obligativa, stare non potest cum activa indifferentia, seu libertate indifferentiæ, sed eam necessariò perimit, & excludit ab omni subjecto, in quo est: unde congruere non potest, nisi voluntati, activa sua indifferentia spoliatæ, à terrenis delectationibus subjugatæ, necessitati peccandi subjectæ, adeòque non valenti ampliùs bonum velle & agere sine adjutorio, quod terrenis delectationibus potentius sit, eamque à necessitate peccandi ad bene volendi & agendi necessitatem traducere possit.

Juxta Jansenium, gratia efficax non conveniebat Angelis viatoribus & homini innocenti, sed homini lapso tantùm convenit; quia Angeli viatores, & homo innocens, ad bonum volendum & agendum non indigebant gratia necessitante, & non indigebant, quia liberi erant libertate indifferentiæ, & sic sufficiebat illis gratia repudiabilis, adeoque non necessitans. At homo lapsus ad bonum volendum & agendum indiget gratia necessitante, & indiget, quia indifferentiæ libertatem amisit, & sic jam ei sufficere non potest gratia repudiabilis, quæ requirit in subjecto suo libertatem indifferentiæ; sine cujus exercitio consensum salutarem exprimere non potest gratia repudiabilis, & sine qua homo cum gratia repudiabili non magis potest bonum velle & operari, quàm homo cœcus videre potest cum lumine.

Prædeterminatio physica, inquit Jansenius, *expressè dicitur* (à Thomistis) *statui innocentiæ tam Angelorum, quàm hominum fuisse necessaria: Christi adjutorium ei repugnat capitaliter; sicut Augustinus ex professo docet. Voluntas enim eorum sic erat instituta, ut cum adjutorio non Christi salvatoris medicinali, quo fit ut velimus & agamus bene sed cum adjutorio* sine quo non volumus aut agimus bene, *possent si vellent in sanctitate persistere; & Adamus multis horis, Angeli etiam absolutè in collata sanctitate perseveraverunt.... Itaque Christi adjutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandam; non propter generalem causæ secundæ à prima dependentiam; non propter actuum bonorum supernaturalitatem; sed propter solam liberi arbitrii impotentiam & fractas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum dominatione prostratæ sunt, hominibus lapsis Christi incarnatione & sanguine præparatum est.*

8. Gratia physicè prædeterminans cum arbitrii libertate conciliatur secundùm Thomistas, in quantum secundùm illos non tollit, aut ligat activam voluntatis indifferentiam, sed eam perficit & roborat, tum quia est instar concursus generalis, adeòque non se tenet ex parte actus primi, sed vel se tenet ex parte actus secundi tantùm, vel est via, qua transitur ab actu primo ad actum secundum; tum quia voluntatem prædeterminat non solùm ad actum, sed etiam ad modum actus, atque ita voluntatem prædeterminat non solùm ad agendum, sed etiam ad agendum liberè, seu ex propria determinatione; cùm sit instrumentum voluntatis divinæ, quæ efficacissima est, & tunc vult, ut voluntas non solùm agat, sed etiam liberè agat, atque omnipotentiæ, quæ per actionem suam

non

non solùm actum causæ liberæ, sed etiam modum libertatis ejus efficaciter attingere potest. *Tertium fundamentum est*, inquit Alvarez, lib.12. disp.121. num. 3. *concursum Dei generalem esse influxum immediatum Dei in causas secundas, per quem præmoventur, applicantur, & determinantur, ut operentur unaquæque juxta conditionem suæ naturæ, naturalis quidem naturaliter, libera autem liberè*. Et inferiùs num.6. *Infertur, secundò infallibilitatem futuri consensus, effectusve prædestinationis ex decreto absoluto divinæ voluntatis, atque ex ipsa efficacitate auxiliorum prævenientis gratiæ desumptam, in nullo præjudicare ejusdem arbitrii libertati, sive quantùm ad potentiam ipsam liberam, sive quantùm ad actualem usum illius; sed mirum in modum illam perficere, & roborare: quia, ut dictum est, Deus non solùm decrevit, quòd homo operetur, sed etiam voluit, quòd liberè operetur, & suo auxilio efficaci ejusdem hominis voluntatem, ut liberè operetur prædeterminat*.

Jansenius verò libertatis arbitrii cum gratia conciliationem in eo præcisè ponit, quòd voluntas sub gratia non nihil agat, sed gratiæ cooperetur, sponte, licèt necessariò, volendo. *Demonstrandum est*, inquit lib.8. de gr. Chr. c.5. *nunquam Augustinum respondendo Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, istum conciliandi modum tetigisse, quòd voluntas ita per gratiam velit, ut possit non velle, sed semper illum, quòd operante gratia non instar trunci, quem Deus moveat, feramur ad bonum, verum quòd gratia non alium quempiam, sed nos ipsos faciat velle quod bonum est*. Et inferiùs: *Nihil evidentius esse potest, quàm Pelagianos non aliter putasse libertatem voluntatis violari, nisi quia Deus per gratiam totum solus faceret, adeòque hominem invitum & reluctantem ad bonum cogeret: nec aliter Augustinum liberum arbitrium defendere, & concordiam utriusque tradere, nisi quia non sola in homine operatur, sed etiam voluntas ex nolente & repugnante fit volens, & volendo cum gratia aliquid facit*. In hoc autem libertatem voluntatis cum gratia conciliandi modo ducem secutus est Calvinum Jansenius, ut patet ex dictis, Art.2.

Porrò, quod non est prætermittendum, quàm alienus fuerit à systemate Thomistico Jansenius, ostendit ipse, cùm ait, lib.8. de gr. Ch. c.2. *Quapropter qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solùm nullo testimonio ejus probari potest, sed potiùs universam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat, &c.*

ARTICULUS IV.

Utrùm gratia efficax sit gratia necessitans voluntatem ad consensum.

Responsio.

Gratia efficax non est gratia necessitans voluntatem ad consensum. Est de fide, contra Lutherum, Calvinum, & Jansenium.

Prob. 1. ex Concilio Senonensi. *Neque*, inquit decreto 15. *liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam; quod illi falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere: sed juxta sacram Scripturam eò extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; nec enim tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit ..... Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum sanctum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur*.

Synodus loquitur de gratia, quacum voluntas non solùm potest converti in Deum, sed etiam re ipsa convertitur; adeòque loquitur de gratia efficaci. Unde sic argumentor. Si gratia efficax esset necessitans voluntatem ad consensum, voluntas non posset resistere gratiæ efficaci, & inevitabiliter ab ea raperetur. Atqui hoc evidenter repugnat Senonensi Synodo. Ergo, &c. Vel etiam sic. Si gratia efficax esset gratia necessitans, voluntas non posset resistere gratiæ, quacum convertitur in Deum, sed ab ea inevitabiliter raperetur. Consequens est contra decretum Senonensis Synodi. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino, sess.6. ubi cap.5. loquens de gratia, quacum, ei liberè assentiendo & cooperando, ad suam ipsorum justificationem disponuntur homines, sic ait: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen, &c.* Et can.4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum .... non posse dissentire, si velit ... anathema sit*. Et can.5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re ... anathema sit*. Et can. 32. *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, &c. anathema sit*. Ex his autem

Argumentor sic. Ex Trid. potest homo gratiam, quacum re ipsa ad suam ipsius justificationem disponitur, abjicere seu repudiare, eique dissentire, si velit. Atqui hoc non posset, si gratia illa esset necessitans: repugnat enim gratiam necessitantem repudiari posse; cùm in tantum sit necessitans, in quantum intrinsecè irrepudiabilis est. Item repugnat dissentiri posse gratiæ necessitanti, quia si voluntas potest dissentire, hoc ipso non necessitatur ad consensum. Ergo gratia illa, quacum homo ad suam ipsius justificationem disponitur, adeòque gratia efficax, non est gratia necessitans.

Præterea, si gratia efficax debet esse gratia necessitans, certè quia, ut volunt Novatores, homo non potest velle bonum, nisi ad illud volendum necessitetur. Falsum cons. Ergo, &c. *Prob.min.* Si homo non potest velle bonum, nisi ad illud volendum necessitetur, certè quia non potest ampliùs etiam cum gratia se ipsum determinare ad volendum bonum, ut per se clarum est, & ipsi Novatores dicunt. Atqui hæc ratio nulla est, & hæretica. Ergo, &c. *Prob.min.* Nam si homo non potest ampliùs etiam cum gratia se ipsum determinare ad volendum bonum, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum irreparabiliter amissum & extinctum est: liberum enim arbitrium in sensu Catholicorum omnium, & in quo proinde à Trid. sumitur, est facultas agendi vel non agendi ex propria determinatione, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Atqui quòd liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum sit & extinctum, falsum & hæreticum est, ut patet ex Canone Tridentino. Ergo, &c.

Præterea, si gratia efficax esset gratia necessitans, homo, quoties bonum salutare vellet, vellet illud necessariò. Ergo non esset liber libertate indifferentiæ circa bonum salutare: hominem enim velle aliquid necessariò, & nihilominùs circa illud habere libertatem indifferentiæ, contradictionem implicat. Ergo non esset liber libertate arbitrii circa bonum salutare, etiam cum gratia efficaci: libertas enim arbitrii est libertas indifferentiæ. Ergo liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esset irreparabiliter, quòd est hæreticum, & ut tale damnatum à Synodo Tridentina.

Nec dic, Synodum can.5. per liberum arbitrium non aliud intelligere, quàm facultatem sponte volendi sive bonum sive malum, positis omnibus ad volendum prærequisitis. Nam contra est, quia, 1. hic canon petit Calvinum & Lutherum, qui negarunt in homine lapso, non facultatem sponte volendi, positis

tis omnibus ad volendum prærequisitis, sed expeditam facultatem volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud pro arbitrio, in ordine scilicet ad mores.

2. Nullus hominum negavit unquam, aut etiam negaturus est extra insaniam vel delirium, homini inesse facultatem illam spontè volendi sive bonum sive malum: cùm nullus sit hominum, qui sibi conscius non sit, se, sive bonum velit sive malum, spontè illud velle, imò nec posse nisi spontè illud velle, & actui volendi coactionem propriè dictam evidenter repugnare, tamque repugnare, quàm repugnat non velle volendo, aut non volendo velle. Quem ergo aut quos peteret Canon Tridentinus?

3. Cùm Synodus dicit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, &c.* manifestè perinde est, ac si diceret: Si quis liberum arbitrium, quo fruebatur Adamus ante peccatum, post ejus peccatum non manere, sed amissum & extinctum esse dixerit, anathema sit. Atqui liberum arbitrium, quo fruebatur Adamus ante peccatum, fuit expedita facultas benè vel malè agendi, facultas volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud, positis omnibus ad volendum & agendum prærequisitis. Ergo Synodus, canone laudato, per liberum arbitrium expeditam illam facultatem intelligit. Quod confirmatur ex eo quòd ipsimet Novatores, contra quos canon ille editus est, ut Calvinus & Calvinistæ, illum *de eligendi facultate, quæ sit in utramque partem libera & soluta*, interpretentur, neque Ecclesia reclamante, neque ullo è Catholicis Doctoribus, qui contra illos pro Ecclesiæ definitione pugnant, contradicente. Sed ut ad assertionis nostræ probationem revertar,

Sic adhuc argumentor. Ex Trid. si gratia efficax est gratia necessitans, hominis justificati bona opera sic sunt dona Dei, ut non sint bona ipsius justificati merita. Consequens hæreticum est. Ergo, &c. Minor patet ex can. 32. Conc. Trid. *Prob. sequela maj.* Nam bona opera ab homine justificato fierent necessariò; adeòque sicut non haberent laudabilitatem moralem, ita nec haberent, nec habere possent dignitatem ad præmium. Ergo nec essent, nec esse possent bona hominis justificati merita.

Prob. 3. ex Innocentii X. Bulla contra Jansenii librum edita, quæ incipit, *Cùm ex occasione*, & in qua hæc Jansenii propositio: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: damnatur ut hæretica. Unde sic argumentor. Si gratia efficax est gratia necessitans, ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Consequens est hæreticum, Ergo, &c. Minor patet ex Bulla laudata. *Prob. seq. maj.* Nam justi, 1. merentur per opera pietatis. 2. Hæc opera non exercent sine gratia efficaci; adeòque si gratia efficax est gratia necessitans, justi opera pietatis, quibus merentur, non exercent sine gratia necessitante, & consequenter exercent cum sola libertate à coactione; hanc enim solam libertatem compatitur gratia necessitans. Ergo si gratia efficax est gratia necessitans, justi merentur per opera pietatis exercita cum sola libertate à coactione; atque ita ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Prob. 4. ex S. Augustino, cujus ex plurimis testimoniis, quæ proferri possent, unum tantùm & alterum proferam, vitandæ prolixitatis causa. 1. itaque S. Doctor, lib. 2. contra litteras Petiliani Donatistæ cap. 84. Petiliano dicenti: *Cur vos non liberum arbitrium unicuique sequi permittitis; cùm ipse Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus, viam tamen justitiæ ostendens, ne quis forsitan nescius deperiret? Dixit enim:* Posui ante te bonum & malum, posui ante te ignem & aquam, quod volueris elige. *Ex quo vos arbitrio miseri* (Catholici) *vobis non aquam, sed ignem non potiùs elegistis? sed tamen, inquit*, Bonum elige, ut vivas: *qui non vis bonum eligere, vere te nolle damnasti*: sic respondet: *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit ut quis quod voluerit eligat: & tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri potest, ut quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater: sic fieri potest, ut ea quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.*

Observa. 1. Petilianus per liberum arbitrium manifestè intelligit expeditam facultatem unum è duobus oppositis, prout lubet, eligendi. 2. Dicit Deum homini etiam in hoc statu hanc facultatem concedere. 3. Queritur, quòd Catholici ad Donatistas in sinum Ecclesiæ Romanæ reducendos, aliam quàm suasionis viam ineant, & legum pœnalium coercitionem adhibeant, sicque non permittant Donatistas libertate illa frui, quam eis concessit Deus, sed pœnarum terrore eis vim afferant, ut unam potiùs partem sequantur, quàm aliam. Ad hæc S. Augustinus supponens cum Petiliano liberum arbitrium esse expeditam unum è duobus oppositis, prout lubet, eligendi facultatem, respondet, cum legum coercitione manere posse & manere liberum arbitrium; quia leges, coercendo homines, non spoliant illos expedita facultate unum è duobus appositis, prout lubet, eligendi, sed solùm admonent illos, & admonendo inducunt, ut hac facultate rectè utantur, id quod melius est, eligendo & sequendo: sicut cum tractione illa, qua Pater Cœlestis attrahit etiam efficaciter homines ad Filium, manere potest, & manet liberum arbitrium; quia Pater attrahendo etiam efficaciter ad Filium homines, non privat eos expedita facultate sequendi vel non sequendi tractionem, bonum vel malum pro arbitrio eligendi; nam non sic attrahit, ut non dimittat ut quod è duobus voluerint eligant; sed solùm in eis operatur, quomodo eis aptum est, ut benè utantur facultate illa, meliorem eligendo partem, & veniendo ad Filium.

Juxta S. Doctorem igitur, & leges coercent homines, & nihilominùs homines liberum habent arbitrium, quia nihilominùs liberam habent & solutam facultatem eligendi quam partem voluerint, hoc est, prout libuerit, obtemperandi vel non obtemperandi legibus; sed solùm hujus facultatis abusum impedit legum coercitio: sicut Pater & attrahit homines ad Filium, & liberum eis relinquit arbitrium, quia sic attrahit, ut eis relinquat liberam & solutam facultatem, quam partem voluerint, eligendi, hoc est, veniendi vel non veniendi ad Filium, credendi vel non credendi in Filium, prout libuerit; ita tamen ut bonum hujus facultatis usum tractione sua procuret, homines trahendo quomodo scit eis congruere, ut tractionem sequantur, & veniant ad Filium, atque in eum credant. Ex his autem

Sic argumentor breviter. Ex S. Doctore Pater attrahendo efficaciter ad Filium homines, relinquit eis liberam & solutam facultatem eligendi quam partem voluerint. Ergo ex S. Doctore, in sensu compositio gratiæ efficacis manet eligendi facultas in utramque partem libera & soluta. Atqui in sensu compositio gratiæ necessitantis nec manet, nec manere potest talis facultas. Ergo ex S. Doctore, gratia efficax non est gratia necessitans.

At inquies. S. Augustinus nihil aliud vult, quàm cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi, & Deum sic trahere efficaciter homines, ut non adimat illis facultatem spontè volendi & agendi. *R.* hoc esse manifestè falsum. Patet 1. ex facta textus integri expositione. 2. Ex eo quòd Deum homines in libero dimittere arbitrio, ut quod voluerint eligant, phrasi Augustini idem sit, ac Deum hominibus relinquere expeditam ad utrumlibet activam indifferentiam, expeditam volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud ex propria determinatione potentiam: hoc enim loquendi modo, ad exprimendam libertatem illam, qua potiebatur homo in statu innocen-

centiæ, passim utitur S. Doctor, ut agnoscunt ipsimet Novatores. 3. Ex eo quòd S. Doctor expressè asserit, quòd pauci intellectu penetrare valeant, quomodo hæc duo vera sint, videlicet quòd Deus & homines ad Filium efficaciter attrahat, & nihilominùs illos in libero dimittat arbitrio, ut quod voluerint eligant. Nam

Sic argumentor. Cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi, præsertim in systemate adversariorum, nullo negotio intelligitur, & omnibus, qui rationis compotes sunt, obvium est. Nam in systemate adversariorum, tractio efficax fit per cœlestem delectationem terrena delectatione majorem. Unde in hoc systemate, cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi, nihil aliud est, quàm hominem spontè velle & agere id quod eum delectat, & ampliùs delectat, quàm oppositum; quod certè nemo rationis compos non potest capere. Ergo apud S. Augustinum, illud, Deum efficaciter attrahere ad Filium homines, & simul eos in libero dimittere arbitrio, ut quod voluerint eligant, tam captu difficile, ut intellectu pauci id penetrare valeant, illud, inquam, aliud est, quàm, cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi. Illud autem aliud quid esse potest, nisi cum efficaci tractione manere expeditam sequendi vel non sequendi ipsam tractionem, & ad Filium pro arbitrio veniendi vel non veniendi potentiam?

2. S. Augustinus, lib. de natura & gratia, c. 65. Pelagio hæc Hieronymi verba, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est*, objicienti, sic respondet: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam: sed in rectè faciendo, ideò nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Quòd autem hìc S. Doctor necessitatis nomine intelligat antecedentem ad unum determinationem etiam voluntariam, patet 1. ex eo quòd non ignorabat necessitatem sic accipi à Pelagio, nec tamen eum corrigit, sed omissa violentæ & voluntariæ necessitatis distinctione, ei planè consentit, uno tantùm addito, quod pertinaciter negabat Pelagius, nempè quòd immunitas illa ab omni necessitatis vinculo, qua gaudemus, sit effectus gratiæ, seu inspirationis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis intuitu meritorum Christi, *qui ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.*

Patet 2. ex eo quòd à nobis in rectè faciendo removeat omne vinculum necessitatis. Qui autem removet omne vinculum necessitatis, non solùm violentam, sed etiam voluntariam necessitatem removet.

Patet 3. ex eo quòd hoc cap. 65. eodem modo necessitatem accipiat, quo capite sequenti accipit, cùm ait: *Quòd autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit, discas Deo dicere: De necessitatibus meis educ me: quia & in hujusmodi oratione certamen est adversùs tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnantem: ac per hoc opitulante gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, & mala necessitas removebitur, & libertas plena tribuetur.* Hæc autem necessitas peccandi, hæc mala necessitas, orta non ex conditione, sed ex vitio naturæ per peccatum corruptæ, non est violenta, sed voluntaria necessitas; neque negabunt adversarii, cùm eam ex delectatione terrena prædominante, qua malum ampliùs placet, proficisci doceant. Hæc itaque necessitas peccandi, per gratiam Christi removenda, est necessitas voluntaria; adeòque S. Doctor utroque capite de voluntaria necessitate loquitur.

Igitur juxta S. Doctorem, *liberi arbitrii*, hoc est, eligendi facultatis in utramque partem liberæ & solutæ, *nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate* etiam voluntaria *trahimur, alioquin ubi necessitas* etiam voluntaria, *nec corona est.* Atque ita notum est & obvium omnibus, ut nemo sit, qui *non agnoscat:* nemo qui *non toto corde suscipiat:* nemo qui *aliter conditam humanam neget esse naturam.* Errat ergo Pelagius, non quia ab actibus nostris tam bonis quàm malis, necessitatem etiam voluntariam removet, sed quia plenam & ab omni necessitatis vinculo solutam ad rectè faciendum libertatem nobis attribuit, independenter ab interioris gratiæ adjutorio, sine qua tamen non potest mala removeri necessitas, adeòque nec haberi plena ad rectè faciendum libertas.

Ex his autem sic argumentor. Ad virtutem trahimur per gratiam efficacem, & tamen ex S. Doctore non trahimur necessariò; & si traheremur, jam locus non esset merito, adeòque nec præmio. Ergo ex S. Doctore gratia efficax non est gratia necessitans. Item illa gratia non est necessitans, sub qua plenam habemus, & ab omni necessitatis vinculo solutam ad rectè faciendum libertatem. Atqui ex S. Doctore, sub interioris gratiæ adjutorio, quocum rectè facimus, hoc est, sub gratia efficaci, plenam habemus, & ab omni necessitatis vinculo solutam ad rectè faciendum libertatem. Ergo ex S. Doctore, &c. Gravem igitur S. Augustino injuriam faciunt, qui eum gratiæ necessitantis patronum constituunt.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Voluntas humana non potest resistere voluntati Dei. Ergo nec potest resistere ejus gratiæ. Consequ. patet. Nam si voluntas humana posset resistere gratiæ Dei, posset etiam ejus voluntati resistere. *Prob. ant.* ex S. Augustino. *Dat*, inquit, lib. de corr. & gr. cap. 14. *incrementum Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium.... Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia, quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.*

R. neg. consequ. Aliud enim est voluntates humanas non posse resistere Dei voluntati (absolutæ scilicet & efficaci, quod semper subintelligi debet, quando à Scriptura vel à Patribus simpliciter dicitur, voluntates hominum voluntati Dei non posse resistere,) & aliud, voluntates humanas non posse resistere gratiæ Dei. Primum dicit S. Doctor, non secundum. Primum verum est, secundum verò falsum. Primum negari, secundum verò affirmari non potest absque hæresi.

Itaque, ut rectè ait S. Doctor, non possumus resistere voluntati Dei, quia non possumus eam frustrare, nec simpliciter impedire effectum, quem illa absolutè & efficaciter intendit, etiam si sit actus aliquis à libero nostro arbitrio dependens; non quia adhibet media irresistibilia, quibus proinde reluctari non possumus, sed quia non possumus impedire, ne in thesauris omnipotentiæ suæ habeat media etiam ex natura sua repudiabilia, plura & plura in infinitum, quibus infallibiliter præsciat voluntates nostras motum iri quomodo eis aptum est, ut liberè consentiant, si velit ea exequi; nec possumus eum impedire, quominùs ea exequatur, cùm, & ubi voluerit. Hoc satis apertè dicit S. Doctor, cùm sic ait lib. 1. ad Simplic. qu. 2. *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit, quia si vellet etiam ipsorum* (non electorum) *misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.*

Quamvis autem non possimus resistere Dei voluntati, absolutè & efficaciter intendenti, ut aliquid à nobis fiat, possumus nihilominùs resistere huic medio, quod adhibet, ut illud à nobis fiat. Ratio est, quia, ut supponitur, voluntas Dei absolutè & efficaciter intendit non solùm ut illud à nobis fiat, sed etiam ut liberè fiat, adeòque non adhibet medium necessitans & irresistibile, quocum actus à nobis quidem

fie-

fieret, sed non liberè fieret; sed adhibet medium repudiabile, & compossibile cum negatione consensus liberi, qui absolutè & efficaciter intenditur, & re ipsa certò & infallibiliter exprimitur, propter medii repudiabilis congruitatem certò & infallibiliter à Deo, medium illud adhibente, præcognitam.

Tunc igitur voluntas divina non frustratur, non quia ad consensum, quem absolutè & efficaciter intendit, adhibet medium necessitans & irresistibile, sed quia medium, quo utitur, sic repudiabile est, ut sit quoque voluntati nostræ congruum. Hoc dicit S. Augustinus, cùm ait lib. 1. ad Simp. q. 2. *Nullius Deus frustra miseretur. Cujus autem miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.*

Item tunc summa certitudine & infallibilitate voluntas divina non frustratur, quia medium, quo utitur, habet summam certitudinem & infallibilitatem, non intrinsecam, petitam ab intrinseca ejus irresistibilitate, quia nullam habet; sed extrinsecam, petitam à divina præscientia, quam falli, absolutè repugnat, & ex cujus directione medium repudiabile adhibetur, & quidem tale, quale præscitur voluntati nostræ congruum fore, ut velimus agere, & agamus.

Dices. Impotentia illa resistendi voluntati Dei vel est antecedens, vel consequens tantùm. *R.* non esse consequentem, sed antecedentem simpliciter. Ratio est, quia non pendet ab aliquo libertatis nostræ exercitio, sed oritur ex eo, quòd simpliciter repugnet Deum, utpotè infinitè sapientem & potentem, non habere in potestate sua non tot quin plura media, etiam ex natura sua repudiabilia, quibus possit, cùm & ubi voluerit, operari in voluntatibus humanis, quæ tantoperè ex natura sua mobiles sunt, & in quamlibet partem versatiles; operari, inquam, infallibiliter, quomodo eis aptum est, ut faciant, & liberè faciant id, quod ab eis fieri, absolutè & efficaciter decrevit.

Et verò illud, habere in potestate sua non tot quin plura media, etiam ex natura sua repudiabilia, quibus tamen Deus, si velit ea exequi, voluntates humanas ad actus suos liberos infallibiliter permoveat, clarè relucet in idea entis infinitè sapientis & potentis, item clarè relucet in idea entis, quo nihil melius cogitari potest; nullam enim in terminis implicantiam involvit, & est maxima perfectio, cum nulla alia meliore, aut etiam æquali incompossibilis.

Dices. Ergo impotentia illa resistendi voluntati Dei facit necessitatem antecedentem. Ergo Deus voluntate sua absoluta & efficaci antecedenter necessitat voluntates nostras ad actus suos, adeòque gratis negatur Deum voluntates nostras ad actus suos movere per media necessitantia & irresistibilia. *R.* dist. ant. Impotentia illa resistendi voluntati Dei facit necessitatem antecedentem intrinsecam & immutantem modum operandi voluntatis, N. ant. Facit necessitatem antecedentem extrinsecam, qua nec immutatur, nec immutari potest modus operandi, voluntatis libertati conveniens, quia cum ea manere potest, & manet expedita ad utrumlibet ex oppositis facultas, C. ant. & dist. similiter conseq. Ergo Deus voluntate sua absoluta & efficaci antecedenter voluntates nostras necessitat necessitate extrinseca tantùm, C. conseq. Necessitate intrinseca, & modum operandi voluntatis immutante. N. conseq. 1. & 2.

Itaque impotentia resistendi voluntati Dei non dicit aut facit necessitatem antecedentem intrinsecam, quia non oritur ex aliquo medio intrinseco voluntati humanæ, eam intrinsecè & immediatè afficiente, eamque antecedenter & intrinsecè ad alteram contradictionis partem obligante; quia Deus vi suæ voluntatis, quantumvis efficacis & absolutæ, non adhibet medium irresistibile ad obtinendum voluntatis humanæ consensum.

Impotentia resistendi voluntati Dei dicit vel facit necessitatem antecedentem extrinsecam, quia oritur ex infinita sapientia simul & omnipotentia divina, quæ quidem perfectiones sunt planè independentes à libertate nostra, sed per se immediatè nihil ponunt in voluntate, quod sit intrinsecum voluntati, eamque intrinsecè afficiens, adeòque possit immutare modum ejus operandi. Unde per se immediatè non faciunt, nec facere possunt respectu voluntatis nostræ, nisi necessitatem antecedentem extrinsecam, quacum stare potest expedita ad utrumlibet ex oppositis libertas, & revera tandiu stat, quandiu infinitè sapiens & omnipotens Deus, ad permovendas voluntates nostras, non adhibet nisi media repudiabilia: tandiu enim voluntas nostra potest pro arbitrio velle vel non velle etiam in sensu composito mediorum; adeòque in sensu composito mediorum, licèt ab infinitè sapiente & omnipotente Deo vi decreti absoluti & efficacis adhibitorum, retinet expeditam alterutrum è duobus oppositis eligendi facultatem. Sed ad hujus doctrinæ pleniorem intelligentiam.

Duplex distingui potest necessitas antecedens, una secundùm quam aliquid necessariò fit; altera verò secundùm quam dicimus necesse esse, ut aliquid fiat, & eo modo fiat, quo Deus absolutè & efficaciter vult illud fieri. Prima cum libertate indifferentiæ incompossibilis est, non secunda. *Si autem*, inquit S. Augustinus, lib. 5. de Civ. c. 10. *illa definitur esse necessitas, secundùm quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Nam si modus ille, quo Deus absolutè & efficaciter vult aliquid fieri, sit ut liberè fiat, hoc est, fiat cum expedita facultate illud vel ejus oppositum faciendi, tam necesse est ut fiat liberè & cum expedita illud vel ejus oppositum faciendi facultate, quàm ut fiat. At necessitas antecedens, quam ex suppositione voluntatis Dei absolutæ & efficacis faciunt ejus infinita sapientia & omnipotentia relatè ad deliberatos actus nostros, non est necessitas, secundùm quam aliquid necessariò fit, sed secundùm quam dicimus necesse esse, ut fiat, & ita fiat, hoc est, non solùm ut fiat, sed etiam liberè fiat, adeòque tam cadit in modum libertatis, quàm in substantiam actus: unde modum libertatis non excludit, sed infert; neque perimit, aut ligat in nobis indifferentiam activam, sed cum ea sic connexa est, ut, suppositâ tali necessitate non possimus non habere expeditam ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, activam indifferentiam; nec magis repugnet, ut actus à nobis non fiat, quàm ut à nobis fiat sine expedita illum faciendi vel non faciendi, illum vel ejus oppositum faciendi facultate; sed utrumque repugnet æqualiter. Æqualiter autem utrumque repugnat, quia repugnat Deum infinitè sapientem & omnipotentem, non habere in sua potestate media, quibus nos permovere possit ad actus, quoscumque voluerit, faciendos ex propria nostra determinatione, & cum activa indifferentia, in utramque partem expedita. Quæ proinde media per se repudiabilia esse necesse est.

Dices. Supposito quòd Deus velit absolutè & efficaciter, ut actus fiat à voluntate humana cum tali gratia, voluntatem humanam posse resistere tali gratiæ, & posse resistere voluntati Dei etiam absolutè & efficaci, sunt duo inter se evidenter connexa. Ergo vel utrumque concedendum est, vel negandum est utrumque. *R.* malè supponi, quòd Deus velit absolutè & efficaciter, ut actus fiat ab humana voluntate per talem gratiam. Itaque distingue duo instantia rationis. In primo Deus vult absolutè & efficaciter, ut actus fiat, & liberè fiat à voluntate humana. In secundo præparat hanc numero gratiam, ex natura sua repudiabilem, sed quam per infallibilem præscientiam prævidet fore voluntati congruam.

Nota. Aliud est, Deum velle absolutè & efficaciter ut actus fiat per talem gratiam, & aliud Deum velle absolutè & efficaciter, ut actus fiat & liberè fiat, & ex hac voluntate absoluta & efficaci consequenter necessitari ad præparandam gratiam aliquam ex iis, quas præscit fore voluntati humanæ, si dentur, congruas in iis circumstantiis, in quibus voluntati humanæ agendum erit. Secundum verum est, primum

verò

verò falsum. Hinc ut voluntas humana possit resistere tali gratiæ, quam Deus ab æterno præparavit ipsi, ipsique confert in tempore, necesse non est, ut possit resistere voluntati absolutæ & efficaci, qua Deus actum ejus prædefinivit, sed sufficit, eam posse impedire, ne Deus præviderit talem gratiam, si daretur in talibus circumstantiis, fore congruam, & ita facere, ne Deus ex vi suæ voluntatis absolutæ & efficacis talem gratiam dare voluerit. Quod re ipsa potest potentia ad actum verè reducibili, infallibiliter tamen non reducenda; quamvis nulla potentia sive reducenda ad actum, sive etiam reducibili, possit resistere voluntati Dei absolutæ, & efficaci.

Dices. Si voluntas humana resisteret tali gratiæ, ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis collatæ, certè resisteret etiam voluntati Dei absolutæ & efficaci. Ergo vel neutri potest resistere, vel utrique potest. *R.* neg. ant. Ratio negandi est, quia in antecedente suppositio nugatoria est, cùm supponantur duo contradictoria simul existere. Nam cùm supponis voluntatem humanam resistere tali gratiæ, etiam supponendo, quòd talis gratia collata fuerit ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis, supponit voluntatem humanam resistere tali gratiæ, supponendo eam collatam esse ex infallibili præscientia, quòd, si daretur, voluntas humana non esset ei restitura, & consequenter supponendo, quòd, cùm data est, voluntas humana ei non resistat. At qui supponit voluntatem humanam resistere tali gratiæ, cùm simul supponit sive explicitè, sive implicitè, quòd non resistat, vel saltem non potest simul non supponere sive explicitè sive implicitè, quòd non resistat, nugatur contradictoria copulando, & ex tali suppositione prorsùs nihil efficere potest.

Itaque si supponis voluntatem humanam resistere tali gratiæ, ne te contradictione implices, debes simul supponere alia omnia, quæ cum hac suppositione connexa sunt, sine quibus proinde hæc suppositio fieri non potest; & consequenter debes supponere, gratiam non fuisse datam ex præscientia, quòd si daretur, habitura esset effectum, adeòque non fuisse datam ex vi voluntatis absolutæ & efficacis, sed fuisse datam ex vi voluntatis conditionatæ & inefficacis tantùm, ac proinde ex vi voluntatis divinæ, cui resistere potest & resistit voluntas humana, ut fides & experientia docent. Porrò si è contra supponis, talem gratiam collatam esse ex vi voluntatis absolutæ & efficacis, cùm etiam necessariò supponenda sint alia omnia cum hac suppositione connexa, debes quoque supponere, gratiam fuisse collatam ex infallibili præscientia, quòd esset habitura effectum, si daretur; adeòque supponere, quòd data habeat effectum, hoc est, quòd ei non resistat, sed consentiat voluntas humana.

Dices denique. Si non potest supponi voluntas humana resistere tali gratiæ collatæ ex vi voluntatis absolutè & efficacis, voluntas humana non potest illi resistere: possibile enim supponi potest esse, & consequenter si voluntas humana posset resistere tali gratiæ, collatæ ex vi voluntatis absolutæ & efficacis, supponi posset illi resistere. Ergo talis gratia, collata ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis, est irrepudiabilis & irresistibilis. Ergo est gratia necessitans.

R. dist. seq. ant. Voluntas humana tali gratiæ collatæ ex vi voluntatis absolutæ & efficacis, resistere non potest potentia ad actum reducenda, C. seq. ant. Potentia ad actum reducibili, subdist. Ad actum reducibili in sensu composito collationis gratiæ ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis factæ, C. iterùm seq. ant. Ad actum reducibili in sensu diviso talis collationis, N. seq. ant. Hic autem sensus divisus verè est in potestate voluntatis humanæ: nam voluntas humana impedire potest, ne Deus per scientiam conditionalium præscierit talem gratiam effectum suum habituram esse, si daretur, & sic indirectè facere, ne talis gratia collata fuerit ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis: Deus enim non potuit ex vi voluntatis suæ absolutæ & efficacis præparare gratiam, quam per scientiam futuribilium præscivit effectum suum habituram non esse, si daretur. Unde neg. conseq. Nam gratia illa non est irrepudiabilis & irresistibilis, cui voluntas humana resistere potest potentia ad actum verè reducibili in aliquo sensu, qui est in ejus potestate, ut patet ex terminis. Sed adhuc.

R. aliter dist. seq. ant. Voluntas humana tali gratiæ, ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis collatæ, resistere non potest impotentia componendi resistentiam seu dissensum cum entitate gratiæ, N. seq. ant. Impotentia componendi resistentiam, seu dissensum cum consensu, C. seq. ant. Prima impotentia est antecedens, & incompossibilis cum libertate indifferentiæ. Secunda est consequens tantùm, nec indifferentiæ libertatem excludit, sed è contra eam & ejus exercitium supponit, ex illoque oritur. Hanc solam ad gratiæ ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis collatæ, resistendum, impotentiam habet voluntas humana; quatenùs non aliter non potest ei resistere, quàm quia non potest resistentiam cum consensu componere. Primam autem ad gratiæ, ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis collatæ, resistendum impotentiam non habet voluntas humana, quia ad hoc ut gratia ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis conferatur, necesse non est, ut sit per se irrepudiabilis & irresistibilis, sed sufficit, si summa certitudine & infallibilitate præsciatur effectum suum esse habitura, si detur; quantumcumque per se sit componibilis cum resistentia voluntatis humanæ.

Itaque si præscindis à collatione gratiæ, ut facta ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis, præscindis à consensu voluntatis humanæ; & tunc voluntas humana potest resistere gratiæ, quam habet, quia potest componere dissensum cum entitate gratiæ; cùm sit ex natura sua repudiabilis. Quare voluntas humana sub gratia, etiam ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis collata, retinet expeditam libertatem indifferentiæ. Si supponis collationem gratiæ, ut factam ex vi voluntatis Dei absolutæ & efficacis, supponis quoque voluntatis humanæ consensum, cum ea connexum; & ita tunc voluntas humana non potest resistere gratiæ, quia non potest componere dissensum cum consensu; vel, si vis, quia non potest componere dissensum cum entitate gratiæ in sensu composito consensus. Quod non impedit libertatem indifferentiæ: libertas enim indifferentiæ non est facultas simul consentiendi & dissentiendi, sed consentiendi vel dissentiendi pro arbitrio.

Obj. 2. S. Augustinus, lib. de corr. & gr. c. 11. docet donum perseverantiæ, hoc est, gratiam efficacem, quæ datur electis ad perseverandum, esse gratiam necessitantem: nam sic loquitur: *Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit perseverantiæ felicitas, bonum non posse deserere*. Hoc itaque, juxta S. Doctorem, inter gratiam, datam Adamo ad perseverandum in statu innocentiæ, & gratiam, quæ nunc datur electis ad perseverandum in statu gratiæ, discrimen est, quòd cum hac, utpotè insuperabiliter determinante & necessitante, non possint non perseverare electi; cum illa verò, utpotè indifferente & versatili, Adamus innocens perseveraret, si vellet, sed & non perseveraret, si nollet. Ergo, &c.

R. neg. ant. *Ad prob. R.* S. Doctorem loqui non de perseverantia electorum in hac mortali vita, sed de perseverantia beatorum in vita altera, seu de impeccabilitate, qua beati fruuntur in cœlo. Videamus locum integrum. *Prima ergo*, inquit S. Doctor, *libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima erit multò major, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multo major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere*. Clarè vides, S. Doctorem innocentiæ statum, in quo primus homo conditus fuerat, opponere, non statui naturæ lapsæ, in quo peccamus, & morimur, sed statui gloriæ, in quo mors non erit ampliùs, in quo electi erunt prorsùs

sùs impeccabiles, & summo bono summa necessitate adhærebunt in æternum.

Obj. 3. Gratia efficax consistit in delectatione cœlesti, in gradibus intensionis superante delectationem terrenam. Atqui delectatio cœlestis, intensior delectatione terrena necessitat voluntatem ad consensum salutarem. Ergo gratia efficax est gratia necessitans. *Prob. min.* ex S. Augustino. Nam sic loquitur in expositione sua in Epist. ad Galatas. *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Hic autem to *operemur*, idem significat quod ly *velimus*. Item S. Doctor hic intelligit necessitatem intrinsecam, antecedentem, & physicam, non necessitatem intrinsecam, moralem tantùm, aut physicam consequentem tantùm. Ergo, &c. Pro solutione,

Nota. Delectatio oritur ex præsentia, vel potiùs est formalis præsentia objecti convenientis, hoc est, actus vitalis, quo animæ præsens sistitur objectum conveniens. Delectatio alia est sensitiva, alia rationalis. Sensitiva est ea, cujus homo, quà animal, capax est: est enim actus potentiæ sensitivæ, seu sensitiva operatio, qua immutatio ab objecto sensibili & delectabili in organo corporeo facta percipitur ab anima, eique præsens sistitur objectum sensibile, & delectabile. De talibus delectationibus loquitur S. Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli, cùm ait, *Delectant quædam naturaliter infirmitatem nostram, ut cibus, ut potus delectant esurientes, atque sitientes: ut nos delectat hæc lux, quæ de cœlo funditur, sole exorto .... delectat canora vox & suavissima cantilena, delectat odor bonus: delectant etiam tactum nostrum quæcumque pertinent ad carnis aliquam voluptatem.*

Delectatio rationalis est ea, cujus homo, quà rationalis, seu quà intellectu & voluntate præditus, capax est. Duplex est, una intentionalis, & altera affectiva. Delectatio intentionalis est actus, quo intellectus apprehendit objectum aliquod ut conveniens sub aliqua ratione, & apprehendendo sistit intentionaliter præsens animæ; unde tali apprehensione delectatur animæ. Talis est actus, quo apprehenditur aurum ut utile; actus, quo apprehenditur veracitas ut honesta, &c. De tali delectatione loquitur S. Augustinus serm. citato, cùm ait: *Interrogo utrum ames justitiam? Respondebis, Amo. Quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur, nisi quod delectat*, hoc est, non amatur, nisi quod ab intellectu apprehenditur sub aliqua ratione conveniens, & apprehensione intentionaliter præsens sistitur animæ, quæ formaliter delectatur intentionali illa præsentia objecti convenientis.

Delectatio affectiva est actus, quo voluntas affectivè apprehendit objectum aliquod conveniens, illudque affectivè præsens sistit animæ; vel, si vis, est actus voluntatis, quo anima affectivè unitur cum objecto conveniente intentionaliter ei præsente per apprehensionem intellectus. Unde hæc affectiva delectatio potissimùm consistit in actu amoris: *amor* enim, ut ait S. Thoma 1.2. q. 32. art. 3. ad 3. *est quædam unio vel connaturalitas amantis ad amatum*. Anima per amorem affectivè accedit ad objectum amatum, illudque affectivè amplectitur: unde mutua animam inter & objectum amatum resultat affectiva præsentia. Hinc tantoperè amore delectatur anima.

Delectatio affectiva duplex esse potest, una indeliberata, & altera deliberata. Indeliberata est, v. g. motus amoris ante deliberationem ex intentionali delectatione consequens naturali quadam necessitate, si delectatio intentionalis sit de bono naturali; vel exurgens in anima ex actione Dei in ea supra naturæ exigentiam omnem operantis, eamque ad motum illum determinantis, si delectatio intentionalis sit de bono supernaturali. Unde tunc Deus utramque delectationem, intentionalem scilicet & affectivam, in nobis sine nobis operari dicitur. Porrò non solùm de intentionali, sed etiam de affectiva delectatione indeliberata, imò & de deliberata, intelligimus S. Augustinum, cùm ait lib. de contin. cap. 3. *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, qua delectetur amplius continentia*, hoc est, Deus sic animam delectat apprehensione pulchritudinis continentiæ, & indeliberato in hanc pulchritudinem amoris motu, ut luxuriæ continentiam tandem anteponat, & anteponendo delectetur amplius continentia.

Affectiva delectatio deliberata est ea, quam sibi ipsa voluntas deliberatè procurat. Talis est, v. g. actus amoris, quo ex propria determinatione amat, & amando affectivè amplectitur bonitatem objectivam sibi intentionaliter præsentem per cognitionem apprehensivam intellectus. Hæc itaque delectatio est in potestate voluntatis, & supposita cum aliis ad volendum prærequisitis bonitatis objectivæ intentionali præsentia, quæ fit per actum, quo intellectus apprehendit objectum ut conveniens, potest eam habere, vel ea carere pro arbitrio. Unde ad hujusmodi delectationem honestam homines adhortatur Scriptura, cùm ait Psal. 36. *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et post Scripturam S. Augustinus, cùm dicit serm. 17. de verbis Apostoli: *Quid est quod dixi? ut inter omnia, quæ delectant plus te delectet ipsa justitia; non ut alia* (quæ scilicet delectant licitè) *non delectent, sed ipsa prius delectet .... justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi, qua licitè delectaris præpone justitiam .... Delectare in Domino, dicit Scriptura; Dominus autem justitia est .... Præponit delectationi carnis delectationem mentis. Carnem quippe vestram delectant illicitæ voluptates, mentem vestram delectet invisibilis, pulchra, casta, sancta, canora, dulcis justitia .... Ducat vos ad recta facta suavitas & dulcedo justitiæ, amate justitiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est justitia, quæ à vobis impetret, ut exhibeatis illi, quod exhibuistis iniquitati.*

Hæc affectiva delectatio deliberata duplex est, una perfecta, & altera imperfecta; vel, si vis, una efficax, & altera inefficax. Efficax, quæ etiam victrix delectatio dici potest, est actus amoris, quo voluntas bonitatem aliquam objectivam, sibi per apprehensionem intellectus intentionaliter præsentem, affectivè amplectitur, & in hoc affectivo amplexu sistit & quiescit. In hoc autem affectivo amplexu sistit & quiescit voluntas, cùm per actum suum amoris bonitatem amatam anteponit bonitati oppositæ; ex duabus enim bonitatibus objectivis oppositis, quas ei simul intentionaliter præsentes exhibet intellectus, per actum amoris deliberatum unam alteri præponendo, ampliùs deliberatè delectatur ea, quam præponit, adeòque in ejus, non alterius oppositæ, affectivo complexu sistat & quiescat, necesse est.

Ex his, affectiva delectatio deliberata inefficax, est actus amoris, quo liberè voluntas bonitatem aliquam objectivam, sibi intentionaliter præsentem, affectivè amplectitur; sed non sic amplectitur, ut in ejus amplexu sistat & quiescat, quia nondùm illam alteri oppositæ anteponit, & ita nondùm ea plùs delectatur deliberatè, quàm altera opposita: nisi quis mavelit dicere, affectivam delectationem deliberatam efficacem, esse actum amoris, quo voluntas ex prævia deliberatione bonitatem aliquam objectivam, sibi intentionaliter præsentem, affectivè amplectitur, adeòque in ea sistit & quiescit, eaque plùs delectatur, quam altera opposita, propter intimiorem præsentiam & conjunctionem: affectivam verò delectationem deliberatam inefficacem, esse actum amoris, quo voluntas nondùm bonitatem objectivam affectivè amplectitur, sed solùm ad illam affectivè propendet & accedit: unde nondùm ea deliberatè plùs delectatur, quàm altera opposita, nondùmque in ea magis quam in altera opposita, quiescit. Ad quod sufficit, si dicatur solùm amorem, quo bonum amatum opposito anteponitur, esse affectivam unionem voluntatis amantis cum re amata; amorem verò, quo bonum amatum opposito nondùm anteponitur, esse tantùm viam ad unionem illam affectivam, vel quandam illius inchoationem.

Affe-

Affectiva delectatio deliberata efficax, dicitur efficax, quia voluntas per illam determinatur ad operandum secundùm bonum, quo sic delectatur, potiùs quàm secundùm oppositum. Ratio est, quia plus delectatur deliberatè hoc bono, quàm opposito; & plus delectatur deliberatè, quia illud anteponit opposito; & anteponit, quia plus amat. Voluntas autem non potest non operari secundùm bonum, quod plus amat, potiùs quàm secundùm oppositum, quod minùs amat; sicut non potest non operari secundùm bonum quod amat, potiùs quàm secundùm oppositum, quod omninò non amat.

Porrò de hac affectiva delectatione deliberata efficaci, seu, quod idem est, de hoc amore, quo voluntas bonum aliquod anteponit alteri opposito, & ita plus amat illud, quàm oppositum, adeòque de illo plus delectatur deliberatè, quàm de opposito, loquitur S. Augustinus, tract. 26. in Evang. Joan. cùm in hæc Christi verba, *Nemo venit ad me* (per fidem scilicet) *nisi quem Pater attraxerit*, sic ait: *Noli te cogitare invitum trahi*, hoc est, ulla necessitate sive violenta sive voluntaria obligari ad credendum: cùm enim dicimus aliquem non invitum facere aliquid, juxta communem loquendi usum, quem proculdubiò secutus est Augustinus, ab ejus actione omnem omninò necessitatem antecedentem intrinsecam excludimus. *Trahitur animus & amore. Nec timere debemus ne... dicatur nobis, quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate ire, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino... est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porrò si Poetæ dicere licuit: Trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est. An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur: Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. ... Da amantem, & sentit quod dico ... Si autem frigido loquor, nescit quid loquor.*

Hìc manifestè S. Doctor loquitur de amore deliberato, cùm ait: *Trahitur animus & amore*; & hunc amorem esse animi voluptatem seu delectationem manifestè significat. Juxta S. Doctorem, sicut corporis sensus habent suas voluptates, quæ in vitali perceptione immutationis, in organo corporeo factæ, consistunt: ita & animus habet voluptates suas deliberatas, quæ consistunt in amore deliberato, quo objectum sibi verè vel saltem apparenter conveniens, & per actum intellectus intentionaliter præsens, affectivè amplectitur, & amplectendo affectivè possidet, eoque proinde delectatur.

Item cum S. Doctore dicit, *Trahitur animus & amore*, loquitur de amore deliberato, non qualicumque, sed efficaci, hoc est, de amore, quo bonum aliquod ampliùs amat, quàm alterum oppositum, adeòque bonum aliquod anteponit alteri opposito, & sic consequenter necessitatur ad operandum potiùs secundùm illud, quàm secundùm alterum oppositum. Loquitur ergo de amore, qui est animi voluptas deliberata, & efficax, qua deliberatè delectatur ampliùs de bono aliquo, quàm de altero opposito, & qua proinde trahitur ad operandum potiùs secundùm illud, quàm secundùm alterum oppositum. Juxta S. Doctorem igitur, sicut corporis sensus habent suas voluptates, ita & animus habet suas, quibus deliberatè trahitur ad operandum potiùs secundùm unum objectum, quàm secundùm aliud oppositum, quia per illas deliberatè delectatur ampliùs uno objecto, quàm alio opposito.

Juxta S. Doctorem, sine antecedenti necessitate, tam voluntaria, quàm violenta, sine antecedenti ad unam contradictionis partem obligatione intrinseca, sine ullo libertatis indifferentiæ dispendio trahi potest animus, quia trahi potest amore deliberato, qui & liber, & voluptas est, quem voluntas ex propria determinatione producit, & quo, liberè producto, liberè delectatur de eo, quod amat. Voluntate credo, quia ex propria determinatione credo, & credo, quia volo credere. Ad credendum voluptate trahor, quia ad credendum trahor amore, & credo, quia plus credere amo, quàm non credere, sicque credo, quia plus credulitate delector deliberatè, quàm incredulitate. Est igitur quædam deliberata cordis voluptas, qua mihi panis ille cœlestis, nempe Christus, per fidem manducandus, dulcescit, & ita dulcescit, ut re ipsa illum, credendo, manducare velim. Hæc autem voluptas est amor, quo veritatem, credibiliter propositam, ampliùs amo, quàm falsitatem, etiam sub aliqua veri specie apparentem, & sic illa liberè delector ampliùs, quàm ista. Sicut in naturalibus unumquemque trahit sua voluptas, non necessitas, quia unusquisque operatur secundùm id, quod ampliùs amat deliberatè, adeòque secundùm id, quod eum deliberatè delectat ampliùs: ita & à fortiori in supernaturalibus qui veniunt ad Christum, quia trahuntur à Patre, trahuntur voluptate, non necessitate, quia trahuntur amore, quo deliberatè cœlestia terrenis anteponunt, adeòque cœlestibus ampliùs delectantur deliberatè, quàm terrenis. Hoc sentit amans, quia præfert terrenis cœlestia; frigidus non sentit, quia cœlestia terrenis non anteponit.

Affectiva delectatio deliberata inefficax dicitur inefficax, quia voluntas per illam non determinatur, nec determinari potest ad operandum potiùs secundùm objectum, quo sic delectatur, quàm secundùm alterum oppositum: tunc enim voluntas non plus delectatur illo, quàm opposito; & non plus delectatur illo, quia non illud anteponit; & non illud anteponit, quia non illud amat ampliùs. Non potest autem voluntas potiùs operari secundùm unum objectum, quàm secundùm aliud oppositum, quod non minùs diligit. Hoc dicit S. Augustinus in expositione sua in Epist. ad Galat. *Manifestum est*, inquit, *secundum id nos vivere*, seu mores instituere, *quod sectati fuerimus; sectabimur autem, quod dilexerimus*: nam sectari aliquid, est operari secundùm illud ex interno amoris erga illud affectu. *Itaque si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ, consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur*, hoc est, secundùm id operabimur ex interno erga illud affectu, *quod amplius dilexerimus. Si tantumdem utrumque diligitur*, adeòque unum non plus diligitur, quàm aliud, *nihil eorum sectabimur*, quia secundùm neutrum operabimur ex interno illius affectu, *sed aut timore inviti trahemur in alterutram partem: aut si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluxu dilectionis & timoris alternante quassati.*

His omnibus adde, juxta S. Doctorem, quando duæ delectationes non affectivæ oppositæ concurrunt, sive ambæ sensitivæ sint, sive ambæ sint intentionales, sive una sit sensitiva & altera intentionalis, neutram per se superare posse alteram, voluntatem scilicet ad sui prosecutionem determinando; sed eas inter se decretare, sollicitando voluntatem, donec voluntas deliberatè unam alteri anteponat, & anteponendo alterius victricem efficiat. Item, quando duæ affectivæ delectationes indeliberatæ oppositæ concurrunt, etiamsi una sit intensior altera, neutram, etiam eam, quæ intensior esse supponitur, esse delectationem illam, secundùm quam voluntas necessariò operatur, sed solùm ad illam inclinare & potentiùs inclinare. Ratio juxta S. Doctorem est, quia voluntas non operatur necessariò, nisi secundùm objectum illud, cujus delectationem sive sensitivam sive intentionalem anteponit alteri oppositæ, & anteponere unam delectationem sive sensitivam sive intentionalem alteri, pertinet ad actum, quo voluntas deliberatè unam præ altera eligit, seu, quod idem est, ad actum, quo voluntas unam deliberatè sic amat, & amplectitur affectivè, ut in ejus affectivo amplexu sistat & quiescat, altera contempta & rejecta.

Audiamus S. Doctorem: *Ecce*, inquit serm. 17. de verbis Apostoli, *delectet te aurum tuum, oculos tuos delectat, metallum est pulchrum, fulgentissimum, delectat... venit ergo tentator, & dicit tibi: Tollo tibi aurum, nisi dixeris pro me falsum testimonium: si autem dixeris, addo tibi. Decernat in te duæ delectationes. Modò interrogo te, quid præponas, quid te plus delectet, aurum an veritas, aurum an verum testimonium* (hæres?) *An hoc lucet, & illud non lucet? Fides quæritur in vero testimonio. Aurum lucet, fides non lucet? Erubesce, habeto oculos, quod amabas in servo tuo* (nempe fidem) *redde Domino tuo. Jam dudùm enim, cum interrogarem de duobus, servis tuis, uno deformi fideli, alio pulchro infideli, quem magis diligeres? respondebas mihi juste, & præponebas quod præponendum fuit. Redi in te, quia modò agitur de te ipso. Certè amasti servum fidelem. Dominus tuus indignus est, si te habeat servum fidelem?*

His verbis S. Doctor proponit speciem, in qua in homine, qui tentatur, duæ delectationes non affectivæ oppositæ, una sensitiva, nempe perceptio fulgoris auri, & altera intentionalis, nempe apprehensio pulchritudinis fidei Deo debitæ in reddendo vero testimonio, concurrunt, & decertant inter se, ad objecti sui amorem & prosecutionem sollicitando voluntem. Imò adsunt etiam aliæ duæ delectationes affectivæ indeliberatæ, quarum una, quæ est motus concupiscentiæ, pro sensitiva; & altera, quæ est motus gratiæ, pro intentionali delectatione pugnat. Neutra tamen pars vincit, aut vincitur, quandiu voluntas de una delectatione alteri anteponenda deliberat; sed victoria hæret, & manet anceps, quandiu hæsitat voluntas, à cujus proinde deliberato nutu dependet, ut delectatio sensitiva intentionali, aut intentionalis sensitivæ prævaleat; neque una alteri tandem prævalet, ita ut necesse sit hominem secundùm illam operari, nisi quia voluntas post deliberationem unam alteri anteponit, unam plus diligit, quàm alteram; atque ita homo deliberatè una delectatur ampliùs, quàm altera. Hinc hominem seriò interrogat S. Doctor, quam ex duabus delectationibus velit alteri anteponere, & vehementer adhortatur ad intentionalem sensitivæ anteponendam, quod simplicius est, hominem adhortari ad anteponendam auro fidem Deo debitam. Nam S. Doctori idem est, auro anteponere fidem Deo debitam, & delectationi sensitivæ, quam causat fulgor auri, anteponere intentionalem delectationem, quam causat pulchritudo fidei Deo debitæ. His præsuppositis,

Jam tandem venio ad verba S. Doctoris, quæ nobis objiciuntur, & dico S. Doctorem, cùm ait: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, loqui non de necessitate antecedente, seu de necessitate antecedente actum primum ad unam contradictionis partem obligante intrinsecè, quæ fidei repugnat, sed de necessitate consequente, quam voluntas ipsa sibi imponit per deliberatum actum, quo unum objectum alteri opposito anteponit, illudque diligit ampliùs; vel, si vis, quod idem est, quo delectationem sensitivam vel intentionalem, quam causat unum objectum, præfert delectationi sensitivæ vel intentionali, quam causat aliud objectum oppositum: adeòque S. Doctor loquitur non de delectatione indeliberata, sed de deliberata, nempe de deliberato amoris actu, quo plus amat unum objectum, quàm aliud oppositum; vel, si vis, quo plus amat delectationem sensitivam vel intentionalem, quam causat unum objectum, quàm amat delectationem sensitivam vel intentionalem, quam causat aliud objectum oppositum. Sed ex occasione data, & ad majorem responsionis nostræ declarationem, sit

ARTICULUS VI.

Utrùm systema duarum delectationum, terrenæ scilicet & cœlestis, quæ voluntatem, hæc ad bonum, illa ad malum alternatim determinat, prout alternatim prædominantur, fundetur in doctrina S. Augustini.

Nota. Hujus systematis defensores, 1. distinguunt duplicem delectationem indeliberatam, unam terrenam, & alteram cœlestem. Prima est indeliberatus amoris vel desiderii motus inordinatus, quo voluntas propendet ad terrena, & legi divinæ repugnantia; unde vocatur delectatio terrena. Secunda est indeliberatus amoris vel desiderii motus ordinatus, à Deo supra naturæ exigentiam operante impressus, quo voluntas inclinatur ad spiritualia & cœlestia; unde cœlestis delectatio dicitur.

2. Dicunt in hac mortali vita voluntatem nunquam esse sine terrena aliqua delectatione, & voluntatem sic terrena delectatione & irretitam & constrictam teneri, ut non possit nisi terrena ac legi divinæ repugnantia sapere & velle, nisi subveniat ei delectatio cœlestis, terrenam comprimens. Itaque secundùm illos, si voluntas solam habet terrenam delectationem, ab ea insuperabiliter determinatur ad malum; si verò voluntas cum terrena delectatione habet etiam cœlestem, vel terrena intensior est cœlesti, vel cœlestis intensior est terrena, vel denique neutra intensior est altera. Si primum, terrena delectatio prævalet, & adhuc voluntatem ad malum insuperabiliter determinat. Si secundum, prævalet delectatio cœlestis, adeòque voluntatem ineluctabiliter determinat ad bonum. Si tertium, neutra prævalet, sed se mutuò elidunt; unde tunc voluntas hæret in velleitatibus & inefficacibus desideriis, quia tunc neque bonum neque malum velle potest efficaciter; unde tunc neque bonum neque malum potest operari.

Secundùm illos igitur, duæ delectationes se habent instar duorum ponderum; voluntas verò se habet instar liberæ duas habentis lances, quarum uni semper inest pondus suum, nempe terrena delectatio, à qua proinde tandiu voluntas ad res terrenas depressa insuperabiliter tenetur, quandiu alteri lanci non advenit pondus alterum aut majus, aut saltem æquale. Si advenit æquale, libra seu voluntas reddit æquilibrium, & in æquilibrio insuperabiliter manet, quandiu lancibus incumbunt æqualia pondera. Si advenit majus, libra seu voluntas in aliam partem insuperabiliter inclinatur versus spiritualia & cœlestia. Quòd si advenit minus, insufficienti, adeòque irrito conatu tentat in suam partem inclinare libram seu voluntatem, quæ proinde in partem adversam inclinata manet insuperabiliter versùs terrena & turpia; donec minori ponderi addatur novum pondus, cujus additione potentius evadat adverso pondere.

Hanc mechanicam doctrinam fundant illius defensores in hoc principio, quòd ea sit indoles voluntatis nostræ, ut non possit non velle & operari id, quod illam indeliberatè delectat ampliùs. Quod principium eruunt potissimum ex his S. Augustini verbis: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Nam, inquiunt, quare necesse est, ut operemur secundùm id, quod ampliùs nos delectat? Certè quia indeliberata delectatio major voluntatem nostram insuperabiliter determinat ad volendum & operandum. Dixi, potissimùm: nullum enim aliud S. Doctoris testimonium pro eorum systemate proferri potest clarius & expressius; imò omnium, quæ proferri possunt, clarissimum & expressissimum est, ut fatetur Jansenius, qui de eo sic loquitur, lib. 4. de grat. Chr. cap. 6. *Sed unus est locus hac de re clarissimus, & præclarissimus, qui aureis meretur scribi characteribus, quo Augustini mentem plenissimè capiamus. Id quippe quod nos filo verborum ipsius perspicuorum ducti, tanquam ab eo existimatum & traditum, ratiocinando colligimus, manifestissima & resolutissima authoritate definit.* Itaque in hoc testimonio,

quod

quod juxta Janſenium, clariſſimum & præclariſſimum eſt, mereturque aureis ſcribi charateribus, velut in ſpeculo quodam limpidiſſimo, juxta eundem, ſeſe manifeſtè intuendam exhibet S. Auguſtini mens, quæ ex aliis ejus teſtimoniis, quamvis perſpicuis, non niſi ratiocinando colligi poteſt. Quare ſyſtema mechanicum nullum habet fundamentum in doctrina S. Auguſtini, ſi perperam fundatur in his S. Doctoris verbis: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Sit igitur

RESPONSIO.

Syſtema duarum delectationum, terrenæ & cœleſtis, voluntatem alternatim inſuperabiliter determinantium, nullum habet fundamentum in doctrina S. Auguſtini.

Prob. Si hoc ſyſtema fundatur in doctrina S. Auguſtini, certè & maximè propter hæc ejus verba: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemus neceſſe eſt.* Patet ex modò dictis. Atqui hoc nullatenùs dici poteſt. Ergo, &c. *Prob. min.* Defenſores hujus ſyſtematis illud nec fundant, nec fundare poſſunt in laudatis S. Auguſtini verbis, niſi ſupponendo illum loqui de delectatione indeliberata. Atqui hoc 1. gratis omninò ſupponunt. 2. Malè & falsò ſupponunt. Ergo, &c. Major patet.

Prob. 1. *pars min.* Neque quòd gratis omninò ſupponant S. Doctorem loqui de delectatione indeliberata. Nam ſi hoc non gratis omninò ſupponunt, vel quia præter delectationem indeliberatam non eſt alia deliberata. At hoc eſt evidenter falſum: nam ſi amor indeliberatus eſt affectiva delectatio, à fortiori deliberatus. Vel quia delectatio indeliberata magis propriè delectatio eſt, quàm indeliberata. At hoc etiam evidenter falſum eſt. Vel quia verbum *delectare* potiùs & frequentiùs in humano convictu uſurpatur ad ſignificandam delectationem indeliberatam. At contrarium planè indubitatum eſt apud eos omnes, qui linguam Latinam callent vel mediocriter. Et verò quis neſcit has voces, *Hoc me delectat*, ut alias æquipollentes, *Hoc mihi arridet, hoc mihi placet, hoc eſt meum beneplacitum*, à Latinis paſſim & communiter uſurpari ad ſignificandam delectationem deliberatam. Vel quia, ſi intelligatur S. Doctor de delectatione deliberata, propoſitio ejus erit falſa. Imò verò, ſi ſic intelligitur, propoſitio ejus veriſſima eſt, & ejus veritas ſic eſt obvia, ut ab homine ſanæ mentis, penetrante terminos, ferìò negari non poſſit; cùm è contra, ſi intelligitur de delectatione indeliberata, ejus propoſitio ſit falſa, aut ſaltem veritas ejus ſit valdè obſcura ac dubia, & à multis cordatis viris, terminos penetrantibus, ſerìò negetur. Vel quia ſi intelligatur S. Doctor de delectatione deliberata, propoſitio ejus erit nugatoria. Sed contra eſt, quia evidenter non magis erit nugatoria, quàm iſta ejuſdem S. Doctoris eodem loco, aliquantò inferiùs: *Itaque ſi ex adverſo exiſtant duo, præceptum juſtitiæ & conſuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id ſectabimur quod ampliùs dilexerimus.* Vel denique quia quod S. Doctor non de deliberata, ſed de indeliberata delectatione loquatur, colligunt ex aliis ejuſdem S. Doctoris textibus. At textum omnium clariſſimum & præclariſſimum ex aliis interpretari velle & inutile eſt & abſurdum: non enim clariora per minùs clara, ſed minùs clara per clariora explicantur.

Reſumo. 1. Præter affectivam delectationem indeliberatam eſt alia deliberata, quæ tam, imò magis propriè eſt delectatio, quàm indeliberata. 2. Verbum *delectare* vi inſtitutionis ſuæ non minus aptum eſt ad ſignificandam delectationem deliberatam, quàm ad ſignificandam indeliberatam: imò verò potiùs & frequentiùs à Latinis aſſumitur ad ſignificandam delectationem deliberatam, cùm dicunt, *Hoc me delectat, hoc me ampliùs delectat.* Addo mirum eſſe, ſi ad delectationem indeliberatam ſignificandam, has voces, *Hoc me delectat*, aut alias æquivalentes, *Hoc mihi placet, hoc eſt meum beneplacitum*, aliquando uſurpent. 3. Si propoſitio S. Doctoris de delectatione deliberata intelligatur, veriſſima eſt, & veritas ejus ita plana eſt & obvia omnibus, ut ab homine rationis compote negari non poſſit; cùm è contra ſi intelligatur de delectatione indeliberata, falſa ſit, aut ſaltem valdè dubia, ut unuſquiſque vel mediocriter ſapiens experitur: non enim magis clara eſt & certa, quàm iſta: *Indoles humanæ voluntatis eſt, ut neceſſariò velit & operetur ſecundùm majorem delectationem indeliberatam:* quis de veritate hujus propoſitionis convincitur ex ſola terminorum penetratione? quis circa hanc propoſitionem aliquem ſcrupulum, aliquam mentis anxietatem non patitur? quis à præjudiciis novitatis ſolutus, non potiùs eam ut falſam, & arbitrii libertatis everſivam repudiat? Denique ſyſtematis defenſores non habent alium textum clariorem, quo hunc textum de indeliberata potiùs delectatione interpretentur, quàm de deliberata; cùm hic textus ſit omnium clariſſimus. Quo igitur fundamento, qua fronte ſupponunt S. Doctorem loqui de indeliberata, non de deliberata delectatione; & ut tam clarum, certum, atque indubitatum ſupponunt, ut ſit illis inſtar primi principii? Quo carmine magico factum eſt, ut Janſenius tam facilè illuderet hominibus? Sed ad quid non cogit homines novitatis pruritus?

Prob. 2. *pars min.* Nempe quòd ſyſtematis defenſores malè & falsò contra mentem S. Doctoris ſupponant eum non indeliberatam, ſed indeliberatam intelligere delectationem. 1. S. Doctor loquitur de ea delectatione, quæ inſuperabiliter determinat voluntatem ad bene vel malè operandum, ad benè vel malè vivendum. Patet ex contextu. Atqui non indeliberata ſed deliberata delectatio major inſuperabiliter determinat voluntatem ad bene vel malè operandum, ad bene vel malè vivendum. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam indeliberata delectatio major non habet vim determinandi, ſed ſolùm magis inclinandi ad determinationem; nec eſt determinatio, ſed ſolùm major ad determinationem propenſio. Ratio à priori eſt, quia indeliberata delectatio, etiam major, non eſt actus prælativus ſeu electivus unius objecti præ alio: unde non poteſt efficaciter voluntatem applicare ad operandum potiùs ſecundùm unum objectum, quàm ſecundùm aliud. At deliberata delectatio major, in mente S. Auguſtini, hoc eſt, deliberata delectatio, vi cujus voluntas uno objecto plus delectatur, quàm alio, eſt actus quo voluntas deliberatè unum objectum alteri præfert, unum objectum præ alio eligit efficaciter, puta juſtitiam præ peccato. Unde hæc delectatio deliberata major vim habet voluntatem determinandi & inſuperabiliter determinandi ad operandum juſtè, in quantùm tam impoſſibile eſt, eam non operari juſtè in ſenſu compoſito hujus delectationis, quàm impoſſibile eſt eam idem ſimul velle & non velle efficaciter, idem ſimul velle & non velle. Unde nihil eſt, à quo voluntas ab operando juſtè deterreri poſſit in ſenſu compoſito hujus delectationis.

2. S. Doctor loquitur de delectatione, conjuncta cum neceſſitate operandi ſecundùm id quòd ampliùs delectat, quacum voluntas poteſt mereri benè operando, & demereri operando malè. Patet ex contextu. Ergo non loquitur de delectatione, quæ conjuncta eſſet cum neceſſitate antecedente bene vel malè operandi: voluntatem enim cum neceſſitate antecedente benè vel malè operandi poſſe nihilominùs mereri vel demereri, nunquam aſſeruit S. Auguſtinus, & aſſerere hæreticum eſt. Ergo loquitur de delectatione, quæ conjuncta eſt cum neceſſitate benè vel malè operandi conſequente tantùm liberum, ſcilicet activè indifferentiæ exercitium, quacum neceſſitate voluntas benè operando meretur, & malè operando demeretur. Atqui delectatio indeliberata major, ſi neceſſitatem imponeret, imponeret antecedentem: non enim imponeret conſequentem, quæ deliberationem ſupponit. Et delectatio deliberata major affert neceſſitatem conſequentem etiam phyſicam operandi ſecundùm id, quod ampliùs delectat: nam ex hypotheſi quòd voluntas deliberatè plus delectetur v. gr. cœleſtibus,

quàm terrenis, quia terrenis efficaciter anteponit cœlestia, non potest etiam physicè non operari secundùm cœlestia in sensu composito hujus suppositionis. Ergo manifestum est S. Doctorem loqui non de indeliberata, sed de deliberata delectatione majore.

3. S. Augustinus loquitur de delectatione, quam intelligit, cùm ait Exposit. in Evang. Joan. tract. 16, de c. 4. *Nec timere debemus ne ... dicatur nobis, quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico, Parum est voluntate ire, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Hìc enim manifestè intelligit voluptatem, qua delectamur ampliùs, & secundùm quam operamur. Atqui hæc voluptas non est indeliberata, sed deliberata delectatio, juxta S. Doctorem; est enim, juxta illum, delectatio, ad quam Scriptura nos adhortatur. Scriptura autem nec adhortatur, nec adhortari potest ad delectationem indeliberatam, sed solùm ad deliberatam: hæc enim, non illa, est in nostra potestate. Ergo, &c.

4. S. Augustinus loquitur de delectatione, quam censet esse in nostra potestate. Ergo loquitur de delectatione deliberata. Patet cons. *Prob. ant.* Loquitur de delectatione, ad quam nos adhortatur. Ergo loquitur de delectatione, quam censet esse in nostra potestate. Conseq. patet: nemo enim, nisi insana mente sit, seriò adhortari potest hominem ad aliquid, quod putat non esse in ejus potestate, puta ad volandum, ad apprehendendam dentibus Lunam. Ant. quoque constat ex serm. 17. de Verbis Apostoli, ubi S. Doctor adhortatur homines ad anteponendam delectationem justitiæ aliis omnibus tam licitis quàm illicitis delectationibus, ut hoc pacto plus delectari justitia, quàm cæteris rebus omnibus, secundum illam operentur & vivant.

Confirm. 1. Resp. Systema, quod è diametro pugnat cum S. Augustini doctrina, nullum in ea fundamentum habere potest. Atqui systema duarum delectationum è diametro pugnat cum doctrina S. Augustini. Ergo, &c. *Prob. min.* In hoc systemate, voluntas nec delectationem, qua determinatur ad operandum injustè, nec delectationem, qua determinatur ad operandum justè, habet in potestate sua; in hoc enim systemate utraque delectatio est actus voluntatis indeliberatus. Manifestum autem est voluntatem non habere in potestate sua actus indeliberatos. Atqui in doctrina S. Augustini, voluntas habet in potestate sua & delectationem, qua determinatur ad operandum injustè, & delectationem, qua determinatur ad operandum justè. Ergo, &c.

Prob. min. Ex sermone proximo citato, ubi in hæc verba Apostoli, *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem;* sic disserit: *Quando peccabatis, delectabamini in peccatis vestris: timor vos adducebat ad peccandum, an suavitas peccati? respondebitis, Suavitas. Ad peccatum suavitas adducit, & ad justitiam timor impingit? Probate vos, inspicite vos, tollat aurum qui minatur; suavior est justitia, lucidior est justitia, Nos det aurum qui promittit, præponenda auro justitia, delectando præponenda est, fulgentior est, lucidior est, suavior est, dulcior est. Jam ergo si quis se probat, & in hoc certamine superavit, audivit Apostolum dicentem: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ,* (hoc est, dicentem: Quòd humanum & facile est, vobis præscribo, cùm dico:) *Exhibuistis membra vestra deliciis illicitis, peccatorum suavitate ducti estis, ut illa faceretis: ducat vos ad recta facta suavitas, & dulcedo justitiæ, amate justitiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est justitia, quæ à vobis impetret, ut exhibeatis illi quod exhibuistis iniquitati. Hoc est, Humanum dico, hoc est, quod infirmitas vestra tolerare adhuc potest.* Sic Apostolum interpretatur S. Doctor.

Superiùs dixerat: *Præponite delectationi carnis delectationem mentis. Carnem quippe vestram delectant illicitæ voluptates, mentem vestram delectet ... justitia, ut non ad eam timore cogamini.* Quibus verbis adhortatur homines ut delectationibus sensuum anteponant spirituales delectationes, & sese oblectent ampliùs justitia, quàm cæteris bonis sensibilibus. Hoc autem esse in eorum potestate probat authoritate Apostoli.

Itaque sensus verborum ejus est: Sic delectemini justitia, ut operemini justa, non ex timore pœnæ, quod servorum est, sed ex delectatione justitiæ. In vestra autem potestate est, sic delectari justitia, adeòque ea plus delectari, quàm cæteris sensibilibus bonis. In potestate vestra fuit plus delectari injustitia, quàm justitia: unde ad peccandum vos non pœnæ timor, sed peccati suavitas induxit. Quidni etiam in potestate vestra esset, plus delectari justitia, quàm injustitia, adeòque ad operandum justè non pœnæ timore, sed justitiæ suavitate induci? Sicut enim carnalem seu sensitivam delectationem habet justitia, & hanc delectationem delectationi spirituali anteponere, & anteponendo, plus injustitia, quàm justitia delectari potuistis: ita spiritalem seu intentionalem delectationem habet justitia; & hanc delectationem delectationi carnali, seu sensitivæ anteponere, & anteponendo, plus justitia, quàm injustitia delectari potestis. Quod patet ex eo, quòd si carnalis seu sensitivæ delectationis potiundæ spes tollatur, statim intentionali justitiæ delectatione animus magis tangitur; statim apparet justitia lucidior, suavior, dulcior; statim judicatur justitia anteponenda; statim judicatur anteponenda spiritalis seu intentionalis justitiæ suavitas. Igitur sicut peccatorum suavitate ducti estis ut faceretis illicita & injusta, & ducti estis, quia carnalem delectationem spiritali antepoluistis: ita nunc ducat vos ad recta facta suavitas & dulcedo justitiæ: spiritalem delectationem carnali anteponite. Plus injustitiam amastis quàm justitiam, nunc plus justitiam quàm injustitiam amate. Justitia digna est, quæ à vobis impetret, ut illi, anteponendo spiritalem ejus suavitatem, exhibeatis quod iniquitati exhibuistis, anteponendo carnalem ejus delectationem.

Ex his luce meridiana clariùs apparet, in doctrina S. Augustini voluntatem nostram habere in potestate sua delectationes, quibus sive ad justè sive ad injustè operandum determinatur, seu, quod eodem redit, voluntatem nostram habere in potestate sua delectationes, quibuscum & secundùm quas sive justè sive injustè operatur; voluntas enim nostra ad operandum determinatur à delectationibus, quibuscum & secundùm quas operatur.

Sed adhuc pondera illa S. Doctoris verba, quibus manifestè jugulatur systema duplicis delectationis indeliberatæ, *Digna est justitia, quæ à vobis impetret, ut exhibeatis illi quod exhibuistis iniquitati.* Digna est justitia, juxta S. Doctorem, quæ à nobis impetret quod impetravit iniquitas, quando peccabamus. At quid à nobis impetravit, quando peccavimus? impetravit, juxta S. Doctorem, ut peccatorum suavitate duceremur ad facienda illicita & injusta; ut peccaremus, non ex timore pœnæ, sed ex delectatione peccati; ut ampliùs nos delectarent turpia, quàm honesta; ut delectationem carnis anteponeremus delectationi mentis. Unde juxta S. Doctorem, justitia digna est, quæ à nobis impetret, ut suavitate & dulcedine justitiæ ducamur ad recta facta; ut recta faciamus, non ex timore pœnæ, sed ex justitiæ delectatione; ut ampliùs delectemur honestis, quàm turpibus, ut delectationem mentis anteponamus delectationi carnis, injusta fecimus, non ex timore pœnæ, sed ex interno amoris affectu erga voluptatem illicitam; æquum est, ut justa faciamus, non ex timore pœnæ, sed ex interno amoris affectu erga voluptatem licitam & honestam. Servivimus injustitiæ, secundùm illam operando, quia plus illa delectari voluimus; æquum est, ut velimus plus delectari justitia, ut illi, secundùm illam operando, serviamus. Digna enim justitia est, quæ à nobis impetret, ut exhibeamus ei quod exhibuimus iniquitati.

Igitur in doctrina S. Augustini: penes voluntatis arbi-

arbitrium est, ut delectetur iniquitate vel justitia, ut ampliùs delectetur iniquitate, quàm justitia, aut ampliùs delectetur justitia, quàm iniquitate; adeòque penes voluntatis arbitrium est, qua delectatione determinetur ad operandum, qua delectatione determinetur ad injustè potiùs quàm justè, vel ad justè potiùs quàm injustè operandum. Igitur in doctrina S. Augustini, delectatio, qua determinamur ad operandum sive justè sive injustè, non est actus voluntatis indeliberatus, sed deliberatus. Quod

Declaratur adhuc. In doctrina S. Augustini, penes voluntatis arbitrium est, ut dulcedine peccatorum ducatur ad facienda illicita. Similiter penes voluntatis arbitrium est, ut dulcedine justitiæ ducatur ad facienda justa. Ergo, quod idem est, penes voluntatis arbitrium est & delectatio, qua ducitur ad facienda illicita, & delectatio, qua ducitur ad recta facta. Ergo, quod idem est, penes arbitrium voluntatis est & delectatio, qua determinatur ad facienda illicita, & delectatio qua determinatur ad recta facta. Atqui tunc voluntas determinatur ad facienda illicita, cum eam sic delectat iniquitas, ut necesse sit eam operari secundùm iniquitatem; & tunc determinatur ad recta facta, cùm eam sic delectet justitia, ut eam necesse sit operari secundùm justitiam. Ergo in doctrina S. Augustini, penes arbitrium voluntatis est delectatio illa major, secundùm quàm eam sive justè sive injustè operari necesse est, adeòque major illa delectatio, secundùm quam necesse est voluntatem operari sive justè, sive injustè, est actus voluntatis deliberatus, quo scilicet voluntas vel anteponit delectationem carnalem spirituli, & sic plus amat iniquitatem, quàm justitiam; vel anteponit delectationem spiritalem carnali, & sic plus amat justitiam, quàm iniquitatem. Mechanica igitur duplicis delectationis indeliberatæ doctrina toto cœlo distat à doctrina S. Augustini.

Confirm. 2. Illud systema non habet fundamentum in doctrina S. Augustini, in quo inutiles sunt & irrisoriæ exhortationes, quibus homines deterrentur à vitiis, & ad virtutes incitantur: nam S. Augustinus totus est in adhortandis hominibus ad bonum, & à malo deterrendis, ut patet ex citatis textibus. Atqui in systemate duplicis delectationis indeliberatæ inutiles sunt & irrisoriæ exhortationes, &c. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam in illo systemate frustra deterrentur à vitiis, & ad virtutes incitantur homines, in quo, sive bonum sive malum operentur, illud semper ex antecedenti & insuperabili determinatione operantur. Patet ex terminis. Atqui in systemate duplicis delectationis, homines, sive bonum sive malum operentur, illud semper operantur ex antecedenti & insuperabili determinatione: cùm enim operantur malum, ad illud operandum insuperabiliter determinantur à terrena delectatione prævalente independenter à voluntatis arbitrio. Item cùm operantur bonum, à delectatione cœlesti, independenter à voluntatis arbitrio prævalente, insuperabiliter determinantur ad illud operandum. Ergo, &c.

Amplius. Cùm ait S. Augustinus serm. 17. de verbis Apost. *Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi, qua licitè delectaris, præpone justitiam. Præ omnibus voluptatibus, hoc est, delectationibus etiam licitis, amanda est justitia. Præponite delectationi carnis delectationem mentis. Mentem vestram delectet justitia. Exhibuistis membra vestra deliciis illicitis, peccatorum suavitate ducti estis, ut illa faceretis; ducat vos ad recta facta suavitas & dulcedo justitiæ. Amate justitiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est justitia, quæ à vobis impetret, ut exhibeatis illi, quod exhibuistis iniquitati:* seriò loquitur, an non? Seriò. Jam itaque ad punctum temporis supponamus duplicis delectationis systema ut Augustinianum, adeòque S. Augustinum in ea fuisse sententia, in qua sunt systematis defensores, hominem scilicet in præsenti statu nihil planè sive boni sive mali velle & agere, nisi ex antecedenti & insuperabili determinatione, orta ex indeliberata aliqua delectatione prævalente.

Hac suppositione facta, sic dico. S. Augustinus nec loquitur, nec loqui potest seriò, cùm adhortatur hominem verbis modo relatis. Nam adhortatur vel pro eo casu, quo delectatio terrena prævalet; vel pro eo casu, quo prævalet cœlestis delectatio; vel pro eo casu, quo neutra delectatio prævalet, sed ambæ sese mutuò elidunt. Si primum: putat, tunc hominem antecedenter & ineluctabiliter determinatum esse ad malum: qui autem hoc putat, non potest seriò adhortari hominem ad amplectendum bonum. Si secundum: putat, tunc hominem esse antecedenter & ineluctabiliter determinatum ad bonum: qui autem hoc putat, non potest seriò adhortari hominem ad fugiendum malum. Si tertium: putat, tunc hominem ineluctabiliter hærere bonum inter & malum: qui autem hoc putat, non potest seriò adhortari hominem ad anteponendam delectationem mentis delectationi carnis, ad justitiam plus amandam, quàm iniquitatem, ad malum vitandum & bonum faciendum ex amore & delectatione justitiæ, ad justitiæ delectationem omnium aliarum delectationum victricem efficiendam. Patent hæc omnia ex terminis: nam per se manifestum est, neminem, qui sit mentis compos, posse alium seriò adhortari ad aliquid impossibile, aut seriò adhortari ab aliquo impossibili pro eo tempore, pro quo ipse scit, vel putat esse illi impossibile. Falsa igitur est suppositio facta, & S. Augustino injuriosa. Ergo à doctrina S. Augustini omninò aberat systema duplicis delectationis.

Confirm. denique 3. Systema duarum delectationum contradictoriè opponitur doctrinæ S. Augustini. Ergo nullum habet in ea fundamentum. *Prob. ant.* In systemate duarum delectationum, positis omnibus ad agendum prærequisitis ex parte actus primi voluntas est antecedenter & insuperabiliter determinata ad alteram contrarietatis partem, ad bonum scilicet, si prævalet delectatio cœlestis, ad malum verò, si prævalet delectatio terrena. At in doctrina S. Augustini, positis omnibus ad agendum prærequisitis ex parte actus primi, voluntas ad neutram contrarietatis partem est antecedenter determinata; sed potest pro arbitrio bene vel malè agere, sic delectari justitia, ut vincat alias delectationes tam licitas quàm illicitas; vel non sic delectari, amando scilicet justitiam præ omnibus aliis voluptatibus, vel non amando; delectationi carnis delectationem mentis anteponere, vel non anteponere; peccati dulcedine ad illud faciendum, vel suavitate justitiæ ad illam sectandam duci: hæc enim omnia aut expresè dicitur, aut manifestè supponit S. Doctor locis citatis. Ergo, &c. Sed ne quis superfit scrupulus, ex iis omnibus S. Doctoris textibus, qui perperam pro systemate duarum delectationum congeruntur, juvat unum aut alterum hìc afferre & exponere.

Obj. itaque 1. hæc S. Doctoris verba in hunc Psalmi 67. versic. Parasti in tua suavitate egenti Deus. *In tua suavitate, non in illius facultate... Hæc est illa suavitas, de qua alibi dicitur, Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Ut bonum opus fiat non timore, sed amore: non formidine pœnæ, sed delectatione justitiæ: ipsam enim est vera & sana libertas.* R. S. Doctor non aliud dicit, quam bonum opus fieri non posse ex amore deliberato potiùs quàm ex timore, ex deliberata delectatione justitiæ potiùs quàm ex formidine pœnæ, nisi Deus voluntatem præveniat, dando ei suavitatem quandam. Hanc autem suavitatem dat partim per actum intellectus, quo intentionaliter præsentem animæ sistit pulchritudinem justitiæ; partim per actum indeliberatum, quo voluntatem inclinat & afficit ad illam pulchritudinem. Unde suavitas, quam Deus infundit, consistit in duobus actibus, quibus pulchritudo justitiæ indeliberatè delectat animam, quatenùs per unum possidetur intentionaliter, & per alterum incipit affectivè possideri. Unde consequitur, ut voluntas deliberatè amet justitiam, eaque deliberatè delectetur, & sic delectetur per illum amoris actum, quo eam affectivè amplectitur, ut operetur secundùm illam, atque

ita opus bonum fiat ex affectu justitiæ, non ex formidine pœnæ: in quo bonum ex propria determinatione operandi modo consistit vera & sana voluntatis libertas.

Obj. 2. S. Augustinus sic loquitur lib. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 17. *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat: tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit novimus, eoque delectamur ardentiùs .... Ut innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates ..... Ideo quisque nostrum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse vel quòd scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quàm verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus summum, atque incommutabile bonum.*

R. S. Doctorem hìc loqui de delectatione deliberata, quæ consistit in amore deliberato, quo unum objectum alteri anteponimus, & anteponendo, illo delectamur ampliùs. Sine hac delectatione homines nolunt facere quod justum est, quia homines non volunt facere, nisi quod amant facere, & cum hac delectatione homines facere volunt quod justum est, quia facere volunt quod amant facere, & tantò ardentiùs volunt, quantò ardentiùs amant, & amando ardentiùs delectantur. Ut autem ament facere quod justum est, indigent adjutorio Dei dantis suavitatem, seu suavem voluntati justitiam efficientis, & quidem quomodo ei aptum est, ut velit justitiam amare, & amando illa delectari sic, ut illam sectetur, & secundùm illam operetur. Itaque ut suavis hominibus fiat justitia, quomodo eis aptum est, ut eam ament deliberatè, eaque deliberatè delectentur sic, ut ament facere quod justum est, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. Quæ gratia nunc datur, nunc non datur? unde bonum opus suscipere, agere, implere nunc amamus, nunc non amamus, & ita nunc delectamur, nunc non delectamur, ut noverimus divini muneris esse, non facultatis nostræ naturalis, quòd amemus deliberatè, & amando deliberatè delectemur, atque ita non in nobis gloriemur, sed in Domino, quo dante suavitatem, terra nostra dat fructum suum, quem non dat, Domino suavitatem non dante. Porro tantò magis deliberatè delectamur facere quod justum est, quantò magis diligimus Deum, quia quantò magis diligimus Deum, tantò magis amamus ei placere; & quantò magis amamus ei placere, tantò magis amamus facere quod justum est.

Obj. 3. Eod. lib. c. 19. sic ait S. Doctor: *Nos autem quantùm concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideò etiam sanctis suis ad alicujus operis justitiam aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum; & suavitatem quæ det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque, justitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, dum antea lateret: ejus gratia dileximus, cum antea non delectaret .... Idcircò etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minus, quàm implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cum latet, sive cum etiam manifestum est.*

R. 1. Hìc quoque S. Doctorem intelligi posse de delectatione deliberata, seu de actu amoris deliberato. Itaque dici potest, quòd juxta S. Doctorem, victrix illa delectatio, quam Deus non tribuit aliquando sanctis suis, est delectatio, non indeliberata; sed deliberata, quâ justitia nos delectat ampliùs, quàm bona sensibilia, quia illam ampliùs diligimus, illamque anteponimus. Victrix autem illa delectatio dicitur, quia vincit omnes alias delectationes carnales, quippe quibus in ejus sensu composito indulgere non possumus. Illam dat Deus, dando suavitatem congruam, hoc est, justitiam efficiendo nobis suavem & dulcem, quomodo nobis congruit, ut eam ampliùs amemus, & ampliùs amando, ampliùs ea delectemur. Unde quando ad faciendam perficiendamque justitiam, Dei adjutorium deprecamur, deprecamur ut justitiam nobis suavem efficiat; quia quandiu nobis insuavis est, ea non possumus indeliberatè delectari; & ea non possumus deliberatè delectari, quia, eam diligere non possumus. Nec modò deprecamur, ut justitiam nobis efficiat suavem, sed etiam suavem efficiat, quomodo nobis aptum est, ut eam tantùm amemus, adeòque ea tantùm delectemur deliberatè, quantùm ad illam ex omni parte implendam sufficit.

R. 2. S. Doctorem intellectum de delectatione indeliberata, ut alias intelleximus, per delectationem victricem significare non necessitatem, sed congruam delectationem cœlestem, sine qua non delectamur, & quacum delectamur deliberatè justitia, quantùm oportet, ut eam impleamus, & secundùm eam operemur: sive, quod idem est, sine qua non delectamur, & quacum delectamur deliberatè justitia plus quàm bonis sensibilibus, adeòque sine qua non anteponimus, & quacum anteponimus bonis sensibilibus justitiam, & sic eam necessariò necessitate consequenti & nobis voluntaria sectamur.

ARTICULUS VII.

Utrùm gratia efficax constitui possit in excitante gratia ex natura sua irrepudiabili.

Responsio.

Non potest.

Prob. 1. Nam gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, repugnat Concilio Senonensi. Ergo non est admittenda. *Prob. ant.* Gratia excitans est inspiratio divina. Atqui inspiratio ex natura sua irrepudiabilis reprobatur à Concilio Senonensi. Ergo, &c. *Prob. min.* Inspiratio ex natura sua irrepudiabilis, talis est natura sua, ut ei non possit resisti, sed ea voluntas inevitabiliter rapiatur: nam quid est inspiratio ex natura sua irrepudiabilis, nisi inspiratio ex natura sua irresistibilis? Cùm enim repudiare inspirationem, nihil aliud sit, quàm ei resistere; posse repudiare inspirationem, nihil aliud est, quàm posse ei resistere; adeòque non posse repudiare inspirationem, nihil aliud est, quàm non posse ei resistere. Atqui inspiratio, quæ talis est ex natura sua, ut ei resisti non possit, reprobatur à Concilio Senonensi: nam decreto 15. loquens de interiori & occulto secretioris inspirationis afflatu, quo voluntas contacta sese convertit in Deum, sic ait: *Nec enim tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum sanctum ne extinguerent, divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Ergo, &c.

Prob. 2. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis, damnatur à Synodo Tridentina. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam Synodus sess. 6. cap. 5. loquens de excitante gratia, cui homo liberè assentiendo & cooperando, sese disponit ad recipiendum justificationis beneficium, expresè docet, eam ab homine abjici posse. Atqui gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, non potest abjici: non enim potest repudiari. Non posse autem repudiari, & non posse abjici, sunt synonima. Ergo, &c.

Præterea, Synodus ead. sess. can. 5. definit voluntatem gratiæ excitanti, cui re ipsa consentit, posse, si velit, dissentire in sensu scilicet diviso consensus, hoc est, voluntatem gratiæ excitanti, cui consentit, ita consentire, ut non consentire, sed dissentire posset, si vellet. Atqui gratiæ excitanti, ex natura sua irrepudiabili, voluntas non potest non consentire: nam si posset

ei

ei non consentire, posset eam repudiare, ut patet ex terminis: non enim consentire, est repudiare, & vicissim; adeòque posse non consentire, est posse repudiare, & vicissim. Ergo gratiæ excitanti, ex natura sua irrepudiabili, voluntas non potest dissentire: qui enim dissentit, non consentit, adeòque qui potest dissentire, potest non consentire. Ergo gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, anathematizatur à Synodo Tridentina.

Prob. 3. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, repugnat doctrinæ S. Augustini. Nam sic loquitur S. Doctor lib. de Spir. & litt. c. 34. *Ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Atqui hìc S. Doctor nomine vocationis non solùm externam propositionem credendorum, sed etiam internam illustrationem & inspirationem intelligit: intelligit enim vocationem, qua Deus in nobis operatur velle credere, & qua misericordia ejus prævenit nos... Nos autem prævenit, non solùm res credendas exteriùs proponendo per homines, sed etiam & potissimùm interiùs illustrando & excitando. Ergo ex S. Doctore, possumus pro arbitrio consentire vel dissentire gratiæ excitanti, etiam illi, qua Deus operatur in nobis velle credere. Ergo ex S. Doctore gratia excitans non est ex natura sua irrepudiabilis: nam gratia illa non est ex natura sua irrepudiabilis, quam possumus pro arbitrio repudiare vel non repudiare, seu, quod idem est, cui possumus pro arbitrio consentire vel dissentire.

Prob. 4. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, destruit libertatem arbitrii. Ergo rejicienda est. *Prob. ant.* Auxilium se tenens ex parte actus primi, & voluntatem antecedenter atque superabiliter obligans ad alteram partem contradictionis, destruit libertatem arbitrii. Atqui gratia excitans se tenet ex parte actus primi, & antecedenter atque insuperabiliter voluntatem obligat ad alteram partem contradictionis. Ergo destruit libertatem arbitrii.

Prob. maj. Ad libertatem arbitrii requiritur saltem, ut spectatis præcisè iis, quæ pertinent ad actum primum, illum constituendo, vel complendo, voluntas expeditam habeat facultatem se ipsam ad alterutram, prout libuerit, contradictionis partem determinandi. In hoc nobis consentiunt Thomistæ. Et verò vel hoc saltem requiritur, vel ad libertatem arbitrii sufficit, ut spectatis iis, quæ ad actum primum pertinent, voluntas sit immunis à violenta ad unum determinatione, adeòque possit sponte velle & agere: quod Jansenianum & hæreticum est. Quòd si ad libertatem arbitrii non sufficit, ut spectatis iis, quæ ad actum primum pertinent, voluntas careat violenta ad unum determinatione, certè requiritur, ut ab omni etiam non violenta ad unum determinatione soluta sit, proindeque expeditam habeat se ipsam ad alterutram, prout libuerit, contradictionis partem determinandi facultatem.

Prob. min. 1. *pars.* Nam illud se tenet ex parte actus primi, quod complet actum primum. Atqui gratia excitans complet actum primum. Item illud se tenet ex parte actus primi, sine quo nec est, nec esse potest posse proximum & completum. Atqui sine gratia excitante nec est, nec esse potest posse proximum & completum. Cùm enim præter gratiam excitantem non sit aliud internum voluntatis adjutorium anterius, si absque gratia excitante posset esse posse proximum & completum ad actum salutarem, possibilitatem ad actum salutarem proximam & completam haberet homo absque interno voluntatis adjutorio: quod certè Pelagianum est. Ergo omnis gratia excitans se tenet ex parte actus primi.

Prob. 2. *pars min.* Auxilium, quod se tenet ex parte actus primi, & ex natura sua incompossibile est cum negatione consensus ad quem movet, antecedenter & insuperabiliter obligat ad alteram partem contradictionis. 1. Obligat ad alteram partem contradictionis: nam obligat ad consensum, ad quem movet ut per se patet. 2. Obligat antecedenter: nam obligat ante omnes libertatis exercitium: libertatis enim exercitium omne supponit ea omnia, quæ pertinent ad actum primum. 3. Obligat insuperabiliter: non enim magis componi potest cum dissensu, quàm potest simul esse & non esse tale ex natura sua, quod tamen implicat. Atqui gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, se tenet ex parte actus primi, ut probatum est, & ex natura sua incompossibilis est cum negatione consensus, ad quem excitat: nam si esset compossibilis, non esset ex natura sua irrepudiabilis. Ergo, &c.

Hoc argumentum sic contraho. Auxilium, quod dat posse insuperabiliter determinatum ad unum, tollit libertatem arbitrii; tollit enim activam indifferentiam, quæ est facultas volendi vel non volendi, agendi vel non agendi prout lubet: nam posse insuperabiliter determinatum ad unum, esse nihilominùs activè indifferens, evidenter repugnat. Atqui gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, dat posse insuperabiliter determinatum ad unum. 1. Dat posse: nam complet facultatem naturalem voluntatis, & ex ea & facultate naturali voluntatis resultat principium proximum & adæquatum actus salutaris. 2. Dat posse insuperabiliter determinatum ad unum, quia facultatem naturalem voluntatis, se sola ad bene operandum insufficientem, complet, eam insuperabiliter ad consensum salutarem determinando, hoc ipso quòd ex natura sua talis est, ut non possit repudiari. Ergo, &c.

Dices 1. Nos hoc argumentum mutuari à Pelagianis, qui ut liberum arbitrium defenderent, negabant gratiam voluntatis & actionis. *R.* 1. ad hanc evasionem alias confugisse Calvinum, & post eum confugere Jansenium, ad defendendam gratiam necessitantem, quam qui rejiciunt, ut defendant liberum arbitrium, à Calvino & Jansenio traducuntur ut Pelagiani. *R.* 2. Pelagianos erasse putando liberum arbitrium stare non posse cum necessitate interioris gratiæ, adjuvantis voluntatem & actionem, qualiscumque esset ista gratia, hoc est, sive irrepudiabilis, sive etiam repudiabilis esset ex natura sua. An idcircò erramus, & Pelagianos imitari dicendi sumus, cùm probamus & demonstramus liberum arbitrium stare non posse cum excitante gratia ex natura sua irrepudiabili? Ad populum phaleras.

Dices 2. Voluntas per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, sic determinatur ad operandum bonum, ut ipsa sit volens, ut ipsa velit facere bonum opus, ad quod determinatur à gratia; adeòque sic determinatur etiam insuperabiliter, ut adhuc sit libera libertate arbitrii. *R.* Dicere, quòd voluntas libera sit libertate arbitrii, hoc ipso præcisè, quòd ipsa volens est, quòd ipsa vult facere id ad quod insuperabiliter determinatur, Jansenium est. Qui hoc dicit, dicit ad veram arbitrii libertatem, & ita ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, sufficere immunitatem à coactione, quod hæreticum est. Itaque voluntas sub excitante gratia, ex natura sua irrepudiabili, volet quidem, sed volet ex antecedente & insuperabili ad volendum determinatione, se tenente ex parte actus primi, adeòque volet ex antecedente & insuperabili ad volendum necessitate, & ita non erit ad volendum libera libertate arbitrii: nisi velis libertatem arbitrii esse tantùm facultatem volendi, facultatem sponte agendi; quod falsum & hæreticum est.

Dices 3. S. Augustinus totam gratiæ efficacis cum arbitrii libertate conciliationem repetit ex eo, quòd per gratiam volumus; quòd gratia dat velle; quòd nemo agit nolens, quando bonum operatur; sed priùs quàm operetur, de nolente fit volens. *R.* S. Doctorem per to, velle, intelligere id, quod mortales omnes in usu communi intelligunt, nempe exercitium facultatis activè indifferentis ad volendum vel non volendum, ad volendum hoc vel illud, adeòque nihil habentis saltem ex parte actus primi, per quod ad unum sit determinata. Itaque juxta S. Doctorem, gratia

excitans non tollit libertatem arbitrii ; quia non impedit, ne velimus, sed è contra facit ut velimus, hoc est, quia non impedit ne exerceamus facultatem illam activè indifferentem, quam habemus volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud ; sed è contra facit, ut eam meritoriè exerceamus. Exercemus autem, ipsi gratiæ consentiendo potiùs, quàm non consentiendo, absque antecedenti determinatione ad consentiendum, volendo opus salutare potiùs, quàm non volendo, sine antecedenti determinatione ad volendum.

Dices 4. Deus per gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, non determinat voluntatem physicè, sed moraliter, eam scilicet alliciendo & delectando. Ergo per gratiam illam non officit libertati arbitrii. *R.* Quæruntur effugia. Itaque dico. 1. Si Deus supponatur voluntatem determinare per gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, hanc determinationem fore physicam, quia erit insuperabilis determinatio : per physicam enim determinationem intelligi debet maximè determinatio insuperabilis. Quid est physica determinatio, nisi vera & propriè dicta determinatio? Quid autem magis est vera & propriè dicta determinatio, quàm determinatio insuperabilis ? Imò verò determinatio (antecedens scilicet, de qua hic agitur,) non propriè, sed impropriè tantùm dicitur determinatio, quando à voluntate superari potest ; unde tunc non dicitur determinatio, nisi cum addito diminuente, vel etiam destruente, moralis. Igitur in suppositione excitantis gratiæ, ex natura sua irrepudiabilis, voluntatis determinatio antecedens, quam causat gratia, non nisi abusivè dicitur determinatio moralis, eò quòd fiat alliciendo & delectando.

Dico. 2. Sed esto quòd in suppositione facta, voluntatis determinatio dicenda sit moralis, non physica, nihilominùs erit insuperabilis, & erit aliquid ex parte actus primi, illum insuperabiliter ad unum determinans ; vel, quod idem est, ex gratia & facultate naturali voluntatis resultabit principium adæquatum consensus salutaris, insuperabiliter determinatum ad unum ; adeòque tolletur arbitrii libertas : nam principium insuperabiliter determinatum ad unum, & principium activè indifferens ad oppositа, contradictoriè opponuntur, ut patet ex terminis.

Dices 5. Deus movet causas secundas secundùm earum exigentiam, adeòque movet causas secundas liberas ad liberè agendum. Ergo per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, determinat voluntatem ad agendum modo libero, & ad exercendam libertatem arbitrii consentiendo, & actum salutarem producendo. *R.* neg. conseq. Imò verò Deus movet causas secundas secundùm earum exigentiam. Ergo non movet voluntatem ad actum salutarem per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem ; nam si movet eam ad actum salutarem per talem gratiam, moveret eam non secundùm, sed contra exigentiam ejus : sic enim eam movendo, eam & quidem ex parte actus primi insuperabiliter obligaret ad alteram contradictionis partem, dando ei posse insuperabiliter determinatum ad unum. Voluntatem autem sic ex parte actus primi ad alteram partem contradictionis obligatam, arbitrii libertatem nihilominus exercere evidenter repugnat, neque Deus, quamvis omnipotens, magis facere potest, ut voluntas, in hoc statu constituta, in agendo libera sit libertate arbitrii, quàm facere potest, ut idem simul sit, & non sit ; ut voluntas sit libera libertate arbitrii, & simul non sit ; ut existat baculus sine duobus extremis, mons sine valle, &c.

Dices 6. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, non tollit indifferentiam judicii. *R.* inde sequi tantùm, quòd sub illa gratia objectum partim ut bonum, partim ut malum, sub aliqua ratione repræsentaretur voluntati, quæ tamen nihilo plus libera esset libertate arbitrii, quia tunc adhuc haberet tantùm posse insuperabiliter determinatum ad unum.

At inquies. Tunc voluntas haberet diversa motiva, unum prosequendi, & alterum aversandi objectum. *R.* Haberet quidem, sed cum antecedenti & insuperabili obligatione, ex parte actus primi ad unam partem contrarietatis, quam obligationem compati non potest arbitrii libertas, quæ est facultas expedita utram libuerit contrarietatis partem eligendi, altera rejecta.

At inquies. Tandiu voluntas potest pro arbitrio prosequi, vel aversari objectum, quandiu habet motiva prosequendi vel aversandi. *R.* hoc esse falsum, si ponatur aliquid in voluntate actum primum complens, & complendo, illum ad unum determinans insuperabiliter.

At inquies. S. Thomas pluribus locis docet, cum indifferentia judicii semper manere libertatem arbitrii. *R.* hoc docere, quia supponit, Deum voluntatem semper ad agendum complere secundùm ejus exigentiam, adeòque nihil in ea ponere, quo actus primus ad unum antecedenter determinetur, quando objectum proponitur indifferenter. Quando enim sic proponitur objectum, voluntas exigit habere facultatem eligendi expeditam, ac proinde ab omni ad unum determinatione antecedenti solutam.

Dices 7. Cum excitante gratia, ex natura sua irrepudiabili, manet potentia non agendi, & non producendi actum salutarem, ad quem movet gratia. *R.* Ita est. At non manet potentia dissentiendi gratiæ, potentia repudiandi gratiam, potentia non agendi, & non producendi actum salutarem in sensu compositо gratiæ, quòd tamen requiritur ad libertatem arbitrii : ad hanc enim libertatem requiritur expedita facultas agendi vel non agendi prout lubet, adeòque facultas non agendi in sensu compositо eorum omnium, quæ se tenent ex parte actus primi. Ex his

Confirm. Resp. Excitans gratia, ex natura sua irrepudiabilis est, gratia necessitans. Ergo in ea constitui non potest gratia efficax. *Prob. ant.* Gratia, incompossibilis cum libertate arbitrii, est gratia necessitans. Atqui excitans gratia, ex natura sua irrepudiabilis, cum libertate arbitrii incompossibilis est. Vel sic. Gratia incompossibilis cum expedita facultate agendi vel non agendi prout lubet, est gratia necessitans. Atqui excitans gratia, ex natura sua irrepudiabilis, cum tali facultate incompossibilis est. Ergo, &c.

Confirm. iterum. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, est ipsissima illa gratia, quam defendit Calvinus. Ergo est ipsissima illa gratia, quam damnavit Synodus Tridentina. Ergo, &c. *Prob. ant.* ex verbis Calvini. Nam sic loquitur lib. 2. Instit. cap. 3. *Voluntatem movet* (Deus) *non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni, aut obtemperare, aut refragari*. Et inferiùs : *Habemus nunc Augustini ore testatum, quod imprimis abtinere volumus, non offerri tantum à Domino gratiam, quæ libera cujusque electione aut recipiatur, aut respuatur*. Et lib. 3. contra Pighium : *Nego gratiam sic nobis offerri, ut nostræ postea sit optionis vel obtemperare vel refragari*. Calvinum intelligere excitantem gratiam, extra omnem controversiam est, & dicit eam talem non esse, ut eam recipere aut respuere, ut ejus motioni obtemperare aut refragari possimus pro arbitrio. At quare talis non est, nisi quia ex natura sua irrepudiabilis est ? Ergo Calvinus excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, defendit, & in ea efficacem gratiam constituit.

Dices. Calvinus non erravit custodiendo efficacem gratiam in gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili, sed dicendo per gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, tolli libertatem arbitrii. *R.* hoc esse falsum, & absurdum. Calvinus itaque erravit, 1. negando liberum hominis arbitrium. 2. Asserendo gratiam excitantem, quacum ad Deum convertimur, non esse talem, ut ejus motioni obtemperare aut refragari, ut eam recipere, aut respuere possimus pro arbitrio, quod evidenter est, asserere gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem. Utrumque errorem damnat Synodus Tridentina sess. 6. primum quidem can. 5. secundum verò c. 5. & can. 4. quod agnoscit Calvinus ipse in Antiodoto Trid. ad sess. 6.

At

At Calvinus, dicendo per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem; tolli libertatem arbitrii, consequenter locutus est, nimisque absurdum est asserere, idcircò à Tridentina Synodo damnatum fuisse, quòd confessus fuerit, cum auxilio, quod dat posse insuperabiliter determinatum ad unum, conciliari non posse eligendi facultatem, in utramque partem liberam & solutam.

Confirm. 4. Quia gratis omninò recurritur ad gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, ut ostendo. Homo in statu innocentiæ ad operandum bonum non indigebat gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili. Ergo nec indiget nunc. *Prob. conseq.* Homo in statu innocentiæ ad operandum bonum non indigebat gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili, quia liber erat libertate arbitrii, adeòque sufficiebat illi gratia excitans, ex natura sua repudiabilis, quacum poterat se ipsum determinare, & se ipsum determinabat ad operandum bonum. Atqui homo etiam nunc liber est libertate arbitrii. Ergo etiam nunc ad operandum bonum non indiget gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili, sed sufficit ei gratia excitans, repudiabilis ex natura sua quacum potest se ipsum determinare, & se ipsum determinat ad bonum operandum; quamquam hæc gratia debeat esse potentior propter infirmitatem ex originali culpa contractam.

Corollarium I.

Gratia efficax constitui non potest in excitante gratia ex natura sua efficaci.

Prob. Quia gratia efficax constitui non potest in excitante gratia, ex natura sua irrepudiabili, ut accuratè probatum est. Atqui gratia excitans, ex natura sua efficax, est gratia irrepudiabilis ex natura sua. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam gratia excitans, ex natura sua efficax, sic dicitur, quia per se & intrinsecè incompossibilis est cum negatione consensus: unde per se & intrinsecè sic connexa est cum consensu, ut ex hypothesi illius non possit non esse consensus. Atqui gratia non est per se & intrinsecè incompossibilis cum negatione consensus, nisi quia ex natura sua irrepudiabilis est, ut patet ex terminis. Ergo, &c. Ex his

Apparet gratiam excitantem, ex natura sua efficacem, damnari à Concilio Senonensi & Tridentino; reprobari à S. Augustino; actum primum insuperabiliter obligare ad alteram partem contradictionis, seu, quod idem est, dare posse ad unum insuperabiliter determinatum, adeòque tollere libertatem arbitrii; denique diversam non esse à gratia, quam Calvinus, & post Calvinum Jansenius asseruit.

Corollarium II.

Gratia efficax constitui non potest in cæsesti delectatione, voluntatem ad consensum insuperabiliter determinante, sive dicatur voluntatem prædeterminare physicè, sive dicatur prædeterminare moraliter tantùm, eò quòd alliciendo & delectando prædeterminet.

Prob. Constituere gratiam efficacem in cæ'esti delectatione, voluntatem ad consensum insuperabiliter prædeterminante, est eam constituere in cælesti delectatione, per se & intrinsecè irrepudiabili; eatenùs enim vim habet insuperabiliter prædeterminandi, quatenùs per se & intrinsecè irrepudiabilis est, ut patet ex terminis. Atqui gratia efficax constitui non potest in cæsesti delectatione per se & intrinsecè irrepudiabili. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam cæsestis delectatio, per se & intrinsecè irrepudiabilis, est gratia excitans, per se & intrinsecè irrepudiabilis: omnis enim cæsestis delectatio est excitans gratia, & se tenet ex parte actus primi, cùm det posse. Atqui gratia efficax constitui non potest in excitante gratia, per se & intrinsecè irrepudiabili, ut probatum est. Ergo, &c. Ex his

Vides omnia quæ contra excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, dicta sunt, cadere in cæsestem delectationem, quæ voluntatem ad consensum insuperabiliter prædeterminat, sive dicatur prædeterminare physicè, sive dicatur prædeterminare moraliter tantùm. Vides hanc delectationem repugnare doctrinæ Conciliorum & S. Augustini; cum arbitrii libertate incompossibilem esse, & esse ipsissimam illam gratiam, quam defenderunt Calvinus & Jansenius.

Corollarium III.

Gratia efficax constitui non potest in delectatione cæsesti, quæ à voluntate repudiari nequidem potest potentia ad actum reducibili.

Prob. Quia cæsestis delectatio, quæ voluntate repudiari nequidem potest potentia ad actum reducibili, voluntatem insuperabiliter prædeterminat ad consensum, ut patet ex terminis. Atqui gratia efficax constitui non potest in cæsesti delectatione, voluntatem ad consensum insuperabiliter prædeterminante (ex Coroll. II.) Ergo, &c. Et verò cæsestis delectatio, quæ repudiari nequidem potest potentia ad actum reducibili, est per se & intrinsecè irrepudiabilis, ut patet ex terminis: Atqui gratia efficax constitui non potest in cæsesti delectatione, per se & intrinsecè irrepudiabili, (ex Coroll. II.) Ergo, &c.

Corollarium IV.

Gratia efficax constitui non potest in cæsesti delectatione, quæ à voluntate repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili.

Prob. Nam gratia efficax constitui non potest in cæsesti delectatione, quæ repudiari nequidem potest potentia ad actum verè reducibili (ex Coroll. III.) Atqui cæsestis delectatio, quæ repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, repudiari nequidem potest potentia ad actum verè reducibili. Ergo, &c. *Prom. min.* 1. Nam repugnat dari potentiam ad actum verè reducibilem, quæ pro nullo casu possibili sit ad actum reducenda; & omnis potentia, verè reducibili ad actum, non potest non esse ad actum reducenda pro aliquibus, imò pro multis casibus, si ponantur. Et verò si positis pluribus & pluribus in infinitum casibus, in nullo reduceretur ad actum, unde haberi posset quòd sit verè reducibilis? Imò ex eo quòd, positis pluribus & pluribus in infinitum casibus, in nullo tamen reduceretur ad actum, an non rectè concluderetur, quòd non sit verè reducibilis?

Amplius. Potentiam esse ad actum reducibilem, est, actum ejus esse possibilem: sicut potentiam reduci ad actum, est actum ejus produci. Atqui nullus est actus possibilis, qui in aliquibus, imò multis casibus non produceretur, si Deus vellet eum produci. Ergo nulla potentia est ad actum reducibilis, quæ non esset etiam reducenda, si Deus eam reduci vellet. Ergo nulla potentia est ad actum reducibilis, quæ non etiam reduceretur in aliquibus casibus, si ponerentur. Ergo potentia ad actum reducibilis, quæ tamen pro ullo casu possibili non sit reducenda, chymera est; adeòque è converso chymera est potentia pro nullo casu possibili ad actum reducenda, quamvis sit ad actum verè reducibilis. Ergo omnis potentia ad actum reducibilis, est etiam reducenda pro aliquo casu possibili; & potentia non reducenda ad actum pro ullo casu possibili, non est ad actum reducibilis.

Dicentne esse aliquos actus possibiles, quos tamen produci Deus velle efficaciter non potest? Sed contra est, quia actus possibilis, quem produci Deus velle efficaciter non potest, neque voluntate positiva, neque permissiva, simul est & non est possibilis: est possibilis, ut supponitur; non est possibilis, quia nulla alia excogitari & esse potest ratio, cur Deus nulla voluntate possit efficaciter velle ut producatur, quàm quia veram habet repugnantiam ad existendum, adeòque impossibilis est. Et verò evidenter repugnat aliquid esse verè possibile, & tamen Deum nulla voluntate posse velle efficaciter ut producatur; sicut etiam evidenter repugnat illud non produci, si illud produci Deus aliqua voluntate velit efficaciter.

Prob. min. 2. Cæsestis delectatio, quæ repudiari non potest

potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, est per se & intrinsecè irrepudiabilis. Atqui delectatio per se & intrinsecè irrepudiabilis repudiari nequidem potest potentia ad actum verè reducibili. Ergo nequidem potentia ad actum verè reducibili potest repudiari delectatio, quæ repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili. *Prob. maj.* Nam nulla alia ratio assignari potest, cur cœlestis aliqua delectatio repudiari non possit potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili. *Prob. min.* Nam cœlestis delectatio per se & intrinsecè irrepudiabilis, non magis dici potest repudiari posse potentia ad actum reducibili, quam rei natura, vel attributum rei necessariò & essentialiter conveniens dici potest mutari posse potentia ad actum reducibili. Hinc

Confirm. Coroll. Gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione per se & intrinsecè irrepudiabili; nam constitueretur in gratia excitante per se & intrinsecè irrepudiabili, si in tali delectatione constitueretur. Atqui cœlestis delectatio, quæ repudiari non potest pro ullo casu possibili, per se & intrinsecè irrepudiabilis est. Ergo, &c.

Dices. Assignari potest potentia ad actum verè reducibilis, nunquam tamen reducenda pro ullo casu possibili. Nego. *Probabis.* Homo sapiens potest, etiam in sensu composito sapientiæ, sibimet effodere oculos, putà ad exercendam libertatem, vel ad obsequendum amico id enixè postulanti; nullus tamen casus possibilis est, in quo homo in sensu composito sapientiæ, seu nisi priùs insaniret, ad exercendam libertatem, vel ad obsequendum amico id enixè postulanti, sibimet oculos effoderet. Ergo homo sapiens potest potentia ad actum reducibili, nunquam tamen reducenda pro ullo casu possibili, in sensu composito sapientiæ sibimet effodere oculos, &c. Ergo datur potentia ad actum verè reducibilis, quamvis nunquam re ipsa reducenda pro ullo casu possibili.

R. neg. ant. Itaque homo sapiens, nisi priùs insaniat, nulla potentia potest subimet effodere oculos ad exercendam libertatem, vel ad obsequendum amico id enixè postulanti, aut propter aliud simile motivum. Ratio est, quia nisi priùs insaniat, nulla potentia potest id velle: nihil enim omninò ulla potentia potest velle in sensu composito sapientiæ, nisi propter motivum sufficiens ad volendum, adeòque verè vel saltem apparenter rei volendæ proportionatum in sensu composito sapientiæ. At neque libertatis exercitium, neque obsequium, oculorum effossione amico præstandum, neque aliud quidlibet simile, est aut esse potest homini sapienti in sensu composito sapientiæ motivum etiam apparenter proportionatum oculorum effossioni volendæ, adeòque sufficiens ad illam volendam: imò hæc omnia homini sapienti in sensu composito sapientiæ sunt motiva oculorum effossioni volendæ evidenter improportionata, ac proinde omninò insufficientia ad illam volendam. Ergo homo sapiens nulla potentia potest velle in sensu composito sapientiæ; hoc est, nisi priùs insanierit, sibimet ad exercendam libertatem, vel ad obsequium amico id enixè postulanti præstandum, oculos effodere.

Quod confirmatur ex eo, quòd homini sapienti, quandiu sapiens est, propria oculorum effossio, ut procuranda ad exercendam libertatem, vel ad obsequium exhibendum amico id postulanti per jocum (neque enim tale obsequium ab amico exigere seriò potest amicus, nisi ipse priùs insaniat,) evidenter appareat mala simpliciter. Unde homo sapiens non magis ulla vera potentia potest velle, quandiu sapiens est, propter ejusmodi motivum sibimet oculos effodere; quàm potest aliqua vera potentia velle malum simpliciter, seu, quod idem est, velle malum præcisè quà malum, quòd tamen nulla vera potentia potest mortalium quisquam.

Corollarium V.

Gratia efficax constitui non potest in delectatione cœlesti, semper & infallibiliter cum consensu salutari connexa per excessum, quo superat terrenam delectationem.

Prob. Nam si delectatio cœlestis semper, & infallibiliter cum consensu salutari connexa est propter intensionis excessum, quo superat terrenam delectationem, certè quia propter excessum illum repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, pro quo scilicet illum excessum habere supponitur, alioquin non erit cum consensu salutari connexa pro omnibus casibus, pro quibus supponetur excessum illum habere: nec erit nisi contingenter cum consensu salutari connexa pro iis casibus, pro quibus re ipsa connexa erit propter excessum illum; adeòque non erit propter excessum illum semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari. Atqui cœlestis delectatio, quæ propter excessum, quo terrenam delectationem superat, repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, pro quo supponitur excessum illum habere, propter excessum illum nequidem potentia ad actum verè reducibili potest repudiari (ex Coroll. IV.) & delectatio cœlestis, quæ propter excessum, quo superat terrenam delectationem, nequidem potentia ad actum reducibili potest repudiari, propter excessum illum voluntatem insuperabiliter prædeterminat (ex Coroll. III.) & delectatio cœlestis, quæ propter excessum, quo superat delectationem terrenam, voluntatem prædeterminat insuperabiliter, propter excessum illum est per se & intrinsecè irrepudiabilis (ex Coroll. II.) Ergo delectatio cœlestis, semper & infallibiliter cum consensu salutari connexa propter excessum, quo terrena delectationem superat, propter excessum illum per se & intrinsecè irrepudiabilis est. Ex his

Sic adhuc argumentor. Gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione, per se & intrinsecè irrepudiabili, quia constitui non potest in excitante gratia, quæ sit per se & intrinsecè irrepudiabilis, ut probatum est. Atqui cœlestis delectatio, semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari propter intensionis excessum, quo superat terrenam delectationem, est propter excessum illum per se & intrinsecè irrepudiabilis. Ergo gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione, semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari propter intensionis excessum, quo superat delectationem terrenam.

Corollarium VI.

Omninò respuendum est systema recentiorum, constituentium gratiam efficacem in omni & sola delectatione cœlesti, terrenam delectationem uno vel pluribus intensionis gradibus superante.

Prob. Nam 1. si omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, est gratia efficax delectatio cœlestis est semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari per excessum, quo superat terrenam delectationem, ut patet ex terminis. Et verò nulla alia ratio excogitari potest, cur omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, sit gratia efficax. Atqui si delectatio cœlestis semper & infallibiliter cum consensu salutari connexa est propter excessum, qua superat terrenam delectationem, omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, est per se & intrinsecè irrepudiabilis (ex Coroll. V.) Ergo si omnis delectatio cœlestis, intensior delectatione terrena, est gratia efficax, omnis delectatio cœlestis, intensior delectatione terrena, per se & intrinsecè irrepudiabilis est, adeòque in hoc systemate gratia efficax constituitur in excitante gratia, per se & intrinsecè irrepudiabili. Quod est intolerabile.

2. Si omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, est gratia efficax; delectatio cœlestis, vel unico intensionis gradu terrenam delectationem superans, nulla potentia repudiari potest à voluntate; per se & intrinsecè irrepudiabilis est, per se & intrinsecè incompossibilis est cum negatione consensus, adeòque voluntatem insuperabiliter prædeterminat. Jam quæro à systematis defensoribus, quo experimento, qua ratione, qua authoritate probent voluntatem habentem

tem quinque gradus delectationis cœlestis cum quatuor gradibus terrenæ delectationis, à quinto gradu, quo cœlestis delectatio terrenam excedit (nam quatuor alii cœlestis delectationis gradus à quatuor gradibus delectationis terrenæ eliduntur) insuperabiliter prædeterminari?

Dices. Probant authoritate S. Augustini: pro illis enim pronuntiat, cum ait: *Quod amplius non delectat, secundum id operemur necesse est*: nam loquitur de delectatione indeliberata. *R.* 1. Saltem obscurum & dubium est, utrùm loquatur de delectatione indeliberata, an verò de deliberata. Ergo systema adversariorum ad summum non habet aliud fundamentum, quàm obscuram & dubiam authoritatem. Et verò vel est evidens ex terminis, S. Doctorem loqui de delectatione indeliberata, vel non est evidens. Primum quis sensit, quis dixit ante Jansenium? Primum sine falso præjudicio asseri non potest, & si asseritur, tanto jure negatur, quanto asseritur. Primum manifestè repugnat conscientiæ cujusque terminos sincere expendentis. Gratis igitur & falsò dicitur, evidens esse ex terminis, quòd S. Doctor loquatur de delectatione indeliberata. At si non est evidens ex terminis, probare debent ex alio textu clariori, qualem tamen non habent; cùm laudatus textus, omnium qui proferri possunt, teste Jansenio in librorum S. Augustini lectione versatissimo, clarissimus sit & præclarissimus. Ergo saltem obscurum & dubium est, utrùm S. Augustinus in laudato textu, de delectatione indeliberata loquatur, an non; adeòque systematis defensores ad summum habent pro se obscurum & dubium testimonium, quod de delectatione indeliberata intelligunt, quia intelligere volunt; aut si clarum habent pro se testimonium, certè aliud non habent, quam testimonium Jansenii, S. Augustinum de delectatione indeliberata arbitrariè interpretantis. 2. Falsum est, quòd S. Doctor loquatur de delectatione indeliberata, & è contra de deliberata loqui, accuratè demonstratum est. Malè igitur pro adversariorum systemate affertur S. Augustini authoritas.

3. Si delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior insuperabiliter prædeterminat voluntatem ad bonum, vicissim terrena delectatio, cœlesti delectatione intensior, insuperabiliter prædeterminat voluntatem ad malum; proindeque voluntas in moralibus nunquam sive bonum sive malum vult & operatur, nisi ex insuperabili prædeterminatione ad illud volendum & operandum, ex insuperabili, inquam, ad illud volendum & operandum prædeterminatione, se tenente ex parte actus primi, adeòque ex antecedenti & insuperabili ad illud volendum & operandum necessitate. At si ita se res habent, ubi libertas indifferentiæ circa bonum & malum in homine lapso? ubi exhortationum, consiliorum, & præceptorum utilitas? ubi æquitas in reprobis æterna damnatione plectendis, quia peccarunt ex insuperabili prædeterminatione & necessitate peccandi, & perseverarunt in peccatis ex insuperabili prædeterminatione & necessitate in illis perseverandi?

At inquies. Mali ita malum volunt & operantur, quia ad illud volendum & operandum insuperabiliter prædeterminantur à delectatione terrena prædominante, ut possint potentia ad actum reducibili, quamvis nunquam reducenda, resistere delectationi terrenæ prædominanti, adeòque malum nec velle nec operari. *R.* neg. *Probabis*. Nam possunt eadem saltem potentia, qua potest homo sapiens velle etiam in sensu composito sapientiæ sibimet eruere oculos ad exercendam libertatem, vel ad placendum amico, id enixè per jocum postulanti. *R.* Bone Deus! hæc seriò dici possunt? Justus v. g. qui è statu justitiæ decidit, mortaliter peccando, peccatum vitare, & præceptum quod transgreditur, observare non aliter potest, quàm potest homo sapiens sibimet oculos eruere in sensu composito sapientiæ ad exercendam libertatem, vel ad placendum amico id enixè per jocum roganti? Sic Deus neminem priùs deserit, quàm ab eo deseratur? sic Deus justos reprobos adjuvat ad perseverandum in statu justitiæ? sic Deus justis reprobis dat auxilium ad salutem sufficiens? Sed jam satis superque ostensum est, potentiam in homine sapiente volendi in sensu composito sapientiæ sibimet oculos eruere ad exercendam libertatem, vel aliud simile motivum, nullam & chymericam esse potentiam.

4. Gratis omninò dicitur, quod sola delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, sit gratia efficax. Nam quæro quare cœlestis delectatio, terrenæ delectationi æqualis in intentione, non possit esse, & non sit aliquando gratia efficax in hoc statu naturæ lapsæ? quæro quare voluntas, habens quatuor delectationis cœlestis gradus cum quatuor gradibus delectationis terrenæ, non aliquando velit & operetur bonum?

Dices. Voluntas in suppositione facta potest quidem potentia ad actum reducibili velle & operari bonum, qui non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili in præsenti statu, manente scilicet eadem suppositione. *R.* At hoc quæro, quare non possit? quæro unde habeant adversarii, quòd non possit? Nam voluntas, in suppositione facta, est in perfecto æquilibrio: neutra enim delectatio voluntatem magis inclinat in unam partem, quàm altera in adversam. Quare ergo voluntas, in suppositione facta, non potest potentia ad actum reducenda velle & operari bonum? In statu innocentiæ voluntas, in perfecto æquilibrio constituta, poterat potentia ad actum reducenda pro arbitrio modò velle & operari modum, modò velle & operari malum: quare in præsenti statu, recuperato illo æquilibrio per cœlestem delectationem, terrenæ delectationi in intensione æqualem, non similiter potest potentia ad actum reducenda pro arbitrio modò velle & operari bonum, modò velle & operari malum? Edisserant.

In statu innocentiæ voluntas habitibus supernaturalibus instructa cum supernaturali illustratione, in neutram partem indeliberatè propendens, poterat etiam potentia ad actum reducenda pro multis casibus bonum velle & operari: non enim dubium est, quin homo in statu innocentiæ multos virtutum actus exercuerit. Quidni ergo in præsenti statu voluntas instructa pariter habitibus infusis cum illustratione supernaturali, & parato supernaturali concursu ex parte actus secundi requisito, æquales habens delectationes indeliberatas, terrenam scilicet & cœlestem, adeòque non magis in alterutram partem indeliberatè propendens, quàm si neutram delectationem haberet, perinde enim se habet, cùm ambæ sese elidant, secundùm adversarios, ac si neutram haberet; quidni, inquam, posset, etiam potentiam ad actum reducenda pro multis casibus, bonum velle & operari? Quidni in hac suppositione multoties vellet & operaretur bonum? Quid intolerabilius dici potest, quàm voluntatem in hac suppositione non aliter posse bonum velle & operari, quàm potest homo sapiens in sensu composito sapientiæ sibimet oculos eruere ad exercendam libertatem; vel, si vis, quam homo mentis compos potest velle malum præcisè qua malum, quandiu mentis compos est?

Dices. Voluntas magnam ex originali culpa contraxit ægritudinem. *R.* Ita est. *Dices*. Ergo ut velit & operetur bonum, eget sanari. *R.* Ita est. At dico, voluntatem in suppositione facta ad hoc ut velit & operetur bonum, sufficienter sanari per cœlestem delectationem, terrenæ delectationi in intentione æqualem: per eam enim manifestè restituitur in æquilibrium, è quo excidit propter peccatum originale. Voluntas in statu innocentiæ erat sana & robusta, quia erat in perfecto æquilibrio. Ergo in sanitatem & vires pristinas restituitur, cùm restituitur in illud æquilibrium. Præterea, in præsenti statu voluntatis ægritudo consistit in indeliberatis terrenæ delectationi motibus. Ergo voluntatis ægritudo sanatur, cùm terrena delectatio reprimitur; reprimitur autem per cœlestem delectationem in intensione æqualem.

At inquies obiter. Si voluntas ad hoc ut velit & operetur bonum, sufficienter sanatur in facta suppositio-

sitione, quare in facta suppositione non semper vult & operatur bonum? *R.* Quasi verò voluntatem necesse sit velle & operari bonum, hoc ipso quòd sufficienter sanatur ad illud volendum & operandum! Certè voluntas in statu innocentiæ sana fuit & robusta, & tamen non semper bonum voluit & operata est; alioquin in illo felici statu perseverasset. Itaque voluntas in facta suppositione non semper vult & operatur bonum, quia pro innata sibi libertate indifferentiæ, modò ad bonum, modò ad malum se ipsa determinat: cùm autem sese determinat ad bonum, hoc facit non ex suis tantùm, sed suis simul & gratiæ, ipsam sanantis ac sanando adjuvantis, viribus indivisibiliter.

Dices. Ut sanetur voluntas sufficienter in ordine ad volendum & faciendum bonum, requiritur gratia prædeterminans, qualis esse non potest cœlestis delectatio, quæ terrenam delectationem in intentione non superat. *R.* 1. Ita sentit Jansenius, & quidem consequenter ad sua principia, principium enim Jansenii est, quòd voluntas per peccatum originale penitùs & irreparabiliter amiserit vim se ipsam determinandi, sitque per terrenam delectationem ad malum insuperabiliter prædeterminata, nisi per prævalentem delectationem cœlestem, adeòque in intentione majorem, ad bonum prædeterminetur. Unde consequitur, voluntatem in ordine ad bonum volendum & faciendum non sanari sufficienter, nisi per excitantem gratiam ad bonum insuperabiliter prædeterminantem. Unde appareret à Jansenio non nisi ex principio hæretico requiri excitantem gratiam ad bonum prædeterminantem ad hoc ut voluntas sufficienter sanetur in ordine ad volendum & faciendum bonum.

Quæro igitur ab adversariis, unde excitantis gratiæ insuperabiliter prædeterminantis necessitatem repetant? Si cùm Jansenio sentiunt voluntatem per peccatum originale penitùs & irreparabiliter amisisse vim se ipsam determinandi, consequenter loquuntur & sentiunt; sed excitantis gratiæ insuperabiliter prædeterminantis necessitatem repetunt ex principio hæretico; & sub nomine excitantis gratiæ prædeterminantis, gratiam necessitantem intelligere convincuntur. Si sentiunt cum reliquis Doctoribus Catholicis, voluntatem per peccatum originale non amisisse, aut saltem non penitùs & irreparabiliter amisisse vim se ipsam determinandi, quare ad excitantem gratiam prædeterminantem confugiunt? Etenim si voluntas per peccatum originale non amisit, aut saltem non irreparabiliter amisit vim se ipsam determinandi, quid opus est excitante gratia prædeterminante, ad hoc ut voluntas sufficienter sanetur, vel, quod idem est, sufficienter adjuvetur, ut re ipsa velit & operetur bonum?

R. Itaque 2. ad voluntatis sanitatem gratis saltem & perperam requiri excitantem gratiam prædeterminantem: nam ad hoc requiritur ad summum excitans gratia, quæ restituat æquilibrium; & æquilibrium restitui per cœlestem delectationem terrenæ delectationi viribus æqualem, ex terminis clarum est. Igitur in suppositione superiùs facta, voluntas sana & robusta est in ordine ad volendum & faciendum bonum. Igitur non nisi intolerabiliter negatur, quòd voluntas velle & operari bonum possit etiam potentia ad actum reducenda pro multis casibus ex innumeris, in quibus in præsenti statu constitui potest, & habere cœlestem delectationem terrenæ delectationi intensivè æqualem. Igitur intolerabiliter negatur; quòd voluntas in multis casibus, si in illis constituatur cum cœlesti delectatione terrenæ delectationi intensivè æquali, re ipsa volitura sit & operatura bonum. Igitur intolerabile est illud, quod dicunt adversari, omnem & solam delectationem cœlestem, delectatione terrena intensivè majorem, esse gratiam efficacem.

Dices adhuc, Voluntas vim se ipsam determinandi ad bonum, quam per peccatum originale amisit, recuperare non potest, nisi per excitantem gratiam prædeterminantem: tantam enim contraxit infirmitatem, ut se ipsam ad bonum determinare non possit, nisi ad id ab excitante gratia prædeterminetur. *R.* hæc omnia gratis & perperam dici. Dico itaque, ad hoc ut voluntas vim se ipsam determinandi integram & expeditam recuperet, ad summum requiri, ut restituatur per excitantem gratiam in æquilibrium, in quod restitui potest, & restituitur per cœlestem delectationem terrenæ delectationi intensivè æqualem, adeòque viribus parem: voluntas enim cum illo æquilibrio sana est & robusta. Voluntatem autem sanam & robustam vim se ad bonum determinandi integram & expeditam habere, quis ambigit?

Ad hoc igitur ut voluntas integram & expeditam vim habeat se ipsam determinandi ad bonum, perperam requiritur pro statu præsenti excitans gratia prædeterminans. Perperam dicitur voluntatem in præsenti statu, ad hoc ut se ipsam ad bonum determinet, egere excitante gratia prædeterminante. Voluntas in statu innocentiæ ad se ipsam determinandam ad bonum, non egebat tali gratia; & non egebat, quia sana & robusta erat, & sana ac robusta erat propter æquilibrium. Ergo si voluntas in præsenti statu restituatur in æquilibrium per excitantem gratiam terrenæ delectationi viribus non imparem, vel etiam superiorem, sed non propterea prædeterminantem, & ita sana fiat & robusta, vim se ipsam ad bonum determinandi integram & expeditam habebit, neque ut se ipsam ad bonum determinet, excitante gratia prædeterminante indigebit.

Præterea, cùm dicitur voluntatem in præsenti statu egere excitante gratia, ipsam prædeterminante ad volendum & agendum bonum, ut bonum velit, & agat, hoc intelligitur, & ita docent Calvinus & Jansenius: unde consequenter dicunt voluntatem in præsenti statu non ex propria determinatione, sed sponte tantùm bonum velle & agere. At cum dicitur voluntatem in præsenti statu egere excitante gratia, ipsam prædeterminante, ut se ipsa determinet, seu, quod idem est, prædeterminante ad volendum & agendum bonum ex propria determinatione, prorsus hoc intelligibile est, vel potiùs manifestam involvit contradictionem. Manifestè enim repugnat voluntatem velle & operari bonum ex propria determinatione sub gratia dante posse ad unum antecedenter & insuperabiliter determinatum, seu, quod idem est, sub gratia actum primum ad alteram contradictionis partem antecedenter & insuperabiliter obligante. Talem autem esse excitantem gratiam prædeterminantem, supra ostensum est.

Et verò voluntas non vult & operatur bonum ex propria determinatione, sine vi expedita se ipsam determinandi. Quid autem est vis expedita se ipsum determinandi, nisi saltem expedita facultas agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ se tenent ex parte actus primi? Ad quod sanè requiritur, ut nihil ex parte actus primi sit, quod sit per se & intrinsecè cum altera parte contradictionis incompossibile; qualis tamen est gratia excitans, ad volendum & operandum bonum insuperabiliter prædeterminans. Hic igitur modus loquendi. Excitans gratia voluntatem prædeterminat, ut se ipsam determinet, ad aliud valere non potest, quàm ad palliandam Calvini & Jansenii doctrinam circa libertatem hominis lapsi, & medicinalem gratiam.

5. In hoc systemate non datur gratia verè sufficiens præter gratiam efficacem. Nam si datur, vel est delectatio cœlestis intensivè minor, quàm delectatio terrena, vel est delectatio cœlestis delectationi terrenæ intensivè æqualis. Neutrum dici potest. Non primum, ut probatur. Ille non habet gratiam verè sufficientem ad observandum præceptum, qui est antecedenter & insuperabiliter prædeterminatus ad illud transgrediendum. Atqui in hoc systemate, qui v. g. urgente præcepto charitatis, habet tantum quatuor gradus delectationis cœlestis cum quinque gradibus delectationis terrenæ, est antecedenter & insuperabiliter à prædeterminante delectatione terrena ad transgrediendum illud præceptum prædeterminatus. Ergo, &c.

Non secundum, ut probatur. Ille non habet gratiam saltem in æstimatione morali, & in ordine ad imputa-

imputabilitate verè sufficientem ad observandum præceptum, qui non aliter potest velle observare præceptum, quam potest homo sapiens velle in sensu composito sapientiæ sibimet eruere oculos ad exercendam libertatem, aut aliud simile motivum. Atqui in hoc systemate, qui v. g. urgente charitatis præcepto, habet quatuor gradus delectationis cœlestis cum quatuor delectationis terrenæ gradibus, non aliter potest velle diligere Deum, quàm homo sapiens potest velle in sensu composito sapientiæ sibimet oculos eruere ad exercendam libertatem. Ergo, &c.

6. Denique, in hoc systemate, sub excitantis gratiæ ex natura sua efficacis nomine, defenditur gratia verè necessitans, ut satis intelligi potest ex dictis, & adhuc breviter ostenditur. Gratia excitans ex natura sua efficax, quæ defenditur in hoc systemate, è diametro opponitur excitanti gratiæ versatili. Atqui excitans gratia versatilis est ea, sub qua voluntas potest pro arbitrio in hanc vel illam contradictionis partem sese convertere. Patet ex statu innocentiæ, in quo ipsimet Adversarii propterea dicunt excitantem gratiam fuisse versatilem, quòd voluntas sub illa in quam vellet contradictionis partem, sese converteret. Ergo excitans gratia ex natura sua efficax est ea, sub qua voluntas non potest pro arbitrio in hanc vel illam contradictionis partem sese convertere. Atqui voluntatem non posse pro arbitrio se in hanc vel illam contradictionis partem convertere, & voluntatem non posse se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinare, synonima sunt. Ergo excitans gratia ex natura sua efficax est ea, sub qua voluntas non habet facultatem se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinandi. Atqui gratia excitans, sub qua voluntas non habet facultatem se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinandi, est proculdubio gratia necessitans, est certò certiùs gratia illa, quam defendit Calvinus, & post Calvinum Jansenius. Ergo, &c.

At dicent mihi. Ergo damnas gratiam ex natura sua efficacem. *R.* Aliud est damnare gratiam excitantem ex natura sua efficacem, & aliud damnare gratiam ex natura sua efficacem. Itaque non damno gratiam ex natura sua efficacem, quia non damno gratiam operantem, physicè prædeterminativam, adeòque ex natura sua efficacem; quam non sine aliqua probabilitate defendunt Thomistæ. At dico gratiam excitantem, efficacem ex natura sua, esse necessitantem gratiam, & eam, quam defenderunt Calvinus & Jansenius, proindeque ab omni homine Catholico rejiciendam.

Dicent iterùm. Eadem est causa gratiæ excitantis & gratiæ operantis. *R.* Minimè verò: nam gratia operans, ut observat Jansenius ipse, se habet instar concursus generalis, adeoque non pertinet ad actum primum, quem proinde ad alteram contradictionis partem antecedenter obligare non potest. Unde in systemate gratiæ operantis, efficacis ex natura sua, actus primus immunis est ab omni necessitate, & voluntas expeditam habet facultatem agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ se tenent ex parte actus primi. At gratia excitans se habet ad modum potentiæ, adeòque pertinet ad actum primum, quem proinde non potest non antecedenter obligare ad alteram contradictionis partem, si ex natura sua efficax est. Pro quo sic adhuc

Argumentor. 1. Gratia excitans dat posse, & gratia ex natura sua efficax, utpotè ex natura sua incompossibilis cum negatione consensus salutaris, ad consensum salutarem insuperabiliter prædeterminat. Ergo gratia excitans, efficax ex natura sua, dat posse insuperabiliter prædeterminatum ad consensum salutarem. Atqui cum hoc posse manere non potest eligendi facultas in utramque partem libera & soluta, in qua facultate consistit libertas arbitrii. Ergo in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua efficacis, nec manet, nec manere potest libertas arbitrii. 2. Gratia excitans se tenet ex parte actus primi, & gratia ex natura sua efficax, est per se & intrinsecè irrepudiabilis, adeòque per se & intrinsecè ad alteram contradictionis partem obligativam. Ergo in systemate excitantis gratiæ, ex natura sua efficacis, actus primus est antecedenter & insuperabiliter ad alteram contradictionis partem obligatus, proindeque voluntas expeditam non habet facultatem agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ requiruntur ex parte actus primi, in qua saltem facultate libertas arbitri consistit.

ARTICULUS VIII.

Utrùm gratia efficax constituenda sit in operante gratia, voluntatem ad salutarem consensum physicè prædeterminante.

Responsio.

Constituenda non est.

Prob. 1. ex Scriptura: cùm enim loquitur de gratia efficaci, non operantis, sed excitantis gratiæ meminit, ut patet ex Apostolo Rom. c. 8. *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: quos autem præscivit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hic manifestè loquitur Apostolus de prima gratia efficaci, electis ad credendum data, quæ est effectus prædestinationis, & quam infallibiliter consequitur justificatio cum glorificatione. Atqui vocat illam vocationem secundùm propositum. Vocatio autem est excitans, non operans gratia. Igitur, secundùm Apostolum, prima gratia efficax, seu gratia efficax, quæ electis ad credendum datur, est gratia, non operans, sed excitans, quam eis Deus dat ex proposito, hoc est, ex absoluta & efficaci voluntate eos perducendi ad gloriam, & quam proinde eis dat quomodo scit eis congruere, ut velint credere, & credant. Atqui quod dicitur de prima gratia, dici debet de secunda, tertia, quarta, &c. Ergo, secundùm Apostolum, omnis efficax gratia in excitante, non in operante gratia consistit.

Prob. 2. ex S. Augustino, qui loquens de gratia efficaci, ponit eam, non in operante, sed in excitante gratia: nam cum Apostolo ponit eam in vocatione; ut epist. 107. ubi sic ait: *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libera ejus adhiberet arbitria, nec vocatione illa alta atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum, proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversis proficientem perseverantiam ejusdem gratiæ suæ largitate donaret.* Hìc manifestè loquitur S. Doctor de gratia efficaci, qua nimirùm Deus præparat & operatur hominis voluntatem, hoc est, boni operis volitionem. Itaque juxta S. Doctorem, gratia efficax est vocatio; est vocatio illa alta & secreta, qua Deus sic agit & movet hominem, ut legi atque doctrinæ Christianæ assentiatur & obsequatur; est vocatio, qua Deus ad fidem suam infidelium corda convertit, & conversis proficientem perseverantiam donat. Itaque, juxta S. Doctorem, gratia efficax est excitans gratia, qua Deus modo quodam alto & secreto movet hominem, & sic movet, ut bonum velit & operetur; non verò gratia operans, qua Deus voluntatem hominis physicè & insuperabiliter prædeterminet: neque cum oramus, ut Deus ad fidem suam infidelium corda convertat gratia sua efficaci, & conversis ejusdem gratiæ largitate donet proficientem perseverantiam; gratiam operantem physicè & insuperabiliter prædeterminantem, juxta S. Doctorem petimus, sed excitantem illam gratiam, qua sic congruè tangitur cor hominis, ut ad veram fidem convertatur, & conversus, continuata eadem gratia,

in

in vera fide perseveret, & bonorum operum exercitio proficiat usque in finem.

Similiter loquitur de gratia efficaci, lib. de prædest. Sanct. c. 16. cùm ait: *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias .... sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus .... sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt.* Cùm autem gratiam efficacem nominat certam quandam vocationem, sicut & vocationem altam & secretam evidenter intelligit modum aliquem intrinsecum excitanti gratiæ, vi cujus excitans gratia sic congruit hominis in talibus circumstantiis existenti, eumque ita vocat quomodo illis aptum est, ut vocantem sequatur, volendo & operando bonum, ad quod volendum & operandum vocatur; non enim nisi manifestè violenta interpretatione dici posset intelligere aliquid extrinsecum, excitanti gratiæ superadditum, operantem scilicet gratiam, physicè prædeterminativam: nam sic loquendo, & vocationem electorum propriam appellando certam quandam, altam & secretam vocationem, manifestè intendit eam commendare, exprimendo internam aptitudinem & attemperationem, quam habet, & qua præstat vocationi eorum, qui vocantur, & tamen nolunt venire. Juxta S. Doctorem igitur, gratia efficax est gratia excitans, homini congrua & attemperata, atque ita congrua & attemperata, ut homo velit & operetur bonum.

De hac S. Doctoris mente dubitare non sinunt ea quæ habet lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. *At forte*, inquit, *qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum sit. Multi vocati, pauci electi: ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei: & illud non minus verum sit: Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem? ....: Si vellet etiam ipsorum misereri* (eorum scilicet qui vocati non veniunt) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati... Etiamsi multos vocet, eorum tamen misereatur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur ..... Cujus misereatur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Juxta S. Doctorem, qui hoc modo vocati non veniunt, alio modo vocati venirent. Unde hoc modo vocati non veniunt, non quia ad veniendum non prædeterminantur per operantem gratiam, sed quia non vocantur alio modo, cui congruerent & contemperarentur. Multi uno modo vocantur, & tamen non omnes sequuntur vocationem, non quia non omnes ad sequendam vocationem per operantem gratiam prædeterminantur, sed quia non omnes congruunt ac contemperantur vocationi; & non omnes congruunt ac contemperantur vocationi, quia non omnes uno modo affecti sunt. Ex multis uno modo vocati pauci sequuntur vocationem, quia illi tantùm vocationem sequuntur, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; & ei capiendæ idonei reperiuntur pauci, qui tali modo affecti sunt. Verum igitur est illud Christi, *Multi vocati, pauci verò electi.* Illi enim tantùm electi, qui sequuntur. Pauci autem sequuntur, non quia pauci ad sequendum per operantem gratiam prædeterminantur, sed quia pauci congruenter vocantur; & pauci congruenter vocantur, quia pauci contemperantur vocationi; & pauci contemperantur vocationi, quia pauci tali modo sunt affecti. Illi ergo non electi, qui non contemperantur vocationi, quia non congruenter, vocantur, & incongruenter vocati non sequuntur.

Item verum est illud Apostoli, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* Illi enim tantùm sunt electi, qui sequuntur vocationem; & illi tantùm sequuntur vocationem, qui hoc modo vocantur, quomodo eis aptum est, ut vocationem sequantur; & illi tantùm hoc modo vocantur, quorum miseretur Deus: nam Deus eorum tantùm miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Aliorum autem, quos etiam vocat, sed vocati non sequuntur, non miseretur, ea scilicet commiseratione, quæ electorum propria est, non quia illos ad sequendum non prædeterminat per gratiam operantem, sed quia per excitantem gratiam non sic eos vocat, quomodo scit eis congruere ut vocantem non respuant. Quòd si vellet etiam eorum misereri, vocati sequerentur, non quia eos ad sequendum per gratiam operantem prædeterminare posset, sed quia per excitantem gratiam posset eos ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.

Ex his clarè vides à S. Doctore efficacem gratiam, non in operante gratia, physicè prædeterminante, sed in excitante gratia, qua Deus sic vocat hominem, quomodo scit ei congruere, ut non respuat vocantem, sed & moveatur, & intelligat, & sequatur. Itaque, juxta S. Doctorem, gratia efficax est excitans gratia, homini quid ad opus salutare excitatur, congruam, non quidem congruitate absoluta, sed relativa ad præsentem mentis & cordis habitudinem, qua fit ut homo ipse congruat & contemperetur gratiæ, atque ita congruat & contemperetur, ut, quantumvis in ejus potestate sit vocantem respuere, non tamen respuat, sed sequatur. De gratia autem operante, voluntatem physicè prædeterminante, S. Doctorem vel somniando cogitasse probabis nunquam ex ejus scriptis vel principiis. Imò verò doctrinæ ejus è diametro opponi operantis gratiæ physicè prædeterminantis systema, haud operosum est ostendere.

S. Doctor lib. de corr. & gr. c. 11. sic loquitur: *Ille* (Adamus) *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia per Jesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt.* Auxilium autem illud, quod in præsenti statu implorant Sancti, est proculdubio gratia efficax: nemo enim implorat gratiam purè sufficientem. Præterea S. Doctorem intelligere illud auxilium, quocum Sancti non solùm pugnare possunt contra rebellantem concupiscentiam sed etiam illam vincere possunt, & re ipsa vincunt, extra omnem controversiam est.

Itaque juxta S. Doctorem, in hoc statu naturæ lapsæ sancti ad bonum volendum & faciendum indigent gratia efficaci, qua non indiguit primus homo in statu innocentiæ: secundùm Thomistas, primus homo in statu innocentiæ ad bonum volendum & operandum indiguit eadem gratia efficaci, qua indigent Sancti in hoc statu naturæ lapsæ. Juxta S. Doctorem, gratia efficax præsentis status non est necessaria, nisi propter intestinam carnis & spiritus luctam, qua sublata, non esset necessaria: secundùm Thomistas gratia efficax est necessaria propter supremum Dei dominium in creaturam, essentialem causæ secundæ subordinationem ad causam primam, & naturalem voluntatis indifferentiam: unde gratia efficax eadem, secundùm Thomistas, est omnium statuum, in quibus natura humana constitui potest; cùm tamen gratia efficax præsentis status ei propria sit, juxta S. Doctorem. Juxta S. Doctorem, gratia efficax præsentis status se habet ad modum virtutis, adeòque pertinet ad actum primum, & dat posse: secundùm Thomistas, gratia efficax se habet instar

con-

concursus, adeòque pertinet ad actum secundum, & dat tantùm operari.

Juxta S. Doctorem, gratia efficax præsentis status est gratia liberationis: unde ea non indiguit primus homo in statu innocentiæ, quia quandiu mansit in statu innocentiæ, liberatione non indiguit: cùm ea è contra indigeant Sancti in hoc statu naturæ lapsæ, quia liberatione indigent propter concupiscentiam captivantem eos in lege peccati. Gratia efficax, quam defendunt Thomistæ, non est liberationis gratia: fuit enim, secundùm Thomistas, necessaria homini innocenti, quamvis liberatione non egeret; & tamen gratia liberationis non nisi liberandis necessaria esse potest'. Præterea, gratia liberationis, juxta S. Doctorem, eatenùs liberat, quatenùs sufficienter restituit æquilibrium, quod per originale peccatum amissum est, proindeque gratia liberationis pertinet ad actum primum: cùm enim æquilibrium sit actus primi, non nisi per aliquid ad actum primum pertinens restitui potest. Efficax autem gratia, quam Thomistæ defendunt, non se tenet ex parte actus primi; unde non potest esse liberationis gratia, saltem secundùm mentem S. Doctoris.

Quid plura? Gratia efficax præsentis status, juxta S. Doctorem, est auxilium quo Deus certo modo aperit quod antea latebat, & certo modo suave facit quod antea non delectabat. Patet ex his S. Doctoris verbis: *Cùm ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat & suave faciat quod non delectabat*? At nihil horum præstare potest gratia efficax, quam defendunt Thomistæ. Juxta S. Doctorem, gratia efficax præsentis status, ut apparet ex ejus verbis modò laudatis, consistit in illustratione mentis, & in deliberata motione voluntatis, quibus suaviter placet bonum salutare. Operans verò gratia, physicè prædeterminans, est ens quoddam diminutum, transeunter existens in voluntate ad modum speciei intentionalis, quæ juxta obsoletam Physicam ab objecto emissa, jugi illius influxu ad existendum indiget, & per aerem veluti quoddam vehiculum transmissa defertur in oculum cum lumine, eumque ad objecti visionem determinat.

Prob. 3. Quia non satis apparet, quomodo voluntas expeditum habeat libertatis arbitrii exercitium in systemate operantis gratiæ, physicè prædeterminantis. Nam sic argumentor. Illud agens non agit ex propria determinatione, quod non agit, nisi dependenter ab actione prævia alterius agentis, in ipsum agentis natura priùs, quàm agat, ipsumque insuperabiliter prædeterminantis ad hoc agendum. Atqui in systemate Thomistico, voluntas non vult & operatur hoc bonum, nisi dependenter ab actione prævia Dei, in ipsam agentis natura priùs, quàm velit & operetur hoc bonum, ipsamque insuperabiliter prædeterminantis ad hoc bonum volendum & operandum. Ergo voluntas, in systemate Thomistico, non vult & operatur bonum ex propria determinatione, adeòque in bono volendo & operando non habet expeditum libertatis arbitrii exercitium. Libertas autem arbitrii, quæ nec exercetur, nec exerceri potest unquam, ad quid prodesse potest?

Minor patet. Major sic videtur posse demonstrari. Illud agens non agit ex propria determinatione, quod agit cum antecedenti & insuperabili obligatione ad alteram partem contradictionis: antecedens enim & insuperabilis ad alteram partem contradictionis obligatio manifestè videtur excludere propriam agentis determinationem ad agendum. Atqui agens quod non agit, nisi dependenter ab actione prævia alterius argentis, &c. agit cum antecedenti & insuperabili obligatione ad alteram partem contradictionis, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Nec dic, 1. in systemate Thomistico antecedentem & insuperabilem obligationem ad alteram partem contradictionis se tenere ex parte actus secundi tantùm. Inde enim tantùm sequi potest, quòd in systemate Thomistico remanet libertas arbitrii. Sed ad quid prodesse potest hæc libertas, si expeditum illius exercitium nullum est? At sicut antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictionis, se tenens ex parte actus primi, tollit libertatem arbitrii; ita antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictioois, se tenens ex parte actus secundi, manifestè videtur tollere expeditum libertatis arbitrii usum. Unde sicut in systemate excitantis gratiæ, insuperabiliter prædeterminantis, nulla est arbittii libertas, quia in illo systemate antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictionis se tenet ex parte actus primi; ita in systemate operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, nullus videtur esse posse expeditus arbitrii libertatis usus, quia in hoc systemate reperitur antecedens & insuperabilis obligatio ad alteram partem contradictionis, se tenens saltem ex parte actus secundi.

Nec dic 2. Deum per operantem gratiam, physicè prædeterminantem, movere voluntatem secundùm exigentiam ejus eamque proinde prædeterminare ad volendum & agendum hoc ex propria determinatione. Nam Deum movere voluntatem secundùm exigentiam ejus, illam antecedenter & insuperabiliter obligando ad alteram partem contradictionis, manifestam videtur in terminis implicare contradictionem. Nec Deus, eò quòd sit omnipotens, magis potest movere voluntatem secundùm ejus exigentiam, illam antecedenter & insuperabiliter ad alteram contradictionis partem obligando, quàm potest facere montem sine valle, vel baculum sine duobus extremis. At Deus per gratiam operantem voluntatem physicè prædeterminando, illam antecedenter & insuperabiliter ad alteram contradictionis partem obligaret saltem ex parte actus secundi.

Prob. 4. Quia non satis apparet, quomodo systema Thomisticum conciliari possit cum Concilio Senonensi, docente hominem efficaci gratiæ resistere posse. Nam resistere est vincere, vel saltem elidere, adeòque posse resistere, est posse vincere, vel saltem posse elidere vim agentis ex adverso congredientis. At voluntatem posse vincere, aut etiam elidere vim gratiæ, ipsam insuperabiliter prædeterminantis, manifestè repugnat in terminis. Et verò voluntatem posse vincere vim gratiæ', ipsam insuperabiliter prædeterminantis, idem est, ac voluntatem posse vincere vim gratiæ, quam superare non potest; quod apertè nugatorium est, & evidentem involvit contradictionem.

Nec dic voluntatem posse resistere huic gratiæ, consideratæ secundùm entitatem; quamvis non possit ei resistere, si consideretur, ut est instrumentum Dei volentis absolutè & efficaciter, ut voluntas operetur. Nam hoc videtur merum & inane effugium? 1. Enim operans gratia, physicè prædeterminans, non est physicè prædeterminativa per aliquid sibi superadditum, sed per suam entitatem; adeòque per suam entitatem est essentialiter incompossibilis cum negatione operationis. Ergo per suam entitatem est essentialiter irresistibilis. Ergo, quod idem est, operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, entitas essentialiter irresistibilis est. Ergo perperam dicitur voluntas posse resistrre entitati operantis gratiæ, physicè prædeterminantis.

2. Ratio instrumenti operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, entitati nihil superaddit; & operans gratia, physicè prædeterminans, est instrumenti Dei, & tale instrumentum Dei per suam entitatem: unde eatenùs irresistibilis est, ut est instrumentum & tale instrumentum Dei, quatenùs habet entitatem irresistibilem, seu per se & intrinsecè incompossibilem cum negatione operationis. Perperam ergo dicitur voluntatem resistere posse operanti gratiæ, physicè prædeterminanti, consideratæ secundùm entitatem; & non posse ei resistere, consideratæ ut est tale instrumentum Dei. Nam si gratia illa irresistibils est, ut est tale instrumentum Dei, est etiam irresistibilis secundùm entitatem; sicut si non est irresistibilis secundùm entitatem, nec irresistibilis est, ut est tale instrumentum Dei.

At

At inquies. Operans gratia, physicè prædeterminans, potest considerari dupliciter. 1. Præcisè, ut est ens. 2. Ut est tale ens. Non est autem irresistibilis: ut est ens præcisè, sed ut est tale ens. Potest igitur voluntas ei resistere, si consideretur præcisè ut est ens; & non potest ei resistere, si consideretur ut est tale ens. *R.* Si gratia illa consideretur præcisè ut est ens, neque resistibilis, neque irresistibilis est, sed præscindit ab utroque: unde ei sic consideratæ neque potest, neque non potest resistere voluntas; sed ab utroque præscindit. Hoc ipso autem quòd gratia illa irresistibilis est, ut est tale ens, est simpliciter irresistibilis, & cùm non possit non esse tale ens, est essentialiter irresistibilis; adeòque de ea simpliciter dici debet, quòd voluntas non possit ei resistere pro ullo casu verè possibili; & allata distinctio ad aliud valere non potest, quàm ad eludendam authoritatem Synodi, imò & ejus doctrinam Novatorum ludibrio propinandam.

Prob. 5. Quia non satis apparet, quomodo systema Thomisticum conciliari possit cum Tridentina Synodo, docente liberum hominis arbitrium gratiæ efficaci dissentire posse, si velit. Nam dissentire gratiæ in sensu obvio, est non ponere actum salutarem, ad quem actu movet gratia; & ita posse dissentire gratiæ in sensu obvio, est posse non ponere actum salutarem, ad quem actu movet gratia. Atqui voluntas non potest non ponere actum salutarem ad quem ponendum operans gratia actu insuperabiliter prædeterminat, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Nec dic voluntatem non posse non ponere actum salutarem, ad quem ab operante gratia physicè prædeterminatur; quia tunc re ipsa ponit actum illum, & ex hypothesi quod ponat, non potest non ponere; alioqui posset actum simul ponere & non ponere, quod repugnat. Nam voluntas præter consequentem hanc impotentiam, ortam ex actuali positione actus, quæ non repugnat libertatis exercitio, sed illud necessariò consequitur, manifestè videtur, natura priùs, quàm actum ponat, aliam habere impotentiam, antecedentem & insuperabilem, ex essentiali operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, incompossibilitate cum negatione actus profectam; quacum impotentia expeditum libertatis exercitium stare non potest, & quam proinde Synodus reprobat, cùm definit, liberum hominis arbitrium efficaci gratiæ posse dissentire, si velit. Hinc

Sic adhuc argumentor. Tridentina Synodus cùm definit liberum hominis arbitrium Deo moventi & excitanti posse dissentire, si velit, definit, voluntatem saltem natura priùs, quàm ponat actum salutarem, ad quem actu movetur à gratia efficaci, posse non ponere actum illum, adeòque actum illum ponere absque omni antecedente & insuperabili obligatione ad illum ponendum; quia alioqui non poneret ex propria determinatione, sed ad ponendum necessitaretur. Atqui ex hypothesi quòd voluntas ad actum salutarem ab operante gratia physicè prædeterminetur, nequidem natura priùs, quàm ponat actum illum, potest illum non ponere; cùm natura priùs, quàm ponat actum illum, sit antecedenter & insuperabiliter ad illum ponendum obligata propter essentialem operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, incompossibilitatem cum negatione actus. Ergo manifestè videtur suppositio operantis gratiæ, physicè prædeterminantis, repugnare Tridentinæ definitioni.

Prob. denique 6. Sit hæc hypothesis. Titius justificatus tenetur sub gravi elicere actum charitatis intra quadrantis latitudinem, & elapso quadrante, nec producto charitatis actu, reus est mortalis transgressionis, adeòque ex justo fit injustus & peccator. Jam sic dico: Non satis apparet in systemate Thomistico, quomodo Titius in suppositione facta peccet imputabiliter contra præceptum charitatis, etiam supponendo quòd habeat excitantem gratiam, in sua linea proximè sufficientem. Nam sic argumentor. Ille justus non peccat imputabiliter contra præceptum charitatis, actum amoris omittendo, qui nequidem in præparatione habet concursum ad actum amoris necessarium. Atqui non satis apparet in systemate Thomistico, quomodo Titius in facta hypothesi habeat in præparatione concursum ad actum amoris necessarium. Ergo non satis apparet, &c.

Majorem non negabunt Thomistæ. *Probo min.* In systemate Thomistico, operans gratia, physicè prædeterminans, se habet instar concursus ad omnem actum salutarem necessarii. Atqui non satis apparet in systemate Thomistico, quomodo Titius in facta hypothesi habeat saltem in præparatione operantem gratiam ad actum amoris physicè prædeterminantem. Nam si habet in præparatione, ab eo verè pendet ut habeat actu. Et si ab eo verè pendet ut habeat actu, non habet actu, ob aliquam suam præsentem culpam. Atqui in systemate Thomistico non satis apparet, quare non habeat actu, & ob quam suam præsentem culpam non habeat actu. Ergo, &c.

Dices. Non habet actu operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem, quia non consentit gratiæ excitanti ad actum amoris, & non consentiendo ponit impedimentum operanti gratiæ ad actum amoris physicè prædeterminanti. *R.* Ergo si consentiret gratiæ excitanti ad actum amoris, acciperet operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem; & acciperet, quia consentiret gratiæ excitanti ad actum amoris. Atqui hoc videtur evidenter falsum in systemate Thomistico. Nam in hoc systemate, si Titius consentiret gratiæ excitanti ad actum amoris, haberet quidem operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem; at hanc non haberet, quia consentiret illi; sed è contra consentiret illi, quia hanc haberet: consentiret enim gratiæ ad actum amoris excitanti, producendo actum amoris; cùm consentire gratiæ excitanti ad actum amoris, & producere actum amoris, ad quem excitat gratia, sint unum & idem formalissimè. Non autem produceret actum amoris, nisi quia natura priùs haberet operantem gratiam, ad actum amoris physicè prædeterminantem. Ergo non haberet hanc gratiam, quia consentiret gratiæ excitanti, sed è contra quia hanc gratiam haberet, gratiæ excitanti consentiret.

Dices. Titius in hypothesi facta non habet operantem gratiam ad actum amoris physicè prædeterminantem, quia non permittit se ad actum illum prædeterminari. *R.* Illud, non permittit, dicit aliquam resistentiam. Ergo vel negativam, vel positivam. Si primum, resistentia illa negativa aliud esse non potest, quàm negatio consensus dandi gratiæ excitanti ad actum amoris; adeòque hæc responsio coincidit cum prima, quam modò confutavimus. Si secundum, resistentia illa positiva aliud esse non potest, quàm actus, quo Titius non vult consentire gratiæ excitanti, vel, si vis, actus quo non vult amare Deum. At ut valeat hæc responsio, manifestè requiritur, ut Titius habeat in præparatione operantem gratiam, ad actum, quo vellet amare Deum, si re ipsa vellet, physicè prædeterminantem, qua proinde caret ob suam aliquam præsentem culpam. Quæritur ergo quare careat? Hoc pacto fiet progressus in infinitum.

ARTICULUS IX.

In quo auxilio consistat gratia efficax.

Responsio I.

GRatia efficax est gratia excitans, certo modo attemperata voluntati, ex natura sua etiam moraliter & humanitùs repudiabilis, cum consensu salutari connexa infallibiliter infallibilitate absoluta quidem, sed extrinseca, petita à præscientia, sub cujus directione gratis & misericorditer donatur.

Prob. 1. Gratia efficax est gratia excitans. Nam vel est gratia excitans, vel gratia operans. Non est gratia operans (ex Art. 8.) Ergo, &c. Præterea, gratia efficax est vocatio interna (ex Art. eodem.) Sed vocatio interna est gratia excitans. Ergo, &c.

2. Gra-

2. Gratia efficax est gratia excitans, certo modo attemperata voluntati. Nam sic expressè sentit S. Augustinus, lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. *Eorum*, inquit, *miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur ..... Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Accedit ratio. Nam idem homo vocatus vocatione A, venit; qui vocatus vocatione B, non veniret in iisdem planè circumstantiis. Atqui hoc nec intelligi, nec esse potest sine congruitate aliqua, quam habet vocatio A, ad eumdem illum hominem, & quam non haberet vocatio B, in iisdem circumstantiis.

Item ex duobus hominibus uno modo vocatis, unus venit, & alter non venit. Atqui hoc esse non potest sine aliqua congruitate, quam eadem vocatio habet ad unum hominem, & non habet ad alterum. Hoc dicit S. Augustinus quæst. citata. *Ut quamvis*, inquit, *multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei*.

Item quòd ex multis à Deo vocatis, alii sequantur, alii non sequantur, hoc intelligi non potest, nisi supponantur alii modo sibi congruo, alii verò modo sibi incongruo, licèt ad sequendum sufficiente, vocati. Nam si Deus vellet, posset omnes etiam in iisdem circumstantiis sic vocare, ut omnes sequerentur. Unde si non omnes sequuntur, certè qui non sequuntur, non solùm non sequuntur, quia nolunt sequi, sed etiam quia non sunt congruè vocati, quandoquidem sequerentur, alio modo vocati. Hoc dicit S. Augustinus loco citato. *Verum est ergo*, inquit, *Multi vocati, pauci electi; illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati*. Juxta S. Doctorem, ex multis vocatis, alii sunt electi, alii verò non electi, quia alii vocantem secuti sunt, alii verò non sunt secuti. Secuti sunt autem qui congruenter vocati, non secuti verò qui non congruenter vocati.

Confirm. Suppono Petrum, vocatum vocatione A, hìc & nunc venire, qui non veniret, si vocaretur vocatione B. In hac autem suppositione sic argumentor. Vel vocatio A, & vocatio B, non differunt plus quàm numero, vel differunt plus quàm numero. Primum dici non potest: non enim supponi potest de aliqua vocatione, quòd eam secuturus sit homo quin simul idem supponatur de omnibus aliis possibilibus, solo numero differentibus, si in iisdem omninò circumstantiis darentur. Nam ex duabus vocationibus, solo numero differentibus, una non potest discerni ab alia, ut una à voluntate possit anteponi alteri, & quamvis una ab alia discerneretur, nulla esse posset voluntati, ratio sufficiens, unam anteponendi alteri. Item voluntas non consentit vocutioni A, quia est hæc numero vocatio, & non alia; sed quia est vocatio talis speciei, vel talis intensionis, vel talis speciei simul & talis intensionis. Denique voluntas consentit vocationi A, quia tali modo movet. At omnes vocationes possibiles, solo numero differentes, si dentur, eodem planè modo movebunt. Unde voluntati perinde est, sive vocetur vocatione A, sive vocetur vocatione B, solo numero diversa. Quare si supponitur Petrus hìc & nunc venire, quia vocatur vocatione A, non potest non supponi, quòd veniret, si vocaretur vocatione B, solo numero diversa. Et si verum est, quòd veniat, quia vocatur vocatione A, non potest non esse verùm, quòd veniret, si vocaretur vocatione B, solo numero diversa.

Itaque secundum dici debet, adeòque in suppositione facta, vocatio A, & vacatio B, vel sunt diversæ speciei, ut si vocatio A, sit motus timoris, & vocatio B, sit motus amoris; vel si sunt ejusdem speciei, sunt diversæ intensionis, ut si ambæ sint indeliberatus amoris motus, sed una, nempe vocatio A, sit intensa ut sex, & altera si tantùm intensa ut tria. Ergo in suppositione facta vocatio A, alio modo se habet ad Petrum, quàm se haberet vocatio B; & vocatio A, alio modo movet Petrum, quàm moveret vocatio B. Ergo Petrus in suppositione facta vocatus vocatione A, venit, quia movetur tali modo, & non veniret, si vocaretur vocatione B, quia si vocaretur vocatione B, non moveretur eodem modo, quo movetur vocatus vocatione A. Ergo in suppositione facta, vocatio A, habet certum movendi modum, certam attemperationem, certam congruitatem cum voluntate Petri consentiente, quam non habet quælibet alia vocatio, cui hìc & nunc voluntas Petri non consentiret. Atqui nulla possibilis est vocatio efficax, de qua fieri non possit similis suppositio. Ergo nulla possibilis est vocatio efficax, quæ non habeat certum modum movendi, certam attemperationem, certam congruitatem cum voluntate hominis consensura, si vocaretur. Sed ad pleniorem hujus congruitatis, quam efficaci gratiæ attribuimus, intelligentiam, aliqua sunt obiter proponenda & solvenda.

Dices. Congruitas vel est denominatio intrinseca gratiæ, vel extrinseca. *R.* Est denominatio intrinseca; nam gratia efficax dicitur congrua, quia movet voluntatem, quomodo ei aptum est non solùm ut possit consentire, sed etiam ut re ipsa consentiat. Hunc autem movendi modum habet, vel quia est in tali specie, putà quia est motus timoris, non amoris; vel quia talem habet intensionem, putà quia est intensa ut quinque, vel denique quia est in tali specie, & simul tot habet gradus intensionis, putà quia est motus timoris, intensus ut quinque. Hæc autem omnia gratiæ intrinseca esse, per se clarum est.

Dices. Hæc congruitatis denominatio, gratiæ efficaci intrinseca, vel est contingens, vel necessaria. *R.* Est contingens. Nam vocatio A, quæ, ut supponitur, est hodie congrua, quia movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, poterit non esse cras congrua: fieri enim potest, ut vocatio A, quæ hodie movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, eam non moveat cras quomodo ei aptum erit ut consentiat. Hæc autem denominationis mutatio continget, gratia prorsus immutata in se: nam hodie movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, quia v. g. est motus timoris, intensus ut quinque: cras verò non movebit voluntatem, quomodo ei aptum erit ut consentiat, quia erit v. g. motus timoris, intensus tantùm ut quinque. Hodie vocatio A, congrua est, quia verum est de illa dicere: Movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat: cras verò non erit ampliùs congrua, quia cras verùm non erit ampliùs de illa dicere: Movet voluntatem quomodo ei aptum est ut consentiat.

Dixi hanc denominationis motionem contingere, gratia prorsus immutata in se. Quòd autem regulariter non fiat sine aliqua mutatione circumstantiarum externarum, & internæ dispositionis subjecti dubitandum non est: sed nec negandum est fieri posse etiam potentia ad actum reducenda pro aliquibus casibus possibilibus, immutata sola temporis circumstantia: cùm enim gratia, etiam ea, quæ movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, sit moraliter & humanitùs repudiabilis, gratis omninò negaretur esse re ipsa repudiandam, adeòque fore incongruam pro ullo casu possibili cum sola mutatione circumstantiæ temporis.

Dices. Ergo gratia efficax non est congrua, nisi dependenter à circumstantiis externis, & interna dispositione subjecti. *R.* Gratia efficax non est congrua saltem regulariter, nisi dependenter à præsentibus circumstantiis externis, & interna beatitudine subjecti tanquam à pura conditione sine qua non. Positis talibus circumstantiis externis, & tali habitudine interna subjecti, gratia movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, quo modo non moveret alia gratia, specie vel intensione diversa. Mutatis vel ex toto, vel etiam ex parte talibus circumstantiis externis, & tali habitudine interna subjecti, gratia non movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, quo modo moveret alia gratia, specie vel intensione diversa. Positis igitur

talibus circumstantiis externis, & tali habitudine interna subjecti, gratia habet, mutatis verò vel ex toto, vel ex parte, gratia non habet certam cum voluntate contemperationem, cum voluntatis consensu, licèt contingenter, connexam. Unde gratia, positis talibus circumstantiis, &c. congrua est; mutatis vel ex toto, vel saltem ex parte, non est congrua; in quo non est inconveniens. Nam externæ illæ circumstantiæ cum interna illa dispositione subjecti nullatenùs gratiam afficiunt, sed solam voluntatem. Positæ nihil virtutis tribuunt gratiæ, vi cujus moveat; sublatæ nihil virtutis detrahunt gratiæ, sine quo non possit movere voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat.

Dices. Gratia efficax accipit suam congruitatem à voluntate consentiente. *R*. Hoc est falsum: nam gratia efficax saltem natura priùs movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, quàm consentiat, aut consensura sit; adeòque gratia efficax saltem natura priùs congrua est, quàm voluntas consentiat, aut sit consensura. Neque gratia efficax movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, quia voluntas consentit, aut consensura est; sed è contra voluntas consentit, aut consensura est, quia gratia movet eam, quomodo ei aptum est ut consentiat; to, quia, significante scilicet causalitatem. Unde gratia efficax non est congrua, quia voluntas consentit, aut consensura est; sed è contra voluntas consentit, consensura est, quia gratia efficax congrua est; to, quia, significante causalitatem.

At inquies. Voluntas potest non consentire, & si non consentiret, gratia non esset congrua. *R*. Ita est: nam tunc gratia non moveret voluntatem, quomodo ei aptum esset ut consentiret. Sed quid inde? Nam tunc gratia non esset incongrua, quia voluntas non consentiret; sed è contra voluntas non consentiret, quia gratia natura priùs incongrua esset. Neque gratia voluntatem non moveret, quomodo ei aptum esset ut consentiret, quia voluntas non consentiret; sed è contra voluntas non consentiret, quia gratia natura priùs non moveret eam, quomodo ei aptum esset ut consentiret. Non moveret autem, quia non esset talis speciei, vel talis intensionis in tali specie.

At inquies. Saltem igitur voluntas potest impedire congruitatem gratiæ efficacis. *R*. Ita est: nam hæ duæ veritates: Gratia movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat; Voluntas consentit gratiæ; ita connexæ sunt, ut neutra possit esse sine altera; unde qui potest unam impedire, potest & alteram. Cùm autem in potestate sit voluntatis consentire vel non consentire, voluntas potest directè impedire secundam veritatem, non consentiendo, & ita non consentiendo, indirectè impedire primam. Ex quo sequitur tantùm, quòd gratia efficax sit ex natura sua repudiabilis, adeòque ex natura sua non nisi contingenter & fallibiliter moveat voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat.

His porrò non obstantibus, cùm ex duabus veritatibus connexis una, nempe prima, sit natura prior altera, & causa illius; non est verum, gratiam movere voluntatem quomodo ei aptum est ut consentiat, quia voluntas consentit; sed è contra verum est, voluntatem consentire, quia gratia movet eam quomodo ei aptum est ut consentiat. Neque verum est, gratiam non movere voluntatem quomodo ei aptum est ut consentiat, quia voluntas non consentit; sed è contra verum est, voluntatem non consentire, quia gratia non movet voluntatem quomodo ei aptum est ut consentiat. Gratia igitur neque congruitatem, neque incongruitatem habere potest à voluntate, quamvis voluntas possit indirectè impedire utramque gratia, licèt impedibiliter, habet à se, dependenter tamen, regulariter loquendo, ab externis circumstantiis, & interna habitudine subjecti, tanquam à pura conditione, sine qua non.

Dices. Gratia efficax est per se congrua. Ergo est necessariò, non contingenter congrua. *R*. dist. Est per se congrua, hoc est, per propriam & intrinsecam virtutem congrua, C. Hoc est, essentialiter congrua, N. Alioqui non esset ex natura sua repudiabilis. *R. adhuc* hc dist. Est per se congrua impedibiliter, C. Inimpedibiliter, N. Sic enim per se congrua est, ut simul sit etiam moraliter & humanitùs repudiabilis ex natura sua; adeòque ex natura sua repudiabilis repudiabilitate non solùm ad actum reducibili, sed etiam reducenda pro aliquibus casibus aliquando existentibus, aut saltem possibilibus. Ergo est contingenter, non necessariò congrua, & sic est aliquando efficax & congrua, ut sit etiam aliquando inefficax & incongrua.

Dices. Gratia congrua vel intrinsecè differt plus quàm numero ab incongrua, vel non. *R*. Omnis gratia congrua intrinsecè differt plus quàm numero ab omni alia gratia, quæ respectu ejusdem subjecti in iisdem planè circumstantiis esset incongrua; differt enim vel in specie, vel in intensione, vel in specie simul & intensione: nam solo numero differre non potest, ut ostensum est. Dixi 1. respectu ejusdem subjecti: nam ex duabus vocationibus, solo numero differentibus, potest una esse congrua in uno subjecto, & altera esse incongrua in alio subjecto, etiam in iisdem planè circumstantiis: non enim repugnat, in iisdem planè circumstantiis unam unum subjectum movere, & aliam aliud subjectum non movere, quomodo ei aptum est ut consentiat. Dixi 2. in iisdem planè circumstantiis: nam respectu ejusdem subjecti in diversis vel ex toto, vel etiam ex partem tantùm circumstantiis, imò mutata sola temporis differentia, ex duabus vocationibus solo numero differentibus, potest una esse congrua, & altera esse incongrua; quia fieri potest, & fit, ut una moveat, & altera non moveat idem subjectum in diversis circumstantiis, quomodo ei aptum est ut consentiat: in quo non est difficultas.

Dices. Vel gratia congrua supra incongruam respectu ejusdem subjecti & earumdem planè circumstantiarum, dicit aliquam virtutem ad consentiendum necessariam, vel non dicit. *R*. Gratia congrua dicit virtutem movendi vel specificè diversam, vel intensivè majorem, vel specificè diversam simul & intensivè majorem. At non propterea dicit aliquam virtutem, ad consentiendum necessariam, qua careat incongrua ex hoc præcisè quòd est incongrua. Ex hoc enim præcisè incongrua est, quòd non movet voluntatem quomodo ei aptum est ut consentiat; quod non impedit quominùs possit movere, & moveat voluntatem quomodo ei aptum est ut verè possit consentire. Unde quòd voluntas non consentiat, sibi imputare debet, non gratiæ.

3. Gratia efficax est excitans gratia ex natura sua repudiabilis: consistit enim in excitante gratia, cui voluntas potest resistere, quam voluntas potest abjicere, cui voluntas potest dissentire si velit, quacum voluntas expeditam habet facultatem agendi vel non agendi in sensu composito entitatis illius; quamvis non possit non agere, nisi in sensu diviso ejus efficaciæ, sed quam verè potest impedire: unde sensus divisus efficaciæ verè est in potestate voluntatis. Præterea, excitans gratia, in qua consistit gratia efficax, vel est ex natura sua repudiabilis, vel est ex natura sua irrepudiabilis, & incompossibilis cum negatione consensus. Non secundum, ut demonstratum est Art. VII. Ergo primum.

Additum est in responsione, moraliter & humanitùs: cùm enim Scripturæ, Patres & Concilia docent excitantem gratiam, quacum homo bonum vult & operatur, ab eo repudiari posse, loquuntur de potentia, non solùm physica, sed etiam morali, hoc est de potentia, quæ non solùm absolutè, sed etiam moraliter & humanitùs reduci potest ad actum. Et verò non nisi intolerabiliter intelligerentur de potentia, quam reduci ad actum, moraliter sit impossibile.

4. Gratia efficax est excitans gratia, cum consensu salutari connexa infallibiliter etiam absoluta infallibilitate. Nam gratia efficax est medium, quod Deus adhibet ad exequendum decretum absolutum & efficax. Sed medium, quod Deus adhibet ad

exe-

exequendum decretum absolutum & efficax, debet esse infallibile etiam absoluta infallibilitate ; alioqui non erit proportionatum decreto, ad cujus executionem adhibetur, quod est contra infinitam Dei in agendo sapientiam. Ergo efficax gratia debet esse medium infallibile etiam absoluta infallibilitate, adeòque esse cum consensu salutari connexa infallibiliter etiam absoluta infallibilitate.

Absolutam hanc efficacis gratiæ infallibilitatem apertè innuit Scriptura, cùm ait Ezech. c. 36. *Dabo vobis cor novum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum ... & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Et post Scripturam S. Augustinus variis locis, ut lib. de gratia & lib. arb. c. 16. ubi gratiam efficacem vocat, vires efficaciſſimas. *Certum est*, inquit, *nos facere, cùm facimus : sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas.* Et lib. de præd. Sanct. c. 8. ubi gratia efficacem dicit esse gratiam, quæ à nullo duro corde respuitur. *Hæc gratia*, inquit, *quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur : ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Et eod. lib. c. 16. ubi gratiam efficacem ait esse vocationem, *ad quam qui pertinent, sunt omnes docibiles Dei, & veniunt ad Filium.* Et lib. de corr. & grat. c. 12. ubi dicit, Deum per gratiam efficacem donare electis, ut invictiſſimè quod bonum est velint, & hoc deserere invictiſſimè nolint. Et lib. de bono persev. c. 14. ubi gratiam efficacem vocat beneficium, quo certiſſimè liberatur qui liberatur.

5. Absoluta illa infallibilitas, quam habet gratia efficax, est infallibilitas extrinseca. Nam gratia efficax absolutam infallibilitatem non habet ab intrinseco, & ex natura sua. Ergo superest ut habeat ab extrinseco, adeòque non habeat nisi infallibilitatem extrinsecam. *Prob. ant.* Nam si gratia efficax haberet ab intrinseco, & ex natura sua absolutam infallibilitatem, esset intrinsecè & ex natura sua irrepudiabilis, proindeque cùm sit gratia excitans, & se teneat ex parte actus primi, actum primum antecedenter & insuperabiliter obligaret ad alteram partem contractionis. Consequens admitti non potest, ut patet ex dictis Art. VII. Ergo, &c.

6. Absolutam infallibilitatem extrinsecam gratia efficax non habet ab omnipotentia: nam ab ea tantùm habet, ut existat, ubi, quando, & quandiu Deus vult eam existere. Item non habet à supremo Dei dominio: nam ab eo tantùm habet, ut huic homini detur vel non detur, ut huic homini detur, non illi, absque ullius injuria. Item non habet à decreto absoluto & efficaci, vi cujus datur : nam habet ratione priùs, quàm sit decretum: non enim habet absolutam infallibilitatem, quia Deus adhibet illam ad exequendum decretum absolutum & efficax ; sed è contra Deus adhibet illam ad exequendum decretum absolutum & efficax, quia habet absolutam infallibilitatem. Denique decretum ipsum, absolutum & efficax, absolutam infallibilitatem non habet, nisi quia vi illius insuperabiliter applicatur medium, absolutè infallibile vel per se & ex natura sua, ad effectus necessarios, vel prout subest scientiæ absolutè infallibili, licèt contingenti, ad effectus contingentes & liberos.

Superest igitur, ut gratia efficax absolutam suam infallibilitatem extrinsecam habeat à scientia contingenti simul, & ex hypothesi quòd existat, summè infallibili, cui subest, & ex cujus directione datur in iis circumstantiis, in quibus præscitur per propriam virtutem voluntatem motura, si detur, quomodo voluntati aptum erit ut consentiat. Et habere hoc demostratur argumento. Gratia illa absolutam habet infallibilitatem extrinsecam, quam effectu suo frustrari, absolutè repugnat ab extrinseco. Atqui gratiam efficacem, quantùmvis ex natura sua repudiabilem, effectu suo frustrari, absolutè repugnat ab extrinseco. Ergo, &c. *Prob. min.* Gratiam illam effectu suo frustrari, absolutè repugnat ab extrinseco, quam effectu suo frustrari repugnat eadem illa repugnantia, qua repugnat divinam, cui subest, scientiam falli : divinam enim scientiam falli, absolutè repugnat. Atqui gratiam efficacem effectu suo frustrari repugnat eadem illa repugnantia, qua repugnat falli scientiam mediam, cui subest, & qua prævidetur voluntatatem motura, si detur quomodo ei aptum erit, ut eliciat consensum salutarem: nam non posset effectu suo frustrari in sensu composito scientiæ mediæ, cui subest, & qua prævidetur, &c. quin simul falleretur scientia illa; & si effectu suo frustraretur in sensu composito scientiæ mediæ, cui subest, & qua prævidetur, &c. falleretur scientia illa, adeòque qua repugnantia repugnat scientiam illam falli, eadem repugnare effectu suo frustrari gratiam efficacem, necesse est.

Breviter. Si Deus per scientiam mediam, quæ simul contingens est, quia est de objecto contingenter ac fallibiliter futuribili, & summè certa ex hypothesi quòd existat, quia Deum, quidquid præscit, summa certitudine præscire necesse est ; si Deus, inquam, per scientiam mediam præscit, talem vocationem, ex natura sua moraliter & humanitùs repudiabilem, in talibus circumstantiis, si detur, salutarem voluntatis consensum expressuram esse, tanta infallibilitate sortietur effectum suum vocatio illa, si detur in talibus circumstantiis, quanta certitudine Deus per scientiam mediam præscit esse sortituram, si detur: unde cùm Deus hoc præsciat summa certitudine, summa infallibilitate sortietur. Quare scientia media se habet per modum formæ extrinsecæ, extrinsecè afficientis talem vocationem, ex natura sua repudiabilem, eamque realiter, licèt extrinsecè tantùm denominantis summè infallibilem pro talibus circumstantiis, si detur in illis.

Itaque in nostro systemate duo in eadem gratia conciliamus, quæ prima fronte videntur conciliari non posse; summam scilicet infallibilitatem cum intrinseca repudiabilitate, etiam moraliter & humanitùs ad actum reducibili. Secundùm nos, gratia efficax, quantùm est ex se, contingenter tantùm & fallibiliter movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, & tamen consensum ejus summa infallibilitate obtinet. Secundùm nos, gratia per se talis est, ut voluntas possit ei resistere, possit eam abjicere, possit ei dissentire, possit cum ea consensus negationem componere, impediendo scilicet ejus efficaciam; possit, inquam, potentia etiam moraliter & humanitùs ad actum reducibili, sed summa infallibilitate non reducenda pro iis circumstantiis, pro quibus gratia supponitur efficax. Secundùm nos, gratia efficax est medium secundùm se cum effectu contingenter tantùm & fallibiliter connexum, per quod tamen Deus summa infallibilitate operatur effectum : unde medium est exequendi decreti absolutis & efficacibus sufficientiſſimè proportionatum, sartis tectis libertatis humanæ juribus.

Responsio II.

Gratia efficax, adæquatè sumpta, quoad rem & physicè est supernaturalis illustratio cum supernaturali motione voluntatis indeliberata. Sumpta secundùm quòd præsenti naturæ lapsæ statui propria est, quoad rem & physicè est supernaturalis motio voluntatis indeliberata, voluntati ob ægritudinem ex originali peccato contractam ad volendum & operandum bonum salutare necessaria, qua voluntas sanatur, aut saltem inchoatur ejus sanitas. Sumpta denique secundùm quòd præsenti naturæ lapsæ statui propria est, & perfectè sanat voluntatem, quoad rem & physicè est supernaturalis motio voluntatis indeliberata, qua bonum salutare, quà tale, suaviter placet voluntati.

Prob. Nam gratia efficax, ut probatum est, consistit in gratia excitante. Atqui in præsenti statu gratia excitans, 1. adæquatè sumpta, præter supernaturalem mentis illustrationem, dicit supernaturalem voluntatis motionem indeliberatam, sine qua voluntas, utpotè concupiscentiali morbo laborans, sufficienter ex-

excitari non potest ad volendum & operandum bonum salutare. 2. Sumpta secundùm quòd præsenti naturæ lapsæ statui propria est, adeòque differt ab excitante gratia, qua indigebat natura innocens, dicit solam supernaturalem voluntatis motionem indeliberatam: nam natura innocens, ad volendum & operandum bonum salutare, indigebat supernaturali mentis illustratione. Hæc autem indeliberata voluntatis motio vel est actus timoris, quo voluntas indeliberatè exhorret pœnas hujus aut alterius vitæ à Deo peccatoribus infligendas, & tunc inchoatur voluntatis sanitas; tunc enim voluntas incipit sanari, cùm incipit bonum velle & operari ex timore pœnæ à Deo peccatoribus infligendæ: vel est actus complacentiæ, amoris, desiderii, quo voluntas indeliberatè delectatur de bono salutari, vel, si vis, de bonitatis seu pulchritudine justitiæ, & tunc voluntatis sanitas perficitur: tunc enim voluntas sana est, cùm bonum salutare vult & operatur ex amore bonitatis seu pulchritudinis illius, vel, si vis, ex amore bonitatis seu pulchritudinis justitiæ. Hinc 3. gratia excitans, sumpta secundùm quòd præsenti naturæ lapsæ statui propria est, & voluntatem perfectè sanat, dicit solam supernaturalem voluntatis motionem indeliberatam, hoc est, indeliberatum & supernaturalem complacentiæ, amoris, desiderii actum, quo voluntatem indeliberatè delectat bonitas seu pulchritudo boni salutaris, vel, si vis, bonitas seu pulchritudo justitiæ. Hinc fit

Responsio III.

Gratia efficax, secundùm quòd præsenti naturæ lapsæ statui propria est, & voluntatem perfectè sanat, consistit in quadam ineffabili suavitate affectiva, indeliberata, ex natura sua etiam moraliter & humanitùs compossibili cum negatione consensus salutaris, quocum tamen connexa est infallibiliter infallibilitate summa, sed extrinseca quatenùs Deus ea perfundit voluntatem, quomodo novit ei congruere, ut velit & operetur bonum salutare, non ex timore pœnæ, sed ex amore justitiæ.

Hæc Responsio, quam ad majorem S. Augustini doctrinæ explicationem addimus, probatur per partes, authoritate S. Doctoris. 1. igitur gratia efficax sic sumpta, est suavitas, affectiva scilicet & indeliberata: hoc enim expressè dicit S. Doctor variis in locis, ut lib. 2. ad Bonifacium, cap. 9. *Ergo*, inquit, *benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis; in qua si nos non prævenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Et in Psal. 118. *Hæc est illa suavitas*, inquit, *quam Deus dat, ut terra nostra det fructum suum, ut bonum verè benè, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione faciamus.* Et serm. 15. de verbis Apostol. *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Ille nisi prior det suavitatem, terra non dabit nisi sterilitatem.*

2. Est indeliberata suavitas, ex natura sua etiam moraliter & humanitùs compossibilis cum negatione consensus salutaris. Nam sic ait Sanct. Doctor, lib. de spir. & litt. cap. 34. *Misericordia Dei prævenit nos* (dando scilicet suavitatem, quam nisi daret prior, terra nostra non daret nisi sterilitatem.) *Consentire autem vocationi Dei* (Deus enim vocat illustrando, & suavitatem dando) *vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis est.* Unde sic argumentor breviter. Suavitas illa ex natura sua compossibilis est cum negatione consensus salutaris, cui consentire vel dissentire, seu, quod idem est, secundùm quam velle vel non velle, operari vel non operari possumus pro arbitrio. Atqui talis est illa suavitas, quam Deus dat, & qua fit in nobis, ut nos deliberatè delectet, hoc est, cupiamus & amemus quod præcipit nobis. Ergo, &c.

3. Est suavitas cum salutari consensu connexa. Nam, ut dicit S. Doctor, lib. de præd. Sanct. cap. 8. *Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*: unde occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, quomodo eis aptum est, ut deliberatè delectentur, cupiant, & ament efficaciter velle & operari bonum salutare, juxta illud ejusdem S. Doctoris, lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Cujus miseretur* (Deus) *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

4. Connexa est infallibiliter infallibilitate summa, sed extrinseca. Cùm enim, juxta S. Doctorem, sit suavitas congrua, hoc est, suavitas nobis à Deo data, quomodo Deus scit nobis congruere ut terra nostra det fructum suum, hoc est, ut velimus & operemur bonum salutare, quo indeliberatè delectamur, tanta infallibilitate extrinseca connexa est cum consensu salutari, quanta certitudine Deus præscit eam nobis fore congruam in talibus circumstantiis, si detur in illis. Atqui hoc Deus præscit summa certitudine. Ergo, &c.

Hac benefica suavitate, ineffabiliter congrua, & cum opere salutari ex amore justitiæ exercendo summa infallibilitate connexa, subvenitur infirmitati voluntatis humanæ; atque ita subvenitur, ut invictissimè velit quod bonum est, & hoc deserere, invictissimè nolit, non quia voluntas humana prædeterminatur insuperabiliter, ut interpretatur Calvinus, & post Calvinum Jansenius, voluntatem enim insuperabiliter prædeterminari per medium ex natura sua repudiabile, evidenter repugnat; sed quia Deus hanc suavitatem, ubi & quando vult, summa infallibilitate dat modo congruo: Deum enim aut impediri à danda, aut falli in data hac suavitate, ubi & quando vult, quomodo nobis congruit, ut bono salutari deliberatè delectemur, quantùm oportet ut illud velimus & operemur, omninò impossibile est. Hoc dicit S. Doctor lib. de corr. & gr. cap. 7. cùm loquens de electis, ait: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.*

Articulus X.

Solvuntur objectiones, petitæ ab authoritate Scripturarum.

Obj. 1. In Scripturis passim dicitur Deus voluntates nostras, quocumque voluerit, movere, flectere, inclinare, trahere. Item dicitur facere ut in præceptis ejus ambulemus. Item dicitur in nobis operari velle & perficere, in nobis omnia nostra opera salutaria operari. Item dicitur agere nos, ut agamus. *R. breviter*, Deum hæc omnia in supernaturalibus præstare, non per operantem gratiam physicè prædeterminantem, ut volunt Thomistæ; hoc enim saltem sine sufficienti fundamento volunt: non per excitantem gratiam ex natura sua irresistibilem, ut asserunt Calvinus & Jansenius; hoc enim asserere hæresis est; sed per excitantem gratiam, ex natura sua abjicibilem, ut docet Tridentinum, qua Deus movet nos, quomodo scit nobis congruere, ut velimus, & ex propria determinatione velimus quod vult nos velle, & liberè velle.

At inquies. Quidni dicatur Deus hæc omnia in supernaturalibus præstare per excitantem gratiam, moraliter tantùm, quamvis insuperabiliter prædeterminantem? *R.* excitantem gratiam, insuperabiliter prædeterminantem, quantumvis abusivè dicatur moraliter tantùm prædeterminare, esse gratiam excitantem, ex natura sua irresistibilem, adeòque Calvinianam & Jansenianam gratiam.

Obj. 2. illud Apostoli 1. Cor. c. 4. *Quis te discernit?* Quibus verbis Apostolus apertè significat hominem, non à se ipso, sed à Deo ejusque gratia discerni. Atqui in nostro systemate homo se ipsum per libertatem suam discernit. Ergo, &c. *R.* 1. Deum & in æternitate & in tempore hominem misericorditer priùs

discer-

discernere, quàm se ipsum discernat, aut possit discernere. 2. Hominem, cùm se ipsum discernit, consentiendo gratiæ, non se discernere per libertatem suam nudam & solam, sed per libertatem suam ut adjutam & completam per gratiam excitantem, qua prævenitur, & movetur quomodo ei congruit, ut consentiat, & sine qua ut natura priùs ipsum corroborante, ac in ipsum influente, non consentit. Sed ad pleniorem doctrinæ nostræ intelligentiam,

Nota. Duplex est ordo distinguendus, unus intentionis, & alter executionis. In ordine intentionis triplex est hominis discretio facta à Deo misericorditer, nempe gratuita electio ad gloriam, gratuita prædefinitio operum salutarium, & perseverantia finalis, & gratuita præparatio auxiliorum, quibuscum homo in tempore opera salutaria exerciturus est, & perseveraturus finaliter. In ordine executionis, quæ fit in tempore, duplex est discretio hominis, nempe donatio gratiæ congruæ, & consensus salutaris. Prima discretio est à solo Deo: nam secundùm nos, quòd homo vocetur congruè, effectus est solius misericordiæ Dei, qui *cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*.

Secunda discretio non est à solo homine, nec à sola gratia, sed partim ab homine, partim à gratia: ab homine quidem, ut causa inferioris ordinis, & instrumentali; à gratia verò, ut causa superioris ordinis, & principali: homo enim, secundùm nos, non consentit excitanti gratiæ, nisi dependenter ab ea, ut non solùm præmovente & excitante ad consentiendum, sed etiam voluntatem actu consentientem actu adjuvante, & actu corroborante, atque ita corroborando, in ipsam naturam priùs quàm consentiat, influente. Unde in consensu salutari voluntas hominis se habet per modum causæ ad agendum applicatæ, adeòque per modum causæ secundæ, subalternatæ, & instrumentalis: excitans verò gratia per modum causæ etiam physicè ad agendum applicantis concausam, adeòque per modum causæ primæ, subalternantis, & principalis.

Hæc autem doctrina omninò consentanea est Scripturæ & SS. Patribus. Nam quòd hæc secunda discretio, quæ in salutari voluntatis consensu consistit, non sit à sola gratia, docet Apostolus 2. ad Timoth. cap. 2. *Si quis se emundaverit ab istis, erit vas in honorem*. Et 1. Cor. cap. 15. ubi ait: *Non ego* (solus) *sed gratia Dei mecum*. Quæ verba interpretans Sanctus Augustinus, lib. de grat. & arbitr. cap. 5. sic loquitur: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum: id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*. Hoc etiam docet idem S. Doctor aliis locis, ut lib. 1. ad Simplic. qu. 2. cùm ait: *Ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum; suum, vocando, nostrum sequendo*. Et lib. de spir. & litt. cap. 34. dum dicit: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est*.

Obj. 3. illud Apostoli 1. Cor. c. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quibus verbis declarat Apostolus, hominem ex iis, quæ ad salutem conferunt, nihil habere, quod à Deo non acceperit, adeòque hominem ex iis, quæ ad salutem conferunt, nihil habere de quo gloriari possit, tanquam illud non acceperit. Atqui in nostro systemate, homo non accipit à Deo consensum salutarem, & ita de illo gloriari potest, tanquam illum à Deo non acceperit. Ergo, &c. *R.* neg. min. Itaque in nostro systemate, homo consensum salutarem accipit à Deo, non ut per excitantem gratiam ex natura sua irresistibilem, insuperabiliter prædeterminante ad consentiendum, quo modo accipere docent Calvinus & Jansenius; sed ut per excitantem gratiam, ex natura repudiabilem, movente voluntatem, quomodo ei aptum est ut consentiat, & actu consentientem actu adjuvante ad consentiendum.

Obj. 4. illud Apostoli Rom. c. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Atqui in nostro systemate, non est miserentis Dei, sed volentis & currentis hominis. Ergo, &c. *R.* neg. min. Igitur cum Apostolo dicimus, & eodem sensu quo dicit Apostolus, dicimus: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Secundùm Apostolum, *non est volentis, neque, &c.* quia quòd bene volumus, rectè tribuitur vocanti Deo, quomodo nobis aptum est ut bene velimus; & nobis, quòd vocemur quomodo nobis aptum est ut bene velimus, tribui non potest: non enim bona nostra voluntas vocationem congruam, sed vocatio congrua bonam nostram voluntatem præcedit. Juxta Apostolum, *non est volentis, neque, &c.* quia non bene volumus, nisi priùs vocemur quomodo nobis aptum est ut bene velimus; & quòd vocemur quomodo nobis aptum est ut bene velimus, nullatenùs à nobis dependet, sed à solo Deo, qui cujus vult misereatur, & miserendo sic eum vocat quomodo ei aptum est ut bene velit. Juxta Apostolum, *non est volentis, neque, &c.* quia etsi multi vocentur, nullus tamen sequitur, nisi misericorditer vocatus quomodo ei aptum est ut sequatur, adeòque nullus sequitur, nisi cujus Deus misereatur. Juxta Apostolum, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, quia nemo impedire potest, ne Deus illius efficaciter misereatur. Nemo autem impedire potest, ne Deus illius efficaciter misereatur, quia nemo impedire potest, ne Deus sic eum vocet quomodo ei aptum est ut sequatur.

Sic planè Apostolum interpretatur S. Augustinus lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Quia*, inquit, *non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quòd bene volumus; nobis verò tribui non potest quòd vocamur. Non igitur ideò dictum, est putandum*: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideò potiùs, quia nisi ejus vocatione non volumus .....* Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem ..... Verum est*, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra misereatur. Cujus autem miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*.

Itaque secundùm Apostolum interprete S. Augustino, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia quòd non omnes vocati veniant, sed ex multis vocatis aliqui veniant, aliqui non veniant, hi & non illi veniant, non hominum voluntati attribuendum est, sed misericordiæ Dei, qui cujus vult misereatur, & quem vult indurat, atque ita quem vult sic vocat, & quem non vult, non sic vocat, quomodo ei aptum est ut veniat. Non omnes vocati veniunt, quia non omnium misereatur Deus; & ita non omnes vocat, quomodo eis aptum est ut veniant. Quòd si vellet omnium misereri, venirent omnes, quia posset vocare, & vocaret omnes, quomodo eis aptum esset ut venirent. Igitur aliqui tantum veniunt, quia aliquorum tantùm misereatur Deus, & ita aliquos tantùm sic vocat, quomodo eis aptum est ut veniant; atqui hi, non illi veniunt, quia horum, non illorum misereatur Deus, & ita hos, non illos sic vocat, quomodo eis aptum est ut veniant. Sed quid inde, obsecro, aut pro operante gratia Thomistarum, physicè prædeterminante, aut pro excitante gratia Calvini & Jansenii, ex natura sua irresistibili, aut contra excitantem gratiam congruam, ex natura sua repudiabilem, inferri potest?

Obj. 5. illud Apostoli Rom. cap. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia jus, & investigabiles viæ ejus!* Atqui in nostro systemate, judicia Dei sunt aperta. Ergo, &c. *R.* neg. min. Non enim magis sunt aperta in nostro systemate, quàm in quolibet alio non Pelagiano aut Semipelagiano. Et verò judicia illa, quæ dicit Apostolus esse inscrutabilia, in eo consistunt, quòd Deus alios elegerit, alios non elegerit; hos potiùs ele-

elegerit, quàm illos, aliis præparaverit beneficia, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur, aliis non præparaverit; his potiùs præparaverit, quàm illis. Dicit autem esse inscrutabilia, quia eorum nulla ratio assignari potest ex parte hominum; cùm propter primi parentis peccatum, cujus rei sunt, sint æqualiter omni beneficio divino indigni: item nulla ratio assignari potest ex parte Dei præter ejus beneplacitum. Unde ulteriorem supernaturalis circa electos & reprobos providentiæ rationem quærenti, aliud non respondet Apostolus, quàm, *Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia:* hoc est; quoniam omnium effector & gubernator est, potestque omnia, prout libuerit, ad gloriam suam ordinare. Quare autem hoc & non alio modo gloriam suam procurare voluerit, quare non voluerit eam procurare, omnes vel saltem plures eligendo, quare voluerit eam procurare hos eligendo, non illos, quis aliam præter ejus beneplacitum reddere potest rationem? Quis enim cognovit sensum ejus? aut quis ejus consiliarius fuit? Quid ab iis, quos, cæteris neglectis, elegit, accepisse dici potest, propter quod eos potiùs elegerit, quàm alios, quos neglexit? Sic respondet Apostolus, & nos cum eo respondemus.

At inquies. In nostro systemate facilè intelligitur, quare, cùm prædicatur Evangelium, unus credat, & alter non credat: nam secundùm nos, unus credit, & alter non credit, quia unus per vocationem, ex natura sua repudiabilem, movetur quomodo ei aptum est ut credat; alter verò non sic movetur. *R.* ita esse. At in hoc mysterium non est. Quare autem, cùm prædicatur Evangelium unus vocetur, quomodo ei aptum est ut credat, & alter non vocetur, in hoc mysterium est, quod tam est inscrutabile in nostro systemate, quàm in quodlibet alio. Nam in nostro systemate, ex parte illius, qui vocatur quomodo ei aptum est ut credat, nulla prorsus ratio est, cur ipse potiùs sic vocetur, quàm alter; & nullam ex parte Dei aliam habemus, præter ejus beneplacitum. Unde non aliud hìc possumus dicere, quàm quod dicit S. Augustinus lib. de bono persev. c. 8. *Cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Et lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 5. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantùm, illum autem non tantùm; istum illo, illum isto modo, penes ipsum* (Deum) *est & æquitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.*

Obj. 6. illud Apostoli ad Philipp. c. 2. *Deus est, qui operator in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Atqui in nostro systemate, Deus non operatur velle & perficere. Ergo, &c. *R.* neg. min. Deus enim verè operatur velle & perficere, ad volendum movendo nos quomodo nobis aptum est ut velimus, & volentes adjuvando ut perficiamus. *Nota.* Deus operatur in nobis velle & perficere, vel nos per operantem gratiam, instar concursus generalis se habentem, prædeterminando physicè; vel per gratiam excitantem, per se & intrinsecè irresistibilem, insuperabiliter prædeterminando ad volendum; vel denique per excitantem gratiam, ex natura sua repudiabilem; sic ad volendum movendo nos, quomodo scit nobis congruere, ut ex propria determinatione velimus; dependenter tamen à gratia nos ad ita volendum adjuvante. Primus modus Thomistarum est, sed nullum habens fundamentum sufficiens, & aliunde, ut nobis videtur, contrarius doctrinæ Sancti Augustini. Secundus est Calvini & Jansenii, & hæreticus est. Ad tertium igitur confugiendum.

Obj. 7. illud Apostoli ad Ephes. c. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ergo ex Apostolo, fides donatur à Deo. Atqui in nostro systemate, fides non donatur à Deo. Ergo, &c. *R.* neg. subs. Fidem in nostro systemate donat Deus, non physicè prædeterminando ad credendum per operantem gratiam, ut volunt Thomistæ; non insuperabiliter prædeterminando ad credendum per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, ut volunt Calvinus & Jansenius; sed misericorditer per excitantem gratiam, ex natura sua repudiabilem, vocando nos quomodo scit nobis aptum esse, ut velimus credere, & credamus.

Nota. Fides sic est donum Dei, ut sit etiam meritum nostrum. Est donum Dei, quia nec credimus, nec volumus credere, nisi Deus prior gratuitò vocet nos, quomodo scit nobis congruere ut velimus credere, & credamus, atque ad volendum credere, & credendum, gratuitò adjuvet nos. Est meritum nostrum, quia gratuitò vocati à Deo quomodo nobis congruit ut velimus credere & credamus, Deo per gratiam suam adjuvante, nos volumus credere & credimus ex propria determinatione. Volumus autem credere, & credimus ex propria determinatione, quia, cùm vocationis gratia sic nobis sit summa infallibilitate congrua, ut sit etiam per se & intrinsecè repudiabilis, volumus credere, & credimus sine antecedenti & insuperabili ad volendum credere, & credendum obligatione, & determinatione.

ARTICULUS XI.

Solvuntur objectiones petitæ ab authoritate Conciliorum & Patrum.

Obj. 1. Concilium Arausicanum 2. can. 4. sic ait: *Si quis ut à peccato purgemus, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem, in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino.* Atqui in nostro systemate, Deus expectat voluntatem nostram, ut purgari velimus. Ergo, &c. *R.* neg. min. Deus itaque in nostro systemate, non expectat ut purgari velimus, sed ipse ex pura misericordia operatur ut velimus, ex pura misericordia per excitantem gratiam, ex natura sua etiam moraliter & humanitùs repudiabilem, vocando nos quomodo scit nobis congruere ut velimus. Secundùm nos igitur, *non præcedit voluntas bona vocationem*, ut ait S. August. lib. 1. ad Simpl. q. 2. *sed vocatio bonam voluntatem; propterea vocanti Deo rectè tribuitur quòd benè volumus, nobis verò tribui non potest quòd vocamur*: quia ex pura misericordia vocamur quomodo nobis congruit ut bene velimus. Quare, secundùm nos, quòd homo purgetur, non est volentis, neque currentis hominis, sed miserentis Dei; non solùm quia nisi ejus adjutorio adipisci non possumus peccatorum purgationem, cùm illam volumus, sed etiam & potissimum, quia non nisi gratuita ejus vocatione congrua volumus.

Adde quod cùm volumus, non volumus nisi dependenter ab eo, ut per illam sua vocantem gratiam applicante nos ad volendum, & in actum illum, quo volumus, natura priùs influente, quia illum actum volendi non producimus, nisi dependenter ab eo, ut actu voluntatem nostram excitante, corroborante, & immediatè ad volendum adjuvante per cœlestem illam & ineffabilem suavitatem, qua vocat nos congruenter. Deus igitur, secundùm nos non expectat actum salutarem, quo purgari volumus, sed misericorditer prævenit illum, præparat illum, efficit illum, non quidem ut causa totalis simpliciter; ita ut voluntas nostra merè passivè se habeat, sicut aliquando sentire visus est Lutherus; neque ut causa insuperabiliter prædeterminans per excitantem gratiam ex natura sua irresistibilem, & à consensu salutari inseparabilem, ut docet Jansenius; neque ut causa per concursum prævium physicè prædeterminans, ut volunt Thomistæ; sed ut causa prima, principalis, applicans, & natura priùs influens per medium ex natura sua repudiabile, adeòque natura priùs influens absque antecedente & insuperabili ad alteram contradictionis partem obligatione, non solùm ex parte actus primi, sed etiam ex parte actus secundi.

Por-

Portò canone allegato damnatur error Semipelagianorum, asserentium hominem ex solius naturæ vigore desiderare posse, sicut oportet, purgationem seu sanitatem spiritualem, & per hujusmodi desiderium naturale promereri gratiam ad consequendam sanitatem spiritualem necessariam, proindeque Deum, ut det hanc gratiam, expectare naturale illud desiderium, ex solis liberi arbitrii viribus profectum. Quem errorem detestamur, & anathematizamus, duce Arausicana Synodo, cujus doctrinæ fideliter & constanter adhærere volumus.

*Obj.*2. S. Augustinus, lib. de præd. Sanct. c.8. ubi de gratia efficaci sic loquitur: *Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Ex quibus verbis sic argumentaberis. Gratia efficax, ex S. Augustino, est ea, quæ à nullo duro corde respuitur. Sed gratia, quæ à nullo duro corde respuitur, est per se & intrinsecè irresistibilis, & vim habet prædeterminandi insuperabilem: fieri enim non potest, ut gratia, cui voluntas resistere potest potentia morali, & humanitùs ad actum reducibili, non respuatur interdùm, aut etiam sæpè à duris cordibus. Ergo ex S. Augustino, gratia efficax est per se & intrinsecè, &c.

R. neg. min. Nam gratia ex natura sua etiam moraliter & humanitùs repudiabilis, sed quam Deus dat quomodo scit, eam congruere ut non respuatur, summa infallibilitate non respuitur, neque respuitur unquam, seu, quod idem, neque respui potest unquam potentia ad actum reducenda, nisi in iis casibus, in quibus Deus eam non dat quomodo scit eam congruere ut non respuatur: quare si Deus, quod potest, semper eam daret quomodo scit eam congruere ut non respuatur, summa infallibitate nunquam respueretur. Itaque ut gratia efficax sit gratia quæ non respuitur ab ullo duro corde cui datur, necesse non est ut sit irresistibilis & insuperabiliter prædeterminans, sed satis est, quòd omni duro cordi, cui datur, detur à Deo quomodo Deus scit eam in circumstantiis, in quibus datur, aptam esse ut non respuatur; quamtùmvis ex natura sua talis sit, ut etiam moraliter & humanitùs à voluntate possit repudiari; tunc enim summa infallibilitate non respuitur, quia tunc tanta infallibilitate non respuitur, quanta certitudine à Deo præscita est non esse respuenda, si daretur.

Ad prob. min. R. neg. Quantùmvis enim gratia talis sit ex natura sua, ut etiam moraliter & humanitùs repudiari possit à voluntate, fieri tamen potest ut nunquam respuatur à duris cordibus, quia fieri potest ut semper à Deo detur duris cordibus quomodo eis congruit ut illam non respuant: nam nullæ sunt circumstantiæ possibiles, in quibus Deus infinitè potens & sapiens non possit gratiam illam cordibus quantumlibet duris dare quomodo eis congruit, ut deposita duritie, bonum velint & operentur.

Itaque, juxta S. Doctorem; gratia efficax à nullo duro corde respuitur, non quia gratia efficax per se & intrinsecè irresistibilis est, & vim habet prædeterminandi insuperabiliter, sed quia quotiescumque gratia est efficax iis, quibus datur, datur à Deo quomodo scit eis congruere ut illam non respuant; & gratia, quæ datur à Deo quomodo scit congruere ut non respuatur, non respuitur: nam si quando respuitur, fallitur Deus. At Deus nec fallitur nec falli potest. Hanc esse S. Doctoris mentem, patet ex ipso loco, qui objicitur: nam S. Doctor rationem reddens quare gratia efficax à nullo duro corde respuitur, non dicit, eam per se irresistibilem esse, & insuperabiliter prædeterminativam; sed dicit eam dari à Deo ex absoluta & efficaci voluntate auferendi duritiem cordis. *Ideò quippe tribuitur*, inquit, *ut cordis duritia primitùs auferatur.* Juxta S. Doctorem igitur, gratia efficax à nullo duro corde respuitur, quia Deus eam dat, quomodo sit congruere ut non respuatur, & Deus eam dat, quomodo scit congruere ut non respuatur, quia eam dat ex absoluta & efficaci voluntate primitùs auferendi duritiem cordis. Porrò male sentiunt de omnipotentia & sapientia divina, qui putant cordis duritiam à Deo auferri non posse, nisi per gratiam irrepudiabilem, & insuperabiliter prædeterminantem. Quasi verò Deus infinitè sapiens & omnipotens, gratiam ex natura sua etiam moraliter & humanitùs repudiabilem, non possit sic attemperare cordibus etiam durissimis, ut eorum duritiam emolliat, & radicitùs auferat.

*Obj.*3. S. Augustinus, lib.1. contra duas epist. Pelag. c.19. ubi de homine, quem Deus per gratiam efficacem prævenit, sic loquitur: *Trahitur miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Docet itaque S. Doctor homines ex nolentibus fieri volentes per gratiam. *R.* Ita est. At non docet homines ex nolentibus fieri volentes per gratiam irresistibilem, per gratiam insuperabiliter prædeterminantem. Dico igitur homines, juxta mentem S. Doctoris, ex nolentibus fieri volentes per gratiam ex natura sua etiam moraliter & humanitùs repudiabilem, sed quam Deus novit sic eis accommodare, ut cum antea nollent, jam velint, &, quod mirum est, liberrimè, & sine antecedenti & insuperabili ad volendum obligatione velint: Deus enim novit intùs sic operari in cordibus hominum, ut cùm antea nollent, jam velint; quamvis eos minimè ad volendum prædeterminet, & multò minùs prædeterminet insuperabiliter, adeòque ex propria determinatione velint. Unde jure merito dicit S. Doctor, Deum homines ad volendum trahere miris modis. Nam profectò mirus est ille trahendi modus, quo tracti homines, summa infallibilitate trahentem sequuntur, & tamen sequuntur absque omni necessitate, absque omni antecedente ad sequendum obligatione seu prædeterminatione, quia lubet, cùm antea non liberet.

*Obj.*4. S. Augustinum, lib. de grat. & lib. arb. c. 16. ubi sic ait: *Certum est nos velle, cùm volumus; sed ille facit ut velimus bonum ..... Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Unde sic argumentaberis. Ex S. Doctore, Deus facit ut velimus & faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Sed per vires illas efficacissimas nihil aliud intelligi potest in doctrina S. Augustini, nisi cœlestis suavitas voluntatem insuperabiliter prædeterminans. Ergo, &c. *R.* neg. min. Quasi verò Deus non possit voluntati præbere vires efficacissimas per cœlestem suavitatem, ex natura sua etiam moraliter & humanitùs repudiabilem, eam voluntati sic attemperando quomodo novit ei congruere, ut ex amore justitiæ bonum velit & faciat! Itaque, juxta S. Doctorem, Deus facit ut velimus & faciamus bonum, præbendo vires efficacissimas voluntati nostræ; & præbet vires efficacissimas voluntati nostræ, infundendo voluntati nostræ cœlestem quamdam suavitatem, quam quidem etiam humanitùs potest respuere, & terrenæ suavitati postponere, quacum tamen vult, & efficacissimè, adeòque invictissimè vult ex amore justitiæ quod bonum est, quia scilicet Deus eam sic illi attemperat quomodo scit illi congruere, ut ex propria determinatione velit, & effeacissimè velit quod bonum est, ex amore justitiæ.

*Obj.*5. eundem eod. lib. c.14. ubi hæc habet: *Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissimè crederemus etiam perversas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere.* Atqui hoc eatenùs verùm est, quatenùs efficax gratia vim habet prædeterminandi insuperabilem. *R.* hoc negando. Itaque cùm Deus sit infinitè potens & sapiens, non potest non habere in thesauris potentiæ & sapientiæ suæ, pro quibuslibet circumstantiis, gratias excitantes, quantumvis ex natura sua repudiabiles, quibus, si eas dare velit, tangat voluntates quomodo eis aptum est ut velint & operentur bonum. Quare nullæ sunt voluntates adeò perversæ, & fidei contrariæ, ut non possit eas ad credendum, & quidem ex propria determinatione credendum convertere.

Obj. 6. eundem in Euchiridio c. 9. ubi sic ait: *Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* *R.* rectè dici à S. Doctore, & nos cum eo dicere, Deum non fore omnipotentem, si non posset potentia ad actum reducenda quidquid vult absolutè & efficaciter; item repugnare, quòd voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impediatur effectus, quem absolutè & efficaciter intendit. Undè ex hypothesi quòd Deus velit absolutè & efficaciter v. g. ut peccator convertatur, necessarium est necessitate antecedente, absoluta & insuperabili, sed extrinseca, ut peccator convertatur. Et quia Deus vult absolutè & efficaciter non solùm ut peccator convertatur, sed etiam ut liberè convertatur, necessarium est necessitate antecedente, absoluta & insuperabili, sed extrinseca, non solùm ut peccator convertatur, sed etiam ut liberè convertatur.

Hanc autem necessitatem facit decretum absolutum & efficax voluntatis omnipotentis, non quia voluntas omnipotens habet in potestate sua gratias sive excitantes sive operantes, ex natura sua irrepudiabiles, quibus peccatores ad pœnitentiam agendam insuperabiliter prædeterminare potest; sed quia voluntas omnipotens non potest non habere in potestate sua gratias excitantes, ex natura sua repudiabiles, quibus tamen, si eas dare velit, peccatores ad pœnitentiam sic vocatura est, quomodo eis congruit ut illam velint agere & agant.

Hoc satis apertè asserit S. Augustinus lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Non potest*, inquit, *effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum* (qui non convertuntur) *misereri, passet ita vocare, quomodo illi aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur* (vocantem.) Et inferiùs. *Nullius*, inquit, *Deus frustra miseretur. Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Juxta S. Doctorem, effectus misericordiæ Dei non potest ita esse in potestate hominis, ut homo non convertatur, etiamsi Deus absolutè & efficaciter velit ut convertatur: quia homo non potest impedire Deum, ne possit illum ad conversionem ita vocare quomodo illi aptum est ut velit converti, & convertatur. Nullius Deus frustra miseretur, quia nullum frustra Deus absolutè & efficaciter vult converti; & nullum frustra Deus absolutè & efficaciter vult converti; quia nullus est, quem non possit, si velit, in quibuscumque circumstantiis sic vocare ad conversionem, quomodo illi congruit, ut velit converti & convertatur; & quemcumque absolutè & efficaciter vult converti, ad conversionem summa infallibilitate sic vocat, quomodo illi congruit, ut velit converti & convertatur.

ARTICULUS XII.

Solvuntur objectiones petitæ à ratione.

Obj. 1. Gratia efficax, in nostro systemate, est pedissequa voluntatis. Atqui hoc Semipelagianum est, Ergo, &c. *R.* neg. maj. & dico gratiam efficacem, secundùm nos, in omni effectu suo prævenire voluntatem. Duplicem habet effectum gratia efficax. Primus est, excitare, corroborare, & movere voluntatem quomodo illi aptum est ut consentiat. Secundus est operari consensum voluntatis cum ipsa voluntate. Primum præstat effectum gratia efficax independenter ab omni libertatis exercitio, & ante omnem actum salutarem à voluntate deliberatè elicitum. Igitur quoad primum effectum suum, gratia efficax non subsequitur voluntatem deliberatè agentem, sed è contra illam prævenit.

Secundum effectum simul quidem tempore & indivisibiliter operatur gratia efficax cum voluntate deliberatè agente, sed ita simul tempore & indivisibiliter operatur, ut natura priùs operetur, & voluntatem causalitate præveniat, quia voluntas non consentit, nisi dependenter à gratia ad consentiendum ipsam actu elevante, excitante, corroborante, imò & movente quomodo illi aptum est ut consentiat: unde gratia etiam physicè voluntatem applicat ad consensum, & natura priùs, media voluntate, seu per voluntatem quam immediatè afficit, influit in consensum voluntatis, quàm ipsa voluntas. Hinc gratia respectu consensus voluntatis est causa superior, principalis, subalternans, applicans, præmovens; voluntas certò causa inferior, instrumentalis, subalternata, præmota applicata, adeòque in omnibus præventa.

Quantùm verò ad Semipelagianos pertinet, gratiam faciebant voluntatis pedissequam, docendo eam non dari gratis, sed ex merito actus alicujus boni, ex solis arbitrii naturalis viribus liberè eliciti, sicque voluntatem semper præire aliquo suo actu naturali, liberè elicito; gratiam verò ad virtutum opera necessariam subsequi. Quem errorem cum omnibus Catholicis detestamur, & cum illis profitemur, omnem actum salutarem supponere gratiam gratis collatam, alioquin gratia jam non esset gratia; neque nos unquam velle & operari bonum, sicut oportet ad salutem, nisi priùs Deus ex pura misericordia sic nos ad volendum & operandum bonum moveat, quomodo scit nobis congruere ut bonum velimus & operemur: cum enim tantùm, cujus miseretur, *sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Obj. 2. Gratia efficax, in nostro systemate, est subjecta libero arbitrio. Item est gratia indifferens. Item est gratia versatilis: Item partus est scientiæ exploratricis. *R. ad* 1. neg. Nam è contra gratia efficax sibi subjicit liberum arbitrium, præmovendo illud quomodo illi congruit ut consentiat, illudque applicando ad consentiendum: quamvis non illud ita subjiciat sibi, ut ei non relinquat potentiam non consentiendi, etiam moraliter & humanitùs ad actum reducibilem in sensu compositio motionis.

Ad 2. *R.* neg. Itaque gratia efficax, in nostro systemate, est ex se determinata ad effectum, ad quem datur, sic tamen ut per se, & intrinsecè sit repudiabilis: sic enim Deus dat eam determinatè ad hunc actum salutarem, ut simul relinquat voluntati potentiam etiam moralem sequendi, vel non sequendi motum & determinationem ejus. Quare voluntas consentiens gratiæ efficaci, liberè motum, & determinationem ejus sequitur, at non eam determinat, ut vel ipsa vox consentire manifestè significat. Quid enim est consentire gratiæ, nisi motum & determinationem gratiæ sequi?

Ad 3. *R.* 1. Hanc vocem, versatilis, primùm inventam esse & usurpatam ab humanæ libertatis hostibus, & necessitantis gratiæ patronis, ut veram Christi gratiam excitantem, si fieri posset, in contemptum adducerent, & aliam falsam, à se subintroductam, commendarent. 2. Cùm per gratiam versatilem, excitantem gratiam intelligant eam, quæ non est per se & intrinsecè incompossibilis cùm negatione consensus, nec voluntatem prædeterminat insuperabiliter, sed potest etiam moraliter, & humanitùs repudiari à voluntate, quo sensu gratia excitans, statui naturæ innocentis propria, fuit gratia versatilis; non negabimus gratiam efficacem in nostro systemate esse gratiam versatilem, ipsam tamen vocem propter idiotas & sciolos reprobantes.

Ad 4. *R.* neg. Nam Deus in danda gratia efficaci dirigitur per scientiam mediam, quæ est scientia futuribilium. Scientia autem futuribilium non magis est scientia exploratrix, quàm scientia merè possibilium, quæ est scientia simplicis intelligentiæ, aut scientia aliquando existentium, quæ est scientia visionis. Quasi verò Deum laborare necesse sit in investigandis veritatibus conditionalibus, & inquirendis modis, quibus movere possit homines, quomodo illis con-

congruit, ut motioni obtemperent; cùm è contra pro quolibet instanti reali æternitatis clarè, distinctè, & summa certitudine cognoscat omnia liberè futuribilia sub quacumque conditione possibili, & omnes modos possibiles, quos habet in thesauris omnipotentiæ suæ ad movendos sive congruè, sive incongruè quoslibet homines possibiles in quibuslibet circumstantiis possibilibus. Sed tædet & pudet me nugis ejusmodi refellendis immorari.

Obj. 3. Deus, secundùm nos, in danda gratia efficaci attendit ad genium, mores, & alias ejusmodi circumstantias hominis, cui dat gratiam. *R.* Attendere non ex aliqua necessitate: nam si vellet, voluntatem hominis prædeterminaret insuperabiliter; sed ex suavitate providentiæ, nimirùm ut hominem moveat quomodo illi congruit, ut velit & operetur bonum; moveat, inquam, ei relinquendo expeditam facultatem non volendi bonum etiam in sensu compositio motionis; adeòque moveat efficaciter, illæsa prorsùs arbitrii libertate.

Dices. Deus, secundùm nos, ut vocet hominem efficaciter, tenetur expectare, & explorare tempus congruum, aliasque circumstantias congruas; & aliquæ circumstantiæ, secundùm nos, ita sunt incongruæ, ut Deus in illis non possit vocare hominem efficaciter, *Resp.* Hæc omnia esse falsa. Nam secundùm nos, nullum tempus, nullæ circumstantiæ sunt, in quibus non possit Deus hominem vocare, quomodo ei congruit ut vocantem non respuat. Nullum tempus incongruum, nullæ circumstantiæ esse possunt respectu Dei, quia tempus, quod incongruum est (idem dic de circumstantiis aliis quibuslibet) respectu unius gratiæ, nec est, nec esse potest incongruum respectu totius collectionis gratiarum, quas Deus habet in thesauris omnipotentiæ suæ: neque enim infinitè sapienti & potenti Deo possunt non adesse modi non tot, quin plures, quibus vocare possit hominem quovis tempore, & in quibusvis aliis circumstantiis, quomodo ei aptum est ut sequatur vocantem.

Obj. 4. In nostro systemate tollitur necessitas orationis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam secundùm nos, nihil est, quod necesse sit à Deo petere. 1. Enim necesse non est petere gratiam, quia nobis à Deo offertur, quoties præceptum aliquod, vel tentatio aliqua gravis urget. 2. Necesse non est petere congruitatem gratiæ, quia non à Deo, sed à nobis est. Ergo, &c.

Resp. Neg. ant. *Ad prob.* neg. ant. Nam 1. cum omnibus Doctoribus Catholicis dicimus, non semper adesse gratiam proximè sufficientem ad implendum præceptum, aut vincendam tentationem, & Deum gratiam hanc sæpè non dare, nisi debitè petatur. 2. Falsum est quòd in systemate nostro congruitas gratiæ sit à nobis, non à Deo. Secundùm nos igitur, congruitas gratiæ tam est à Deo, quàm ipsa gratia: congruitatis enim denominatio, secundùm nos, tota intrinseca est gratiæ, quia gratia ex propria & intrinseca virtute movet voluntatem quomodo ei congruit ut consentiat, & sic ex propria & intrinseca virtute congrua est, quamvis impedibiliter: cùm enim sit ex natura sua repudiabilis, potest eam voluntas repudiare, & eam repudiando, congruitatem ejus impedire. Congruitas gratiæ est modus gratiæ verus & realis, purus, intrinsecus, contingens, qui potest adesse vel abesse, nullatenùs immutata virtute & perfectione intrinseca gratiæ. Mysteria quærunt adversarii, en mysterium.

Quando gratia congrua est, congruitatem suam habet formaliter à se ipsa, seu à sua entitate, efficienter à Deo, misericorditer illam dante in iis circumstantiis, in quibus à voluntate non impeditur ejus congruitas. Voluntas autem non impediendo ejus congruitatem, nihil ei tribuit, sed è contra accipit unde non impediat, quia ab ea accipit unde ei consentiat. Eadem specie & intensione gratia, quæ in certis circumstantiis congrua est, incongrua esset in aliis, in quibus si daretur, congruitas ejus impediretur à voluntate. Voluntas autem impediendo ejus congruitatem, nihil ei detraheret, quia præcisè ei dissentiendo congruitatem ejus impediret, & natura priùs, quàm impediret, gratia haberet suam incongruitatem: sicut in aliis circumstantiis, in quibus non impedit, natura priùs, quàm non impediat, gratia congruitatem suam habet.

Gratia, quia talis est speciei cum tot gradibus intensionis, in talibus circumstantiis movet voluntatem quomodo ei congruit, & sic in talibus circumstantiis congrua est. Gratia, quia non est talis speciei, aut quia non habet tot gradus intensionis, in talibus circumstantiis non movet voluntatem quomodo ei congruit; & sic in talibus circumstantiis incongrua est. Unde gratia congrua est aut incongrua natura priùs, quàm voluntas ei consentiat, aut non consentiat: quia natura priùs, quàm voluntas ei consentiat, aut non consentiat, est aut non est talis speciei, habet aut non habet tot gradus intensionis. Potest tamen voluntas pro arbitrio impedire vel non impedire ejus congruitatem, quia potest pro arbitrio ei consentire vel non consentire; & potest pro arbitrio ei consentire vel non consentire, quia ex natura sua repudiabilis est, & sic non est ex propria virtute & perfectione congrua necessariò & ineluctabiliter, sed contingenter & fallibiliter.

Obj. 5. Gratia efficax, quâ efficax, pendet à consensu voluntatis in nostro systemate; nam secundùm nos, gratia efficax est, si voluntas consentit, inefficax verò, si voluntas non consentit. Unde secundùm nos, gratiam esse efficacem, & gratiam esse efficientem; item gratiam esse inefficacem, & gratiam non esse efficientem, idem planè significant. Ergo, &c.

Resp. Circa hanc objectionem doctrinam nostram accipe sequentibus numeris. 1. Efficacia gratiæ duo dicit, congruitatem, & infallibilitatem congruitatis. Nam gratia efficax est gratia infallibiliter congrua, hoc est, gratia, quæ si detur, infallibiliter motura est voluntatem; seu gratia, quæ cùm datur, infallibiliter movet voluntatem, quomodo ei congruit, ut consentiat. Consensus autem considerari potest triplicitèr, videlicet, ut actu existens, ut absolutè futurus, ut futurus sub conditione, vel, quod idem est, ut futuribilis.

2. Neque congruitas neque infallibilitas congruitatis dependet dependentia propriè dicta à consensu actu existente. Nam gratia natura priùs movet, & infallibiliter movet voluntatem quomodo ei congruit, quàm actu consentiat. Hinc neque congruitas, neque infallibilitas congruitatis dependet dependentia propriè dicta à consensu absolutè futuro: nam si gratia natura priùs movet, & infallibiliter movet voluntatem quomodo ei congruit, quàm actu consentiat, natura priùs futurum est, ut gratia moveat, & infallibiliter moveat voluntatem quomodo ei congruit, quàm futurum sit ut consentiat.

3. Congruitas non dependet propriè à consensu futuribili, quia gratia, qua suppositâ existere, consensus futuribilis est, natura priùs congrua est in illo statu, quàm consensus sit futuribilis: nam si re ipsa existeret illa gratia in circumstantiis, pro quibus futuribilis est consensus, natura priùs moveret voluntatem quomodo ei congruit, quàm ab ea poneretur consensus; atque ita natura priùs congrua esset, quàm voluntas consentiret.

4. Infallibilitas congruitatis non dependet propriè à consensu futuribili, quia non natura, sed ratione tantùm posterior est consensu futuribili, quâ tali; nec aliter dependet à consensu futuribili, quâ tali, quàm ipsa scientia divina media, cujus est effectus formalis. Scientia autem media non nisi impropriè dependet ab objecto, sicut & scientia simplicis intelligentiæ & scientia visionis, quæ objectum suum non faciunt, sed illud necessariò supponunt: ita ut nonnisi eo præsuppositio esse possint.

5. Igitur efficacia gratiæ propriè loquendo non dependet à consensu voluntatis, & eatenùs dici potest

ab eo dependere, quatenùs voluntas potest potentia ad actum reducibili illam indirectè impedire. Quod in re nihil aliud est, quàm gratiam non esse per se infrustrabiliter efficacem, non esse per se nisi contingenter congruam, eamque sic movere voluntatem quomodo ei congruit, ut relinquat voluntati expeditam facultatem consentiendi vel non consentiendi pro arbitrio, neque eam insuperabiliter prædeterminet ad alteram partem contradictionis. Unde voluntas verè potest componere dissensum cum entitate gratiæ, & componendo impedire, ne Deus prævideris talem gratiam in talibus circumstantiis datam, moturam esse voluntatem, quomodo ei congruet ut consentiat. Quæ doctrina planè consentanea est Synodis Senonensi & Tridentinæ.

6. Ad id quod dicitur, quòd secundùm nos gratia est efficax si voluntas consentit, & inefficax si voluntas non consentit, *Resp.* 1. Hunc modum loquendi in quolibet systemate usurpari posse à posteriori, ex actuali consensu, vel non consensu colligendo efficaciam vel inefficaciam gratiæ. *Resp. itaque* 2. Secundùm nos, gratia est efficax si voluntas consentit, & non efficax si voluntas non consentit, ita ut, secundùm nos, actualis consensus sit natura posterior, quàm efficacia gratiæ, & non consensus sit natura posterior, quàm inefficacia gratiæ, C. Secùs, N. Secundùm nos igitur, non consensus efficaciam gratiæ, sed efficacia gratiæ consensum, similiter non dissensus inefficaciam gratiæ, sed inefficacia gratiæ dissensum natura præcedit. Ratio est, quia secundùm nos, non consensus efficaciam gratiæ, sed efficacia gratiæ consensum positivè, similiter non dissensus inefficaciam gratiæ, sed inefficacia gratiæ dissensum negativè causat.

7. Ad id quod dicitur, quòd secundùm nos, gratiam esse efficacem, & gratiam esse efficientem; item gratiam non esse efficacem, & gratiam non esse efficientem, sint prorsùs unum & idem, *Resp.* esse falsum. Nam secundùm nos, spectato solo actu primo, gratia est efficax vel inefficax, & tamen neque efficiens, neque non efficiens est; cùm efficientia ad actum secundum, & negatio efficientiæ ad actus secundi negationem pertineat. Sicut igitur actus secundus natura posterior est actu primo; ita, secundùm nos, efficientia gratiæ natura posterior est ejus efficacia.

Obj. 6. In nostro systemate, homo potest pro arbitrio reddere gratiam efficacem, vel inefficacem. *Resp.* Hoc esse falsum. Nam ad hoc ut homo verè & propriè dici possit, posse pro arbitrio reddere gratiam efficacem vel inefficacem, requiritur, ut ante actum secundum gratia neque efficax sit, neque inefficax, sed sit ad utrumlibet indifferens. Atqui quòd ante actum secundum gratia neque efficax sit, neque inefficax, sed sit ad utrumlibet indifferens, falsum est, secundùm nos: cùm secundùm nos, spectato solo actu primo sit efficax vel inefficax: nam secundùm nos, vel congruit voluntati, vel non congruit. Si primum, efficax; si secundum, inefficax est, etiam spectato solo actu primo.

Declaratur ampliùs doctrina nostra. Homo, accepta gratia, vel consentit, vel non consentit. Si primum, gratia fuit natura priùs congrua, quàm homo consentiret. Si secundum, gratia fuit natura priùs incongrua, quàm homo non consentiret. Unde homo non potest consentire vel non consentire gratiæ, nisi cum suppositione quòd, si consentiat, gratia fuerit natura priùs congrua, quàm consentiret; si verò non consentiat, gratia fuerit natura priùs incongrua, quàm non consentiret. Manifestum autem est eum, qui non potest consentire vel non consentire gratiæ, nisi cum tali suppositione, non posse pro arbitrio gratiam efficacem vel inefficacem reddere, quamvis possit ejus efficaciam vel inefficaciam impedire vel non impedire pro arbitrio, hoc ipso quod potest pro arbitrio ei consentire vel non consentire.

Obj. 7. In nostro systemate, est in hominis potestate habere vel non habere gratiam efficacem. Atqui hoc repugnat doctrinæ S. Augustini. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Secundùm nos itaque, 1. non est in potestate hominis non habere gratiam efficacem, quia non est in potestate hominis facere, ne Deus eum, si velit, vocet quomodo ei congruit, ut consentiat; quia simpliciter repugnat, Deum infinitè sapientem & potentem, non habere plures modos vocandi, etiam ex se repudiabiles, quibus hominem quemlibet vocare possit, si velit, sicut ei congruit, ut vocantem non respuat, sed liberè consentiendo sequatur. Unde simpliciter repugnat, inter omnes vocandi modos possibiles, ex se repudiabiles, non esse plures respectu cujuslibet hominis, qui repudiari ita possint potentia ad actum reducibili, ut tamen re ipsa non sint repudiandi, si Deus illos adhibere velit.

Porrò, quod obiter observandum est, quòd simpliciter repugnet, inter omnes vocandi modos possibiles, ex se repudiabiles, non esse plures, &c. est veritas necessaria, adeòque objectum simplicis intelligentiæ. At quòd hic vocandi modus potiùs quàm ille ita repudiari possit ab homine potentia ad actum reducibili, ut tamen re ipsa non sit ab homine repudiandus, si à Deo adhibeatur, est veritas contingens, adeòque objectum scientiæ contingentis, nempe scientiæ mediæ.

2. Non est in potestate hominis habere gratiam efficacem: nam homo facere non potest, ut uno potiùs modo vocetur à Deo, quàm alio, ac proinde facere non potest, ut potiùs vocetur à Deo modo congruo quàm incongruo. Prætereà, si in hominis potestate est, per aliquid habere gratiam efficacem, certè per consensum, quem dare potest gratiæ. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam simpliciter repugnat, ut homo per illum habere possit gratiam efficacem, cujus existentia semper supponit congruitatem gratiæ. Atqui existentia consensus semper supponit congruitatem gratiæ. Ergo, &c.

3. Denique, quòd non sit in hominis potestate habere vel non habere gratiam efficacem, breviter demonstratur. Esse in hominis potestate habere vel non habere gratiam efficacem, hic idem est, ac hominem posse gratiam, quam à Deo accipit, efficacem vel inefficacem reddere. Atqui hoc non potest homo, ut probatum est. Ergo, &c.

Obj. 8. In sententia nostra non meliùs defenditur gratia verè sufficiens, distincta à gratia efficaci, quàm in systemate cœlestis delectationis per excessum, quo terrenam superat, intrinsecè irrepudiabilis, adeòque insuperabiliter voluntatem prædeterminantis. *R.* Hoc esse falsum. Nam in sententia nostra gratia excitans incongrua, non est gratia efficax, & tamen verè sufficit voluntati ad volendum & operandum bonum: nam verè dat voluntati completum & integrum posse bene velle & operari. Et verò si non dat, certè propter incongruitatem. Atqui hoc dici non potest: nam incongruitas non dicit negationem alicujus virtutis ad volendum & operandum bonum necessariæ, sed solùm negationem modi excitandi & movendi voluntatem, sine quo voluntas in talibus circumstantiis non volet nec operabitur bonum, quamvis possit illud velle & operari.

In systemate verò cœlestis delectationis per excessum, quo terrenam superat, &c. gratia verè sufficiens, à gratia efficaci distincta, defendi non potest nisi vocetenùs. In hoc systemate duplex est delectatio, cœlestis scilicet & terrena. Cœlestis cùm terrenam intensione superat, est gratia efficax, & voluntatem insuperabiliter prædeterminat ad bonum; & consequenter terrena, cùm intensior est cœlesti, cœlestem reddit inefficacem, & voluntatem insuperabiliter prædeterminat ad malum. Nam si terrena delectatio non habet vim voluntatem ad malum insuperabiliter prædeterminandi, quando cœlesti delectatione intensior est, manifestè gratis dicitur delectatio cœlestis vim habere voluntatem ad bonum prædeterminandi insuperabiliter, quando intensior est delectatione terrena. In hoc igitur systemate si quæ gratia

præter

præter efficacem est verè sufficiens, alia esse non potest, quàm delectatio cœlestis, terrena delectatione remissior; ad quod requiritur, ut cum hac delectatione in hoc systemate habeat voluntas completum & integrum posse bene velle & operari; licèt non bene, sed malè velit & operetur. Atqui hoc esse non potest, ut demonstratur argumento duplici.

Primum argumentum. Gratia, quacum manet insuperabilis prædeterminatio ad malè volendum & operandum, non dat completum & integrum posse bene velle & operari: Patet ex terminis. Atqui in hoc systemate, delectatio cœlestis, terrena delectatione remissior, compatitur insuperabilem prædeterminationem ad malè volendum & operandum. Nam in hoc systemate quandiu delectatio cœlestis terrena delectatione remissior est, tandiu terrena delectatio vim habet voluntatem insuperabiliter prædeterminandi ad malè volendum & operandum. Ergo, &c.

Secundum argumentum. Tandiu voluntas non habet completum & integrum posse bene velle & operari, quandiu deest illi virtus aliqua, se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolutè necessaria. Patet ex terminis. Atqui in hoc systemate, voluntati habenti tantùm cœlestem delectationem, terrena delectatione remissiorem, deest virtus aliqua, se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolutè necessaria. Ergo in hoc systemate, tandiu voluntas non habet completum posse bene velle & operari, quandiu habet tantùm cœlestem delectationem, terrena delectatione remissiorem.

Prob. min. Voluntati habenti tantùm cœlestem delectationem, terrena delectatione remissiorem, deest excessus delectationis cœlestis supra delectationem terrenam, sive, quod idem est, desunt gradus intensionis, quibus delectatio cœlestis major esset delectatione terrena, ut per se patet. Atqui in hoc systemate excessus ille est virtus se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolutè necessaria in præsenti statu. 1. Est virtus: nam est id quo delectatio cœlestis terrenam reprimit, id quo delectatio cœlestis est intrinsecè irrepudiabilis, id quo delectatio cœlestis vim habet voluntatem prædeterminandi insuperabiliter ad bene volendum & operandum. 2. Est virtus se tenens ex parte actus primi: nam est pars & complementum excitantis gratiæ, quæ ad actum primum pertinet. 3. Est virtus ad bene volendum & operandum absolutè necessaria in statu præsenti: nam in hoc systemate voluntas ad bene volendum & operandum in præsenti statu indiget gratia ipsam prædeterminante. Ergo voluntati habenti tantùm delectationem cœlestem, terrena delectatione remissiorem, deest in hoc systemate virtus aliqua, se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolutè necessaria.

Dices. In potestate voluntatis, delectationem cœlestem, terrena delectatione remissiorem habentis, est habere excessum illum, quo cœlestis delectatio terrenam superaret, adeòque voluntatem ad bene volendum & operandum prædeterminaret. Ergo voluntas habens cœlestem delectationem terrena delectatione remissiorem, sua culpa non habet excessum illum, & ita sua culpa non bene vult & operatur. Ergo delectatio cœlestis, quamvis terrena delectatione remissior, censenda est dare voluntati sufficiens posse bene velle & operari.

Resp. neg. ant. Nam si in potestate voluntatis, delectationem cœlestem, &c. certè vel quia directè, vel quia saltem indirectè potest voluntas excessum illum sibi procurare. Neutrum dici potest in hoc systemate. Non primum: nam voluntas non potest novos gradus addere delectationi cœlesti, quam habet; cùm secundùm omnes partes suas sit prorsus indeliberata. Non etiam secundum: nam si potest indirectè, certè minuendo terrenam delectationem. Atqui hoc non potest: nam si potest cum delectatione cœlesti minore minuere terrenam delectationem majorem, potest etiam ejus activitatem suspendere, potest actum objecti illiciti prosecutivum, ad quem inducitur, suspendere. At quòd voluntas possit suspendere activitatem terrenæ delectationis prædominantis, ipsamque captivantis; quòd voluntas possit suspendere actum objecti illiciti prosecutivum, ad quem insuperabiliter prædeterminatur à terrena delectatione prædominante, evidentem implicat contradictionem. Ergo, &c.

Dices. Quòd præter gratiam efficacem detur etiam alia gratia verè sufficiens, tam bene defenditur in hoc systemate, quàm in doctrina Thomistarum. *R.* neg. Nam secundùm Thomistas, ad bene volendum & operandum, præter gratiam excitantem requiritur quidem gratia operans, physicè prædeterminans. At secundùm illos, hæc operans gratia, se habet ad modum actualis concursus, quod satis impunè dicere possunt. Unde cùm actualis concursus se teneat ex parte actus secundi, non ex parte actus primi, Thomistæ præter gratiam excitantem, nullam aliam virtutem ad bene volendum & operandum necessariam requirunt, quæ se teneat ex parte actus primi: quare in eorum doctrina gratia excitans dat completum & integrum posse bene velle & operari, & sic in eorum doctrina defenditur gratia verè sufficiens, præsertim cùm velint actualem illum concursum prædeterminativum, quem præter excitantem gratiam ad bene volendum & operandum requirunt, à Deo offerri omnibus: ita ut qui illum non recipiunt, propter positivam, vel saltem negativam aliquam resistentiam non recipiant.

At in systemate quod impugnamus, velint, nolint illius defensores, voluntati non habenti cœlestem delectationem, terrena delectatione intensiorem, deest virtus aliqua, ad bene volendum & operandum necessaria, se tenens ex parte actus primi. Unde manifestè sequitur, voluntatem in hoc systemate, sine delectatione cœlesti, terrenam delectationem intensionis gradibus superante, non habere completum & integrum posse bene velle & operari, adeòque in hoc systemate non esse aliam gratiam verè sufficientem, præter delectationem cœlestem, terrena delectatione intensiorem.

Dices. Si ita est, neque in sententia nostra præter gratiam efficacem datur alia gratia verè sufficiens. Nam secundùm nos, gratia congrua necessaria est ad bene volendum & operandum. *Resp.* neg. instantiam. *Ad prob. Resp.* dist. Secundùm nos gratia congrua ad bene volendum & operandum necessaria est propter virtutem aliquam quam habet, quam non habet gratia incongrua, & quæ tamen necessaria sit ad bene volendum & operandum, N. Propter connexionem alicujus veritatis cum alia veritate, C. Itaque gratia congrua, secundùm nos, non est ad bene volendum & operandum necessaria, nisi quia verum esse non potest, quòd voluntas bene velit & operetur, quia natura priùs verum sit, voluntatem à Deo excitari & moveri, quomodo ei congruit ut bene velit & operetur. Unde secundùm nos, voluntas potest habere completum & integrum posse bene velle & operari, licèt non habeat gratiam congruam, & quia non habet, non bene velit & operetur.

Dices. In sententia nostra fieri potest hæc suppositio: Hìc & nunc voluntas mota per actum indeliberatum amoris intensum ut sex, consentiet; mota verò per actum indeliberatum amoris intensum tantùm ut quatuor, non consentit. *Resp.* Ex hac suppositione sequi tantùm, quòd quandoque, vel etiam, si vis, sæpè gratia congrua in nostro systemate supra incongruam dicat virtutem aliquam, sine qua non esset congrua, & sine qua proinde voluntas non vellet nec operaretur bonum, sed virtus illa ad bonum volendum & operandum non est necessaria, secundùm nos: nam secundùm nos quandoque voluntas in iisdem planè circumstantiis, mutata sola temporis circumstantia, cum actu indeliberato amoris intenso tantùm ut quatuor, vellet & operaretur bonum.

In systemate verò, quod impugnamus, voluntas pro nullo casu possibili in præsenti statu vellet, & opera-

operaretur bonum cum cœlesti delectatione terrenam non excedente; unde manifestè sequitur in hoc systemate, cœlestis delectationis supra terrenam excessum esse virtutem voluntati in præsenti statu ad volendum & operandum bonum absolutè necessariam: cùm autem hæc virtus se teneat ex parte actus primi, ulteriùs manifestè sequitur in hoc systemate voluntatem sine illa non habere completum & integrum posse velle & operari bonum, adeòque sine illa non habere gratiam verè sufficientem.

Obj. 9. Multùm elevamus gratiam efficacem, docendo illam esse intrinsecè repudiabilem, & ita denegando illi vim insuperabiliter prædeterminandi voluntatem. *Resp.* Hoc esse falsum. Imò verò gratiam efficacem plurimùm extollimus & commendamus, dum infallibilem ejus congruitatem cum intrinseca ipsius repudiabilitate conciliamus. In eo enim quòd voluntas sic moveatur, ut retineat expeditam facultatem consentiendi vel non consentiendi etiam in sensu composito motionis, & tamen summa infallibilitate consentiat, longè magis commendatur sapientia & potentia divina, quàm in eo quòd voluntas infallibiliter consentiat ex insuperabili ad consentiendum prædeterminatione; quod per se manifestum est intellectui cuilibet, quem non excæcarunt falsæ opiniones præjudicatæ.

Dices. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis, potentior est, quàm gratia excitans ex natura sua repudiabilis: prima enim vim habet voluntatem prædeterminandi; secunda verò non habet. Plus ergo gratiæ excitanti tribuunt, qui dicunt illam ex natura sua irrepudiabilem esse, quàm qui dicunt esse repudiabilem ex natura sua.

Resp. 1. Gratiæ excitanti tribuendam non esse prærogativam ullam, quæ libertatem arbitrii excludat. Intrinseca autem irrepudiabilitas gratiæ excitantis excluderet libertatem arbitrii: cùm enim gratia excitans se teneat ex parte actus primi, gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, actum primum antecedenter & insuperabiliter obligaret ad alteram partem contradictionis. Actus autem primus sic obligatus, non esset liber libertate arbitrii.

2. Dignitati & perfectioni gratiæ excitantis sufficientissimè consulitur, si dicatur ex propria & intrinseca virtute movere voluntatem quomodo ei congruit ut consentiat; quamvis ita moveat eam ad consensum, ut ei relinquat non solùm physicam, sed etiam moralem & humanitùs ad actum reducibilem potentiam non consentiendi etiam in sensu composito motionis. Imò verò sic movendo voluntatem, & tamen consensum ejus ab ea infallibiliter exprimendo sub directione scientiæ divinæ, & excellentiùs, & ut ita loquar, diviniùs operatur.

3. Qui tribuunt gratiæ excitanti vim prædeterminandi voluntatem, non magis consulunt ejus perfectioni, quàm hominis perfectioni consuleret, qui ei tribueret vim volandi, quia vis prædeterminandi voluntatem non magis convenit naturæ gratiæ excitantis, quàm vis volandi convenit naturæ hominis. Natura enim gratiæ excitantis attendenda est secundùm intentionem Dei illam conferentis. Deus autem in ea conferenda intendit ut voluntas sic consentiat, ut consentiendo laudem mereatur & præmium. Porrò quam laudem, quodve præmium mereretur voluntas consentiendo gratiæ excitanti ex natura sua irrepudiabili, adeòque ipsam antecedenter & insuperabiliter prædeterminanti ad consentiendum?

Certè cùm ad summum, ipsismet adversariis ita docentibus, voluntas sub tali gratia non esset aliter libera ad non consentiendum, quàm vir sapiens liber est ad eruendos sibi oculos in sensu composito sapientiæ, ut amico id per jocum roganti obsequatur; voluntas consentiendo non magis laude præmiove digna esset, quàm vir sapiens non eruendo sibi oculos, amico quantumvis id per jocum rogante. Quæro autem qua laude, quove præmio tunc dignus esset vir sapiens, quòd amico in eruendis sibi oculis obsequi nollet? Intrinseca igitur irrepudiabilitas, & vis prædeterminandi voluntatem, naturæ gratiæ excitantis disconveniens est, & tam disconveniens est, quàm vis volandi naturæ hominis.

Obj. 10. Concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio, ut docet S. Augustinus, intellectu difficillima est: ita ut pauci admodum eam capere valeant. Ergo sententia nostra, in qua hæc concordia nullo negotio intelligitur, falsa est, & contraria sancto Augustino.

Resp. 1. Retorquendo argumentum contra defensores gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis. Juxta S. Augustinum, concordia gratiæ efficacis cum libertate arbitrii intellectu quidem difficillima est, & ideò pauci illam capere valent; at non est impossibilis. Atqui in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis, concordia gratiæ efficacis cum arbitrii libertate evidenter impossibilis est. Ergo hoc systema evidenter falsum est, & S. Augustini sententiæ contrarium.

Prob. min. Evidenter repugnat actum primum esse liberum libertate arbitrii, & simul antecedenter atque insuperabiliter obligatum ad alteram partem contradictionis. Nullus Doctor Catholicus hanc propositionem negabit. Atqui in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis, gratia efficax, quæ in illa excitante gratia, irrepudiabili ex natura sua, consistit, antecedenter atque insuperabiliter actum primum ad alteram partem contradictionis obligat, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Resp. 2. Directè, concordiam gratiæ efficacis cum arbitrii libertate, juxta S. Doctorem, difficillimam esse; quia juxta S. Doctorem, ad hanc concordiam requiritur ut inter se concilientur duo, nempe quòd gratia summa infallibilitate voluntatem ad consentiendum permoveat, & tamen voluntas sub motione gratiæ efficacis expeditam habeat facultatem consentiendi vel non consentiendi pro arbitrio: sive, ut loquitur S. Doctor, & quod idem est, quòd Pater cœlestis attrahat homines, efficaciter scilicet, ita ut attrahentem sequantur, & tamen sic attrahat, ut eos in libero dimittat arbitrio, hoc est, ut liberam & expeditam relinquat eis sequendi vel non sequendi etiam in sensu composito tractionis facultatem. Illa autem duo conciliamus constituendo gratiam efficacem in excitante gratia, ex natura sua repudiabili, sed quæ ex directione scientiæ summè infallibilis datur voluntati quomodo ei congruit ut velit & operetur bonum. Quæ sententia multas nec leves patitur difficultates, quas hactenùs proposuimus, quasque, Deo auxiliante, sufficientissimè, ut arbitramur, resolvimus.

DISPUTATIO IV.

De gratia Sufficiente.

ARTICULUS I.

De systemate & doctrina Jansenii circa sufficientem Gratiam.

§. I.

Quid sentiat Jansenius de voluntate Dei circa hominum salutem.

1. REjicit voluntatem generalem, qua Deus, post absolutam originalis peccati prævisionem, velit salutem omnium hominum sic, ut omnibus etiam reprobis media ad salutem assequendam idonea præparaverit: *Hæc igitur*, inquit, lib. 10. de gratia Christi Salvat. cap. 2. *S. Augustini principia quisquis perceperit, jam facilè videt non posse statui, quod recentiores plerumque solent, voluntatem quandam generalem, qua Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati positos, salvos fieri, ex qua voluntate*

luntate non solùm generalia redemptionis remedia, sed etiam sufficientia adjutoria omnibus etiam reprobis præparaverit. Imò voluntatem hanc traducit ut Pelagianum & Semipelagianum dogma, libro 3. de gratia, cap. 20. ubi plurimus est in orthodoxis, qui eam defendunt, Doctoribus refellendis.

2. Docet ibid. in eodem signo, in quo electi post absolutam prævisionem peccati originalis, ad gloriam & gratiam gratuitò prædestinati sunt, cæteros omnes non solùm negativè, sed etiam positivè reprobatos fuisse. Unde sequitur reprobos omnes non solùm negativè, sed etiam positivè reprobatos fuisse ante prævisionem absolutam omnis demeriti personalis, & finalis impœnitentiæ.

3. Per hanc autem omnium non electorum reprobationem, quam ante omnis demeriti personalis absolutam prævisionem tenet esse factam, intelligit, non decretum puniendi pœna æterna sensus, hoc enim decretum fatetur, *omnium futurorum peccatorum, ipsiusque mortis in peccatis præsupponere præscientiam* absolutam; sed decretum excludendi à gloria cœlesti, quod cum alio *decretoriam damnationis totalem sententiam*, qua æternis suppliciis addicuntur reprobi, constituit.

4. Itaque, juxta Jansenium, non quidem decretum æterna sensus pœna puniendi reprobos, sed absoluta & efficax voluntas eos excludendi *à vita æterna & regno Dei*, quæ *gravissima creaturæ rationalis est damnatio*, solam prævisionem absolutam peccati originalis præsupponit. Quod disertis verbis asserit Jansenius ibid. c. 3. *Manifestum est*, inquit, *non aliam agnoscere S. Augustinum reprobationis causam, nisi massæ perditæ meritum, seu peccatum originale, quo tota massa periit; & hoc esse causam non tantum negativæ reprobationis, seu non prædestinationis, sed etiam positivæ, qua videlicèt tanquam indignus repellitur ab æternæ vitæ, seu regni cœlestis beneficio, sive iste parvulus vel adultus fuerit, sive ad tempus justificandus, sive in iniquitatibus tota vita mansurus.*

5. Ex dictis apparet, in Jansenii sententia Deum salutem reproborum, etiam eorum qui credunt, imò & eorum qui aliquando justificantur, non aliter velle, quàm vult hominum & Angelorum damnatorum salutem, circa quam meram habet ac omninò sterilem velleitatem, seu complacentiam: adeòque homines viatores, etiam fideles, imò & justos, ac proinde secundùm præsentem justitiam amicos Dei, & filios ejus adoptivos, atque hæredes vitæ æternæ, tam destitui auxiliis gratiæ ad salutem consequendam sufficientibus, quàm destituuntur homines damnati, & dæmones.

Hoc dicit expressis verbis Jansenius, libro 3. de gratia, cap. 20. ubi sic loquitur de voluntate antecedente, qua Deus vult salutem reproborum post peccati originalis prævisionem: *Postquam peccata jam ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate, nihil omninò gratiæ causante consistere potest. Quod ex eo manifestissimè patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas sive hominum sive Angelorum Deus habet; qua non obstante sicut potest consequente voluntate justitiæ, Angelos omni gratia sufficiente & salute spoliare, excæcare, obdurare, damnare: ita non obstante eadem antecedente voluntate, quibusdam hominibus originali labe damnatis, consequente voluntate justitiæ, gratiam sufficientem, fidem, justitiam, salutem, fœlicitatemque negare potest, eosque nolle salvos fieri.*

Tum post aliqua concludit his verbis: *Nihil omninò igitur doctrina Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate recentioribus prodest, ut quæ optimè cum negandæ salutis & gratiæ sufficientis voluntate consistit. Nisi fortè & Angelis & hominibus damnatis, antecedente voluntate salutis, gratiam sufficientem, aliaque redemptionis instrumenta suppeditari & erogari putent.*

§. II.

Quid sentiat Jansenius de morte Christi pro salute hominum.

1. Negat Christum esse mortuum pro salute omnium hominum, & quòd Christus pro salute omnium hominum mortuus sit, Semipelagianorum errorem esse contendit: *Nec*, inquit, *juxta doctrinam antiquorum, pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit, cùm hoc potiùs tanquam errorem* (Semipelagianorum) *à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum.*

2. Dicit Christum mortuum quidem esse, ut mereretur reproborum aliquibus donum fidei, & aliquibus donum non solùm fidei, sed etiam justificationis; at mortuum esse pro salute solorum prædestinatorum; adeòque reproborum aliquos ad credendum, & aliquos non solùm ad credendum, sed etiam ad alia opera ad justificationem prærequisita gratiam sufficientem accipere; solis verò prædestinatis auxilia ad salutem sufficientia dari: *Quibusdam hominibus*, inquit, lib. 3. de gratia Christi Salvator. cap. 21. *dare prædestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos ... electos ... dicimus: aliis charitatem sine perseverantia; aliis fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus ... semetipsum dedit, ac tradidit ... pro istis in æternum vivificandis mortuus est ..... pro his* (hoc est, pro secundi generis hominibus) *in tantum mortuus est ... & in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt.* Unde in his mors & oratio Christi *effectum non assequuntur alium, nisi temporalis fidei, aut charitatis sine perseverantia.*

3. Non veretur asserere Christum non magis oràsse & mortuum esse pro salute reproborum, etiam illorum qui credunt, & justi sunt, quàm pro salute diaboli: *Nullo modo*, inquit ibidem, *principiis ejus* (Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium, æterna salute mortuus esse .... Patrem oràsse sentiatur ... Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.*

4. Denique docet Christum in nullo sensu pro infidelibus, qui in infidelitate moriuntur, oràsse & mortem suam obtulisse. Unde sequitur etiam infideles illos, qui prædicato sibi Evangelio credere nolunt, nullum planè ad credendum sufficiens auxilium accipere: *Ita*, inquit ibidem, *nec voluit* (Pater) *effectus istius voluntatis, hoc est, mortem .... orationem Christi ad omnes homines dilatari, sed vel ad solos illos, qui prædestinati sunt, quatenus pro æterna & totali ipsorum salute offeruntur, vel certè aliquatenus quoque ad illos, qui ratione temporalis fidei, aut charitatis, effectus aliquos redemptionis ... assequuntur.*

§. III.

Quid sentiat Jansenius de gratia sufficiente, qualem defendunt Doctores omnes Catholici.

Nota. Gratia sufficiens, quam præter gratiam efficacem confitendam esse docent Doctores Catholici omnes, est interior gratia excitans, de se & sine alio auxilio, quod se teneat ex parte actus primi, potens operari consensum voluntatis cum ipsa voluntate, qua voluntas potest pro arbitrio uti vel non uti, & cui consentiret si vellet, nec tamen consentit, quia non vult, quamvis possit velle. Unde hæc gratia effectu suo frustratur, & actus salutaris, ad quem datur, non ponitur à voluntate, non quia voluntas non habet ad illum ponendum completam & expeditam potentiam, sed quia non

vult

vult consentire & cooperari gratiæ, ipsam ad consentiendum & cooperandum excitanti.

Breviter. Gratia sufficiens, quam defendunt Doctores Catholici, est interior gratia excitans, dans completum posse, seu completam bonum volendi & operandi potentiam, quæ repudiari potest, & re ipsa repudiatur à voluntate.

Resp. Hanc gratiam Jansenius exhorret, & totis viribus eam impugnat, lib. 3. de gr. Chr. Salvatoris. Et 1. quidem dicit talem gratiam pertinere ad statum naturæ innocentis, non ad statum naturæ lapsæ: *Tale adjutorium*, inquit, cap. 1. *non est aliud, quàm adjutorium* sine quo non *fit opus, nequaquam verò* adjutorium quo; *ac proinde est adjutorium sanæ voluntatis, seu primi hominis, non ægrotæ.*

2. Dicit esse Pelagianum adjutorium: *Est tantùm*, inquit ibidem, *adjutorium* possibilitatis, non voluntatis & actionis: *dat enim homini posse si velit, non velle quod possit; ac proinde est Pelagianicum adjutorium, non Christi Salvatoris.*

3. Dicit hoc adjutorium ab Ecclesia ut hæreticum proscriptum fuisse in Semipelagianis: *Est adjutorium*, inquit ibidem, *quod Massilienses ad credendum necessarium esse, atque ita sufficere statuebant, ut cum eo credere posset homo si vellet: qui tamen tanquam hæretici proscripti sunt: non aliam sanè ob causam, nisi quia tale auxilium homini sufficere putarent* (supple ad completum posse.)

4. Dicit ibidem, *tale adjutorium repugnare precibus, quas vel Deus Ecclesiæ suæ tradidit, & inspiravit, vel ipsa sibi à Spiritu Sancto erudita formavit.* Addit cap. 2. hoc adjutorium esse prorsùs inutile, imò & pernicioſum: *Vidit Augustinus*, inquit, *hoc adjutorii genus jam esse prorsùs inutile lapsorum reparationi vel operationibus, etiamsi ad sexcentos sufficientiæ gradus augeretur ..... Quòd si lapsis hominibus est inutilis* (hæc gratia,) *profectò hoc ipso & perniciosa est.*

5. Denique gratis ac falsò supponens gratiam sufficientem, quam defendunt Doctores Catholici, esse semper merè sufficientem, adeòque pro nullo casu possibili in hoc statu naturæ lapsæ effectum suum obtinere, vocat illam, monstruosam gratiam: *Quid monstrosius*, inquit, cap. 3. *proferri potest, quam quoddam distinctum à cæteris adjutorii genus, quod nunquam ab initio lapsus humani usque ad judicii diem, illum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est?*

§. IV.

Quam Gratiam ut verè sufficientem agnoscat Jansenius.

Resp. Jansenius supponens, & quidem rectè, eam solam gratiam verè sufficientem esse, quæ dat completum posse, adeòque præter quam ad volendum & operandum bonum alia ex parte Dei per modum principii, seu per modum adjutorii actum primum complentis, necessaria non est, intrepidè asserit nullam aliam esse gratiam pro præsenti statu naturæ lapsæ verè sufficientem, præter gratiam excitantem, ex natura sua efficacem, hoc est, præter gratiam excitantem, quæ ex naturâ sua irrepudiabilis est, & voluntatem ad volendum & operandum bonum irrepudiabiliter ac irresistibiliter prædeterminat.

Vocamus autem, inquit, lib. 3. de gratia, cap. 1. *illam sufficientem gratiam, seu sufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est, ut homo velit & operetur. .... nullum igitur jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens* (in hoc vero sensu) *quin sit simul efficax, in Augustini principiis exploratum est.* Non minùs autem exploratum est, ipsum Jansenium per gratiam efficacem intelligere excitantem gratiam irrepudiabilem & irresistibilem.

Ratio ejus est, quia, ut toto libro 2. de gratia probare nititur, sola gratia excitans, irrepudiabiliter & irresistibiliter determinans, est vera Christi gratia, seu gratia medicinalis, adeòque quòd sola gratia excitans, irrepudiabiliter & irresistibiliter determinans, ex parte principii verè sufficiat ad hoc, ut homo velit & operetur bonum. Unde sequitur, solam gratiam excitantem, irrepudiabiliter & irresistibiliter determinantem, dici posse & esse gratiam sufficientem: gratiam verò repudiabilem, cùm vim voluntatem prædeterminandi non habeat, & ita non sit gratia medicinalis, sed solùm gratia sanitatis, non sufficientem, sed insufficientem esse gratiam, quantumcumque magna esse supponatur, etsi ad sexcentos sufficientiæ gradus augeatur.

Hinc vehementer invehitur in Doctores, qui gratiam sufficientem constituunt in excitante gratia repudiabili, adeòque volunt excitantem gratiam repudiabilem, esse verum Christi adjutorium, & medicinalem gratiam: *Quæ hactenùs*, inquit, lib. 3. de gr. cap. 1. *de medicinali Salvatoris adjutorio .... disseruimus, quo captivum arbitrium à concupiscentiæ servitute liberatur, & ut bonum velit & agat, adjuvatur; ad oculum, nisi fallor, ostendunt, quantoperè à tramite veritatis aberraverint qui magis ex principiis Philosophorum, quàm Augustini, aut Ecclesiæ... gratiam* (repudiabilem) *quam sufficientem dicunt, pro vero Christi adjutorio protulerunt.*

Ratio ulterior pro Jansenio, petita ex fonte & capite omnium ejus dogmatum, est quia, ut vult, voluntas nostra funditùs & irreparabiliter per peccatum originale amisit facultatem se ipsam determinandi sive ad bonum, sive ad malum: ita ut in præsenti statu malum velit & operetur, quia ad illud volendum & operandum necessitatur, seu irresistibiliter movetur & determinatur à cupiditate prædominante; nec velit & operetur bonum, nisi cùm à prædominante gratia necessitatur, seu irresistibiliter determinatur ad illud volendum & operandum. Unde sequitur in præsenti statu non ampliùs locum esse excitanti gratiæ repudiabili, adeòque non habenti vim prædeterminandi voluntatem: neque aliam nunc esse gratiam verè sufficientem ad volendum & operandum bonum, præter excitantem gratiam irrepudiabilem, adeòque habentem vim voluntatem ad volendum & operandum bonum necessitandi, seu applicandi irrepudiabiliter. Nam systema Thomisticum, ut Augustini doctrinæ contrarium, explodit Jansenius.

§. V.

Quid circa gratiæ sufficientis distributionem sentiat Jansenius.

1. Docet omnibus Judæis, paucis exceptis, Prophetis scilicet, & aliis similibus, denegatam esse gratiam sufficientem ad servandam legem Mosaicam, & multò magis gratiam sufficientem ad salutem: imò gratiam illam repugnasse scopo legis Mosaicæ, adeòque Judæos illa carere debuisse, sic ut nullis, aut non nisi perpaucis daretur: *Ex his igitur*, inquit, lib. 3. de grat. c. 5. *sufficienter demonstrari puto, esse quemdam sub lege statum, sub quo generaliter, paucis exceptis, Judaica natio ante Salvatoris adventum fuit, in quo non solùm non dabatur gratia sufficiens implendi id quod jubebatur, multò minùs gratia sufficiens ad salutem: sed è contrario ..... talis gratia latiùs legis ac scopo Dei capitaliter repugnabat. Nam... legislatio illum habebat scopum, ut insonante præcepto, ac terribiliter pœnas, nisi hoc facerent, comminante, gratiæ necessitatem ipsa gratiæ adjuvantis subtractione docerentur.*

2. Quod de Judæis, de multis etiam fidelibus non obduratis docet, quibus ait in lege nova gratiam ad implenda mandata divina idoneam deesse: *Quòd si*, inquit ibidem, *generatim loquendo, toti Judaico populo, præter paucos, sufficiens implendæ legi gratia subtracta fuit .... nemo miretur, si & Christianis fidelibus nonnullis, de sua potestate adhuc præsumentibus, idem durissimæ institutionis genus adhiberi, Augustino nobis præcurrente, dicamus. Nam & illis gratiam implendi* (præcepta) *sufficientem non infrequenter*

ter subtrahit Deus, ut eis ipsa gratiæ subtractione ac dilatione, humilitas ac gratiæ necessitas commendetur.

Porrò per hanc vocem, *nonnullis*, qua de industria utitur, ne tam horribili doctrina terreantur lectores, non potest non intelligere Jansenius innumerabiles ferè Christianos fideles non obduratos, eos scilicet omnes, qui identidem mandata divina transgrediuntur. Cùm enim in doctrina Jansenii nemo possit transgredi mandata divina cum gratia sufficiente ad illa implenda, necesse est in doctrina Jansenii, eos omnes, qui mandata divina transgrediuntur, toties carere gratia sufficiente ad illa implenda, quoties illa transgrediuntur.

3. Docet excæcatos & obduratos carere omni gratia sufficiente ad vitanda peccata, & sic necessariò peccare, & quidem imputabiliter: *Ex his*, inquit, eodem lib. cap. 10. *quæ jam dicimus, consentaneum esse facilè videt quisquis Augustini principiis innutritus est, excæcatis & obduratis deesse sufficientem gratiam, non solum eam, qua cordis oculis videant veritatem, eamque mollita voluntate sectentur, sed etiam eam, qua peccata cavere possint.*

4. Docet ibid. cap. 11. infideles carere omni gratia sufficiente ad vitanda peccata, adeòque carere omni gratia sufficiente ad salutem æternam adipiscendam. Addit eos in omnibus actibus suis peccare, & nullum omninò opus, quod sit moraliter bonum, ab eis fieri posse; quia, ut ait, omne opus moraliter bonum supponit duo principia, ex quibus esse debet, nempe veram Christi fidem, & charitatem, quo utroque principio carent infideles.

5. Docet etiam fidelibus justis aliqua præcepta, ea scilicet quæ re ipsa transgrediuntur, esse observatu impossibilia, quia ad ea observanda carent omni gratia sufficiente, tam proxima, quàm remota: *Hæc igitur omnia*, inquit, ibid. cap. 13. *planissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia. Hoc enim sancti Petri exemplo aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra, quàm possint sustinere.*

6. Cùm nolit ullam esse gratiam verè sufficientem, quæ non sit simul efficax, & infrustrabiliter efficax, adeòque nolit ullam gratiam esse verè sufficientem, quæ frustretur, aut frustrari possit effectu suo; juxta illum, illi tantùm accipiunt gratiam sufficientem ad implenda mandata divina, qui ea implent. Item illi tantùm accipiunt gratiam sufficientem ad superandas tentationes, qui eas superant. Item illi tantùm accipiunt gratiam sufficientem ad exercenda pietatis opera, ad credendum, ad sperandum, ad diligendum Deum, qui exercent pietatis opera, qui credunt, qui sperant, qui Deum diligunt. Item illi tantùm accipiunt gratiam sufficientem ad assequendam salutem, qui eam assequuntur. Unde à posteriori infertur in doctrina Jansenii Christum mortuum esse pro salute eorum tantùm, & ita Deum velle salvos fieri eos tantùm, qui re ipsa salvantur.

ARTICULUS II.

Utrùm admitti debeat gratia sufficiens.

Responsio.

Præter gratiam efficacem datur gratia sufficiens, hoc est, gratia interior excitans, dans completum posse voluntati, seu quacum voluntas habet completam & expeditam potestatem operandi bonum, quod tamen non operatur, quia non vult.

Est de fide contra Calvinistas & Jansenium, & *prob.* 1. Ex Scriptura. Nam dicitur Proverb. cap. 1. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.* Continent hæc verba objurgationem & comminationem gravissimam adversùs eos, qui vocati à Deo venire renuunt. Hæc autem objurgatio manifestè esset iniqua, si ii, qui objurgantur quia Deum vocantem non sequuntur, non haberent interiorem gratiam sufficientem ad sequendum vocantem Deum. Talem igitur habent gratiam, quacum sequerentur Deum vocantem, si vellent, & quacum tamen non sequuntur, quia nolunt. Unde jure merito objurgantur, quòd Deum vocantem non sequantur, quia non ex impotentia sequendi, sed ex voluntatis suæ malitia non sequuntur. Ergo ex Scriptura datur gratia verè sufficiens ad operandum bonum, quacum tamen voluntas bonum non operatur, quia non vult ei consentire, & cum ea bonum operari.

Prob. 2. Authoritate Conciliorum, videlicet Arausicani II. c. 25. ubi dicitur: *Hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Unde sic argumentor. Fides Catholica docet, quòd baptizati omnes possint adimplere ea omnia, quæ ad salutem pertinent. Atqui quæ ad salutem pertinent, non possunt adimpleri sine interiore gratia, potentiam ad ea implenda complente. Ergo baptizati omnes habent (pro loco scilicet & tempore) interiorem gratiam, quæ complet potentiam ad implenda ea, quæ pertinent ad salutem. Atqui non omnes habent efficacem; cùm aliqui, imò multi non adimpleant ea, quæ pertinent ad salutem. Ergo aliqui, imò multi habent merè sufficientem, quacum scilicet ea, quæ pertinent ad salutem, non adimplent, non quia non possunt, sed quia fideliter laborare nolunt.

Concilii Valentini III. can. 2. ubi dicitur: *Nec ipsi mali ideò pereunt, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Unde sic argumentor. Qui remanent in massa damnationis, & pereunt, potuerunt esse boni; & boni non fuerunt, non quia non potuerunt esse, sed præcisè quia noluerunt. Atqui non potuerunt esse boni sine auxilio interioris gratiæ, dantis completum posse. Ergo habuerunt interiorem gratiam, dantem completum posse. Ergo vel efficacem habuerunt, vel merè sufficientem. Non primum; alioqui boni esse voluissent. Ergo secundum. Habuerunt igitur gratiam verè sufficientem, quacum boni fuissent, si voluissent; quacum tamen boni non fuerunt, quia noluerunt, & sic in massa damnationis, non ex impotentia emergendi, sed ex malitia sua permanserunt.

Concilii Trident. sess. 6. c. 11. *Nemo*, inquit, *temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti* (debet,) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, &c.* Unde sic argumentor. Nulla præcepta divina, quorum tamen multa observari non possunt sine interiore gratia, sunt ad observandum impossibilia hominibus justificatis. Ergo homines justificati omnes habent pro loco & tempore interiorem gratiam, ad observanda omnia præcepta divina necessariam. Atqui hæc gratia non est efficax in omnibus justificatis; cùm non omnes justificati observent omnia præcepta divina, sed è contra aliqui, imò multi aliqua transgrediantur. Ergo hæc gratia in aliquibus, imò & in multis, est merè sufficiens. Ergo, &c.

Eadem Synodus, eadem sess. cap. 13. sic adhuc loquitur: *Nemo* (justificatus) *sibi certè aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Hìc manifestè loquitur, non de habituali, sed de actuali gratia: loquitur enim de gratia, qua Deus

inchoat

inchoat bonum opus, & inchoatum perficit, operans velle & perficere. Hoc autem utrumque præstat per actualem gratiam.

Sic itaque argumentor. Justificati, qui è statu justitiæ excidunt, excidunt non quia deest illis actualis gratia Dei, sed quia ipsi actuali gratiæ Dei desunt: nam, ut dicit Synodus, nisi ipsi actuali gratiæ Dei deessent, in statu justitiæ permanerent. Atqui manifestum est illum habere actualem gratiam, ad permanendum in statu justitiæ sufficientem, qui è statu illo excidit, non quia deest illi actualis gratia Dei, sed quia ipse actuali gratiæ Dei deest. Ergo justificati, qui è statu justitiæ excidunt, habent actualem gratiam, ad permanendum in illo statu verè sufficientem, quacum permanerent, si illi non deessent, hoc est, si illi cooperari vellent, & quacum non permanent, quia illi desunt, hoc est, quia illi cooperari nolunt. Ergo præter gratiam efficacem, quacum justi prædestinati permanent in statu justitiæ, datur alia verè sufficiens, quacum justi reprobi permanerent, si vellent, & quacum non permanent, non quia non possunt, sed quia nolunt. Unde fit, ut hæc gratia sit merè sufficiens.

Prob. 3. Authoritate Innocentii X. in Bulla quæ incipit: *Cum occasione*, ubi hanc Jansenii propositionem (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*) damnat, ut hæreticam. Omni propositioni hæreticæ contradictoria est vera, & veritas ejus est de fide: non enim potest Ecclesia aliquam propositionem damnare ut hæreticam, quin simul & indivisibiliter definiat contradictoriam ejus esse veram, ejusque veritatem unam esse è veritatibus à Deo revelatis. Et verò propositio aliqua non potest esse hæretica, nisi vel affirmando aliquid oppositum veritati revelatæ, vel negando aliquam veritatem sive in se, sive in alio revelatam, quæ proinde non potest non esse de fide, saltem cùm accessit judicium Ecclesiæ. Atqui hujus propositionis Jansenianæ (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*) contradictoria est hæc: (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur.*) Ergo hæc propositio (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*) vera est, & de fide. Ergo verum est, & de fide, quòd gratia interior in statu naturæ lapsæ non semper habeat effectum, adeòque quòd præter interiorem gratiam efficacem sit etiam alia interior gratia purè sufficiens; sufficiens quidem, quia sufficit ad effectum ad quem datur, & purè sufficiens, quia effectum ad quem datur, non obtinet, eò quòd ei resistitur.

Prob. 4. Authoritate sancti Augustini in lib. 83. qq. quæst. 68. ubi hæc habet: *Ad illam cœnam nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocati. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera potestate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire negligit.* Hic autem loquitur S. Doctor non solùm de vocatione externa, sed etiam & potissimùm de interna: loquitur enim de vocatione, quæ veniendi voluntatem operatur in iis, qui vocati veniunt. Vocatio autem, quæ hanc voluntatem operatur, non est externa, sed interna vocatio. Hoc præsuppositio,

Argumentor sic. Qui ita vocantur à Deo, ut venire sit in eorum libera potestate; ita ut, si non veniunt, non veniant, præcisè quia venire negligunt; illi profectò vires habent sufficientes ad veniendum, & ad sequendum vocantem Deum. Sed qui vocati à Deo non veniunt, ita ab eo vocantur, ut venire sit in eorum libera potestate, & non veniant, non quia non possunt venire, sed præcisè quia venire negligunt. Ergo qui vocati à Deo non veniunt, habent vires sufficientes ad veniendum, & ad sequendum vocantem Deum.

Juxta S. Doctorem igitur, etiam in præsenti statu duplex est vocatio interna, una efficax, & altera merè sufficiens. Cum prima, qui vocatur, venit, quia vult, & vult quia vocatur quomodo ei congruit ut veniat: unde quod veniat, non sibi, sed Deo congruè vocanti tribuere debet. Cum secunda, qui vocatur, non venit, sed venire potest; & venire potest, quia vocatur quomodo ei sufficit ad veniendum, quamvis non quomodo ei congruit ut venire velit: unde quòd non veniat, sibi nolenti tribuere debet, non Deo illum sic vocanti; cùm Deus illum vocet quomodo ei aptum est ut possit venire, nec teneatur illum vocare quomodo ei aptum est, ut venire velit.

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Quòd in præsenti statu detur gratia sufficiens, quæ non sit etiam efficax, capitaliter repugnat doctrinæ S. Augustini. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. cujus falsitas evidenter patet vel ex uno illo S. Doctoris textu, quem modò allegavimus: in eo enim agnoscit interiorem gratiam vocantem, qua vocati non veniunt, quia nolunt, quia negligunt venire; qui proinde venirent, si vellent, si venire non negligerent. At qui veniret, si vellet, si venire non negligeret, habet vires sufficientes ad veniendum, ut per se manifestum est. Ergo juxta S. Doctorem, interior gratia vocans, etiam ea qua, qui vocantur, non veniunt, adeòque etiam ea, quæ non est efficax, dat vires sufficientes ad veniendum, iis quos vocat, & ita est gratia verè sufficiens.

Prob. tamen ant. S. Augustinus, lib. de corr. & gr. cap. 11. & 12. 1. Dividit actualem gratiam internam in adjutorium sine quo non, & adjutorium quo. 2. Per adjutorium sine quo non, intelligit adjutorium ex natura sua repudiabile, quocum voluntas bonum operatur si vult, non operatur si non vult; per adjutorium verò quo, intelligit adjutorium ex natura sua irrepudiabile, quocum proinde voluntas non potest non velle & operari bonum. 3. Docet auxilium sine quo non, fuisse adjutorium naturæ sanæ; adjutorium verò quo, esse adjutorium naturæ ægrotæ: quia cum adjutorio repudiabili natura sana potuit velle & operari bonum; natura verò ægrota sine auxilio irrepudiabili non potest. Ex quibus manifestè sequitur, juxta Sanct. Doctorem, in hoc statu præter actualem gratiam ex natura sua irrepudiabilem, ac proinde irrepudiabiliter efficacem, non aliam esse actualem gratiam ad volendum & operandum bonum verè sufficientem.

Resp. 1. neg. Quòd S. Augustinus dividat actualem gratiam internam in adjutorium sine quo non, & adjutorium quo. Duplex quidem distinguit adjutorium, libro de corr. & grat. cap. 12. nempe adjutorium sine quo non, & adjutorium quo. Item dicit gratiam Adamo datam ad perseverandum in statu innocentiæ, fuisse adjutorium sine quo non; gratiam verò quæ nunc ad perseverandum in statu justitiæ datur Sanctis, esse adjutorium quo. Item per adjutorium sine quo non, Adamo ad perseverandum in statu innocentiæ datum, intelligit, ut nos credimus, actualem gratiam supernaturalis illustrationis, qua Adamo ostendebatur malum vitandum & bonum faciendum. At quod hìc capitale est, per adjutorium quo, quod electis nunc datur ad perseverandum in statu justitiæ, non intelligit actualem aliquam gratiam, sed mortem in iis circumstantiis, in quibus homo justus est, procuratam. Quod ita planum est, ut mirum videri debeat, quòd Jansenius tanto successu hac in re tot Doctoribus scholasticis imponere potuerit.

Sed dato tamen, quòd S. Augustinus actualem gratiam internam distinxerit in adjutorium sine quo non, & adjutorium quo; *Resp.* 2. Gratis & planè falsò post Calvinum dici, quòd S. Doctor per adjutorium quo, intellexerit excitantem gratiam irrepudiabi-

diabilem & irresistibilem. Et dico eum per adjutorium quo creditur, speratur, diligitur, &c. intellexisse inspirationis gratiam, ex natura sua repudiabilem, à qua voluntas immediatè afficitur, excitatur, corroboratur, & movetur quomodo ei congruit, ut credat, speret, diligat, &c.

Non minùs falsum est quod additur, videlicet S. Augustinum docuisse, omnem actualem gratiam excitantem naturæ innocentis fuisse adjutorium sine quo non, omnem verò actualem gratiam excitantem naturæ lapsæ esse adjutorium quo. Et dico, secundùm mentem S. Doctoris, utramque gratiam in utroque statu locum habere. Itaque quantùm attinet ad statum innocentiæ supernaturalis, illustratio, in qua gratia excitans naturæ sanæ consistebat, fuit auxilium quo, quoties, ea prælucente, Adamus innocens opera salutaria exercuit; & fuit tantùm auxilium sine quo non, quando v. gr. Adamus, suadente uxore, pomum veritum comedit, & comedendo lapsus est.

Similiter, quantum attinet ad statum præsentem, inspirationis gratia, in qua potissimùm consistit gratia excitans naturæ ægrotæ, est auxilium quo, quoties voluntas cùm ea bonum vult & operatur; & est tantùm auxilium sine quo non, quando voluntas bonum, quod cum ea potest operari, non operatur, quia non vult. Exemplum habemus in textu S. Doctoris à nobis allegato. Nam interna vocatio, qua Deus ad cœnam suam vocat homines, in iis qui vocati veniunt, est adjutorium quo veniunt; in iis verò, qui vocati non veniunt, est adjutorium sine quo non possunt venire, & quocum possunt, sed non veniunt, quia venire negligunt.

Amplius. Cùm in præsenti statu interior gratia excitans, sit ex natura sua repudiabilis, quandoque, etiam eadem specie & intensione, efficax est, quandoque non, quia quandoque nobis congruit ut velimus, quandoque non congruit: unde quandoque est adjutorium quo, quandoque adjutorium sine quo non tantùm: nam quando est efficax, est adjutorium quo re ipsa volumus, sive adjutorium quo voluntas nostra immediatè à Deo excitata & adjuta vult & operatur bonum, ad quod volendum & operandum non necessitatur, sed solùm congruè movetur: quando verò non est efficax, est tantùm adjutorium sine quo non possumus, & quocum possumus velle: dat enim nobis vires ad volendum sufficientes, sed non dat congruas, & sic dat posse, sed non dat velle & agere, quod daret, si congrueret, & tunc esset adjutorium quo vellemus & ageremus.

Obj. 2. Gratia sufficiens est adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis. Ergo est adjutorium Pelagianum, & à S. Augustino reprobatum. *Resp.* 1. Gratiam sufficientem, quam cum Catholicis Doctoribus defendimus, in aliquo sensu dici posse adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis, in quantum scilicet dat voluntati posse tantum, quia voluntas ei resistendo, impedit eam, quominùs det etiam velle & agere: cùm è contra gratia efficax sit adjutorium non solùm possibilitatis, sed etiam voluntatis & actionis, quia voluntati dat non solùm posse, sed etiam velle & agere, movendo scilicet illam, quomodo illi congruit ut velit & agat, simulque ad volendum & agendum, seu, quod idem est, volentem & agentem immediatè & intimè adjuvando.

Resp. 2. Adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis, in hoc sensu, non esse adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis, in sensu Pelagii. Nam Pelagius, 1. per adjutorium possibilitatis, non adjutorium dans, sed solùm adjutorium adjuvans posse intelligebat: volebat enim liberum arbitrium per se solum valere ad opus salutare quodlibet, adeòque liberum arbitrium non indigere gratia ad posse simpliciter, sed tantùm ad facilius posse. 2. Adjutorium illud possibilitatis constituebat in lege atque doctrina, forinsecùs, vel etiam intrinsecùs per illustrationem propositis, & sic quid prosequendum, quidve fugiendum esset ostendentibus. 3. Asserendo non voluntatem & actionem in operibus salutaribus, sed solam possibilitatem adjuvari, negabat nos velle & operari bonum dependenter ab interiore gratia, in libero nostro arbitrio immediatè recepta, illudque immediatè & intimè afficiente, excitante, corroborante & adjuvante ad volendum & operandum bonum, ad quod, ut malè putabat, nequidem adjutorio se tenente ex parte intellectus voluntas nostra indiget, nisi ut faciliùs velit & operetur.

Cùm hac autem Pelagii doctrina, à S. Augustino & aliis Doctoribus Catholicis jure merito reprobata, nihil habet commune nostra de gratia sufficiente doctrina, in qua gratia sufficiens est gratia non externa, sed interna, nec tantùm ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis se tenens immediatè: cùm sit non tantùm illustratio recepta in intellectu, sed etiam inspiratio in voluntate recepta. Unde secundùm nos, non solùm adjuvat posse, ostendendo voluntati bonum faciendum & malum fugiendum, sed etiam dat ipsum posse, voluntatem ægrotam sanando, torpentem excitando, infirmam corroborando quantùm oportet, ut bonum faciat, vel fugiat malum, si velit.

Quare si gratia sufficiens non est adjutorium voluntatis & actionis, hoc contingit ex vitio liberi arbitrii, quod consentire non vult gratiæ; & si consentiret, gratia tunc esset adjutorium voluntatis & actionis, nec tantùm daret posse, sed etiam velle & agere, quia liberum arbitrium non vellet & ageret, nisi dependenter ab ea ut immediatè præmovente & adjuvante ad volendum & agendum.

Denique cùm Pelagium asserentem adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis reprehendit S. Augustinus, ab eoque postulat, ut adjutorium voluntatis & actionis confiteatur, non petit ab eo, ut rejiciat omnem gratiam, quæ det posse tantùm, & agnoscat solam gratiam, quæ dat non solùm posse, sed etiam velle & agere, adeòque nullam aliam gratiam, præter efficacem, profiteatur: sed solùm ab eo petit, ut fateatur nos in omni opere salutari, quod exercemus, adjuvari per interiorem gratiam, in voluntate nostra immediatè & intimè receptam, eique ad bonum volendum & operandum vires submini strantem, sine quibus nec vellemus & operaremur bonum, imò nec illud velle & operari possemus. Quod non impedit, quominùs præter gratiam, quæ modo explicato dat nobis velle & agere, quoties bonum salutare volumus & agimus, aliam etiam agnoscamus, quæ nobis dat tantùm posse, quia non volumus, & quæ nobis daret etiam velle & agere, si vellemus & ageremus.

Obj. 3. Si homo posset bonum velle & agere cum gratia sufficiente, qualem admittimus, hoc est, cum interiore gratia excitante repudiabili, quæ non habet effectum, quia nolumus ei consentire, homo posset in hoc statu naturæ lapsæ sibi, non Deo donante, tribuere bonam actionem & meritum. Item posset se ipsum ab aliis per voluntatis libertatem discernere. Absurdum utrumque cons. Ergo, &c.

Resp. Neg. 1. sequent. Nam si homo cum illa gratia bonum, ut potest, re ipsa vellet & ageret, non vellet & ageret, nisi dependenter à Deo, ipsius voluntatem per gratiam illam immediatè præmovente & adjuvante ad volendum & agendum, & consequenter non vellet & ageret, nisi dependenter à Deo, ei per gratiam illam donante, ut vellet & ageret. Hanc doctrinam expressè tradit sanctus Augustinus, lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. his verbis: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit; sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta, reprobus fieret.*

Itaque juxta S. Augustinum, 1. Esau à Deo vocatus non cucurrit, non quia non potuit, sed quia noluit currere. 2. Si voluisset & cucurrisset, voluisset & cucurrisset dependenter à Deo, ei vocatione sua præstante & donante ut vellet & curreret. 3. Deus tamen vocatione sua non præstitit & donavit Esau ut vellet & curreret, quia Esau vocationem contempsit, & contemnendo impedivit ne Deus ipsa illa

vocatione præstaret, eique donaret, ut vellet & curreret. Potest igitur homo, juxta S. Doctorem, etiam in præsenti statu habere gratiam verè sufficientem, & tamen non operari bonum, ad quod operandum gratia illa data est, quia potest gratiam illam contemnere, & re ipsa contemnit ei dissentiendo: unde Deus cum posse, non illi dat etiam velle & agere. At si consentiendo gratiæ, ut potest, vellet & operaretur bonum, non vellet & operaretur, nisi Deo ipsi per gratiam illam, cui consentiret, donante ut vellet & operaretur.

Resp. neg. etiam 2. seq. Nam si homo cum gratia illa, quæ merè sufficiens est, quia rejicitur, bonum vellet & ageret, vellet & ageret dependenter à Deo, ipsum saltem natura priùs vocante quomodo ei congrueret, ut vellet & ageret, adeòque dependenter à Deo ipsum saltem natura priùs vocatione sua discernente, quàm vellet & ageret. Deus enim vocando hominem quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, hoc ipso discernit illum ab aliis, quos non sic vocat. Sed

Nota. Hæ duæ veritates: Homo vocatus à Deo, vult & agit bonum: Deus vocat hominem quomodo scit ei congruere ut velit & agat bonum: ita connexæ sunt inter se, ut prima absoluta necessitate supponat secundam, & secunda absoluta necessitate inferat primam. Unde supponi non potest, hominem à Deo vocatum, velle & agere bonum, quin supponatur, Deum saltem natura priùs vocasse hominem, quomodo scit ei congruere ut velit & agat bonum, & consequenter quin supponatur, hominem à Deo saltem natura priùs discretum esse per vocationem congruam. Quare ex eo quòd homo cum gratia sufficiente possit velle & operari bonum, non aliud sequitur, quàm quòd possit non impedire discretionem sui per hanc gratiam, ei consentiendo; sic tamen ut si supponatur ei consentire, & ita cum ea bonum velle & agere, necessariò supponendus sit per eam à Deo discretus fuisse saltem natura priùs, quàm consentiret, atque bonum vellet & ageret.

Obj. 4. Gratia sufficiens non est gratia: nam secundùm nos, est debita naturæ. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. & ejus prob. Nam Deus, secundùm nos, potuit etiam absque indecentia condere creaturam rationalem, tam angelicam, quàm humanam, sine ordinatione ad finem supernaturalem: quare, secundùm nos, gratia nec debetur naturæ rationali, nec ab ea exigitur connaturaliter. Attamen supposito quòd Deus ad finem supernaturalem elevare velit creaturam rationalem, eique dare præcepta, quæ observari non possint absque gratia, tenetur, non quidem creaturæ rationali, sed sibi, nimirùm ut sapienter & convenienter elevet atque præcipiat; suppeditare auxilia gratiæ, sine quibus creatura rationalis non potest assequi finem illum, ad quem est ordinata, & imposita sibi præcepta adimplere: nam si talia auxilia in suppositione facta Deus non suppeditaret, creaturam rationalem ordinaret ad finem, ad quem nollet eam pervenire, eique præciperet impossibilia; quod à Deo sapienter & convenienter fieri posse, nemo sanæ mentis dixerit.

Porrò loquimur de creatura innocente: aliud enim est de creatura peccati rea: nam quamvis Deus humanam naturam ad finem supernaturalem ordinaverit, posset nihilominùs non solùm aliquibus, sed etiam omnibus omninò hominibus, ex Adamo naturaliter descendentibus, gratiam ad salutem consequendam sufficientem absque injuria, & indecentia denegare, præcisio, scilicet, redemptionis pretio à Christo oblato, & à Patre acceptato. Ratio est, quia omnes homines, ex Adamo naturaliter descendentes, nascuntur peccatores & filii iræ, quibus adeò jure debetur nihil nisi pœna. Unde illud Sapient. cap. 12. *Quis stabit contra judicium tuum, aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?*

Dixi, gratiam sufficientem ad salutem consequendam; nam Deus in hoc statu naturæ lapsæ nobis non potest denegare auxilia gratiæ, sine quibus adimplere non possumus mandata ejus, supposito quòd velit ea à nobis adimpleri, eorumque transgressionem non adimplentibus imputari: Deus enim impossibilia jubere non potest; & nemo potest peccare imputabiliter, aut non faciendo quod facere non potest, aut non cavendo quod non potest cavere.

Obj. 5. Gratia sufficiens nunquam habuit effectum, & nunquam habitura est. Ergo est gratia inutilis, perniciosa & monstrosa. *Resp.* Neg. ant. Universaliter sumptum pro omnibus circumstantiis possibilibus in hoc statu naturæ lapsæ. Itaque gratia sufficiens, qualem defendimus, nunquam quidem habuit, aut habitura est effectum in iis circumstantiis pro quibus supponitur fuisse, aut fore merè sufficiens; at habuit aut habuisset; item habitura est, aut habitura esset in aliis. Pro quo

Nota. Eadem etiam specie & intensione gratia, quæ incongrua est pro aliquibus circumstantiis, pro aliis congrua esse potest, & est. Unde eadem etiam specie & intensione gratia sic est purè sufficiens pro aliquibus circumstantiis, ut possit esse & sit efficax pro aliis. Quare eadem etiam specie & intensione gratia quæ non habuit, aut habitura est effectum in certis circumstantiis, in quibus erit incongrua & inefficax, adeòque purè sufficiens, habuit in aliis, si data est, vel habuisset, si data esset; item habitura est in aliis, si dabitur, vel habitura esset, si daretur: quia in aliis fuit vel fuisset, item in aliis erit vel esset congrua & efficax.

Perperam ergo dicitur, gratiam sufficientem, qualem defendimus, 1. esse monstrosam gratiam, quasi verò monstrum sit, quòd eadem etiam specie & intensione gratia aliquando congruat, & aliquando non congruat etiam eidem homini, ut velit & operetur bonum. 2. Perniciosam; cùm voluntas possit eam in bonum suum acceptare, eique consentiendo, bene & sicut ad salutem oportet, velle & operari; nec in damnum hominis vergat, nisi quia ipse volens ac lubens illam repudiat in perniciem suam. 3. Inutilem: quòd enim non habeat effectum, hoc provenit ex vitio voluntatis, eam abjicientis, & nolentis ea uti, non ex defectu alicujus virtutis ad bonum volendum & operandum necessariæ: nam gratiæ incongruitas nihil virtutis ad bonum volendum & agendum necessariæ subtrahit, ut patet ex gratia, quæ manens eadem in specie & in intensione, in aliquibus circumstantiis congrua est, & in aliis incongrua respectu ejusdem subjecti; quod nonnisi perperam negaretur. Malè autem dicetur medium aliquod inutile, quod ita valet ad effectum ad quem datur, ut si velis eo medio uti, effectum illum obtineas, & quem proinde non obtines, nisi quia medium respuis, & eo uti dedignaris.

Obj. 6. Gratia sufficiens repugnat precibus Ecclesiæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam Ecclesia in precibus suis non postulat à Deo, ut possimus bonum velle & agere, sed ut re ipsa illud velimus & agamus. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. *Ad prob. Resp.* neg. conseq. Non enim sic orat Ecclesia, eò quòd non dentur gratiæ, quibuscum verè possumus bonum velle & agere, quod tamen nec agimus nec volumus, gratias illas liberè repudiando; sed quia non nisi bonum volendo & agendo salvabimur, & ita non salvabimur sine gratiis efficacibus, quantumvis cum sufficientibus possemus salvari, & salvaremur, si vellemus his gratiis cooperari. Unde gratias efficaces, non sufficientes, in orationibus suis petit Ecclesia.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrùm fidelibus justificatis detur gratia sufficiens ad servanda præcepta divina, & ad permanendum in statu justitiæ.

Responsio I.

Fideles justificati accipiunt gratiam verè sufficientem ad servanda præcepta divina, etiam quando ea transgrediuntur.

Est de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam dicitur Matth. cap. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Et 1. Joan. cap. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Quæ verba pertinent saltem ad fideles justificatos, & apertè significant illis dari gratiam, quacum possunt, si velint, servare omnia mandata divina.

Prob. 2. Ex S. Augustino in lib. de fide contra Manichæos, cap. 10. *Quis*, inquit, *non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Et in lib. de nat. & grat. c. 69. *Valdè autem bona sunt præcepta*, inquit, *sit legitimè his utamur. Eo quippè ipso quo firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et in lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 16. ubi sic ait: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Et inferiùs: *Certum est nos servare mandata, si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.*

Ex his textibus habemus, S. Doctorem ante & post exortam Pelagianam hæresim, 1. ut exploratum & apud omnes indubitatum tenuisse, quòd Deus, utpotè summè justus & bonus, nulla hominibus præcepta imponat, quæ ab illis servari non possint. Quod certè imprimis verum est de hominibus fidelibus & justis, cùm sint amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredes: Deum enim ab amicis, filiis adoptivis, ac hæredibus aliquid exigere, quod ab eis sciret fieri non posse, quis vel suspicari potest, si de bonitate & justitia illius ut par est sentiat?

2. Deum præter præcepta, quæ cum solis naturæ viribus servare possumus, alia etiam nobis imponere præcepta, quæ servare non possumus sine gratia, & ad hæc servanda nobis, cùm opus est, præstò adesse auxilium saltem remotè sufficiens, nempe gratiam orandi, & petendi gratiam, quia tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus quod nobis præceptum est.

3. Pelagianos, Deum impossibilia non præcipere, ad nauseam inculcantes carpere, cùm id à nemine vocaretur, aut vocari posset in controversiam; eosque reprehendere, non quòd assererent Deum non jubere homini, quod scit ab homine non posse fieri; cùm id verum esse nemo non agnoscat; sed quòd inde colligerent, hominem ad servanda mandata divina adjutorio gratiæ non indigere. Deus, inquiebat S. Doctor, præcipit nobis aliqua, quæ naturales arbitrii vires superant; non idcircò tamen præcipit impossibilia, quia quæ vires arbitrii superant, non superant vires Dei præcipientis, qui proinde arbitrio subvenire potest, quantum necesse est ut possit, imò & tantùm velit, quantum sufficit ut volendo faciat quod præcipitur: *His* (verba sunt S. Doctoris, lib. 2. de peccator. meritis & remiss. cap. 6.) *atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse.*

Deus igitur, juxta S. Doctorem, hominibus non jubet impossibilia, non quia nihil jubet quod excedat naturalem facultatem, ut volebant Pelagiani, sed quia in his quæ jubet, & facultatem naturalem excedunt, paratus est ad juvandum, & re ipsa juvat homines, vel dando auxilium, quocum absque ulteriori adimplere possunt id quod jubetur, vel saltem dando aliud remotius, quocum illud proximè requisitum possunt, si volunt, obtinere: unde si illo privantur, urgente præcepto, hoc sibi, non Deo imputare debent. Hæc autem Dei hominibus generatim dicta, certo certiùs, secundùm mentem S. Doctoris, à fortiori intelligenda sunt de iis, qui fideles sunt & justi.

Prob. 3. Ex Conciliis, nempe Arausicano II. can. 25. ubi dicitur, omnes, qui per baptismum justificati sunt, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, posse adimplere, si fideliter laborare voluerint. Et Trident. sess. 6. c. 11. ubi dicitur: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini justificato esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Juxta Synodum igitur, nulla Dei præcepta, quantumlibet illis vires naturæ impares sint impossibilia sunt hominibus justificatis, quia ad ea, cùm urget eorum obligatio, implenda, habent actualem gratiam proximè sufficientem, vel si non habent, quod quandoque, imò sæpè contingere potest, habent saltem gratiam remotè sufficientem, quacum orare possunt, & orando impetrare auxilium proximè sufficiens, quo proinde, nisi sua culpa, carere non possunt.

Prob. 4. Ex summis Pontificibus, nempe Pio V. & Gregorio XIII. à quibus damnata est hæc Baii propositio: *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.* Et Innocentio X. qui temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaravit hanc Jansenii propositionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant:* Cujus propositionis sensus est, quòd justis impossibilia sint ea præcepta, quæ transgrediuntur, quia deest eis gratia tam remotè quàm proximè sufficiens ad præceptorum illorum observationem.

Obj. Quando Petrus Apostolus Dominum negavit, caruit gratia ad vincendam tentationem, & ad implendum præceptum de Domino tunc confitendo: hoc enim docent Patres multi. Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* Patres illos loqui vel de gratia speciali, qua destituit Petrus Dominum negavit, licèt sufficiens haberet auxilium ad illum confitendum; vel potiùs de gratia proximè sufficiente, hoc est, de gratia, quacum absque ulteriori auxilio posset in illis circumstantiis Dominum confiteri; licèt non careret gratia, quacum orare poterat, & orando impetrare gratiam proximè sufficientem. Nam Patribus familiare est, simpliciter dicere, quòd homo careat gratia ad observandum præceptum necessaria, & ita quòd præceptum non possit observare, quando non habet gratiam proximè sufficientem, licèt remotè sufficientem habeat.

Patet ex S. Augustino, libro de natura & gratia cap. 69. *Eo ipso*, inquit, *quò firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et libro de gratia & libero arbitrio, c. 16. *Ideò*, inquit, *jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab eo petere debeamus.* Et ser. 124. de tempore, ubi hæc habet: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum .... Ideo B. Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere.* Hìc autem S. Doctor dicendo Deum paululùm subdeseruisse Petrum, apertè significat Petrum non fuisse orbatum omni gratia ad vincendam tentationem idonea, sed solùm caruisse gratia, quæ ad id proximè sufficeret; ita ut remotè sufficientem tunc habuerit,

nempe gratiam orandi, qua auxilium ulteriùs impetrare potuit; non tamen impetravit, quia hac orandi gratia uti neglexit.

Responsio II.

Fidelibus justificatis datur gratia verè sufficiens ad permanendum in statu justitiæ, etiam iis qui non permanent; unde in illis, eorum culpa est merè sufficiens. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur 1. Cor. c. 10, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* At si fideles justi non tentantur supra id quod possunt, sanè nihil est, quod eos impedire possit, quominùs, si velint, in statu justitiæ permaneant. Et 1. Timoth. cap. 4. *Qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Deus igitur sincerè vult salutem omnium fidelium, & à fortiori fidelium justificatorum, adeòque idonea illis auxilia subministrat, quibus, si velint, permanendo in statu justitiæ salutem adipiscantur. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Concil. Trident. Session. 6. Nam dicit, cap. 11. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur.* Et cap. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes* (justificati) *debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Quid est autem justificatos non deseri à Deo, nisi priùs eum deserant, nisi eos, donec mortaliter peccent, à Deo etiam specialiter adjuvari? Et ad quid specialiter adjuvari, nisi ad standum & permanendum in statu justitiæ? Hanc porrò esse Synodi mentem, ex contextu manifestum est. Item si Deus in justificatis omnibus, sicut cœpit opus bonum, ita perfecturus est operans velle & perficere, nisi ipsi defuerint illius gratiæ, certè si in statu justitiæ non permanent, sua culpa non permanent, & quia desunt gratiæ divinæ, eam scilicet repudiando, & ei consentire ac cooperari nolendo.

Prob. 3. Ex S. Augustino, lib. de natura & gratia, cap. 26. *Ipse autem Deus*, inquit, *cum per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, spiritaliter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, idest, justificat impium, & cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque* (quæ in habitibus infusis consistit) *perduxerit, non deserit, si non deseratur* (per mortale peccatum) *ut piè semper justèque vivatur* (hoc est, hominem justificatum, nisi ab eo deseratur, adjuvat ad piè semper justèque vivendum;) adjuvat, inquam, per interiorem suam gratiam, sine qua piè justèque vivit nemo, aut vivere potest. Nam, ut prosequitur S. Doctor, *sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus* (adeòque per gratiæ sanctificantis infusionem perfectissimè sanatus) *nisi æternæ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus* (per infusionem inhærentis justitiæ) *non solùm ut* (per eam) *deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam* (per actualis gratiæ suæ auxilium) *ne peccemus* (& sic piè semper justèque vivamus.)

Nota. Pelagius cum suis asserebat, misericordia Dei nos indigere ad delenda præterita peccata, non ad ea in posterum vitanda, sed sanos per justificationis beneficium effectos, cum solis arbitrii viribus omnia vitare peccata, adeòque piè semper justèque vivere posse: *Videtisne*, inquit, ibidem S. Doctor, recitatis Pelagii verbis, *quemadmodum non dicat necessariam misericordiam Dei ut non peccemus, sed quia peccavimus?* Unde consequenter ajebat Pelagius, Deum per justificantem gratiam sanare peccatorem, condonando ei peccata præterita, sed sanatum sibi & arbitrii sui viribus permittere, utpotè ulteriori divinæ gratiæ adjutorio non indigentem ad tuendam sanitatem, piè semper justèque vivendo.

Contra hanc doctrinam insurgens S. Augustinus, contendebat. 1. Hominem peccatis vulneratum, divina misericordia indigere non solùm ad recuperandam sanitatem per gratuitam infusionem inhærentis justitiæ, qua Deus peccata delet, sed etiam ad recuperatam sanitatem tuendam, rectè vivendo; quia homo peccator, quantumvis per acceptam inhærentem justitiam sanus effectus, rectè vivere non potest, nisi divinitùs adjuvetur per actualia interioris gratiæ auxilia.

2. Et ita peccatorem à Deo justificari, non solùm ut sanetur, & à peccatis admissis purgetur, sed etiam ut sanatus, & à peccatis purgatus, in posterum possit rectè vivere; ad quod præter justificantem gratiam, indiget adjutorio actualis gratiæ, excitantis & adjuvantis: *Sicut ergo vulnere*, inquit, ibidem S. Doctor, *claudicans ideo curatur, ut sanato malo præterito, futurus dirigatur ingressus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus Medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero rectè ambulare possimus, quod quidem etiam sani nonnisi illo adjuvante poterimus.*

3. Deum, cùm per justificationis gratiam sanet hominem peccatorem, ut sanus effectus, rectè possit ambulare, nec homo, quamvis sanus, rectè nonnisi eo per interiorem suam gratiam adjuvante ambulare possit, quos per justificationis gratiam sanavit, non deserere, nisi ab eis deseratur, sed eos interiore sua gratia adjuvare, ut rectè ambulare possint, & piè semper justèque vivendo, rectè ambulent, si velint. Sic supernus Medicus ægrotum, quem sanavit, sanatum non derelinquit, sed quandiu ab eo non respuitur, sanum ad sanitatem tuendam adjuvat: cùm è contra Medicus homo ab ægro, postquam eum sanitati restituit, discedat, & Deo dimittat sustentandum elementis & alimentis: *Medicus homo*, inquit S. Doctor, *cùm sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, atque subsistat, Deo dimittit ... ipse autem Deus cùm per Mediatorem ... non deserit, si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur.*

Ex his autem clarum est, juxta sanctum Augustinum, justificatis omnibus ad permanendum in statu justitiæ, in qua spiritalis animæ sanitas consistit, à Deo dari sufficiens interioris gratiæ adjutorium. Sed audiamus adhuc S. Doctorem enarr. in Psal. 39. sic alloquentem hominem justificatum: *Jacta in Dominum curam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Quid tibi curaturus est? quid tibi provisurus? Habeat tui curam qui fecit te: qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cùm jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ: curam tui non habebit, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo verò & hic fovet, & hic adjuvat, & hic necessaria subministrat, & noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui; securus esto, ille proteget qui te fecit. Ab artificis tui manu noli cadere; si ceciderit jam à manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit ..... nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse.*

Prob. 4. Ratione. Quia ut justificati possint permanere in statu justitiæ, requiritur, & sufficit, ut possint adimplere omnia mandata divina. Atqui possunt adimplere omnia mandata divina, ut constat ex resp. 1. Ergo, &c.

Obj. S. Augustinus, libro de bono persev. cap. 9. quærenti cur ex duobus justis uni perseverantia detur, & alteri non detur, non aliter respondet, quàm recurrendo ad inscrutabilia judicia Dei. Sed si justis omnibus datur gratia sufficiens ad permanendum in statu justitiæ, frustrà ad illa inscrutabilia Dei judicia recurritur. Quærenti enim cur unus perseveret, alter non perseveret, responderi poterit, quia unus non deest gratiæ Dei, alter verò deest. Ergo, &c.

Resp. Ita

Resp. Ita quidem responderi posse; cùm ex justis illi non perseverent, qui desunt, & illi omnes perseverent, qui non desunt gratiæ Dei: at nihilominus, cùm omnes justi ita possint permanere in statu justitiæ, ut illi tantùm re ipsa permaneant, quibus gratis à Deo perseverantia ipsa datur, gratis procurando illis bonam mortem, vel, si vis, gratis illos usque in finem vocando, quomodo eis congruit; ad inscrutabilia Dei judicia necesse est recurrere, si quæritur quare uni justo bona mors à Deo procuretur, & alteri non procuretur; quare unus justus rapiatur ante lapsum, & alter non rapiatur; quare unus justus usque in finem vocetur congruè, & alter non vocetur; breviter, quare uni justo detur, & alteri non detur perseverantia. Tunc enim aliud respondere non possumus, quàm quod dicit Apostolus, Rom. cap. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* quando quidem ex parte duorum justorum, quorum uni perseverantia datur, & alteri non datur, nulla ratio assignari potest, cur uni potiùs detur, quàm alteri; quia cui datur, ex pura misericordia datur. Potuit Deus utrique dare perseverantiam, potuit neutri absque injustitia; uni dat, & non alteri: *Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

ARTICULUS V.

Utrùm fidelibus peccatoribus detur gratia sufficiens ad conversionem.

Responsio I.

Fidelibus peccatoribus non obduratis datur gratia sufficiens ad conversionem.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Ezechielis, cap. 33. legitur: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini?* Et 2. Petri cap. 3. *Patienter* (Deus) *agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hæc autem loca intelligi saltem debent de peccatoribus nondùm obduratis, quibus proinde gratia ad pœnitentiam agendam idonea deesse non potest; cùm Deus nolit eos perire, sed è contra sincerè velit eos converti, & idcircò patienter agat cum illis, illosque iterùm atque iterùm adhortetur ad pœnitentiam. Quod certè non faceret, si privaret eos omni auxilio ad id sufficiente, & sic pœnitentia eis esset impossibilis.

Prob. 2. Ex S. Augustino enarr. in Psalm. 102. ubi hæc Davidis verba: *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multæ misericordiæ*, interpretans sic ait: *Quid tam longanimum? quid tam multum in misericordia? Peccatur & vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, & facit solem suum oriri super bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam; vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi; vocat per lectorem, vocat per tractatorem; vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis; vocat per misericordiam consolationis: longanimis & multæ misericordiæ. Sed observa ne longitudine misericordiæ Dei malè utendo, tu tibi thesaurizes iram in die iræ ..... Cùm tibi thesaurizaveris iram in die iræ, nonne experieris justum, quem contempsisti benignum?* Juxta sanct. Doctorem igitur, peccatores non rarò, sed sæpè per gratias tum exteriores multiplices, tum interiores, sine quibus exteriores inutiles forent, ad pœnitentiam invitat longanimis & misericors Deus.

Responsio II.

Peccatoribus, etiam excæcatis & obduratis, datur gratia sufficiens ad conversionem.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur, Sapient. cap. 12. *Si inimicos servorum tuorum & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia judicasti servos tuos?* Quibus verbis Sapiens expresè testatur, Deum Chananæis & Jebusæis locum & tempus ad pœnitentiam agendam, adeòque & gratiam interiorem, sine qua impossibilis illis erat pœnitentia, misericorditer dedisse: erant tamen scelestissimi homines, & maximè obdurati, ut testatur idem Sapiens.

Act. cap. 7. Stephanus Judæos obduratos & voluntariè excæcatos objurgat in hunc modum: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ergo quamvis obdurati & excæcati, per interiorem gratiam à Spiritu Sancto ad pœnitentiam vocabantur; alioqui falsò dicerentur, Spiritui S. semper resistere; & ita vocabantur, ut sua culpa pœnitentiam non agerent; alioqui Stephanus perperam illos objurgasset.

Rom. cap. 2. sic loquitur Apostolus: *An divitias bonitatis ejus* (Dei) *& patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii.* Quibus verbis apertè significat Apostolus, Deum obduratos vocare ad pœnitentiam; eosque bonitatem, patientiam, & longanimitatem divinam contemnendo, dum duro atque impœnitente corde internæ vocationi pertinaciter resistunt, gravissimarum pœnarum reatum incurrere, à justo judice infligendarum.

Prob. 2. Ex S. Augustino enarr. in Psalm. 6. ubi ad hæc Apostoli verba Rom. cap. 1. *Dedit illos Deus in reprobum sensum*, sic disserit: *Ea est cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur. Sed nondùm penitus, cùm in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit. Penitùs enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cæcitate?* Ergo ex S. Doctore, nemo ita excæcatur, ut interiore Dei luce, adeòque interiore Dei gratia omninò privetur, & hoc pacto sit omninò extra Deum per totalem desertionem, quia nimirùm totalis desertio, ac proinde cæcitas & obduratio consummata, pœna est ad alteram vitam pertinens, qua justè punientur ii omnes, qui in hac vita corrigi noluerint: cùm nulli in hac vita ita excæcati fuerint, ut penitùs secluſi fuerint ab interiore Dei luce, & sic caruerint omni gratia ad correctionem sufficiente.

Duplex igitur est, juxta sanctum Doctorem mentis cæcitas, seu secluſio ab interiore Dei luce; una inchoata & partialis, altera totalis & consummata, quæ nomine tenebrarum exteriorum in Scriptura venit: hæc alterius vitæ est, in qua reprobi erunt penitùs extra Deum; illa verò hujus vitæ, in qua qui in pœnam peccatorum excæcantur, non sunt extra Deum penitùs; unde quandiu hanc mortalem vitam vivunt, corrigi possunt, quia identidem à Deo illustrantur, & internis inspirationibus excitantur, ut corrigi possint, & corrigantur, si velint. Quare si noluerint corrigi, justè mittentur in tenebras exteriores, & æterna, ac summa plectentur mentis cæcitate.

Obj. 1. Obdurati, quandiu sunt in statu obdurationis, carent omni gratia ad conversionem, sive proximè sive etiam remotè sufficiente. Ergo qui tota vita manent in statu obdurationis, tota vita privantur omni gratia sufficiente, quacum possint converti. *Prob. ant.* Nam 1. hoc Scripturæ passim innuunt. 2. Hoc expresè docet sanctus Augustinus pluribus locis. 3. Obdurati non possunt recipere gratiam verè sufficientem ad conversionem, quin re ipsa convertantur; at quandiu sunt in statu obdurationis, non convertuntur.

Resp. neg. ant. *Ad* 1. *prob. R.* Ex Scriptura nihil aliud haberi, quàm quòd gratia ad conversionem

sufficiens peccatoribus non adsit omnibus momentis, & quòd aliqui omninò deserantur ad tempus. *Ad 2. prob. R.* S. Augustinum non aliud docere, quàm obduratos, quandiu manent in statu obdurationis, carere gratia congrua, ut plurimùm non accipere nisi gratiam remotè sufficientem, nempe gratiam orationis, & ex illis aliquos ad tempus omninò deseri. Quòd autem nullus in hac vita absolutè & totaliter deseratur, disertè affirmat S. Doctor loco supra laudato. *Ad 3. prob. R.* In ea supponi omnem gratiam verè sufficientem, esse etiam congruam & efficacem, quod est hæreticum.

Obj. 2. S. Augustinus, lib. 1. ad Simpl. qu. 2. dicit obdurationem esse Deum nolle misereri, & Deum non frustra misereri, quia si miseretur, peccator convertitur. *Resp.* S. Doctorem nihil aliud velle, quàm obduratos tandiu manere in statu obdurationis, quandiu Deus non eorum miseretur misericordia illa speciali, qua vocat hominem quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat: quandiu enim non sic miseretur obduratorum, tandiu non convertuntur, & sic tandiu manent in statu obdurationis: è contra verò ubi primùm sic eorum miseretur Deus, statim convertuntur, & desinunt esse in obdurationis statu. Quamvis autem Deus circa obduratos, quandiu eos in obdurationè relinquit, non exerceat specialem misericordiam, illos scilicet vocando quomodo eis congruit, ut convertantur, hoc non obstat, quominùs erga illos misericordiam communem exerceat, eos vocando quantùm sufficit, ut possint converti, & convertantur, si velint.

Porrò facilè concedimus Deum peccatores aliquos miraculosè interficere in flagranti delicto, vel permittere ut interficiantur ab aliis causis sive naturalibus, sive liberis. Item Deum permittere ut peccatores aliqui statim post admissum scelus aliquod, in perpetuam amentiam incidant. Item aliquos peccatores, admisso crimine, brevi postea tempore hac vita excedentes, nullam prorsùs ante mortem accipere gratiam, quacum possint à peccato resurgere. Item inter peccatores alios esse, quibus frequentior & copiosior, alios verò quibus rarior & parcior gratia ad conversionem sufficiens datur, prout scilicèt Deus judicat munera sua esse distribuenda. Ex hac occasione sit

Responsio III.

Gratia ad conversionem sufficiens peccatoribus, non adest omnibus momentis, sed solùm certis temporibus, prout Deus vult; unde quædam sunt tempora, quibus peccatores, præsertim obdurati, carent omni gratia sufficiente ad resurgendum à peccato.

Prob. 1. Ex Scriptura. Ecclesiastis cap. 7. dicitur: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Quibus verbis satis apertè innuitur, aliquos peccatores interdum ita à Deo deseri, ut converti nequeant. Et Joan. c. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum* (per subtractionem scilicet omnis gratiæ illuminantis intellectum, & cor tangentis.) 2. Ad Timoth. cap. 2. docet Apostolus, peccatores esse patienter & mansuetè corripiendos, *ne quando Deus det illis pœnitentiam, ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis,* (hoc est, quia quantumvis excæcati videantur & obdurati, adeòque à Deo derelicti, non tamen penitùs derelicti sunt, & Deus solet illis identidem dare gratiam, quacum amplecti veritatem & resipiscere possunt.) Cùm autem ait Apostolus: *Ne quando*, clarè significat gratiam ad pœnitendum non semper adesse peccatoribus, sed quando & ubi vult Deus. Hinc Psaltes Regius Psal. 94. dicit: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Dicit, *hodie*, quia non semper, nec quotidie interna vox Spiritus S. seu interior gratia pulsat aures cordis nostri, sed certis tantùm temporibus, quod in primis de peccatoribus verum est.

Prob. 2. Ex S. Augustino enarr. in Psal. 147. ubi sic ait: *Ecce deserit* (Deus) *peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* Et tract. 53. in Joannem, ubi hæc habet: *Absit ut sit iniquitas apud Deum: sive quando adjuvat* (dando interiorem gratiam) *misericorditer facit: sive quando non adjuvat* (interiorem gratiam subtrahendo,) *juste facit.*

S. Augustino juvat adjungere Gregorium Magnum, lib. 11. Moral. cap. 5. ubi omninò ad propositum nostrum hæc scribit: *Omnipotens Deus humanum cor destruit, cùm relinquit: ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo: quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Unde plerumque fit, ut cùm audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exteriùs à prædicatore moneatur, quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interiùs in corde non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur ..... Hinc est quòd Cain & divina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpa malitiæ, jam intùs Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.*

Prob. 3. Ratione; quia gratia ad conversionem necessaria, consistit in actibus vitalibus, quibus mens illustratur, & voluntas excitatur. Atqui, ut docet experientia, actus hujusmodi peccatoribus non adsunt omnibus momentis, sed solùm interdùm, & certis temporibus, prout placet Deo, qui pro suo beneplacito quando & ubi vult potentias hominis ad hos actus elevat & determinat: imò graves peccatores multi, ut ipsimet ingenuè confitentur, per tempus satis longum sæpenumero actus hujusmodi in se nullos experiuntur. Ergo, &c.

Obj. Scriptura & Concilia satis apertè docent quibusvis peccatoribus singulis momentis adesse gratiam sufficientem ad conversionem. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam 1. hæc Ecclesiastici verba: *Non tardes converti ad Dominum*, ad omnes peccatores diriguntur. 2. Apocal. cap. 3. dicit Deus: *Ego sto ad ostium, & pulso.* 3. Conc. Later. cap. *Firmiter*, docet, semper posse hominem lapsum per veram pœnitentiam reparari. 4. Conc. Senonense 1. parte decreti 15. docet, nec momentum quidem præterire, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.

R. neg. ant. obj. *Ad 1. prob. Resp.* Scripturam hoc loco solùm admonere peccatores, ut ubi primùm à Deo vocantur & excitantur ad pœnitentiam, nulla mora interposita, vocanti & excitanti Deo obsequantur, & ejus gratiæ cooperando ad eum se convertant, juxta illud Psal. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Ad 2. prob. R. Deus quidem dicit se stare ad ostium cordis nostri, at non dicit se stare omnibus momentis.

Ad 3. prob. Resp. Conc. Lateranense hìc non aliud docet, quàm quòd post baptismum sit aliud sacramentum, nempe sacramentum pœnitentiæ, quo semper Deo reconciliari potest quisquis post baptismum graviter lapsus, ad illud accedit, illudque ritè suscipit. Quod nemo facere potest sine auxilio interioris gratiæ prævenientis & excitantis, quam gratiam omnibus momentis adesse peccatoribus, certè non dicit Concilium.

Ad 4. prob. R. Conc. Senonen. cum aliqua moderatione intelligi debet, neque aliud velle dicendum est, quàm quòd gratia adsit omnibus momentis, quibus urget tentatio, quæ superari, aut obligatio alicujus præcepti, quod adimpleri non potest sine gratiæ interioris adjutorio.

Dices. S. Thomas 3. p. q. 86. art. 1. in O. dicit erroneam esse opinionem illorum, qui sentiunt aliquem in hac vita non posse pœnitentiam agere, & mores suos emendare. *Resp.* S. Doctor dicit tantùm, nullum esse peccatum in hac vita, quod non possit tolli per pœnitentiam, propter duplicem rationem. 1. Scilicet, quia quandiu homo viator est, arbitrium ejus flecti potest ad bonum vel ad malum. 2. Quia nullus est peccator, quem Deus gratia sua movere non possit

quomo-

quomodo ei aptum est, ut de peccato commisso velit pœnitentiam agere.

Audiamus S. Doctorem: *Non possunt*, inquit, *per pœnitentiam deleri peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt confirmati in malo: ita quòd non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solum displicet eis pœna, quam patiuntur ..... Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile est ad bonum & ad malum. Unde dicere quòd aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est. Primò quidem; quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitendum.* Sic autem loquendo, S. Doctor dicit quidem, in hac vita nunquam tantam esse cordis obdurationem, ut peccator converti non possit cum auxilio divinæ gratiæ. At hanc gratiam omnibus momentis adesse peccatoribus, ut converti possint, & convertantur, si velint, nullatenùs dicit, vel insinuat.

ARTICULUS VI.

Utrùm infidelibus omnibus, etiam iis qui infidelitate negativa laborant, detur gratia sufficiens ad salutem.

Responsio.

INfidelibus omnibus, etiam iis qui laborant infidelitate negativa, datur pro loco & tempore gratia sufficiens ad salutem.

Prob. 1. Ex Scriptura. Dicitur Sap. cap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti ..... parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* At quomodo misereturDeus omnium, & parcit omnibus, si non dat omnibus gratiam, qua si benè uti vellent, consequerentur justificationis beneficium, atque ulterioribus gratiæ auxiliis adjuti, in statu justitiæ perseverarent, si vellent, & perseverando salutem adipiscerentur æternam? Neque verò illa Sapientis verba ad solos electos restringi possunt: nam ratio, quare Deus sic omnium misereatur, hìc petitur ex creatione. Beneficium autem creationis omnibus absolutè commune est.

1. ad Timoth. cap. 2. sic loquitur Apostolus: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes ... pro omnibus hominibus .... hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ex quo textu duo habemus. 1. Deum velle ut omnes absolutè homines ad veritatis agnitionem veniant, & salventur. Nam reddens rationem Apostolus, quare Deus velit homines salvari, & ad agnitionem veritatis venire, dicit eum velle, quia est Deus omnium, & pro omnibus mortuus est Christus. At est Deus omnium, & Christus mortuus est pro omnibus absolutè, nullo excepto. 2. Hanc Dei voluntatem non esse simplicem & sterilem complacentiam, sed actum prosecutivum, vi cujus media ad finis intenti consecutionem idonea adhibentur: alioqui non diceret Apostolus orandum esse pro omnibus, quia Deus vult omnes salvos fieri; vel certè tam malè diceret, quàm qui diceret orandum esse pro dæmonibus, quia Deus salutem illorum vult, simplici scilicet & sterili complacentia.

Prob. 2. Ex Patribus. S. Ambrosius in Psalm. 118. conc. 8. sic loquitur: *Super omnes sol oriri jubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem Sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideò autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideò sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit,* (videlic. vel gratiam ad credendum in Christum proximè sufficientem, vel saltem aliam remotiorem, quacum proximè sufficientem impetrare posset, repudiando.)

S. Chrysostomus hom. 7. in Joan. in hæc verba: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, sic disserit: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò, quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt: sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa est: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem effugit, aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent.*

S. Augustinus exposit. 1. in Psalm. 18. hæc habet, Et non est qui se abscondat à calore ejus: *Cum autem verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit verbi calor.*

S. Prosper, vel alius Author laudatissimus librorum de vocatione gentium, sententiam nostram disertis verbis tuetur, lib. 2. pluribus locis. Sic autem loquitur, cap. 17. *Nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondùm gratia Salvatoris illuxit ..... quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.*

Cap. 26. Postquam varios modos exposuit, quibus Deus ad se homines vocat, sic prosequitur: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ? quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ.*

Et cap. 31. sic ait: *Elaboratum est, quantùm Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retrò saculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura: quoniam sive occultè, sive manifestè,* ipse est, *ut Apostolus ait,* Salvator omnium hominum, maximè fidelium: *Quæ sententia subtilissimæ brevitatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua egimus, controversiam dirimit. Dicendo enim,* Qui est Salvator omnium hominum, *confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem,* Maximè fidelium, *ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitùs inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.*

Prob. 3. Ratione Theologica. Nam Christus mortem suam obtulit pro salute infidelium omnium, etiam illorum, qui de Evangelio nihil audierunt, & audituri sunt unquam. Hanc propositionem ad veritates in Scriptura revelatas pertinere, suo loco ostendimus. Ergo Deus sincerè vult salutem omnium infidelium, etiam illorum, qui nihil unquam audierunt, & audituri sunt de Evangelio: Deum enim sincerè velle salutem eorum omnium, pro quibus Christus mortem suam obtulit, consentiunt omnes tam heterodoxi, quàm orthodoxi. Ergo Deus omnibus infidelibus, etiam iis qui nihil, &c. vult dare & dat media ad salutem idonea: Nam qui sincerè vult finem aliquem,

vult adhibere & adhibet, si non efficacia, saltem idonea ad hunc finem media? alioqui simul vult & non vult sincerè finem hunc. Ergo infideles omnes, etiam ii qui laborant infidelitate negativa, pro loco & tempore accipiunt media ad salutem idonea, in quantum si mediis illis rectè uterentur, ulteriùs à Deo adjuvarentur, & tandem de rebus fidei instruerentur per homines, Deo hoc illis procurante, vel etiam, si necesse esset, per Angelos.

ARTICULUS VII.

Solvuntur objectiones ex Scriptura & Patribus petitæ.

Obj. 1. Act. cap. 14. & 17. Deus dicitur in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, & contempsisse tempora illa, quæ ideò appellantur tempora ignorantiæ. *Resp.* Sic loqui Scripturam, quia Deus ad gentes non misit Patriarchas & Prophetas suos, nec legem scriptam dedit illis, adeòque eis non impertivit specialia illa gratiæ beneficia, quæ contulit in Abrahamum & ejus posteritatem. Inde autem minimè sequitur quòd eas privaverit omni gratia sufficiente ad salutem, & contrarium satis significat Paulus Apostolus, cùm ait, Act. cap. 14. Deum non sine testimonio apud gentes semetipsum reliquisse; & c. 17. gentes in illis ignorantiæ temporibus potuisse Deum quærere & invenire, hoc est, potuisse ex creaturis, & variis divinæ providentiæ effectibus salutarem Dei notitiam sibi comparare. Quòd autem talem sibi notitiam Dei comparare potuerint absque omni adjutorio interioris gratiæ, Pelagianum est asserere. Non ergo Deus sic eas dimisit ingredi vias suas, ut eas omni interioris gratiæ adjutorio destituerit.

Hanc doctrinam expressè tradit Author librorum de vocatione gentium, lib. 2. cap. 4. *Sed ne in præteritis quidem sæculis*, inquit, *hæc eadem gratia, quæ post Domini Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, & de qua scriptum est:* Illuxerunt coruscationes tuæ Orbi terræ, *defuit mundo. Quamvis enim speciali cura, atque indulgentia Dei, populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem, non ita se tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Cœlum quippe ac terra & mare, omnisque creatura quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè dispositа est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur authoris, implente omnia Spiritu Dei*, in quo vivimus, movemur, & sumus.

Obj. 2. Ex cap. 11. Matth. constat Tyrios & Sydonios convertendos fuisse, si Deus voluisset apud eos fieri miracula, quæ apud Judæos facta sunt, & tamen apud eos nulla miracula fieri voluit. Item ex Actor. cap. 16. habemus Paulum Apostolum prohibitum fuisse, ne Evangelium prædicaret in Asia.

Resp. ad 1. Ex Scriptura quidem habetur Tyriis & Sidoniis non esse data ea gratiæ auxilia, quibuscum conversi fuissent: at quòd nequidem data fuerint ea, quibuscum converti potuerint, nec leviter insinuatur.

Resp. ad 2. Prohibitum fuisse Paulum à Spiritu sancto, ne certo aliquo tempore Evangelium prædicaret in Asia, non quia Spiritus absolutè noluit Asianis Evangelium prædicari; certum enim est Paulum in Asia diu prædicasse, multosque ad Christi fidem convertisse; sed quia volebat Evangelium priùs prædicari in Macedonia, quàm in Asia prædicaretur. Eo autem tempore, quo Paulus prohibitus est, ne Evangelium prædicaret in Asia, caruerunt quidem Asiani gratia proximè sufficiente ad amplectendam Christi fidem; at habere potuerunt, & pro loco ac tempore habuisse dicendi sunt gratiam remotè sufficientem, hoc est, gratiam, qua benè utendo, omnia ad credendum in Christum proximè requisita impetrare potuerunt.

Obj. 3. Apostolus Ephes. cap. 2. Gentiles ad fidem conversos sic alloquitur: *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo vero in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos qui aliquando eratis longè, facti estis prope in Sanguine Christi.* Et c. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ex his autem sic argumentaberis. Id nunc sunt infideles, de quibus agitur, quod fuerunt Ephesii, antequam ad fidem per Pauli prædicationem converterentur. Atqui Ephesii in eo statu, in quo fuerunt antequam Paulus eis prædicaret, nullas habuerunt gratias ad salutem sufficientes: illi enim nullas ejusmodi gratias habent, qui sunt in tenebris, qui sunt sine Christo, sine Deo, sine ulla promissionum spe. Ergo, &c.

R. neg. min. *Ad prob. Resp.* Illos qui sunt in tenebris infidelitatis, qui nullam habent Christi Salvatoris notitiam, qui non verum Deum, sed idola colunt, qui ignorant promissiones à Deo factas de resurrectione mortuorum, & æterna vita à beatis in cœlo ducenda, non habere quidem gratias proximè sufficientes ad salutem; at habere possunt, & habent pro loco & tempore gratias, quibus adjuvarentur, si vellent, ad habendam salutarem Dei cognitionem, & ad Deum sic cognitum invocandum. Quod si facerent, procuraretur illis Evangelii prædicatio, aliaque ad credendas veritates à Deo revelatas idonea auxilia subministrarentur. Habent igitur gratias ad salutem remotè sufficientes.

Obj. 4. S. Augustinus sæpè sæpiùs ad inscrutabilia Dei judicia recurrit ad solvendam quæstionem hanc, quare Deus ex infidelibus unum potiùs quàm alium vocet ad fidem Christi & Evangelii. Sed ad solvendam hanc quæstionem frustrà recurritur ad inscrutabilia Dei judicia, si infidelibus omnibus datur gratia sufficiens ad promerendum prædicationem Evangelii, & alia omnia auxilia proximè requisita ad credendum Christo & Evangelio; tunc enim quærenti cur ex infidelibus unus potiùs, quàm alter, ad fidem Christi & Evangelii vocetur, statim responderi poterit, quia unus benè usus est gratia sufficienti, alter verò non; sive, quod idem est, quia unus vocationem ad fidem Christi & Evangelii meritus est, alter verò non. Ergo falsum est, quòd omnibus infidelibus detur gratia sufficiens ad promerendum, &c.

Resp. neg. min. Nam 1. S. Doctor intelligit quæstionem de vocatione proxima ad fidem Christi & Evangelii non qualibet, sed congrua. Quærenti autem cur ex duobus infidelibus unus potiùs quàm alter, ad fidem Christi & Evangelii proximè vocetur quomodo ei congruit ut velit credere & credat, aliud responderi non potest, quàm quia Deus vult unum potiùs quàm alium, sic vocare ad fidem Christi & Evangelii; quantumvis infideles omnes supponantur habere gratias remotè sufficientes, quibus si rectè uterentur, acciperent vocationem proximè sufficientem ad fidem Christi & Evangelii; imò verò etiamsi supponatur infidelem illum, qui congruè vocatur, benè usum esse gratia remotè sufficiente, & alterum, qui nullo modo proximè vocatur, gratiam remotè sufficientem repudiasse.

Ratio est, quia infidelis, qui gratia remotè sufficiente benè usus est, & congruè vocatur proximè ad fidem Christi & Evangelii, hanc vocationem proximam congruam neque de condigno, neque de congruo per actum cum retributione infallibiliter connexum meritus est; cùm nequidem fideles justificati gratiam congruam mereri possint sive de condigno, sive de congruo, per actum habentem infallibilem retributionem.

Confirm. Licèt finalis perseverantia possit à justis

suppli-

suppliciter emereri, ut docet ipsemet Augustinus, & sæpè illam à justis, qui perseverant, de facto suppliciter emereri contingat, tamen quæstionem hanc, cur è duobus justis uni perseverantia detur, & alteri non detur, non aliter solvit S. Doctor, quàm recurrendo ad inscrutabilia Dei judicia, & respondendo quia Deus vult uni, & non vult alteri dare perseverantiam. Ratio autem sic respondendi, & ad inscrutabilia Dei judicia recurrendi est, quia perseverantia finalis neque sub meritum de condigno, neque sub meritum de congruo, infallibilem habens retributionem, cadit: unde nulli justo debetur, aut deberi potest, & ita quòd uni detur, & non alteri, quòd uni potiùs detur quàm alteri, pendet à mero Dei beneplacito, cui planè liberum est, bonam mortem ex duobus justis vel neutri, vel utrique, vel uni, & non alteri prout ei placuerit, procurare, quidquid ex parte illorum supponatur, hoc est sive æquales, sive inæquales supponatur in sanctitate & operibus meritoriis.

Similiter, quamvis vocatio ad fidem Christi & Evangelii proxima congrua, possit suppliciter emereri ab infidelibus per gratias, quas habent; imò & eam ab illis aliquando, quod certè rarissimum est, emereri contingat; tamen si quæritur, cur ex duobus infidelibus unus ad fidem Christi & Evangelii congruè vocatur, & alter non vocatur, tunc ad inscrutabilia judicia Dei recurrere necesse est, & respondendum, quia Deus unum vult, & alterum non vult sic vocare: cùm vocatio proxima congrua ad fidem Christi & Evangelii, neque sub meritum de condigno, neque sub meritum de congruo habens infallibilem retributionem, cadat, adeòque deberi nunquam possit; & si datur, semper detur ex pura misericordia, & absque omni omninò obligatione eam dandi.

2. Addimus quòd etiamsi quæstio generaliùs intelligatur de vocatione proxima ad fidem Christi & Evangelii tam incongrua, quàm congrua, adeòque etiam de vocatione merè sufficienti, adhuc recurrendum sit, in quæstione solvenda, ad inscrutabilia judicia Dei, quantùmvis supponatur infidelibus omnibus dari gratiam, qua promereri possint Evangelii prædicationem, & alia auxilia ad credendum proximè requisita. Nam ex duobus infidelibus, quorum uni procuratur prædicatio Evangelii, & alteri non procuratur, vel neuter benè usus est gratia ad promerendam Evangelii prædicationem data, vel unus benè usus est, nempe is cui Evangelium prædicatur, & alter non. Si primum, manifestum est nullam esse causam ex parte infidelium, cur uni potiùs quàm alteri Evangelii prædicatio procuretur, & sic quod uni potiùs procuretur, quàm alteri est purus effectus beneplaciti divini, cujus rationem quærenti respondebo, inscrutabilia esse Dei judicia. Si secundum, quærenti quare uni potiùs quàm alteri prædicetur Evangelium, rectè quidem respondetur, quia unus Evangelii prædicationem promeritus est, alter verò non; at non plenè solvitur difficultas, quia qui prædicationem Evangelii promeritus est, indiguit, ad eam promerendam, gratia congrua, & ita supereſt resolvenda quæstio ad solutionem totius difficultatis, quare scilicet ipse potiùs quàm alter, ad promerendam Evangeii, prædicationem, gratiam congruam acceperit; ad quod aliud responderi non potest, quàm quòd Deus voluerit uni, & non alteri dare gratiam congruam: quare autem huic potiùs quàm illi dare voluerit, inscrutabilia sunt Dei judicia. Ergo, &c.

Obj. 5. S. Augustinus, lib. de gr. & lib. arb. c. 13. docet gratiam non omnibus dari, & nominatim asserit non esse in fidelibus. Item de præd. Sanct. c. 9. dicit fidem & inchoatam & perfectam, donum Dei esse, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari. Item pluribus locis docet, quòd priùs sit habere fidem Christi, quàm aliam quamcumque gratiam, qua servetur lex positiva divina. Denique in Psal. 136. sic loquitur de infidelibus: *Quando illos videmus, & tam steriles eos invenimus, ut difficilè nobis appareat in eis aliquid, unde duci possint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi ... Scripturas novimus: quas eis dicamus. Sed quia nullum fructum in eis invenimus, avertimus ab eis faciem, & dicimus: Adhuc isti non sapiunt, non capiunt, quia quidquid illis dixeris, sinistrum & adversum habent.*

R. breviter ad 1. S. Doctor ibi loquitur de gratia congrua, quacum homo obtinere potest, & obtinet beneficium justificationis, ut patet ex contextu. Hanc autem gratiam habere non possunt, nisi ii, qui habent fidem Christi & Evangelii.

R. ad 2. Juxta S. Doctorem, fides & inchoata & perfecta est donum Dei, quia utraque est effectus gratiæ congruæ, quam nemo etiam per actus supernaturales nequidem de congruo mereri potest merito infallibilem habente retributionem; unde quibus datur, gratis omninò & ex pura misericordia datur. Deus igitur donat fidem, gratis dando gratiam congruam ad credendum, sine qua gratia credi non potest potentia ad actum reducenda. Item aliquibus donat fidem, aliquibus non donat, quia aliquibus dat, & aliquibus non dat gratiam ad credendum congruam. Sed quid inde contra assertionem nostram?

R. ad 3. nos idem sentire; sed præterea dicimus, quod S. Doctori non adversatur, in fidelibus dari gratiam, quacum ex rerum creatarum consideratione pervenire possunt ad salutarem Dei cognitionem, & ex hac cognitione posse, aspirante gratia, exercere quædam pietatis opera, quibus, si ea exercerent, promererentur gratiam proximè sufficientem ad fidem Christi & Evangelii, per quam, ut ait S. Doctor, impetratur gratia ad servandam legem positivam divinam necessaria.

R. ad 4. S. Doctor non dicit, ut non nobis appareat, sed, ut difficilè nobis appareat, quod sanè non est affirmantis infidelibus deesse omnem gratiam, quacum ad fidem pervenire possint; & ex eo quòd in infidelibus nullum fructum inveniat, quòd non sapiant, quòd non capiant, aliud non sequitur, quàm quòd infideles, de quibus loquitur, gratia congrua careant.

Obj. 6. S. Prosper in resp. 4. ad capitula Gallorum, expressè docet non omnes vocari ad fidem. Eamdem doctrinam tradit in resp. ad objectionem octavam. *R. ad* 1. S. Prosper nihil aliud dicit, quàm prædicationem evangelicam nondùm perveniſſe ad omnes homines, & sic nondùm omnes homines accepisse vocationem proximè sufficientem ad fidem Christi & mysteriorum religionis nostræ. *R. ad* 2. S. Prosper solùm dicit Deum non velle æqualiter & indifferenter salutem omnium hominum.

Porrò, quod non est prætermittendum, ibidem S. Doctor expressis verbis asserit, Deum curam habere salutis omnium hominum, & infideles sua culpa ad fidem non pervenire; quamquam, quicumque perveniunt, quod verissimum est, non nisi donante Deo perveniant: nemo enim credit, nisi dependenter à Deo, ipsum gratis vocante quomodo ei congruit ut credat. *Omnium ergo hominum*, inquit, *cura est Deo, & nemo est, quem non aut evangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum* (etiam eorum ad quos evangelica prædicatio nondùm pervenit) *ipsit adscribamus hominibus. Fidem autem hominum donum Dei esse fateamur, sine cujus gratia* (congrua) *nemo currit ad gratiam* (hoc est fidem, quæ gratia dicitur, quia gratis modo explicato à Deo donatur.) At si Deus curat salutem omnium hominum, & infideles, etiam ii quos nondùm convenit evangelica prædicatio, sua culpa in infidelitate sua remanent, certè non deest illis gratia, quacum evangelicam prædicationem promereri possunt, & promererentur, si ea benè uterentur; quamquam si prædicato sibi Evangelio crederent, non nisi donante Deo crederent.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur objectiones à ratione petitæ.

Obj.1. Gratia sufficiens, hoc ipso quòd est gratia, non potest esse communis omnibus. Ergo non datur omnibus. Sed si qui sunt, quibus non datur, certè sunt infideles illi, qui de Evangelio nihil audiunt, Ergo, &c. *R.* neg. ant. Ad hoc enim ut gratia sufficiens sit verè gratia, satis est si non sit debita, & non detur omnibus, nisi gratis, & ex pura misericordia. Certè si Deus vellet, gratiam etiam efficacem omnibus daret, quo facto gratia etiam efficax communis esset omnibus; nec ideirco desineret esse gratia, quia Deus eam omnibus gratuitò & misericorditer daret.

Dices. Si gratia sufficiens esset communis omnibus, saltem non appareret esse gratia. *R.* neg. Nam sufficienter apparet esse gratia, hoc ipso quòd non adest omnibus omni tempore & loco, sed solùm quando, & ubi illam dare Deus vult, nec omnibus æqualiter, sed aliis frequentiùs & copiosiùs, aliis verò rariùs & parciùs tribuitur.

Dices. S. Augustinus pluribus locis dicit gratiam efficacem non omnibus dari, ut appareat omnibus esse indebitam, & esse donum planè gratuitum. Ergo similiter dici debet gratiam sufficientem non dari omnibus, ut appareat nulli debitam esse, & quibus datur, gratuitò donari.

R. neg. consec. quæ malè deducitur ex antecedente, in quo S. Augustinus qualemcumque congruitatis rationem affert, cur gratia efficax non omnibus detur. Nam sic gratiam efficacem nulli debitam esse apparet ex eo, quòd non detur omnibus, ut idem sufficienter appareat ex quòd detur indignis, ut docet ipsemet Augustinus, lib. de bono pers. c. 12. *Dando*, inquit, *quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit.* Ergo, juxta S. Doctorem, ut gratia efficax appareat esse gratia, necesse non est ut non detur omnibus. Ergo similiter, ut gratia sufficiens appareat, &c.

Obj.2. Si infideles, infidelitate negativa laborantes, haberent gratiam aliquam remotè sufficientem ad fidem Christianam, imputaretur illis ad culpam, quòd non credant Evangelio, nec servent præcepta legis positivæ divinæ. Absurdum cons. Ergo, *R.* neg. seq. maj. Ratio negandi est, quia cum gratia illa, quam accipiunt, ne levissimè quidem suspicari possunt, quòd sit aliquod Evangelium, cui credendum sit; vel quòd sint aliqua legis positivæ divinæ præcepta, quæ servari oporteat: unde quòd non credant Evangelio, nec præcepta legis positivæ divinæ servent, neque in se, neque in alio propria voluntate volito, illis voluntarium, adeòque illis, nullo modo voluntarium est, voluntarietate scilicet ad imputabilitatem requisita. Quod autem sic nullo modo voluntarium est, peccatum esse non potest.

Obj.3. Illi non habent gratiam sufficientem ad salutem, quibus non datur posse credere in Christum, illumque invocare: nemo enim salvari potest (de adultis hìc semper agitur) sine fide & invocatione Christi. Atqui infidelibus, infidelitate negativa laborantibus, non datur posse credere in Christum, illumque invocare. Nam, ut dicit Apostolus Rom. cap.10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante: quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ergo, &c.

R. dist. maj. Illi non habent gratiam sufficientem ad salutem, quibus non datur posse credere in Christum, illumque invocare; nec datur alia gratia, qua si benè uterentur, daretur illis posse credere, &c. C. maj. Quibus non datur posse credere, &c. sed datur alia gratia, qua si benè uterentur, daretur illis posse credere, &c. N. maj. Tales enim gratiam ad salutem remotè sufficientem habere manifestum est. *Ad min. autem dico*, infidelibus negativa infidelitate laborantibus, dari gratiam per loco & tempore; quam si non repudiarent, Deus procuraret illis Evangelii prædicationem, daretque interiorem gratiam ad credendum in Christum, illumque invocandum necessariam.

Dices. Si ita est, fieri potest ut homo aliquos actus salutares exerceat, ante fidem, seu ante actum, quo rebus à Deo revelatis assentiatur propter authoritatem Dei revelantis. *R.* hoc fieri posse, non quidem ex solis naturæ viribus, quod Pelagianum est, sed ex viribus interioris gratiæ, gratuitò prævenientis, intellectum illustrando, & excitando atque immediatè adjuvando voluntatem.

Dices. Hæc doctrina apertè contradicit Tridentino, asserenti, sess.6. cap.8. *fidem esse humanæ salutis initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis.* *R.* neg. Nam Synodus hoc dicit, non quia nulli possunt esse actus salutares ante fidem, de qua loquitur; hoc est, ante fidem, qua, ut ait cap.6. adulti *liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu:* nam hanc fidem aliquos actus salutares exerceri posse, & aliquando exerceri, evidenter demonstrat exemplum Centurionis: sed quia fides illa primum locum tenet inter actus, quibus adultus disponitur ad justificationem, eamque de congruo promeretur.

Dices. Prima gratia, quam accipiunt infideles, est ea qua proximè vocantur ad credendas veritates à Deo revelatas propter authoritatem Dei revelantis. Ergo qui hanc gratiam non accipiunt, nullam accipiunt. Sed hæc gratia iis tantùm datur, quibus Evangelium prædicatur. Ergo infideles, quibus Evangelium non prædicatur, nullam gratiam accipiunt.

R. neg. ant. & dico, primam gratiam, quam accipiunt infideles, ii scilicet quibus non prædicatur Evangelium, esse eam, qua intellectus eorum illustratur & excitatur ad cognoscendum per creaturas Deum esse, eumque summè bonum & justum, rerum omnium dominum, ac provisorem sapientissimum atque sanctissimum, adeòque delictorum vindicem, & remuneratorem virtutum: ex qua salutari cognitione Dei, Deo gratiam suam promovente, sufficienter excitantur ad salutarem illius timorem, ad inchoatam illius dilectationem, ad implorandum illius auxilium, & ad alia pietatis opera ex inchoata illius dilectione exequenda.

Hanc doctrinam tradit Bellarminus, lib. 2. de gr. & lib. arb. cap.8. *Possunt*, inquit, *gentiles, quibus nondùm est Evangelium prædicatum, cognoscere per creaturas Deum esse, & proinde possunt à Deo per gratiam prævenientem excitari ad credendum de Deo, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit: & ex tali fide excitari possunt, eodem dirigente & adjuvante Deo, ad orandum, & eleemosynas faciendas, & eo modo impetrandum à Deo majus fidei lumen, quod Deus per se, vel per Angelos, vel per homines facilè communicabit.* Bellarminum sequuntur ex modernis non pauci, nec exigui nominis Doctores Catholici.

Idem ante illos expresè docuerat ex veteribus Author librorum de vocatione gentium, lib.2. cap.4. ubi sic loquitur: *Cœlum quippè, ac terra, & mare, omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè dispositа est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur authoris.* Quod sanè sine interioris gratiæ prævenientis, illustrando mentem, & excitando voluntatem, adjutorio fieri posse non sensit author ille, nisi velis ei Pelagianismi noram inurere, quod nemo fecit hactenùs.

Et cap. 25. hæc habet: *Sive igitur novissima contemplemur sæcula, seu prima, seu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quàm de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt hujusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari: quibus do-*

nis

nis authorem suum per omnia sæcula protestantibus, specialis gratiæ largitas superfusa est. Ecce disertè testimonio creaturarum adjungit interioris gratiæ prævenientis adjutorium, quod infidelibus datur, ut ex creaturarum testimonio verum Deum agnoscere possint, & sic agnoscendo illum quærere, illum scilicet timendo, inchoatè diligendo, orando, aliaque pietatis opera exercendo, quorum merito perveniè possint ad perfectam illius notitiam, quæ non nisi per Christianam fidem haberi potest.

Imò hæc nostra doctrina videtur demonstrari ex Apostolo Rom. cap. 1. ubi sic loquitur de Ethnicis sapientibus: *Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.... propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Unde sic argumentor. Sapientes Ethnici habuerunt Dei cognitionem, ex quia, eodem adjuvante Deo, aliqua pietatis opera exercere potuerunt: nam glorificare Deum, & ei gratias agere, sunt opera pietatis. Atqui cognitio, ex qua proximè possunt aliqua pietatis opera exerceri, est cognitio salutaris; & nulla cognitio salutaris sine adjutorio interioris gratiæ prævenientis haberi potest, juxta illud Apostoli 2. Cor. cap. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ergo sapientes Ethnici habuerunt interiorem gratiam prævenientem, qua intellectus eorum illustrabatur & excitabatur ad cognoscendum per creaturas (nam de tali cognitione loquitur Apostolus, ut patet ex antecedentibus) Deum esse, eumque rerum omnium creatorem, conservatorem, provisorem, & munificentissimum benefactorem. Quia autem salutarem hanc Dei cognitionem vel repudiarunt, vel captivam detinuerunt, nec aliqua illa pietatis circa Deum opera, ad quæ ex ea cognitione excitabantur, exercuerunt, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

Dices denique. Si Infideles ante prædicationem Evangelii possint habere salutarem Dei cognitionem, & ex hac cognitione, Deo ulteriùs adjuvante, aliqua pietatis opera exercere, possunt justificari antequam habeant fidem christianam. Absurdum conf. Nam si infideles justificari possunt, antequam fidem christianam habeant, fides christiana non est *humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam fides christiana est conditio sine qua Deus decrevit neminem adjuvare, quantùm oportet, ut justificationis beneficium consequi possit. Unde infideles, antequam ad fidem christianam convertantur, non habent gratiam sufficientem ad diligendum Deum super omnia, adeòque nec ad dolendum de peccatis propter Deum super omnia dilectum; sed solùm ex salutari cognitione Dei per creaturas, quam habent, vel possunt habere, excitantur, vel excitari possunt, Deo non plus adjuvante, ad inchoatam Dei dilectionem, quæ ad peccatoris justificationem sufficere non potest. Hinc illud Apostoli Hebr. cap. 11. *Sine fide* (qua scilicet res à Deo revelatæ creduntur super omnia propter authoritatem Dei revelantis) *impossibile est placere Deo* (eo nempe modo quo amicus placet amico.) *Credere enim* (fide christiana) oportet accedentem ad Deum (ut cum eo conjungatur per justificantem gratiam) *quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.*

Prob. ex consensu Patrum apud Bellarminum & alios. Unus hic nobis sufficiet Augustinus. 1. lib. 50. hom. hom. 12. sic loquitur: *Cum per Dei adjutorium in potestate tua sit, utrùm consentias diabolo; quare non magis Deo, quàm ipsi obtemperare deliberas?..... Quare Satanas seducit ad peccandum, cùm Deus posuerit homini in potestate non consentire diabolo? Est enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à sinistris seducens Satanas, homo in medio constitutus. Cor quod inclinatur ad diabolum, quare non potius erigitur ad Deum? non enim diabolus cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Nos diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille consilium; sed Deo auxiliante nostrum est vel eligere, vel respuere quod suggerit.* Vide locum integrum.

2. Hominibus de ignorantiæ cœcitate, & difficultatis cruciatibus, quæ ex Adami peccato in genus humanum derivata sunt, conquerentibus, & quamdam peccandi necessitatem, ortam ex renitente carnali concupiscentia prætexentibus, tunc ante, tum post exortam Pelagianam hæresim, ante quidem lib. 3. de lib. arb. cap. 19. postea verò, lib. de nat. & gr. c. 67. obstruit os his verbis: *Quibus breviter respondetur ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret; cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est, scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.*

3. Eod. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. sic ait: *Quacumque ista causa est voluntatis* (malæ,) *si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur.... quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Et lib. de duab. animab. c. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt; id est, si libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent: si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.* Et lib. 22. contra Faustum, cap. 78. *Sive iniquitas, sive justitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate. Porrò si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna justa esset: quod nemo sapit, nisi qui desipit.*

Ex his autem sic argumentor breviter. Ex S. Doctore, malum, quod caveri non potest, cùm fit, non potest imputari. Ergo peccatores, cùm peccant, vel habent sufficiens auxilium ad cavendum peccatum, vel non peccant imputabiliter, & sic non possunt nisi injustè puniri propter peccata. Secundum dici non potest. Ergo peccatores nunquam peccant sine sufficienti auxilio ad non peccandum.

4. Lib. de fide contra Manich. cap. 10. hæc habet. *Quis non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Et lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 6. *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse.* Et enarr. in Psal. 56. *Neque imperaret hoc Deus ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si consideras infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo: sed etiamsi exemplum ad te multum est, adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.*

Ex his breviter argumentor sic. Ex Sancto Doctore, Deus nec præcipit, nec præcipere potest aliquid impossi-

ARTICULUS IX.

Utrùm peccatoribus omnibus adsit auxilium sufficiens ad vitanda peccata, adeòque ad servanda præcepta divina, quæ transgrediendo, peccant imputabiliter.

Responsio.

PEccatoribus omnibus adest auxilium vel proximè vel saltem remotè sufficiens ad vitanda peccata, & ad servanda præcepta divina, quæ imputabiliter transgrediuntur.

possibile: stultum enim quid & iniquum facere non potest. Ergo possunt omnes homines servare præcepta divina. Ergo habent omnes homines auxilium sufficiens ad ea servanda, adeòque ad vitanda peccata.

Dixi autem in Responsione, vel proximè, vel saltem remotè: quia sæpè accidit, ut qui urgentur præcepto vel tentatione, non habeant auxilium, quocum proximè possint præceptum implere, vel superare tentationem; sed habent tunc auxilium, quocum impetrare possunt majores vires, & ad implendum præceptum, vel tentationem superandam immediatè sufficientes. Hinc illud S. Doctoris, lib. de gr. & lib. arb. c. 16. *Ideò jubet aliqua* (Deus) *quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Et illud, lib. de nat. & gr. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quæ verba adoptat Synodus Tridentina, sess. 6. cap. 11.

Unde hìc superest observandum cum Bellarmino lib. 2. de gr. & liber. arb. cap. 7. auxilium ad vitanda nova peccata sufficiens, quod à Deo omnibus hominibus præstari dicimus, non adæquatè consistere in interiore gratia excitante, quam non semper adesse certum est: nam hæc interior gratia non semper necessaria est homini ad vitandum peccatum, sed satis esse potest, si vel tentatoris vires minuantur, vel tentationis occasio removeatur, vel aliquis terror injiciatur, vel aliquid æquè aut magis alliciens objiciatur, &c. Deus igitur auxilium ad vitanda peccata sufficiens præstat hominibus, modo per interiorem gratiam excitantem, quoties scilicet sine illa novum peccatum vitari non potest, & tunc dat illam vel immediatè vel saltem mediatè sufficientem; modò tentatorem cohibendo, ejusque vires minuendo; modò amovendo periculum peccandi, & occasionem tentationis; modò terrorem aliquem immittendo; modò offerendo aliquid æquè aut etiam magis alliciens, &c.

Hoc luculenter docet S. Augustinus, lib. 50. hom. hom. 23. ubi sic loquitur: *Adulter non fuisti in illa tua vita præterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondùm credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres, suasor defuit, & ut suasor deesset ego feci; locus & tempus defuit, & ut hæc deessent ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti.*

Obj. 1. S. Augustinum, lib. de corr. & gr. c. 11. ubi sic loquitur: *Si autem hoc adjutorium* (quod Angelus & primus homo acceperunt ad vitandum peccatum, & servanda præcepta) *vel Angelo vel domini, quàm primùm facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: Quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum: & tantò amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus.* Ergo ex S. Doctore, gratia sufficiens, quæ Adamo innocenti ad vitanda peccata, & servanda mandata divina data fuit, in præsenti statu non datur omnibus, sed quibusdam datur ex pura misericordia, aliis verò denegatur in pœnam peccati originalis, & ex justitia. Ergo falsum est, quòd peccatoribus omnibus adsit auxilium sufficiens ad vitanda peccata, &c.

R. Hunc locum non esse ad rem, & explico mentem S. Doctoris. 1. itaque S. Doctor, per adjutorium Adamo innocenti datum, intelligit collectionem gratiarum actualium, quas accepit Adamus innocens, & quarum aliæ fuerunt congruæ, aliæ verò incongruæ: unde cum illis Adamus non perseveraverit in statu innocentiæ.

2. Dicit collectionem hanc non quidem simul, sed successivè Adamo innocenti sic datam fuisse ad permanendum in statu justitiæ, in quo conditus fuerat, ut ex hypothesi quòd in hoc statu condueretur, non posset ei non dari, aut certè non posset ei imputari quòd in eo non permaneret; cùm nec vires naturales ei sufficerent ad permanendum in eo, nec aliqua sua culpa adjutorio ad id necessario carere posset.

3. Cùm adjutorio illo, quod Adamo innocenti ad perseverandum in statu innocentiæ datum fuit, nec dari non potuit sapienter; comparat non qualecumque adjutorium, quod nunc datur ad vitanda peccata & servanda mandata divina, sed illud solùm, quod electorum proprium est, & quocum electi non tantùm possunt permanere, sed etiam infallibiliter permanent in statu justitiæ, adeòque non tantùm possunt vitare peccata, & servare mandata divina, sed etiam peccata vitant & mandata divina servant infallibiliter usque in finem. Hoc autem adjutorium est collectio gratiarum actualium congruarum, quas electi, qui non statim post acceptum justificationis beneficium rapiuntur, successivè accipiunt, & quibuscum in statu justitiæ perdurant usque ad mortem.

4. Dicit hoc adjutorium non dari omnibus, sed aliquibus, nempe electis dari; & aliquibus, nempe reprobis, non dari, & quibus datur, dari ex pura misericordia; cùm nemini debitum sit; quibus verò non non dari in pœnam peccati originalis, propter quod datur, etiam omnibus potuit non dari. Unde quibus non datur quod postquam justificati sunt, non permaneant usque in finem in statu justitiæ, jure merito illis ad culpam imputatur, tum quia hoc adjutorio ob suam aliquam culpam carent, tum quia non deest eis aliud adjutorium, quocum permanere possunt, & permanerent si vellent.

Minimè igitur hic negat S. Doctor dari omnibus adjutorium sufficiens ad vitanda peccata & servanda mandata divina, sed solùm negat omnibus dari adjutorium, quocum non solùm possint vitare peccata & servare mandata, sed etiam re ipsa peccata vitent, & mandata servent, vel potiùs hoc unum intendit, quòd quibus tale adjutorium datur misericorditer datur, & quibus non datur, justè non datur.

At inquies. Videtur S. Doctor apertè innuere vel supponere, quòd in præsenti statu præter hoc adjutorium, quocum non modò possumus vitare peccata & servare mandata, sed etiam peccata vitamus, & mandata servamus, sit adjutorium aliud, quocum homines, qui peccant, & mandata divina transgrediuntur, peccata vitare & mandata servare possunt, atque peccata vitarent & mandata servarent, si vellent. *R.* hoc negando. Neque enim dici potest S. Doctor hìc innuere vel supponere, cujus contrarium alibi docet. Docet autem alibi, & justos reprobos ad permanendum in statu justitiæ, & peccatores ad tentationes vincendas, & peccata vitanda, & mandata divina adimplenda, sufficiens à Deo adjutorium accipere, ut clarè ex verbis ipsius demonstravimus.

Obj. 2. S. Augustinum, lib. 1. retract. c. 15. ubi sic ait: *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Unde sic argumentaberis. Ex S. Doctore, qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideò præcepta justitiæ transgreditur, nihilominùs peccat, & reus est transgressionis præceptorum illorum: sed qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideò præcepta justitiæ transgreditur, non habet auxilium sufficiens ad vitanda peccata, & præcepta justitiæ servanda. Ergo ex S. Doctore, aliqui, ii nimirùm qui cogente cupiditate faciunt contra præcepta justitiæ, peccant, & imputabiliter præcepta justitiæ transgrediuntur sine auxilio sufficiente ad vitanda peccata, & servanda præcepta justitiæ.

R. cum,

R. eum, qui cogenti cupiditati bona voluntate non potest resistere, & ideò facit contra præcepta justitiæ, non habere auxilium proximè sufficiens ad vitanda peccata & servanda præcepta justitiæ, & tamen peccare, ac præcepta justitiæ transgredi culpabiliter, quia habet auxilium remotè sufficiens, nempe gratiam orandi, quacum impetrare potest majus auxilium, quo dominium cupiditatis removeatur. Unde necessitas, cui subjacet, eum excusare non potest, quia sub ea liberè manet, cùm ab ea possit sese eximere, divinum auxilium implorando: unde hæc necessitas non est antecedens & involuntaria simpliciter, sed consequens, & saltem indirectè volita, qualis necessitas neminem potest excusare.

Hanc esse mentem S. Doctoris patet ex eo quòd statim subjicit: *Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse verissimum est.* Et post aliqua: *Quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est ut orat auxilium? In tantum enim libera est; quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas.* Itaque qui cogenti cupiditati non potest resistere, & ideò facit contra præcepta justitiæ, nihilominùs peccat, quia transgressiones ejus non sunt sine voluntate, hoc est, quia transgressiones ejus ei adhuc sunt sufficienter voluntariæ & liberæ. Sunt autem ei sufficienter voluntariæ & liberæ, quia sic non potest non facere contra præcepta justitiæ in sensu composito dominantis cupiditatis, ut possit in sensu diviso, & hic sensus divisus sufficienter sit in ejus potestate; cùm orare possit auxilium, quo refrenetur cupiditas. Cupiditas autem refrænata desinit dominari, & sic desinit ad malum cogere.

Homini igitur, qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, horum præceptorum transgressiones sunt sufficienter ad imputabilitatem voluntariæ & liberæ, quia voluntas ejus libera est ad orandum auxilium proximè sufficiens ad vitandas illas; licèt in tantum sit libera, quia in tantum liberata est; & in tantum liberata est, quia solam habet gratiam remotè sufficientem, nempe gratiam orationis.

*Obj.*3. S. Augustinus, lib. de perfectione justitiæ, ubi ad objectionem 15. Celestii ita respondet: *Peccatum est, cùm vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit, & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* Ergo, &c.

R. S. Doctorem hìc defendere necessitatem gratiæ contra Celestium pugnantem pro arbitrii viribus. Celestius, ut probaret nullum esse peccatum, quod non posset vitari per solas arbitrii vires, sic argumentabatur: *Certè justus est Deus ... imputat autem Deus homini omne peccatum .... & si est aliquod peccatum quod vitari non possit, quomodo justus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur, quod vitari non possit?* Respondet S. Augustinus, justè à Deo imputari posse transgressiones aliquas, quæ propter dominantem cupiditatem vitari non possunt cum solis arbitrii viribus; quia, 1. hæc impotentia oritur ex dominante cupiditate, quæ est justa pœna peccati saltem originalis. 2. Hæc impotentia tolli potest per gratiam, quæ non denegatur humili voluntati, hoc est, voluntati imbecillitatem suam confitenti, & auxilium divinum oranti: unde homo queri non potest de hac impotentia, & hæc impotentia est illi sufficienter voluntaria ad justam imputabilitatem, nec est impotentia simpliciter antecedens, sed secundùm quid tantùm; cùm homo possit orare, & orando obtinere auxilium gratiæ, quo tollatur dominium cupiditatis, & cum hoc dominio impotentia illa, cujus est causa.

Juxta S. Doctorem igitur, peccata illa, quæ vitari non possunt, & tamen imputantur, committuntur quidem sine auxilio proximè sufficiente ad ea evitanda, at non sine gratia remotè sufficiente, nempe gratia orandi, qua qui uti negligit, propter dominium cupiditatis, quod culpa illius manet, & impotentiam cum eo conjunctam & ex eo ortam, excusari non potest.

*Obj.*4. S. Augustinus, eod. lib. ubi ad obj. 19. hæc dicit: *Quasi non debeat Deo agere gratias, qui præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non potest.* *R.* hìc corrumpi textum S. Doctoris, & legendum esse, *qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset.* Hìc itaque S. Doctor pro necessitate interioris gratiæ ad implenda mandata divina pugnat contra Celestium, & solùm dicit, eum qui præcepta voluit adimplere, debere Deo gratias agere, quòd voluerit, tum quia ad hoc ut vellet, misericordia Dei prævenit, & interiore sua gratia excitavit voluntatem ejus, quomodo ei congruebat, ut vellet; tum quia si destituueretur omni interioris gratiæ adjutorio, non solùm non voluisset præcepta adimplere, sed nequidem velle potuisset. Sed quid inde contra nos?

*Obj.*5. Peccata ignorantiæ committuntur ab hominibus saltem sæpè sine auxilio sufficiente ad ea evitanda: nam committuntur ab hominibus, sæpè saltem putantibus non solùm se non malè, sed etiam rectè justèque agere. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam peccata ignorantiæ sunt ea, quæ fiunt ex ignorantia culpabili; & ignorantia culpabilis est ea, quæ potest & debet tolli. Peccata autem quæ fiunt ex ignorantia, quæ potest tolli, adeòque ad quam tollendam homo sufficiens habet auxilium, dici non possunt fieri sine auxilio ad ea evitanda sufficiente, non quòd quoties actu peccatur ex ignorantia, adsit auxilium sufficiens ad eam tollendam, sed quòd nunquam sic peccetur, quin antea adfuerit auxilium sufficiens ad tollendam ignorantiam, & sublata ignorantia cavendum postea peccatum, quod ex ea tamen ab homine committitur, quia auxilio ad eam non tollendam idoneo uti noluit, vel saltem neglexit.

Ad prob. R. ex ea sequi tantùm, quòd peccantibus ex ignorantia, sæpè non adsit, cùm actu sic peccant, auxilium sufficiens ad depellendam ignorantiam, ex qua peccant; sed quod satis est, antea adfuit, adeòque potuerunt ignorantiam illam depellere, & depellendo, peccatum quod admittunt, cavere. Quòd autem malum, quod agunt, agant ex firma persuasione non solùm quòd non malum, sed etiam justum rectumque sit, non potest illos excusare; tum quia hæc persuasio culpabilis est; tum quia justè privantur auxilio; quo impediretur hæc persuasio; tum quia nulla necessitate ad actionem illam, cujus malitiam culpabiliter ignorant, adiguntur, suntque planè liberi ad eam ponendam vel non ponendam; cùm tam habeant ad non ponendam, quàm ad ponendam motivum sufficiens. Unde ex hac parte dici possunt etiam cùm actu peccant, habere sufficiens auxilium ad non peccandum, quamvis non tantum, quantum si Deus per illustrationem ostenderet eis malitiam actionis, vel saltem dubium sive scrupulum de illa menti eorum injiceret.

*Obj.*6. Excœcati non habent auxilium sufficiens ad implenda præcepta divina; & tamen ea transgrediendo peccant imputabiliter: alioqui prodesset illis excœcatio, illosque redderent impeccabiles, quod est absurdissimum. Ergo, &c. *R.* neg. ant. quod 1. part. Nam excœcati, quandiu in statu excœcationis manent, carent quidem auxilio interioris gratiæ proximè & immediatè sufficientis, at non carent gratia remotè & mediatè sufficiente, qua si rectè uterentur, tolleretur eorum excœcatio, & gratiam acciperent proximè & immediatè sufficientem ad servanda ea præcepta, quæ sine interioris gratiæ adjutorio non possunt servari. Hanc doctrinam tradit S. Augustinus, lib. de nat. & gr. cap. 22. ubi sic ait: *Nec cogitat prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis: qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, & ideò tantùm audiat vocem legis; quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

Probabis tamen partem ant. negatam, 1. ex Scriptura. Nam dicitur Eccli. c. 7. *Considera opera Dei, quòd*

nemo

nemo possit corrigere quem ille despexerit. Et Isaiæ, c. 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum*. Et Rom. c. 1. *Sicut non probaverunt Deo habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum*. Ergo, &c.

2. Ex S. Augustino, qui ait lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. *Ut obduratio Dei sit nolle misereri*. Et postea: *Ut ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent*. Et tract. 53. in Joan. *Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando*. Et epist. 105. *Deus obdurat non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam*. Et enarr. in Psal. 147. *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam*. Ergo, &c.

Ad 1. *prob. R.* neg. conseq. Ad primum Scripturæ locum dico, aliud colligi non posse, quàm excæcatis aliquando ad tempus subtrahi omnem gratiam sufficientem ad conversionem. Ad secundum similiter dico, in eo non aliud significari, quàm Judæis illis, de quibus Propheta loquitur, ad tempus gratiam omnem, quacum converti possent, in pœnam peccatorum præteritorum subtractam fuisse. Porrò peccatoribus sic à Deo ad tempus desertis, si cùm urget obligatio alicujus præcepti, quod absque interiore gratia observari nequit, deest gratia proximè sufficiens ad implendum præceptum, saltem non deest gratia remotè sufficiens, seu gratia quacum implorare possunt majus auxilium, quocum proximè possunt præceptum implere. Ad tertium locum dico cum S. Augustino in enarr. in Psal. 6. eo significari seclusionem ab interiore Dei luce, sed non totalem, quandiu hìc vivitur, adeòque eo significari subtractionem interioris gratiæ, sed non omnis.

Ad 2. *prob. R.* etiam neg. conseq. ad primum enim S. Augustini locum dico, secundùm mentem S. Doctoris, ut patet ex contextu, Deum peccatores obdurare, nolendo eorum misereri misericordia illa speciali, ex qua, cujus sic misereretur, ita eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Juxta S. Doctorem igitur, Deus peccatorem obdurat, non impellendo eum ut peccet, aut etiam eum privando auxilio quocum possit, si velit, non peccare; sed præcisè non dando ei auxilium congruum, hoc est, auxilium quocum non solùm possit, sed etiam velit non peccare.

Ad secundum dico, juxta S. Doctorem, Deum excæcare, deserendo non per subtractionem omnis gratiæ, sed per subtractionem specialis providentiæ, & gratiæ congruæ, vel etiam, si vis, gratiæ proximè sufficientis ad faciendum bonum & malum vitandum. Ad tertium dico, Deum obdurare, non impertiendo gratiam congruam, vel etiam proximè sufficientem. Ad quartum dico, S. Doctorem similiter intelligi posse de subtractione congruæ gratiæ, vel etiam proximè sufficientis ad vitanda peccata, & mandata servanda: nisi malis illum interpretari, sicut & interpretati sumus de subtractione omnis gratiæ, sive proximè sive etiam remotè sufficientis ad conversionem, ad tempus facta.

Dices. Excæcati peccant imputabiliter, cùm malè agunt ex cæcitate cordis, juxta illud S. Augustini, lib. 5. contra Julianum, cap. 3. *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quo cor superbum digna animadversione punitur; & causa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur*. Atqui excæcati non habent auxilium sufficiens ad vitandum malum, quod faciunt ex cordis cæcitate. Ergo peccant imputabiliter sine auxilio sufficiente ad vitandum peccatum. *Prob. min.* Nam excæcati nec vident nec videre possunt malitiam actus, quem ex cæcitate cordis exercent.

R. neg. min. *Ad prob. R.* disting. Excæcati malitiam actus, quem ex cæcitate cordis exercent, nec vident, nec videre possunt in sensu composito cæcitatis, C. In sensu diviso cæcitatis, N. Hic autem sensus divisus sufficienter est in eorum potestate. Itaque excæcati habent gratiam saltem remotè sufficientem ad removendam cæcitatem, nempe gratiam orandi & impetrandi auxilium ad removendam cæcitatem necessarium. Remota autem cæcitate, videre possent, & Deo ulteriùs adjuvante viderent malitiam actus. Non ergo dici possunt carere omni gratia sufficiente ad vitandum malum, quod ex cæci cordis errore committunt.

Dices. Judæi excæcati peccabant non credendo Christum esse Messiam, juxta illud ipsiusmet Christi, Joan. c. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Et infrà: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Atqui tamen nullum habebant auxilium sufficiens ad credendum in Christum. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam non poterant in Christum credere, juxta illud Joan. c. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias. Excæcavit oculos eorum, &c.*

R. neg. min. *Ad prob. R.* 1. sic dist. Judæi in Christum credere non poterant impotentia consequente & voluntaria, C. Impotentia antecedente & involuntaria, N. Judæi itaque in Christum credere non poterant, non quia carebant gratia ad credendum necessaria, sed quia datam repudiabant; non quia vim motivorum credibilitatis percipere non poterant, sed quia illa præ suis falsis præjudiciis spernebant; non quia non illustrabantur à Deo, sed quia illustrationem divinam contemnebant, & ab ea mentem avertebant; non denique quia non movebantur à Deo ad credendum, sed quia motionem divinam abjiciebant.

Hanc responsionem suggerit S. Augustinus pluribus locis. Nam dicit tract. 53. in Joannem: *Non poterant credere* (Judæi.) *Quare autem non poterant, si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant*. Et lib. de præd. Sanct. cap. 6. *Ecce misericordia & judicium: misericordia in electione quæ consecuta est justitiam Dei: judicium verò in cæteros, qui excæcati sunt: & tamen illi, quia voluerunt, crediderunt: illi, quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & judicium in ipsis voluntatibus facta est:* (misericordia quidem erga Judæos electos, vocando illos quomodo ei congruebat ut vellent credere, & crederent; justitia verò circa cæteros, non quidem privando illos vocatione, quacum velle possent, sed præcisè non illos vocando ea vocatione, quacum non solùm velle possent, sed etiam re ipsa vellent.) Unde qui noluerunt credere, tam liberè noluerunt, quàm qui voluerunt credere, liberè voluerunt: & sicut qui voluerunt credere, potuerunt nolle, ita qui noluerunt credere, potuerunt velle.

R. 2. aliter dist. Judæi in Christum credere non potuerunt in sensu composito odii & zelotypiæ, qua flagrabant adversus Christum, C. In sensu diviso, N. Vel, si vis, sic. Judæi in Christum credere non potuerunt, manente cordis cæcitate, C. Sublata, N. Unde etiam nego quòd caruerint omni auxilio sufficiente ad credendum in Christum: habuerunt enim saltem gratiam remotè sufficientem ad deponendum illud odium, quo Christum insectabantur, & ad impetrandum à Deo auxilium ad removendam cordis eorum cæcitatem sufficiens.

DISPUTATIO V.

De necessitate gratiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm tentatio aliqua superari possit solis naturæ viribus.

Nota. Non agitur hìc de levi aliqua titillatione, quæ tentationis nomen non meretur, sed de vera tentatione; & quæritur utrùm aliqua vinci possit sine di-

divino auxilio. Tentatio autem tribus modis vinci potest. 1. enim potest vinci damnabiliter, quod fit cùm tentatio per aliam tentationem superatur, seu cùm homo resistit uni tentationi, ut succumbat alteri. De hoc modo vincendi tentationem non potest esse difficultas: clarum enim est, homini naturalem arbitrii facultatem ad hoc sufficere, ut uni tentationi obsequatur potiùs quàm alteri, & tentationem minorem ab homine naturaliter superari posse per majorem.

2. Tentatio vinci potest salutariter, quod fit cùm homo tentationi resistit ex motivo Christianæ virtutis, putà ex motivo charitatis. Unde tunc homo non modò non peccat vincendo tentationem, sed etiam meretur apud Deum. De hoc modo hìc non agimus, sed quid de eo tenendum sit, patebit ex infra dicendis de operibus pietatis, qualia nulla fieri posse ab homine sine adjutorio interioris gratiæ illustrantis intellectum & voluntatem excitantis atque adjuvantis, ostendetur.

3. Tentatio vinci potest indifferenter, hoc est, neque peccando, neque actum pietatis exercendo, adeòque neque merendo, neque demerendo; quod fit v.g. cùm homo tentationem superat ex honestate virtutis naturalis. De hoc modo vincendi tentationes hìc agitur, & quæritur utrùm possit esse absque omni auxilio gratiæ tam externo, quàm interno: hìc enim per auxilium divinum intelligimus non solùm interiorem gratiam illustrationis & inspirationis, sed etiam externam protectionem, & providentiam specialem, qua Deus impedit dæmonem, ne tali loco, tali tempore, tali modo, cum tanta vehementia tentet, vel quocumque alio modo homini tentato subvenit.

Responsio.

Nulla vera tentatio superari potest solis naturæ viribus, & sine aliquo gratiæ auxilio.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur Psal. 17. *In te eripiar à tentatione*. Et Matth. cap. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Et c. 6. *Ne nos inducas in tentationem*. Quibus locis, & aliis similibus, Deo simpliciter attribuitur victoria de tentationibus reportanda; sive, quod idem est, gratuitum Dei auxilium ad superandas tentationes necessarium esse significatur, nulla tentationum in leves & graves distinctione facta. His addo Apostolum, dicentem 1. Cor. cap. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Quibus verbis innuit Apostolus, quæ Deo interiùs adjuvante, vel protegente exteriùs, vires nostras non superant, tentationes nostras fore gravissimas, & moraliter intolerabiles, si Deus gratuito suo auxilio nos destitueret, vel sineret dæmonem tantùm in nos sævire, quantùm posset & vellet.

Prob. 2. authoritate Summorum Pontificum, Innocentii I. in suo ad Conc. Carthaginense rescripto dicentis: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam (nos) terrenæ labis, & mundani corporis vincere conari errores, cùm pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium*. Et inferiùs, Christum homini *quotidiana præstare remedia: quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenùs humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adjuvante vincamur*.

Zozimi apud Celestinum in epist. 1. ad Galliæ Episcopos, sic loquentis in sua ad totius orbis Christiani Præsules synodica epistola: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*.

Celestini in modò laudata epistola, cap. 6. ubi pronuntiat, *neminem etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit*. Quod probat authoritate Innocentii, cujus verba à nobis laudata refert.

Prob. 3. authoritate Conciliorum, nempe Diospolitani, in quo Pelagius anathematizare compulsus est hanc inter alias propositionem: *Victoriam nostram non ex Dei adjutorio esse, sed ex libero arbitrio*: ut refert S. Augustinus, epist. 106. ad Bonifacium, ubi observat, consequens esse, ut *quisquis sequitur illius Episcopalis authoritatem judicii, fateatur quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam*.

Milevitani in sua ad Innocentium I. synodica epistola, ubi apud Pontificem Pelagianos accusat, quòd dicant, *illud*, Ne nos inferas in tentationem, *non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem*.

Prob. 4. authoritate Sancti Augustini, lib. de gratia Chr. cap. 27. ubi ad hæc Pelagii verba, *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus*, sic ait: *Ut quid hoc verbum interposuit, id est, facilius? An verò non erat integer sensus, ut nequam spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? volens utique credi tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus Sancti, etsi minùs facilè, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur*. Et lib. de perfectione justitiæ, quem his verbis claudit: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem hoc qui contendit ad non peccandum* (supple etiam urgente tentatione) *gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem; ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum non dubito*.

Obj. 1. illud S. Hieronymi, lib. 2. contra Jovinianum: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur*. *R.* nos etiam in hoc infirmitatis statu non trahi necessitate ad vitia per tentationes, quia nunquam deest nobis, cùm tentationibus urgemur, ad eas superandas sufficiens gratiæ adjutorium.

Obj. 2. Tentationes oriuntur ex concupiscentia, juxta illud epistolæ Jacobi, cap. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*. Atqui vires naturæ sufficiunt homini ad reprimendam concupiscentiam juxta illud Gen. cap. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Ergo, &c. *R.* neg. min. Cùm enim tentamur, concupiscentia nostra excitatur à dæmone. Tanta autem est dæmonis potentia & ars in excitanda & inflammanda concupiscentia nostra, ut nunquam nisi Deo nobis subveniente restituri simus. Eatenùs igitur, secundùm Scripturam, homo appetitui suo dominatur, quatenùs Deus non finit eum tentari supra id quod potest, vel cohibendo dæmonem, & impediendo ne tantum sæviat; vel interiùs ipsum hominem per gratiam suam confortando, & crescente tentatione novas vires addendo.

Obj. 3. Voluntas non potest necessitari à tentatione, quandiu tentatio non absorbet penitùs judicium rationis. Ergo quandiu manet usus rationis, tandiu voluntas libera est ad consentiendum vel non consentiendum tentationi, & consequenter tandiu tentationi resistere potest. Ergo quandiu manet usus rationis, tandiu naturæ vires sufficiunt ad superandam tentationem.

R. 1. Voluntatem, quandiu manet usus rationis, non posse à tentatione necessitari physicè, seu ad unum determinari, sicut appetitus bruti ad unum determinatur; at posse necessitari moraliter, hoc est, moveri infal-

infallibiliter, & re ipsa infallibiliter motum iri, nisi Deus eam adjuvet. Voluntas tentata quandiu manebit usus rationis, poterit absolutè tentationi non consentire, sic tamen ut infallibiliter consensura sit, si sibi relinquatur. *R.* 2. voluntatem non posse à tentatione necessitari, quandiu tentatio non absorbet penitùs judicium rationis; quia tandiu adjuvari potest & adjuvatur à Deo, ut possit tentationi resistere. Unde quandiu manet usus rationis, tandiu ad consentiendum vel non consentiendum tentationi voluntas libera est, sed non sine aliquo Dei adjutorio, ipsam contra vim tentationis confortante. Quare nego 2. conseq.

Obj. 4. Saltem levis tentatio superari potest sine auxilio gratiæ, ut patet ex condemnatione hujus propositionis Bajanæ: *Non solùm ii sunt fures & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quàm per ipsum in viam justitiæ, hoc est, aliquam justitiam, conscendi posse docent: aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Ergo malè dicitur, quòd nulla vera tentatio superari possit solis naturæ viribus sine auxilio gratiæ.

R. neg. conseq. Itaque ad superandam levem tentationem sufficiunt vires naturæ sine auxilio gratiæ interioris. At tentatio levis non est sine speciali protectione & providentia Dei, cohibentis dæmonem, vel quocumque alio modo concupiscentiam reprimentis. Unde manifestè sequitur nullam veram tentationem superari posse sine aliquo gratiæ adjutorio vel interno, vel saltem externo adeòque ad nullam veram tentationem superandam valere solas naturæ vires; quod magno consensu docent Pontifices, Patres, & Concilia.

Ad prob. ant. R. hanc Baii propositionem damnatam esse, tum quia gravi censura immeritò notat eos, qui tenent solas naturæ vires sufficere posse ad superandas aliqua tentatione; cùm non sine aliqua verisimilitudine hoc teneant; tum quia loquitur de adjutorio interioris gratiæ; & falsum est quòd nulla tentatio sine interioris gratiæ adjutorio possit superari. Porrò, quod hìc obiter observo, ne levem quidem tentationem sine adjutorio interioris gratiæ, hoc est, secundùm illos, cœlestis delectationis prævalentis, superari posse asserunt Bajani, ex hoc falso & hæretico principio nempe quòd voluntas necessitetur ad id volendum & agendum quod ampliùs eam delectat: unde sequitur quòd terrenam delectationem, in qua tentatio consistit, quantùmvis levem, superare non possit nisi per aliam delectationem cœlestem majorem. Nos verò dicimus ad nullam veram tentationem superandam vires naturales sufficere posse, quia nulla tentatio gravis superari potest sine interiore gratia, & nulla levis est sine speciali aliquo Dei beneficio. Unde sequitur, ad superandam omnem veram tentationem, requiri gratuitum aliquod Dei auxilium.

ARTICULUS II.

Utrùm homo possit boni aliquid velle in iis, quæ ad pietatem & salutem pertinent, sine adjutorio gratiæ.

Responsio.

IN iis quæ ad pietatem & salutem æternam pertinent, homo nihil potest velle, aut agere sine adjutorio interioris gratiæ prævenientis, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis.

Est de fide contra Pelagianos & Semipelagianos, contra quos *prob.* 1. ex Scriptura. Nam dicitur Joan. c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et 1. Cor. c. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Et 1. Philipp. c. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi.* Et ead. epist. c. 2. *Deus est qui operatus in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quibus locis, & aliis similibus, sufficienter exprimitur necessitas interioris gratiæ illustrantis intellectum, & voluntatem moventis ad quemlibet actum salutarem sive perficiendum, sive etiam inchoandum.

Prob. 2. authoritate Summorum Pontificum, nempe Innocentii I. in suo ad Concilium Milevitanum rescripto, ubi sic ait: *Cùm in omnibus divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse cœlestibus præsidiis destitutam, quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes, sibimet, immò plurimis Pelagius Celestiusque persuadent?* Zozimi, verbis art. 1. relatis Celestini in sua ad Gallos episcopos epistola, ubi dicit c. 8. *Quòd omnia studia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Et inferiùs sic ait: *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Et c. 9. sic prosequitur: *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.*

Prob. 3. authoritate Conciliorum, Palestini scilicet in causa Pelagii celebrati, & definientis, *gratiam Dei ad singulos actus dari*, hoc est, gratiam Dei ad singulos actus salutares necessariam esse Carthaginensis plenarii, à Sede Apostolica approbati, & ab universo orbe Christiano recepti, apud Prosperum in resp. ad caput 8. Gallorum, ubi hæc leguntur: *Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo dicamus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare: ità ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Et Arausicani II. in causa Semipelagianorum in Gallia, cap. 7. ubi dicitur: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat.... hæretico fallit spiritu.*

Prob. 4. authoritate S. Augustini, lib. de grat. Chr. c. 26. *Gratiam Dei*, inquit, *qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet utramque justitiam, fieri posse non dubitet.*

Obj. Hac doctrina penitùs destruitur liberum arbitrium. *R.* cum S. Augustinum, lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 5. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieque vivendum nos valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.*

Neque simpliciter negamus voluntatem humanam esse liberam ad bonum volendum & agendum, sed solùm negamus, ad id liberam esse sine gratia, quæ non captivat illam, sed liberat, nec illam necessitat, sed sanat & corroborat: unde, ut dicit S. Prosper in libro adversùs Collatorem, *Non conturbat nos superbientium* (Pelagianorum & Semipelagianorum) *inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur; quoniam opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ.*

ARTICULUS III.

Utrùm Mysteria fidei nostræ credi possint sine adjutorio gratiæ.

NOtæ. Ad credenda mysteria nostræ fidei, tria requiri consentiunt omnes. Primum est divina revelatio, per Scripturam vel prædicatores proposita: hic enim agitur de fide divina, qua creduntur nostræ religionis mysteria: fides autem divina sine divina revelatione esse non potest; cùm fides divina sit assensus

datus

datus propter authoritatem Dei revelantis. Secundum est divinæ revelationis propositio facta credibiliter : nam sine tali propositione intellectus non potest prudenter assentiri rei revelatæ, assensu omnem omninò hæsitationem & animi anxietatem voluntariam excludente, adeòque assentiri non potest fide divina, vel fides divina potest esse imprudens, quod repugnat. Tertium est imperium voluntatis, applicantis & determinantis intellectum ad credendum, quia ad id intellectus necessitari non potest per revelationem divinam, quantumvis credibiliter proponatur. His præsuppositis, quæ sunt extra controversiam, quæritur utrùm præter revelationem divinam, credibiliter propositam, ad credendum requiratur interior gratia illustrationis & inspirationis. Negarunt Pelagiani & Semipelagiani, contra quos sit

RESPONSIO.

Sine interiore gratia illustrationis & inspirationis, homo credere non potest fide divina mysteria nostræ religionis, quantumvis credibiliter proposita.

Est de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam Apostolus Ephes. c. 2. dicit: *Gratia estis salvati per fidem: Dei enim donum est.* Et Philipp. c. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Unde sic argumentor. Ex Apostolo, fides christiana, seu divina, est donum Dei. Atqui, secundùm omnes Catholicos, consentientibus ipsis Pelagianis & Semipelagianis, opus aliquod salutare eatenùs donum Dei est, quatenùs non fit, nisi dependenter à Deo per interiorem gratiam voluntatem præveniente, eamque immediatè excitante & adjuvante ad volendum & operandum. Ergo, &c. Præterea, fides christiana, Ex Apostolo, tam est donum Dei, quàm patientia. Atqui etiam, secundùm Semipelagianos, patientia est donum Dei, quia sine interiore gratia illustrationis & inspirationis non habetur: unde illustrationis & inspirationis divinæ necessitatem ad patientiam agnoscebant, quia fatebantur patientiam donum Dei esse. Ergo, &c.

Prob. 2. authoritate Conciliorum, nempe Arausicani II. can. 5. ubi dicitur: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei non per gratiæ donum nobis ineſſe dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Et Tridentini sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspirattone atque ejus adjutorio hominem credere... posse sicut oportet... anathema sit.*

Prob. 2. authoritate S. Augustini lib. de præd. Sanct. ferè toto. Sic autem loquitur c. 2. *Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus: si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum... unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Prob. 4. Ratione; quia nullum opus pietatis sive inchoari sive perfici potest sine adjutorio interioris gratiæ, ut Art. 2. probatum est. Atqui fides christiana est opus ad pietatem & salutem pertinens. Ergo, &c.

Obj. Gratis dicitur fidem christianam superare vires naturales. *R.* neg. Nam fides christiana est actus, quo homo sufficienter convictus de existentia divinæ revelationis per motiva credulitatis, ex pio affectu obediendi Deo, eique in omnibus sese plenè submittendi, firmissimè veritatem revelatam credit præcisè propter authoritatem Dei revelantis, adeòque propter revelationem divinam propter se firmissimè creditam. At homo neque sufficienter convinci potest de existentia revelationis divinæ per motiva credibilitatis, sive, quod idem est, neque de existentia revelationis divinæ habere potest per motiva credibilitatis certitudinem sive absolutam, sive etiam relativam tantùm; neque habere potest pium affectum obediendi Deo, & ei sese plenè submittendi in omnibus; neque revelationi, quantumlibet credibiliter propositæ, firmissimè potest adhærere propter se, adeòque nec potest veritati revelatæ firmissimè adhærere præcisè propter authoritatem Dei revelantis, sine adjutorio interioris gratiæ illustrantis intellectum, & voluntatem immediatè excitantis, atque corroborantis.

Dices. Infideles multa credunt solis naturæ viribus, quæ non sunt minùs creditu difficilia, quàm mysteria nostræ fidei: nam v. g. solis naturæ viribus credunt firmiter, continuum dividi posse in partes plures & plures in infinitum. *R.* Hoc credunt vel propter naturalem demonstrationem, qua naturaliter convincuntur, vel propter authoritatem doctorum, à quibus instruuntur. Ad hunc autem utrumque assentiendi modum manifestè vires naturales sufficiunt. Unde sequitur tantùm, quòd similiter infideles possent solis naturæ viribus firmiter assentiri mysteriis nostræ fidei propter simile motivum; qui assensus esset à fide christiana planè diversus.

Dices. Lutherani v. g. credunt Deum esse trinum, & credunt absque omni auxilio gratiæ: nam eodem modo adhærent suis erroribus, ad quos credendos nullum certè auxilium gratiæ accipiunt. Ergo, &c. *R.* Inter Lutheranos alii sunt docti, alii indocti. Docti cùm in mala fide sint, nec habent, nec habere possunt in hoc statu piam credulitatem, seu piam voluntatem obediendi, & sese plenè submittendi Deo revelanti credibiliter: & verò si hanc voluntatem haberent, brevi, abjectis falsis suis præjudiciis, ad Ecclesiam Romanam convolarent. Unde nec habent nec habere possunt in hoc statu fidem Christianam circa mysterium Trinitatis, sive quodlibet aliud mysterium revelatum. Quare mysterium Trinitatis non credunt nisi fide humana, & ad illud credendum ducuntur vel spiritu privato, vel authoritate magistrorum, ad quod certè vires naturales illis sufficiunt.

Inter indoctos verò & idiotas, si qui sunt qui inculpabiliter putant Lutheranam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, parati ab ea discedere, ubi primùm de illius falsitate, & ad Romanam Ecclesiam confugere; ubi primùm de illius veritate convincerentur, nihil vetat eos, aspirante & adjuvante Deo, habere piam credulitatem, & ex hac pia credulitate fide christiana credere mysterium Trinitatis, sicut & quodlibet aliud mysterrum revelatum, sufficienter propositum, simul credendo fide merè humana, & propter solam authoritatem ministrorum, Lutheranæ sectæ errores.

Quòd si inter Lutheranos etiam indoctos & idiotas, nulli sunt, qui non nisi culpabiliter putent Lutheranam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, nulli piam credulitatem habent, & sic nulli fide christiana credunt mysterium Trinitatis, sicut nec quodlibet aliud mysterium revelatum, quantumvis propositum credibiliter; sed quidquid credunt, sive verum sive falsum, sive revelatum sive non revelatum in materia religionis, credunt fide merè humana, propter solam ministrorum authoritatem, ad quod certè adjutorio gratiæ non indigent.

Dices. Facilè credimus sine adjutorio gratiæ vera esse, quæ narrantur ab Historicis prophanis. Ergo facilè etiam sine adjutorio gratiæ credere possumus vera esse, quæ narrantur ab Historicis sacris, saltem in iis rebus, quæ naturam non superant, quales sunt res à Prophetis vel Patriarchis gestæ. *R.* Sicut facilè sine gratia credimus fide humana vera esse ea, quæ narrant Scriptores exteri: sic quoque facilè sine gratia credere possumus fide humana vera esse aliqua, quæ narrant Sacri Scriptores: at nulla ex iis, quæ narrant, fide christiana credere possumus; quia sine gratia, neque piam credulitatem habere, neque præcisè propter authoritatem Dei revelantis alicui veritati firmiter adhærere possumus.

Dices. Possumus sine gratia velle etiam firmissimè credere res falsas, & quæ omnem rationem superant: sic v. g. Lutherani firmissimè credunt Corpus Christi esse semper præsens ubique. Ergo similiter possumus sine gratia velle firmissimè credere res veras, quam-

vis omnem excedant rationem ; velle , inquam , ex pio affectu erga Deum firmissimè credere præcisè propter divinam revelationem . *R.* neg. cons. Quæ nonmagis valet quàm ista? Possumus sine gratia velle odisse Deum ex toto corde . Ergo possumus etiam sine gratia velle amare Deum ex toto corde . Sicut ergo Deum amare ex toto corde , superat vires naturæ , quamvis non superet vires naturæ , Deum odisse ex toto corde : ita velle ex pio affectu obediendi & sese submittendi Deo revelanti credibiliter , rem veram firmiter credere præcisè propter authoritatem Dei revelantis , superat vires naturæ ; quamvis non superet vires naturæ , velle ex pravo aliquo & inordinato affectu , rem falsam aut etiam veram pertinaciter credere propter authoritatem hominum insufficientem , vel quodcumque motivum aliud incertum .

Dices . Esto fides christiana perfecta superet vires naturæ : at idem dici non potest de fide christiana imperfecta & inchoata tantùm . *R.* neg. Nam 1. tam ad fidem inchoatam requiritur pia credulitas , quàm ad fidem perfectam : quia sine pia illa credulitate , nulla fides verè christiana esse potest . 2. Tam ad fidem inchoatam requiritur , ut veritas revelata firmiter credatur præcisè propter authoritatem Dei revelantis , quàm requiritur ad fidem perfectam : authoritas enim Dei revelantis sola est motivum intrinsecum omnis fidei christianæ ; & in hoc tantùm differunt fides inchoata & perfecta , quòd fides inchoata non sit tantùm appretiativa veritatis creditæ , quantum fides perfecta . Utraque igitur superat vires naturæ , adeòque neutra sine adjutorio interioris gratiæ haberi potest .

ARTICULUS IV.

Utrum sine adjutorio interiori gratiæ possit diligi Deus propter se .

Nota . Dilectio Dei propter se alia est dilectio Dei ut authoris naturæ , alia Dei ut largitoris gratiæ & gloriæ . Utraque subdividitur in perfectam & imperfectam appretiativè . Dilectio perfecta appretiativè est ea , qua Deus super omnia diligitur , hoc est , rebus omnibus creatis anteponitur . Dilectio imperfecta appretiativè , seu quantùm ad appretiationem , est ea , qua Deus verè diligitur propter se , seu propter suam bonitatem , sed nondum super omnia diligitur , hoc est , nondum rebus omnibus creatis anteponitur .

Dilectio Dei appretiativè perfecta subdividitur in perfectam & imperfectam intensivè , seu quantùm ad intensionem . Perfecta intensivè est ea , quæ non solùm Deum anteponit rebus omnibus creatis , sed etiam ardentiùs ad illum afficitur , quàm ad ullam rem creatam . Imperfecta intensivè est ea , quæ sic Deum rebus omnibus creatis anteponit , ut tamen ad eum non tam vehementer , quàm ad aliquas res creatas afficiatur . Hæc autem dilectio Dei non dicitur simpliciter , sed tantùm secundùm quid , & cum addito diminuente , quantùm ad intensionem , imperfecta . Dilectio enim imperfecta simpliciter est dilectio appretiativè imperfecta , quæ non est charitas , sed tantùm quoddam charitatis initium ; unde non dicitur charitas , nisi , cum addito destruente , inchoata .

Responsio I.

Dilectio Dei sive ut largitoris gratiæ & gloriæ , sive etiam ut authoris naturæ , appretiativè perfecta , superat vires liberi arbitrii , nec haberi potest sine interna gratia illustrationis & inspirationis .

Prob. 1. ex Scriptura . Nam dicitur Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis* . Et Gal. cap. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas* . Et 1. Jon. cap. 4. *Charitas ex Deo est* . Unde sic argumentor . Ex Scriptura charitas est bonum Dei , & effectus gratiæ ipsius . Atqui omnis dilectio Dei propter se appretiativè perfecta , est charitas . Ergo omnis dilectio Dei propter se appretiativè perfecta , est donum Dei , & effectus gratiæ ipsius . Ergo , &c.

Dices . Scriptura his locis ; & aliis similibus , nomine charitatis intelligit tantùm actum , quo Deus propter se super omnia diligitur , tanquam bonorum supernaturalium author . *R.* hoc gratis & perperam dici : nam Scriptura loquitur simpliciter de charitate Dei . Atqui actus , quo author rerum naturalium diligitur super omnia propter se , tam est charitas Dei , quàm actus , quo super omnia propter se diligitur author bonorum supernaturalium : cùm author bonorum naturalium tam verè & propriè sit Deus , quàm author bonorum supernaturalium . Ergo Scriptura tam loquitur de actu , quo Deus ut author bonorum naturalium diligitur super omnia propter se , quàm de actu , quo super omnia propter se diligitur Deus ut author bonorum supernaturalium .

Prob. 2. ex Conc. Arausicano II. dicente cap. ult. *Prorsùs donum Dei est diligere Deum* . Et ex S. Augustino sic loquente in lib. de gr. & lib. arb. cap. 18. *Unde est in hominibus charitas Dei & proximi , nisi ex ipso Deo ? Nam si non ex Deo , sed ex hominibus , vicerunt Pelagiani : si autem ex Deo , vicimus Pelagianos* . Vide S. Augustinum , & post eum Synodum Arausicanam , attribuendo gratiæ dilectionem Dei , non distinguere inter dilectionem Dei ut authoris rerum naturalium , & dilectionem Dei ut authoris rerum supernaturalium .

Dices . Attamen S. Augustinus cum Synodo Arausicana intelligendus est de dilectione , qua Deus ut bonorum supernaturalium author , diligitur propter se . *R.* hoc esse falsum ; & dico S. Augustinum cum Synodo Arausicana intelligendum esse de omni amore Dei casto , qualis profectò est ille , quo Deus etiam ut author naturæ propter se diligitur . Præterea , quòd per amorem illum Dei , quem dicit esse non posse sine interiore gratia , intelligat etiam amorem Dei , ut authoris naturæ , evidenter demonstratur ex lib. 4. contra Julianum , cap. 3. ubi hæc leguntur verba : *Amor Dei , quo pervenitur ad Deum , non est nisi à Deo ... per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis* .

Prob. 3. ratione . Si homo potest ex solis arbitrii viribus habere dilectionem Dei ut authoris naturæ appretiativè perfectam , potest ex solis arbitrii viribus servare totam legem , & esse absque omni peccato gravi . Falsum & absurdum consequens . Ergo , &c. *Prob. seq. maj.* Nam dilectio , qua Deus etiam ut author naturæ , super omnia diligitur , excludit omnem affectum ad peccatum mortale , & includit odium omnium delectabilium , cum lege & amicitia divina pugnantium . Atqui manifestum est cum tali dilectione Dei servari posse totam legem , & vitari omne peccatum mortale . Ergo si homo potest ex solis arbitrii viribus , &c.

Præterea , si homo potest ex solis arbitrii viribus habere dilectionem Dei ut authoris naturæ appretiativè perfectam , potest quoque ex solis arbitrii viribus perfectè conteri de peccatis : potest enim in hac hypothesi , ex solis arbitrii viribus dolere de peccatis propter Deum super omnia dilectum propter se ; & propter Deum super omnia dilectum propter se , habere propositum servandi omnia mandata , & nunquam peccandi de cætero . Falsum cons. alioquin homo potest ex solis arbitrii viribus conteri de peccatis sicut oportet ad consequendam justificationis gratiam , quod est à Conciliis damnatum , & hæreticum . Ergo , &c.

Responsio II.

Etiam dilectio Dei non solùm ut largitoris gratiæ & gloriæ , sed & ut authoris naturæ appretiativè imperfecta , qua Deus propter se , sed non super omnia diligitur , superat vires liberi arbitrii , nec haberi potest sine interna gratia illustrationis & inspirationis .

Prob. 1. ex S. Augustino , lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum , cap. 9. ubi nulla distinctione facta dilectionis Dei ut authoris naturæ , & dilectionis Dei ut largitoris gratiæ & gloriæ , diserte docet dilectionem Dei tam inchoatam & appretiativè imperfectam , quàm per-

perfectam, esse ex Deo, hoc est, donari à Deo per interiorem scilicet gratiam, qua ex pura misericordia hominem illustrat & excitat quomodo ei congruit, &c. *Nec*, inquit, *initium ejus* (charitatis) *ex nobis, & perfectio ejus ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc amentiam, & in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia ejus præveniet me.*

Prob. 2. ratione. Quia omne opus pietatis superat vires liberi arbitrii, ut probatum est. Atqui dilectio Dei etiam ut authoris naturæ, licèt appretiativè imperfecta, est verum opus pietatis. Ergo, &c. *Prob. min.* authoritate S. Augustini epist. 29. ad Hieronymum: *Quid est pietas*, inquit, *nisi cultus Dei? & unde ille colitur, nisi charitate?* sive diligatur Deus ut author gratiæ & gloriæ, sive diligatur ut author naturæ. Quis enim negare audeat Deum ab eo coli, à quo diligitur ut author naturæ? An non homo in statu naturæ puræ coluisset Deum, illum diligendo ut authorem naturæ? Et si Deus colitur, cùm diligitur ut author gratiæ & gloriæ, quare non colitur, cùm diligitur ut author naturæ? Ex quo sic adhuc argumentor breviter. Qui colit Deum, exercet actum pietatis. Sed qui Deum ut authorem naturæ diligit propter se, colit Deum. Ergo qui Deum ut authorem naturæ diligit propter se, exercet actum pietatis, perfectum quidem, si perfectè, imperfectum verò, si imperfectè & inchoatè tantùm diligat. Atqui nullus actus pietatis, sive perfectus, sive imperfectus & inchoatus tantùm, exerceri potest sine adjutorio interioris gratiæ, quod nequidem Semipelagiani ausi sunt negare. Ergo, &c.

Obj. 1. Parentes interdum ita diligunt filios, ut pro illis mori velint. Item infidelis potest tantoperè diligere Deos suos, ut pro illis gravissima tormenta & mortem subeat. Item multi Romani ita patriam suam dilexere, ut pro ea morti se ipsi devoverint. Ergo gratis negatur, quod homo naturaliter possit Deum ut authorem naturæ diligere etiam super omnia.

R. neg. cons. Nam 1. cùm faciliùs & vehementiùs ad sensibilia quàm ad insensibilia afficiamur, facilius est homini hominem, & parenti filium diligere, quàm Deum ut authorem naturæ, & hoc propter naturæ corruptionem nunc est impossibile. 2. Infideles, qui pro diis suis, & Romani qui pro patria sua morti se devoverunt, id egerunt ex inordinato amore sui, & insana vanæ gloriæ cupidine, aut aliquo alio pravo motivo. Facilius autem homini est se ipsum inordinatè, quàm Deum ordinatè diligere; & ea est naturæ nostræ pravitas, ex originali peccato profecta, ut difficillima quæque possimus suscipere ex malo motivo, puta ex nimio timore displicendi hominibus, vel ex nimio illis placendi desiderio, & nequidem facillima possimus ex motivo placendi Deo, nisi Deus ipse per internam suam gratiam nos adjuvet.

Obj. 2. Homo in statu naturæ puræ Deum ut authorem naturæ potuisset diligere, & dilexisset etiam super omnia, absque omni auxilio gratiæ. Ergo idem etiam potest in præsenti statu. *R.* neg. cons. Itaque ex eo quòd homo in statu naturæ puræ naturaliter dilexisset Deum ut authorem naturæ, non sequitur quòd etiam nunc Deum ut authorem naturæ naturaliter possit diligere. Ratio est, quia in illo statu natura non esset corrupta; peccatum originale, nullum esset. At in præsenti statu natura per peccatum originale corrupta est, atque ita corrupta & depravata, ut voluntas nostra, nisi à Deo corrigatur ac sanetur per interiorem gratiam, spiritualia semper fastidiat, nec nisi ad terrena & sensibilia afficiatur: ita ut ægrè, etiam cùm nulla urget tentatio, honestate creata tangatur sine speciali adjutorio Dei. Igitur propter naturæ nostræ depravationem dilectio Dei ut authoris naturæ, quæ in statu naturæ puræ solis arbitrii viribus possibilis fuisset, & quæ secundùm se naturalis est, nunc vires liberi arbitrii superat, adeòque nunc supernaturalis est, & sine adjutorio interioris gratiæ voluntatem nostram ægram & imbecillem sanantis ac corroborantis, haberi non potest.

Obj. 3. Summi Pontifices damnarunt has duas Baii propositiones: 1. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis, veterum testimoniis excogitata.* 2. *Amor naturalis, qui de viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

R. has propositiones à Summis Pontificibus damnatas fuisse. 1. Propter gravem censuram, qua notant Doctores Catholicos, qui duplicem Dei amorem, unum naturalem, & alterum supernaturalem distinguunt. Nos verò ab omni censura abstinemus. 2. Quia in illis Bajus impugnat possibilitatem naturalis amoris Dei, & vult omnem Dei amorem esse per se supernaturalem. Unde sequitur hominem condi non potuisse, nisi in statu elevationis; cùm non potuerit condi, nisi in statu, in quo Deum posset amare; adeòque chymericum esse naturæ puræ statum. Nos verò fatemur aliquem Dei amorem esse naturalem secundùm se, & ita aliquem Dei amorem non superare vires naturæ non corruptæ, adeòque hominem condi potuisse in statu naturæ puræ, in quo locum non habuisset gratia, & tamen homo Deum ut authorem naturæ amore casto diligere potuisset.

ARTICULUS V.

Utrùm homo solis naturæ viribus possit aliquo modo se disponere ad recipiendam gratiam.

Responsio.

HOmo solis naturæ viribus nullo modo potest sese disponere ad recipiendam gratiam actualem.

Prob. Nam 1. dispositio ad gratiam actualem recipiendam, si qua est, est aliquid ad salutem pertinens. Atqui homo nihil potest solis naturæ viribus, quod ad salutem pertineat, ut probatum est. Ergo, &c. 2. Si homo potest solis naturæ viribus aliquo modo sese disponere ad recipiendam gratiam actualem, certè quia potest solis naturæ viribus facere aliquid, quo Deus ex decentia & congruitate quadam induci potest ad dandam actualem gratiam. Atqui ex Patribus & Conciliis, homo nihil tale potest: cùm enim Patres & Concilia contra Pelagianos & Semipelagianos ut rem de fide docent gratiam actualem non secundùm merita nostra dari, intelligunt nullum opus à nobis ex solis arbitrii viribus fieri posse, cujus intuitu etiam ex decentia & congruitate tantùm Deus det nobis actualem gratiam.

Confirm. Quia si homo potest solis naturæ viribus sese disponere ad recipiendam gratiam actualem, vel potest sese disponere negativè, removendo scilicèt prohibens; vel potest sese disponere positivè, bonum aliquem actum producendo. Neutrum dici potest, Non primum: cum enim prohibens sit saltem peccatum mortale, homo non potest sese disponere negativè, removendo prohibens, quin abstineat ab omni peccato mortali. Quod autem homo omnia mortalia vitare possit solis naturæ viribus, dicere nimis absurdum est.

Non etiam secundùm: nam bonus ille actus, qui solis naturæ viribus producetur, vel erit meritorius de condigno actualis gratiæ; at hoc nequidem somniarunt Semipelagiani: vel erit meritorius de congruo tantùm actualis gratiæ; at hoc in Semipelagianis damnavit Ecclesia.

Dices. Actus ille nequidem erit meritorius de congruo, sed solùm se habebit per modum conditionis, qua posita, dabitur gratia, non posita non dabitur. Sed contra est; quia, 1. sic non nisi vocetenùs recedit à sententia Semipelagianorum, qui profectò facilè consensissent initium fidei, ad quod volebant vires arbitrii sufficere, dici meram conditionem, qua posita daretur, qua non posita non daretur gratia. 2. Si ita esset, adhuc donatio gratiæ non fieret sine onere, &

ita non esset merè gratuita, sed supponeret aliquid operis. Quod sanè repugnat Apostolo dicenti Rom. cap. 11. *Si autem gratia, jam non operibus: alioqui gratia jam non est gratia.*

Obj. 1. Zachariæ, cap. 1. dicitur: *Convertimini ad me ... & ego convertar ad vos.* R. in hoc textu, & aliis similibus, commendari liberum arbitrium, sed non excludi necessitatem gratiæ prævenientis: sicut in hoc alio textu, *Converte nos Deus salutaris noster*, commendatur necessitas gratiæ prævenientis, sed non excluditur liberum arbitrium. Itaque Deus dicit nobis: *Convertimini ad me;* quia non solus operatur conversionem nostram; & nos dicimus Deo: *Converte nos;* quia non soli ad conversionem nostram sufficiemus; sed conversio nostra est opus gratiæ prævenientis, & arbitrii nostri gratiæ prævenienti consentientis atque cooperantis.

Obj. 2. hoc axioma theologicum: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* R. hujus axiomatis hunc sensum esse: Facienti quod in se est, gratiæ prævenienti consentiendo & cooperando, Deus non denegat gratiam justificationis. Et verò faciens quod in se est ex solis arbitrii viribus, pro uno aut altero bono opere morali, quod fortè facit, multa mortalia sine dubio committit. Tali autem aliud deberi non potest, quàm pœna pro mortalibus, quorum reus est.

Obj. 3. Cornelius Centurio, homo Gentilis, per orationes & eleemosinas suas meruit gratiam, qua ad fidem & justificationem perveniret. R. Cornelium non meruisse gratiam, qua ad fidem Christi & Evangelii perveniret, per orationes & eleemosnas factas ex solis naturæ viribus. Itaque Cornelius per interiorem gratiam gratuitò donatam illustratus & excitatus, habuit fidem unius Dei: deinde ex hac fide, Deo ulteriùs aspirante & adjuvante, oravit, & eleemosinas fecit, atque sic cum auxilio prævenientis & opitulantis gratiæ orando & eleemosinas faciendo, promeruit ulteriorem gratiam, qua perveniret ad fidem Christi & Evangelii, sine qua fide justificari non poterat, adeòque nec poterat salvari.

Obj. 4. S. Chrysostomus apertè docet, vel supponit hominem posse solis arbitrii viribus se ipsum disponere ad recipiendam gratiam. Nam sic loquitur homil. 27. in Joan. Hinc *admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse. Sed cum nos prompto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones.* Et hom. 9. in Genesim: *Gratia parata est, quærens qui se cum largitate suscipiat. Quod si Deus viderit animam vigilem, & desiderium fervens, ipse suas divitias largiter suppeditat.* Et hom. 12. in epist. ad Hebr. *Oportet nos eligere primum quæ bona sunt, & tunc Deus quæ sua sunt introducit; non antecedit nostras voluntates, ne lædat arbitrium: cum autem nos elegerimus, multam tunc affert auxiliationem.*

R. 1. Cùm tunc temporis nondùm Pelagianorum vel Semipelagianorum hæresis exorta esset, & ita nondùm impugnaretur ad quemlibet actum salutarem necessitas interioris gratiæ, omnem dispositionem omnemque conatum naturalem prævenientis, mirum videri non debet, quòd non ita apertè necessitatem hanc semper prædicarit S. Doctor, atque locis citatis, & aliis similibus, cum minori cautela locutus sit. 2. Pluribus locis necessitatem gratiæ prævenientis omnem dispositionem & conatum naturalem, sufficienter asseruit, ut hom. 22. in Gen. *Quia*, inquit, *in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Et hom. 13. in Joan. *Gratia Dei*, inquit, *semper in beneficiis priores sibi partes vindicat.* Et in eand. hom. 71. *Non meritis vestris debitum persolvi* (diligendo vos) *sed ego incœpi.* Et hom. 12. in c. 4. 1. Cor. *Igitur*, inquit, *quod accepisti habes, neque hoc tantùm aut illud, sed quidquid habes. Non enim merita tua hæc sunt* (hoc est, merita ex solis arbitrii viribus profecta) *sed Dei gratia. Quamvis fidem adducas, à vocatione eam accepisti; quamvis peccatorum veniam adducas, quamvis dona, quamvis doctrinæ sermonem, quamvis virtutem, omnia tibi inde provenerunt. Quid igitur habes, quæso, quod non acceptum habeas? num ipse per te rectè operatus es? Non sanè, sed accepisti ... Propterea cohibearis oportet, non enim tuum id munus est, sed largientis.* Quid expressius dici potuit pro necessitate interioris gratiæ omnem omninò actum salutarem gratuitò prævenientis?

3. itaque, ne cogamur dicere S. Doctorem sibi ipsi contrarium fuisse, intrepidè respondendum est eum locis in objectione allegatis, & aliis similibus, sic loqui de bonis quibusdam operibus, quasi ea soli faciamus, & ad ea facienda gratia præveniente & adjuvante non indigeamus, vel ad liberum arbitrium contra Manichæos defendendum, vel potiùs ad excutiendam hominum in bonis operibus exercendis negligentiam, & ne homines ita se in omnibus à Deo prævenirì existiment, ut nihil sibi agendum relinquatur. In quo Concionatoris officio egregiè fungitur S. Doctor. Valebit autem hæc responsio pro aliis Patribus, qui simili modo loquuntur, præsertim cùm verba faciunt ad populum.

Obj. 5. S. Hieronymum in dialogo 3. contra Pelagianos, ubi hæc scribit: *Quæ* (justitia) *labore, & industria, ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius sit tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius perficere, quod non possumus.* R. S. Doctorem non sic loqui, quòd possimus sine gratia orare, incipere & offerre aliquid salutare, sed quia cum gratia, quam habemus, non possumus quidlibet. Sic v. g. cum gratia, quam habemus, aliquando non possumus nisi orare, vel bonum aliquod opus incipere, & ita non nisi boni operis initium Deo offerre; quare Dei est dare nobis uberiorem gratiam, quacum majora possumus in ordine ad salutem, & justitiam conservandam.

Quòd autem illud, quod nostrum esse in ordinè ad salutem dicit S. Doctor, non velit esse nostrum independenter à præveniente & auxiliante gratia, patet ex epist. ad Ctesiphontem, ubi sic ait: *Velle & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus:* Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Et ex epist. ad Demetriadem, ubi hoc habet: *Velle & nolle nostrum est, ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.*

Obj. denique Apostolum dicentem 1. ad Timoth. c. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* R. ignorantiam illam, de qua loquitur Apostolus, & ex qua persequebatur Ecclesiam Dei, non fuisse quidem affectatam, qualis fuit illa, ex qua Judæorum principes Christum morti tradiderunt; sed fuisse vincibilem, adeòque peccatum: unde nullatenùs conferre potuit ad hoc, ut Apostolus misericordiam consequeretur. Verborum igitur Apostoli sensus hic est, Misericordiam consecutus sum, cujus minùs indignus fui, quàm alii Judæi, qui ex ignorantia affectata nescierunt Christum esse Messiam. Unde inferiùs rationem reddens Apostolus quare consecutus fuerit misericordiam, sic loquitur: *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam.*

ARTICULUS VI.

Utrùm homo posset solis naturæ viribus servare legem divinam.

NOta. Hic agitur, 1. de lege naturali; nam quòd præcepta supernaturalia servari non possint sine gratia, extra controversiam est. 2. De tota lege naturali: nam quòd homo sine gratia aliqua legis naturalis præcepta servare possit, & interdùm serveт, ita ut in illis servandis nullo modo peccet, non nisi temerè potest negari. 3. De tota lege naturali servanda per longum aliquod tempus: nam negari non potest; quòd homo possit sine auxilio gratiæ ad brevissimum

ali-

aliquod tempus servare totam legem naturalem: cùm fieri possit ut intra brevissimum illud tempus nullum legis naturalis præceptum affirmativum urgeat, & nulla ad violanda præcepta negativa provocet tentatio. 4. De tota lege naturali servanda quoad substantiam operis, ita ut in ea servanda vitetur omne peccatum, non de tota lege naturali servanda quoad modum, & sicut oportet, ut ejus observatio sit meritoria apud Deum: nam cùm sic non observetur nisi ex motivo charitatis, nullum illius præceptum sic observari posse sine adjutorio interioris gratiæ, satis superque constat ex dictis Art. 4. His autem prænotatis, sit

RESPONSIO.

Homo non potest solis naturæ viribus ad longum aliquod tempus servare totam legem naturalem quoad substantiam operis, ita ut ex omni parte vitet peccatum.

Prob. 1. Ex Scriptura. 1. Joan. c. 2. dicitur: *Qui servat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta est.* Et c. 5. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Quibus locis agitur de lege naturali: agitur enim de lege, ad quam pertinet præceptum de diligendo proximo, ut patet ex contextu. Unde sic argumentor. Observatio totius legis naturalis per longum aliquod tempus, quo occurrere possunt varia præcepta observanda, est signum perfectæ charitatis. Ergo tota lex naturalis longo aliquo tempore observari non potest sine perfecta charitate. Atqui quod sine perfecta charitate fieri non potest, fieri non potest sine adjutorio gratiæ. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Traditione, cujus testes nobis sunt Concilia, Pontifices, & Patres, Concilium Milevitanum, vel potiùs Carthaginiense can. 5. sic loquitur: *Placuit quicumque dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit.*

Conc. Arausicanum II. can. 25. cujus verba jam recitavimus, dicit hominem baptizatum, si gratiæ cooperari velit, omnia præcepta servare posse; quo modo loquendi apertè significat, vel supponit id facere hominem non posse sine gratia.

Innocentius I. in sua ad Milevitanam Synodum epistola sic ait: *Negantes ergo* (Pelagiani) *auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, sola tantummodò libertate contendet.*

Celestinus in sua epistola ad Episcopos Galliæ c. 6. dicit: *Neminem etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* At homo non potest servare totam legem naturalem longo tempore, nisi evincendo concupiscentias carnis, identidem rebellantis, & superando insidias diaboli, assiduè quærentis quem devoret. Ergo, &c.

S. Augustinus lib. de perfect. just. extremo hæc dicit: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum non dubito.* At si adjutorium Dei necessarium est ad non peccandum longo scilicèt aliquo tempore, certè ad servanda longo aliquo tempore omnia legis præcepta necessarium esse clarum est.

Item loquens lib. de grat. & lib. arb. c. 16. de observatione præceptorum naturalium, non secundùm modum, sed secundùm substantiam operis, ut patet ex contextu, sic ait: *Certum est nos mandata servare si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum ... Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Quæ verba S. Doctoris saltem intelligi debent de observatione præceptorum legis naturalis difficiliorum, quale est v. g. continentiæ præceptum, quæ præcepta docet, sine gratia non posse ita servari, ut in illis servandis ex omni parte vitetur peccatum per diuturnum aliquod tempus.

Responsionis nostræ rationem affert Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arb. c. 5. his verbis: *Natura humana, per peccatum primi parentis depravata, aversa est à Deo & conversa ad creaturas, ac præsertim ad se: proinde finem ultimum vel actu, vel habitu, vel certè propensione quadam in creatura, non in Deo, constitutum habet: quare quando occurrunt aliqua agenda, vel evitanda, ex fine illo præconcepto, quasi naturaliter inclinatur ad malum, & violenter ad bonum, & ideò necessaria est vis quædam, & ut homo perpetuo vigilet, & præmeditetur, & contra propensionem & amorem proprium pugnet, quod impossibile esse moraliter, non solùm ratio, sed etiam experientia docet.*

Obj. 1. Deut. c. 30. dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.* *R.* breviter. Moses sic loquitur, supponendo non defore divinum auxilium ad implenda præcepta necessarium.

Obj. 2. Illud Eccli. cap. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* *R.* Hoc loco Scriptura dicit hominem liberum esse ad servanda mandata divina; at non dicit liberum esse sine gratia. Hoc igitur loco exprimitur liberum arbitrium, quo mandata servanda sunt, sed non excluditur gratia, sine qua mandata servari non possunt: sicut cùm aliis locis prædicatur gratia, sine qua mandata servari non possunt, non excluditur liberum arbitrium, quo mandata servanda sunt.

Obj. 3. Præcepta naturalia, hoc ipso quòd naturalia sunt, non superant vires naturæ, etiamsi collectivè sumantur. Ergo, &c. *R.* dist. Non superant vires naturæ, quæ per peccatum corrupta non est, C. ant. Non superant vires naturæ per peccatum corruptæ & infirmatæ, N. ant. conf.

Dices Natura per peccatum infirmata, potest omnia quæ potest natura sana, quamvis non tam facilè: alioqui non tam dici debet infirmata, quàm penitùs extincta. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam natura infirma potest quidem aliqua ex eis, quæ potest natura sana, at non potest omnia, nisi adjuvetur. Hoc docet S. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 2. in O. *Quia natura humana,* inquit, *per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem* (homo) *etiam in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere... non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quòd in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfectè moveri potest motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ.*

Obj. 4. Potest homo solis naturæ viribus servare aliquod præceptum naturale. Ergo potest etiam omnia. *R.* neg. conf. Nam 1. non omnia præcepta legis naturalis inter se æqualia sunt, sed alia aliis difficiliora. Qui autem potest facilè, non illicò potest difficilè. 2. Aliquando concurrunt plura præcepta simul observanda. Qui autem unum potest seorsim, non idcircò potest plura simul. 3. Homo in implendis præceptis laborat. Ubi autem laboratur in opere, laborando vires paulatim exhauriuntur. 4. Homo per longum aliquod tempus, præcepta omnia implere non potest sine perpetua vigilantia & præmeditatione, quod vires naturæ per peccatum depravatæ & debilitatæ superat.

Obj. 5. Patres tam de lege naturali quàm de positiva loquentes, passim docent Deum non præcipere impossibilia. *R.* Patres hoc docere, non quia putant hominem implere posse solis suis viribus ea omnia, quæ à Deo præcipiuntur, sed quia Deus semper paratus est ad juvandum hominem, eique vires ad ea quæ

ipse præcipit, implenda suppeditandas. Unde illud S. Leonis sermone 16. de Passione Domini: *Justè instat præcepto qui semper præcurrit auxilio.*

ARTICULUS VII.

Utrùm homo solis naturæ viribus possit bonum aliquod morale perficere.

Responsio.

POtest homo, etiam infidelis, solis naturæ viribus perficere aliquod bonum morale, si nulla tentatione pulsetur.

Est contra Lutherum & Calvinum, quos secuti sunt Bajus & Jansenius, qui capite 17. libri 4. de statu naturæ lapsæ, hunc præfixit titulum: *Nugæ, delirium, insania, error, impietas contraria christianorum sensui, Scripturis, & fidei, quòd infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato, juxta Augustinum, & Concilium Arausicanum.* Sed contra illos

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Rom. cap. 2. legitur: *Cum enim gentes quæ legem* (scriptam) *non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Quibus verbis Apostolus apertè significat infideles aliqua legis naturalis præcepta, eaque facilia, solis naturæ viribus interdùm adimplere cum omnibus circumstantiis ad moralem honestatem requisitis.

Matth. c. 5. Christus ait: *Si saluteveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Æthnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, &c.* Unde sic argumentor. Æthnici eadem benevolentiæ signa adhibent suis, quæ suis exhibent fideles, & de quibus Christus loquitur. Atqui signa benevolentiæ, quæ suis exhibent fideles, & de quibus loquitur Christus, habent bonitatem moralem. Christus enim illa non reprehendit, nec ab illis avertit, sed solùm admonet fideles, ne illis contenti sint, utque ad aliquid perfectius aspirent. Ergo, &c.

Exodi cap. 1. dicitur, obstetrices Ægyptias numerosa & fœlici prole donatas fuisse, eò quòd Pharaoni injustè præcipienti, ut omnes Hebræorum infantes masculi interficerentur, parere noluissent: *Quia timuerunt*, inquit Moses, *obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* Obstetrices autem illæ erant infideles, & tamen infantes masculos Hebræorum contra Pharaonis imperium conservando, opus moraliter bonum exercuerunt: Deus enim, qui justissimus est, remunerari non potest opera mala, quæ hoc ipso quòd mala sunt, supplicium merentur, non præmium. Præterea, ad hoc opus solas naturæ vires sufficisse, gratis negaretur. Ergo, &c.

Prob. 2. Authoritate Summorum Pontificum, qui has Baji propositiones damnarunt: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est... In omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati... Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia... Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in cordibus diffusa, Deus amatur.* Ergo non omnia infidelium opera sunt mala moraliter, adeòque aliqua sunt moraliter bona, quæ cùm facilia sunt, nec urget aliqua tentatio, gratis dicerentur superare vires naturæ. Ergo. &c.

Ant. confirmatur. Ex eo quòd falsum est, omne quod agit peccator, hoc ipso quòd peccator est, peccatum esse, aut in omnibus actibus suis peccatorem, quandiu peccator est, servire dominanti cupiditati. Item ex eo quòd possit esse aliquis amor creaturæ rationalis, qui nec sit vitiosa cupiditas, qua diligitur mundus, nec laudabilis illa charitas, qua Deus amatur, qualis est omnis amor, quo præcisè diligitur aliqua honestas creata.

Prob. 3. authoritate S. Augustini, lib. de Spiritu & litt. c. 27. ita loquentis: *Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia: sed in eorum potiùs quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam merito rectèque laudamus: quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur,*

Et capite sequenti: *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Juxta S. Doctorem igitur, homines etiam infideles aliqua opera moraliter bona, licèt ad salutem inutilia, interdùm exercent: opera enim, *quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam merito rectèque laudamus*, licèt ad salutem nihil prodesse possint, moralem habere honestatem necesse est.

Hujus veritatis rationem hanc reddit S. Doctor eod. cap. *Quia non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit* (gentiles) *etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Juxta S. Doctorem igitur, cùm in homine imago Dei non sit prorsus detrita, hoc est, cùm in homine per peccatum recta ratio, aut arbitrii libertas non sit omninò extincta, nec naturalis ad honestum propensio penitùs sublata, possunt homines etiam impii & infideles aliqua, eaque facilia, opera moraliter bona identidem exercere, & identidem exercent ex solis naturæ viribus.

S. Augustino unum ex aliis omnibus Patribus, qui idem de infidelibus docent, addo Fulgentium, qui lib. de incarnatione & gratia Christi, cap. 26. hæc habet: *Quòd si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi potuerunt justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem christianæ fidei charitatisque non referant? Quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt, sed quia charitate Dei non fiunt, prodesse non possunt.* Juxta S. Fulgentium, infideles habent aliqua opera, moraliter bona, quamvis ad salutem æternam prodesse non possint, quia non imperantur à charitate, sive quia non referuntur ad Deum propter se dilectum, sed fiunt præcisè ex affectu honestatis naturalis, quam habent.

Prob. 4. ratione. Quia si infideles nulla planè opera moraliter bona solis naturæ viribus exercere possunt, hoc provenit vel ex eo quòd non possunt referre actus suos ad Deum; vel ex eo quòd sunt in statu peccati; vel ex eo quòd sine gratiæ auxilio non possunt quidquam agere ex affectu honestatis naturalis; vel denique ex tentationum vehementia, & carnis rebellione. Nihil horum dici potest.

Non primum: quia non tenentur homines omnes actus suos explicitè referre ad Deum. Non secundum: quia ex eo quòd infideles sunt peccatores & mali, non necessitantur ad semper malè agendum & semper peccandum. Non tertium: quia naturæ vires in ordine ad prosequendam in actibus suis honestatem naturalem, sunt quidem multùm debilitate per peccatum originale, at non sunt penitùs extinctæ; adeòque adhuc valere possunt ad prosequenda aliqua honesta, qua talia, quæ ardua non sunt. Non denique quartum: quia neque semper dæmon tentat, neque semper caro rebellat. Possunt igitur infideles solis naturæ viribus, nulla tentatione urgente, aliqua opera facilia ex affectu honestatis objectivæ, quam habent, exercere, & ea exercendo laudabiliter agere, aut, ut providere liberis, honorare parentes, pauperum inopiam aliquot nummulis sublevare, amicis bene velle, eisque aliqua benevolentiæ suæ signa dare, &c.

ARTI-

ARTICULUS VIII.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Scriptur. Nam dicitur Psal. 13. de infidelibus: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Item Isajæ c. 60. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* Item Matth. c. 7. *Non potest ... arbor mala bonos fructus facere.* Item Joan. c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Item Rom. c. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Item 1. Cor. c. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Item Ephes. c. 4. *Testificor in Domino, ut non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui.* Item Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item 1. Joan. c. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

R. ad 1. Psalmistam quæri de hominibus infidelibus, quòd Deum quærere aut nolint, aut negligant, & quòd ne unus quidem ex eis bonum sicut oportet ad salutem operetur. Licèt autem nullum opus salutare aut exerceant, aut etiam possint exercere, quandiu Deum nolunt vel negligunt quærere, hoc non impedit, quominùs exercere possint, & identidem exerceant aliqua opera moraliter bona, & facilia, quæ vires naturæ, quamvis per peccatum depravatæ, non superant.

R. ad 2. Prophetam loqui de privatione luminis supernaturalis, quo indigent homines ad cognoscendum Christum, aliaque veræ religionis mysteria, & proinde ad consequendam salutem; non verò de privatione luminis naturalis, quod ad bona moralia cognoscenda necessarium est, & sufficit. Hoc autem lumen est quidem obscuratum in infidelibus, at non est penitùs extinctum.

R. ad 3. Christum sic loquendo, non aliud velle quàm homines malos ordinariè, & ut in pluribus, non nisi malum operari, quia ordinariè, & ut in pluribus, non nisi ex cupiditate operantur. Inde tamen non sequitur, quòd homines mali, quales sunt infideles, semper malè operentur: non enim semper ex cupiditate, sed aliquando ex naturali ad honestum propensione, quæ per peccatum penitùs sublata non est, operantur.

R. ad 4. Christum loqui de operibus salutaribus, ad quæ natura valere non potest sine adjutorio gratiæ.

R. ad 5. Apostolum loqui non de fide, qua credimus veritates à Deo revelatas, sed de fide, qua credimus aliquid esse licitum; & tantùm dicit, hominem peccare, quoties agit sine prudenti & firma persuasione, quòd actio sit licita.

R. ad 6. Verba illa Apostoli, intellecta de expressa actuum nostrorum ad Deum relatione, non præceptum, sed consilium exprimere.

R. ad 7. Apostolum non aliud velle, quàm omnia omninò infidelium opera vana esse, & ad salutem inutilia, & ex eis quàm plurima esse mala. Hoc tamen non obstante, aliqua, quæ moralem habent bonitatem, interdùm illos exercere, negari non potest.

R. ad 8. mentem Apostoli esse, quòd nemo sine fide christiana possit placere Deo, ut amicus placet amico; vel, si vis, quòd nemo sine fide christiana possit ita placere Deo, ut Deus eum assumat in amicum. Hoc autem non obstat, quin homo sine fide christiana possit exercere, & exerceat aliqua opera, quæ propter moralem suam bonitatem placeant Deo, cui, quia summè bonus est, placet omne quod bonum est, placet, inquam, secundùm bonitatis gradum, quem habet.

R. ad 9. Apostolum loqui de mundi amatoribus, quà talibus; quorum, quà talium, peccata ad hæc tria, luxuriam scilicet, avaritiam, & superbiam, tanquam ad tria capita revocantur. At mundi amatores non semper agunt ut mundi amatores; & aliquando secundùm rectæ rationis, aliquid honestum esse & hominem decere dictantis, judicium agunt. Tunc autem eorum actio moraliter bona est.

Obj. 2. S. Augustinum, qui variis locis docet omnia infidelium opera esse peccata. *R.* S. Doctorem hoc dicere, quia per peccatum solet intelligere non solùm id quod est culpabilis transgressio legis divinæ, & reddit hominem indignationi Dei & pœnæ obnoxium, sed etiam illud omne, quòd licèt moralem habeat bonitatem, tamen ad salutem æternam nihil prodesse potest operanti, ut Augustinus ipse sese explicat lib. 4. contra Julianum: *Scito*, inquit, *nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Hinc cùm S. Doctor dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; fidem quidem intelligit christianam, qua credimus in Christum & Evangelium; at per peccatum intelligit opus omne, quod vel offendit Deum, quia malum est, vel ad salutem promerendam inutile est, quia non refertur ad finem charitatis.

Dices. S. Augustinus variis locis docet virtutes morales esse dona Dei, sive in fidelibus, sive in infidelibus reperiantur. *R.* hoc rectè dici à S. Doctore: virtutes enim non acquiruntur, nisi per bonos actus frequentatos; & boni actus frequentati non possunt, nisi passionibus resistendo, insurgentes concupiscentiæ motus reprimendo, & tentationes superando, quod sine gratiæ adjutorio & protectione divina fieri non potest. Hoc tamen non obstante, homo etiam infidelis potest identidem, cùm nulla urgetur tentatione, bonum aliquod morale non arduum facere solis naturæ viribus.

Dices, S. Augustinus, lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. ult. dicit, bonum usum liberi arbitrii esse à gratia. Et lib. 3. cap. 8. liberum arbitrium captivatum, valere, quidem ad malum; ad justitiam verò non valere, nisi liberatum, adjutumque per Dei scilicet gratiam. Quam doctrinam amplectitur Synodus Arausicana, cap. 22. *Nemo*, inquit, *habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem atque justitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo.*

R. ad 1. S. Doctorem loqui de bono usu liberi arbitrii in ordine ad promerendam Dei gratiam, adeòque per bonum usum, usum salutarem intelligere. Patet ex loco citato, ubi sic loquitur: *Tantum constituunt in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, ut eo bene utendo dicant hominem mereri gratiam, cùm nemo bene illo uti possit, nisi per gratiam, quæ non secundum debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur.*

R. ad 2. S. Doctorem, cùm ait liberum arbitrium sine gratia ipsum liberante, non nisi ad peccandum valere, loqui de potentia liberi arbitrii relatè ad salutem vel merendam, vel demerendam; & solùm dicere, quod verum est, liberum arbitrium sine gratia ipsum liberante posse quidem salutem demereri; illam verò mereri neutiquam posse; quia sibi ad malè agendum sufficit: at verò ad exercenda justitiæ opera indiget auxilio interioris gratiæ ipsum liberantis & adjuvantis. Unde sequitur, quod dicit Arausicana Synodus, hominem relatè ad salutem vel merendam vel demerendam nihil habere posse de suo, hoc est, ex solis arbitrii sui viribus, nisi mendacium & peccatum, hoc est, nisi actus demeritorios salutis: cùm omnis actus, ad salutem assequendam conferens aliquid, sit effectus interioris gratiæ, adjuvantis liberum arbitrium, ipsumque congruè præmoventis: quantumvis liberum arbitrium se solo valeat ad aliquos actus moraliter bonos, faciles, ad salutem inutiles.

Dices. S. Augustinus, lib. de gr. Chr. c. 26. sic loquitur: *Non haberemus unde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, cum prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? ... Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur, quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Et fides per dilectionem operatur.* Ergo ex S. Augustino, nullum bonum opus fieri potest sine charitate; & opus omne quod non fit ex charitate, peccatum est. Atqui infideles non habent charitatem. Ergo, &c.

R. dist.

R. dist. cons. Ergo ex S. Augustino, sine charitate nullum opus bonum fieri potest, hoc est, nullum opus fieri potest, quod sit meritorium vitæ æternæ, C. cons. Hoc est, nullum opus fieri potest, quod moralem habeat bonitatem, seu nullum opus fieri potest, quod non sit moraliter turpe & inhonestum, N. cons. Item omne quod non fit ex charitate, peccatum est, id est, culpabilis transgressio legis divinæ, N. cons. Id est, vel culpabilis transgressio legis divinæ, vel saltem opus carens aliqua perfectione & sufficienti proportione cum vita æterna ut mercede, C. conseq.

Itaque S. Doctor hic loquitur de operibus vitæ æternæ meritoriis, ad quæ liberum arbitrium cum lege & doctrina sufficere asserebat Pelagius, contra quem dicit S. Doctor, nulla ejusmodi opera esse posse, nisi imperentur à charitate, adeòque sine gratia, qua charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui gratis datur nobis. Igitur S. Doctor non aliud hìc intendit, quàm ex necessitate charitatis ad opera vitæ æternæ meritoria facienda, probare necessitatem interioris gratiæ ad eadem illa opera. Unde post verba citata sic statim prosequitur: *Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* Quod nullatenùs doctrinæ nostræ officit, nec probat infideles solis naturæ viribus aliqua opera moraliter bona, quæ facilia sunt, exercere non posse, cùm nec dæmon tentat, nec caro rebellat. Imò verò cùm S. Doctor ait, ubi non est charitas, ibi nullum bonum opus imputari, manifestè supponit, præter bona opera, quæ imputantur, quia fiunt ex charitatis motione, alia etiam esse opera, quæ non imputantur, non quia non sunt bona, sed quia à charitate non imperantur, & quæ idcircò non vult dici simpliciter bona.

Dices. S. Augustinus sic lib. de vera religione, c. 38. loquitur de infidelibus: *Serviunt cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi .... Ita vescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, servire necesse est, velit, nolit.* *R.* ex eo quòd infideles serviant cupiditati illi triplici, sequi tantùm quòd ordinariè & ut plurimùm agant vel propter voluptatem, vel propter excellentiam, vel propter spectaculum; adeòque quòd ordinariè & ut plurimùm peccent; quod facilè concedimus. Item ex necessitate serviendi rebus, quibus beati esse volumus, & ita ex necessitate serviendi bonis temporalibus, à quibus nostram expectamus beatitudinem, sequitur tantùm necessitas ordinariè & ut plurimum agendi ex inordinato bonorum temporalium affectu; quod non impedit infideles, ne interdum ex affectu honestatis naturalis operentur.

Dices denique. S. Augustinus, lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 18. hæc habet: *Si voluntas aut bona est, aut mala; & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* *R.* S. Doctorem, ut patet ex contextu, per voluntatem intelligere non actionem, sed potentiam volendi, quæ, ut rectè dicit S. Doctor, aut bona est, aut mala: nam vel diligimus justitiam, vel justitiam omninò non diligimus. Si primum, voluntas bona est: si secundum, voluntas mala est. Sed sicut voluntas, quæ justitiam diligit, aliquando facit aliquid venialiter malum, quia non semper agit ex affectu justitiæ, sed agit aliquando ex affectu aliquo leviter malo: ita voluntas quæ omninò non diligit justitiam (diligere autem justitiam, juxta S. Doctorem, est diligere Deum, vel ea quæ placent Deo, quia placent Deo) facit aliquando aliquid moraliter bonum, quia non semper agit ex pravo affectu, sed agit aliquando ex affectu honestatis naturalis; licèt ad hanc honestatem non afficiatur, quia placet Deo, & ut placeat Deo.

Objicies 3. Dæmones non magis læsi sunt in naturalibus, quàm homines, & tamen facere non possunt ullum opus bonum moraliter. Ergo nec homines, nisi liberentur adjuventurque per gratiam Dei. *R.* neg. conseq. Magnum enim discrimen est dæmones inter & homines etiam corruptissimos. Nam dæmones sine ulla intermissione Deum actu oderunt, omniaque quæ Dei sunt, adeòque & genus humanum. Unde quidquid agunt, illud necessitate consequenti agunt ex affectu displicendi Deo, & nocendi hominibus; & ita necessariò necessitate consequenti in actibus suis omnibus peccant. Tale autem semper peccandi necessitatem non habent homines, etiam infideles & scelestissimi, quia neque Deum, neque proximum semper oderunt actu.

Obj. 4. Si homo potest solis naturæ viribus aliquod opus moraliter bonum facere, remanserunt in natura humana post Adæ peccatum aliqua virtutum semina. Consequens Semipelagianum est. Ergo, &c. *R.* in natura humana post Adæ peccatum, aliqua virtutum semina remansisse, intelligendo per semina virtutum, rectæ rationis lumen, licèt extenuatum; & naturalem ad prosequendum honestum, & inhonestum adversandum, voluntatis propensionem, licèt infirmatam. Qui sensus minimè Semipelagianus est. Nam Semipelagiani per semina illa virtutum, quæ contendebant in homine remansisse post peccatum Adæ, intelligebant salutares cogitationes, & salutaria desideria, ex solo vigore naturæ orta, quibus, secundùm illos, homo ad recipiendam Dei gratiam disponitur.

DISPUTATIO VI.

De Justificatione Impii.

ARTICULUS I.

Utrùm in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio.

NEgant Lutherus & Calvinus, & docent peccata in justificatione solùm tegi, & non imputari, propter justitiam Christi fide apprehensam. Triplicem autem distinguunt fidem; fidem scilicet historicam, qua credimus ea, quæ continentur in Scripturis; fidem miraculorum, qua credimus Deum esse omnipotentem; & fidem promissionum, qua credimus veras esse promissiones, à Deo factas de peccatis propter merita Christi remittendis. Hanc fidem subdividunt in generalem & specialem: generalis est, qua generatim credimus credentibus in Christum promissam esse peccatorum remissionem: specialis verò, qua unusquisque promissionem hanc sibi applicat, firmiter credendo sibi peccata propter Christum esse remissa; atque ita quasi manu apprehendendo justitiam Christi, qua omnia ejus peccata teguntur: unde hanc fidem, justificantem nominant. Sed contra illos sit

RESPONSIO.

In justificatione impii vera fit peccatorum remissio.

Est de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam dicitur Rom. c. 8. *Nihil ergo damnationis* (hoc est, damnatione dignum) *est iis, qui sunt in Christo Jesu* (hoc est, qui sunt Christo per justificationis gratiam inserti.) At si in justificatione peccata non abolentur per veram remissionem, remanet aliquid in justificatis, quod damnatione dignum est, ut per se manifestum est. Ergo, &c.

Præterea dicitur Hebr. c. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (per justificationis beneficium.) At quomodo exhauriuntur peccata, si teguntur tantùm, & non verè remittuntur? Et Ephes. c. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Et 1. Joan. c. 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Ex quibus locis sic argumentor breviter. Ille veram peccatorum remissionem obtinet qui in justificatione ex maculato fit immaculatus, & ex immundo mundus. Atqui peccator in justificatione fit ex maculato immaculatus, & ex immundo mundus. Ergo, &c.

Prob. 2.

Prob. 2. ex unanimi Patrum consensu. Pro omnibus hic unus sit Gregorius Magnus Epistolarum, lib. 9. epist. 39. ubi sic loquitur: *Si qui sunt, qui dicunt peccata in baptismate superficie tenùs dimitti: quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere? in quo principaliter ad cœlestis munditiæ mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitùs à peccatis omnibus, soli illi inhæreat, de quo Psalmista ait: Mihi autem adhærere Deo bonum est.*

Et paulò inferiùs: *Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditùs mori: quia nimirùm plus valet in absolutione nostra veritas, quàm umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptismate funditùs minimè dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit.*

Accedit authoritas Tridentinæ Synodi, sess. 5. can. 5. *Si quis*, inquit, *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propria peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.*

Obj. verba Psalmi 31. ubi dicitur v. 1. *Beati . . . quorum tecta sunt peccata.* Et v. 2. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* *R. ad* 1. Peccata dici possunt tegi dupliciter. 1. Ita ut occultentur tantùm, adeòque verè maneant, & hic sensus hæreticorum est. 2. Ita ut aboleantur omninò & hic sensus est Catholicorum, quem exprimit S. Augustinus enarr. in Psal. 31. ubi sic ait: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt . . .'. Nec sic intelligas quod dixit: Peccata cooperta sunt; quasi ibi sint, & vivant.*

R. ad 2. Duplex est non imputatio; una, qua non imputatur id quod est, & hæc est non imputatio, quam docent hæretici; altera, qua non imputatur id quod non est, sive qua aliquid non imputatur, quia non est, & hæc est non imputatio, quàm tenent Catholici, & quam hoc loco exprimit Scriptura.

ARTICULUS II.

Utrùm in justificatione, præter veram peccatorum remissionem, accipiat homo inhærentem justitiam, qua interius renovetur, & justus fiat.

Responsio.

HOmo in justificatione accipit inhærentem justitiam, qua renovatur interius, & fit intrinsecè justus.

Est de fide, contra Lutherum & Calvinum, asserentes hominem in justificatione non fieri justum, nisi extrinsecè, & propter justitiam Christi, ipsi extrinsecè imputatam.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur 2. Petri, cap. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Maxima autem illa & pretiosa dona, quibus ii, qui justificantur, efficiuntur divinæ naturæ consortes, quid aliud sunt, quàm gratiæ dona, ex quibus componitur justitia inhærens, qua ii, qui justificantur, renovantur interiùs, & justi fiunt ac sancti.

Prob. 2. ex consensu Patrum. Unus hic sit pro omnibus S. Augustinus enarr. in Psal. 98. ubi hæc habet: *Exaltemus illum, qui fecit ipsam justitiam, quam habemus. Ipse in nobis fecit: quis enim in nobis fecit ipsam justitiam, nisi qui nos justificavit?*

Prob. 3. ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. ubi rem definit his verbis: *Hanc dispositionem, seu præparationem* (quam exposuit capite præcedenti) *justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.*

Post aliqua, docet unicam causam formalem nostræ justificationis esse *justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam.*

Denique can. 11. contrarium sentientes anathematizat his verbis: *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificantur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit.*

Obj. Scripturam. Dicitur Psal. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et Rom. c. 5. *Per unius obeditionem justi constituentur multi.* Et ead. Epist. c. 10. *Ignorantes justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Et 1. Cor. cap. 1. *Factus est nobis* (Christus) *sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Et 2. Cor. c. 5. *Pro nobis peccatum fecit* (Christum) *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Et Gal. c. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

R. ad 1. Sensus est, neminem, secluso speciali privilegio, quod paucorum est, expertem esse omnis peccati. *Ad* 2. Hìc obedientia Christi affertur, non pro causa formali, sed pro causa meritoria justificationis nostræ. *Ad* 3. Hìc reprehenduntur Judæi, quòd ignorantes culpabiliter veram justitiam, quæ à Deo propter merita Christi ritè dispositis & in Christum credentibus confertur, contenti fuerint justitia legali, quæ in externa legis Mosaicæ observatione consistebat. *Ad* 4. Hìc causa nuncupatur nomine effectus, quod familiare est sacris Scripturis. Sic Psal. 17. dicitur: *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, hoc est, Dominus est causa illuminationis & salutis meæ. *Ad* 5. Sensus est, Christum à Deo Patre factum esse pro nobis hostiam, ut nos efficeremur justi justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos intrinsecè justos facit: nam *justitia Dei*, inquit S. Augustinus tract. 26. in Joannem, *dicitur, non qua Deus justus est, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum.* *Ad* 6. In justificatione Christum induimus, quatenùs fimus ei verè similes per veram & realem, nobisque inhærentem ipsius justitiæ participationem.

Obj. S. Bernardum in epist. 190. ubi sic ait: *Justum me dixerim, sed illius justitia.* Loquitur autem de justitia Christi, ut patet ex contextu. *R.* S. Bernardus justitiam, qua in præsenti statu justi sumus, vocat justitiam Christi, quia in præsenti statu justi sumus per justitiam, non originalem, seu vi originis nobis debitam, sed gratuitò & misericorditer nobis propter merita Christi donatam.

Patet ex contextu: nam post verba laudata, sic statim prosequitur: *Quænam ipsa? Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti. Denique qui factus est*, inquit Apostolus, *nobis justitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta justitia? Et sanè mihi tutior donata, quàm innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum: illa autem cùm sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi, nisi in Domino . . . Hæc est, justitia hominis in sanguine Redemptoris, quam homo perditionis exsufflans & subsannans, in tantum evacuare conatur, ut totum, &c.*

Hìc autem homo perditionis, est Petrus Abailardus, qui, ut refert hic S. Doctor, docebat Christum ad hoc tantùm venisse, *ut traderet hominibus formam vitæ vivendo & docendo: patiendo autem & moriendo charitatis metam præfigeret.* Ex qua doctrina sic concludebat S. Bernardus: *Ergo docuit justitiam* (Christus) *& non dedit, ostendit charitatem, sed non infudit.* Ex his omnibus apparet S. Bernardum, cùm ait nos justos esse justitia Christi, non loqui de justitia, qua Christus ipse justus est, & quæ nobis sit extrinsecè imputata, sed de justitia, quàm Christus nobis meruit, & quæ nobis propter ejus meritum infunditur.

COROLLARIVM.

Justificatio peccatoris in duplici actione consistit, quarum una est remissio peccatorum, & altera infusio justitiæ inhærentis.

Patet ex dictis hoc & superiore Articulo. Patet etiam ex Trid. sess. 6. c. 7. ubi dicitur: *Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Hanc duplicem actionem, quæ justificationem constituit, exprimit Apostolus 1. Cor. c. 6. his verbis: *Et hæc quidem fuistis* (peccatores scilicet,) *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*.

ARTICULUS III.

Utrùm justitia inhærens, quæ infunditur in justificatione, sit habitualis, an actualis.

RESPONSIO.

JUstitia, quæ in justificatione infunditur, habitualis est, non actualis.

Prob. 1. ex Scriptura, 2. Petri c. 1. verbis Art. superiore laudatis: ex quibus sic argumentor breviter. Justitia, quæ in justificatione infunditur, consistit in maximis & pretiosis illis donis, quibus, cùm justificamur, simus consortes divinæ naturæ, & quidem non transeunter, sed permanenter. Ergo justitia, quæ infunditur in justificatione, non consistit in actibus; actus enim non permanent, sed transeunt. Ergo, quod idem est, non est aliquid actuale. Superest igitur, ut sit aliquid habituale, hoc est, ut sit aliquid, quod in anima etiam cùm ab omni actu cessat, physicè permanet.

Prob. 2. ex S. Augustino, lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 9. ubi hæc habet: *Dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis*. Paulò ante dixerat: *Hæc gratia baptizatos quoque parvulos suos inserit corpori; qui certè imitari aliquem nondum valent*. Unde sic breviter argumentor. Parvuli non sunt capaces actuum deliberatorum, ut etiam hìc observat S. Doctor, & tamen in baptismo accipiunt inhærentem justitiam, & quidem eandem, quam accipiunt adulti, cùm justificantur. Ergo inhærens justitia non consistit in actibus. Ergo, &c.

Prob. 3. ex Trident. sess. 6. Postquam enim cap. 6. enumeravit actus salutares, quibus peccator adultus sese disponit ad consequendam justificationis gratiam, sic statim prosequitur c. sequenti: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Et can. 3. sic pronunciat: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Ex his autem sic argumentor. Justificatio peccatoris actus salutares fidei, spei, &c. ab eo ex præveniente Spiritus sancti inspiratione, & cum ejus adjutorio elicitos, supponit, illosque consequitur. Ergo infusio inhærentis justitiæ, qua justificatur peccator, supponit & consequitur actus salutares fidei, spei, &c. ab eo ex præveniente Spiritus sancti inspiratione & cum ejus adjutorio elicitos. Ergo inhærens justitia non consistit in illis actibus, sed est aliquid ab eis distinctum, eisque superadditum. Nulli autem alii actus assignari possunt, in quibus dici possit consistere. Ergo inhærens justitia, qua justificatur peccator, sanctificatur & renovatur interiùs, est aliquid ab omni actu salutari distinctum, adeòque est aliquid habituale physicum, physicè permanens in anima.

Præterea c. 7. sic loquitur Synodus: *Demum unica formalis causa est* (nostræ justificationis) *justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quàm Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Quibus verbis Synodus apertè inhærentem justitiam distinguit ab omni actu salutari illius, qui justificatur, de eaque loquitur ut de forma, quam causa efficiens introducit in subjectum per proprios actus ritè dispositum, nec aliter quàm passivè, ad illam concurrens.

Denique idem caput Synodus concludit his verbis: *Itaque veram & christianam justitiam accipientes, eam seu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam, & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini Jesu Christi, & habeant vitam æternam*. Juxta Synodum igitur, inhærens justitia se habet ad modum vestis cujusdam, qua propter meritum Christi donamur, & exornamur in justificatione, & quam jubemur puram conservare, sobriè scilicet, justè, ac piè vivendo in hoc sæculo, donec ante Christi tribunal compareamus. Quo modo loquendi apertè significatur inhærentem justitiam esse aliquid fixum, stabile, ac permanens, quantum est ex se, adeòque non in uno aut pluribus actibus consistere. Quare quòd inhærens justitia sit aliquid non actuale, sed habituale, omninò persuasum nobis est, esse Tridentini Concilii doctrinam.

Dices 1. Concilium locis citatis nihil aliud intendit, quàm damnare doctrinam hæreticorum, asserentium hominem justificari, non per justitiam ipsi intrinsecam, sed per extrinsecam; nempe per justitiam Christi, ei imputatam. Ad quod satis fuit, si Concilium doceret hominem justificari per inhærentem justitiam, sive sit actualis, sive habitualis.

R. Concilium voluisse quidem damnare hæreticos, asserentes impium justificari per justitiam Christi imputatam, sed simul etiam ex occasione hujus erroris exponere omnes justificationis causas, finalem scilicet, efficientem, meritoriam, instrumentalem, & præcipuè formalem, quam apertè significat esse inhærentem justitiam habitualem, & distinctam ab actibus salutaribus.

Dices 2. Justitia inhærens habitualis ad nihil necessaria est. Ergo gratis asseritur. *R.* neg. ant. Nam necessaria est, non quidem absolutè, sed secundùm convenientem providentiam, & legem ordinariam, ad hoc ut habeamus principia intrinseca, proportionata actibus supernaturalibus, atque ita simus intrinsecè & permanenter habiles ad actus illos modo connaturali exercendos.

Dices 3. Homo sufficienter justus est per actus supernaturales, quos exercet. *R.* Homo quidem, supposita peccatorum remissione, justus est justitia actuali per actus supernaturales, quos exercet; imò actibus illis physicè transeuntibus, sed moraliter in acceptatione Dei permanentibus, justus est justitia in aliquo sensu habituali, hoc est, justitia actuali, physicè præterita, sed permanente moraliter: sicut cùm mortaliter peccat, injustus est injustitia actuali per actum malum, quem exercet; & postquam peccavit, injustus injustitia habituali per actum malum, quem exercuit, & qui sic physicè præteriit, ut quandiu non condonatur, moraliter perseveret. At præter justitiam illam habitualem, quæ in actibus bonis, physicè præteritis, & moraliter in acceptione Dei manentibus consistit, est alia habitualis justitia, physicè inhærens animæ, in eaque physicè permanens, & sic eam permanenter habilitans intrinsecè ad exercendos actus supernaturales. Hanc justitiam simul cum peccatorum remissione infusam accipit homo in justificatione, & sic ex injusto justus efficitur ea justitia, quæ præsupponitur alteri justitiæ, quæ actualis dicitur & est, quia in actuum exercitio posita est.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Utrùm inhærens justitia habitualis, qua justificamur, sit qualitas simplex, an plurium qualitatum collectio.

Responsio.

INhærens justitia habitualis consistit in collectione habituum fidei, spei, & charitatis, quibus unà cum remissione peccatorum justificamur.

Prob. 1. ex Conc. Trident. Concilium sess. 6. c. 7. dicit hominem justificari per remissionem peccatorum, & voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, quibus sanctificatur, & renovatur interiùs; verba Concilii jam non semel recitavimus. Atqui Concilium per gratiam & dona, quibus homo sanctificatur & renovatur interiùs, intelligit habitus fidei, spei & charitatis. Ergo ex Concilio, homo justificatur per habitus fidei, spei, & charitatis, juncta remissione peccatorum. Ergo ex Concilio, inhærens justitia habitualis consistit in habitibus fide, spei & charitatis, juncta scilicet remissione peccatorum.

Prob. min. Nam Synodus postquam enumeravit causas omnes nostræ justificationis, sic prosequitur: *Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur. Id autem in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque Corporis ejus vivum membrum efficit.*

Juxta Synodum, homo justus efficitur, cùm ei certo modo communicantur merita Passionis Christi; & certò illo modo communicantur merita Passionis Christi, cùm infusas accipit unà cum remissione peccatorum, fidem, spem, & charitatem. Juxta Synodum igitur, homo justus efficitur, cùm propter merita Passionis Christi infusas accipit unà cum remissione peccatorum, fidem, spem, & charitatem. Atqui hoc manifestè coincidit cum eo, quod superiùs dixerat, justificationem scilicet non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Synodus igitur per gratiam & dona, quorum voluntaria susceptione sanctificatur & renovatur interior homo, manifestè intelligit fidem, spem, & charitatem, & quidem habituales, non actuales: loquitur enim de fide, spe, & charitate, non quas elicit sed quas infusas accipit homo, & quidem natura priùs credendo, sperando & diligendo sicut oportet ad justificationis gratiam consequendam.

Prob. 2. Illud est inhærens justitia, per quod homo, qui justificatur, inseritur Christo, ei perfectè unitur, & vivum ejus membrum efficitur. Atqui homo, qui justificatur, inseritur Christo, ei perfectè unitur, & vivum ejus membrum efficitur per habitus fidei, spei, & charitatis, juncta remissione peccatorum. Ergo habitus fidei, spei, & charitatis constituunt inhærentem justitiam.

Major facilè probatur: nam per illud homo inseritur Christo, & vivum ejus membrum efficitur, per quod justificatur: justificatur autem per inhærentem justitiam, minor verò apertè colligitur ex verbis Concilii proximè citatis: cùm enim Concilium dicit hominem per fidem sine spe & charitate uniri perfectè cum Christo, ac vivum ejus membrum effici, & idcircò in justificatione cum remissione peccatorum non solùm fidem, sed etiam spem & charitatem infusas accipere; apertè supponit & significat, eum per fidem, spem & charitatem, quas infusas accipit, re ipsa uniri perfectè cum Christo, & fieri vivum ejus membrum.

Prob. 3. Inhærens justitia est, id quod formaliter constituit hominem in esse justi, ut per se patet. Atqui collectio habituum fidei, spei, & charitatis formaliter constituit hominem in esse justi. Ergo, &c. *Prob. min.* Esse justi in homine duo tantùm dicit essentialiter, nempe esse purum ab omni labe mortali, & esse intrinsecè ac permanenter habilem ad exercendos actus supernaturales, qui versantur circa Deum immediatè. Atqui hæc duo formaliter præstat in homine collectio habituum fidei, spei & charitatis. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. fides, spes, & charitas habitualis sunt supernaturales potentiæ, animæ permanenter inhærentes, adeòque illam intrinsecè ac permanenter habilitantes ad actus divini ordinis. 2. Charitas habitualis propter suam excellentiam, moraliter saltem incompossibilis est cum omni labe mortali, adeòque omnem labem mortalem ab anima cui inest, expungit. Ergo, &c.

Obj. 1. Per quodlibet peccatum mortale amittitur justitia. Sed fides & spes non amittuntur per quodlibet peccatum mortale. Ergo fides & spes non sunt justitia. *R.* dist. maj. Per quodlibet peccatum mortale amittitur justitia, quantùm ad denominationem justi, C. maj. Homo enim justificatur, ubi primùm peccat mortaliter, desinit esse justus, & incipit esse injustus, quod verum esse etiam in ea hypothesi, in qua supponeretur in eo post peccatum mortale omnes habitus theologicos remanere. Per quodlibet peccatum mortale amittitur justitia, quantùm ad entitatem, subd. Amittitur partialiter, C. iterùm maj. Totaliter, N. maj. Nam entitas justitiæ est aggregatum ex habitibus fidei, spei, & charitatis. Per quodlibet autem peccatum mortale amittitur quidem habitus charitatis. At habitus fidei & spei non amittuntur nisi per actus sibi specialiter oppositos. Unde concessa minore, dist. cons. Ergo fides & spes non suut justitia totaliter sumpta, sive non sunt tota entitas justitiæ, C. cons. Non sunt justitia partialiter sumpta, sive non sunt partes justitiæ, N. cons.

Dices. Ergo homo justificatus potest peccare mortaliter, & tamen adhuc retinere duas partes entitatis justitiæ: potest enim peccare mortaliter, & tamen adhuc retinere fidem & spem habitualem. Absurdum cons. Ergo, &c. Nego min. *Prob.* Nam si homo justificatus, admisso peccato mortali, adhuc tamen unam vel duas partes justitiæ retineret; admisso peccati mortali, adhuc esset justus. Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Non enim justus est, sed injustus, qui neque purus est à labe mortali, neque intrinsecè habilis est ad omnes actus divini ordinis. Homo autem justificatus, si peccet mortaliter, & labem habet mortalem, & amissa charitate habituali, amisit potentiam supernaturalem, qua intrinsecè habilitabatur ad diligendum Deum super omnia propter se. Non est igitur ampliùs justus, sed injustus.

Dices. Saltem erit semi-justus, seu ex parte justus. Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. Ratio negandi est, quia denominatio justi consistit in indivisibili: unde vel tota retinetur, vel tota amittitur. Et verò denominatio justi dicit indivisibiliter duo, nempe puritatem animæ ab omni labe mortali, & intrinsecam ac permanentem habilitatem ad omnes actus illos, qui sunt immediatè circa Deum. Si hoc utrumque habes, justus es. Si alterum tibi deest, nempe puritas à labe mortali, etiamsi, quod tamen secundùm legem ordinariam fieri non potest, omnibus habitibus theologicis instructus maneas, adeòque intrinsecam ac permanentem ad omnes actus divini ordinis habilitatem retineas, simpliciter injustus es, adeòque nullo pacto justus dicendus.

Obj. 2. Ex Trid. sess. 6. c. 7. causa formalis nostræ justificationis unica est. Sed inhærens justitia est causa formalis nostræ justificationis. Ergo unica est. Ergo una est unitate simplici, ac proinde non est aggregatum ex habitibus fidei, spei, & charitatis. *R.* neg. hanc secundam cons. Nam Synodus, cùm definit causam formalem justificationis nostræ unicam esse, vult tantùm damnare sententiam asserentium hominem formaliter justificari partim per inhærentem justitiam, partim per justitiam Christi extrinsecè imputatam.

Jux-

Juxta Synodum igitur, causa formalis nostræ justificationis unica est, non quia est una simplex entitas, sed quia duplex non est, una intrinseca, & altera extrinseca; vel, si vis, quia præter inhærentem justitiam, non est alia forma justificans; quamvis ipsa inhærens justitia, quæ sola per modum formæ justificat, non sit unica unitate simplici, sed collectionis tantùm, sicut ædificium est unicum, & civitas unica.

Obj. 3. Si habitus virtutum theologicarum pertinent ad constitutivum inhærentis justitiæ, ad illud etiam pertinent habitus supernaturales virtutum moralium: nam si intrinseca & permanens habilitas operandi justè circa Deum immediatè, est de ratione inhærentis justitiæ, est quoque de ejus ratione intrinseca & permanens habilitas operandi justè in materia virtutum moralium supernaturalium. Atqui consequens videtur non esse admittendum. Ergo, &c.

R. habitus supernaturales virtutum moralium, ex hypothesi quòd dentur, pertinere ad constitutivum inhærentis justitiæ, & ejus quasi substantiam physicam constituere cum habitibus virtutum theologicarum; cum hoc tamen discrimine, quòd habitus virtutum theologicarum sint partes magis præcipuæ, & quasi essentiales inhærentis justitiæ; habitus verò supernaturales virtutum moralium sint illius partes minùs præcipuæ, & quasi integrantes tantùm. Unde cùm dicimus inhærentem justitiam consistere in habitibus theologicis fidei, spei & charitatis, subintelligendum est, tanquam partibus magis præcipuis, & quasi essentialibus, ex hypothesi tamen quòd dentur habitus supernaturales virtutum moralium distincti ab habitibus Theologicis, quod non est adeò certum.

ARTICULUS V.

Utrùm præter habitus theologicos fidei, spei & charitatis, admittenda sit gratia sanctificans, ab illis realiter distincta, illisque realiter superaddita, quæ cum illis hominem sanctificet, & renovet interius.

Responsio.

Videtur non esse admittenda.

Prob. breviter. Nam 1. talis gratia neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ratione aliqua efficaciter potest ostendi. 2. Talis gratiæ nulla videtur esse necessitas; cùm ex Tridentino videantur infusi habitus fidei, spei & charitatis, sufficere ad hoc ut homo sanctificetur, renovetur interius, inseratur Christo, & vivum ejus membrum efficiatur, Ergo, &c.

Obj. 1. Scripturæ passim innuunt gratiam sanctificantem distingui realiter ab habitibus theologicis. Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis.* 1. Enim docent nos fieri consortes divinæ naturæ per gratiam sanctificantem. 2. Docent nos per gratiam sanctificantem fieri Deo gratos, amicos Dei, & ejus hæredes. Atqui nihil horum præstare possunt habitus theologici. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam 1. habitus theologici, ac imprimis charitas, tribuunt nobis quoddam esse supernaturale & divinum; cùm sint præstantissimæ quædam naturæ divinæ participationes, & potentiæ operandi modo quoddam excellentissimo circa Deum immediatè. Hoc non obscurè innuit Scriptura, cùm ait 2. Petri cap. 1. nobis à Deo maxima & prætiosa promissa donari, quibus efficiamur divinæ consortes naturæ. 2. Quòd etiam habitus theologici nos reddant Deo gratos, & efficiant ejus amicos, filios adoptivos, atque hæredes, infra ostendetur.

Dices. Ex Scriptura. Spiritus sanctus priùs nobis datur per gratiam sanctificantem, quam nobis infundatur charitas habitualis, juxta illud Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam in tantùm Spiritus sanctus dicitur nobis dari in justificatione, in quantum incipit in nobis esse novo modo, per specialem scilicet assistentiam, & per productionem & conservationem virtutum theologicarum; nec aliud intendit Apostolus loco laudato.

Dices. Prius diligimur à Deo, quam ipsum diligamus, juxta illud 1. Joan. c. 4. *In hoc est charitas* (Dei) *non quasi dilexerimus Deum* (priores,) *sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Ergo habitualis charitas, qua diligimus Deum, posterior est gratia sanctificante, qua simus Deo grati & amabiles, proindeque ab eo diligimur.

R. dist. ant. Priùs diligimur à Deo dilectione benevolentiæ, quàm ipsum diligamus, C. ant. Dilectione amicitiæ, N. ant. & cons. Duplex est amor Dei erga nos, amor benevolentiæ, & amor amicitiæ. Amor benevolentiæ est ille, quo Deus nos amat, non quia sumus, nondùm enim sumus, sed ut simus ei grati & amabiles, eumque amemus. Amor amicitiæ est ille, quo Deus amat nos, quia sumus justi & sancti, adeòque ei amabiles & grati, eumque amamus amore charitatis.

1. Itaque Deus amat nos amore benevolentiæ. 2. Sic nos amando, infundit nobis charitatem habitualem, cum aliis virtutibus theologicis, & infundendo facit nos justos, sanctos, ac sui dilectores, ac proinde sibi gratos & amabiles. 3. Quia justi sumus & sancti, ipsiusque dilectores, & ejus amore digni, amat nos amore amicitiæ. Ex quibus apparet nullum relinqui locum gratiæ sanctificanti, distinctæ & diversæ à charitate habituali, & aliis virtutibus theologicis.

Amor amicitiæ supponit in nobis infusionem charitatis habitualis, & aliarum virtutum theologicarum. Infusio charitatis habitualis, & aliarum virtutum theologicarum, supponit amorem benevolentiæ. Amor verò benevolentiæ nullum planè motivum ex parte nostri supponit, quale posset esse gratia aliqua, qua redderemur grati & amabiles Deo: est enim amor, quo Deus nos indignos, ex pura misericordia diligit; & quia sic diligit movet nos quomodo nobis aptum est ut disponamus & præparemus nos per actus salutares ad obtinendam justificationis gratiam, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio ac renovatio interioris hominis, quæ fit per infusionem charitatis habitualis, & aliarum virtutum theologicarum.

Obj. 2. Concilium Tridentinum distinguit gratiam sanctificantem à virtutibus infusis. Nam sess. 6. c. 7. dicit hominem justificari per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum; & can. 11. anathematizat eos, qui dicunt hominem justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate. Item Concilium Viennense sub Clemente V. ait in baptismo tam parvulis quàm adultis conferri informantem gratiam, & virtutes. Ergo, &c.

R. neg. ant. *Ad prob. R.* Cùm Concilia dicunt gratiam & dona, gratiam & virtutes, vel idem planè per has voces intelligunt, vel nomine gratiæ charitatem, & nomine donorum & virtutum alios habitus infusos significant; ita ut perinde sit ac si dicerent charitatem & alia dona infusa, charitatem & alias virtutes infusas. Porrò nobis apertè favet Synodus Trid. can. 11. cùm enim dicit: *Exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat,* & non dicit, *diffundantur, atque illis inhæreant*, manifestè significat se per gratiam & charitatem planè intelligere.

Obj. 3. Patres admisere gratiam sanctificantem, à virtutibus theologicis distinctam. Nego. *Probabis* 1. S. Dionysius c. 2. de cœlesti hierarchia parte 1. dicit, non posse operari divina eum, qui divinum statum consecutus non fuerit. 2. S. Augustinus lib. de gratia Christi c. 30. ait se gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas diffunditur in cordibus nostris, nusquam Pelagium & Celestium invenire, quem admodum confitenda est, confiteri.

R. ad 1. Statum illum divinum, sine quo non possumus operari divina, tribui nobis formaliter per habitus virtutum theologicarum, per quos etiam formaliter nobis tribuitur facultas exercendi operationes divinas. *R. ad* 2. S. Augustinum loqui de gratia, non qua formaliter, sed qua efficienter justificamur;

seu

seu de gratia, non habituali, sed actuali, qua indigemus ad exercendos actus salutares, qualis est contritio charitate perfecta, per quam justificationis beneficium consequimur.

Obj. 4. Virtutes theologicæ non disponunt sufficienter hominem ad finem supernaturalem, neque hunc finem reddunt homini connaturalem, & ipsam animæ substantiam non exornant immediatè. Ergo præter illas, admitti debet forma sanctificans, quæ illos omnes effectus præstet. *R.* neg. ant. quoad omnes partes. Nam 1. virtutes theologicæ dant completam habilitatem ad operandum sicut oportet ad consequendum finem supernaturalem. 2. Immediatè recipiuntur in substantia animæ, quam à potentiis suis naturalibus distinctam esse, malè supponunt adversarii. 3. Animam evehunt ad esse divinum, cui finis supernaturalis non potest non esse connaturalis.

Dices. Virtutes naturales non dant esse naturale, sed supponunt. Ergo similiter virtutes supernaturales non dant esse supernaturale, sed supponunt illud. *R.* neg. conseq. Nam virtutes naturales non dant posse operari naturaliter, sed illud supponunt. Ergo à fortiori supponunt esse naturale. Virtutes verò supernaturales dant posse operari supernaturaliter; unde nec mirum est, quòd etiam dicantur dare esse supernaturale. Sicut ergo anima dat homini esse naturale, & posse operari naturaliter; ita virtutes theologicæ dant esse supernaturale, & posse operari supernaturaliter; atque ita seipsis sunt illud esse supernaturale ac divinum, cujus sunt potentiæ.

ARTICULUS VI.

Utrùm peccatorum remissio sit effectus formalis justitiæ inhærentis.

Propositio.

Peccatorum remissio est effectus formalis justitiæ inhærentis.

Prob. ex Concilio Tridentino. Nam 1. Synodus sess. 5. can. 5. definit, *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti, & tolli totum id, quod veram propriam peccati rationem habet*. Atqui gratia illa, quæ in baptismate confertur, est inhærens justitia. Ergo per inhærentem justitiam, quæ in baptismate infunditur, reatus originalis peccati remittitur, & tollitur totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. Ergo inhærens justitia exercet veram causalitatem circa remissionem peccatorum: non nisi formalem. Ergo, &c.

2. Synodus sess. 6. c. 7. docet unicam esse causam formalem nostræ justificationis, nempe justitiam inhærentem. Ergo inhærens justitia est causa totalis justificationis nostræ in linea causæ formalis. Ergo tota justificatio nostra est ab inhærente justitia, ut à causa formali. Atqui justificatio nostra consistit ex parte in remissione peccatorum, ut docet Synodus eodem loco. Ergo remissio peccatorum est ab inhærente justitia, ut à causa formali, adeòque, quod idem est, remissio peccatorum est effectus formalis justitiæ inhærentis.

3. Denique, juxta Synodum eodem loco, justificatio nostra tam est ab inhærente justitia, ut causa formali; quàm est à Deo, ut causa efficiente; à merito Christi, ut causa meritoria, & à sacramento, ut causa instrumentali. Atqui justificatio nostra, etiam quoad remissionem peccatorum, est à Deo ut causa efficiente, à merito Christi ut causa meritoria, & à sacramento ut causa instrumentali. Ergo similiter, etiam quoad remissionem peccatorum, est ab inhærente justitia ut causa formali.

Obj. Tridentinum sess. 6. c. 7. modo citato, dicit justificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum; & inferiùs, hominem cum remissione peccatorum infusas accipere fidem, spem & charitatem. Atqui hæc verba meram concomitantiam remissionis peccatorum cum infusione inhærentis justitiæ significant, non aliquam causalitatem inhærentis justitiæ in remissionem peccatorum. Ergo gratis asseritur hæc causalitas. *R.* neg. cons. Nam hanc causalitatem aliis verbis eodem capite, & alibi, nempe sess. 5. can. 5. evidenter significat Synodus.

Dices. Si remissio peccati est effectus formalis inhærentis justitiæ, frustra Concilium dixit veniam peccatorum dari cum inhærente justitia: manifestum enim est, data forma, dari effectum formalem. *R.* Concilium non dicit dari veniam peccatorum cum inhærente justitia, sed cum venia peccatorum dari justitiam inhærentem; ubi supplendum est, cujus ipsa peccatorum venia est effectus formalis.

Porrò cùm Synodus dicit cum peccatorum remissione infundi inhærentem justitiam, solùm intendit damnare sententiam hæreticorum, asserentium justificationem in sola peccatorum remissione consistere, adeòque negantium in justificatione infundi gratiam & dona, quibus homo sanctificetur & renovetur interiùs; contra quos docet Synodus, justificationem in duobus consistere, nempe in remissione peccatorum, & renovatione interioris hominis. Quorum duorum unum, nempe renovationem interioris hominis, diserte ait esse effectum formalem inhærentis justitiæ, quæ in justificatione infunditur; de altero verò, nempe de remissione peccatorum, non negat, sed æquivalenter asserit; dicendo unicam esse causam formalem nostræ justificationis, nempe justitiam Dei, *non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit*, & qua proinde nos purgat ab omni labe mortali: ejusmodi enim purgatio ad veram justi denominationem essentialiter requiritur.

Obj. In justificatione priùs remittuntur peccata, quàm infundatur justitia. Ergo remissio peccatorum non est effectus formalis justitiæ: nam si esset, priùs infunderetur justitia, quàm remitterentur peccata. Neg. ant. *Prob.* Tridentinum, cùm loquitur de remissione peccatorum, & infusione justitiæ, primo loco ponit remissionem peccatorum. Ergo, &c. *R.* neg. cons. Concilium enim loquitur contra asserentes justificationem in sola peccatorum remissione consistere; & primo loco ponendo peccatorum remissionem, non aliud intendit dicere, quàm præter peccatorum remissionem, confitendam etiam esse sanctificationem & renovationem interioris hominis, quæ esse non potest sine infusione inhærentis justitiæ. Ad hoc autem necesse non est, ut dicantur peccata priùs remitti, quàm infundatur justitia. Et confitendo justificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed & renovationem interioris hominis per infusionem justitiæ, possum dicere justitiam, quæ in justificatione infunditur, esse causam formalem non solùm renovationis interioris hominis, sed etiam remissionis peccatorum, atque ita in justificatione justitiam priùs infundi, quàm peccata remmittantur.

Dices. Sess. 6. c. 4. Synodus justificationem describit translationem à statu peccati ad statum justitiæ. Ergo ex Synodo, priùs relinquitur status peccati, quàm acquiratur status justitiæ. Ergo ex Synodo, priùs remittuntur peccata, quàm infundatur justitia. *R.* neg. hanc secundam cons. Aliud enim est, priùs relinqui statum peccati, quàm acquiratur status justitiæ; & aliud, priùs remitti peccata, quàm infundatur justitia. Itaque in justificatione infunditur justitia; per justitiam infusam remittuntur peccata; remissis peccatis, homo desinit esse in statu peccati, & incipit esse in statu justitiæ, quo pacto à statu peccati transfertur ad statum justitiæ, qui consistit in permanenti puritate ab omni peccato mortali; & intrinseca habilitate exercendi actus divini ordinis.

ARTI-

ARTICULUS VII.

Utrùm peccatorum remissio sit effectus formalis primarius, an verò secundarius tantum inhærentis justitiæ.

Responsio.

Peccatorum remissio est effectus formalis secundarius inhærentis justitiæ.

Prob. Illud est effectus formalis secundarius formæ, quod eatenùs est à forma, quatenùs ab ea exigitur, & ad ejus exigentiam ponitur. Atqui remissio peccatorum sic est ab inhærente justitia. Ergo, &c. Major constat. *Prob. min.* Nam vel remissio peccatorum sic est ab inhærente justitia, vel inhærens justitia per se ipsam formaliter & immediatè est ipsa remissio peccatorum: non enim tertius modus excogitari potest, quo peccatorum remissio sit effectus formalis justitiæ inhærentis. Atqui dici non potest, quòd inhærens justitia sit per se ipsam formaliter & immediate ipsa remissio peccatorum: alioqui remissio peccatorum & infusio justitiæ non essent diversæ mutationes, & distincta beneficia, quod evidenter repugnat Tridentino, dicenti sess. 6. c. 7. justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & renovationem interioris hominis per infusionem gratiæ & donorum; item hominem in justificatione cum remissione peccatorum infusas accipere fidem, spem & charitatem, quæ inhærentem justitiam constituunt. Ergo, &c.

Obj. 1. Si justitia inhærens non tollit peccatum per se ipsam formaliter & immediatè, præter illam requiritur novus favor, ut peccatum tollatur. Falsum cons. Ergo, &c. Nego min. *Probabis.* Nam si præter justitiam nobis inhærentem, requiritur novus favor, ut peccatum tollatur, non est in nobis vera & perfecta justitia, sed imperfecta tantùm & inchoata. Consequens manifestè repugnat doctrinæ Catholicæ. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. Itaque licet inhærens nobis justitia non tollat peccatum, nisi mediante novo favore, sibi superaddito, tamen vera & perfecta justitia est, quia per se sola ad justificationem nostram sufficientissima est in ratione ratione causæ formalis, & sic justificationis nostræ causa totalis est in ratione causæ formalis; quatenùs ea præcisè posita, formaliter ponitur, vel exigitur id totum, quod ad justificationem nostram intrinsecè pertinet. Unde præter illam, ad hoc, ut verè & perfectè justificemur, nihil aliud sive intrinsecum, sive extrinsecum, sed nobis imputatum, in ratione causæ formalis requiritur. Hæc autem doctrina planè diversa est à dogmate hæreticorum, imò & aliquorum Catholicorum, asserentium præter justitiam nobis inhærentem, justitiam Christi, nobis imputatam, ut causam formalem, requiri ad justificationem nostram.

Dices. Favor ille, quem præter inhærentem nobis justitiam requirimus ad remissionem peccati, tam est causa formalis hujus remissionis, quàm inhærens nobis justitia. Ergo, &c. Neg. ant. *Prob.* Hæc remissio tam est à favore illo, quàm est ab inhærente nobis justitia. Ergo, &c. *R.* dist. ant. Hæc remissio tam est sed diverso modo à favore illo, &c. C. ant. Tam est & eodem modo, N. ant. & cons.

Nota. Favor ille, qui præter inhærentem nobis justitiam requiritur ad remissionem peccati, est actus divinæ voluntatis, quo Deus secundùm exigentiam inhærentis nobis justitiæ misericorditer cedit jure, quod habet ad indignandum peccatori propter peccatum ab eo admissum, & cedendo jure suo, delet peccatum, quatenùs in ordine ad justum Dei adversùs hominem odium, peccatum jam se habet perinde in æstimatione morali, ac nunquam fuisset admissum; nec jam Deus magis potest odisse hominem propter peccatum ab eo admissum, quam si nunquam illud admisisset.

Peccati igitur remissio est activè à favore superaddito inhærenti nobis justitiæ, & sic peccati remissio est effectus non formalis, sed affectivus, vel quasi effectivus favoris superadditi inhærenti nobis justitiæ. Unde favor superadditus inhærenti nobis justitiæ, non est causa formalis, sed efficiens, vel quasi efficiens remissionis peccati, quæ cùm non activè, sed exigitivè tantùm sit ab inhærente nobis justitia, illius effectus est, non effectivus, sed formalis tantùm, adeòque illam, & quidem solam, ut causam, sui formalem agnoscit.

Dices. Si præter inhærentem justitiam requiritur novus favor ad remissionem peccati, inhærens justitia non est vera mundities animæ. *R.* neg. Itaque inhærens justitia est vera mundities animæ: non per se ipsam formaliter immediatè exigendo animam mundando per se ipsam formaliter exigendo, ut anima, cui infunditur, propter meritum Christi mundetur à peccati sordibus. Deo autem secundùm hanc ejus exigentiam re ipsa à peccati sordibus animam effectivè vel quasi effectivè mundante, ipsam suam causalitatem formalem exercet circa mundationem animæ, & ita ad eam per modum causæ formalis concurrit, eamque verè causat formaliter, licèt non per se immediatè, sed medio novo favore, ei superaddito.

Dices. Si præter inhærentem justitiam requiritur novus favor ad deletionem peccati, inhærens justitia poterit esse cum peccato habituali. *R.* 1. posse absolutè peccatum habituale manere cum donis illis supernaturalibus, in quibus consistit justitia inhærens. Ratio est, quia dona illa, etiam simul sumpta, non habent absolutam & omnimodam incompossibilitatem cum peccato habituali, sed moralem tantùm: neque donis illis in peccatore existentibus, Deus necessitatur ad peccata ei condonanda, sed liberè omninò ac misericorditer ea condonat, quamvis secundùm donorum illorum exigentiam, & moralem eorum cum habituali peccato repugnantiam.

R. 2. Secundùm legem ordinariam, & ordinem providentiæ à Deo sapienter institutum, non posse peccatum habituale manere cum inhærente justitia. Ratio est, quia habitualis charitas, quæ est præcipua inhærentis justitiæ pars, secundùm legem ordinariam nemini infunditur, quin perfectè uniatur Christo, & vivum ejus membrum efficiatur; adeòque de lege ordinaria infusio charitatis habitualis nunquam esse potest sine remissione peccatorum mortalium; cum sine hac remissione peccatorem perfectè uniri cum Christo, & vivum illius membrum effici repugnet.

Obj. 2. Possibile est aliquod gratiæ creatæ donum, quod per se formaliter immediatè ac necessariò peccatum excludat. Atqui talem esse justitiam illam, qua in justificatione donamur omninò videtur esse credendum. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Non enim possibile est ullum gratiæ creatæ donum, quòd superet vel etiam exæquet vim satisfactionis personæ divinæ in ordine ad tollendum peccatum; quæ tamen satisfactio, quamvis infiniti simpliciter valoris, non potest peccatum tollere, nisi à Deo offenso liberaliter acceptetur, & sic non potest peccatum tollere sine favore aliquo, sibi superaddito.

Obj. 3. Si justitia inhærens non delet peccatum, nisi quatenùs exigit ejus remissionem, & Deus re ipsa secundùm hanc exigentiam remittit illud, justitia inhærens non magis est forma sanctificans, quàm actus charitatis: actus enim charitatis non minùs exigit peccatum condonari, quàm ipsa charitas habitualis, per quam secundùm nos justitia inhærens exigit condonari peccatum, ut modò videbitur. Falsum cons. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. *Ad prob. R.* etiam neg. Ratio negandi est, quia actus charitatis, qualis habetur in via, proportionatur cognitioni, quam habemus de Deo per fidem, & quæ proinde imperfecta est; unde actus charitatis, qualis habetur in via, longè minoris est excellentiæ, quàm ipsa charitas habitualis, cujus est actus, & quæ ita præstans est naturæ divinæ participatio, ut apta sit ad reddendum hominem proportionatum amicitiæ & adoptioni Dei, illumque constituat in statu divino, cui connaturalis est puritas ab omni labe mortali, quam proinde exigit.

ARTI-

ARTICULUS VIII.

Per quam sui partem inhærens justitia excludat peccatum mortale.

Responsio.

INhærens justitia expellit peccatum mortale per supernaturalem habitum charitatis.

Prob. Nam 1. Scriptura charitatem habitualem præ cæteris virtutibus theologicis commendat, ut patet ex 1. Cor. c. 13. ubi dicitur: *Nunc autem manent fides, spes, charitas: major autem horum est charitas.* 2. Tridentinum sess. 6. c. 7. primas in justificatione partes charitatis habituali attribuit, ubi ait: *Quanquam nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejus sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, atque ipsis inhæret.* Et eadem sess. can. 11. ubi sic pronuntiat: *Si quis dixerit homines justificari... exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat ... anathema sit.* Ergo si cui virtutum theologicarum vis expellendi peccatum convenit, convenit maximè charitati habituali.

Confirm. Nam charitas habitualis expellitur per quodlibet peccatum mortale; cùm fides habitualis per solum peccarum infidelitatis, & spes habitualis per solùm peccatum desperationis in homine fideli expellantur. Ergo charitas habitualis specialem aliquam habet cum peccato mortali repugnantiam, quam non habent fides & spes habitualis. Ergo si justitia inhærens, quæ est aggregatum ex fidei, spei & charitatis habitibus, habituale peccatum expellit ab eo subjecto, cui infunditur, hoc maximè per charitatis habitum præstare dicenda est.

Ratio à priori est, quia 1. charitas habitualis est excellentissima naturæ divinæ participatio, quæ haberi potest in hac mortali vita. Ergo habere potest & habet præ cæteris donis supernaturalibus vim alliciendi Deum ad specialem amorem subjecti, cui inest, & cui tantam confert pulchritudinem, adeòque vim alliciendi Deum ad condonanda peccata.

2. Charitas habitualis est virtutum omnium præstantissima. Ergo est omnium præstantissima cum Deo similitudo. Ergo specialissimam quandam subjecto suo confert amabilitatem, quem nec dant, nec dare possunt virtutes aliæ, & qua moveri potest Deus ad credendum jure, quod habet ad indignandum propter peccata præterita.

3. Denique, charitas habitualis est omnis similitudo cum Deo talis ac tanta, ut apta sit ad reddendum hominem proportionatum amicitiæ divinæ, eaque dignum. Ergo per se exigit destructionem eorum omnium, quæ hanc proportionem & dignitatem impedire possunt. Ergo per se exigit destructionem peccati habitualis, quod hanc proportionem & dignitatem impedit.

Confirm. Charitas habitualis, sublatis impedimentis, est sufficientissimum fundamentum veræ Deum inter & hominem amicitiæ. Ergo specialem habet repugnantiam cum eo omni, quocum stare non potest vera Deum inter & hominem amicitia. Atqui cum peccato habituali vera amicitia inter Deum & hominem stare non potest. Ergo charitas habitualis specialem habet repugnantiam cum peccato habituali.

His omnibus addimus authoritatem S. Augustini sic loquentis lib. 15. de Trin. c. 18. *Nullum est isto Dei dono* (charitate) *excellentius. Solum est, quod dividit inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt.* At si sola charitas dividit inter filios regni & filios perditionis; sola nata est animæ puritaem conferre. Et si cætera dona sine charitate prodesse non possunt, quomodo peccatum habituale expellere possunt sine charitate? Nec dic S. Doctorem loqui de charitate actuali, non de habituali: nam hoc dato, adhuc pro nobis militat authoritas S. Doctoris, Quod enim dicere supponetur S. Doctor de charitate actuali relatè ad alias virtutes actuales, à fortiori valebit pro charitate habituali relatè ad alias virtutes habituales. cùm charitas habitualis aliis virtutibus habitualibus tantùm præstet ad minimum, quantùm præstat charitas actualis aliis virtutibus actualibus.

Obj. Ut apertè colligitur ex Trid. sess. 6. c. 7. fides & spes cum charitate præstant vitam æternam, perfectè uniunt hominem cum Christo, eumque vivum illius membrum efficiunt; Ergo justitia inhærens secundùm omnes suas partes, & non secundùm solam charitatem habitualem, peccatum expellit. *R.* fidem & spem non præstare vitam æternam, & nisi prout informantur à charitate, & ita non expellere peccatum habituale, nisi prout informantur à charitate, quod est peccatum habituale expelli per charitatem. Porrò inhærentem justitiam per se totam, seu per omnes suas partes una & eadem indivisibiliter causalitate expellere peccatum, dici nihil vetat; sic tamen ut ad hunc effectum sufficeret charitas sine fide & spe, non vicissim sufficerent fides & spes sine charitate. Nec plus hic intendimus.

ARTICULUS IX.

Utrùm inhærens justitia per modum causæ formalis constituat hominem amicum Dei, filium ejus adoptivum, & hæredem vitæ æternæ.

Responsio I.

HAbitus fidei, spei & charitatis, ex quibus inhærens justitia constituitur, per se & ex intrinseca perfectione, suppositâ remissione peccatorum, reddunt hominem proportionatum amicitiæ divinæ, & adoptione divina dignum.

Prob. Nam habitus fidei, spei & charitatis animam ad esse quoddam divinum evehunt, ei formam quandam ac pulchritudinem divini ordinis tribuunt, eam ad operandum immediatè circa Deum modo divino, intrinsecè ac permanenter disponunt, eam denique simillimam Deo reddunt ea similitudine, quæ morum & virtutum est, quæque proinde veræ amicitiæ fundamentum esse potest. Adde quòd charitas habitualis sit facultas amandi Deum super omnia propter se modo proportionato visioni intuitivæ, qua Deus clarè videtur ut in se est: unde operationem perfectissimam, ad quam habilem reddit potentiam cui inest, exercere non potest sine intuitiva Dei visione, quæ proinde ei connaturalis est, & quam nata exigere, adeòque actu exigit, nisi per habituale peccatum impediatur, ne exigat. Ergo suppositâ remissione peccatorum, habitus fidei, spei & charitatis, &c.

Responsio II.

Ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ, præter habitus fidei, spei & charitatis, atque peccatorum remissionem, requiritur novus Dei favor, novumque beneficium.

Prob. Nam ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ, non sufficit ut homo sit proportionatus amicitiæ divinæ, dignusque qui adoptetur à Deo in filium, & instituatur vitæ æternæ hæres; sed præterea requiritur, ut re ipsa ametur à Deo amore illo, qui amor amicitiæ dicitur, ab eo in filium adoptetur, & vitæ æternæ hæres instituatur. Atqui quòd homo etiam proportionatus amicitiæ divinæ, à Deo diligatur amore amicitiæ, & dignus adoptione divina & hæreditate æterna, à Deo adoptetur, atque ad beatitudinem secundùm præsentem justitiam destinetur, novus favor est, novumque beneficium, propter merita Christi collatum: Deus enim hominem, quamvis amicitiæ suæ proportionatum, adhuc liberè amat amore amicitiæ; item quamvis adoptione sua & æterna hæreditate dignum, adhuc liberè adoptat in filium, & ad cœlestem beatitudinem destinat. Ergo, &c.

Res-

Responsio III.

Status inter & perfectus amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ, ad quem homo in justificatione evehitur, est effectus formalis, non primarius, sed secundarius inhærentis justitiæ.

Et 1. quidem quod status ille sit effectus formalis inhærentis justitiæ, probatur sic. Quidquid intrinsecè pertinet ad justificationem, est effectus formalis inhærentis justitiæ: inhærens enim justitia, cùm sit vera & perfecta justitia, est causa formalis totius nostræ justificationis. Atqui status integer & perfectus amici Dei, &c. est aliquid intrinsecè pertinens ad justificationem, ut patet ex Trid. sess. 6. c. 4. ubi dicitur justificationem, quæ fit in baptismo, esse *translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum*. Et cap. 7. ubi dicitur: *Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem, &c.* Ergo, &c.

2. Verò, quòd status ille sit effectus formalis secundarius inhærentis justitiæ, sequitur ex 1. & 2. Resp. & sic ostenditur. Nam, ut jam dictum est, illud dicitur effectus formalis secundarius formæ, quod à forma exigitur, & re ipsa ad exigentiam formæ ponitur. Atqui inhærens justitia, suppositâ peccatorum remissione, exigit, ut homo evehatur ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ, ut facile intelligitur ex dictis Resp. 1. Et re ipsa, secundùm hanc exigentiam, homo à Deo evehitur ad statum illum: Deus enim, condonatis peccatis, hominem re ipsa diligit ut amicum, adoptat in filium, & vitæ æternæ hæredem constituit propter illud esse divinum, illam divini ordinis pulchritudinem, divinamque morum ac virtutum similitudinem, quam ab habitibus theologicis accipit. Ergo, &c.

Ex dictis hactenùs patet inhærentem justitiam habere multos effectus formales, quorum alii necessarii sunt, alii verò contingentes, quos hìc breviter recenseo ex ordine. 1. Itaque inhærens justitia per se ipsam formaliter immediatè ac necessariò dat animæ esse divinum, pulchritudinem divini ordinis, intrinsecam ac permanentem habilitatem operandi circa Deum immediatè modo divino, divinam morum ac virtutum cum Deo similitudinem, & exigentiam puritatis ab omni labe mortali. Horum omnium effectuum collatio non est beneficium distinctum ab infusione inhærentis justitiæ.

2. Ab omni labe mortali mundat animam, mediante novo favore, actu scilicet, quo Deus ad ejus exigentiam homini liberaliter condonat peccata, qua condonatione facta, homo dicitur & est justus.

3. Suppositâ peccatorum condonatione, per se ipsam formaliter immediatè facit hominem proportionatum amicitiæ Dei, & ejus adoptione dignum, exigitque ut homo evehatur ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ.

4. Denique, hominem ad statum illum evehit per modum causæ formalis, mediante tamen novo beneficio, actu scilicet, quo Deus ad ejus exigentiam hominem liberaliter diligit ut amicum, adoptat in filium, & hæredem vitæ æternæ instituit.

Dices, Deus amat necessariò justitiam habitualem, & justum habitualiter. Ergo amor ille, qui ex parte Dei requiritur ad statum integrum & perfectum amici, &c. non est novus favor. *R.* justitiam habitualem, & justum habitualiter, necessariò amari à Deo eo amore, quo amat omnia, quæ bona sunt, & quo in illis sibi complacet secundùm gradum bonitatis, quem habent. At homo, etiam justus habitualiter, non amatur necessario à Deo eo amore speciali, quo sibi in aliquo velut amico complacet; & multò minus à Deo in filium necessariò adoptatur, aut vitæ æternæ hæres necessariò instituitur.

ARTICULUS X.

Utrùm in justificatione, præter habitus virtutum theologicarum, infundantur etiam habitus virtutum moralium in entitate supernaturales.

Responsio.

IN justificatione, præter virtutes theologicas, infunduntur etiam virtutes morales in entitate supernaturales.

Ita sentit S. Thomas 1. 2. q. 63. a. 3. in O. & hanc sententiam ut probabiliorem amplectimur. Nam 1. virtutes morales, in entitate supernaturales, tam videntur esse possibiles, quàm virtutes theologicæ. 2. Non minus convenit virtutes illas infundi in justificatione, quam virtutes theologicas: non enim minùs convenit, hominem intrinsecè & permanenter habilem esse ad exercendos actus supernaturales omnium virtutum moralium, quàm ad exercendos actus supernaturales virtutum theologicarum. Ergo, &c.

Obj. 1. Habitus virtutum moralium naturales & acquisiti sufficiunt homini ad hoc ut dignè & proportionatè versetur circa virtutum illarum objecta. Ergo superflui sunt habitus virtutum moralium in entitate supernaturales. *R.* dist. ant. Habitus naturales & acquisiti virtutum moralium sufficiunt homini ad hoc ut dignè & proportionatè versetur circa virtutum illarum objecta, prout decent naturam rationalem præcisè quà talem, C. ant. Prout decent naturam rationalem ad statum supernaturalem & divinum elevatam, & honesta ex imperio charitatis, seu ex intensione placendi Deo ut authori gratiæ & gloriæ prosequentem N. ant. & cons. Homo itaque cum habitu naturali & acquisito v. g. temperantiæ, potest proportionatè velle uti moderatè voluptatibus, prout hoc decet hominem ratione præditum: at non potest proportionatè velle uti moderatè voluptatibus, prout hoc decet hominem non modò ratione præditum, sed etiam elevatum ad statum supernaturalem, adeòque ad diligendum Deum ut authorem gratiæ & gloriæ, atque ad honestè in materia virtutum omnium moralium operandum ex imperio charitatis, seu amoris illius, quo Deus ut author gratiæ & gloriæ, super omnia diligitur: ad hoc enim requiritur excellens quidam in virtutis moralis honestatem tendendi modus, qui vires naturæ superat.

Obj. 2. Si virtutes morales supernaturales infunderentur in justificatione, homo justificatus statim haberet facilitatem operandi in materia virtutum moralium omnium. Atqui hoc repugnat experientiæ. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam virtutes morales supernaturales dant quidem posse agere: at non dant simpliciter facilè agere: vel, si vis, dant quidem facilitatem intrinsecam, dando habilitatem & inclinationem ad actus supernaturales: at non dant facilitatem, extrinsecam, removendo impedimenta: nam cum illis manere possunt habitus vitiosi, ad oppositos actus inclinantes, & re ipsa manent, donec per actus inclinantes, & re ipsa manent, donec per actus bonos, multoties repetitos, destruantur. Sic autem destructis habitibus vitiosis, quæ priùs erat, tollitur bene operandi difficultas, & generatis bonis habitibus naturalibus, nova bene operandi facilitas comparatur. Quare homo justificatus, qui priùs habitus vitiosos contraxerat, non statim, sed solùm potest iteratos multoties virtutum actus, in illis exercendis facilitatem experiri.

Quæres. Quid sentiendum sit de donis Spiritus sancti?

R. Dona Spiritus sancti, quæ septem communiter numerantur, & quorum tria ad voluntatem, nempe pietas, fortitudo, & timor, reliqua verò ad intellectum, nempe intelligentia, sapientia, scientia, & consilium, pertinent, docet S. Th. 1. 2. q. 68. a. 1. esse realiter distincta à virtutibus supernaturalibus tum theologicis, tum moralibus. A. 3. esse habitus, quibus homo perficitur ad promptè obediendum Spiritui sancto. Ar. 5. ita esse connexa cum charitate habituali, ut de lege ordinaria, nec charitas sine illis, nec illa sine charitate esse possint. Ex quibus apparet, juxta mentem

S. Do-

S. Doctoris, præter virtutes theologicas & morales, infundi in justificatione alios habitus supernaturales septem, qui dona Spiritus sancti dicuntur, quia hominem ad promptè sequendam Spiritus sancti motionem & instinctum, intrinsecè ac permanenter habilitant. Quæ doctrina probabilis est; quamquam alii volunt dona Spiritus sancti non esse aliquid habituale, sed aliquid actuale & transiens, eaque, quæ ad intellectum pertinent, in certis illustrationibus, ea verò, quæ pertinent ad voluntatem, in certis impulsibus consistere.

ARTICULUS XI.

Utrùm in homine ad justificationem prærequirantur aliquæ dispositiones.

Responsio. I.

IN parvulis ad justificationem nullæ dispositiones prærequiruntur.

Prob. breviter. Nam parvuli ejusmodi dispositionum prorsùs incapaces sunt, cùm usum rationis, adeòque libertatis non habeant; & tamen eos in baptismo justificari, definit Tridentinum sess. 6. cap. 4. ubi dicit, *parvulos ex traditione Apostolica in remissionem peccatorum veraciter baptizari, ut in eis regeneratione mundetur, quòd generatione contraxerunt*, adeòque, ut ait idem Trid. sess. 6. c. 7. *ex injustis fiant justi & ex inimicis amici, ut sint hæredes secundùm spem vitæ æternæ*. In his enim omnibus, quæ in baptismo fit, regeneratio consistit. Ergo, &c. Quòd autem hìc de parvulis dicimus, dicendum quoque est de perpetuò amentibus.

Responsio II.

Ad justificationem aliquæ dispositiones prærequiruntur in adultis. Est de fide.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Ezech. c. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Et Zach. c. 1. *Convertimini ad me . . . & ego convertar ad vos*. Et Luc. c. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Et Act. c. 8. *Pœnitentiam itaque age; & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Ex his textibus, & aliis similibus, manifestum est, adultum peccatorem Deo reconciliari non posse sine propriis actibus, quibus convertatur ad Deum & pœnitentiam agat.

Prob. 2. ex unanimi Patrum consensu. Unum hìc afferimus pro omnibus S. Augustinum, qui sic loquitur, serm. 15. de verbis Apostoli: *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te . . . fecit nescientem, justificat volentem*.

Prob. 3. ex Conc. Trident. sess. 6. ubi apertè declarat, vel supponit, adultum sine propriis dispositionibus non justificari: nam cap. 5. dicit justificationis exordium in adultis sumendum esse à præveniente Dei gratia, qua disponuntur ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, idem gratiæ liberè assentiendo & cooperando. Tum cap. 6. sic loquitur: *Disponuntur autem* (adulti) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti fidem ex auditu concupiscentes, &c.* Et recensitis hoc capite actibus, quibus sese ad justitiam disponunt adulti, sic continuò prosequitur cap. 7. *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, &c.* Denique can. 3. anathematizat eos qui dixerint, *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*.

Ratio à priori est beneplacitum Dei, nolentis adultum peccatorem sibi reconciliari, nisi priùs per actus aliquos salutares dispositum & præparatum ad tantum beneficium accipiendum. Ratio congrua est, quia adultus per peccatum mortale liberè avertit se à Deo: unde conveniens est, ut cum Deo in gratia non redeat, nisi priùs ad eum sese per actus salutares liberè convertat.

Responsio III.

Præter fidem, requiruntur etiam alii actus ad hoc ut adultus ad justificationem disponatur. Est de fide.

Prob. Ex Tridentino sess. 6. can. 9. *Si quis dixerit*, inquit, *sola fida impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit*. Vide Bellarminum toto, lib. 1. de justificatione.

Porrò actus adultum ad justificationem disponentes Tridentinum sess. 6. cap. 6. exponit hoc ordine. 1. Adultus excitatus divina gratia, & adjutus, elicit actum fidei, quo credit vera esse ea omnia, quæ divinitùs revelata sunt & promissa, præsertim circa justificationis gratiam propter merita Christi conferendam.

2. Intelligens se peccatorem esse, salutari timore divinæ justitiæ concutitur.

3. Ex consideratione divinæ misericordiæ erigitur in spem & fiduciam remissionis peccatorum per Christum obtinendæ.

4. Deum tanquam misericordem justificationis authorem diligere incipit.

5. Adversùs peccata à se commissa movetur per odium aliquod ac detestationem.

6. Proponit inchoare novam vitam, servare mandata divina, & suscipere sacramentum, ad peccatorum remissionem à Christo institutum. Vide Trident. loco citato.

Ex his apparet, primum inter actus, adultum ad justificationem præparantes, locum tenere fidem, quæ proinde à Tridentino sess. 6. cap. 8. dicitur esse humanæ salutis initium, & fundamentum, ac radix omnis justificationis: unde & per eam, ut monet Trident. eodem loco, justificari dicimur ab Apostolo, non quòd sola sufficiat ad justificationem adulti, sed quia primus actus est, quo se ad suam justificationem adultus convertit.

Cæterùm præter illum, alios etiam ex parte voluntatis actus requiri in adulto ad consequendam justificationis gratiam, docet apertè Scriptura locis Resp. 2. allegatis quibus addo verba Petri act. c. 3. dicentis: *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Scripturæ verò suffragatur perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus, Patrum testimoniis, qui variis ætatibus floruerunt, firmatus.

Huic doctrinæ adversantur Lutherani & Calvinistæ, asserentes, 1. ad justificationem adulti fidem sufficere. Hunc errorem anathematizat Tridentium sess. 6. can. 9. jam laudato. 2. Hanc fidem justificantem esse actum quo firmiter credimus, vel ut loquuntur plerique Lutherani, quo firmiter confidimus nobis propter Christum peccata esse remissa. Hunc errorem Tridentinum damnat eadem sess. Can. 12. 13. & 14. Sed cum novatoribus,

Obj. 1. illud Apostoli Rom. c. 3. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus*. *R.* 1. Cùm Apostolus hic & alibi dicit nos justificari per fidem, eum nihil aliud velle, quàm nos sine fide justificari non posse, & fidem esse initium salutis humanæ, & omnis justificationis fundamentum ac radicem. Sic respondet Tridentinum sess. 6. c. 8. ubi sic ait: *Cùm verò Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*.

R. 2. Apostolum per illud, *sine operibus*, non excludere omnia omninò opera, sed solùm ea, quæ fiunt ante fidem, vel sine fide, sine gratia, ex sola cognitione legis, & solis naturæ viribus: non enim excludit opera, quæ fiunt ex fide, ex viribus gratiæ, quales sunt actus spei, & dilectionis Dei. Cùm igitur dicit Apostolus hominem justificari per fidem sine operibus, non aliud intendit, quàm ut judæis & gentilibus persuadeat,

neminem justificari posse sine fide in Christum, licèt observet legem Mosaicam; & hominem, etiamsi hanc legem non observet, per fidem in Christum justificari, modò tamen alia opera christiana ad id requisita, non desint.

Similiter cùm Apostolus Ephes. cap. 2. ait: *Gratiâ estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus;* excludit solùm opera naturalia, adeòque opera facta sine fide & sine gratia, quibus si justificationis gratiam consequeremur, in nobis posset gloriari. Non autem excludit opera ex fide & viribus gratiæ facta, de quibus gloriari non possumus; cum sint Dei dona, sicut & fides ipsa, ex qua fiunt, utpotè à Deo in æternitate misericorditer præparata seu prædefinita, & in tempore misericorditer procurata per auxilia gratiæ, quibus movemur & adjuvamur, quomodo nobis aptum est, ut illa exercere velimus, & exerceamus.

Obj. 2. Scriptura justificationem attribuit fidei, nulla mentione facta aliorum actuum. Sic dicitur Jo: cap. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* *R.* 1. Scripturam loco citato loqui de fide formata, de qua sic loquitur Apostolus Gal. cap. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.*

R. 2. Scripturam quandoque etiam, cùm de dispositione ad justificationem requisita loquitur, nominare solum timorem, ut cùm ait Prov. cap. 14. *Timor Domini fons vitæ;* quandoque solam spem, ut cùm ait Prov. cap. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur;* quandoque solam Dei dilectionem, ut cùm ait Eccl. cap. 3. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis;* quandoque solum Sacramentum, ut cùm ait Joan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Itaque quando plures causæ ad eundem effectum concurrunt, in Scriptura modò uni, modò alteri causæ attribuitur, tacitis aliis causis, sed sine illarum præjudicio.

Quæres, quot sint causæ justificationis?

R. cum Tridentino, sess. 6. cap. 7. esse quinque justificationis nostræ causas; finalem scilicet, efficientem, meritoriam, instrumentalem, & formalem. Finalis multiplex est, nempe gloria Dei, gloria Christi, & vita æterna. Efficiens est Deus; meritoria, Dominus noster Jesus Christus; instrumentalis, sacramenta ad remissionem peccatorum à Christo instituta; formalis denique, justitia nobis à Deo infusa.

DISPUTATIO VII.

De Merito.

ARTICULUS I.

Utrùm homo cum gratia Dei operans, mereatur apud Deum.

Responsio.

Justi cum gratia Dei operantes merentur apud Deum. Est de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam dicitur Matth. cap. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Et ejusd. cap. 16. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Et 1. Cor. cap. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et 2. ad Timoth. cap. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ex quibus locis, & aliis similibus, apertè colligimus justos bene mereri apud Deum per opera cum auxilio gratiæ facta. Et verò merces, à justo judice retribuenda, manifestè supponit bona merita, & quidem propriè dicta, quibus retribuenda est.

Prob. 2. ex unanimi Patrum consensu. Pro Græcis hìc sit S. Basilius, lib. de Spir. Sancto, cap. 24. ubi sic ait; *Homo ... salvus fit per justitiam operum.* Pro Latinis verò S. Augustinus, epist. 105. ad Sixtum, ubi sic loquitur: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ, tanquam stipendium vita æterna.* Vide Bellarminum, lib. 5. de justificatione, cap. 4.

Prob. 3. authoritate Conciliorum, nempe Arausicani II. cap. 18. ubi dicitur: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Lateranensis IV. cap. *Firmiter. Non solum*, inquit, *virgines & continentes, verùm etiam conjugati per fidem rectam & operationem bonam, placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Florentini in litteris unionis, ubi dicuntur animæ purgatæ *in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.*

Tridentini denique, sess. 6. cap. 16. *Bene operantibus*, inquit, *usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, à justo judice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.* Et can. 32. ubi anathematizantur ii, qui dicunt *hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita.*

Obj. Omnia nostra opera sunt immunda, juxta illud Isaiæ, cap. 64. *Quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ.* Item omnia nostra bona opera sunt inutilia, juxta illud Christi Luc. cap. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Item vita æterna nobis ut filiis tanquam hæreditas datur ex misericordia & gratia, juxta illud Rom. cap. 8. *Si filii, & hæredes.* Item Christus meritus est nobis vitam æternam, adeòque superflua sunt nostra merita.

R. ad 1. neg. Nam in textu citato, Propheta loquitur in persona impiorum Judæorum, & non de omnibus eorum operibus, sed solùm de observatione cæremoniarum legalium, & de sacrificiis quæ offerebant, & multis defectibus admixtis polluebant.

R. ad 2. neg. Ad textum autem dico, juxta mentem Christi, nos, etiamsi omnia quæ nobis præcepta sunt faciamus, servos inutiles esse, quatenus nihil à Deo exigere possemus pro mandatorum observatione, si Deus pro ea nullam nobis mercedem polliceri voluisset, ut potuit absque injuria.

R. ad 3. vitam æternam non solùm hæreditatem, sed etiam mercedem vocari: unde sequitur eam nobis dari non solùm titulo hæreditatis, sed etiam titulo mercedis: sicut in Scriptura aliquando etiam gratia nominatur: unde sequitur eam nobis dari ex gratia, quamvis nobis detur tanquam merces. Igitur vita æterna simul est hæreditas, merces, & gratia. Est hæreditas, quatenùs est effectus adoptionis divinæ: est merces, quatenùs est effectus bonorum meritorum: est gratia, quatenùs Deus gratuitò nos adoptat in filios, gratuitò prædefinivit nostra bona merita, & ad ea ponenda nos congruè movet & adjuvat, gratuitò bonis nostris meritis vitam æternam ut mercedem proposuit, & se debitorem nostrum constituit.

R. ad 4. neg. conseq. Nam Christus nobis meritus est vitam æternam, ut consequendam non solùm tanquam hæreditatem, sed etiam tanquam mercedem bonorum nostrorum operum: unde præterea nobis meritus est non solùm justificationem & adoptionem divinam, sed etiam omnia grata auxilia, sine quibus bona opera, vitæ æternæ meritoria, exercere non possumus.

AR-

ARTICULUS II.

Utrùm justi apud Deum mereantur etiam de condigno.

Responsio.

JUsti apud Deum merentur etiam de condigno. Est communior Doctorum sententia, & *prob.* Justum mereri apud Deum de condigno, est justum mereri apud Deum ex justitia, & ex æqualitate operis cum mercede naturali, illi à Deo proposita & promissa. Atqui justus, 1. meretur apud Deum ex justitia. 2. Meretur ex æqualitate operis cum mercede, &c. Ergo, &c.

Prob. 1. pars min. 1. ex Scriptura. Nam 2. ad Timoth. c. 4. dicit Apostolus: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Et Hebr. cap. 6. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* 2. Authoritate S. Augustini: nam dicit lib. de nat. & grat. c. 2. *Non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitia.* Et lib. 4. contra Julian. c. 3. *Per quod vera justitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus.* Per justum autem intelligit, non eum præcisè, qui justificationis beneficium consecutus est, sed eum, qui justificationis beneficium consecutus, vera justitiæ opera exercet, Ergo, &c.

Prob. 2. pars min. Nam dicitur 2. ad Thessal. c. 1. *Ut digni habeamini in regno Dei.* Et Apocal. c. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Unde sic argumentor. Justi per bona opera digni fiunt vita æterna. Atqui hæc dignitas esse non potest absque æqualitate aliqua bonorum operum cum vita æterna. Ergo, &c.

Confirm. ex Trident. Nam sess. 6. c. 16. dicit, illis justorum operibus, quæ in Deo sunt facta, nihil deesse quominùs vitam æternam verè promeruisse censeantur. Et can. 32. definit justos verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam ejusque consecutionem, si in gratia decesserint, atque etiam augmentum gloriæ. Ergo bona justorum opera, quæ in Deo sunt facta, sunt verè & propriè merita apud Deum, etiam relatè ad vitam æternam. Atqui ad rationem meriti verè & propriè dicti requiritur aliqua operis meritorii cum mercede æqualitas. Ergo, &c.

Confirm. adhuc. Nam v. g. contritio charitate perfecta, quæ justificationem præcedit, & infallibiliter consequitur, non habet rationem veri meriti respectu justificationis, ut constat 1. ex Scriptura, quæ variis locis expresè affirmat impium justificari gratis. 2. Ex Trident. sess. 6. c. 8. ubi dicitur. *Gratis ideo justificari dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Ergo bona justorum opera, quæ in Deo facta sunt, habent aliquid relatè ad vitam æternam, vi cujus eam verè & propriè promerentur, quod actus contritionis, etiam perfectæ, sed justificationem præcedentis, non habet relatè ad justificationem, seu relatè ad justitiam inhærentem, cujus infusione peccator ex injusto fit justus: unde eam nec promeretur, nec promereri potest verè & propriè; quamvis eam consequatur infallibiliter. Atqui illud, quod bona justorum opera quæ in Deo facta sunt, habent relatè ad vitam æternam, & quo caret contritio charitate perfecta relatè ad justificationem, quàm præcedit, non potest esse, nisi quædam æqualitas. Ergo, &c.

Confirm. 3. Bona justorum opera, quæ in Deo facta sunt, verè & propriè promerentur vitam æternam, vel quia sunt ejusdem ordinis cum illa, & sic ad illam congruitatem proportionem quandam habent; vel quia vita æterna justis à Deo proposita, & promissa est sub conditione onerosa bonorum operum; vel denique, quia bona illa justorum opera quandam habent cum vita æterna æqualitatem. Non primum, aut secundùm: nam contritio charitate perfecta, quæ justificationem præcedit, non eam promeretur verè & propriè, & tamen, 1. est ejusdem ordinis cum inhærente justitia, cujus infusione justificamur, & ita cum illa quandam habet congruitatem & proportionem. 2. Justificatio adultis peccatoribus à Deo proposita & promissa est extra Sacramentum sub conditione onerosa contritionis perfectæ, & ea exhibita, peccator adultus infallibiliter justificatur. Ergo tertium.

Obj. 1. Repugnat hominem habere verum jus justitiæ respectu Dei. *R.* dist. Repugnat hominem habere respectu Dei verum jus justitiæ, quod non sit profectum ex libera Dei institutione & promissione, C. Quod sit profectum ex libera Dei institutione & promissione, N. Nam tale jus esse in homine respectu Dei, satis apertè docet Scriptura, cùm ait Deum esse justum judicem, & quia justus judex est, promissam justitiæ coronam redditurum; justum esse, ut reddat, ac fore injustum, si non redderet. Nulla autem ratio est, hic Scripturam in sensu improprio accipiendi.

Obj. 2. S. Augustinus negat Deum esse nostrum debitorem. Nam sic loquitur lib. 1. Confess. c. 4. *Reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdens.* Ergo, &c. *R. S.* Augustinus negat Deum esse nostrum debitorem absolutè & independenter à libera promissione sua, ac gratiæ suæ largitione, At non negat illum esse debitorem nostrum dependenter à promissione, qua vitam æternam ut mercedem promisit bonis meritis, quæ nobis donat, liberaliter movendo nos per gratiæ suæ auxilium, quomodo nobis congruit, ut exerceamus bona opera, in quibus consistunt bona nostra illa merita, quibus vita æterna ut merces ab eo proposita est.

Et verò S. Doctor loco citato dicit Deum reddere nobis debita. Ergo debitor noster est: non enim potest quis reddere debitum, nisi ipse debitor sit. Agnoscit igitur hic S. Doctor Deum esse debitorem nostrum: dicit tamen eum reddere debita, nihil debentem. 1. Quia non debet aliquid, putà vitam æternam, nisi propter merita, quæ sunt ipsius dona: unde S. Doctor subdit Deum donare debita. Juxta S. Doctorem, Deus reddit & donat debita; reddit, quia verè debet; donat, quia non debet, nisi propter merita ab eo donata liberaliter.

2. S. Doctor dicit Deum reddere debita, nihil debentem, quia nihil debet, nisi ex libera promissione sua sic non debet justis vitam æternam propter bona eorum opera, nisi quia liberaliter promisit & proposuit vitam æternam bonis justorum operibus, ab eo liberaliter donandis.

Hanc suam doctrinam eleganter exponit S. Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli, ubi sic loquitur: *In his* (bonis meritis) *quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem. In his* (vita æterna) *quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini: Debes mihi quæ dedi tibi: & aliter dicimus: Debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis: Debes mihi, quia dedi tibi; à te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum: quando autem dicis: Debes mihi, quia promisisti mihi; tu nihil dedisti, & tamen exigis .... Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce* (dicendo scilicet illi: Redde mihi, quia dedi tibi) *exigamus debitorem Deum .... Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti, & hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti.*

Juxta S. Doctorem igitur, verè Deum tenemus nobis vitæ æternæ debitorem, non quia à nobis accipit aliquid, sed quia nos ab illo accipimus, bona scilicet merita, pro quibus nobis vitam æternam debet; & debet, quia illam bonis illis meritis liberè promisit. Unde Deo dicere quidem non possumus: Redde mihi, quia dedi tibi: sed possumus dicere: Redde, quia dedisti & promisisti; redde vitam æternam, quia bona merita dedisti, pro quibus vitam æternam promisisti.

sisti. Deus igitur, juxta S. Doctorem, debitor noster est, non quia nos ipsum fecimus, sed quia se ipse fecit nobis debitorem, & largiendo nobis bona merita, & bonis illis meritis præmium proponendo.

Dices. S. Augustinus, lib. de grat. & lib. arb. dicit vitam æternam esse gratiam. *Insuper*, inquit, *accipiemus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur.* *R.* S. Doctor dicit vitam æternam esse gratiam, non quòd debita non sit bonis meritis, quibus promissa & proposita est, sed quia bona merita, quibus debetur, sunt effectus gratiæ. Patet ex epist. 105. ad Sixtum, ubi sic loquitur: *Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam; etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur. Nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.*

Dices. S. Augustinus in epistola mox laudata negat nobis, etiamsi justi & sancti simus, vitam æternam deberi. *Quid te*, inquit, *disponis extollere, & contrariam morti vitam æternam tanquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita æterna, vera justitia est. Si autem vera justitia est, ex te non est, desursum est, descendens à patre luminum, ut habeas eam. Si tamen habes eam, profectò accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, ò homo, si accepturus es vitam æternam, justitia quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur.*

R. S. Doctor his verbis negat tantùm vitam æternam nobis deberi in sensu hæretico Pelagianorum, hoc est, nobis deberi propter bona merita, quæ non sint à Deo donata, utpotè à solis arbitrii viribus profecta. Minimè verò negat nobis deberi vitam æternam propter bona merita, nobis donata à Deo. Disertè enim asserit vitam æternam deberi ejusmodi bonis meritis, quæ cùm à Deo nobis donata sunt, nostra sunt; adeòque illis vita æterna deberi non potest, quin simul propter illa, quia nostra sunt, verè debeatur nobis.

Dices. S. Augustinus, lib. de gr. & lib. arb. c. 9. docet vitam æternam esse puram gratiam. *Maluit*, inquit, *dicere*: Gratiam autem Dei vita æterna: *ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam sed pro sua miseratione producere.* Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam hoc eodem loco expressè docet, vitam æternam esse stipendium justitiæ, hoc est, bonorum operum, quæ à justis in Deo sunt facta. Stipendium autem debetur & quidem ex justitia, ut ipse ait epist. 105. ad Sixtum, ubi sic loquitur: *Stipendium*, inquit Apostolus, *peccati mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur.*

Dicit itaque S. Doctor, *non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere*, non quòd vitam æternam bonis nostris operibus, velut coronam illis debitam, non retribuat, sed quòd bona illa opera, quibus debetur, & redditur vita æterna velut justa merces & justum stipendium, ipse in nobis pro sua misericordia operetur. Audiamus S. Doctorem. *Cùm posset*, inquit, *dicere* (Apostolus) *& rectè dicere: Stipendium autem justitiæ vita æterna: maluit dicere: Gratia autem Dei vita æterna: ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo, homo dicit animæ suæ:* Qui coronat te in miseratione & misericordia. *Nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille* (Deus) *in bonis operatur ... ideò dixit Psalmus:* Coronat te in miserarione & misericordia; *quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona reddetur.* Non autem redditur, nisi quod debitum est: sicut non donatur, nisi quod est indebitum.

Dices. S. Augustinus, concione 2. in Psal. 70. dicit Deum nobis vitam æternam dare independenter à meritis nostris. *Tua*, inquit, *peccata sunt, merita Dei sunt: supplicium tibi debetur, & cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* *R.* S. Doctorem, cùm hìc expressè agnoscat vitam æternam esse præmium, non excludere quodlibet meritum vitæ æternæ: nam omne præmium est alicujus meriti præmium; & ita si vita æterna est præmium bonorum aliquorum operum, bona aliqua opera sunt merita vitæ æternæ.

Hìc itaque S. Doctor excludit tantùm merita humana, hoc est, merita ex solis arbitrii viribus profecta, qualia nulla esse possunt relatè ad vitam æternam, & qualibus tamen asserebant Pelagiani vitam æternam, ut coronam & præmium esse retribuendam. Minimè verò excludit merita non humana, hoc est, merita ex prævenientis & adjuvantis gratiæ viribus facta, quæ proinde sic sunt nostra merita, ut sint etiam Dei dona. Juxta mentem igitur S. Doctoris, Deus, cùm præmium venerit, seu cùm reddet vitam æternam justis in statu gratiæ defunctis, sua dona coronabit, non eorum merita, quatenùs non coronabit merita merè humana, & ex solis arbitrii viribus profecta, sed coronabit merita facta ex viribus prævenientis & adjuvantis interioris gratiæ, non solùm illustrantis intellectum, sed etiam voluntatem immediatè tangentis, sanantis & corroborantis ad operandum sicut oportuit ad salutem; atque ita coronando talia merita, sua dona coronabit.

Hoc igitur loco, qui nobis objicitur, & aliis similibus, S. Doctor petit Pelagianam hæresim, merita merè humana importunè extollentem: nec improbat in Pelagianis, quòd dicerent vitam reddi bonis meritis, velut mercedem illis debitam, sed quòd vellent ad bona illa merita, quibus vita æterna velut merces debita redditur, arbitrii vires sufficere; adeòque hominem bona illa merita, non à Deo per indebitum & misericorditer donatum interioris gratiæ prævenientis & adjuvantis auxilium, sed à se per solas arbitrii vires cum concursu generali naturaliter debito habere.

Patet hoc ex lib. de grat. & lib. arb. c. 6. ubi sic loquitur: *Cùm dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò, quæ datur in finem, id est, æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi; respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsùs rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? ... Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua: si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt: quæ mala sunt non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt, quia, sicut dicit Apostolus Jacobus, omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

Dices denique. S. Augustinus, serm. 15. de verbis Apostoli, dicit nos à Deo salvari gratis, & independenter ab omni merito: nam sic ait: *Pro nihilo*, inquit Psaltes regius, *salvos facies eos. Quid est, Pro nihilo salvos facies? Nihil in eis invenies unde salves, & tamen salvas, gratis das, gratis salvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita tua. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes.* Ergo, &c.

R. S. Doctorem hìc, sicut & in aliis similibus locis, excludere tantùm merita, quæ non sint effectus gratiæ & dona Dei. Juxta S. Doctorem, Deus antequam donet nobis suam gratiam, nulla invenit in nobis bona merita, propter quæ nos salvare possit, sed è contra multa invenit mala merita, propter quæ nos damnare posset; & tamen nos salvat, gratis nos justificando, & gratis justificatos gratis movendo & adjuvando ad exercenda opera salutaria, quibus vitam æternam ut mercedem gratis proposuit ac promisit. Gratis

tis salvat, quia gratis dat, & prorsùs gratis salvat, quia prorsùs gratis dat vitam æternam. Prorsùs autem gratis dat vitam æternam, non quia dat nulla prorsùs habentibus bona merita, sed quia dat nulla habentibus bona merita, quæ non fuerint ab eo donata.

Breviter, quid hìc intendit S. Doctor? Nulla bona merita, quibus vita æterna velut merces debetur & redditur, esse in nobis ex nobis, hoc est, esse in nobis ex solis naturæ viribus sine auxilio interioris gratiæ, adeòque nulla gratiam, sed gratiam omnia præcedere. Unde S. Doctor ante verba, quæ nobis objiciuntur, proximè sic ait: *Non putes te promerendo accepisse, qui non promereres; nisi accepisses. Gratia præcessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti. Pro nihilo, inquit, salvos, &c.*

Obj. 3. Non potest esse justitia inter Dominum & & servum. Ergo non potest esse inter Deum & creaturam. *Prob.* consequentia. Justitia non potest esse inter Dominum & servum, quia justitia est ad alterum, & servus non est alter à Domino, sed est aliquid Domini. Atqui pariter creatura est aliquid Dei. Ergo, &c. *R.* posse justitiam esse inter servum & Dominum in iis, in quibus servus, sive ex dispositione legis, sive ex conventione, sive ex voluntate Domini, sui juris est. Similiter, justitia potest esse inter Deum & hominem in iis, in quibus hominem sui juris esse vult, & cum homine velut emancipato & sui juris facto agit Deus. Sic autem agit Deus cùm homine, cùm illi proponit, & promittit vitam æternam ut mercedem sub conditione onerosa operum salutarium, cum mercede proposita & promissa aliqua modo æqualium: hoc ipso enim vult opera illa salutaria, quæ sunt ipsius dona, esse propria & sua hominis merita, & hominem esse sui juris quantùm ad illa. Quare si homo salutaria illa opera exhibeat Deo, licèt donante ipso Deo, exhibet Deo aliquid suum, mercedi promissæ & propositæ aliquo modo æquale: adeòque Deus mercedem propositam & promissam reddere tenetur ex justitia. Deus igitur, non quidem ab homine, sed à se ipso obligari potest homini ex justitia.

Porrò hæc justitia, cujus obligationem in se liberaliter suscipit Deus erga hominem, non est justitia legalis, aut distributiva: utraque enim respicit jus fundatum in titulo communitatis: sed est justitia commutativa, quæ respicit jura privata privatorum qua talium, & ad quam pertinent commutationes, in quibus tantum pro tanto redditur, nec dic neminem alteri obligari posse ex justitia commutativa, nisi ab illo accipiat aliquid sibi commodum & utile, nihil autem tale Deum ab homine posse accipere. Nam ut quis ex justitia commutativa obligetur alteri, satis est si ab eo aliquid sibi gratum ex promissione & conventione mercedis accipiat.

Dices. Si Deus obligaret se homini ex justitia, spoliaret se supremo illo dominio, quod habet in hominem & omnia ejus bona. *R.* neg. Itaque quando Deus pacisci tur cum homine, proponendo & promittendo illi vitam æternam ut mercedem sub conditione onerosa operum salutarium, non spoliat se supremo illo jure, vi cujus creata omnia essentialiter manent in ejus potestate, adeòque illa ut sua & sibi debita repetere semper potest; sed solùm non utitur jure illo, cui subordinatum semper manet jus quod homini tribuit in bona opera, quæ, ipso donante, exercet homo, cujus proinde non sunt propria & sua bona, seu merita, nisi quia Deus vult, & quandiu vult.

Deus igitur, salvo supremo illo jure, quod essentialiter habet in res omnes creatas, hominem gratis justificatum, & in filium adoptatum, in ordine ad vitam æternam bonis operibus verè ac propriè promerendam sui juris facit, illi proponendo vitam æternam ut mercedem bonis operibus, si exhibeantur, retribuendam. Dixi, salvo, &c. Nam sic hominem sui juris facit in ordine ad vitam, &c. ut nihilominùs homo cum omnibus bonis suis remaneat in ejus potesta-

te: ita ut adhuc possit bona ejus opera omnia, ut sibi debita, gratis repetere in sensu diviso propositionis vitæ æternæ, ut mercedis illis operibus, si fiant retribuendæ. Dico, in sensu diviso: non enim potest sic opera illa repetere in sensu composito hujus propositionis, Unde stante hac propositione, & homine opera bona, quibus vita æterna promissa est, exhibente, atqui in statu gratiæ decedente, non posset Deus absque injustitia non retribuere vitam æternam.

Obj. 4. Scriptura docet opera meritoria justorum non habere æqualitatem cum mercede gloriæ æternæ. Nam v.g. Rom.c.8. dicitur: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. R.* Scripturam hoc loco, & aliis similibus, loqui de bonis justorum operibus, sumptis præcisè secundùm propriam excellentiam, vel etiam secundùm propriam excellentiam simul & dignitatem personæ, à qua fiunt. Utrovis autem modo præcisè sumantur non habent condignitatem ad mercedem æternæ gloriæ. At si considerentur non solùm secundùm propriam excellentiam & dignitatem personæ, cujus sunt, sed etiam secundùm dignitatem personæ præmium retribuentis, & personæ propter quam præmium retribuitur, condignitatem illam habent. Pro quo.

Nota. Opera, quibus justi merentur, eam habent intrinsecam excellentiam, ut si non exerceantur à persona absolutè vili, qualis est homo existens in statu peccati, digna sint præmio magno relatè ad dignitatem personæ præmiandæ, dignitatem personæ præmium retribuentis, & dignitatem personæ, propter quàm præmium retribuitur, simul & indivisibiliter consideratas. Tale autem præmium non est aliquod in æstimatione prudenti infra gloriam æternam. Nisi enim Deus præmiando opera salutaria justorum propter Christum, retribuat illis gloriam æternam, in æstimatione prudenti non censebitur retribuere aliquid magnum relatè ad dignitatem amici & filii adoptivi Dei, dignitatem Dei, & dignitatem Christi, simul & indivisibiliter sumptas.

Itaque dignitas personæ præmiandæ, dignitas Dei præmium retribuentis, & dignitas Christi, propter quem præmium retribuitur, simul & indivisibiliter sumptæ, se habent ad modum formæ moralis, moraliter intrinsecæ operibus meritoriis justi, & valorem intrinsecum, quem habent à propria excellentia, infinitant secundùm quid in æstimatione morali, atque sic infinitando, moralem illi tribuunt æqualitatem cum mercede gloriæ æternæ.

ARTICULUS III.

Quid ex parte Dei, & ex parte hominis, requiratur ad meritum de condigno.

Responsio I.

AD meritum de condigno ex parte Dei requiritur mercedis promissio.

Prob. Ad meritum de condigno requiritur obligatio ad reddendam mercedem. Nam mereri de condigno apud aliquem, nil aliud esse potest, quam illum obligare, vel obligari ad reddendam mercedem propter opus aliquod mercedi aliquo modo æquale exhibitum. Atqui Deus obligari non potest ad reddendam mercedem homini propter bona opera, etiam mercedi æqualia, nisi ipse operibus illis mercedem proposuerit, & promiserit. Ergo, &c.

Prob. min. Nam Deus est essentialiter supremus rerum omnium Dominus. Ergo omnia creaturarum obsequia titulo gratitudinis, & aliis multis exigere potest tanquam sibi debita. Ergo nulli creaturæ debitor fieri potest, nisi ipse voluerit, proponendo scilicet illi & promittendo mercedem sub conditione talium operum mercedi aliquo modo æqualium; atque ita cum illa ut sui quoad hoc juris facta, liberè pascisendo.

Hinc illud S. Augustini, serm. 16. de verbis Apostoli:

Debitor factus est (nobis Deus) *non aliquid à nobis accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit, promittendo*. Et illud ejusdem in Psal. 83. *Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo*. Hinc illud S. Fulgentii in prologo librorum ad Monimum : *Sua largitate dignatus est* (Deus) *se facere debitorem*. Hinc S. Celestinus in epist. ad Gallos, cap. 12. dicit tantam esse Dei erga nos misericordiam, *ut nostra voluerit esse merita, quæ sunt ipsius dona*. Hinc denique Tridentinum, sess. 6. cap. 16. monet justificatis *proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam*.

Obj. Si promissio Dei requiritur ad rationem meriti, multi justi per bona opera non meruerunt vitam æternam. Nam promissio non obligat, nisi facta acceptetur. At multi justi promissionem illam Dei non acceptarunt, nec acceptare potuerunt, cùm eam ignoraverint. Item merita per peccatum subsequens mortificata non reviviscunt. Item Christus apud Patrem meritus non est in rigore justitiæ. Item Christus antiquis patribus non meruit gratiam, quam habuerunt ; cùm illam acceperint ante adventum Christi, adeòque antequam de illa danda promissio fieret Christo, & ab eo acceptaretur. Atqui consequens absurdum est quoad omnes partes. Ergo, &c.

R. ad 1. Nullus unquam adultus justus fuit sine fide, qua creditur non solùm Deum existere, sed etiam eum vitam æternam bonis justorum operibus ut mercedem retribuere, ut patet ex Apostolo Hebr. cap. 11. dicente: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit* : adeòque nullus unquam adultus justus fuit, qui non cognosceret vel distinctè, vel saltem confusè promissionem à Deo factam de vita æterna, ut mercede bonis justorum operibus retribuenda. Quam promissionem adultus quilibet justus, re ipsa vitam æternam sperando, & ad eam consequendam bona opera exercendo, tacitè saltem, quod sufficit, acceptat.

R. ad 2. Promissio de æterna gloria bonis justorum operibus sub conditione simplicis in statu gratiæ decessus retribuenda sufficienter constat, sufficienter nota est fidelibus, & ab eis sufficienter acceptatur, hoc ipso quòd credunt Deum esse bonorum operum remuneratorem eo modo, quo ipse revelavit Ecclesiæ, & re ipsa bona opera eo modo, quo ipse Ecclesiæ revelavit, remuneraturum esse sperant, & ex tali spe bonis operibus consequendæ mercedis gratia incumbunt.

R. ad 3. Christus apud Patrem meritus est in rigore justitiæ, eo tantùm sensu quòd Patri obtulerit opera meritoria præmio mathematicè æqualia, & quanta ad præmium potuerunt justè exigi ; non verò eo sensu, quòd Patrem ad reddendum præmium obligarit, aut obligare potuerit independenter ab ejus libera promissione & ordinatione: potuit enim Deus Pater obsequia Christi non acceptare pro salute hominum, vel etiam ea tanqnam sibi debita, gratis repetere, & homines in æterna damnatione relinquere.

R. ad 4. Ad hoc ut Christus antiquis patribus gratiam meruerit, necessarium tantùm fuit, 1. ut Deus absolutè præviderit promissionem à se faciendam Christo, Christi acceptationem, & opera à Christo intuitu hujus promissionis à se acceptatæ exhibenda. 2. Ut propter hæc opera absolutè futura, & absolutè prævisa, gratiam velut mercedem anticipatam dederit. Quod omninò potuit fieri, quia non solùm meritum actu præsens, sed etiam meritum absolutè futurum, & absolutè prævisum, præsertim si sit prævisum infallibiliter, ad anticipandam mercedem efficaciter movere potest voluntatem remuneratoris.

Responsio II.

Ad meritum de condigno requiritur ex parte hominis status viatoris.

Ab omnibus sine controversia admittitur, & in Scriptura pluribus locis sufficienter exprimitur, ut Joan. c. 9. ubi Christus dicit: *Venit nox, quando nemo potest operari*. Ubi per noctem Christus mortem intelligit, post quam ait neminem operari posse meritoriè. Et Gal. c. 6. ubi Apostolus fideles ad opera meritoria adhortatur his verbis: *Dum tempus habemus, operemur bonum*, hoc est, dum hanc mortalem vitam vivimus, &c. Ratio à priori est voluntas Dei, qui hujus mortalis vitæ spatium nobis constituit ad operandam salutem nostram, illam bonis operibus promerendo.

Responsio III.

Ad meritum de condigno ex parte hominis, requiritur etiam ut sit justus, & filius Dei adoptivus.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Rom. cap. 8. Apostolus dicit: *Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Quibus verbis, cùm ait vitam æternam esse hæreditatem ad solos Dei filios pertinentem, manifestè significat solos Dei filios vitam æternam bonis operibus promereri posse. Item 1. Cor. c. 13. dicit idem Apostolus: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Itaque, juxta Apostolum, ipsummet martyrium ad vitam æternam promerendam inutile est non habenti charitatem, adeòque non existenti in statu amicitiæ & adoptionis divinæ. Quod autem de martyrio ait Apostolus, à fortiori intelligendum est de quolibet alio opere salutari. Denique Christus ipse sic loquitur Joan. c. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis*. Juxta Christum igitur, non possumus ferre fructus justitiæ, hoc est, opera vitæ æternæ meritoria exercere, nisi maneamus in ipso, per fidem scilicet, quæ per charitatem operatur, ut interpretantur Patres, adeòque si non sumus amici Dei, & filii ejus adoptivi.

Prob. 2. ex Patribus. Nam sic ait S. Augustinus, lib. de fide & operibus, c. 14. *Sequuntur* (nempe opera vitæ æternæ meritoria) *justificatum, non præcedunt justificandum*. Et S. Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum, c. 6. *Justificatus homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat & meritum*.

Prob. 3. ex Tridentino, sess. 6. cap. 16. ubi dicitur: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Juxta Tridentinum, filiis Dei adoptivis, & non aliis, vita æterna promissa est, eorumque, & non aliorum bonis operibus ac meritis tanquam merces retribuitur.

Prob. 4. authoritate summorum Pontificum, qui has Baii propositiones damnarunt: *Pelagii sententia est, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non esse regni cœlestis meritorium : sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum*. Ratio à priori est, quia, ut facilè intelligitur ex dictis Art. superioris ad Objectionem 4. opera bona sine operantis dignitate, quæ ex amici Dei & filii ejus adoptivi prærogativa oritur, nec habet, nec habere possunt in æstimatione prudenti æqualitatem cum mercede vitæ æternæ.

ARTICULUS IV.

Quid ad meritum de condigno requiritur ex parte operis.

Responsio. I.

AD meritum de condigno requiritur, ut sit actus à voluntate elicitus, aut saltem imperatus.

Prob. Nam meritum est actus voluntarius, qui fit in obsequium alterius, & habet ordinem ad retributionem. Atqui talis actus elicitur, aut saltem imperatur à voluntate. Ergo, &c. Minor per se patet. *Prob. maj.*

Quia

Quia mereri apud aliquem, non est aliud, quam eum per obsequium aliquod in ejus gratiam vel utilitatem exhibitum, sibi devincire, & ad mercedem retribuendam obligare.

Responsio II.

Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit liber non solùm à violenta, sed etiam à voluntaria necessitate.

Est de fide contra Jansenium, cujus doctrina hac propositione, *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*, contenta, ut hæretica damnata est ab Innocentio X. Accedit authoritas Patrum, quorum unum hic laudare juvat, Hyeronimum scilicet, ita loquentem, lib. 2. contra Jovinianum: *Nec ad vitia, nec ad virtutes necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est.*

Responsio III.

Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit moraliter bonus & honestus.

Prob. Quia 1. Scriptura non tribuit rationem meriti, nisi actibus honestis. 2. Tridentinum non alia opera vitæ æternæ meritoria agnoscit, præter opera hominis justificati in Deo facta. 3. Opera mala non mercedem sed pœnam merentur; indifferentia verò non magis mercede, quàm pœna digna sunt. 4. denique, ut opus aliquod sit apud Deum meritorium, debet habere erga illum rationem obsequii. Atqui hanc rationem erga illum habere non potest, nisi sit ei gratum & acceptum, quale profectò esse non potest, nisi sit bonum moraliter & honestum. Ergo, &c.

Responsio IV.

Ad meritum de condigno vitæ æternæ, requiritur denique, ut actus sit elicitus, vel saltem imperatus à charitate.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam 1. Cor. cap. 13. dicit Apostolus, fidem, & alias virtutes ad promerendam vitam æternam non prodesse absque charitate. *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Hic autem intelligit charitatem non solùm habitualem & quasi otiosam, sed operantem, eliciendo proprios actus, vel actus aliarum virtutum imperando, ut patet ex subsequentibus: loquens enim de charitate, sine qua se in ordine ad vitam æternam nihil esse dixit, sic prosequitur: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Et Gal. c. 5. hæc habet: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet* (in ordine ad promerendam vitam æternam,) *neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.* Fides autem operatur per charitatem, illam excitando, & per illam virtutes alias actus proprios movendo & applicando.

Hinc fideles adhortatur Apostolus, ut omnia sua opera faciant ex motivo charitatis. *Omnia vestra in charitate fiant.* 1. Cor. c. 16. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Eph. c. 4. *Ambuletis dignè Deo per omnia placentes; in omni opere bono sanctificantes.* Colos. c. 1. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. c. 10.

Prob. 2. ex S. Augustino. Nam, 1. lib. de grat. & lib. arb. c. 18. expresè asserit, sine charitate nihil bene fieri, hoc est, nihil fieri sicut oportet ad promerendam vitam æternam. *Hæc omnia*, inquit, *præcepta dilectionis, id est, charitatis, quæ tanta & talia sunt; ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene: hæc ergo præcepta, &c.* Nec juvat dicere, quòd hìc nomine charitatis, S. Doctor, præcisè intelligat amorem boni honesti quà talis. Nam ex contextu manifestum est S. Doctorem charitatem intelligere, qua Deus pro pter se, & proximus propter Deum diligitur.

2. Lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 15. affirmat omnem virtutem, qua vitam æternam promeremur, esse charitatem. *Quòd si virtus*, inquit, *ad beatam vitam nos ducit* (hoc est, quòd ea omnis & sola virtus dicenda est, qua vitam æternam promeremur) *nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Sic autem loquitur S. Doctor, non quòd putaverit unicum esse formale objectum virtutum omnium nempe, objectum formale charitatis; sed quia existimavit actus aliarum virtutum, quæ proprium habent motivum, & à charitatis motivo diversum, non esse æternæ gloriæ meritorios, sine actu charitatis, à quo imperentur.

Propter eandem rationem, eodem capite virtutes alias, temperantiam scilicet justitiam, fortitudinem & prudentiam, ait definiri posse per charitatem. *Illas quatuor*, inquit, *virtutes ... sic etiam definire non dubitem: ut temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur: fortitudo amor, facilè tolerans omnia propter quod amatur: justitia amor, soli amato serviens, & propterea rectè dominans: prudentia amor, ea quibus adjuvatur, ab eis à quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus ... Quare definire etiam sic licet: ut temperantiam dicamus esse amorem, Deo se integrum incorruptumque servantem: fortitudinem amorem, omnia propter Deum facilè perferentem: justitiam amorem, Deo tantùm servientem, & ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt: prudentiam amorem, bene discernentem ea, quibus adjuvetur in Deum, ab iis, quibus impediri potest.*

Juxta S. Doctorem igitur, in homine justo, ad æternam beatitudinem tendente, & sicut oportet ad eam promerendam operante in materia virtutum moralium, temperantia (idem dic de qualibet alia virtute morali) est veluti complexum ex charitate & ipsa temperantia, ex charitate quidem, ut imperante actum proprium temperantiæ, & ex ipsa temperantia, ut actum proprium ex motivo sibi proprio exercente ex imperio charitatis.

In doctrina S. Augustini, temperantia, quatenùs per eam actus æternæ beatitudinis meritorii exercentur (idem dic de qualibet alia virtute morali sub eadem consideratione) duplex habet motivum, intrinsecum scilicet & extrinsecum. Motivum intrinsecum temperantiæ, quod & ipsi proprium est, est honestas illa specialis, propter quam actus sibi proprios exercet: ejus verò motivum extrinsecum, quòd & illi commune est cum omnibus aliis virtutibus moralibus, est divina bonitas, propter quam actus sibi proprios exercent ex affectu specialis illius honestatis, quàm per se & intrinsecè spectat.

Temperantia spectata præcisè secundùm motivum intrinsecum, est præcisè temperantia, hoc est, specialis illa virtus moralis, quæ specialem honestatem, in moderati cibi & potus sumptione relucentem, intrinsecè spectat. Sumpta præcisè secundùm motivum extrinsecum, est præcisè charitas, seu virtus illa theologica, qua Deus propter se diligitur, & qua ad Deum propter se dilectum actus temperantiæ proprius refertur. Sumpta denique secundùm utrumque motivum, est temperantia, & charitas, vel, si vis, est totum quoddam morale, ex virtute speciali temperantiæ & charitate resultans, in quo toto temperantia se habet ad modum partis materialis, charitas verò ad modum partis formalis, quia in illo toto charitas format & perficit temperantiam, actum ejus ordinando ad Deum propter se amatum, illumque hac ordinatione elevando ad esse actus meritorii æternæ beatitudinis.

Virtutum moralium, quatenùs scilicet ad æternam beatitudinem promerendam valent, motivum extrinsecum unum & idem est, nempe motivum charitatis: unde spectatæ secundùm motivum extrinsecum, sunt una & eadem virtus, nempe charitas Hoc dicit S. Augustinus, cùm ait: *Si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Motivum verò intrinsecum non unum est, sed multiplex, & totuplex, quotuplex est specialis honestas, ex cujus affectu homo

potest operari, sive propter illam operetur ex imperio & applicatione charitatis, sive non. Unde virtutes morales, etiam cùm per illas exercentur actus meritorii æternæ beatudinis, spectatæ secundùm motivum intrinsecum, non sunt una & eadem virtus, sed virtutes distinctæ & diversæ non solùm ratione officiorum, circa quæ occupantur, & quorum diversitas materialem tantùm facere potest virtutum diversitatem, sed etiam ratione honestatis, quam intrinsecè spectant, & ex cujus diversitate non potest non oriri formalis virtutum diversitas, proindeque & distinctio ac multiplicitas formalis virtutum. Hanc virtutum multiplicitatem manifestè agnoscit S. Doctor, lib. de moribus Ecclesiæ, ubi postquam cap. 15. virtutes cardinales definivit per amorem Dei, statim sic prosequitur, cap. 16. *Hisdem singulis virtutibus quinam vivendi modus ducatur, paucis explicabo, si prius, &c.*

Prob. 3. *resp.* ex S. Thoma, qui doctrinam nostram expressè tradit, 1. 1. 2. qu. 114. a. 4. ubi sic loquitur in O. *Motus humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate. Et ideò meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes secundariò, secundum quod earum actus à charitate imperantur.* Et in resp. ad 3. *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur ... similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur.*

2. 2. 2. q. 124. a. 2. ad 3. ubi hæc habet: *Ad actum martyrii inclinat quidem charitas, sicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est, quòd martyrium est actus charitatis, ut imperantis; fortitudinis autem, ut elicientis ... Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex charitate* (imperante scilicet) *& quilibet virtutis actus: & ideò sine charitate* (imperante) *non valet* (ad vitam æternam promerendam.) Et quæst. 2. in O. *Omnis actus humanus, qui subjicitur libero arbitrio, si sit relatus in Deum potest meritorius esse.*

Prob. 4. ratione duplici. Nam 1. ut opera justorum sint meritoria apud Deum, requiritur ut fiant in obsequium Dei. Atqui non fiunt in obsequium Dei, nisi ex affectu placendi illi fiant, adeòque nisi fiant aut imperentur à charitate. Ergo, &c. 2. Justi vitam æternam mereri non possunt, nisi per actus illos, quibus Deus proposuit & promisit vitam æternam ut mercedem. Atqui Deus proposuit & promisit vitam æternam ut mercedem illis tantùm actibus, qui fierent aut imperarentur à charitate. Ergo, &c.

Major patet ex dictis Art. superiore. Minor verò sufficienter colligitur ex Scriptura variis locis. Sit hic unus aut alter pro omnibus. Itaque 1. Cor. c. 2. dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Et Jacobi epist. cap. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Obj. 1. Scriptura variis locis promittit vitam æternam bonis operibus sine conditione operandi formaliter ex charitate. *R.* neg. In locis enim Scripturæ, in quibus nulla fit expressa mentio hujus conditionis, hæc conditio necessariò subintelligenda est: sicut necessariò subintelligenda est conditio operandi ex fide, & subintelligendus est status justitiæ & adoptionis divinæ in operante. Addo conditionem operandi formaliter ex charitate expressè asserit in Scriptura, ut Matth. cap. 19. ubi Christus ait: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et Marci, cap. 9. ubi etiam dicit Christus: *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo ... amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quid enim est, opus aliquod bonum facere propter nomen, in nomine Christi, nisi illud facere ex affectu placendi Christo?

Obj. 2. Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 16. ad meritum de condigno tres tantùm conditiones requirit, videlicet ut opera sint bona, ut fiant à justis ex influxu gratiæ, & ut fiant in Deo. *R. breviter*, opera bona non fieri in Deo, nisi procedant à charitate, vel ut eliciente, vel saltem ut imperante; adeòque cùm Synodus ad meritum de condigno requirit, ut opera bona fiant in Deo, implicitè requirit, ut à charitate eliciantur, vel saltem imperentur. Unde cùm eadem Synodus ait, cap. 10. justificatos crescere, & magis justificari per observationem mandatorum Dei, fide cooperante bonis operibus, hoc dicit, salvo charitatis influxu, ut non contradicat Apostolo dicenti Gal. cap. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.*

Obj. 3. Supposita veritate doctrinæ nostræ, aliæ virtutes præter charitatem nihil habent meriti vitæ æternæ. Item innumera sunt bona opera inutilia apud Deum. *R. ad* 1. neg. Licèt enim nulla alia virtus per se solam, & secluso actu charitatis, meritum vitæ æternæ habeat; omnes cum actu charitatis illas ad operandum applicantem, vim habent merendi vitam æternam, & re ipsa in homine justo merentur secundùm bonitatis suæ gradum, secundùm quem Deo gratæ sunt & amabiles.

R. ad 2. etiam neg. Quamvis enim aliarum virtutum actus sine actu charitatis non sint meritorii vitæ æternæ, non idcircò sine actu charitatis sunt inutiles: valent enim per se ad vitanda peccata, ad servanda mandata divina, ad augendos habitus virtutum acquisitarum, ad impetrandas gratias, &c. Præterea, videtur intolerabile quod hìc supponitur, nempe à justis hominibus innumera deliberatè fieri bona opera sine ullo affectu Deo per illa placendi. Hoc enim planè videtur falsum, & contrarium experientiæ, qua docemur homines, qui vitam verè christianam agunt, vix unquam virtutes christianas, qua tales, exercere, nisi ut Deo placeant, eique se commendent. Et verò justi opera verè christiana exercere non possunt sine instinctu Spiritus Sancti, quem illos ut plurimùm ad operandum propter solam honestatem virtutis, in cujus materia operantur, rarò verò ad operandum etiam quia honestas illa Deo grata est & amabilis, efficaciter movere, nunquam crediderim.

Huc pertinet illud Apostoli Rom. cap. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Juxta Apostolum, qui in agendo sequuntur instinctum Spiritus Sancti, ii sunt filii Dei, hoc est, agunt, ut Dei filios decet, & agunt ut decet filios Dei, quia bonum agunt, ut placeant Deo, & quia Deum diligunt: Spiritus enim Sanctus, ut agamus, agit nos per charitatem, quam diffundit in cordibus nostris. Unde subjicit Apostolus: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo* (filiali affectu, & præ amoris teneritudine) *clamamus: Abba, pater.*

Obj. 4. In homine justo actus virtutum moralium infusarum habent secundùm se, & præciso actu charitatis, à quo imperentur, sufficientem proportionem cum vita æterna ut mercede. Ergo etiamsi non imperentur à charitate, vim habent merendi, & re ipsa merentur vitam æternam. *R.* 1. neg. cons. Nam etiam dato, quòd actus illi secundùm se proportionem habeant cum vita æterna ut mercede, tamen adhuc ad hoc ut illam merendi vim habeant & re ipsa mereantur, requiritur promissio illius ut mercedis retribuendæ, à Deo facta. Hanc autem promissionem non habent, nisi fiant in obsequium Dei, nec fiunt in obsequium Dei, nisi imperentur à charitate.

R. 2. neg. ant. Nam ut actus illi proportionem habeant cum vita æterna ut mercede, requiritur moralis æqualitas, quam nec habent, nec habere possunt sine charitatis actu, à quo imperentur; tum quia hæc æqualitas pendet ex parte à dignitate personæ Christi,

pro-

propter quem Deus bonis operibus vitam æternam ut mercedem proponit & promittit; tum quia hæc æqualitas requirit in actu meritorio aliquem excellentiæ gradum, quem actus virtutum moralium etiam infusarum non habent secundùm se, & quem accipiunt à charitate, cùm ab ea imperantur. Unde cùm imperantur à charitate, & actu ad Deum ordinantur, dicuntur ab ea formari & perfici, in ordine scilicet ad promerendam vitam æternam, ut docet sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 4. art. 3. Sine hac autem actuali ad Deum ordinatione, per charitatem facta, actus aliarum virtutum sunt informes & imperfecti, hoc est, ad mercedem vitæ æternæ promerendam insufficientes.

ARTICULUS V.

Utrùm actus imperatus addat aliquid ad meritum actus imperantis.

NOta. Actus imperati à voluntate alii sunt interni, & alii externi. Interni sunt actus ipsiusmet voluntatis, quæ per unum actum sibimet imperare potest alium, sive, quod idem est, se ipsam per unum actum excitare & applicare ad exercendum alium. Externi sunt actus aliarum potentiarum, videlicet intellectus, sensuum internorum & externorum, potentiæ motricis, seu externorum membrorum.

Nota iterùm. Actus interni imperati, ab externis imperatis differunt. 1. In eo quòd sint per se & intrinsecè voluntarii: quia à voluntate eliciuntur, nec nisi à voluntate elici possunt: externi verò non sunt voluntarii, nisi mediatè & extrinsecè, per denominationem scilicet extrinsecam, petitam ab actu voluntatis, à quo voluntariè imperantur. 2. In eo quòd possint esse immediatè liberi, & sint, si à voluntate exerceantur sine antecedenti ad unum prædeterminatione, orta sive à Deo, sive ab ipsa voluntate: externi verò non sunt nisi mediatè & extrinsecè liberi: eatenùs enim possunt esse liberi, & sunt, quatenùs imperari possunt, & imperantur ab actu libero voluntatis, quæ cùm sola sit actum suorum domina, sola potest per se & immediatè liberè agere.

Responsio I.

Actus internus per se & intrinsecè bonus, & liberè elicitus, addit aliquid ad meritum actus imperantis; ita ut ex utroque existat majus meritum, quàm ex solo imperante.

Prob. Nam v. gr. actus misericordiæ, liberè elicitus, addit aliquid ad meritum actus charitatis, à quo imperatur: ita ut homo plus mereatur per actum misericordiæ & charitatis simul, quàm per solum actum charitatis. Ergo, &c.

Prob. ant. Nam actus misericordiæ, liberè elicitus, & à charitate imperatus, habet propriam bonitatem formalem, & moralem laudabilitatem, distinctam à bonitate formali, & morali laudabilitate actus charitatis, ipsum imperantis. Ergo & habet propriam & distinctam rationem meriti.

Prob. conseq. Nam si non habet, certè quia deest ei aliquid, ad hoc requisitum. Atqui hoc dici non potest: nam, ut supponitur, fit ab homine justo, fit ex instinctu Spiritus Sancti, fit liberè, fit ex imperio charitatis, & ad ejus finem refertur, habet promissionem vitæ æternæ ut mercedis: Deus enim non solis actibus charitatis, sed generaliter omnibus omninò operibus bonis ab homine justo liberè factis in Deo, proposuit & promisit vitam æternam, ut mercedem eis, si fiant, retribuendam, ut docet Trident. sess. 6. cap. 16. Ergo in suppositione facta, actus misericordiæ habet propriam & distinctam rationem meriti. Ergo, &c.

Confirm. Resp. Quod facit aliquid melius formaliter, & moraliter laudabilius, facit aliquid majus in ratione meriti. Atqui complexum ex actu misericordiæ & actu charitatis ipsum imperante, facit aliquid melius formaliter, & moraliter laudabilius, quàm solus actus charitatis; cùm uterque actus propriam & distinctam habeat formalem bonitatem & laudabilitatem moralem. Ergo, &c.

Dixi autem, 1. per se & intrinsecè bonus: nam si actus voluntatis imperatus solùm extrinsecè bonus est, hoc est, solùm bonus est ratione actus imperantis, & boni finis extrinseci, ad quem per actum imperantem refertur, cum actu imperante non facit aliquid majus in ratione meriti, quàm solus actus imperans. Ratio est, quia nec habet, nec habere potest propriam & distinctam rationem meriti; cùm non habeat honestatem propriam, & distinctam ab honestate actus imperantis.

Dixi, 2. liberè elicitus: quia ut Art. superiore ostensum est, libertas actus est conditio ad meritum necessariò requisita. Unde actus voluntatis imperatus non potest habere rationem meriti propriam, & distinctam à meriti ratione, quæ propria est actus imperantis, nisi habeat libertatem propriam, & distinctam ab actus imperantis libertate. Itaque ut actus internus imperatus, etiam per se & intrinsecè bonus, addat aliquid ad meritum actus imperantis, necesse est ut eliciatur liberè, quod fieri potest duobus modis. 1. Si imperetur tantùm in futurum: nam tunc voluntas propositum suum mutare potest, & sic ab actu, quem sibi imperavit, abstinere. 2. Si imperetur in præsens, sed ita ut voluntas imperio suo reluctari possit, quod reverà potest voluntas, quoties imperat sibi, non despoticè, sed per modum suasionis.

Responsio II.

Actus externus imperatus, actui interno, à quo imperatur, non addit novam rationem meriti.

Prob. Nam posito actu imperante, naturali necessitate sequitur actus externus imperatus. Ergo in productione actus externi imperati nulla nova exercetur libertas. Ergo actus externus imperatus non habet libertatem sibi propriam, & distinctam à libertate actus imperantis. Ergo non habet propriam & distinctam bonitatem formalem, & moralem laudabilitatem. Ergo non habet propriam & distinctam rationem meriti, adeòque nec addit, nec addere potest novam meriti rationem actui interno, à quo imperatur.

Hinc vulgatum illud axioma: *Voluntas pro facto reputatur*, quod apud Deum verissimum est de voluntate perfecta & absolutè efficaci, ex qua proinde naturali necessitate sequeretur actus externus, nisi impediretur ab aliquo potentiori. Ratio est, quia hæc voluntas tantum habet libertatis & bonitatis formalis, proindeque & moralis æstimabilitatis, quantum esset in ipsa & actu externo simul.

Obj. 1. Compositum ex actu interno imperante, & externo imperato, facit aliquid majus in ratione obsequii erga Deum, quàm solus actus internus imperans. Ergo facit etiam aliquid majus in ratione meriti. *Resp.* Esto ant. neg. conseq. Ratio negandi est, quia apud Deum obsequium non est meritum, nisi sit liberum, & formaliter bonum. Unde ut obsequium ex parte operis crescat apud Deum in ratione meriti, requiritur ut crescat in ratione liberi & boni formaliter. Obsequium autem Deo exhibitum, non sic crescit per actum externum, qui novum libertatis exercitium, & novam ac propriam bonitatem formalem non superaddit actui interno, nec est liber & bonus formaliter, nisi extrinsecè per libertatem & bonitatem formalem actus interni.

Obj. 2. Actus externus cum interno est magis satisfactorius, quàm solus internus. Ergo est etiam magis meritorius. *Resp.* neg. cons. Disparitas est, quòd satisfactio pro peccatis in eo consistat, quòd tantum pœnæ sive internæ sive externæ subeatur voluntariè quantum merentur peccata. Unde magis satisfacit qui pœnam internam & externam simul tolerat, quàm qui tolerat solam internam. At meritum consistit

fistit in eo, quòd jus acquiratur ad præmium à Deo propositum & promissum, quod non fit, nisi liberè præstando obsequium Deo, & liberè propter ipsum bene operando. Unde ubi est æqualis libertas & bonitas formalis, ibi est æquale meritum ex parte operis apud Deum; nec ex parte operis apud Deum crescere potest meritum, nisi crescant libertas & bonitas formalis.

Aliud est apud homines: nam apud illos meritum, sicut & demeritum, majus vel minus judicatur secundùm actus externos. Ratio est, quia homines non judicant de actibus internis, sed de externis tantùm, vel certè non judicant de actibus internis, nisi per externos, sine quibus ex internis nullam utilitatem, nullum incommodum, nullam voluptatem, nullam molestiam percipere possunt. Unde mirum non est, quòd homines meritum vel demeritum maximè attendant secundùm actus externos.

Obj. 3. Scriptura pluribus locis promittit mercedem ipsis operibus externis. Ergo tribuit illis rationem meriti. *Resp.* Scripturam mercedem promittere actibus externis, ut conjunctis cum internis, quibuscum constituunt unum moraliter actum, meritorium ratione solius interni, sive, quod eodem redit, meritorium ratione libertatis & bonitatis formalis, quam habet actus internus, & quæ ab actu externo per extrinsecam denominationem participatur.

ARTICULUS VI.

Unde habeant opera justorum, ut sint magis meritoria.

CErtum est opera justorum, quæ conditiones omnes ad merendum necessarias habent, eò magis meritoria esse, quò perfectiora sunt vel specificè, vel intensivè, vel extensivè, aut quò plura & plura fiunt. Sed quæritur utrùm sint magis meritoria propter majorem gratiam sanctificantem, vel propter majorem durationem, vel propter majorem operandi difficultatem.

Responsio I.

Meritum crescit ratione majoris gratiæ sanctificantis, in operante præexistentis.

Prob. Crescente circumstantia considerabili in opere, crescit operis æstimabilitas, ut patet ex terminis. Atqui dignitas personæ operantis est circumstantia considerabilis in opere meritorio, ut etiam per se clarum est. Ergo crescente dignitate personæ operantis; crescit æstimabilitas operis meritorii. Atqui dignitas personæ operantis crescit per majorem gratiam sanctificantem. Ergo per majorem gratiam sanctificantem crescit æstimabilitas operis meritorii, adeòque crescit meritum; cùm eò majus sit meritum, quo opus meritorium æstimabilius est.

Dixi autem, in operante præexistentis, tempore scilicet vel natura: nam gratia subsequens tempore, vel natura opus meritorium, ac proinde data in præmium operis meritorii, non potest augere meritum ejus: meritum enim operis est dignitas ejus ad mercedem. At dignitas operis ad mercedem, mercedem præcedit: nam hæc dignitas habet se ad modum causæ moralis, remuneratorem ad mercedem retribuendam moventis ac determinantis. Ergo meritum operis præcedit mercedem, adeòque præcedit gratiam in præmium illius datam, à qua proinde independens est. Ergo meritum operis augeri non potest per gratiam, quæ illud tempore vel natura subsequitur, & in ejus præmium datur.

Obj. Ut dicitur Matth. cap. 16. Deus reddet unicuique secundùm opera ejus. Atqui hoc verum non est, si Deus remuneret opus æquale majori præmio propter majorem gratiam sanctificantem. Ergo, &c. *R.* Deum redditurum unicuique secundùm opera ejus, considerata non solùm secundùm propriam & intrinsecam excellentiam; sed etiam secundùm omnes alias circumstantias, quæ ad majorem illorum æstimabilitatem conferunt, & quarum una est dignitas personæ operantis, orta ex gratia sanctificante, ut probatum est.

Responsio II.

Meritum crescit ex circumstantia durationis: ita ut opus bonum eò magis meritorium sit, quò diutiùs continuatur.

Prob. Nam secundùm prudens judicium, circumstantia durationis considerabilis est in opere bono in ordine ad præmium retribuendum, sicut & in opere malo in ordine ad pœnam infligendam. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ver. gr. qui diu perseverat in actuali amore Dei, melius & laudabiliùs agit, quàm qui obiter tantùm hunc actum exercet. Item qui diu perseverat in actuali odio Dei, pejus & vituperabiliùs agit, quàm qui citò hunc actum deponit. Sed qui meliùs & laudabiliùs agit, dignus est majori præmio. Item qui pejùs & vituperabiliùs agit, dignus est graviori pœna. Ergo, &c.

Obj. Si meritum crescit ex circumstantia durationis, crescit in infinitum. Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam quantumcumque continuetur opus meritorium, nunquam durat nisi tempore determinato & finito. Tempus autem finitum non potest dare nisi augumentum finitum. Ergo quantumcumque continuetur opus meritorium, non potest nisi finitè crescere in ratione meriti.

Probabis tamen seq. maj. Tempore finito, quo durat actus meritorius, produci possunt alii actus meritorii plures & plures in infinitum, quibus actus ille æquivalebit in ratione meriti. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. Nam tempore finito non possunt produci actus, nisi numero finito. Ratio est, quia omnis actus essentialiter durat parte aliqua temporis determinatæ & aliquota. Partes autem determinatæ & aliquotæ in tempore finito non sunt nisi finito numero.

Responsio III.

Difficultas in operando non auget per se meritum operis.

Prob. Illud non auget per se meritum operis, quod non est circumstantia per se considerabilis in opere meritorio, quà tali. Atqui difficultas in operando, undecumque proveniat, sive ex natura operis, sive ex natura operantis, vel dispositione ejus vitiosa aut non vitiosa, non est circumstantia per se considerabilis in opere meritorio, quà tali: difficultas enim in operando neque personam operantem, neque ipsum opus in æstimatione prudenti per se dignificat. Ergo, &c.

Dixi autem in Resp. *per se*: difficultas enim in operando meritum operis augere potest per accidens, quia potest esse occasio, cur actus sit perfectior, voluntate scilicet, vel cum majori appretiatione, vel cum majori intensione sese in actum impendente, aut in eo diutiùs perseverante. Sicut autem difficultas in operando augere potest meritum operis per modum occasionis, ita & per modum occasionis potest illud minuere, quatenùs potest esse occasio, cur actus non sit tam bonus & perfectus moraliter, quàm esset; aut non tandiu continuetur, quandiu continuaretur, si non esset in operando difficultas. Porrò hoc modo per difficultatem in operando meritum operis minui sæpiùs contingit, quàm augeri: cùm è contra per operandi facilitatem regulariter contingat meritum operis potiùs augeri, quàm minui: operandi enim facilitas regulariter facit, ut actus sit intensior, diuturnior & constantior, quàm esset cum operandi difficultate.

AR-

ARTICULUS VII.

Quid adulti possint vel non possint mereri.

Responsio I.

ADulti, qui justificantur, non merentur de condigno primam gratiam actualem, imò nequidem merentur de congruo.

Prob. 1. *pars*. Nam 1. sic loquitur Apostolus, Rom. cap. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Et cap. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*. His autem locis Apostolus, interprete S. Augustino cùm aliis Patribus, qui contra Pelagianos & Semipelagianos scripserunt, loquitur de gratia actuali, quæ nostræ justificationis exordium est, quatenùs per eam prævenimur à Deo, & vocamur ad exercendos actus salutares, quibus disponimur ad accipiendum justificationis beneficium. Atqui hujus gratiæ collationem nullum de condigno meritum supponere, saltem asserit Apostolus. Ergo, &c.

2. Cùm Augustinus, & alii Patres qui post eum scripserunt, contra Pelagianos & Semipelagianos contendunt gratiam, qua efficienter justificamur, non secundùm merita nostra dari, saltem intelligunt merita, quibus de condigno meremur mercedem aliquam. Atqui gratia, qua efficienter justificamur, est prima actualis gratia. Ergo, &c.

3. Synodus Arausicana II. sic ait cap. 18. *Debetur merces bonis operibus; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant*. Hìc Synodus loquitur saltem de prima gratia actuali, & dicit eam non deberi. Atqui deberetur nobis, si eam de condigno mereremur. Ergo, &c.

4. Synodus Tridentina, sess. 6. cap. 5. *Declarat ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, &c.* At si nulla præexistunt merita in adultis peccatoribus, cùm primam actualem gratiam accipiunt, quomodo eam de condigno mereri possunt?

Prob. 2. *pars*. Quia 1. Apostolus asserit primam gratiam actualem dari à Deo independenter ab omni opere bono præcedente, adeòque tam meritum de congruo, quàm meritum de condigno excludit.

2. Cùm Patres contra Pelagianos & Semipelagianos asserunt primam gratiam actualem non dari secundùm merita nostra, tam intelligunt merita de congruo, quàm merita de condigno. At verò Semipelagiani nunquam dixerunt, fidem, & alia bonorum operum initia, ex solis naturæ & arbitrii viribus profecta, esse de condigno meritoria, sed ad summum de congruo meritoria esse voluerunt. Ergo Patres contra eos disputantes vel nihil egerunt, vel à primæ gratiæ actualis collatione meritum quodlibet, etiam improprium & de congruo tantùm, removendum esse probaverunt.

3. Cùm Tridentinum asserit adultos peccatores actualem gratiam, quacum ad justificationem sese præparare possint, accipere nullis præcedentibus suis meritis, manifestè removet meritum etiam de congruo tantùm. Nam qui dicit nulla merita, omnia negat; & qui omnia negat, merita etiam de congruo excludit.

4. Si adultus peccator potest de congruo mereri primam gratiam actualem, quacum sese disponit ad justificationem, certè per opera moraliter bona, ad quæ sufficiunt solæ arbitrii vires. Atqui hoc dici non potest: alioqui est ex operibus, & sic gratia non est gratia. Item homo habet aliqua opera ad salutem conducentia, quæ non accepit à gratia, contra illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti?* Item homo sine gratiæ auxilio se ipsum discernit, contra illud Apostoli: *Quis te discernit?* Item homo gloriari potest de bono arbitrii sui usu, contra illud Apostoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*.

5. Denique, si prima gratia actualis, qua adultus congruè vocatur ad fidem, cadit sub meritum etiam de congruo tantùm, dabitur ex parte hominum ratio, cur unus moveatur efficaciter ad credendum, alter verò non moveatur. Atqui hoc apertè repugnat Apostolo dicenti, Rom. cap. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei .... Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Et c. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, &c.* In quæ verba ita disserit S. Augustinus epist. 105. ad Sixtum: *Cur autem ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident: altitudo est divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia, & apud quem non est iniquitas, dum cujus vult miseretur, & quem vult obdurat*. Ex quibus apertè colligitur, actualis, qua ad fidem convertitur adultus, gratiæ collationi, nullum opus bonum, ex solis naturæ viribus factum, præire etiam per modum meræ conditionis sine qua non.

Responsio II.

Adulti, qui justificantur, non merentur de condigno primam gratiam sanctificantem, sed merentur eam de congruo.

Prob. 1. *pars*. 1. Ex Apostolo, Rom. cap. 3. dicente: *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Unde sic argumentor. Si adultus, qui justificatur, meretur de condigno primam gratiam sanctificantem, non justificatur gratis. Cons. repugnat Apostolo. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Si adultus, qui justificatur, meretur de condigno primam gratiam sanctificantem, meretur de condigno causam formalem suæ justificationis. Sed qui meretur de condigno causam formalem suæ justificationis, non justificatur gratis: meretur enim de condigno suam justificationem. Ergo, &c. Hinc non possumus non assentiri iis, qui dicunt hanc partem nostræ assertionis esse de fide.

2. Ex S. Augustino in epist. 105. ad Sixtum, ubi sic ait: *Nullane sunt merita justorum? Sunt planè, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Justi enim facti sunt, cùm justificati sunt: sed, sicut dicit Apostolus*, justificati gratis per gratiam ipsius. Et ex Trident. sess. 6. cap. 8. ubi hæc leguntur: *Gratis autem justificati ideo dicamur: quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur*. Manifestum autem est S. Augustinum, & Synodum Tridentinam saltem loqui de merito propriè dicto, & de condigno. Ergo ex S. Doctore, & Tridentina Synodo, adultus qui justificatur, non meretur de condigno suam justificationem, adeòque nec primam gratiam sanctificantem, quæ est causa formalis illius.

3. Ratione. Nam si adultus, qui justificatur, meretur de condigno primam gratiam sanctificantem, certè sic meretur illam per actus salutares, quibus sese disponit ad accipiendum justificationis beneficium; adeòque actus illi habent condignitatem ad gratiam illam, hoc est, moralem cum illa ut mercede æqualitatem, vi cujus in illam ut mercedem, suppositâ promissione divina, jus justitiæ acquirit adultus, qui justificatur. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c.

Prob. min. Nam si actus salutares adulti sese ad justificationem disponentis, habent condignitatem ad primam gratiam sanctificantem, accipiunt illam saltem ex parte à dignitate, quam operans habet ut justus, amicus Dei, & filius ejus adoptivus; adeòque accipiunt illam saltem ex parte ab ipsa prima gratia sanctificante, à qua operans habet, ut sit justus, amicus Dei, & filius ejus adoptivus. Absurdum cons. Nam si actus salutares adulti sese ad justifica-

stificationem disponentis, condignitatem ad primam gratiam sanctificantem accipiunt ab ipsa prima gratia sanctificante, meritum condignitatem ad præmium accipiet ab ipso præmio; quod est absurdum: præmium enim non facit, sed supponit dignitatem & æstimabilitatem operis, cujus est præmium: cùm opus per suam dignitatem, & æstimabilitatem ad dandum præmium moveat præmiantem. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Ex S. Augustino in epist. 105. ad Sixtum: *Sed nec ipsa*, inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei*, quæ scilicet in adulto peccatore, sese ad justificationem disponente, per alios subsequentes actus salutares, ac imprimis per contritionis actum operatur. Atqui fides, cum aliis operibus salutaribus, quæ illam subsequuntur, non potest impetrare remissionem peccatorum, nisi impetrando primam gratiam sanctificantem, sine qua ut causa formali justificationis, peccata non condonantur. Ergo, &c.

2. Ex Tridentino Concilio, sess. 14. cap. 4. ubi dicitur: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. Quibus verbis æquivalenter dicitur, per contritionis motum, modò cætera, quæ requiruntur, omnia adsint, veniam peccatorum, adeòque primam gratiam sanctificantem, sine qua venia illa non datur, impetrari; sine contritionis motu, etiamsi adsint cætera omnia, quæ requiruntur, non impetrari.

3. Meritum de congruo dicitur illud, quod vim habet ex decentia quadam inducendi Deum ad dandum aliquid. Atqui actus salutares, quibus adultus ad justificationem disponitur, vim habent ex decentia inducendi Deum ad dandam primam gratiam sanctificantem: sunt enim honesti, liberè facti ex instinctu Spiritus S. & interioris gratiæ adjutorio, adeòque supernaturales, & ejusdem ordinis cum prima gratia sanctificante. Ergo, &c.

Responsio III.

Adultus, qui justificatur, non meretur de condigno primam gloriam.

Prob. 1. Nam si adultus, qui justificatur, meretur de condigno primam gloriam, certè per actus salutares, quibus disponitur ad recipiendam primam gratiam sanctificantem, cui respondet prima gloria. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ut actus salutares mereantur de condigno gloriam, requiritur ut fiant ab homine, tempore, aut saltem natura priùs justo, amico Dei, & filio ejus adoptivo, quàm fiant. Atqui actus salutares, quibus adultus disponitur ad recipiendam primam gratiam sanctificantem, cui respondet prima gloria, non fiunt ab homine, tempore aut natura priùs justo, &c. Fiunt enim ab homine non solùm natura, sed tempore priùs peccatore, quàm fiant. Ergo, &c.

Prob. maj. Ex S. Augustino loco supra laudato, ubi dicit: *Nullane sunt merita justorum? Sunt planè, quia justi sunt.* Ergo, juxta S. Doctorem, priùs est hominem esse justum, quàm exercere posse opera de condigno meritoria. Idem apertè significat Tridentinum sess. 6. cap. 10. cùm ait: *Nihil ipsis justificatis ampliùs deesse* (pondera hanc vocem, ampliùs) *credendum est, quominùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta .... & vitam æternam .... verè promeruisse censeantur*. Juxta Synodi doctrinam, non qui justificatur, sed qui justificatus est, adeòque qui justus est, non in fieri, sed in facto esse, ei nihil deest ampliùs, ad hoc ut verè vitam æternam promereri possit operibus in Deo factis. Ex quo apertè colligitur, operibus in Deo factis, ad vitam æternam verè promerendam defuturum aliquid, si non præcederet status justitiæ.

Prob. 2. Actus salutares, quibus adultus ad justificationem disponitur, non sunt meritorii de condigno primæ gloriæ. Ergo, &c. Conseq. patet. *Prob. ant.* Si actus illi sunt de condigno meritorii primæ gloriæ, certè quia, ut volunt adversarii, crescit eorum dignitas & æstimabilitas ex præsentia primæ gratiæ sanctificantis, cui respondet prima gloria. Atqui hoc est falsum. Ergo, &c.

Prob. min. Dignitas seu æstimabilitas meriti non crescit ex solutione mercedis: alioqui solutio mercedis augeret debitum; cùm è contra per mercedis solutionem debitum extinguatur, aut saltem minuatur. Atqui prima gratia sanctificans, cui respondet prima gloria, actibus, quibus adultus ad justificationem disponitur, ut meritis de congruo redditur per modum mercedis, non quidem ex justitia propter defectum moralis æqualitatis, sed tantùm ex fidelitate debitæ. Ergo, &c.

Nec dic, quòd prima gratia sanctificans sit tantùm merces impropriè & latè dicta actuum, quibus adultus ad justificationem disponitur. Nam si repugnat æstimabilitatem operis crescere per mercedem propriè & strictè dictam, multò magis repugnat crescere per mercedem, quæ impropriè tantùm & latè merces est: quia si repugnat debitum crescere per mercedis propriè & strictè dictæ solutionem, multò magis repugnat crescere per solutionem mercedis, quæ impropriè tantùm & latè merces est; cùm hæc sit minùs debita, quàm altera: est enim debita tantùm ex fidelitate; altera verò non ex fidelitate solùm, sed etiam ex justitia: item cùm hæc excedat æstimabilitatem operis, cui redditur, altera verò non excedat.

Obj. 1. Scriptura & Patres absolutè affirmant justos mereri vitam æternam. *Resp.* Scripturam & Patres loqui indefinitè, cùm dicunt justos gloriam æternam mereri. Unde Theologis examinandum relinquitur, utrùm justi de condigno mereantur etiam primam gloriam, an verò tantùm augmentum gloriæ. Eos autem non primam gloriam, sed tantùm gloriæ augmentum de condigno mereri, nobis videtur probabilius.

Obj. 2. Tridentinum sess. 6. can. 32. aliter loquitur de gratia & gloria: nam de gratia solùm ait, justum mereri augmentum ejus; de gloria verò dicit, justum mereri vitam æternam, hoc est, gloriam, & augmentum gloriæ. *Resp.* Cùm Tridentinum ait justos mereri vitam æternam seu gloriam, indefinitè loquitur, & præscindendo à prima & secunda gloria. Cùm autem addit justos mereri augmentum gloriæ, non hoc facit, ut significet eos mereri etiam primum gloriæ gradum, primæ gratiæ sanctificanti correspondentem, sed ad confutandos hæreticos, negantes gloriam augeri per opera bona in statu justitiæ facta.

Obj. 3. Ex doctrina nostra sequitur adultum salvari posse sine operibus de condigno meritoriis vitæ æternæ. Hoc autem repugnat Scripturæ generatim asserenti, unumquemque adultorum mercedem accepturum esse secundùm opera sua. Ergo, &c. *Resp.* Majorem veram esse. Nam si adultus, infidelis v. g. statim post actum dilectionis Dei super omnia elicitum, & acceptum justificationis beneficium moriatur, salvabitur sine meritis de condigno. Scripturæ autem asserentis unumquemque mercedem accepturum esse secundùm opera sua, sensus est, quòd illi omnes, qui bona merita habent, mercedem accepturi sint bonis suis meritis proportionatam: sicut qui mala merita habent, pœnam accepturi sunt proportionatam & debitam malis eorum meritis.

Responsio IV.

Perseverantia finalis non cadit sub meritum de condigno, imò nec sub meritum de congruo, quod effectum suum infallibiliter obtineat.

Prob. utraque pars 1. Ex Apostolo Philipp. c. 2: *Cum metu*, inquit, *& tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Quibus verbis apertè declarat Apostolus, à puro Dei beneplacito pendere, ut justi usque in finem accipiant gratias actua-

actuales, quibuscum non solùm possint observare, sed etiam re ipsa observent mandata divina usque in finem, adeòque sub nullum meritum, cum effectu infallibiliter connexum, cadere gratias actuales efficaces, quibuscum usque in finem perseverant justi in statu justitiæ: unde jure merito salutem suam, incumbendo bonis operibus, operantur cum metu & tremore.

2. Ex S. Augustino lib. de bono perseverant. c. 8. *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur; inscrutabilia sunt judicia Dei.* At profectò in hoc non essent inscrutabilia Dei judicia, si perseverantia caderet sub meritum, etiam de congruo tantùm, sed infallibiliter connexum cum effectu: sicut non sunt inscrutabilia in eo, quòd unus adultus justificetur, alter verò non justificetur, quia justificatio adulti cadit sub meritum de congruo, per quod obtinetur infallibiliter. Unde quærenti quare unus adultus justificetur, & alter non justificetur, responderi potest, quia unus meretur justificationem, & alter non meretur, quia unus habet prærequisitam contritionem, & alter non habet.

Eodem libro cap. 13. sic loquitur: *Unde satis dilucide ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam eandemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem.* Quibus verbis S. Doctor omne omninò meritum, sive proprium, sive improprium, per quod perseverantia infallibiliter obtineatur, excludit.

3. Ex S. Thoma 1. 2. quæst. 114. art. 9. in O. ubi, 1. distinguit duplicem perseverantiam, videlicet perseverantiam gloriæ, quæ ad patriam pertinet, & perseverantiam viæ, de qua hìc agitur. 2. Perseverantiam gloriæ cadere sub meritum, quia comparatè ad motum liberi arbitrii, à Deo præmovente directi, se habet ut terminus, hoc est, quia liberum arbitrium, à Deo præmotum, ad illam ut terminum suum tendit per opera salutaria; perseverantiam verò viæ sub meritum non cadere, quia est effectus motionis divinæ, quæ comparatè ad prædictum liberi arbitrii motum se habet ut principium, adeòque est id, quo liberum arbitrium per opera meritoria tendit ad perseverantiam gloriæ ut sui motus terminum, sive, quod idem est, est principium omnium operum salutarium, quibus liberum arbitrium perseverantiam gloriæ promeretur, proindeque principium est omnis meriti. Principium autem omnis meriti sub meritum cadere repugnat. Unde concludit S. Doctor, Deum perseverantiam viæ iis, quibus eam largitur, gratis & independenter ab omni merito, mercedem scilicet, nisi per peccatum impediatur, infallibiliter consequente, largiri.

Verba S. Doctoris sunt hæc: *Dupliciter potest aliquis perseverantiam in bono obtinere à Deo. Uno quidem modo per hoc, quòd liberum arbitrium determinatur ad bonum per consummatam gratiam: quod erit in gloria. Alio modo ex parte motionis divinæ, quæ hominem inclinat ad bonum usque in finem ..... Illud cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbitrii, directi à Deo movente, sicut terminus, non autem id, quod comparatur ad prædictum motum, sicut principium. Unde patet, quòd perseverantia gloriæ, quæ est terminus prædicti motus, cadit sub merito. Perseverantia autem viæ non cadit sub meritò, quia dependet solùm ex motione divina, quæ est principium omnis meriti: sed Deus gratis perseverantiæ bonum largitur, cuicumque largitur.* Mens S. Doctoris modò declarabitur ampliùs.

4. Ratione. Pro quo *nota*. Perseverantia alia est gloriæ, & alia viæ. Perseverantia gloriæ est effectus consummatæ charitatis, qualis non erit, nisi in patria. Cùm autem consummata hæc charitas cadat sub meritum, perseverantiam gloriæ sub meritum cadere, planum est. Sed de hac perseverantia, ut jam monuimus, hìc non agitur.

Perseverantia viæ, de qua hìc agitur, potest sumi duobus modis. 1. Formaliter; & sic sumpta consistit in bona morte. Hoc modo perseverantiam viæ, quam deinceps perseverantiam simpliciter nominabimus, passim sumit S. Augustinus, ac præcipuè & apertissimè, lib. de corr. & grat. cap. 12. 2. Præsuppositivè, relatè scilicet ad adultos, qui non statim post acceptam justificationis gratiam, ex hujus vitæ periculis rapiuntur, sed aliquandiu posteà, alii aliis diutiùs, vivunt, & tamen acceptam in justificatione stolam ad tribunal Christi perferunt. Perseverantia, hoc modo sumpta, consistit in constanti usque in finem mandatorum divinorum observatione, & est effectus motionis divinæ efficacis, usque in finem continuatæ, hoc est, collectionis actualium gratiarum efficacium, quibuscum successivè acceptis, liberum hominis arbitrium, malum vitando & operando bonum, mandatorum divinorum tramiti ad viæ terminum usque insistit.

Porrò perseverantia, sic accepta, præsupponitur quidem in iis, qui non statim à justificatione rapiuntur, & tamen perseverant finaliter; at non per eam, sed per bonam mortem constituuntur formaliter perseverantes, seu perseverantes simpliciter: unde perseverantiam formaliter sumptam, seu formalem perseverantiam ponimus in bona morte, qua accepta, homo est, non accepta, non est finaliter & formaliter perseverans. His autem præsuppositis.

Argumentor sic. Si perseverantia cadit sub meritum, cum effectu infallibiliter connexum, vel primo, vel secundo modo sumpta. Non primum: nam si bona mors caderet sub meritum, cum effectu infallibiliter connexum, nullus justus sine bonis operibus, in statu justitiæ factis, bene moreretur; aut cum operibus in statu justitiæ factis, malè moreretur. Atqui hoc utrumque repugnat constanti experientiæ. Constans enim experientia docet non paucos statim à justificatione, & antequam ulla opera meritoria exercuerint, rapi ex hac vita, & bene mori, & è contra multos, qui in statu justitiæ opera meritoria exercuerunt, eaque plurima, etiam heroica, in peccatum prolabi, & malè mori. Ergo, &c.

Ratio autem à priori est, non quia repugnat bonam mortem sub meritum cadere: non enim magis repugnat eam cadere sub meritum, quàm augmentum gratiæ & gloriæ: cùm non sit aliquid majus in ratione benefici, quàm vita æterna, quam tamen justi etiam de condigno merentur per opera in Deo facta: sed quia Deus noluit eam (bonam mortem) supponere merito, proponendo & permittendo illam ut mercedem, vel quasi mercedem retribuendam bonis operibus, etiam in statu justitiæ factis ex auxilio gratiæ; eamque voluit à pura sua liberalitate ac misericordia dependere: ita ut quibus conceditur, purè liberaliter ac misericorditer concedatur; quantumvis justi sint atque sancti, & tempore etiam diutissimo in statu justitiæ, ac christianarum virtutum omnium exercitio permanserint.

Non secundum, quo modo perseverantiam sumit S. Thomas post Apostolum. Nam constans usque in finem mandatorum divinorum observatio est effectus motionis divinæ, usque in finem continuatæ, & liberum hominis arbitrium ad gloriæ terminum efficaciter dirigentis. Atqui hæc motio non cadit sub meritum. Ergo nec constans usque in finem mandatorum divinorum observatio, quæ est ejus effectus. *Prob. min.* Quia principium omnis meriti sub meritum cadere repugnat. Atqui hæc motio in homine justo est principium omnis meriti: est enim principium omnium operum salutarium, quæ ab illo exercentur. Sic ratiocinatur S. Thomas; cujus ratiocinium ampliùs declarandi gratia.

Sic adhuc argumentor. Constans usque in finem mandatorum divinorum observatio est effectus collectionis gratiarum actualium efficacium, quibuscum successivè acceptis, justus usque in finem malum vitat, & bonum operatur. Ergo constans usque in finem mandatorum divinorum observatio sub meritum cadere non potest, nisi ratione collectionis illius: nam si justus nullo pacto meretur collectionem illam, nullo pacto meretur constantem usque in finem mandatorum divinorum observationem: cui enim absque

ullo

ullo merito donatur causa, absque ullo merito donatur effectus, causam infallibiliter & sine novo favore consequens. Atqui collectio illa nullatenùs sub meritum cadit. Ergo, &c.

Prob. subs. Nam 1. justus nullatenùs meretur actualem gratiam efficacem, quæ est prima in illa collectione, & quacum primum opus meritorium exercet; vel meretur illam per actum merè naturalem, quod est Pelagianum. 2. Nullatenùs meretur actualem gratiam efficacem, quæ in illa collectione secunda est, & quacum exercet secundùm opus meritorium: nam si secundam meretur, certè per primam. Hoc autem dici non potest; secunda enim non est terminus primæ, sicut nec tertia secundæ, aut quarta tertiæ, &c. sed unus omnium terminus est, nempe gloria promerenda; unde prima liberum arbitrium non dirigit ad secundam, sicut nec secunda ad tertiam, aut tertia ad quartam, sed omnes communiter liberum arbitrium ad unam gloriam, ut mercedem promerendam, dirigunt.

Præterea, si justus per primam gratiam meretur secundam; per secundam meretur tertiam, per tertiam quartam, & sic deinceps. Atqui hoc dici non potest: alioqui justus, accepta prima gratia, cæteras omnes infallibiliter accipiet; loquimur enim semper de merito cum effectu infallibiliter connexo; atque ita infallibiliter usque in finem in mandatorum divinorum observatione perseverabit. Unde ulteriùs sequitur, justos omnes, qui habent opera æternæ vitæ meritoria, nullo excepto, salvari, & eos omnes, qui è statu justitiæ in peccatum prolapsi, malè moriuntur, nulla unquam opera vitæ æternæ meritoria habuisse; quæ omnia falsa sunt, & intolerabilia. Ergo collectio gratiarum actualium efficacium, quæ se habet ad modum unius motionis divinæ, usque in finem continuatæ, qua homo ad portum salutis efficaciter dirigitur, secundùm nullam sui partem cadit sub meritum, cum effectu infallibiliter connexum; sed secundùm omnes & singulas partes ex pura Dei misericordia dependet relatè ad justos quoscumque, quotcumque, & quantacumque opera vitæ æternæ meritoria habeant.

Dices. Possumus ferventi oratione impetrare à Deo finalem perseverantiam, ut ait S. Augustinus lib. de bono pers. cap. 6. *Hoc Dei donum* (finalis perseverantiæ) *suppliciter emereri potest*. Ergo finalis perseverantia cadit saltem sub meritum de congruo. *Resp.* dist. cons. Ergo finalis perseverantia cadit sub meritum de congruo, cum effectu connexum infallibiliter, N. cons. non enim omnes, qui cum fervore oraruut aliquando, finaliter perseverant, sed è contra multi ex illis cadunt, & ex hac mortali vita decedunt, antequuam resurgant. Ergo finalis perseverantia cadit sub meritum de congruo, quod non nisi fallibiliter cum effectu connexum est, C. cons. quod non est contra assertionem nostram.

Responsio V.

Justi reparationem post lapsum, neque de condigno, neque de congruo infallibiliter merentur per opera in Deo facta in statu justitiæ.

Ita S. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 7. & *Prob. breviter*. Opera bona in statu justitiæ facta, neque de condigno, neque de congruo infallibiliter merentur conservationem gratiæ sanctificantis, & auxilia gratiæ efficacia ad non cadendum. Ergo multò minùs sive de condigno, sive de congruo infallibiliter merentur reparationem gratiæ sanctificantis post lapsum, & auxilia efficacia ad resurgendum: plus enim est, gratiam sanctificantem restitui, quàm conservari, & plus est, injusto dari auxilia efficacia ad dolendum de peccato, quàm justo ad non peccandum; neque invenimus unum magis quam aliud à Deo promissum esse.

Confirmatur experientia. Nam aliqui post plurima & eximia pietatis opera, in statu justitiæ facta, lapsi non resurgunt, sed in suis peccatis moriuntur. Ergo, &c. Dixi autem, de congruo infallibiliter: possunt enim justi per opera pietatis in statu justitiæ facta mereri de congruo, sed fallibiliter, reparationem post lapsum; quia fieri potest, ut Deus justo lapso auxilium efficax ad resurgendum à lapsu donet intuitu alicujus boni operis ab eo facti in statu justitiæ: quod planè fallibile est; cùm nulla illud faciendi extet divina promissio, pendeatque à pura misericordia Dei, qui non semper lapsis à statu justitiæ, in quo multa bona opera exercuerunt, dat auxilium efficax ad dolendum sicut oportet de peccatis, & cùm dat, non semper attendit ad bona opera, quæ fecerunt, cùm essent justi.

Responsio VI.

Justi merentur de condigno augmentum gratiæ sanctificantis.

Est de fide, & *prob.* ex Trid. sess. 6. cap. 10. *Sic ergo*, inquit, *justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur .... in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur ... hoc verò justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat:* Da nobis, Domine, fidei, spei & charitatis augmentum. Et can. 32. *Si quis*, inquit, *dixerit ..... ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam ..... atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.* Sed

Nota 1. Justi merentur de condigno augmentum gratiæ etiam per actus remissiores habitu jam ante infuso. Nam neque Scriptura, neque Tridentinum, ad merendum de condigno gratiæ augmentum, requirit ut actus meritorius sit habitu præexistente intensior, imò Tridentinum sess. 6. cap. 16. ad meritum de condigno requirit tantùm opus bonum in Deo per ejus gratiam factum ab homine justificato, & addit esse credendum, quòd nihil ampliùs requiratur ad verum meritum.

Nota 2. Augmentum gratiæ, posito actu illius meritorio, statim tribuitur justis, ut colligitur, 1. ex Scriptura, 2. Cor. cap. 4. ubi dicitur: *Renovamur de die in diem*. Apocal. cap. ult. ubi legitur: *Qui justus est, justificetur adhuc, &c.* 2. Ex Trid. sess. 6. cap. 10. ubi justificati dicuntur, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, fide cooperante bonis operibus, crescere, atque magis justificari.

Nota 3. Justi merendo augmentum gratiæ sanctificantis, merentur etiam omnia auxilia, tam temporalia, quàm spiritualia & supernaturalia, sine quibus eam conservare non possunt: auxilia enim ad gratiæ conservationem necessaria, sunt ei connaturaliter debita, & cum ea faciunt unam moraliter mercedem. Quare hæc auxilia justis nunquam denegat Deus, qui proinde justificatos non deserit, nisi priùs ab illis deseratur; attamen quòd potiùs dentur congrua, quàm incongrua, effectus est puræ liberalitatis ac misericordiæ divinæ.

Responsio VII.

Justi merentur de condigno augmentum gloriæ.

Est de fide, & *prob.* 1. Ex Scriptura. Nam dicitur Gal. cap. 6. *Qui seminat in spiritu, in spiritu metet vitam æternam*. Et 2. Cor. cap. 4. *Quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Et Jacobi cap. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. 2. Ex Trid. sess. 6. can. 32. ubi contrarium asserentes anathematizantur.

AR-

ARTICULUS VIII.

Quid & quotuplex sit meritum de congruo.

1. MEritum de congruo dicitur illud, cui deest aliquid requisitum ad meritum perfectum, hoc est, ad meritum de condigno. Ad meritum autem de condigno duo requiruntur, ut suo loco ostensum est; moralis scilicet æqualitas cum mercede, & facta à Deo mercedis promissio. Meritum igitur de congruo dicitur illud, quod vel non habet moralem æqualitatem cum mercede, vel non habet promissionem mercedis, vel neutram habet, sed solùm habet in æstimatione morali quandam cum mercede proportionem seu congruitatem, vi cujus illi seu illius intuitu Deus potest mercedem tribuere decenter & congruè.

Hinc in homine justo bona opera in Deo per ipsius gratiam facta, sunt tantùm meritoria de congruo perseverantiæ finalis; licèt cum ea moralem æqualitatem habeant. Ratio est, quia non habent perseverantiæ finalis promissionem, unde non habent jus justitiæ ad illam, quod ad meritum de condigno requiritur.

Hinc in homine peccatore contritio charitate perfecta est tantùm de congruo meritoria primæ gratiæ sanctificantis; quamvis promissionem illius habeat. Ratio est, quia propter defectum dignitatis in persona operante, non habet moralem æqualitatem cum prima gratia sanctificante, sed solùm habet cum ea proportionem quandam & congruitatem, vi cujus Deum decet hominem perfectè contritum, quia perfectè contritus est, justificare; ad quod tenetur, non quidem ex justitia, sed ex fidelitate propter suam promissionem.

Hinc rursùs in homine peccatore oratio ex instinctu & adjutorio Spiritus S. facta, est tantùm de congruo meritoria prævenientis gratiæ, qua efficaciter movetur ad dolendum sicut oportet de peccatis; quia neque moralem cum illa æqualitatem, neque illius promissionem habet, sed solùm habet intrinsecam excellentiam, cujus intuitu Deus potest decenter & congruè hominem peccatorem gratia sua movere, quomodo ei aptum est, ut de peccatis doleat sicut oportet ad consequendum justificationis beneficium.

2. Ad meritum de congruo requiritur in opere meritorio vis idonea ad inducendum Deum ex decentia, ut operi aliquid retribuat. Unde ad meritum de congruo requiritur in opere meritorio, si non habet moralem cum mercede æqualitatem, certa quædam proportio & congruitas cum eo, quod retribuendum est. Quam proportionem & congruitatem habet opus à propria excellentia; ad quam requiritur, ut sit opus in Deo per ipsius gratiam liberè factum. Hinc opus ex solis naturæ viribus factum, quantumvis honestum sit ac liberum, nec est, nec potest esse de congruo meritorium præmii scilicet supernaturalis; nam de tali hìc agitur.

3. Ut ex dictis liquet, duplex est meritum de congruo, unum scilicet, cui promissa est retributio, & alterum cui retributio non est promissa. Unde meritum de congruo dividi debet in illud, quod cum mercede infallibiliter connexum est, & illud quod non nisi fallibilem habet cum mercede connexionem, adeòque potest esse sine retributione. Hinc meritum de congruo adhuc dividi potest in meritum de congruo in actu primo tantùm, & meritum de congruo in actu secundo. Meritum de congruo in actu primo tantùm, est opus, cujus intuitu Deus posset operanti aliquid retribuere cum decentia, non tamen retribuit, quia non vult. Meritum de congruo in actu secundo est opus, cujus intuitu Deus potest cum decentia retribuere aliquid, quod re ipsa retribuit, vel cum debito fidelitatis, si promisit retributionem, vel absque omni debito, si retributionem non promisit.

4. Denique, meritum de congruo, ut etiam ex dictis patet, dividi potest ratione subjecti, in meritum de congruo, habens moralem æqualitatem cum mercede, sed sine illius promissione: tale est omne meritum de congruo in homine justo: unde nullum meritum de congruo in homine justo habet infallibilem retributionem: & meritum de congruo, carens morali æqualitate cum mercede, quacum tamen ob intrinsecam perfectionem, certam proportionem & congruitatem habet: talia sunt omnia merita de congruo in homine peccatore, quorum aliqua retributionis promissionem habent, aliqua non, & quorum proinde aliqua infallibilem habent retributionem, alia verò non habent.

TRA-

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PARS PRIMA.

DE FIDE.

DISPUTATIO PRIMA.

De objecto formali Fidei.

NOMEN fidei variè accipitur. 1. Pro conscientia, seu prudenti persuasione de bonitate, vel malitia operationis. 2. Pro fidelitate in promissis servandis. 3. Pro veracitate. 4. Pro fiducia. 5. Pro una ex gratiis gratis datis, seu pro dono intrepidè fidem prædicandi. 6. Pro actu, quo credimus homini aliquid nobis attestanti, & est fides humana. 7. Pro actu salutari, quo credimus vera esse ea, quæ à Deo revelata sunt, & est fides divina. 8. Pro habitu infuso, quo intrinsecè & permanenter instruimur ad exercendos ejusmodi actus. 9. Denique, pro doctrina à Deo revelata, & fide divina credenda. Fides autem ad præsentem Tractatum non pertinet, nisi sub tribus postremis acceptionibus.

Fidei Divinæ duplex est objectum, materiale & formale. Materiale sunt omnia à Deo revelata: formale verò id, quod cognitum, & quà cognitum movet nos ad assentiendum rebus à Deo revelatis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Revelatio divina sit in objecto formali fidei Divinæ.

Nota 1. Revelatio in genere est manifestatio rei occultæ. Sumi potest dupliciter, latè, & strictè. Latè sumpta, est productio signi naturalis, quo naturaliter ducimur in cognitionem rei alterius. Sic Deus producendo creaturas, revelat latè & impropriè existentiam suam, & alias perfectiones suas: nam per creaturarum productionem naturaliter ducimur in cognitionem existentiæ divinæ, aliarumque perfectionum divinarum. Revelatio strictè sumpta, est productio signi ex instituto significantis, quo revelans aliis significare vult id quod habet in mente.

Nota 2. Quæstio hìc est de sola revelatione strictè sumpta, quæ plura importat, scilicet actum intellectus, quo revelans cognoscit objectum; actum voluntatis, quo objectum & suam illius cognitionem vult signo aliquo manifestare; & manifestationem per signum externum factam. Unde revelatio strictè sumpta dividitur, velut totum in partes, in revelationem internam, & externam. Revelatio interna sunt actus interni; revelatio externa est actum internorum manifestatio. Neutra sine altera ad fidem sufficit: nam actus interni non possunt movere, nisi manifestentur per signum aliquod externum; neque signum externum movere potest ad judicandam objecti veritatem, nisi fiat, & cognoscatur fieri à revelante ex intentione manifestandi veritatem objecti, & cognitionem, quam revelans habet de illa veritate.

Nota 3. Deus igitur propriè & strictè revelat, quando signum aliquod externum, ex instituto ipsius vel hominum significans, producit ex intentione manifestandi veritatem alicujus objecti, & cognitionem, quam habet de illa veritate. Unde Deus propriè & strictè loquitur, non solùm cùm vel per se, vel per Angelum aut hominem vocibus humanis, aut signis aliis externis ex instituto hominum significantibus utitur, ad manifestandam veritatem aliquam; sed etiam cùm per se cognitionem alicujus mysterii cum iis characteribus imprimit menti prophetæ, ut propheta intelligat hanc sibi cognitionem à Deo impressam esse ad manifestationem mysterii, & cognitionis, quam Deus habet de illo.

RESPONSIO I.

Revelatio divina est in objecto formali fidei divinæ.

Prob. Ex Scriptura. Nam 1. Joan. cap. 5. dicitur: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*: Hoc est, si testimonio hominum movemur, ad credenda ea, quæ nobis testificantur; quantò magis moveri debemus testimonio divino, ad credenda ea, quæ nobis à Deo revelata sunt! Ergo ex Scriptura, testimonium divinum, seu revelatio divina est nobis ratio & motivum assentiendi per fidem rebus à Deo revelatis. Unde *sic argumentor brevi-ter*. Illud est in objecto formali fidei divinæ, quod nobis est ratio & motivum assentiendi per fidem salutarem rebus à Deo revelatis. Sed ex Scriptura talis est revelatio divina. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia fides divina est actus quo credimus Deo, ut patet ex Apostolo, Rom. cap. 4. ubi laudans fidem Abrahæ, sic ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. Atqui credere Deo, nihil aliud est, quam assentiri alicui veritati propter testimonium seu revelationem Dei, veritatem illam manifestantis & testificantis. Ergo fides divina est actus, quo assentimur veritatibus à Deo revelatis propter ejus revelationem. Ergo fides divina habet pro motivo & ratione assentiendi rebus à Deo revelatis ipsam revelationem divinam, quod est habere revelationem divinam pro objecto formali.

Obj. 1. Fide divina credimus revelationem divinam. Sed non credimus propter aliam revelationem: alioqui daretur processus in infinitum. Ergo, &c. *Resp.* Nos fide divina credere revelationes divinas, & quandoque credere propter alias, quandoque non, sed tantùm propter se ipsas: nam revelatio circa quam actum fidei divinæ exercemus, vel est expressè revelata per aliam revelationem posteriorem, vel non. Si primum, credimus illam vel propter se ipsam, ut mox explicabitur, vel propter aliam posteriorem, qua expressè revelata est: cùm enim hæc posterior possit nobis esse magis & priùs nota, quàm illa prior, cujus est expressa revelatio, potest nobis esse ratio & motivum illi assentiendi.

Si secundum, credimus illam propter se ipsam, ut in se virtualiter reflexam, seu prout est virtualis & implicita sui ipsius revelatio; qualis est revelatio omnis: nam quando Deus mysterium aliquod revelat, simul & indivisibiliter, virtualiter & implicitè revelat se revelare; & cùm revelatione externa uti-

tur,

tur, utitur ea ex intentione non solùm revelandi mysterium, sed etiam testandi se illud revelare. Unde obligat nos ad credendum fide divina, & mysterium, quod revelat, & revelationem, qua revelat. Quare tam peccaremus contra præceptum fidei divinæ, negando mysterium esse revelatum, quàm simpliciter negando mysterium.

Hinc etiam de fide est v. grat. non solùm, quòd Verbum incarnatum sit, sed etiam quòd hoc sit à Deo revelatum; & tam hæreticus esset, qui negaret revelationem Incarnationis, quàm qui negaret ipsam Incarnationem; etiam supponendo quòd revelatio Incarnationis non sit expresè revelata per aliam ulteriorem revelationem; quia scilicet Deus revelando Incarnationem, hoc ipso virtualiter revelavit se revelare: Non est ergo metuendus hìc processus in infinitum: nam cùm fide divina creditur aliqua revelatio, vel propter se ipsam creditur, vel creditur propter aliam, quæ creditur propter se ipsam.

Obj. 2. Fide divina credimus Deum existere. Sed hoc non credimus propter revelationem divinam. Neg. min. Nam credimus Deum existere, quia ipse dicit se existere: *Prob. tamen min. negatam.* Si credimus Deum existere, quia ipse dicit se existere, credimus Deum existere, quia est: nam Deum dicere, involvit Deum esse. Falsum conf. Ergo, &c. *Resp.* dist. seq. maj. Credimus Deum existere, quia est simpliciter, N. seq. Quia est cum addito, hoc est, quia est dicens, C. seq.

At inquies. Si ita est, 1. idem per idem cognoscimus. 2. Uno & eodem actu bis cognoscimus idem. 3. Uno & eodem actu priùs cognoscimus Deum esse, quàm cognoscamus Deum esse. 4. Saltem priùs natura cognoscimus Deum dicere, quàm Deum esse: quod repugnat, quia priùs est Deum esse, quàm dicere; & consequenter necesse est Deum priùs cognosci ut existentem, quàm ut dicentem.

Resp. ad 1. Eum, qui credit Deum esse, quia ipse dicit se esse, cognoscere idem per idem, sed non omninò: cognoscit enim Deum esse, quia cognoscit illum esse dicentem. Deum autem esse, & Deum esse dicentem non sunt idem omninò: nam Deum esse dicentem, plùs dicit quàm præcisè Deum esse. Unde actus, quo credo Deum esse, quia ipse dicit se esse, non magis repugnat, quàm actus, quo judico Petrum esse animal, quia est homo, & quo tamen cognosco idem per idem, sed non omninò: nam esse animal, & esse hominem in Petro, sunt idem, sed non omninò, quia esse hominem, dicit aliquid supra esse animal.

Resp. ad 2. Eum, qui credit Deum esse, quia ipse dicit se esse, uno & eodem actu bis credere idem, sed diverso modo: nam semel credit explicitè in objecto materiali, & semel implicitè in objecto formali. Sicut qui judicat Petrum esse animal, quia est homo, uno & eodem actu bis judicat idem, nempe Petrum esse animal, semel explicitè, & semel implicitè: nam judicando esse hominem, implicitè judicat esse animal.

Resp. ad 3. Eum, qui credit Deum esse, quia ipse dicit se esse, eodem actu priùs implicitè cognoscere Deum esse, credendo illum dicere, quàm explicitè cognoscat Deum esse: sicut qui judicat Petrum esse animal, quia est homo, priùs implicitè cognoscit Petrum esse animal, judicando illum esse hominem, quàm explicitè cognoscat esse animal.

R. ad 4. Nullam esse repugnantiam in eo quòd priùs natura cognoscamus, Deum dicere, quàm explicitè cognoscamus esse; quia cognitio nostra non semper sequitur ordinem naturæ, nec semper priùs natura cognoscimus id, quod est priùs natura. Sed è contra sæpissimè priùs natura cognoscimus id quod natura posterius est; quia sæpissimè id, quod priùs est, cognoscimus per id quod posterius est, ut patet ex demonstratione causæ per effectum. Sæpissimè autem id, quod priùs est, cognoscimus per id quod posterius est, quia hoc sæpissimè notius nobis est, quàm illud.

Obj. 3. Revelatio divina est extrinseca rei revelatæ. Ergo non potest movere ad credendam rem revelatam. *R.* neg. conf. Nam ut revelatio divina movere possit ad credendam rem revelatam, & sic possit esse in objecto formali fidei divinæ, satis est, quòd habeat necessariam connexionem cum veritate rei revelatæ: quemadmodum ut effectus movere possit ad judicandam existentiam causæ, & ita possit esse medium demonstrationis, sufficit, quòd existat, & sit necessariò connexus cum existentia causæ.

Obj. 4. Actus, quo quis credit aliquam revelationem divinam propter motiva credibilitatis, est fides divina. Atqui talis actus non habet pro motivo revelationem divinam, sed ipsa motiva credibilitatis. Ergo, &c. *Resp.* Revelationem divinam posse credi propter motiva credibilitatis duplici modo. 1. Enim credi potest propter motiva credibilitatis, tanquam motivum intrinsecum ipsius actus, quo creditur. 2. Credi potest propter motiva credibilitatis, tanquam motivum extrinsecum actus, quo creditur, hoc est, tanquam motivum intrinsecum alterius actus, qui necessariò præsupponitur actui, quo revelatio creditur propter se ipsam. Actus autem, quo revelatio divina creditur secundo modo, est fides divina, cujus objectum formale est ipsa revelatio, prout est sui ipsius virtualis & implicita revelatio; quique in perfectione longè superat alium actum, quo revelatio divina primo modo creditur: actus enim, quo revelatio divina creditur immediatè propter se ipsam, præsupposito sufficienti judicio de ejus credibilitate, habet certitudinem summam, qualem non haberet actus, quo revelatio divina crederetur immediatè propter motiva credibilitatis.

Responsio II.

Revelatio divina adæquatè sumpta, hoc est, non solùm revelatio interna, sed etiam externa, est in objecto formali fidei divinæ.

Prob. Nam illud totum est in objecto formali fidei divinæ, quod nobis est motivum & ratio assentiendi per fidem divinam rebus à Deo revelatis. Atqui non solùm revelatio interna, sed etiam externa nobis est ratio assentiendi per fidem divinam rebus à Deo revelatis: nam, ut supra ex Scriptura ostensum est, fide divina credimus res à Deo revelatas propter testimonium Dei, quod est complexum ex revelatione interna & externa, quodque tam necessariò, licèt non eodem modo, cum veritate rei revelatæ connexum est ratione externæ revelationis, quàm internæ; proindeque tam aptum est, ad assentiendum fide divina rebus à Deo revelatis, movere per externam, quàm per internam revelationem. Ergo, &c. Hinc si possibilis est assensus habens pro motivo solam revelationem internam, revelatione externa se habente tantùm ut conditione revelationem internam applicante, non est assensus fidei divinæ ad sensum Scripturæ & Patrum in Ecclesia receptum.

Obj. Revelatio externa est aliquid creatum. Sed fides divina non potest habere pro motivo aliquid creatum: nam est actus virtutis theologicæ. Ergo, &c. *R.* dist. min. Fides divina non potest habere aliquid creatum pro motivo totali aut principali, C. min. Pro motivo partiali, & minùs principali, Subdist. Non potest habere pro motivo partiali, & minùs principali, aliquid creatum, quod non sit opus divinum, C. iterùm min. Quod sit opus divinum, Dei proprium, & dignum assensu super omnia certo, qualis est externa revelatio, N. min.

Ad prob. R. Fidem divinam esse virtutem theologicam, quia habet Deum pro objecto materiali primario, & pro formali principali revelationem internam, quæ est aliquid increatum: ita ut revelatio externa non sit in objecto formali fidei divinæ, nisi ut pars minùs principalis, & veluti materialis, quatenùs non movet ad assensum fidei divinæ, nisi ut annexa internæ revelationi, & ab ea extrinsecè informata.

ARTICULUS II.

Utrùm veracitas divina sit in objecto formali fidei divinæ.

NOta 1. Veracitas est id, propter quod revelans fide dignus est, hoc est, propter quod dignus est, ut ei revelanti, & testificanti aliquid, credatur; & consequenter veracitas est id, quod constituit revelantis authoritatem. Ut autem revelans sit fide dignus, & habeat authoritatem in testificando, necesse est ut habeat duo vel in re, vel saltem in prudenti existimatione credentis. Primum est, ut non fallatur, hoc est, ut id quod revelat, concipiat sicuti est. Secundum est, ut non fallat, hoc est, ut non loquatur contra mentem. Primum pertinet ad sapientiam & rectitudinem intellectus, secundum ad bonitatem & rectitudinem voluntatis.

Veracitas igitur includit duas perfectiones, unam ex parte intellectus, nempe sapientiam, cujus est concipere res sicuti sunt, alteram ex parte voluntatis, nempe bonitatem, cujus est velle sincerè loqui. Hinc qui habet sapientiam, sed caret bonitate, ut diabolus; vel habet bonitatem, sed caret sapientia, ut homo idiota, non est verax. Hinc quò quis majorem habet sapientiam simul & bonitatem, eò magis est verax. Hinc quia Deus habet infinitam sapientiam cum infinita bonitate, est infinitè verax.

Nota 2. Sicut Deus rectè dicitur primum ens, quia est ens summum, perfectissimum, & infinitum in genere entis; ita rectè dicitur veracitas, seu veritas prima, quia est veracitas summa, perfectissima, & infinita in genere veracitatis; cùm sit summè, perfectissimè & infinitè sapiens ac bonus: ita ut omninò sit impossibile eum falli, aut fallere. Unde Deus habet summam in testificando authoritatem, & quæ infinito intervallo superat omnem aliam authoritatem creatam sive hominum, sive Angelorum, qui cùm non nisi limitatam & defectibilem habeant sapientiam & bonitatem, naturaliter possunt, & secluso speciali Dei privilegio, falli & fallere.

Hinc testimonii divini gravitas summa, & supra quodcumque motivum scientificum, & quodcumque aliud testimonium præstantia & dignitas. Hinc testimonium divinum meretur assensum super omnia firmum, proindeque firmiorem quolibet assensu naturali, quantùmlibet evidenti & scientifico. Hinc denique testimonium divinum aptum est movere in concursu cujusvis alterius motivi, quantùmvis apparenter evidentis, & contra veritatem rei revelatæ stantis; imò & in concursu cujusvis alterius motivi, stantis pro veritate rei revelatæ, quantamcumque certitudinem & evidentiam veram, etiam experimentalem, habeat.

Responsio.

Veracitas divina est in objecto formali fidei divinæ.

Prob. Nam illud est in objecto formali fidei divinæ, quod est nobis ratio & motivum fide divina assentiendi rebus à Deo revelatis, propter divinam revelationem; seu, quod idem est, quod nobis est ratio & motivum credendi Deo aliquid revelanti & testificanti. Atqui veracitas divina nobis est ratio & motivum credendi Deo aliquid revelanti & testificanti: nam credimus Deo aliquid testificanti, quia credimus eum nec falli, nec fallere. Ergo, &c.

Obj. 1. Veracitas divina non est in objecto formali actus, quo v. g. creditur Incarnatio, quia Deus illam revelavit. Ergo, &c. Nego ant. *Probabis.* Ut veracitas divina sit in objecto formali actus, quo creditur Incarnatio propter revelationem divinam, debet eodem illo actu credi, sicut & debet credi revelatio. Atqui veracitas divina non creditur actu, quo creditur Incarnatio propter revelationem divinam. Ergo, &c.

Resp. Neg. min. Itaque actu illo, quo credo Incarnationem, quia Deus eam revelavit, tria credo, incarnationem, revelationem, & veracitatem divinam; incarnationem quidem propter revelationem & veracitatem divinam; revelationem verò & veracitatem divinam propter ipsam revelationem, quæ non solùm explicita incarnationis, sed etiam virtualis & implicita sui ipsius & veracitatis divinæ revelatio est: Deus enim explicitè revelando incarnationem, simul virtualiter & implicitè revelat se revelare, & veracem esse, & ita veracem, ut nec falli possit, nec fallere. Unde possum uno & eodem actu credere incarnationem, revelationem incarnationis & veracitatem divinam, credendo uno & eodem actu incarnationem propter revelationem incarnationis, & veracitatem divinam, natura priùs creditas propter ipsam incarnationis revelationem, ut est sui ipsius & veracitatis divinæ implicita revelatio.

Obj. 2. Veracitas non est in objecto formali actus fidei, quo creditur Deum esse veracem, quia expressè revelavit se veracem esse. Ergo, &c. Nego ant. *Probabis.* Si veracitas divina esset in objecto formali hujus actus, veracitas eodem actu bis crederetur. Item priùs crederetur, quàm crederetur eodem actu. Item in eodem actu esset objectum materiale & formale. Sed hæc omnia repugnant. Ergo, &c.

Resp. Nego min. Itaque eodem actu, quo credo Deum esse veracem, quia hoc ipse revelavit, bis credo veracitatem divinam, semel implicitè & semel explicitè. Priùs credo veracitatem divinam implicitè, indirectè, & ut quo, quàm eandem credam explicitè, directè & ut quod; sive, quod idem est, priùs credo veracitatem divinam, ut virtualiter & implicitè revelatam in ipsa revelatione, quàm credam eamdem veracitatem, ut revelatam formaliter & in se ipsa. Unde in actu, quo credo Deum esse veracem, quia hoc ipse revelavit, veracitas est simul objectum materiale, & formale inadequatum sui ipsius, diverso tamen modo sumpta: nam ut implicitè revelata, & motivis credibilitatis immediatiùs affecta, est unà cum revelatione objectum formale sui ipsius, ut formaliter & explicitè revelatæ, & motivis credibilitatis remotiùs affectæ. Pro quibus omnibus.

Nota. Cùm Deus v. g. Rom. cap. 3. revelat se veracem esse, veracitas divina bis revelatur, semel formaliter, explicitè, & in se ipsa, & semel virtualiter, implicitè & in ipsa revelatione: nam Deus formaliter & expressè testificando se esse veracem, simul virtualiter & implicitè testificatur se testificari, & in testificando nec falli posse, nec fallere: vel, si vis, simul testificatur virtualiter & implicitè, se ens summè sapiens & bonum hoc testificari.

Dices. Non potest credi Deus esse omnipotens, quia est omnipotens. Ergo nec credi potest esse verax, quia est verax. *Resp.* neg. cons. Ratio negandi est, quia revelatio divina non per omnipotentiam, sed per veracitatem divinam necessariò conexa est cum veritate revelata. Unde veracitas divina, non omnipotentia, nobis est ratio & motivum assentiendi veritati revelatæ propter revelationem divinam.

ARTICULUS III.

Utrùm deitas sit in objecto formali fidei divinæ.

Responsio.

DEitas non est in objecto formali fidei divinæ.

Prob. Nam illud non est in objecto formali fidei divinæ, quo præciso, aut etiam sive per possibile, sive per impossibile sublato, adhuc habetur motivum planè sufficiens & proportionatum ad assentiendum per fidem divinam rebus revelatis. Atqui posito præcisè & intellecto testimonio divino cum prima veritate, & præcisà, aut etiam per impossibile, sublata deitate cum aliis perfectionibus divinis, habetur motivum planè sufficiens & proportionatum ad assentiendum per fidem divinam rebus revelatis: nam hoc ipso quòd Deus est prima veritas; etiamsi per impossibile non esset ens à se, omnipotens, &c. testimonium

nium ejus dignum est assensu super omnia firmo, quia hoc ipso testimonium ejus summam cum veritate rei testificatæ connexionem habet. Ergo, &c.

Obj. 1. Illud est in objecto formali fidei divinæ, in quod fides divina ultimò resolvitur. Atqui fides divina ultimò resolvitur in deitatem, ut sic. Ergo, &c. *Resp.* dist. maj. Illud est in objecto formali fidei divinæ, in quod fides divina resolvitur ultimò, tanquam in rationem ultimam formalem assentiendi, C. maj. In quod fides divina resolvitur ultimò, tanquam in rationem seu causam virtualem essendi primæ veritatis, N. maj. Fides autem divina resolvitur ultimò in deitatem, tanquam in rationem seu causam virtualem essendi primæ veritatis: nam prima veritas virtualiter oritur ex deitate. Unde quærenti à me, quare credo Deum esse trinum, respondeo, quia prima veritas revelavit. Et ulteriùs quærenti, quare Deus est prima veritas, respondeo, quia est ens à se. At fides divina non resolvitur ultimò in deitatem, tanquam in rationem formalem assentiendi propter primam veritatem: nam prima veritas revelans per se ipsam necessariò connexa est cum veritate rei revelatæ, & consequenter per se ipsam præcisè movet ad assensum rei revelatæ, & æquè & eodem modo movet, ac si per impossibile non flueret virtualiter ex deitate, hoc est, ac si non conveniret Deo ratione aseitatis, sed ratione alterius, putà immutabilis decreti nunquam mentiendi. Hinc

Quærenti à me, quare credo Deum esse trinum, respondeo me credere propter testimonium Dei. Quærenti, quare credo Deum esse trinum propter testimonium Dei, respondeo me credere, quia Deus est prima veritas. Ulteriùs verò quærenti, quare credo testimonio Dei, quia Deus est prima veritas, nihil respondere possum, quod sit mihi motivum intrinsecum credendi testimonio Dei propter primam veritatem. Unde fides, qua credo Deum esse trinum, resolvitur in revelationem divinam, & primam veritatem, tanquam in rationem formalem totalem assentiendi; proindeque revelatio divina cum prima veritate, seu, quod idem est, prima veritas revelans est objectum formale totale fidei, qua credo Deum esse trinum.

Obj. 2. Idem est objectum fidei & visionis beatificæ. At objectum visionis beatificæ est Deus, quà Deus. Ergo, &c. *Resp.* Fidei divinæ & visionis beatificæ idem esse materiale objectum principale, nempe Deum, quà Deum. At non est utriusque idem objectum formale; sicut non est idem utriusque modus tendendi in objectum: nam fides divina est assensus mediatus, in Deum obscurè propositum tendens propter testimonium divinum: visio verò beatifica est actus intuitivus, tendens immediatè in Deum, ut in se est, clarè propositum. Unde propriè loquendo, visio beatifica non habet objectum formale; quia, cùm sit clara & immediata intuitio Dei, fertur in illum, nullo alio mediante per modum objecti prægogniti, & quà talis ad Dei visionem determinantis.

Porrò quod de fide divina & visione beatifica dictum est, dici debet cum proportione de fide divina, & theologica: nam Deus, quà Deus, est materiale objectum principale utriusque: at non est idem utriusque objectum formale: assensus enim fidei divinæ tendit in articulum revelatum propter immediatam connexionem, quam habet cum revelatione divina: assensus verò theologicus fertur in conclusionem propter connexionem, quàm habet cum duabus præmissis secundùm regulas Logicæ artificiosè dispositis, & quarum una revelata est, & altera naturaliter evidens; aut ambæ sunt revelatæ.

ARTICULUS IV.

Utrùm motiva credibilitatis sint in objecto formali fidei divinæ.

Nota. Motiva credibilitatis sunt argumenta, seu signa, quibus ita saltem suadentur revelatio & veracitas divina, ut propter illa intellectus prudenter judicet credi posse & honestum esse credere fide omninò indubitata & appretiativè summa, quod Deus revelaverit, & summè verax sit.

Responsio.

Motiva credibilitatis non sunt in objecto formali fidei divinæ.

Prob. Nam illud non est in objecto formali fidei divinæ, quod neque immediatè, neque mediatè est ratio assentiendi per fidem divinam rebus à Deo revelatis. Atqui motiva credibilitatis neque immediatè, neque mediatè movent ad assentiendum per fidem divinam rebus à Deo revelatis. Ergo, &c. *Prob. min.* 1. Non movent immediatè: nam id quod movet immediatè ad assentiendum per fidem divinam rebus à Deo revelatis, est prima veritas revelans; & rebus à Deo revelatis assentimur immediatè propter necessariam connexionem, quam habent cum prima veritate revelante. 2. Non movent mediatè: nam si movent, certè quia sunt ratio credendi fide divina revelationem & veracitatem divinam, propter quas eodem actu creditur res à Deo revelata. Atqui hoc dici non potest: nam per actum fidei divinæ creditur res à Deo revelata propter revelationem & veracitatem divinam, creditas propter ipsam revelationem, ut virtualiter supra se, & veracitatem reflexam. Ergo, &c.

Præterea, si motiva credibilitatis sunt in fide divina ratio formalis, propter quam creditur revelatio, tota certitudo fidei divinæ fundatur in motivis credibilitatis. Atqui hoc falsum est. Nam assensus fidei divinæ est super omnia certus, & consequenter certior omni assensu naturali, quantùmvis evidenti ac necessariò. At talis non est, si certitudo ejus fundatur in motivis credibilitatis: nam motiva credibilitatis non possunt fundare assensum firmiorem omni assensu naturali, quantùmvis evidenti & necessariò: non enim possum esse certior de motivis credibilitatis, quàm v. g. de existentia Solis. Superest igitur ut assensus fidei divinæ resolvatur ultimò in revelationem divinam, in eaque tota certitudo fidei divinæ fundetur. Et verò cùm revelatio divina, supposito prudenti judicio de ejus credibilitate, sit propter infinitam eminentiam divinæ authoritatis digna assensu appretiativè firmissimo, apta est fundare totam certitudinem in actu fidei divinæ requisitam, & ita supposito prudenti judicio de credibilitate revelationis divinæ, potest voluntas auxilio gratiæ adjuta, efficaciter applicare intellectum elevatum, ad assentiendum objecto revelato propter revelationem & veracitatem divinam, & revelationi ac veracitati propter ipsam revelationem assensu super omnia firmo.

Obj. 1. Omnis assensus mediatus ultimò resolvitur in aliquam veritatem per se notam. Atqui assensus fidei divinæ est assensus mediatus. Ergo resolvitur ultimò in aliquam veritatem per se notam, & consequenter resolvitur ultimò in evidentem credibilitatem revelationis. *Resp.* neg. maj. Itaque omnis assensus mediatus resolvitur ultimò in aliquam veritatem, vel per se notam, & evidentem ex terminis, vel per se obscuram, sed cui immediatè assentimur propter se ipsam. Sic actus fidei, quo credo Deum esse trinum, resolvitur ultimò in hanc propositionem per se obscuram, Prima veritas revelavit Deum esse trinum, creditam propter se, ut virtualiter supra se reflexam, ibi sistendo. Nam supposita evidenti credibilitate alicujus veritatis per se obscuræ, potest voluntas determinare intellectum ad assentiendum certò veritati illi immediatè & præcisè propter se, si nimirùm utraque potentia speciali Dei auxilio adjuvetur, ut in fide accidit.

Dices. Non potest voluntas efficaciter imperare intellectui, ut immediatè assentiatur huic objecto, Astra sunt paria, etiam assensu opinativo tantùm; quia non magis apparet esse paria, quam imparia. Ergo multò minùs potest efficaciter imperare intellectui, ut immediatè assentiatur certò huic propositioni. Prima veritas revelavit Deum esse trinum: cum de se non magis appareat vera, quàm falsa. *Resp.* nego conseq. Disparitas est, quia nulla sunt motiva probabilitatis, quibus intellectus disponatur ad assentiendum opinativè ex impetio voluntatis huic objecto, Astra sunt paria. At dantur motiva credibilitatis, quibus intellectus disponi potest ad assentiendum etiam immediatè ex impetio voluntatis huic propositioni, Prima veritas revelavit Deum esse trinum, & quidem assensu super omnia firmo, propter dignitatem auctoritatis divinæ.

Obj. 2. Revelatio divina non potest esse ratio assentiendi veritati revelatæ, nisi sit notior veritate revelata. Atqui non est notior veritate revelata, nisi ut circumvestita motivis credibilitatis, & credita propter illa. Ergo non est ratio assentiendi veritati revelatæ, nisi ut credita propter motiva credibilitatis, quæ proinde sunt in objecto formali fidei divinæ, tanquam ratio assentiendi revelationi divinæ.

Resp. 1. neg. maj. Nam ut revelatio divina sit in fide divina ratio assentiendi veritati revelatæ, satis est, quòd sit immediatiùs & per se credita: intellectus enim in fide divina non attendit ad evidentiam, sed ad solam infallibilitatem motivi, quæ summa est, neque fide divina assentitur rei revelatæ propter aliquam evidentiam revelationis, sed propter necessariam connexionem, quam habet revelatio cum veritate revelata; quamvis secundùm se non sit minùs obscura.

Resp. 2. dist. maj. Revelatio divina non potest esse ratio assentiendi veritati revelatæ, nisi sit ipsa veritate revelata notior per actum fidei divinæ, quo res revelata propter revelationem creditur, N. maj. Nisi sit ipsa veritate revelata notior per judicium prævium de credibilitate, quo intellectus disponitur ad credendam veritatem revelatam propter revelationem creditam propter se, C. maj. Sic autem revelatio credita fide divina, & propter quam creditur veritas revelata, notior est, quàm ipsa res revelata: nam directiùs, & immediatiùs afficitur à motivis credibilitatis: motiva enim credibilitatis per se primò tendunt ad suadendam existentiam veracitatis & revelationis divinæ, & obligationem utramque ita credendi, ut propter illas objectum revelatum credatur cum firmitate appretiativè summa.

Dices. Omnis actus intellectus terminatur intrinsecè ad aliquam evidentiam. Ergo, &c. *Resp.* ant. verum esse de omni actu naturali, evidenti, & necessario, ad quem intellectus ab objecto determinatur; falsum verò de actu supernaturali & obscuro, ad quem intellectus determinatur à pia motione voluntatis: talis enim actus non terminatur, nisi extrinsecè, ad evidentiam, quæ est objectum actus prævii, quo intellectus, antequam credat, evidenter & necessariò judicat credibilitatem veracitatis & revelationis divinæ, & honestatem ac obligationem credendi propter illas veritatem revelatam: judicando autem, sufficienter disponitur ad obsequendum imperio voluntatis, atque cum auxilio gratiæ adhærendum primæ veritati revelanti propter se ipsam, quantùmvis per se obscuram, & propter ipsam objecto revelato.

Obj. 3. Illud est in objecto formali fidei divinæ, in quod fides divina resolvitur ultimò. Atqui fides divina resolvitur ultimò in motiva credibilitatis: nam quærenti, quare credo Deum esse trinum, respondeo, quia credo Deum esse summè veracem, & hoc revelasse; ulteriùs verò quærenti, quare credo Deum esse summè veracem, & revelasse, respondeo, quia utrumque mihi evidenter apparet credibile per motiva credibilitatis. Ergo, &c.

Resp. dist. maj. Illud est in objecto formali fidei divinæ, in quod fides divina ultimò resolvitur intrinsecè, C. maj. Extrinsecè tantùm, N. maj. Fides autem divina non resolvitur nisi extrinsecè in motiva credibilitatis; & cùm quærenti, quare credo Deum esse veracem, & revelasse mysterium trinitatis, respondeo me credere, quia utrumque apparet mihi credibile per motiva credibilitatis, non affero rationem formalem, propter quam assentior in actu fidei veracitati & revelationi; hæc enim ratio est revelatio ipsa, ut reflexa supra se ipsam, & veracitatem virtualiter; sed affero conditionem sufficienter applicantem intellectui existentiam veracitatis & revelationis divinæ ad hoc, ut ex pia motione voluntatis intellectus per fidem divinam assensu super omnia firmo credat mysterium Trinitatis, propter veracitatem & revelationem divinam; veracitatem verò & revelationem propter ipsam revelationem, ut est virtualis & implicita sui ipsius & veracitatis revelatio, ibi sistendo.

Ex dictis hactenùs clarum est objectum formale fidei divinæ adæquatè consistere in revelatione & veracitate divina, quod complexum à Scholasticis modò prima veritas revelans, modò revelatio primæ veritatis nominatur. Unde fides divina est actus, quo assensu super omnia certo ex pia & libera motione voluntatis assentimur alicui objecto revelato propter primam veritatem revelantem, propter revelationem primæ veritatis, propter revelationem & veracitatem divinam creditas propter ipsam revelationem præcisè. Qui actus supponit plures alios, nempe perceptionem motivorum credibilitatis, motivorum illorum maturam considerationem, prudens & firmum judicium de honestate & obligatione credendi, cujus judicii objectum formale sunt motiva credibilitatis existentiam revelationis credibiliter saltem suadentia, & piam credulitatem, seu piam & liberam motionem voluntatis efficaciter applicantis intellectum ad credendum super omnia veritatem revelatam propter revelationem & veracitatem divinam, & revelationem ac veracitatem divinam propter ipsam revelationem.

ARTICULUS V.

Utrùm revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debeant esse obscuræ.

Responsio I.

UT revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, requiritur & sufficit, ut obscurè tantùm ostendant rem revelatam.

Prob. 1. *pars*. Nempe quòd requiratur, &c. Si prima veritas revelans, non obscurè, sed evidenter ostenderet veritatem revelatam, moveret ad actum evidentem & necessarium, quo intellectus evidenter & necessariò assentiretur veritati revelatæ. Atqui talis actus non esset fides divina. Ergo si prima veritas revelans, non obscurè, sed evidenter ostenderet veritatem revelatam, non moveret ad actum fidei divinæ, sed ad alium actum à fide divina distinctum, & specificè diversum, & consequenter non esset objectum formale fidei divinæ, sed alterius actus, ab ea distincti, & specificè diversi. Major non habet difficultatem: nam intellectus evidenter & necessariò assentitur omni veritati evidenti, sive per se, sive per aliud, quocum connexa est, sit evidens.

Prob. min. Nam actus fidei divinæ est inevidens, non solùm permissivè, sed etiam positivè & exigitivè, hoc est, non solùm non postulat ex suis intrinsecis esse evidens, sed è contra essentialiter exigit esse obscurus, & non cognoscere evidenter rem revelatam; ut ostenditur, 1. ex Scriptura. Apostolus enim fidem divinam describens, dicit illam esse *argumentum non apparentium*, hoc est, actum, quo veritates revelatæ certò quidem, sed obscurè cognoscuntur. Unde 1. Cor. c. 13. ait, ea quæ per fidem divinam creduntur, per illam non videri, nisi in ænigmate: *Videmus*, inquit, *nunc per speculum & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*.

2. Ex

2. Ex Patribus. Nam v. gr. S. Augustinus tract. 40. in Joan. sic habet: *Quid est fides, nisi credere quod non vides?*

3. Ex communi Theologorum & Philosophorum consensu: nam unanimiter constituunt fidem divinam in medio quodam gradu inter scientiam, quæ est clara rei cognitio; & opinionem, quæ est assensus formidolosus; docentque fidem divinam superari ab actu scientiæ per evidentiam, & superare per certitudinem actum opinionis.

Quòd si actus fidei divinæ est essentialiter inevidens, est essentialiter liber, & subjectus libero voluntatis imperio: intellectus enim ad assensum obscurum, præsertim certum, & super omnia certum, qualis est fides divina, non potest determinari nisi à voluntate præventa, excitata & adjuta per interiorem gratiam. Hinc illud S. Augustini tract. 26. in Joan. *Multa potest facere homo non volens, credere non potest nisi volens.* Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Nempe quòd sufficiat, &c. Nam quoties intellectus assentietur veritati revelatæ propter veracitatem & revelationem obscurè tantùm illam ostendentes, & quidem assensu illarum infallibilitati proportionato, toties eliciet actum fidei divinæ: actus enim, quem eliciet, habebit omnia ad fidem divinam requisita. Nam 1. erit actus obscurus: actus enim ille obscurus est, qui nititur objecto formali, obscurè tantùm ostendenti objectum materiale; sicut actus ille evidens est, qui nititur objecto formali, à quo objectum materiale evidenter ostenditur.

2. Erit actus positivè liber: nam elicietur ex positivo imperio voluntatis determinantis intellectum ad assentiendum. Et verò non assentitur intellectus objecto materiali, nisi determinetur vel ab objecto formali, vel à voluntate ipsum positivè applicante ad assentiendum. At hìc non determinabitur ab objecto formali, quia non potest determinari ab objecto formali, obscurè tantùm ostendente veritatem objecti materialis. Ergo determinabitur à voluntate ipsum positivè applicante ad assentiendum.

3. Erit actus super omnia firmus: habebit enim, ut supponitur, firmitatem proportionatam infallibilitati primæ veritatis revelantis. 4. Habebit pro motivo intrinseco & adæquato testimonium divinum, sive primam veritatem revelantem. 5. Erit actus pius & honestus: nam elicietur ab homine ex affectu sincero & appretiativè summo se submittendi authoritati divinæ: non enim potest homo adhærere super omnia objecto revelato, præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, obscurè tantùm veritatem ejus ostendenti, nisi ex affectu se submittendi authoritati divinæ sincero & appretiativè summo. 6. Erit actus meritorius & supernaturalis: actus enim ille meritorius & supernaturalis est, quo ab homine exhibetur liberè Deo supremus cultus intellectualis.

Responsio II.

Veracitas & revelatio simpliciter evidentes secundùm se & immediatè, non possunt esse objectum formale fidei divinæ.

Prob. Ex Resp. 1. Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, debent obscurè tantùm ostendere veritatem rei revelatæ. Atqui si essent ambæ simpliciter evidentes immediatè & secundùm se, non obscurè, sed evidenter ostenderent veritatem rei revelatæ. Ergo tunc nec essent, nec possent esse objectum formale fidei divinæ. Et verò tunc nunquam movere possent intellectum, mediante libera voluntatis applicatione, ad assensum obscurum, qualis est essentialiter assensus fidei divinæ; sed per immediatam suam evidentiam semper intellectum raperent, & determinarent ad assensum evidentem ac necessarium, proindeque à fide divina specificè diversum. Ad hoc itaque ut revelatio & veracitas divina possint esse objectum formale fidei divinæ, requiritur ut neutra sit, vel saltem ut alterutra non sit evidens simpliciter secundùm se & immediatè, seu, quod idem est, ut utraque, vel saltem alterutra sit immediatè & secundùm se obscura.

Obj. 1. Revelatio & veracitas divina sunt extrinsecæ veritati revelatæ. Ergo non ostenderent evidenter veritatem revelatam, etiamsi essent in se & immediatè evidentes simpliciter. *Probabis conseq.* Nam nullum medium extrinsecum potest evidenter ostendere veritatem objecti, quantumvis supponatur in se & immediatè evidens, & evidenter cum veritate objecti connexum. *Resp.* neg. conseq. & ejus probationem, quæ si vera esset, neque causa per effectum; neque effectus per causam demonstrari posset: effectus enim causæ suæ extrinsecus, & vicissim causa effectui suo extrinseca est; & ita impossibilis esset omnis demonstratio sive à priori, sive à posteriori; quod est absurdum.

Obj. 2. Fidei divinæ solùm repugnat veritatem revelatam cognoscere evidenter in se ipsa. Ergo non illi repugnat eam cognoscere evidenter in alio, nempe in revelatione & veracitate divina immediatè & in se evidentibus. *Resp.* neg. ant. Nam fidei divinæ repugnat esse actum evidentem & necessarium. Esset autem actus evidens & necessarius, si veritatem revelatam evidenter cognosceret; quamvis illam non in se ipsa, sed in alio evidenti, evidenter cum illa connexo, cognosceret; ut patet ex actu, quo causa per effectum, vel effectus per causam demonstrativè cognoscitur.

Obj. 3. De fidei humanæ essentia solùm est, ut nitatur authoritate hominis loquentis. Ergo pariter de essentia fidei divinæ solùm est, ut nitatur authoritate Dei loquentis. Item fides humana potest esse actus evidens & necessarius. Ergo & fides divina. *Resp. ad* 1. Permisso antecedente nego conseq. Disparitas est, quia per fidem divinam non intelligitur qualiscumque assensus rei revelatæ datus propter authoritatem Dei loquentis; sed assensus, quo fidelis propter authoritatem Dei loquentis adhæret veritati revelatæ, ex pio & libero affectu se submittendi authoritati divinæ. Unde de essentia fidei divinæ est, ut sit actus obscurus & positivè liber, & consequenter ut nitatur authoritati Dei loquentis saltem secundùm se & immediatè aliquatenùs obscura, hoc est, saltem secundùm se & immediatè obscura vel ratione revelationis, vel ratione veracitatis, vel ratione utriusque.

Resp. ad 2. neg. ant. Nam nunquam objectum formale fidei humanæ evidens esse potest secundùm se totum: quantùmvis enim locutio hominis sit in se & immediatè evidens, semper ejus veracitas obscura est; nam nunquam potest evidens esse hominem loquentem nec falli, nec fallere velle; cùm in omni homine sapientia & bonitas sint defectibiles. Unde fides humana est essentialiter assensus obscurus & formidolosus, aut saltem cum formidine compossibilis; cùm nitatur motivo obscuro & fallibili.

Responsio III.

Revelatio & veracitas inevidentes in se, quamvis simpliciter evidentes sint in motivis credibilitatis evidentia magna morali, possunt esse objectum formale fidei divinæ.

Prob. Nam 1. S. Thomas hìc q. 5. art. 2. in O. sic ait: *Si aliquis propheta prænunciaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando, & hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè hoc dici à Deo, qui non mentitur.* Ex quibus verbis sic argumentor. Si quis videret mortuum suscitari in confirmationem alicujus revelationis divinæ, haberet saltem evidentiam magnam moralem, hanc revelationem esse à Deo summè veraci. At posset adhuc & teneretur credere fide divina: alioquin Judæi videntes Christum mortuos suscitantem, ut probaret se esse Messiam, non debuerunt, nec potuerunt credere ipsum esse Messiam: quod est absurdum.

2. Apostoli, qui cum Christo pluribus annis versati

sati sunt, potuerunt & debuerunt credere fide divina mysterium incarnationis, etiam post Christi in cœlos assumptionem; & tamen circa hujus mysterii revelationem habuerunt evidentiam simplicem saltem magnam moralem: talem enim evidentiam non potuerunt non habere, qui Christum in omnibus, ut hominem Deum decebat, se gerentem tandiu experti fuerant, qui eum tot & tanta miracula patrantem, morbos innumeros sanantem, calcantem maria, tempestates sedantem, expellentem dæmones, mortuos suscitantem, redivivum è mortuis, in cœlos ascendentem suis oculis viderant; addè quòd ipsimet sola nominis illius invocatione morbos quoslibet sanabant, suscitabant mortuos, aliaque plurima prodigia operabantur. Hanc evidentiam expressit Joannes Apostolus epistol. 1. cap. 1. his verbis: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ. Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis, &c.*

3. Evidens fuit evidentia magna morali Apostolo Paulo, quòd raptus fuerit usque ad tertium cœlum; B. Virgini, quòd non naturali, sed miraculosa Dei opera conceperit; Lazaro, quòd mortuus, & à mortuis revocatus fuerit. Ergo fuerunt illis evidentes evidentia magna morali revelationes divinæ, quæ prodigiis illis confirmabantur. Atqui nihilominùs poterant & debebant credere fide divina revelationes illas, & propter revelationes illas, veritates revelatas. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia quandiu revelatio & veracitas divina sunt in se inevidentes, nec sunt evidentes, nisi in alio, tandiu secundùm se obscurè tantùm ostendunt veritatem rei revelatæ. Ergo tandiu secundùm se aptæ sunt, mediante imperio voluntatis, movere intellectum ad assensum obscurum veritatis revelatæ super omnia firmum. Et verò quidni sub simplici evidentia illa magna morali, quam supponuntur habere revelatio & veracitas divina per motiva credibilitatis, quidni, inquam, possit homo vel Angelus, ex generali, plena & absoluta voluntate se submittendi authoritati divinæ, assentiri assensu appretiativè summo veritati revelatæ præcisè propter revelationem & veracitatem divinam; ita ut motivum intrinsecum & adæquatum assensùs sint revelatio & veracitas per se creditæ, quamvis per se non magis apparentes esse, quàm non esse, & ita per se & secundùm se omninò obscuræ? Ergo, &c.

Dices 1. Exempla ad probationem assertionis allata, non sunt ad rem: nam esto v. gr. quòd Apostoli evidenter cognoverint evidentia magna morali revelationem mysterii incarnationis: at non cognoverunt veracitatem divinam nisi obscurè, seu non cognoverunt veracitatem divinam evidenter evidentia simplici, sed solùm evidentia credibilitatis. Unde mirum non est quòd credere potuerint fide divina mysterium incarnationis propter revelationem divinam, cujus necessariam connexionem cum veritate mysterii revelati nonnisi obscurè cognoscebant.

Resp. Apostolos, hoc ipso quòd habuerunt evidentiam simplicem magnam moralem revelationis, habuisse etiam veracitatis divinæ. Nam hoc ipso, quòd illis simpliciter evidens fuit evidentia magna morali Deum esse locutum, simpliciter quoque evidens illis fuit evidentia magna morali, primam veritatem locutam esse: cum ratio primæ veritatis reluceat in idea Dei.

Præterea, cùm motiva credibilitatis sint opera miraculosa & supernaturalia; per se tendunt ad ostendendam revelationem divinam, ut testificationem entis supremi, & toti naturæ dominantis, & consequenter ut testificationem entis, summam in testificando authoritatem habentis. Unde si habent evidentiam similiarem, cum simplici evidentia manifestant revelationem divinam, ut testificationem entis habentis summam in testificando authoritatem, proindeque evidenter ostendunt non solùm revelationem, sed etiam veracitatem divinam.

Dices 2. Revelatio & veracitas divina simpliciter evidentes per motiva credibilitatis evidentia magna morali, determinarent ad assensum evidentem & necessarium veritatis revelatæ. *Resp.* Si determinarent, at saltem non determinarent, nisi ad assensum proportionatum evidentiæ motivorum, & consequenter non determinarent, nisi ad assensum inferiorem assensu appretiativè summo; & ita adhuc relinqueretur locus assensui obscuro, sed appretiativè summo, quo intellectus ex imperio voluntatis adhærere posset veritati revelatæ præcisè propter revelationem & veracitatem divinam.

Responsio IV.

A fortiori revelatio & veracitas divina inevidentes in se, & solùm evidenter credibiles per motiva credibilitatis, possunt esse objectum formale fidei divinæ.

Prob. Simplex enim evidentia major est evidentia credibilitatis; nam evidentia simplex evidenter ostendit existentiam rei: evidentia verò credibilitatis solum ostendit evidenter existentiam rei esse dignam fide firma, seu solùm ostendit evidenter non posse nisi imprudenter & temerè negari existentiam rei. Ergo si revelatio & veracitas divina inevidentes in se, possunt esse objectum formale fidei divinæ, etiamsi habeant evidentiam simplicem à motivis credibilitatis, à fortiori possunt, si à motivis illis habeant tantùm evidentiam credibilitatis.

ARTICULUS VI.

Utrùm revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debeant saltem esse evidenter credibiles.

Nota 1. Credibile dicitur hìc, quod est dignum fide firma, sive id, quod non potest nisi imprudenter & temerè negari, aut in dubium revocari. Undè evidenter credibile dicitur hìc quod evidenter apparet dignum fide firma, sive id quod evidenter apparet, non posse nisi imprudenter & temerè negari, vel in dubium revocari. Sensus igitur quæstionis est, utrùm ad hoc, ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, requiratur ut saltem evidenter appareat per motiva credibilitatis, illas non posse nisi imprudenter negari, vel in dubium revocari.

Nota 2. Objectum formale non movet, nisi cognitum: objectum enim formale dicitur id, quod cognitum, & quà cognitum movet nos ad assentiendum vel dissentiendum. Unde ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad assentiendum alicui veritati, debet esse saltem priùs natura cognitum, quàm cognoscatur illa veritas; & ita ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad assentiendum alicui veritati assensu firmo, debet esse saltem priùs natura cognitum actu firmo; proindeque ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad assentiendum alicui veritati assensu appretiativè firmissimo, debet esse saltem priùs natura cognitum actu appretiativè firmissimo.

Nota 3. Fides divina est essentialiter actus certus, & consequenter est essentialiter actus prudens: nam certitudo actus duo dicit, nempe prudentiam & firmitatem, & firmitas sine prudentia non est certitudo, sed pertinacia. Unde nihil potest credi fide divina, nisi prudenter credi possit, & ita quoties homo credit aliquid fide divina, credit prudenter; & quoties credit imprudenter, toties credit alio actu, quà fidei divinæ. Præterea, cum fides divina sit essentialiter actus prudens & firmus, non quavis firmitate, sed firmitate appretiativè summa, nam fides divina est actus prudens & firmus firmitate proportionata authoritati Dei loquentis, quæ summa est; nihil potest credi fide divina, nisi possit prudenter

credi

credi firmitate appretiativè summa propter summam authoritatem Dei loquentis, quæ est motivum intrinsecum & adæquatum fidei divinæ.

RESPONSIO.

Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, requiritur saltem, & sufficit, quòd sint evidenter credibiles per motiva credibilitatis.

Prob. 1. *pars*. Nempe quòd requiratur saltem, &c. Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale fidei divinæ, debent credi fide divina. Atqui non possunt credi fide divina, nisi saltem per motiva credibilitatis appareant credibiles. Ergo, &c.

Prob. min. Ut revelatio & veracitas divina possint credi fide divina, debent posse credi prudenter cum firmitate appretiativè summa propter se. Atqui non possunt prudenter credi cum firmitate appretiativè summa propter se, nisi saltem per motiva credibilitatis appareant credibiles. Ergo, &c. *Prob. min.* Revelationem & veracitatem divinam apparere credibiles per motiva credibilitatis nihil aliud est, quàm ex motivis credibilitatis clarè intelligi illarum existentiam non posse nisi imprudenter & temerè negari, vel in dubium revocari. Atqui revelatio & veracitas divina non possunt prudenter credi cum firmitate appretiativè summa propter se, nisi priùs saltem ex motivis credibilitatis clarè intelligatur illarum existentiam non posse nisi imprudenter & temerè negari vel in dubium revocari. Ergo, &c.

Hinc meritò ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio: *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus*. Hinc S. Thomas qu. 1. art. 4. ad 2. docet ea quæ subsunt fidei, ab illo qui credit, esse visa sub communi ratione credibilis. Et hanc rationem subdit: *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi*.

Prob. 2. *pars*. Nempe quòd sufficiat, &c. Nam ut revelatio & veracitas divina possint esse objectum formale fidei divinæ, sufficit quòd possint credi fide divina. Atqui hoc ipso possunt credi fide divina, quòd per motiva credibilitatis apparent credibiles. Ergo, &c. *Prob. min.* Hoc ipso possunt credi fide divina, quòd possunt prudenter credi cum firmitate appretiativè summa propter se. Atqui ut possint prudenter credi cum firmitate appretiativè summa propter se, sufficit quòd per motiva credibilitatis appareant credibiles. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam hoc ipso, quòd ex motivis credibilitatis clarè intelligitur non posse prudenter negari, vel in dubium revocari existentiam revelationis & veracitatis divinæ, reverentia Deo loquenti debita postulat, ut homo plenè & absolutè sese subjiciat summæ illius authoritati, credendo cum firmitate appretiativè maxima existentiam revelationis & veracitatis ejus; proindeque tunc potest prudenter homo velle ex pleno & absoluto affectu se subjiciendi summæ authoritati Dei loquentis, credere cum firmitate appretiativè maxima revelationem & veracitatem divinam.

Obj. 1. Evidentia credibilitatis, quam haberent revelatio & veracitas divina per motiva credibilitatis, necessitaret intellectum. Ergo nullum relinqueret locum fidei divinæ. *R.* dist. ant. Necessitaret intellectum ad judicandum non posse nisi imprudenter & temerè negari, vel in dubium revocari existentiam revelationis & veracitatis divinæ, C. ant. Necessitaret intellectum ad credendam cum firmitate appretiativè summa revelationem & veracitatem divinam, N. ant. & conseq. Itaque evidens credibilitas revelationis & veracitatis divinæ, quantacumque esse supponatur, imò ut constat ex dictis Articulo superiore, simplex evidentia, etiam magna moralis existentiæ revelationis & veracitatis divinæ, non impedit actum fidei, sed è contra utraque ad illum præparat & accingit intellectum, qui supposita evidenti credibilitate, vel evidentia simplici existentiæ revelationis & veracitatis divinæ, potest prudenter à voluntate ex pio affectu credendi Deo loquenti, determinari ad credendum cum firmitate appretiativè maxima revelationem & veracitatem divinam propter se, & veritatem revelatam propter revelationem & veracitatem divinam, quod est fide divina credere.

Obj. 2. Si revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debent saltem habere evidentiam credibilitatis, evidentia illa credibilitatis cadit sub actum fidei. Falsum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam evidentia credibilitatis, quam revelatio & veracitas divina debent habere, ut sint objectum formale fidei, cadit solùm sub actum evidentem & necessarium, quo intellectus judicat existentiam revelationis & veracitatis divinæ dignam esse assensu firmo; vel, si vis, quo judicat non posse prudenter dubitari de existentia revelationis & veracitatis divinæ; quo actu præsuppositio, potest intellectus ex imperio voluntatis assentiri existentiæ revelationis & veracitatis divinæ assensu appretiativè certissimo: modò tamen (quod semper subintellectum esse volumus) non desint necessaria, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, gratiæ auxilia.

Obj. 3. Si revelatio & veracitas divina, ut sint objectum formale fidei divinæ, debent esse saltem evidenter credibiles, rustici v. gr. & pueri non possunt habere fidem divinam. Absurdum conseq. Ergo, &c. *Resp.* A nobis ad assensum fidei divinæ non requiri respectu omnium in revelatione & veracitate divina, evidentiam credibilitatis absolutam & perfectam, hoc est, eam quæ ad excludendam omnem prudentem dubitationem sufficiat respectu omnium, etiam eorum qui docti & ingenioſi sunt, possuntque cum ordinariis gratiæ auxiliis bene ponderare & penetrare motiva, quibus suadentur revelationes divinæ. Alioqui soli docti & ingenioſi possent habere fidem divinam, quod est absurdum.

Solùm itaque ad fidem divinam & objectum ejus formale requirimus in revelatione & veracitate divina evidentiam credibilitatis vel absolutam & perfectam, vel saltem imperfectam & relativam, hoc est, evidentiam credibilitatis uniuscujusque captui proportionatam, qualis potest esse respectu rustici ab authoritate parochi, & respectu pueri ab authoritate parentis: nam authoritas parochi respectu rustici, (idem dic de authoritate parentis respectu pueri) potest esse tanti ponderis, ut pariat illi moralem evidentiam & certitudinem de existentia revelationis & veracitatis divinæ; moralem, inquam, evidentiam & certitudinem, non absolutam & perfectam, sed imperfectam & relativam, captuique rustici proportionatam, sufficientem tamen, respectu rustici, ad assensum fidei divinæ; quia respectù illius sufficit ad judicium practicum de credibilitate revelationis & veracitatis divinæ, sive ad actum, quo rusticus evidenter judicet voluntatem posse hìc & nunc prudenter imperare intellectui ut assentiatur revelationi & veracitati divinæ, & propter ipsas objecto revelato, assensu appretiativè firmissimo.

Hinc distingui debent duplicis generis motiva credibilitatis. Primi generis sunt motiva credibilitatis absolutæ & perfectæ, quæ absolutè & respectu omnium sufficiunt ad fidem: talia sunt opera miraculosa facta à Deo in confirmationem doctrinæ Christianæ. Secundi generis sunt motiva credibilitatis imperfectæ & relativæ, quæ respectù aliquorum tantùm ad fidem sufficiunt: talis est authoritas parentis respectu pueri, authoritas parochi respectu rustici, &c. Sola tamen motiva primi generis solent intelligi, cum nominantur motiva credibilitatis.

Dices 1. Gratis asseritur evidentia illa credibilitatis imperfecta & relativa sufficere respectu rudiorum, ad hoc ut revelatio & veracitas divina movere possint ad assensum fidei divinæ. Ergo vel nulla requiritur ad fidem divinam in revelatione & veracitate divina evidentia credibilitatis; vel si requiritur aliqua, necessaria est etiam respectu omnium evidentia credibilitatis absoluta & perfecta.

Resp. neg. ant. Nam ver. gr. cùm parochus inter concionandum è pulpito dicit Deum revelasse mysterium incarnationis, rusticus qui audit, & doctum ac probum existimat parochum, præcisè propter ejus authoritatem, evidenter judicat evidentia morali, imperfecta quidem, sed sibi proportionata, existentiam revelationis, non nisi imprudenter in dubium revocari posse; sicque præcisè propter authoritatem parochi habet certitudinem moralem imperfectam quidem, sed sibi proportionatam, de existentia revelationis; qua certitudine præsupposita, sine alia evidentia credibilitatis possunt esse omnia proximè requisita ad assensum fidei divinæ in rustico illo.

At inquies. Cum sola illa evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, non potest esse judicium practicum ad actum fidei divinæ proximè requisitum. *Resp.* neg. Nam rusticus cum sola evidentia credibilitatis relativa, habet actum, quo evidenter evidentia sibi proportionata judicat non posse nisi imprudenter dubitari de existentia revelationis, & consequenter habet certitudinem moralem sibi proportionatam de existentia revelationis; quam certitudinem, superveniente nova interioris gratiæ illustratione, naturali quadam necessitate ex ordinatione divina sequitur judicium practicum ad fidem proximè requisitum, actus scilicèt, quo rusticus evidenter judicat voluntatem posse prudenter imperare intellectui, ut revelationi & rei revelatæ propter revelationem assentiatur assensu appretiativè firmissimo.

Dices 2. Rusticus cum evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, non potest habere summam certitudinem de existentia revelationis, qualis tamen requiritur ad actum fidei divinæ: nam ad fidem divinam requiritur, ut credens assentiatur rei revelatæ propter revelationem assensu super omnia firmo; quod facere non potest, nisi habeat summam certitudinem de existentia revelationis. *Resp.* Rusticum cum evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, habere certitudinem summam de existentia revelationis. Pro quo

Nota. Rusticus habens evidentiam credibilitatis imperfectam & relativam de existentia revelationis, & ex instinctu Spiritus Sancti credens rem revelatam propter revelationem evidentia illa credibilitatis imperfecta & relativa sibi evidentem, habet duplicem certitudinem de existentia revelationis; unam ab actu, quo judicat non posse nisi imprudenter dubitari de existentia revelationis; & alteram, quam habet ab actu, quo ex pia motione voluntatis credit rem revelatam, propter revelationem. Prima est tantùm certitudo moralis, & quidem imperfecta, sed captui rustici proportionata. Secunda est certitudo divina & summa, quia rusticus eodem actu, quo assentitur mysterio revelato propter revelationem, assentitur etiam priùs saltem ratione existentiæ ipsius revelationis assensu appretiativè certissimo, voluntate efficaciter applicante intellectum ad talem assensum.

Prima certitudo fundatur in evidentia credibilitatis imperfecta & relativa, quam habet rusticus de existentia revelationis per authoritatem parochi; unde est solùm certitudo imperfecta & relativa. Secunda certitudo præsupponit quidem evidentiam credibilitatis imperfectam & relativam, & certitudinem moralem in ea fundatam, ideòque ei commensuratam, ac proinde non nisi imperfectam & relativam: at in neutra fundatur, sed fundatur in ipsa revelatione, quæ hoc ipso, quòd est evidens rustico evidentia captui ejus proportionata, potest à rustico credi assensu super omnia certo; quia tunc voluntas potest prudenter imperare intellectui ut credat revelationem assensu super omnia firmo.

Hæc igitur secunda certitudo ad hoc requisita, ut fide divina credatur mysterium revelatum, & divina est, quia fundatur in excellentia divinæ revelationis, & summa est, quia voluntas à Spiritu S. specialiter excitata & corroborata, efficaciter applicat intellectum divina gratia adjurum, ad assentiendum existentiæ revelationis assensu super omnia certo.

Dices 3. Si vera revelatio potest fieri evidenter credibilis rustico per authoritatem parochi, potest per eandem authoritatem fieri illi evidenter credibilis falsa revelatio. Absurdum cons. nam evidentia credibilitatis non potest cadere in falsum. Ergo, &c. *R.* neg. min. *Ad prob. Resp.* dist. Evidentia credibilitatis absoluta & perfecta, quæ sufficit respectu omnium, etiam doctorum, & qualem habent mysteria religionis nostræ à motivis, de quibus infra, non potest cadere in falsum, C. Evidentia credibilitatis imperfecta, & relativa, & qualis sufficit respectu rudiorum tantùm, non potest cadere in falsum, Neg. & in hoc non est ullum inconveniens.

At inquies. Si falsa revelatio potest fieri evidenter credibilis rustico, poterit rusticus credere fide divina falsam revelationem. *Resp.* neg. Nam actus fidei divinæ habet essentialiter veram revelationem pro objecto formali.

At inquies. Saltem poterit credere falsam revelationem assensu super omnia firmo, & quidem propter authoritatem divinam. *Resp.* neg. Nam non habebit adjutorium gratiæ, sine quo voluntas non potest imperare ob reverentiam authoritatis divinæ, assensum super omnia firmum.

At inquies. Actus, quo assentietur falsæ revelationi, erit ab habitu infuso fidei divinæ. *Resp.* neg. Quia habitus fidei infusæ (idem dic de omnibus aliis virtutibus infusis) nunquam agit, nisi ex prævia motione speciali Spiritus Sancti. At Spiritus S. non potest specialiter movere ad actum falsum, sicut nec potest specialiter movere ad actum sive formaliter sive etiam materialiter tantùm malum.

Dices 4. Si vera revelatio fit evidenter credibilis rustico per authoritatem parochi, poterit è contra fieri illi incredibilis, & revelatio falsa opposita fieri illi credibilis per authoritatem apud illum notabiliter præponderantem, puta per authoritatem episcopi affirmantis parochum errare, & contrarium à Deo revelatum esse. Absurdum cons. alioqui poterit rusticus actum fidei divinæ priùs elicitum propter veram revelationem credibiliter propositam per authoritatem parochi, poterit, inquam, prudenter, imò & meritoriè retractare. Ergo, &c.

Resp. neg. min *Ad prob. Resp.* Quòd rusticus in casu proposito actum fidei divinæ priùs elicitum poterit prudenter prudentia erronea, & consequenter inculpatè revocare: at nego quòd poterit meritoriè: nam actus quo revocabit, erit materialiter malus: actus autem etiam materialiter tantùm malus, non potest esse meritorius. Et verò omnis actus meritorius elicitur ex speciali instinctu Spiritus Sancti: at actus materialiter malus non potest esse ex speciali instinctu Spiritus Sancti. Ergo, &c.

At inquies. Actus fidei divinæ semel conceptus, nunquam potest prudenter revocari. *Resp.* dist. Nunquam potest prudenter revocari, si fuerit conceptus ex revelatione evidenter credibili evidentia absoluta & perfecta, C. quò pertinet illud Apostoli ad Gal. cap. 1. *Licèt nos, vel Angelus evangelizet vobis, præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit*. Si fuerit conceptus ex revelatione evidenter credibili evidentia imperfecta & relativa tantùm, subdist. Non potest prudenter revocari per se, & ratione objecti formalis, C. iterùm. Nam actus fidei divinæ est essentialiter verus, nititurque motivo absolutè infallibili, & absoluta infallibilitate connexo cum veritate objecti materialis. Non potest prudenter revocari per accidens, & ratione subjecti, cui ad credendum fide divina sufficere potest evidentia credibilitatis, quæ, quia valdè imperfecta est, elidi, imò & superari potest per aliam evidentiam cadentem in revelationem existimatam oppositam, N.

AR-

ARTICULUS VII.

Utrùm revelatio privata sufficiat ad objectum formale fidei divinæ, & an publica, ut sit objectum formale fidei divinæ, debeat proponi ab Ecclesia.

Nota. Revelatio distingui potest duplex, publica & privata. Revelatio publica est ea, quæ Prophetis & Apostolis facta est pro tota Ecclesia, & postea per universum orbem evulgata est. Revelatio privata est ea, quæ alicui vel aliquibus fit, non pro tota Ecclesia, sed pro ipsis solis. Itaque quoties Deus aliquid alicui revelat sine ordine ad Ecclesiam, cui Deus per eam, cui loquitur, velut per internuncium & legatum, vult tradi revelationem suam, est revelatio privata, ut cùm Deus alicui Sancto revelat ipsum esse de numero prædestinatorum. Quòd si Deus aliquid alicui revelat ex intentione, ut revelatio Ecclesiæ tradatur per eum cui fit, hoc ipso est publica revelatio.

Ex his autem patet revelationem privatam non esse confundendam cum spiritu privato hæreticorum, quem hæretici velut supremum judicem controversiarum agnoscunt, nihilque aliud est, quàm proprius cujusque sensus, quo proprio judicio pertinaciter adhæret, aliorumque sententiam damnat: cùm è contra revelatio privata sit vera revelatio facta à Deo credibiliter sine ordine ad Ecclesiam.

RESPONSIO I.

Ad objectum formale fidei divinæ sufficit revelatio privata, facta credibiliter.

Prob. Nam fides divina est actus, quo intellectus ex imperio voluntatis assentitur assensu super omnia certo veritati revelatæ propter primam veritatem revelantem. Sed voluntas potest imperare intellectui, ut assentiatur assensu super omnia certo veritati revelatæ propter primam veritatem revelantem, etiam cùm privatim revelat, modò sit evidenter credibile quòd revelet: nam prima veritas revelans tam digna est assensu super omnia firmo, cùm privatim revelat, quàm cùm revelat publicè, modò revelet credibiliter. Ergo, &c.

Confirm. Quia revelatio privata tam sufficit ad objectum formale fidei divinæ, quàm revelatio publica: nam revelatio publica non est objectum formale fidei divinæ, quà revelatio publica, sed quà revelatio divina, credibiliter proposita; & quòd revelatio sit publica, est aliquid planè impertinens ad objectum formale fidei divinæ, petitum ab intentione Dei volentis, ut revelatio, quæ fit immediatæ Prophetæ vel Apostolo, per eum velut internuncium tradatur Ecclesiæ.

RESPONSIO II.

Ad objectum formale fidei divinæ non requiritur absolutè, ut revelatio publica proponatur ab Ecclesia.

Prob. Nam ad objectum formale fidei divinæ sufficit, quòd Deus revelarit, & sit credibile quòd revelarit. Atqui sine propositione & authoritate Ecclesiæ potest revelare, & revelationem suam reddere evidenter credibilem per miracula, & alia signa ad id adhibita, ut manifestum est. Ergo, &c.

Confirm. Nam primi parentes, Abraham, Moyses, & multi alii crediderunt fide divina sine propositione & authoritate Ecclesiæ. Item sine propositione Ecclesiæ credidit fide divina Evangelio Apostolus, ut ipse testatur in epist. ad Galatas, cap. 1. ubi ait, se non accepisse Evangelium ab homine, neque didicisse, sed accepisse per revelationem Jesu Christi. Item fide divina credimus ipsam Ecclesiam propter revelationem, nobis evidenter credibilem per motiva credibilitatis, distincta ab authoritate ipsius Ecclesiæ. Ergo, &c.

Obj. 1. illud Apostoli Rom. cap. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur* (ab Ecclesia scilicet, & legitimis ejus pastoribus?) *R.* Apostolum velle tantùm, quòd ad credendum mysteria fidei nostræ, prædicatio ordinariè necessaria fit, quòd nemo sibi possit assumere munus & authoritatem prædicandi. Quocum tamen manet mysteria fidei nostræ credi posse sine propositione & authoritate Ecclesiæ. Nam 1. Deus potest sine ministerio pastorum Ecclesiæ, per se vel per Angelum instruere de rebus fidei ad salutem pertinentibus, instruere, inquam, hominem, quantùm oportet ut credat. 2. Quamvis nemo authoritate privata possit sibi assumere munus prædicandi, & ad hoc opus sit missione vel ordinaria, accepta ab Ecclesia, vel extraordinaria, à Deo accepta immediatè, signis divinis confirmata, & approbata ab Ecclesia; potest nihilominus quilibet Christianus, licèt nec à Deo nec ab Ecclesia ad hoc deputatus, potest, inquam, fidem suam ubique profiteri, & infidelibus privatim exponere, atque miraculis, Deo ipsi cooperante, evidenter credibilem reddere. Et verò hoc pacto multos infideles ad fidem conversos esse per servos & ancillas docent historiæ Ecclesiasticæ.

Obj. 2. Prædicatores fidei non possunt sine authoritate Ecclesiæ reddere sufficienter credibiles revelationes divinas. Ergo authoritas Ecclesiæ necessaria est ad credendum fide divina. *R.* Prædicatores fidei non posse communiter sine authoritate Ecclesiæ reddere sufficienter credibiles revelationes divinas, quia cùm communiter careant virtute patrandi miracula, aliave signa exhibendi, ex quibus sufficienter appareat ea, quæ annunciant, esse à Deo revelata, ordinariè non habent à se sufficientem credibilitatem, & ita ordinariè tenentur illam aliunde accersere: quod faciunt probando se veræ Ecclesiæ adhærere, & se nomine ejus loqui, & doctrinam ejus exponere.

Obj. 3. Testimonium Ecclesiæ est medium ordinarium, necessarium ad majorem declarationem veritatum, quæ in Scripturis & traditionibus confusè tantùm revelatæ sunt, itemque ad decidenda dubia, quæ in materia fidei oriuntur. Ergo, &c. *R.* ita esse. At 1. post majorem veritatum confusè revelatarum declarationem, factam per Ecclesiam, posset aliquis, nulla facta mentione Ecclesiæ, veritates illas proponere, & propositionem suam evidenter credibilem reddere, si haberet donum miraculorum. 2. Ut credantur fide divina veritates, quæ in Scripturis clarè revelantur, sufficit sine ullo interventu Ecclesiæ illarum annunciatio, facta credibilis per miracula, aliave argumenta.

Obj. 4. Secundùm legem Dei ordinariam non creditur sine medio illo, quod Christus instituit, ut fidei dogmata propagarentur. Atqui tale medium, & quidem unicum, est propositio veritatum revelatarum, facta ex authoritate Ecclesiæ. Ergo, &c. *R.* neg. propositionem veritatum revelatarum factam ex authoritate Ecclesiæ, esse unicum medium à Christo institutum ad propaganda fidei dogmata: cùm aliter quàm per authoritatem Ecclesiæ possint annunciari, & interdùm aliter annunciata fuerint cum sufficienti credibilitate ad credendum fide divina, ut jam notatum est.

Obj. 5. S. Augustinus, lib. contra epist. fundamenti cap. 5. sic ait: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas; qua sublata, nec jam Evangelio credere potero.* *R.* S. Doctorem verbis illis nihil aliud significare velle, quàm sine testimonio Ecclesiæ se non habere sufficientem credibilitatem, quòd Evangelium constans tot libris, capitulis, versiculis, &c. sit verè divinum, & ex omni parte canonicum. Quod rectè dictum esse à Sancto Doctore agnoscimus: nam quòd Evangelium (idem dic de reliqua Scriptura sacra) in omnibus suis partibus sit verè divinum & canonicum, ordinariè non constat sufficienter, nisi per Ecclesiæ testimonium: quamvis hoc ipsum, sicut & aliæ veritates revelatæ, per aliam viam posset fieri evidenter credibile; ut si quis ad probandum quod Evangelium

sit

sit in omnibus suis partibus canonicum & divinum, patraret aliquod miraculum.

Obj. 6. Omnis assensus fidei divinæ resolvitur essentialiter in propositionem & authoritatem Ecclesiæ, tanquam in partem objecti formalis. Ergo nullus assensus fidei divinæ potest esse sine propositione Ecclesiæ. *R.* neg. ant. Nam assensus fidei divinæ essentialiter resolvitur in primam veritatem revelantem, tanquam in objectum formale adæquatum. Prima autem veritas revelans, quà talis, potest sine authoritate Ecclesiæ sufficienter proponi ad credendum, & quandoque proposita est.

DISPUTATIO II.

De objecto materiali fidei divinæ.

ARTICULUS I.

Utrùm objectum materiale fidei divinæ sit necessariò verùm.

Nota. Objectum materiale fidei divinæ adæquatè sumptum, consistit in collectione omnium veritatum revelatarum à Deo. Dividitur, velut totum in partes, in objectum attributionis, & attributum. Objectum attributionis est illud, ad quod cætera revelata referuntur, & est Deus cum sui perfectionibus: nam reliqua omnia ideò revelata sunt, & per fidem creduntur, ut Deus ejusque perfectiones melius cognoscantur. Unde reliqua omnia revelata dicuntur & sunt objectum attributum fidei.

Item objectum materiale fidei dividitur, velut totum in partes, in veritates primarias, & secundarias. Veritates primariæ sunt illæ, quarum fides ad salutem necessaria est, & vocantur Articuli fidei; quorum præcipui in Symbolo Apostolorum continentur. Veritates secundariæ sunt illæ, quas ad salutem consequendam necesse non est credere, sed satis est, si non discredantur, aut in dubium revocentur: neque idcircò dici possunt inutiliter revelatæ, quia suo modo conducere possunt ad manifestandas perfectiones divinas, putà ut partes integrales historiæ declarantis providentiam, & bonitatem, vel aliam aliquam perfectionem divinam.

Nota iterùm. Inter veritates revelatas aliæ sunt per se absolutè necessariæ, ut quòd Deus sit unus in essentia, & trinus in personis; quòd sit omnipotens, æternus, &c. Aliæ verò sunt secundùm se omninò contingentes, ut quæ revelata sunt de incarnatione, de vita & miraculis Christi, &c. Unde sumitur occasio quærendi utrùm res à Deo revelatæ, saltem prout subsunt divinæ revelationi, ita sint necessariò veræ, ut qui credit rem revelatam propter revelationem divinam, nec fallatur, nec falli possit unquam.

RESPONSIO.

Res à Deo revelatæ, quatenùs subsunt divinæ revelationi, sunt infallibiliter veræ infallibilitate absoluta.

Prob. Absolutè impossibile est res à Deo revelatas, falsas esse ex hypothesi revelationis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Si possibile est res à Deo revelatas, falsas esse ex hypothesi revelationis, possibile est Deum revelare falsum. Atqui absolutè impossibile est Deum revelare falsum. Ergo, &c. *Prob. min.* Si possibile est Deum revelare falsum, vel quia potest judicare de rebus aliter quàm sunt, & ita falli circa id quod revelat; vel quia potest loqui de rebus contra judicium suum, & ita fallere circa id quod revelat. Neutrum dici potest. Non primum; nam alioqui Deus non erit infinitè sapiens. Non etiam secundum; nam alioqui Deus non habebit summam veracitatem, nec summam authoritatem in dicendo, & ita non erit ens, quo nihil melius cogitari potest.

Confirm. utraque pars. Quia esse infinitè sapientem, esse summè veracem, habere summam in dicendo authoritatem, sunt perfectiones simpliciter simplices, proindeque clarè continentur in integra idea entis summè perfecti, & quo nihil melius cogitari potest. Ergo nec falli, nec fallere posse, clarè continetur in integra idea entis summè perfecti, & quo nihil melius cogitari potest. Ergo nec falli, nec fallere posse, essentialiter convenit Deo. Unde non minùs verè quàm eleganter dicit Augustinus lib. 1. de Symbolo c. 1. *Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, &, quod Apostolus ait, negare se ipsum non potest. Quàm multa non potest, & omnipotens est? Et ideò est omnipotens, quia ista non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens, si mentiri, si falli, si iniquè agere non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens.*

Obj. 1. Multa Scripturæ loca sunt contradictoria. Ergo & falsa ex aliqua parte: nam ex duobus contradictoriis unum est verum, & alterum falsum. Nego ant. *Probabis.* Genes. cap. 4. v. 9. dicitur: *Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Et v. 12. *Omnis caro corruperat viam suam super terram.* Item Genes. cap. 1. scribitur Deum creasse mundum sex diebus: Ecclesiastici verò cap. 18. creasse omnia simul. Item Gen. cap. 32. Jacob ait, *Vidi Dominum facie ad faciem.* Et Exodi cap. 20. dicit Deus: *Non videbit me homo, & vivet.* Item Ezech. cap. 18. legitur: *Filius non portabit iniquitatem patris:* Et Exodi cap. 20. Deus ait se visitare iniquitatem patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem. Item Job cap. 1. confitetur se peccasse: *Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?* Et cap. 27. contrarium affirmat. *Neque*, inquit *reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Item Paulus Rom. cap. 3. sic habet: *Arbitramur justificari hominem sine operibus legis:* & Jacobus epist. suæ cap. 2. *Videtis quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.*

R. ad 1. Cùm dicitur, *Omnis caro corruperat viam suam*; to, *omnis* summi in suppositione restricta. Pro quo *nota*, Deum in Scripturis non semper uti propositionibus universalibus in rigore metaphysico, sed interdùm uti in sensu morali, in quo parum pro nihilo reputatur, & dicitur omne aut totum id quod ferè totum est. *R. ad* 2. sensum Ecclesiastici esse Deum esse æquè omnium rerum creatorem, quamvis non eodem tempore, sed successivè creaverit. *R. ad* 3. Jacob loqui de visione Dei sub specie externa & sensibili, Deum verò de visione essentiæ suæ in se ipsa. *R. ad* 4. Deum in primo loco loqui de pœna spirituali, & in secundo de pœna temporali. *R.* 5. in primo loco agi de peccatis levibus, & in secundo de gravibus. *R. ad* 6. Paulum loqui de operibus merè naturalibus, Jacobum verò de operibus factis ex fide & gratia Christi.

Obj. 2. Habentur in Scripturis variæ prædictiones & promissiones, quæ non fuerunt impletæ. Item Gen. cap. 4. Deus affirmavit Caino eum non esse occidendum, & tamen à Lamech occisus est. Idem Joan. c. 7. v. 8. Christus asserit se non ascensurum esse ad diem festum, & tamen ascendit, ut constat ex eod. c. v. 10.

R. ad 1. prædictiones & promissiones illas fuisse condionatas; unde mirum non est, quòd conditione non purificata, non fuerint impletæ.

Nota obiter, promissiones, sicut & comminationes divinas, sæpè specietenùs absolutas esse, in eisque subintelligendam conditionem aliquam, vel exceptionem. Non tamen ad quemlibet pertinet ejusmodi conditiones vel exceptiones promissionibus aut comminationibus divinis apponere; sed ut asserantur, debent constare vel ex ipsa Scriptura, vel ex Traditione, vel ex authentica Ecclesiæ declaratione, vel ex ipsa evidentia propositionis, qua promissio vel comminatio continetur, vel denique ex gravi aliqua & evidenti ratione, absque ullo inconvenienti.

R. ad 2. Deum non respondisse Caino eum non esse occidendum, sed eum non esse occidendum impunè, ut patet ex ipso textu: nam Caino dicenti;

Om-

Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me; respondet Deus: *Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.*

R. ad 3. Christum rogatum, ut ascenderet ad diem festum palàm & publicè, juxta sensum & petitionem eorum, à quibus rogabatur, respondisse se non ascensurum, palàm scilicet & publicè; quod & præstitit: nam *ut ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.*

Obj. 3. Aliqui in Scriptura falsum locuti sunt ex instinctu Spiritus Sancti, ut cœcus à nativitate, cùm dixit, Joan. cap. 9. *Peccatores Deus non audit.* Imò multi in Scriptura ex instinctu Spiritus Sancti mentiti sunt, ut Jacob, cum respondit patri, Gen. c. 27. *Ego sum primogenitus tuus Esau.* At Abrahamus, cap. 22. ubi dicens servis se reversurum ex monte cum filio Isaac, contra mentem locutus est. Ergo Deus potest per alios falsum loqui & mentiri. Ergo potest etiam per se ipsum: nam qui potest per alios mentiri, potest etiam per se ipsum: cùm mentiri per alios & mentiri per se ipsum, sint idem in æstimatione prudenti.

R. neg. ant. quoad utramque partem. Neque enim omnia dicta vel facta à quibuslibet personis, etiam à Patriarchis, & aliis sanctis viris, quæ in Scripturis narrantur, à peccato excusari debent, aut possunt; proindeque non omnia facta vel dicta etiam Patriarcharum, vel aliorum sanctorum virorum, quæ narrantur in Scripturis, Deo inspiranti attribui debent, vel possunt. In Scripturis instinctu Spiritus Sancti loquuti sunt Christus, Prophetæ, Apostoli, aliique sanctiores viri, laudati à Scriptura, dum loquuti sunt dogmaticè, & ex quorum dictis Ecclesia vel Patres argumentantur.

Ad 1. *exemplum R.* 1. gratis & sine fundamento dici quòd cœcus natus loquutus sit ex instinctu Spiritus Sancti, cùm dixit peccatores à Deo non audiri. *R.* 2. cœcum natum verum dixisse, si intellexit peccatores à Deo non exaudiri, ad patranda miracula, quibus homines in errorem inducantur, & in confirmationem alicujus falsi dogmatis: quem sanè sensum habere potuerunt verba cœci in iis circumstantiis, in quibus prolata fuerunt.

Ad 2. *R.* 1. Augustinum, aliosque Patres excusare Jacob à mendacio, juxta quorum mentem concedi potest loquutum esse ex instinctu Spiritus Sancti. *R.* 2. non deesse, qui sentiunt Jacob mentitum esse, sed negant eum ex instinctu Spiritus Sancti loquutum esse.

Ad 3. *R.* conced. Abrahamum loquutum esse ex instinctu Spiritus Sancti; sed nego illum esse mentitum: non enim contra mentem loquutus est, quia sperabat Isaac brevi post immolationem ad vitam revocatum iri, ut promissiones de illo factæ implerentur.

Obj. 4. Deus potest decipere. Ergo potest falsum revelare. *R.* Deum posse decipere, non directè, falsum asserendo, sed permissivè: potest enim permittere, propter mala hominum merita, ut decipiantur, & hanc deceptionem sibi tanquam non impedienti & liberè permittenti attribuere. Hoc sensu explicandum est illud lib. 3. Regum cap. 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum.* Et illud Ezechielis cap. 14. *Propheta cùm erraverit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Et illud 2. Thessal. c. 2. *Ideò mittet* (Deus) *illis operationem erroris, ut credant mendacio.*

Instabis. Atqui Deus potest decipere directè. Nego. *Probabis.* Nam 1. Deus potest quidquid non implicat. Atqui deceptio non implicat. 2. Multi homines, putà increduli, vel nimiùm creduli, merentur decipi. 3. Deus nulla lege tenetur ad non decipiendum; cùm non habeat superiorem, à quo legem accipiat. 4. Lib. 3. Regum cap. 22. Deus imperat spiritui mendacii, ut decipiat Regem Israel: *Decipies & prævalebis, egredere, & fac ita.* At quod Deus potest facere per alium, potest & per se ipsum. 5. Judicum, cap. 20. Israelitæ consulentes Dominum, num ut pugnarent contra Benjamitas, ab eo positivè decepti sunt.

Ad 1. *R.* dist. Deus potest quidquid non implicat absolutè, & secundùm se, N. nam Deus non potest peccare, quamvis peccatum absolutè & secundùm se non implicet. Deus potest quidquid non implicat relatè ad ipsum Deum, & ad ullum attributum divinum, C. At directè decipere homines, repugnat divinæ veracitati; sicut peccare, repugnat sanctitati divinæ.

Ad 2. *R.* ex eo sequi tantùm quòd Deus possit permittere ut multi homines decipiantur, non verò quòd Deus possit illos directè decipere. Ex eo enim quòd quis mereatur pœnam, non sequitur quòd possit illi pœna infligi quovis modo, etiam inordinato.

Ad 3. *R.* Deum nulla quidem lege teneri ad non decipiendum; at ex suis intrinsecis essentialiter determinatum esse ad non faciendum, quod alicui attributo divino, puta veracitati, repugnat: & in hoc sensu sibi ipse lex est, ne decipiat; sicut sibi ipse lex est, ne peccet, quia ex se essentialiter determinatus est ad non faciendum id, quod sanctitati suæ repugnat.

Ad 4. *R.* verba citata exprimere, non imperium, sed permissionem. *Ad* 5. *R.* Israelitas, non à Deo, sed à se ipsis fuisse deceptos. Nam à Deo petierunt tantùm num deberent ascendere Gabaa, & pugnare contra Benjamitas, nulla de victoria ob præsumptionem interrogatione facta. Unde Deus respondit tantùm, ut ascenderent, & pugnam inirent, & de pugnæ successu, de quo non fuerat interrogatus, planè tacuit. Hinc si ex oraculi divini responsione deceptionis occasionem sumpserunt, & à Benjamitis semel iterumque cæsi sunt, sibi imputare debuerunt.

ARTICULUS II.

Utrùm mysteria nostræ fidei sint saltem evidenter credibilia.

Responsio.

Mysteria nostræ fidei habent saltem evidentiam credibilitatis maximam, hoc est, tantam, quanta esse potest infra evidentiam simplicem.

Prob. Nam illud habet evidentiam credibilitatis, quod evidenter apparet non posse sine imprudentia & temeritate negari, aut in dubium revocari. Atqui mysteria nostræ fidei non possunt nisi imprudentissimè & insanissimè negari, aut in dubium revocari; & non posse evidens est evidentia maxima per argumenta credibilitatis, quibus probatur veritas doctrinæ Christianæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam per hæc argumenta saltem evidenter apparet evidentia maxima non posse nisi imprudentissimè & insanissimè negari, aut in dubium revocari, quòd Deus sit author doctrinæ christianæ, & mysteria nostræ fidei revelaverit. Ergo, &c.

Prob. ant. 1. Evidens est saltem, evidentia credibilitatis maxima, doctrinam illam non esse ab impostore, sed habere Deum authorem, quæ nullius falsitatis vel mendacii unquam convinci potuit; quæ nihil continet quod rationi adversetur, imò quod rationi non consonet; quæ mirum in modum commendat sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, aliaque attributa divina; quæ ex omni parte sancta est & immaculata; cùm nihil turpe & inhonestum sit, quod non damnet, nihil bonum & honestum, quod non præcipiat vel consulat, nullum vitium quod non dehortetur, nulla virtutum officia, quæ non præscribat vel suadeat; cùm præterea nullus sit diligendi Deum modus excellentior eo quem docet & præscribit; nullus finis sanctior & præstantior eo quem proponit, & ad quem dirigit; nulla media ad hunc finem assequendum aptiora iis quæ suggerit; quæ denique divinam prorsus vim habet in hominibus ad integritatem & sanctitatem morum revocandis; ita ut universum penè orbem ab idolorum & dæmonum cultu ad unius veri Dei cultum converterit. Quæ hominibus adulteris,

ris, fornicatoribus, homicidis, rapacibus, avaris, in parentes vel dominos rebellibus, injustis, immitibus, pudicitiam, fraternam charitatem, rerum terrenarum despicientiam, mansuetudinem, obedientiam, æquitatem, humilitatem persuasit; innumeros nuptiis virginitatem, opibus voluntariam paupertatem, honoribus & dignitatibus obscurioris vitæ humilitatem, deliciis absolutam voluptatum omnium abstinentiam anteponere, atque sola rerum cœlestium meditatione, ac virtutum professione delectari hactenùs docuit. Atqui talis est doctrina Christiana. Ergo, &c.

Prob. ant. 2. Evidens est evidentia credibilitatis maxima, doctrinam illam esse divinam, quam evidens est evidentia credibilitatis maxima in mundum introductam & propagatam esse virtute divina, ut patet ex terminis. Atqui evidens est evidentia, &c. doctrinam christianam virtute divina in mundum introductam & propagatam: doctrinam enim creditu difficilimam, naturæ corruptæ inimicissimam, vitia omnia omnesque affectus vel leviter inordinatos damnantem, ad voluptatum, divitiarum, & honorum fugam, imò ad sui odium homines adhortantem, ab aliquor piscatoribus, omni nobilitatis, opum, favoris, eloquentiæ, authoritatis præsidio destitutis prædicatam, toto interea conatu repugnantibus urbium Magistratibus, Præfectis provinciarum, & ipsis Regibus ac Imperatoribus, atque sectatores hujus doctrinæ exilio, bonorum proscriptione, tormentis, & morte crudelissima mulctantibus; evidens est saltem evidentia credibilitatis maxima non potuisse nisi virtute divina ita propagari, ut ab universo penè orbe approbata & recepta sit repudiato paganismo, quamvis possessionis plurimus sæculis continuatæ privilegio gauderet, naturæ corruptæ omnia indulgeret, atque innordinatis ejus affectibus in omnibus obsequeretur. Atqui, &c.

Prob. ant. 3. Evidenter credibile est etiam evidentia maxima, doctrinam illam habere Deum authorem, quæ innumerabiles penè martyres habuit inter quos numerantur non solùm viri fortes, sed etiam decrepiti senes, imbecilles fœminæ pueruli, virgunculæ, qui exilium, bonorum jacturam, exquisitissima tormenta, & mortem ipsam pati maluerunt, quàm doctrinam hanc, licèt creditu difficillimam, & naturæ corruptæ adversantem in omnibus, vocetenùs ejurare, & contrariam, quamvis inordinatis naturæ affectibus omnia indulgentem, etiam specietenùs profiteri: nam evidens est evidentia credibilitatis maxima, id sine magna Dei virtute fieri non potuisse. Atqui certò certius est doctrinam christianam innumerabiles penè martyres habere; inter quos numerantur, &c. His adde quod in martyribus illis admirabilis morum integritas, in respondendo sapientia, alacritas & constantia in patiendo, in omnes & maximè carnifices charitas eluxerit, atque in ipsa illorum morte & post illam infinita prodigia contigerint, quorum omnium ita evidens & constans est relatio, ut nemo sanæ mentis eam possit repudiare. Ergo, &c.

Prob. ant. 4. Doctrina illa non est ab impostore, sed habet Deum authorem, in cujus confirmationem facta sunt vera miracula: nam verum miraculum non potest esse nisi à Deo: verum enim miraculum dicitur opus, quod superat vires naturales omnium creaturarum. Unde quod confirmatur vero miraculo, confirmatur testimonio Dei, qui falsum testari non potest. Atqui evidens est evidentia credibilitatis maxima, facta esse vera miracula in confirmationem doctrinæ christianæ. Ergo, &c.

Prob. min. Nam miracula, quæ Christo doctrinæ christianæ authori attribuuntur, habent evidentiam credibilitatis maximam, & quòd facta & quòd vera fuerint: ab oculatis enim testibus, in quibus omnia, vitæ sanctitas veritatis studium, gloriæ divinæ zelus, rerum omnium humanarum despicientia, humilitas, castimonia, &c. eximia fuere, ab oculatis, inquam, illis testibus scripta sunt stylo simplici, & ab omni falsitatis vel adulationis suspicione remotissimo, & palàm prædicata & evulgata in oculis & auribus infensissimorum & scelleratissimorum Judæorum, qui ea aut facta aut vera fuisse miracula nunquam ausi sunt negare; atque hactenùs ab innumeris hominibus, qui christianismum amplexi sunt, & inter quos longè plurimi ingenio, doctrina, sapientia, sanctitate vitæ excelluerunt: indubitata fide credita. Ergo, &c.

Similiter miracula ab Apostolis in confirmationem doctrinæ christianæ facta, habent evidentiam credibilitatis maximam, & quòd facta & quòd vera fuerint; cùm in illis absque ulla hæsitatione asserendis & credendis hactenùs per tot sæcula universus orbis christianus conspiraverit.

Prob. ant. 5. Evidens est evidentia saltem credibilitatis maxima, Christum doctrinæ christianæ authorem, verum affirmasse, & non imposuisse, cum dixit se doctrinam suam à Deo accepisse: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Ergo evidens est evidentia saltem credibilitatis maxima, doctrinam christianam esse verè divinam.

Prob. ant. Nam evidens est evidentia maxima, quod non nisi imprudentissimè negari, vel dubitari possit, vera esse ea omnia, quæ de Christo narrantur in Evangeliis, tum propter admirabilem vitæ integritatem illorum qui ea scripserunt, tum propter stylum quo scripta sunt, ab omni falsitatis, mendacii, adulationis, & cujuscumque inordinati affectus specie alienissimum, tum propter eorum divinam planè in convertendis ad Deum animis, & moribus ad sanctitatem informandis energiam, tum propter summam reverentiam illi hactenùs habitam, tum denique propter tantam tot virorum doctrina ingenio, sanctitate & sapientia spectabilium, imò & totius ferè orbis conspirationem in eis tanquam divinis Scripturis accipiendis, & indubitata fide tenendis, quamvis doctrinam humani ingenii superbiæ, & naturæ corruptæ proclivitati molestissimam contineant. Ergo evidens est evidentia maxima, quod non nisi imprudentissimè negari vel dubitari possit Christi conceptionem ab Angelo prænunciatam; eum à Virgine admirabili Spiritus sancti opera conceptum; nativitatem ejus à magna Angelorum è cœlo delapsorum multitudine celebratam; eum Angeli admonitu à nece, quam ei intentabat Herodes, præservatum; eum innumera miracula vel solo voluntatis nutu patrasse; in eo divinam sapientiam eluxisse; eum absolutissimum virtutum omnium exemplar fuisse; in ejus morte plurima & stupenda prodigia contigisse, solem miraculosè obscuratum, saxa rupta, mortuos ad vitam revocatos; eum post triduum resurrexisse, & post dies quadraginta in cœlos ascendisse. Quæ omnia evidens est evidentia credibilitatis maxima, in impostorem cadere non potuisse. Ergo, &c.

Prob. ant. 6. Evidens est evidentia credibilitatis maxima, Christum esse Deum. Ergo evidens est evidentia credibilitatis maxima, doctrinam christianam à Deo revelatam & traditam esse. *Prob. ant.* Nam Christus dixit esse Deum, ut patet ex cap. 10. Joan. ubi Christo interroganti Judæos, quare vellent eum lapidare, respondent: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Atqui evidens est evidentia credibilitatis maxima, Christum non esse mentitum, cum se Deum dixit: nam evidens est saltem evidentia credibilitatis maxima, Christum non fuisse impostorem, ut patet ex dictis superiori argumento.

Præterea, Christus non solùm se Deum dixit, sed etiam innumeris miraculis confirmavit, & confirmasse evidens est evidentia credibilitatis maxima; imò tam est evidens, quàm evidens est ipsum Christum tali ætate vixisse. Ergo vel Christus verum dixit se Deum dicendo; vel Deum impostum & blasphemiam omnium execrandissimam suo testimonio non semel aut iterùm, non centies, sed millies confirmasse dicendum est: quod secundum fieri non potuisse, simpliciter evidens est omni habenti veram Dei ideam. Ergo, &c.

AR-

ARTICULUS III.

Utrùm evidens sit non solùm evidentia credibilitatis maxima, sed etiam evidentia simplici, mysteria religionis christianæ esse vera, & à Deo revelata.

Nota. Triplex distingui potest evidentia propositionis, nempe evidentia verisimilitudinis, evidentia credibilitatis, & evidentia simplex. Quæ triplex evidentia latitudinem habet, & modò major est, modò minor. Evidentia verisimilitudinis, seu, ut alii loquuntur, evidentia probabilitatis, est ea qua convincitur intellectus de verisimilitudine propositionis, & vi cujus consequenter intellectus evidenter & necessariò judicat propositionem dignam esse aliquo assensu, quamvis formidoloso. Evidentia credibilitatis est ea, qua convincitur intellectus de credibilitate propositionis, & vi cujus consequenter intellectus evidenter & necessariò judicat propositionem esse dignam assensu firmo, nec posse nisi imprudenter & temerè negari, aut in dubium revocari. Evidentia simplex est ea, qua intellectus convincitur de veritate propositionis, qua proinde præsente, evidenter & necessariò judicat propositionem esse veram; ita ut, quandiu præsens est hæc evidentia, sic rapiat & possideat intellectum, ut ab eo excludat omnem dubitationem etiam involuntariam circa veritatem propositionis. Quem effectum nec habet, nec habere potest evidentia credibilitatis, & multò minùs evidentia verisimilitudinis, quæ omnium minima est.

Simplex evidentia duplex est, una scilicet evidentia propositionis in se ipsa, quando evidenter apparet convenientia prædicati cum subjecto; altera verò evidentia propositionis in alio, quando intellectus per aliud convincitur de veritate propositionis, sed non apparet evidenter quomodo prædicatum subjecto conveniat. Exempli gratia, hæc propostio, Totum est majus sua parte, est simpliciter evidens in se ipsa, quia intellectus non solùm evidenter cognoscit totum esse majus sua parte, sed etiam quomodò sit majus sua parte. At hæc propositio, Magnes attrahit ferrum, est simpliciter evidens in alio tantùm: nam per experientiam convincitur quidem intellectus magnetem attrahere ferrum, sed non cognoscit evidenter quomodò attrahat.

Similiter hæc propositio, Deus est trinus, est simpliciter evidens in se respectu beatorum: cùm enim intuitivè Deum videant, non solùm evidenter cognoscunt Deum esse trinum, sed etiam quomodò hæc, Deus unus & trinus, inter se concilientur. At respectu viatorum, non est simpliciter evidens, nisi in alio, nempe in revelatione divina, suppositio tamen quòd simpliciter evidens sit Deum revelasse mysterium Trinitatis: quia in hac suppositione intellectus viatoris convincitur quidem per revelationem Deum esse trinum, sed non videt clarè quomodo hæc inter se concilientur, Deus existens unus & trinus. Unde hæc propositio, Deus existit unus & trinus, non est evidens in se viatori propter revelationem simpliciter evidentem, sed solùm evidenter vera: quod valdè diversum est.

Evidentia simplex potest adhuc subdividi in metaphysicam, physicam, & magnam moralem. Metaphysica est ea, quam absolutè repugnat esse fallacem. Physica est ea, quam fallacem esse non repugnat, nisi de lege Dei ordinaria. Moralis magna est ea, quam moraliter impossibile est esse falsam; ita ut licèt non repugnet absolutè, tamen nunquam contingit eam fallere: quare cum physica confundi potest.

Nota iterum. In hac quæstione agitur, non de simplici evidentia rei in se, sed de simplici evidentia rei in alio. Nam planè certum est, quòd argumenta credibilitatis, quibus probantur mysteria religionis christianæ, non faciant trinitatem v.g. vel incarnationem videri in se, vel evidenter cognosci quomodo sint, aut, si vis, non faciant evidenter cognosci convenientiam prædicati cum subjecto in his propositionibus, Deus est unus & trinus, Verbum est incarnatum. Superest ergo ut quæramus utrùm faciant evidenter cognosci vera esse mysteria nostræ religionis, seu, quod idem est faciant evidenter cognosci veras esse has propositiones, Deus est trinus, Verbum est incarnatum, &c. evidenter ostendendo verum esse, quòd Deus illas revelaverit. Quod perinde est, ac si quæratur utrùm veritates revelatæ, & revelationes divinæ sint evidentes simpliciter in alio, nempè in motivis credibilitatis. Huic autem quæstioni ut satis fiat, sit

RESPONSIO.

Evidens est etiam evidentia simplici mysteria religionis christianæ esse vera, & à Deo revelata.

Prob. 1. Simpliciter evidens est Christum esse Deum. Ergo simpliciter evidens est doctrinam christianam esse divinam; proindeque simpliciter evidens est doctrinam christianam esse veram, & à Deo traditam. Consequentia patet: cùm enim Christus sit author doctrinæ christianæ, non potest esse simpliciter evidens Christum esse Deum, quin etiam simpliciter evidens sit Deum esse doctrinæ christianæ authorem, & consequenter doctrinam christianam esse divinam, veram, & à Deo traditam. Tota ergo difficultas est in antecedente, quod multis modis deinceps demonstrabitur.

1. itaque *prob. ant.* ex Scriptura. Nam Scriptura iisdem terminis, aut saltem æquivalentibus dicit divinitatem Christi innotescere per signa ab eo edita, quibus dicit innotescere existentiam divinam per creaturas: nam loquens de notitia existentiæ divinæ per creaturas compatibili, sic ait Sap. cap. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et Rom. cap. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.*

Similiter cùm loquitur de notitia divinitatis Christi comparata, vel comparabili per signa ab eo edita, sic habet Coloss. cap. 1. *Mysterium* (Verbi incarnati) *quod absconditum fuit à sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus.* Et Joan. cap. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Et ejusdem cap. 2. *Manifestavit gloriam suam.* Et ejusdem epist. 1. c. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et Psal. 97. *Notum fecit Dominus salutare suum ... Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.* Ergo Scriptura eamdem attribuit evidentiam divinitati Christi propter signa ab eo edita, quam attribuit existentiæ divinæ propter creaturas. Atqui attribuit evidentiam simplicem existentiæ divinæ propter creaturas, ut volunt ipsimet adversarii nostri, & ita constat ex Patrum & Theologorum consensu, ut contrarium sit erroneum, vel saltem temerarium, & in fide minimè tutum. Ergo pariter attribuit evidentiam simplicem divinitati Christi propter signa ab eo edita.

Prob. 2. *ant.* authoritate SS. Patrum, pro quibus omnibus sit Augustinus epist. 3. ita de Verbo incarnato loquens: *Num homine assumpto alium mundum facere debuit, ut eum esse crederemus, per quem factus est mundus? Sed nec major mundus, nec isti æqualis in hoc mundo fieri posset. Si autem minorem faceret infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur. Quia ergo non oportebat, ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. Homo enim de virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam resuscitatus, & super cœlos exaltatus, potentius fortasse opus est, quàm mundus.* Ergo ex S. Augustino, Christus eximia quædam miracula patrando, tam, imò fortasse magis ostendit se Deum esse, quàm si alterum mundum in hoc mundo creasset. Atqui creando alterum mundum in hoc mundo,

do, ostendisset evidenter evidentia simplici se Deum esse: nam simpliciter evidens est actionem creativam pertinere ad solum Deum: simpliciter enim manifestum est, quòd operari sequatur esse, & consequenter quòd ens independens in operando (ita ut nec ullius causæ concursu egeat, nec ex parte operis prærequirat, nisi meram possibilitatem, sed meam non repugnantiam ad existendum) sit ens independens in essendo, ac proinde ens à se existens, quod est Deus. Ergo à fortiori Christus evidenter ostendit evidentia simplici se Deum esse, cùm eximia quædam miracula patravit.

At inquies. Christus per alterum mundum à se, creatum ostenderet nobis evidenter evidentia simplici se Deum esse, qui videremus illum alterum mundum, & ita haberemus evidentiam simplicem existentiæ illius. At non habemus evidentiam simplicem eximiorum illorum miraculorum, quæ patravit Christus; non enim illa videmus, aut vidimus. Ergo Christus per illa miracula nec ostendit, nec ostendere potest nobis evidenter evidentia simplici se Deum esse.

R. neg. min. Nam non vidimus quidem, nec videmus eximia illa miracula à Christo patrata, sed habemus relationem illorum testatissimam, in ordine ad pariendam evidentiam intellectualem, & convincendum intellectum, æquivalentem visioni, imò & fortasse præponderantem. Et verò priùs contingeret subesse falsum visioni qua objecta circumstantia percipio, quàm relationi illi, qua mihi constat eximia illa à Christo patrata esse miracula, ut facilè agnoscet quivis prudens perspicax rerum æstimator, & potiùs diffiderem de visione mea, quàm de relatione illa.

Prob. 3. *ant. primi syllog.* ex S. Thoma, qui hìc quæst. 5. art. 2. in O. sic ait: *Si aliquis propheta prænunciaret in sermone domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè hoc dici à Deo, qui non mentitur*. Ex quibus verbis sic argumentor. Si quis videret à propheta suscitari mortuum in confirmationem alicujus rei prænunciatæ nomine Dei, haberet evidentiam simplicem revelationis divinæ & rei prænunciatæ in illa suscitatione mortui, & conviceretur de veritate revelationis divinæ & rei prænunciatæ per illam mortui suscitationem. Ergo à fortiori, qui videret Christum non unum sed plures mortuos suscitantem, aliaque innumera miracula patrantem ut probaret se Deum esse, haberet evidentiam simplicem revelationis divinæ & divinitatis Christi in illis miraculis, & convinceretur de veritate revelationis divinæ, & divinitatis Christi per illa miracula. Atqui habemus aliquid æquivalens tali visioni in ordine ad gignendam evidentiam intellectualem, & intellectum convincendum, nempe testatissimam relationem mortuorum olim suscitatorum à Christo, aliorumque innumerorum miraculorum ab eo factorum in confirmationem suæ divinitatis. Ergo possumus habere evidentiam simplicem divinitatis Christi in illis miraculis, & convinci de veritate divinitatis Christi per illa miracula, ab eo olim facta.

Præterea, paucis interjectis sic eodem loco de dæmonibus prosequitur S. Doctor, *Vident multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesiæ à Deo esse quamvis ipsi res ipsas, quas Ecclesia docent non videant, puta Deum esse trinum & unum, vel aliquid hujusmodi*. Quibus verbis distinguit duplicem evidentiam simplicem S. Doctor, nempe evidentiam rei in se ipsa, & evidentiam rei in alio, & dicit dæmones habere per motiva credibilitatis articulorum nostræ fidei (quorum è præcipuis unus est divinitas Christi) evidentiam simplicem in alio, nempe in ipsis motivis; quamvis non habeant evidentiam simplicem illorum in se. Quam doctrinam confirmavit in responsione ad 1. 2. & 3. Ergo motiva credibilitatis ex se apta sunt ad ostendendam evidenter veritatem articulorum nostræ fidei, & consequenter divinitatis Christi. Ergo possumus habere evidentiam simplicem divinitatis Christi, sicut & aliorum articulorum nostræ fidei, in motivis credibilitatis, & Christum esse Deum simpliciter evidens est etiam respectu nostri.

At inquies. Dæmones habent perspicaciam intellectualem humana longè majorem. *R.* hunc excessum perspicaciæ intellectualis in dæmonibus posse in nobis compensari per auxilium interioris gratiæ illustrantis, sine qua fateor non posse nos attingere vim motivorum credibilitatis, eorumque veritatem sicut oportet, ut in illis evidenter cognoscamus veritatem revelationum divinarum, & articulorum nostræ fidei, atque de realitate illorum plenam convictionem habeamus.

At inquies. Dæmones semper viventes, semper vigiles ubicumque volunt ferè momento præsentes, omnia aut penè omnia motiva credibilitatis per se & propria experientia norunt, non verò per aliorum relationem, ut homines, qui brevi tempore, & in exigua mundi parte ferè omnes sigillatim sumpti versantur. *R.* hanc relationem de se sufficientissimam esse, ad convincendum intellectum de realitate motivorum illorum, & pariendam veritatis motivorum illorum evidentiam simplicem: cùm non magis ei subesse falsum possit quàm relationi, qua urbem Romam nobis, qui illam non vidimus, tam constat existere, quàm illis, qui eam viderunt.

Prob. 4. *ant. primi syllog.* Miracula Christi, cùm ab eo fiebant, vim habebant ostendendi evidenter veritatem divinitatis illius in iis, à quibus videbantur. Atqui nunc eamdem vim habent. Ergo nunc veritas divinitatis Christi cognosci potest evidenter in miraculis ab illo olim factis, & consequenter etiam nunc simpliciter evidens est Christum esse Deum.

Prob. 1. *maj.* Nam veritas divinitatis Christi evidenter cognita fuit in miraculis ab eo factis, non solùm à dæmonibus, ut testatur Scriptura pluribus locis, sed etiam ab Apostolis, ut probant verba Joannis supra relata. Præterea, miraculum evidenter connexum est cum veritate rei cujus est testimonium: cùm enim miraculum sit opus divinum, simpliciter evidens est illud non posse fieri in confirmationem falsi, quia simpliciter evidens est Deum non posse falsum attestari.

Prob. 2. *min.* Nam si miracula à Christo olim facta, non habent eandem vim ostendendi evidenter veritatem divinitatis ejus, quam olim habuerunt, certè quia non est simpliciter evidens illa à Christo facta fuisse. Atqui hoc dici non potest: tam enim evidens est illa à Christo facta fuisse, quàm evidens est Christum ipsum tali ætate vixisse: nam iisdem planè testimoniis constat Christum tali ætate vixisse, & talia miracula fecisse. Atqui simpliciter evidens est Christum tali ætate vixisse. Ergo etiam simpliciter evidens est eum talia miracula fecisse.

At inquies. Non est tam evidens Christum tali ætate vixisse, quam evidens est v.g. extitisse Imperium Romanum: nam quòd Imperium Romanum extiterit, constat ex testimonio innumerabilium testium oculatorum: quod de Christo dici non potest. Ergo gratis dicitur, quòd simpliciter evidens sit Christum tali ætate vixisse. *R.* 1. neg. cons. Nam evidentia simplex, præsertim physica & moralis, non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem, & potest esse modò major, modò minor. Unde intellectus potest modò magis, modò minùs convinci de veritate alicujus objecti; quamvis de illa simpliciter convincatur; & modò cum majori, modò cum minori necessitate rapi ad assensum, ad quem tamen simpliciter necessitatur.

R. 2. neg. ant. *Ad prob. R.* circumstantiam illam plurium testium oculatorum, quæ stat pro Imperio Romano olim existente, abundè compensari, & fortasse superari per plures alias circumstantias, quibus munitur relatio qua nobis constat Christum tali ætate vixisse. Et verò quis neget innumerabilium testium oculatorum testimonio saltem æquivalere in ordine ad evidentiam intellectualem, & plenam intellectus convictionem pariendam, testimonium plurimorum testium oculatorum, nempe Apostolorum &

disci-

discipulorum Christi, in quibus eximia fuere omnia, vitæ sanctitas, veritatis studium, gloriæ divinæ zelus, rerum omnium humanarum despicientia, modestia, humilitas, castimonia, & cœteræ omnes virtutes, cum virtute patrandi miracula, mortuos suscitandi, morbos quoslibet sanandi, &c.

Christum & ejus miracula toto Imperio Romano, imò toto ferè terrarum orbe prædicarunt, non honores ambientes, non lucrum quærentes, non voluptatibus indulgentes, non principum favorem aucupantes, non hominibus blandientes, sed vitia omnia carpentes, simulatores severè punientes; non quæ sua erant, sed quæ omnium in omnibus quærentes, gravissimis quibuque periculis ac motibus sese fortiter objicientes, extrema quæque, famem, nuditatem, calumnias, contumelias, verbera, tormenta invicta patientia & mansuetudine tolerantes, sublimiter de divinis sentientes & loquentes.

Prædicarunt in oculis & auribus infensissimorum Judæorum, quos gravissimi criminis insimulabant, & à quibus, si mentiti essent, facilè de impostura convinci potuissent, & procul dubio convicti fuissent; & tamen prædicarunt, illis furentibus & toto orbe infectantibus, sed erubescentibus & tacentibus, & sua taciturnitate veritatem prædicatam confitentibus, imò magna illorum multitudine ad Christum accedente, in qua & Pharisæi & turba Sacerdotum fuit.

Prædicarunt, & prædicationis veritatem proprio sanguine obsignarunt. Prædicarunt, & innumeris penè gentilibus persuaserunt, non præsentia & temporalia, sed spiritualia, & in altero tantùm sæculo futura præmia pollicentes; non dignitates, divitias, voluptates, sed persecutiones, injurias, bonorum jacturam, tormenta, cruces, & mortem præsagientes; non indulgentes carnalibus desideriis, sed naturæ corruptæ durissima quæque imperantes, magistratibus urbium, & provinciarum præfectis malè mulctantibus, sapientibus ethnicis totis ingenii, eloquentiæ & doctrinæ nervis reluctantibus, reclamantibus dæmonum oraculis, & contra pugnantibus antiquissimis idololatriæ præjudiciis. Quæ omnia manifesta sunt partim ex sacris libris, quorum stylus simplex, & ab omni adulationis & falsitatis suspicione alienissimus, ubique spirat scriptorum candorem, sinceritatem, & eximium veritatis studium, partim ex testimonio totius orbis Christiani, & traditione constanter per sæcula septemdecim continuata.

Itaque habemus pro Christo & miraculis ab eo factis, 1. Testimonium Apostolorum & discipulorum ejus, qui ipsum & miracula ab eo facta viderunt, & in quibus omnia ad fidem & convictionem faciendam summa fuere. 2. Testimonium innumerabilium penè hominum, partim Judæorum, partim Gentilium, per Apostolorum prædicationem ad fidem Christi conversorum, qui admirabiles prorsus viros illos, & miracula in prædicationis evangelicæ confirmationem ab eis facta viderunt: nam primi illi fideles, præsertim in tanto numero, nunquam ad Christum conversi fuissent sine multis & magnis miraculis. Unde illud Apostoli 1. Cor. cap. 2. *Et sermo meus & prædicatio mea non* (fuit) *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* 3. Testimonium totius orbis Christiani, ab instituta Ecclesia huc usque constantissimè continuatum per tot sæcula, in quorum decursu extitere homines penè innumeri, eximia sapientiæ, sanctitatis & doctrinæ laude insignes. At relationi tot ac tantis testimoniis cum talibus circumstantiis munitæ, falsum subesse moraliter, imò absolutè impossibile est. Ex his

Sic argumentor. Relatio, qua constat Imperium Romanum olim extitisse, facit evidentiam simplicem, quia moraliter & humanitùs impossibile est falsum ei subesse. Atqui pariter, imò magis impossibile est subesse falsum relationi, ex qua nobis constat Christum tali ætate vixisse, & talia miracula in confirmationem suæ divinitatis fecisse. Ergo etiam hæc relatio facere potest evidentiam simplicem, & quidem tantam, quantam, imò majorem, quàm relatio Imperii Romani olim existentis facere potest. Non diffitemur tamen evidentiam illam, quam facere potest relatio miraculorum Christi, esse minùs proportionatam viribus naturalibus intellectus nostri. Unde difficiliùs & à paucioribus attingitur; imò nec attingi potest sine gratia interiùs illustrante, quantùm oportet ad plenam convictionem.

At inquies. Esto quòd simpliciter evidens sit Christum fecisse in confirmationem suæ divinitatis miracula illa, quæ in sacra Scriptura narrantur. At saltem miracula illa non sunt signa evidenter infallibilia veritatis, in cujus confirmationem facta sunt. *R.* hoc esse falsum, ut facilè demonstratur. Nam miracula à Christo facta in ea multitudine, varietate, extensione ad omnem creaturam, constantia effectum suorum durabili, in quibus re ipsa facta sunt, habent evidentem connexionem cum causa dominante huic universo, & cujus actio nec impediri, nec retardari potest ab ullo alio agente sive corporeo sive spirituali, ullave subjecti indispositione. At evidenter talis causa non potest esse nisi Deus. Ergo miracula à Christo facta habent evidentem connexionem cum Deo ut causa. Ergo sunt evidenter opera divina, & consequenter signa evidenter infallibilia veritatis in cujus confirmationem facta fuerunt.

Prob. 2. assertio nostra. Simpliciter evidens est religionem christianam esse veram religionem. Ergo, &c. *Prob. ant.* Planè indubitatum est ex traditione totius orbis christiani, hactenùs per sæcula septemdecim constantissimè continuata, religionem christianam, cujus mysteria tantoperè superant humanam intelligentiam, cujus doctrina ex omni parte naturæ corruptæ ingratissima & molestissima est, institutam esse à duodecim piscatoribus, omni humano præsidio destitutis, omni modo renitente toto terrarum orbe, toto genere humano in flagitia omnia effuso; & ita firmiter institutam, ut omnibus aliis religionibus prævaluerit, toto orbe propagata sit medias inter strages & lanienas christianorum, nec populos solùm, sed etiam magistratus urbium provinciarum gubernatores, duces exercituum, reges, & ipsos Romanæ reipublicæ imperatores subjugarit, philosophos humanæ sapientiæ crucis humilitatem & stultitiam anteponere docuerit, atque hactenùs, gravissimis licèt persecutionum plurimarum tempestatibus, & innumerarum penè hæresum procellis agitata, stet integra, & primæva doctrinæ, legum & cultus puritate nitens, nova in dies adhuc incrementa accipiat, & toto terrarum orbe amplificetur.

Atqui talem religionem in talibus circumstantiis sic institui non potuisse sine speciali Dei assistentia evidens est. Ergo evidens est Deum specialiter adstitisse Apostolis, in institutione religionis christianæ, & consequenter Deum specialiter destinasse Apostolos ad instituendam religionem christianam: non enim specialiter ad id adjuvit Apostolos, nisi quia eos ad id specialiter destinavit. Ergo evidens est Deum specialiter intendisse institutionem religionis christianæ: nam si non specialiter intendisset, non specialiter ad id Apostolos destinasset. Ergo evidens est religionem christianam esse veram religionem: nam evidenter repugnat Deum specialiter intendere institutionem falsæ religionis.

Confirm. Evidens est repugnare Deo, ut specialem providentiam exerceat circa falsam religionem: nam si Deus specialiter provideret falsæ religioni, authoritate sua positivè & directè induceret homines in errorem, in materia omnium gravissima: quod evidenter Deo repugnat. Sed evidens est Deum specialem exercere providentiam circa religionem christianam, ut ostendunt ejus institutio, propagatio, & conservatio. Ergo evidens est religionem christianam non esse falsam religionem.

Præterea, si religio christiana esset falsa religio, damnaret & proscriberet veram religionem: unus enim è præcipuis ejus doctrinæ articulis est, quòd omnis alia præter ipsam religio sit religio falsa. Ergo Deus specialiter ei providendo, authoritate sua specialiter de-

ter-

terreret homines à vera religione, & à vero cultu ipsi exhibendo quòd evidenter Deum dedecet, & ejus bonitati repugnat, atque adversatur intentioni ejus creandi & conservandi mundum propter gloriam suam extrinsecam à creaturis rationalibus procurandam per veri cultus exhibitionem. Ergo evidens est religionem christianam non esse falsam religionem. Ergo, &c.

Obj. 1. Si evidens est simpliciter doctrinam christianam esse veram & à Deo revelatam, non potest credi fide divina. Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam 1. plurimi sunt, quibus motiva credibilitatis non proponuntur sufficienter ad hoc, ut possint attingere simplicem illam evidentiam, quam habet doctrina christiana: ex iis verò, quibus motiva credibilitatis proponuntur sufficienter ad hoc, ut evidentia illa attingi possit cum auxilio gratiæ ad id necessariò, & debita consideratione, plurimi tamen illam non attingunt, vel defectu sufficientis illustrationis, neque enim omnes æqualiter illustrantur, vel defectu sufficientis considerationis, aut obingenii tarditatem. De illis autem omnibus nulla est difficultas; cùm habeant tantùm evidentiam credibilitatis circa doctrinam christianam, & ejus revelationem.

2. Aliis, à quibus vis motivorum credibilitatis percepta est sufficienter ad habendam evidentiam illam simplicem, vel evidentia illa simplex non est ita præsens habitualiter, ut facilè & semper occurat, quoties cogitant de revelationibus divinis, & tunc certè possunt credere fide divina, quando non occurit; vel est ita habitualiter præsens, ut facilè & toties occurrat quoties de revelationibus divinis cogitant, & tunc quoties cogitant de revelationibus divinis, habent quidem actum, quo evidenter & necessariò judicant verum esse quòd Deus mysteria nostra revelaverit, sed tamen possunt adhuc illa credere fide divina, quia adhuc possunt ex libero & pio affectu se submittendi authoritati Dei loquentis, velle credere, & credere revelationem primæ veritatis immediatè & propter se, assensu proportionato excellentiæ tanti motivi, non ampliùs attendendo ad evidentiam, sed solùm ad infallibilitatem ac dignitatem motivi, quæ summa est, & propter revelationem primæ veritatis sic creditam immediatè & propter se, sub quo respectu non magis apparet esse, quàm non esse, velle credere, & credere mysteria revelata assensu appretiativè firmissimo, proindeque assensu longè firmiori, quàm sit alius actus, quo propter evidentiam motivorum, evidenter & necessariò judicant mysteria, quæ credunt, esse à Deo revelata; quique actus non habet nisi certitudinem proportionatam evidentiæ simplici motivorum; quæ cùm solùm sit magna moralis, non potest fundare certitudinem appretiativè summam.

Obj. 2. Si veritas doctrinæ christianæ, & revelationum divinarum, est simpliciter evidens, illustratio divina non est necessaria ad credendum; quod enim est simpliciter evidens, non eget illustratione. Conseq. est hæreticum. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam illustratio divina necessaria est, 1. ad condignè æstimanda motiva credibilitatis, & condignè æstimando, attingendam simplicem evidentiam veritatis doctrinæ christianæ, ac revelationum divinarum, quàm motiva credibilitatis condignè æstimata parere possunt. Et verò necessaria est illustratio divina ad attingendam evidentiam credibilitatis, quam habent revelationes divinæ à motivis credibilitatis. Igitur à fortiori necessaria est ad attingendam evidentiam simplicem quàm revelationes illæ ab illis motivis habere possunt; cùm hæc difficiliùs attingatur, quàm illa. 2. Illustratio divina necessaria est ad judicium practicè practicum, quo intellectus evidenter judicat credendam esse super omnia veritatem revelatam præcisè propter revelationem primæ veritatis creditam super omnia immediatè & propter se.

Ad prob. R. veritatem doctrinæ christianæ & revelationum divinarum, quæ est objectivè evidens per motiva credibilitatis sine illustratione, non esse sine illustratione evidentem formaliter, seu non cognosci evidenter sine illustratione; quia evidentia simplex objectiva, quam veritas doctrinæ christianæ & revelationum divinarum habet à motivis credibilitatis, non est satis proportionata intelligentiæ humanæ, ut ab illa attingi possit sine supernaturali illustratione; & sine illustratione supernaturali non potest intellectus penetrare motiva credibilitatis, sicut oportet, ut per illa, sive in illis videat veritatem doctrinæ christianæ & revelationum divinarum.

ARTICULUS IV.

Utrùm objectum materiale nostræ fidei successu temporis creverit.

Nota. Objectum materiale fidei nostræ constat, ut jam observatum est, ex veritatibus omnibus à Deo revelatis, quarum aliæ per accidens tantùm, & ex secundaria Dei intentione, aliæ verò per se, & ex primaria Dei intentione revelatæ sunt, & veluti corpus ac substantiam nostræ fidei constituunt, ideòque nominantur Articuli fidei. De his autem quæstio proposita potissimùm intelligenda est. Quæritur ergo utrùm articuli nostræ fidei successu temporis creverint. Qui temporis successus potest intelligi dupliciter, scilicet ab Adamo usque ad Christum, & à tempore Christi & Apostolorum, ex quo Ecclesia nostra fundata est, ad hæc usque tempora.

Nota iterùm. Aliquid potest esse revelatum à Deo dupliciter, nempe mediatè & immediatè, seu, quòd idem est, virtualiter & formaliter. Revelatum à Deo mediatè & virtualiter, dicitur illud quod est à Deo revelatum in alio, sive per aliud, quocum necessariam habet connexionem. Sic v. g. risibilitas Christi est revelata mediatè & virtualiter, quia revelata est in ejus humanitate, quacum necessariam habet connexionem, ut proprietas cum essentia: nam Deus revelando formaliter & immediatè Christum esse hominem, hoc ipso mediatè & virtualiter revelavit Christum esse risibilem, propter necessariam connexionem risibilitatis cum humanitate: quam connexionem probè norat, cùm revelavit Christum esse hominem: qui enim affirmat aliquid formaliter, hoc ipso censetur affirmare id omne sine quo esse non potest, & esse non posse apprimè notum est affirmanti.

Revelatum immediatè & formaliter duplex est: potest enim aliquid immediatè & formaliter revelari duobus modis, nimirùm explicitè, & implicitè. Illud revelatur formaliter explicitè, quod distertis verbis revelatur. Sic cùm Deus dixit: *Verbum caro factum est*, revelavit formaliter explicitè mysterium incarnationis. Illud revelatur formaliter implicitè, quòd quidem à revelante non exprimitur distertis verbis, sed tamen continetur formaliter in ipsa revelatione.

Tale est, 1. illud quod est idem quoad sensum cum revelato formaliter explicitè: sic Deus revelans formaliter explicitè Christum esse hominem, revelat formaliter implicitè ipsum esse animal rationale, quia definitum & definitio sunt idem quoad sensum; unde qui dicit Christum esse hominem, dicit etiam formaliter, quamvis confusè, ipsum esse animal rationale.

2. Tale est illud quod est pars revelati formaliter explicitè, adæquatè sumpti secundùm sensum revelantis: sic Deus revelans formaliter explicitè Christum esse hominem, revelat formaliter implicitè ipsum habere corpus & animam rationalem, quia corpus & anima sunt partes hominis adæquatè sumpti: unde qui dicit Christum esse hominem, dicit etiam formaliter, quamvis confusè, ipsum habere corpus & animam rationalem: quod præsertim verum est de eo, cui apprimè notum est hominem constare ex corpore & anima rationali.

3. Talis est propositio particularis, contenta in propositione generali, quæ revelata est formaliter expresè in sensu distributivo pro particularibus in ea con-

contentis. Sic Deus per verba illa, *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, revelans formaliter explicitè omnes homines esse morituros, revelat formaliter implicitè hunc numero hominem, putà Petrum, quamvis nondum existentem, sed postea extiturum, morituram esse: nam qui dicit formaliter explicitè, Omnis homo morietur, dicit etiam formaliter quamvis confusè: Hic homo morietur, & ille morietur, & ille morietur: in hac enim propositione, Omnis homo morietur, subjectum supponit pro omnibus individuis humanis aliquando existentibus, quod imprimis verum est respectu Dei, qui cùm dixit, Omnis homo morietur, clarè & distinctè noverat singula individua humana aliquando extitura.

Nota 3. Objectum materiale fidei potest crescere dupliciter, nimirùm simpliciter, & secundùm quid. Crescit simpliciter, si aliquid de novo reveletur à Deo. Crescit secundùm quid, cùm revelatio olim facta à Deo, sed obscura, per infallibilem interpretem magis explicatur; item cùm revelatio olim facta à Deo, sed controversia, per infallibilem controversiarum judicem certificatur; item cum revelatio olim facta à Deo, per legitimam authoritatem extenditur, & applicatur ad singularia, quæ sub ea continentur.

Itaque objectum materiale fidei potest crescere secundùm quid variis modis, nempe per majorem explicationem revelationis obscuræ, per certificationem revelationis controversæ, & per extensionem seu applicationem revelationis ad particularia, quæ sub ea continentur vel formaliter vel virtualiter. Patet quoad certificationem revelationum: possunt enim aliquæ revelationes olim factæ, in dubium revocari; & aliquæ identidem in dubium revocantur etiam à Doctoribus Catholicis. Quoad explicationem verò, & applicationem revelationum, facilè intelligitur ex dictis not. 2. & adhuc faciliùs intelligetur ex dicendis.

Nota 4. Ecclesia potestatem habet explicandi, certificandi, & applicandi revelationes divinas, tam scriptas quàm non scriptas. Quòd hanc potestatem habeat, probat 1. praxis & usus ipsius Ecclesiæ, quæ hactenùs hac potestate usa est in suis decretis & definitionibus. 2. Necessitas hujus potestatis: nam quandoque ex obscuritate Scripturæ nascuntur hæreses, quæ aliter extingui non possunt, nisi Scripturæ sensus explicetur. Item aliquando controvertitur de vera intelligentia vel existentia traditionum divinarum; quam controversiam, traditiones illas explicando vel statuendo, dirimi expedit ad bonum & pacem Ecclesiæ.

Item sæpe ad fidei securitatem & conservationem, necesse est ut aliquæ revelationes vel traditiones extendantur & applicentur ad aliqua objecta particularia. Sic v. g. necesse est, ut fide divina constet Concilium Tridentinum esse verum & Oecumenicum Concilium, ad hoc ut ejus definitiones authoritatem divinam habeant, & obligent ad credendum assensu super omnia firmo. Ad hoc autem ut constet Concilium Tridentinum esse verum & Oecumenicum Concilium, necessaria est extensio alicujus revelationis, sive scriptæ, sive non scriptæ, facta per authoritatem Ecclesiæ: cùm non sit de novo & expressè revelatum à Deo Concilium Tridentinum esse verum & Oecumenicum Concilium.

Nota 5. Ecclesia, ex eo tempore, quo à Christo & ab Apostolis fundata est, nihil unquam definivit ut fide divina tenendum, quod in revelationibus olim à Deo factis, & traditionibus divinis scriptis vel non scriptis, aliqua ratione non contineretur secundùm verum illarum sensum, ut patet ex perpetuo usu & praxi ipsius Ecclesiæ; nam v. g. Concilia generalia nihil unquam ut fide divina tenendum definierunt, nisi vel extendendo & applicando propositiones generales, aut principia generalia olim à Deo revelata, ad objecta quædam particularia, quibus revera convenit ratio contenta in illis propositionibus aut principiis generalibus, olim à Deo revelatis; vel certificando Scripturas & Traditiones divinas; vel denique explicando verum sensum Traditionum divinarum aut Scripturæ, post diligentem inquisitionem & inspectionem testimoniorum Patrum, & aliorum Doctorum veterum, in quo examine Ecclesia non potest errare, propter infallibilem Spiritus sancti assistentiam.

Responsio I.

Objectum materiale fidei nostræ, etiam, quoad articulos fidei, ab Adamo usque ad Christum inclusivè crevit simpliciter.

Prob. Nam Deus multa successivè revelavit Adamo, Noè, Abrahamo, Isaac, Jacob, Moisi, Davidi, & aliis Prophetis. Item in novo testamento multa successivè revelata sunt per Christum & Apostolos. Sed inter hæc successivè revelata, non pauca sunt per se & ex primaria Dei intentione revelata, & quæ pertinent ad corpus & substantiam fidei, qualia sunt v. gr. sacramenta, & sacrificia veteris & novæ legis. Ergo, &c.

Responsio II.

Ex tempore Christi & Apostolorum, articuli fidei non creverunt simpliciter.

Prob. Nam si articuli fidei ex tempore Christi & Apostolorum creverunt simpliciter, certè creverunt per definitiones Ecclesiæ. At hoc dici non potest: nam, ut supra observatum est, Ecclesia nihil definit, nisi aut explicando revelationes olim factas, quarum sensus obscurus est, aut certificando traditiones divinas, easque ab humanis discernendo, aut extendendo revelationes olim factas, & traditiones divinas ad objecta particularia, in illis secundùm propriam rationem vel formaliter vel saltem virtualiter contenta. Ergo non condit articulos fidei adæquatè distinctos ab olim revelatis per Christum & Apostolos. Ergo non condit articulos fidei novos simpliciter. Ergo, &c.

Obj. 1. Spiritus sanctus infallibiliter assistit Ecclesiæ definienti, sicut olim assistebat prophetis & scriptoribus sacris. Ergo Spiritus sanctus loquitur, & de novo revelat per Ecclesiam definientem, sicut olim loquebatur & de novo revelabat per prophetas & scriptores sacros; proindeque per Ecclesiam definientem condit articulos fidei novos simpliciter, sicut olim per prophetas & scriptores sacros condebat.

R. neg. conseq. Nam Spiritus sanctus assistit infallibiliter Ecclesiæ definienti, non ut per eam novas revelationes condat, seu ut per eam aliqua de novo revelet, quæ nullo modo secundùm propriam rationem fuerint olim revelata; sed ut per eas revelationes olim factas vel explicet, vel statuat, vel extendat & applicet ad aliqua particularia, quæ in illis etiam secundùm propriam rationem aliquo modo continentur; sicque revelationes olim factas constituat in ratione revelationum proximè sufficientium, & obligantium ad explicitè credendum aliquid, quod antea non credebatur, vel non nisi implicitè credebatur propter insufficientem propositionem vel applicationem revelationis.

Obj. 2. Deus à tempore Christi & Apostolorum aliqua tum privatim tum publicè revelavit. Et 1. quidem quod aliqua privatim revelarit, constat ex variis historiis sanctorum fide dignis. 2. Quòd etiam aliqua publicè revelarit, certum est ex miraculis; imò & vocibus de cœlo mirabiliter delapsis attestatus est eximiam aliquorum sanctitatem, quàm per signa illa Ecclesiæ manifestari voluit. Ergo etiam ex tempore Christi & Apostolorum, Deus per se ipsum novos simpliciter articulos condidit. *Resp.* neg. conseq. Nam veritates illæ de novo revelatæ, aut non pertinent ad corpus & substantiam fidei, aut non sunt nisi extensio articuli antea per Christum vel Apostolos revelati.

Responsio III.

Ex tempore Christi & Apostolorum, articuli nostræ fidei creverunt secundùm quid.

Prob. Nam Ecclesia hactenùs ex tempore Christi & Apostolorum, condidit novos secundùm quid articulos, explicando, certificando, extendendo revelationes

nes & traditiones divinas ad aliqua objecta particularia, pertinentia ad corpus & substantiam fidei, explicitè credenda, & indubitata fide tenenda post hanc explicationem vel extensionem factam ab Ecclesia, cui in ejusmodi explicationibus vel extensionibus Spiritus sanctus assistit infallibiliter.

Obj. Ex S. Thoma hìc q. 1. a. 10. ad 1. *In doctrina Christi & Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata.* Ergo à tempore Christi & Apostolorum, articuli fidei nequidem secundùm quid creverunt per explicationem vel extensionem revelationum & traditionum divinarum. *R.* neg. cons. Nam ut Christus & Apostoli dicantur sufficienter explicuisse veritates fidei, necesse non est ut tunc veritates fidei generales extenderint ad omnia objecta particularia, ad quæ eas postea extendi oportuit; sed satis est quòd tunc veritates illas generales disertè tradiderint, & simul docuerint Ecclesiam infallibilem esse in suis explicationibus & extensionibus, & sic tradiderint certam regulam, quà cætera certò possent cognosci: quod utrumque præstiterunt, ideòque rectè dicuntur veritates fidei sufficienter explicuisse.

Dices 1. Ad dignitatem Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ pertinuit, ut omnes veritates fidei explicitè cognoscerent. *Resp.* Ad dignitatem Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ pertinuisse, ut explicitè cognoscerent omnes fidei veritates, quarum explicita cognitio ad bonum illorum statum necessaria erat; cujusmodi non fuit cognitio aliquorum, ad quæ successu temporis extendi & applicari oportuit revelationes generales, propter insurgentes controversias vel hæreses.

Dices 2. Non expedit, ut Ecclesia potestatem habeat condendi novos articulos fidei, & onus fidei novum imponendi fidelibus; quasi verò veritates fidei à Christo & Apostolis traditæ non sufficiant. *R.* non expedire, ut Ecclesia potestatem habeat condendi novos simpliciter articulos fidei, proindeque Ecclesiam talem potestatem non habere: at expedit ut Ecclesia habeat, unde & habet potestatem condendi novos secundùm quid articulos, revelationes, & traditiones divinas statuendo, explicando, & applicando ad objecta particularia, quibus conveniunt; quia hoc necessarium est ad vitandos errores, ad extirpandas hæreses, & dirimendas fidei controversias, ut supra dictum est.

Dices 3. Joan. cap. 16. dicitur: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *R.* Spiritum sanctum docuisse Apostolos omnes fidei veritates, quatenùs docuit illos omnes veritates fidei generales, & simul se per infallibilem assistentiam adfuturum Ecclesiæ in veritatum illarum generalium explicationibus & determinationibus ab ea faciendis successu temporis, ad extirpandas hæreses & controversias dirimendas; illas tamen explicationes & determinationes veritatum generalium ab Ecclesia successu temporis faciendas non docuit eos, quia hoc minimè necessarium fuit ad convenientem eorum & Ecclesiæ primitivæ statum; & quamvis supponeretur eos docuisse, ipsi certissimè dicendi essent non illas docuisse primos fideles: quis enim dixerit Apostolos docuisse primos fideles v. g. Concilium Tridentinum sæculo decimo sexto habendum, fore Oecumenicum Concilium? quod tamen nunc pertinet ad corpus & substantiam fidei, & fide indubitata ac divina tenendum est. Omnis enim fidei regula, quale est omne Concilium Oecumenicum, fide indubitata ac divina teneri debet, & ad corpus ac substantiam fidei pertinet.

Dices 4. Concilium Tridentinum sess. 4. decreto 1. dicit omnem salutarem doctrinam, & morum disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; eodemque loco vocat Evangelium fontem omnis veræ & salutaris doctrinæ, & morum disciplinæ.

R. ita loqui, & rectè loqui Concilium, quia in libris canonicis, & traditionibus non scriptis, continentur veritates generales, quæ sub se particulares omnes complectuntur, & simul commendatur authoritas & infallibilitas Ecclesiæ in applicandis vel applicandis veritatibus illis generalibus; item continentur principia morum generalia, & simul commendatur authoritas & infallibilitas Ecclesiæ in applicandis illis principiis, & statuendo de moribus. Unde fit ut omnis salutaris veritas, & morum disciplina contineatur explicitè vel implicitè in libris Canonicis, & traditionibus non scriptis, sive in doctrina Christi & Apostolorum, tam scripta, quàm non scripta.

Similiter Concilium rectè vocat Evangelium fontem omnis veræ ac salutaris doctrinæ, & morum disciplinæ; quia commendat traditiones non scriptas, & infallibilitatem Ecclesiæ in explicandis vel applicandis veritatibus & principiis morum generalibus, quæ partim in Evangelio, partim in Traditionibus non scriptis continentur. Unde omnis salutaris doctrina, & morum disciplina meritò attribuitur Evangelio, velut fonti, ex quo derivantur; quamvis re ipsa non habeatur explicitè omnis salutaris veritas & morum disciplina sine explicationibus & applicationibus ab Ecclesia factis.

ARTICULUS V.

Utrùm ea, quæ deducuntur ex principiis revelatis, sint in objecto materiali fidei, & possint ac debeant credi fide divina.

Responsio I.

Conclusio legitimè deducta ex duabus præmissis credibiliter revelatis, potest credi fide divina.

Prob. Nam habet omnia requisita ad hoc ut possit credi fide divina. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Est revelata etiam formaliter, quamvis confusè & implicitè. 2. Est revelata credibiliter. 3. Est sufficienter proposita ut revelata. Ergo, &c.

Prob. 1. *pars ant.* Conclusio legitimè deducta ex duabus præmissis, est de conceptu integro & adæquato præmissarum illarum, ex quibus legitimè deducitur, ut ostendi potest facili inductione. Hinc posito assensu præmissarum, assensus conclusionis legitimè ex illis deductæ necessarius est saltem necessitate specificationis. Ergo conclusio legitimè deducta ex duabus præmissis, continetur in illis formaliter, quamvis confusè & implicitè, & consequenter est revelata etiam formaliter, quamvis confusè & implicitè, si duæ illæ præmissæ sunt formaliter revelatæ.

Prob. 2. *pars ant.* Nam, ut supponitur, duæ præmissæ, ex quibus conclusio deducitur, sunt revelatæ credibiliter. Ergo & ipsa conclusio est credibiliter revelata; cùm una & eadem sit conclusionis & præmissarum revelatio.

Prob. 3. *pars ant.* Nam hoc ipso, quòd conclusio legitimè deducitur ex duabus præmissis revelatis, sufficienter ostenditur esse de conceptu integro & adæquato præmissarum revelatarum, atque ita esse de integro & adæquato sensu revelationis; & consequenter sufficienter ostenditur & proponitur ut revelata etiam formaliter, licèt confusè & implicitè.

Conclusio igitur legitimè deducta ex duabus præmissis formaliter revelatis, habet omnia requisita ad hoc ut possit credi fide divina. Talis est conclusio hujus syllogismi: Deus creavit mundum. Christus est Deus. Ergo Christus creavit mundum. Et istius: Omnes Apostoli acceperunt Spiritum sanctum. Petrus fuit Apostolus. Ergo Petrus accepit Spiritum sanctum. Quæ conclusiones proculdubio credi possunt fide divina, & appretiativè certissima propter revelationem, in qua formaliter, quamvis confusè & implicitè continentur, & contineri sufficienter deprehenduntur per legitimam illarum ex præmissis credibiliter revelatis illationem.

Res-

Responsio II.

Conclusio legitimè deducta ex majore universali revelata credibiliter, & minore non revelata, sed certa certitudine metaphysica, vel physica, potest credi fide divina.

Prob. Nam talis conclusio habet omnia requisita, ut accedente imperio voluntatis, fide divina credatur. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. enim est revelata formaliter implicitè. 2. Est revelata credibiliter. 3. Est sufficienter proposita, ut revelata credibiliter. Ergo, &c.

Prob. ant. quoad 1. *partem.* Nam conclusio, quæ legitimè deducitur ex majore universali, est de integro & adæquato conceptu illius. Ergo conclusio, quæ legitimè deducitur ex majore universali revelata, est de integro & adæquato sensu revelationis, qua major illa revelatur. Ergo hoc ipso quòd major universalis est formaliter explicitè revelata, simul & indivisibiliter, conclusio, quæ ex illa majore legitimè deducitur, est revelata formaliter implicitè.

Prob. 2. *pars ant.* Nam, ut supponitur, major universalis revelata est credibiliter. Ergo & conclusio, quæ ex illa legitimè deducitur: nam revelatio majoris universalis est revelatio conclusionis, legitimè ex illa deductæ, ut probatum est.

Prob. 3. *pars ant.* Hoc ipso quòd conclusio legitimè deducitur ex majore universali revelata, ostenditur esse revelata formaliter implicitè: nam ostenditur contineri sub illa, & esse de illius integro & adæquato conceptu, proindeque esse de integro & adæquato sensu revelationis. Ergo hoc ipso quòd conclusio legitimè deducitur ex majore universali revelata, per minorem certam metaphysicè vel physicè, certò ostenditur certitudine metaphysica vel physica, esse revelata formaliter implicitè, & consequenter sufficientissimè ostenditur & proponitur ut revelata formaliter implicitè, & quidem per revelationem credibilem; supposito quòd major universalis sit revelata credibiliter.

Conclusio igitur legitimè deducta ex majore universali revelata credibiliter, per minorem certam metaphysicè vel physicè, habet omnia requisita ad hoc, ut accedente imperio voluntatis, fide divina credatur, ac proinde potest credi fide divina. Hinc quilibet nostrum potest fide divina credere se aliquando moriturum: nam quilibet nostrum potest sic argumentari: Omnis homo est mortalis. Ego sum homo. Ergo ego sum mortalis: in quo syllogismo major est universalis, & formaliter explicitè revelata credibiliter, Hebr. cap. 9. verbis illis: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*. Minor verò est certa physicè. Similiter, qui legitimè baptizavit infantem, potest fide divina credere infantem illum esse in statu gratiæ; & si infans statim moriatur post baptismum, potest fide divina credere illum esse salvatum; quod etiam potest, etsi infans non statim post acceptum baptismum moriatur, modò moriatur ante usum rationis. Item qui sibi conscius est peccati mortalis, potest fide divina credere se esse privatum gratia sanctificante, & si moriatur impœnitens, suppliciis æternis addicendum.

Obj. 1. Idem judicium esto de omnibus aliis syllogismis, quorum conclusio dicitur posse credi fide divina, ac de isto: Omnis homo est mortalis. Petrus est homo. Ergo Petrus est mortalis. Atqui in isto syllogismo, conclusio non potest credi fide divina. Ergo, &c. Nego min. *Probabis*. In isto syllogismo minor non potest credi fide divina: non enim est revelata. Ergo nec conclusio: nam conclusio sequitur debiliorem præmissam. *R.* neg. cons. *Ad prob.* dist. Conclusio sequitur debiliorem præmissam, si sumatur formaliter, hoc est, prout deducitur ex præmissis, & illis ut artificiosè dispositis, tanquam motivo assentiendi innititur, C. Si sumatur materialiter tantùm, hoc est, non prout deducitur ex præmissis, & propter illas creditur, sed solùm ut per illas sufficienter ostenditur esse revelata credibiliter, N.

Itaque conclusio in allato syllogismo potest sumi dupliciter. 1. formaliter, & prout deducitur ex præmissis, artificiosè dispositis, & sic sumpta non potest credi fide divina quia sic sumpta creditur solùm propter ipsas præmissas artificiosè dispositas, & sic connexas cum ejus veritate. 2. Materialiter, & prout immediatè subjacet revelationi credibili, ipsi per præmissas evidenter applicatæ, & sic potest credi fide divina, potest enim intellectus ex imperio voluntatis illi assentiri assensu appretiativp certissimo propter revelationem credibilem, cui immediatè subjacere evidenter per præmissas cognoscitur, cùm ad hoc nihil desit requisitum. Immediatè autem subjacere revelationi credibili evidenter cognoscitur per præmissas, hoc ipso, quòd per minorem particularem evidentem evidenter deducitur ex majore universali revelata credibiliter: nam hoc ipso evidenter cognoscitur esse formaliter implicitè revelata in majore, & consequenter immediatè subjacere revelationi, qua major est revelata credibiliter.

Dices. Gratis dicitur conclusionem in allato syllogismo esse revelatam formaliter implicitè in majore revelata. *R.* neg. *Probabis*. Cùm Deus revelavit omnem hominem esse mortalem, non revelavit Petrum esse hominem. Ergo nequidem implicitè revelavit illum esse mortalem. *R.* neg. conseq. Nam ad hoc ut Deus revelando omnem hominem esse mortalem, revelarit implicitè Petrum esse mortalem, sufficit quòd Petrus sit homo, quia hoc ipso quòd Petrus est homo, hæc propositio, Petrus est mortalis, continetur formaliter implicitè in illa, Omnis homo est mortalis; & consequenter hoc ipso quòd Petrus est homo, qui dicit, Omnis homo est mortalis, dicit formaliter implicitè, Petrus est mortalis.

Amplius. Hoc ipso quòd Petrus est homo, participat rationem communem, significatam per subjectum hujus propositionis, Omnis homo est mortalis. Ergo hoc ipso quòd Petrus est homo, subjectum hujus propositionis, Omnis homo est mortalis, supponit pro Petro, proindeque Petrus continetur formaliter implicitè in hac propositione, Omnis homo est mortalis. Nam propositio universalis continet formaliter implicitè omnia singularia, quæ participant rationem communem, significatam per ejus subjectum, & pro quibus proinde subjectum ejus supponit. Ergo hoc ipso quòd Petrus est homo, de eo formaliter implicitè affirmatur quòd sit mortalis, cùm dicitur, Omnis homo est mortalis. Quod præsertim verum est respectu Dei, qui cùm dicit omnem hominem esse mortalem, actu cogitat de omnibus singularibus, pro quibus supponit subjectum propositionis.

Instabis. Conclusio in allato syllogismo non sequitur per se & immediatè ex majore revelata, sed solùm mediatè & per accidens, ratione scilicet minoris particularis, naturaliter cognitæ. Ergo conclusio in allato syllogismo non est magis revelata, quàm minor illa particularis. *R.* conclusionem in allato syllogismo non deduci ex majore revelata, nisi mediante minore particulari, sed deduci per se, & contineri formaliter immediatè in majore revelata, & hanc continentiam evidenter apparere per minorem particularem, qua mediante, conclusio ex majore revelata deducitur per se; sicque per minorem particularem subsumptam evidenter apparere conclusionem in allato syllogismo esse revelatam formaliter implicitè in majore revelata. Unde neg. conseq.

Instabis. Conclusio in allato syllogismo non potest participare esse revelatum, nisi per minorem particularem subsumptam. Ergo conclusio non est magis revelata, quam minor particularis subsumpta. *R.* neg. ant. Nam conclusio in allato syllogismo participat esse revelatum hoc ipso, quòd continetur formaliter implicitè in majore revelata: hoc ipso enim est de integro & adæquato sensu revelationis, qua major revelata est; quamvis hoc non cognoscatur evidenter, nisi per minorem particularem subsumptam, cujus totum munus est applicare conclusioni revelationem majoris relatè ad nos, hoc est, nobis evidenter ostendere conclusionem esse formaliter implicitè

revelatam in majore revelata ; proindeque prudenter credi posse assensu super omnia firmo propter revelationem majoris.

RESPONSIO III.

Conclusio legitimè deducta ex majore universali revelata credibiliter, & minore non revelata, sed evidente evidentia magna morali absoluta, & respectu omnium excludente omnem prudentem dubitationem, est in objecto materiali fidei respectu omnium, & potest ab omnibus credi fide divina.

Prob. Nam 1. talis conclusio est revelata formaliter implicitè in majore universali revelata credibiliter. 2. Quòd ita sit revelata, evidens est evidentia magna morali absoluta, & respectu omnium excludente omnem prudentem formidinem, & consequenter est etiam respectu omnium sufficientissimè explicata & proposita, ut revelata formaliter implicitè in majore revelata credibiliter. Ergo habet etiam respectu omnium quidquid requiritur ut possit credi fide divina. Ergo, &c. Hinc ab omnibus sufficienter instructis potest & debet fide divina credi Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam; quia ex una parte credibiliter revelatum est Ecclesiam illam esse veram Ecclesiam, quæ est una, sancta, catholica, & apostolica; & ex altera parte evidens est evidentia magna morali, characteres illos soli Ecclesiæ Romanæ convenire.

Obj. Adultus suscipiens baptismum, non potest credere fide divina se justificatum esse; quamvis credibiliter revelatum sit omnibus baptismum debitè suscipientibus gratiam conferri, & evidentiam moralem habeat se baptismum cum dispositionibus requisitis suscepisse. Ergo, &c. *R.* adultum illum non habere evidentiam illam magnam moralem, de qua loquimur, & quæ sufficit ad excludendam omnem prudentem formidinem de opposito : potest enim prudenter dubitare de valore vel effectu sui baptismi, & prudenter dicere : Fortasse baptismum non suscepi, aut inutiliter suscepi; potest, inquam, propter hanc rationem generalem, quòd, quamvis rarissimè, contingat baptismum invalidè conferri ob defectum intentionis in ministro, aut sine effectu suscipi ob defectum dispositionum in suscipiente, ipso non advertente.

Porrò quia non habet rationem ullam particularem, propter quam possit prudenter dubitare de valore sui baptismi, & ita non potest prudenter dubitare de valore sui baptismi, quantum requiritur ad prudentem illius iterationem, etiam sub conditione; habet quidem certitudinem de valore baptismi sui moralem aliquam & latè dictam, per quam excluditur omnis anxietas animi circa valorem baptismi, & ejus iteratio etiam sub conditione illicita redditur, sed non habet certitudinem, per quam revelatio majoris revelatæ possit sufficienter applicare conclusioni, quæ ex illa majore deducitur, ad hoc ut possit fide divina credi; cùm non obstante illa, quam habet, certitudine, prudenter dubitetur, quòd conclusio contineatur in majore revelata.

RESPONSIO IV.

Conclusio legitimè deducta ex majore universali omninò certa, licèt non revelata, & ex minore omninò absolutè revelata credibiliter, fide divina credi potest.

Prob. Illud potest credi fide divina, quod potest credi propter revelationem credibilem. Atqui conclusio legitimè deducta, &c. potest credi propter revelationem credibilem. Ergo, &c. *Prob. min.* Illud potest credi propter revelationem credibilem, quòd habet necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis, & hanc connexionem habere certissimè cognoscitur. Atqui conclusio legitimè deducta, &c. habet necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis, & hanc connexionem habere certissimè cognoscitur : nam 1. habet necessariam connexionem cum veritate minoris, quæ omninò absolutè revelata est credibiliter, ut supponitur. 2. Hanc cum veritate minoris connexionem habere certissimè cognoscitur per majorem universalem omninò certam. Ergo, &c.

Hinc fide divina credi potest conclusio hujus syllogismi : Omnis homo est risibilis. Christus est homo. Ergo Christus est risibilis. Item fide divina credi potest conclusio istius : Omnis homo habet voluntatem humanam. Sed Christus est homo. Ergo Christus habet voluntatem humanam : nam in utroque syllogismo conclusio habet necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis : habet enim necessariam connexionem cum veritate minoris revelatæ credibiliter. Præterea, quòd habeat necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis, evidens est evidentia magna morali absoluta: evidens enim est evidentia magna morali absoluta eam habere necessariam connexionem cum veritate minoris revelatæ credibiliter : nam tam evidens est eam habere connexionem necessariam cum veritate minoris revelatæ, quam est evidens majorem universalem esse veram. In utroque autem syllogismo major est evidens evidentia magna morali absoluta, & respectu omnium sufficiente ad excludendam omnem prudentem formidinem. Ergo in utroque syllogismo conclusio habet omnia requisita, ut possit credi fide divina.

Obj. In hoc syllogismo: Omnis homo est risibilis. Christus est homo. Ergo Christus est risibilis: conclusio non est revelata. Ergo non potest credi fide divina. *R.* dist. ant. Conclusio non est revelata formaliter & immediatè, nequidem implicitè, C. ant. Non est revelata virtualiter & mediatè. N. ant. Itaque hæc conclusio, Christus est risibilis, non est quidem revelata formaliter & immediatè etiam implicitè, quia non continetur formaliter implicitè in ulla propositione universali explicitè revelata. At est revelata virtualiter & mediatè, mediante scilicet minore syllogismi revelata credibiliter; cùm enim habeat necessariam connexionem cum ejus veritate, habet etiam necessariam connexionem cum veritate alicujus revelationis credibilis. Quòd autem necessariam habet connexionem cum veritate alicujus revelationis credibilis, tam est dignum assensu super omnia firmo propter revelationem illam, quàm si esset revelatum formaliter & immediatè, sive implicitè, sive etiam explicitè, modò omninò certum sit, quòd hanc connexionem habeat, proindeque revelatum est virtualiter & æquivalenter; hoc est in ordine ad obtinendum assensum super omnia firmum, habet virtutem revelati formaliter & immediatè, eique æquivalet.

Dices. Actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, non est certior, quàm actus quo creditur hæc major non revelata. Omnis homo est risibilis. Sed actus, quo creditur hæc major non revelata. Omnis homo est risibilis, non habet certitudinem fidei. Ergo nec actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, qui proinde non magis est actus fidei divinæ, quàm alter. *R.* dist. maj. Actus quo creditur hæc conclusio &c. quando intellectus assentitur conclusioni propter præmissas artificiosè inter se dispositas, C. maj. Unde tunc actus, quo creditur conclusio, non est, nec potest esse actus fidei divinæ. Quando intellectus assentitur conclusioni propter connexionem necessariam, quam habet cum veritate revelationis, qua una è præmissis revelata est credibiliter, N. majorem : tunc enim actus, quo creditur conclusio, habet certitudinem appretiativè summam, quia tunc voluntas ex pio credulitatis affectu intellectum efficaciter applicat ad assentiendum conclusioni assensu super omnia firmo propter revelationem, tempore autem saltem natura priùs sufficienter applicatam conclusioni per evidentem assensum majoris non revelatæ. Tunc ergo actus, quo creditur conclusio, est actus fidei divinæ.

At inquies. Certitudo actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, etiam propter necessariam connexionem, quam habet cum revelatione minoris revelatæ credibiliter, fundatur in certitudine actus, quo creditur hæc major non revelata, Omnis homo est risibi-

risibilis. Ergo non potest esse major: nam ædificium non potest esse firmius fundamento. *R.* neg. ant. Nam certitudo actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, propter necessariam connexionem, quam habet cum revelatione minoris revelatæ credibiliter, fundatur in sola auctoritate primæ veritatis revelantis, & solum supponit evidentem assensum majoris non revelatæ, ut sufficientem applicationem revelationis ad conclusionem, sine qua applicatione voluntas non posset prudenter imperare intellectui, ut assentiatur conclusioni assensu super omnia firmo propter auctoritatem primæ veritatis revelantis.

Responsio V.

Generaliter omnis conclusio legitimè deducta ex una præmissa absolutè revelata credibiliter, & ex altera omninò certa, & consequenter evidente evidentia vel metaphisica, vel physica, vel magna morali absoluta, est de fide quoad potentiam credendi, imò & quoad credendi obligationem, saltem post definitionem & præceptum Ecclesiæ.

Sequitur ex dictis hactenus. Et verò omnis ejusmodi conclusio est credibiliter revelata vel formaliter implicitè, vel saltem virtualiter, & talem esse certum est respectu omnium certitudine excludente omnem prudentem dubitationem. Ergo, &c. Hinc de fide est, & quoad potentiam, & quoad obligationem credendi, quòd Christus habeat corpus verum, & non apparens tantùm; quòd Christus habeat animam rationalem; quòd Christus habeat voluntatem humanam; quòd omnia & singula mortalia, quorum memoria habetur post diligentem conscientiæ discussionem, sint confitenda in Sacramento Pœnitentiæ; quòd Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia, &c.

Item de fide est saltem quoad potentiam credendi pro unoquoque nostrum, quòd sit moriturus; quòd sit resurrecturus ante extremum judicium; quòd pro ipso Filius Dei descenderit de cœlis, &c. Dixi, saltem quoad potentiam credendi, quia fortè unicuique nostrum sufficit, si confusè credat se moriturum, resurrecturum, pro ipso Filium Dei descendisse de cœlis, &c. credendo scilicet statutum esse omnibus hominibus mori, mortuos omnes resurrecturos ante diem judicii, Filium Dei pro nobis descendisse de cœlis, ut dicitur in Symbolo, &c.

Item hoc ipso quod de fide est unum è duobus contradictoriis vel contrariis esse verum, quia scilicet credibiliter revelatum est, ut verum; hoc ipso, inquam, de fide est, quòd alterum sit falsum, quia hujus falsitas habet necessariam & evidentem connexionem cum veritate revelationis, qua illud credibiliter revelatum est ut verum, & consequenter hoc fide divina credi potest esse falsum propter eandem revelationem, propter quam illud fide divina creditur esse verum.

Quæres. Quid sit sentiendum de conclusione, quæ legitimè deducitur ex una præmissa revelata credibiliter, & altera non revelata, sed verisimili, aut evidente evidentia morali magna respectivè.

R. 1. Si altera præmissa, non revelata, sit evidens evidentia morali magna respectivè, conclusio est de fide, saltem quoad potentiam credendi, respectu eorum, pro quibus ad credendum fide divina sufficit evidentia moralis magna respectivè: nam respectu eorum, revelatio, per quam altera præmissa revelata est credibiliter, sufficienter applicatur conclusioni, sufficienterque conclusio proponitur ut credibiliter revelata vel formaliter implicitè, si præmissa revelata, sit propositio universalis; vel saltem virtualiter, si præmissa revelata est propositio particularis.

R. 2. Si altera præmissa non revelata, est solùm verisimilis, hoc est, nixa aliquo gravi fundamento, sed non habente evidentiam moralem magnam relativam, nec respectivè excludentem omnem prudentem dubitationem, tunc conclusio non est de fide, etiam quoad potentiam credendi, quia tunc non potest prudenter credi assensu super omnia firmo propter revelationem præmissæ revelatæ credibiliter, in qua tamen revelatione implicitè contineri vel cum ea connexam esse supponimus; non potest, inquam, propter defectum sufficientis applicationis; quia videlicet non constat sufficienter illam contineri formaliter implicitè in præmissa revelata, aut cum ejus veritate necessariam habere connexionem. Tunc igitur conclusio est verisimiliter de fide quoad se, hoc est, tunc solùm verisimile est quòd conclusio participet rationem formalem fidei divinæ. Unde qui verisimiliter negant hanc conclusionem esse de fide, aut esse ullo modo revelatam, non sunt hæretici nequidem materialiter.

DISPUTATIO III.

De Actu interno fidei.

ARTICULUS I.

Utrùm actus fidei divinæ sit certus, & quanta sit ejus certitudo.

Nota. Certitudo formalis, de qua hic agitur, includit duo, infallibilitatem scilicet, & firmitatem actus formaliter assecurantis intellectum de veritate objecti. Infallibilitas actus est ejus necessaria conformitas cum objecto; firmitas verò, adhæsio ad objectum, excludens omnem actualem dubitationem in eo posita quòd actus saltem virtualiter & exercitè affirmet objectum non posse aliter se habere. Itaque actus certus est actus necessariò conformis objecto, & ita adhærens illi, ut excludat omnem actualem dubitationem circa illud. Hinc actus erroneus non est certus, quantumvis firmiter adhæreat objecto ut vero, quia non est conformis, & multo minùs necessariò conformis est objecto. Hinc etiam actus opinativus, quo quis credit Deum existere, non est certus, licet sit necessariò verus, & tanta necessitate verus, quanta Deus existit, quia non sic adhæret objecto suo, ut sit incompossibilis cum omni actuali dubitatione.

Nota iterum. Certitudo formalis non consistit in indivisibili, sed admittit magis & minus tum ex parte infallibilitatis, tum ex parte adhæsionis ad objectum. Nam 1. infallibilitas actus eo major est, quo sunt plura & infallibiliora principia, ex quibus oritur. 2. Firma ad objectum adhæsio alia major est intensivè, alia minor. Item alia major est appretiativè, alia minor. Eò autem firma adhæsio ad objectum major est appretiativè, quò veritas judicata pluribus aliis veritatibus etiam certis præfertur, quod fit per assensum appretiativè majorem, virtualiter saltem & exercitè judicando alias veritates, quantumvis certas & evidentes, potiùs negandas, aut in dubium revocandas, supposito quòd ex imperio voluntatis negari aut in dubium revocari possent, quàm veritatem judicatam, quando cum ea pugnare viderentur.

Nota 3. Cùm inter veritates aliæ sint per se notæ & evidentes, aliæ verò non, & eatenùs obscuræ, quæ intellectui proponuntur tantùm per motiva moraliter evidentia, firma ad objectum adhæsio duplex est, una necessaria, & altera libera. Necessaria oritur ex evidentia objecti per se noti, debitè apprehensi, & excludit non solùm omnem dubitationem actualem, sed etiam omnem potentiam dubitandi. Libera oritur saltem ex parte à libero nutu voluntatis, prudenter applicantis & determinantis intellectum ad assentiendum objecto ut vero: ita ut per actum suum virtualiter saltem & exercitè judicet illud non posse aliter se habere; quæ adhæsio, cum sit libera, sic excludit omnem dubitationem actualem, ut relinquat potentiam dubitandi antecedentem, quia relinquit in voluntate potentiam antecedentem non applicandi & determinandi intellectum ad actum incompossibilem cum omni dubitatione actuali.

Dixi autem, voluntatis prudenter applicantis, &c. Nam si voluntas imprudenter applicat & determinat intel-

intellectum ad firmum objecti assensum; quod fiet, si ex levi fundamento applicet & determinet; tunc non erit certitudo, sed pertinacia, ut accidit in hæreticis, firmiter assentientibus articulis falsis, vel etiam veris, sed absque sufficienti propositione.

Responsio I.

Actus fidei divinæ infallibilior est quovis assensu naturali, quantumvis evidenti, qui non versatur circa perfectionem aliquam Dei necessariam.

Prob. Nam actus fidei divinæ tanta necessitate verus est, quanta necessitate ex hypothesi revelationis objectum revelatum tale est, quale revelatur à Deo. Atqui summa necessitate ex hypothesi revelationis objectum revelatum tale est, quale revelatur à Deo: nam summè implicat Deum revelantem falli aut fallere. Ergo actus fidei divinæ summa necessitate verus est, quanta necessitate verus est nullus assensus naturalis, quantumvis evidens, qui non habet pro objecto perfectionem aliquam Dei necessariam. Nam v. g. licèt absolutè & simpliciter repugnet me non vivere, ex hypothesi quod experiar me vivere, tamen minùs repugnat, quàm repugnet Deum revelantem falli aut fallere; & potiùs fieri posset me non vivere, etiam ex hypothesi quod experiar me vivere, quam Deum revelantem falli aut fallere. Igitur licèt absolutè & simpliciter repugnet me non vivere ex hypothesi, quòd experiar me vivere, hæc tamen repugnantia non est summa, nec tanta, quanta est ad hoc ut Deus revelans fallat vel fallatur, & consequenter quanta est ad hoc ut objectum revelatum ex hypothesi revelationis, non sit tale, quale revelatur à Deo.

Quod si actus fidei divinæ infallibilior est actu, quo experior me vivere, est à fortiori infallibilior actibus experimentalibus, & evidentibus, quibus experimur solem existere & lucere, ignem existere & ardere, aquam existere & frigidam esse, &c. Nam ii actus non sunt absolutè infallibiles: absolutè enim possent esse, non existente sole, aut igne, aut aqua, &c. Unde non habent nisi infallibilitatem physicam, quæ non est major evidentia magna morali absoluta, quæ est de rebus, quæ nunquam aliter contingunt, quamvis absolutè possent aliter contingere.

Ex dictis facilè etiam intelligitur actum fidei divinæ infallibiliorem esse omni assensu naturali scientifico de rebus creatis, imò omni assensu naturali primorum principiorum, & objectorum per se notorum, quales sunt actus quibus judicamus totum esse majus sua parte, duo & duo esse quatuor, &c. Cùm enim nullum objectum creatum, nulla veritas creata habeat summam necessitatem, nullus assensus naturalis circa veritatem creatam, quantùmvis supponatur esse evidens, habere potest summam infallibilitatem, & qualem habet actus fidei divinæ.

Dixi autem in resp. Qui non versatur circa perfectionem aliquam Dei necessariam: nam v. g. assensus naturalis sive scientificus, sive etiam opinativus tantùm, quo judicamus Deum existere, sapientem esse, omnipotentem esse, &c. habet summam infallibilitatem; tanta enim necessitate verus est, quanta necessitate Deus existit, & sapiens, & omnipotens est. Summa autem necessitate Deus existit, sapiens est, omnipotens est, &c. Ergo assensus naturalis, etiam opinativus, quo quis judicat Deum existere, sapientem esse, omnipotentem esse, &c. habet summam infallibilitatem, & consequenter tantam, quantam habet omnis actus fidei divinæ.

Responsio II.

Actus fidei divinæ ex merito objecti appretiativè saltem firmior est omni assensu naturali, quantùmvis evidenti.

Prob. Nam actus fidei divinæ est ille quo intellectus assentitur veritati revelatæ propter revelationem divinam ex imperio voluntatis prudenter ipsum applicantis & determinantis ad assentiendum modo appretiativè saltem proportionato infallibilitati revelationis divinæ. Atqui talis assensus ex merito objecti est saltem appretiativè firmior quovis assensu naturali, quantùmvis evidenti: nam infallibilitas revelationis divinæ summa est, & longè superat infallibilitatem cujuscumque evidentiæ naturalis, quantùmvis magnæ. Ergo, &c.

Confirm. Quia actus fidei divinæ ex merito objecti est in ratione adhæsionis ad objectum summus appretiativè saltem: cum enim infallibilitas, & consequenter authoritas revelationis divinæ sit summa, exigit adhæsionem ad objectum saltem appretiativè summam. Atqui nullus assensus naturalis, quantumvis evidens, est appretiativè summus in ratione adhæsionis ad objectum ex merito objecti: nam si quis esset, certè in tantùm esset, in quantum per illum saltem virtualiter & exercitè affirmaretur ex merito objecti omnes alias veritates potiùs negandas, vel in dubium revocandas esse, quàm veritatem per illum judicatam, sive, quod eodem redit, præ illius evidentia omnem aliam evidentiam, & omne aliud motivum in oppositum contemnendum esse. Atqui ejusmodi nullus est: nullum enim motivum naturale tale est, nullaque talis & tanta evidentia naturalis, ut intellectus prudenter & rationabiliter affirmare possit, sive formaliter, sive virtualiter, aliud motivum quodcumque, aliamve quamcumque evidentiam in oppositum contemni posse: quia nullum motivum naturale tale est, nullaque talis & tanta evidentia naturalis, ut habeat summam infallibilitatem & authoritatem in ratione movendi; hæc enim est prærogativa solius primæ veritatis revelantis. Ergo, &c.

Dixi autem, ex merito objecti: quia nihil vetat, quin assensus merè naturalis, sive evidens, sive etiam inevidens, sit appretiativè summus, & consequenter tam firmus, quàm assensus fidei divinæ; sed talis non erit, nisi præter meritum objecti. Sic actus quo hæreticus errori suo adhæret, potest esse summus appretiativè ex imprudenti voluntatis imperio ultra omne objecti meritum. Sic ethnicus v. g. potest veritati demonstratæ adhærere assensu appretiativè summo, sed irrationabiliter, & sine merito objecti. Nullus tamen ex his actibus potest dici habere certitudinem appretiativè summam, quia sicut ad veram certitudinem requiritur actus firmitas rationabilis, & fundata in merito objecti, ita ad veram certitudinem appretiativè summam requiritur summa firmitatis appretiatio rationabilis, nec meritum objecti excedens. Unde solus actus fidei divinæ potest habere certitudinem appretiativè summam, quia solus potest rationabiliter & ex merito objecti habere firmitatem appretiativè summam, propter summam infallibilitatem & auctoritatem primæ veritatis revelantis.

Responsio III.

Actus fidei divinæ est absolutè & simpliciter certior omni omninò assensu naturali, sive obscuro, sive etiam evidenti, quantacumque supponatur esse hæc evidentia.

Prob. authoritate SS. Patrum. Pro omnibus sit S. Augustinus, lib. 7. Confess. cap. 10. *Audivi*, inquit, *sicut auditur in corde, & non erat unde dubitarem, faciliusque dubitarem me vivere, quàm non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicitur*, hoc est, quæ summam evidentiam credibilitatis, vel potiùs simplicem evidentiam habet ex signis mirabilibus, quæ in ejus confirmationem facta sunt, sic ut per ea quasi oculis percipiatur: loquitur enim S. Doctor de evidentia credibilitatis, aut potiùs de evidentia simplici, quam habent mysteria nostræ fidei, non de evidentia naturali, qua cognoscimus ex creaturis existentiam & alias perfectiones Dei, quæ evidentia procul dubio minor est ea, qua unusquisque experitur se vivere. Unde si de illa loqueretur S. Augustinus, non diceret: *Facilius dubitarem me vivere*. Ergo secundùm Augustinum, fides divina superat certitudine omnes assensus naturales, sive scientificos, sive experimentales, etiam maximè evidentes.

Ratio est, quia fides divina ob eminentiam sui motivi

tivi habet summam infallibilitatem, & firmitatem adhæsionis ad objectum appretiativè summam ex merito objecti, quorum neutrum habet, aut saltem utrumque non habet ullus assensus naturalis; quia quamvis inter assensus naturales multi sint absolutè & simpliciter, & aliqui summè infallibiles, nullum tamen in statu præsentis vitæ motivum est, quod habeat summam infallibilitatem, præter revelationem primæ veritatis. Unde in statu præsentis vitæ, præter revelationem primæ veritatis, nullum est aliud motivum, quòd fundare possit firmitatem adhæsionis summam appretiativè, proindeque præter fidem divinam non est alius actus, qui habeat firmitatem adhæsionis appretiativè summam ex meritò objecti.

Obj. 1. Per actum fidei divinæ non sum certior de veritate revelata, quàm de existentia revelationis. Atqui per actum fidei divinæ non sum certior de existentia revelationis, quàm certus sum me existere per actum quo experior me existere. Ergo per actum fidei divinæ non sum certior de veritate revelata, quàm certus sum me existere per actum, quo experior me existere, & consequenter actus fidei divinæ non est certior actu naturali, quo experior me existere. *Prob. min.* Quia non mihi minor, imò major est ratio dubitandi de existentia motivorum, quibus suadetur existentia revelationis, quàm de existentia mea: neque minorem, imò majorem habeo evidentiam circa existentiam meam, quàm circa motiva, quibus Deum revelasse ostenditur. Ergo, &c.

R. 1. Majorem veram esse cùm enim per actum fidei divinæ non adhæream firmiter veritati revelatæ, nisi quia firmiter adhæreo existentiæ revelationis per eundem actum, necesse est ut per actum fidei eadem omninò, & non majori vel minori firmitate adhæream veritati revelatæ, & existentiæ revelationis: & consequenter per actum fidei, quo adhæreo veritati revelatæ propter revelationem, & revelationi propter ipsam, non possum esse magis securus de veritate revelata, quàm de existentia ipsius revelationis.

R. 2. neg. minorem. Nam per actum fidei divinæ habeo certitudinem summam de existentia revelationis, qualem sanè certitudinem non habeo de existentia mea per actum quo experior me existere. Per actum autem fidei divinæ habeo summam certitudinem de existentia revelationis, quia per hunc actum revelationi propter ipsam ut virtualiter in se reflexam adhæreo firmiter firmitate appretiativè summa ex merito objecti: cum enim Deus revelando veritatem aliquam, virtualiter revelet se revelare, revelatio divina, suppositâ sufficienti evidentia credibilitatis, digna est propter summam suam infallibilitatem, in ipsam virtualiter reflexam, assensu appretiativè summo.

Ad prob. min. R. dist. Non est mihi minor ratio dubitandi de existentia revelationis, sumpta relatè ad motiva credibilitatis, quibus evidenter ostenditur etiam evidentia magna morali absoluta, quàm de propria existentia, C. Non est mihi minor ratio dubitandi de existentia revelationis, sumpta relatè ad summam ejus infallibilitatem in ipsam virtualiter reflexam, N. Unde possum certior esse de existentia revelationis per actum quo judico existentiam revelationis propter summam ejus infallibilitatem in ipsam virtualiter reflexam, quàm certus sum me existere per actum quo experior me existere: licèt non possim certior esse de existentia revelationis per actum quo illam judico propter evidentiam etiam magnam moralem absolutam, quam habet à motivis credibilitatis. At primus actus, non secundus, est actus fidei divinæ.

Obj. 2. Actus, quo evidenter judico solem existere, excludit omnes dubitationes etiam involuntarias. Ergo certior est actu fidei divinæ: nam actus fidei divinæ non excludit dubitationes involuntarias. *R.* neg. conseq. & probationem ejus; & dico, actum fidei divinæ excludere omnes dubitationes non solùm voluntarias, sed etiam involuntarias. Quod sic ostendo. Actus scientificus excludit dubitationes involuntarias. Ergo & actus fidei divinæ. *Prob. conseq.* Actus scientificus excludit dubitationes involuntarias, quia saltem virtualiter affirmat objectum non posse aliter se habere; unde non potest stare cum hoc judicio formidoloso: Fortè res aliter se habet. Atqui pariter fides divina saltem virtualiter affirmat veritatem revelatam non posse aliter se habere. Ergo fides divina tam excludit dubitationes involuntarias, quàm actus scientificus. *Prob. min.* Nam si naturalis evidentia demonstrationis sufficit ad hoc ut intellectus affirmet objectum demonstratum non posse aliter se habere, à fortiori summa infallibilitas revelationis, suppositâ sufficienti evidentia credibilitatis, sufficit ad hoc ut intellectus ex imperio voluntatis affirmet veritatem revelatam aliter se habere non posse.

Itaque quando fideles videntur experiri dubitationes involuntarias in ipso actuali exercitio fidei, hoc non fit, quia re ipsa dubitationes involuntariæ coexistunt actibus fidei, sed quia actibus fidei ita permiscentur, & sine mora perceptibili succedunt, ut videantur illis coexistere. Vel dicendum est, quod tunc actibus fidei coexistant, non actus judicativi, sive actus, quibus, licèt involuntariè, judicet intellectus fortasse rem aliter se habere, in quibus judiciis consistunt dubitationes involuntariæ; sed actus merè apprehensivi, sive actus quibus intellectus merè percipit species judiciorum formidolosorum in phantasia excitatas, vel à dæmonæ, vel ab alia quacumque causa naturali.

Dices. Saltem actus, quo evidenter judico solem existere, magis removet omnem dubitationem involuntariam, quàm actus fidei divinæ: ergo certior est. *Probabis ant.* Nam nunquam experior ullam dubitationem involuntariam circa existentiam solis? cùm tamen nullus ferè ut fidelis, qui identidem non patiatur aliquas dubitationes involuntarias circa veritatem rerum revelatarum, aut revelationum existentiam.

R. neg. ant. Imò fides divina magis removet omnem dubitationem involuntariam, quàm actus, quo evidenter judico solem existere: cùm enim sit appretiativè firmior, & ita firmiùs affirmet rem non posse aliter se habere, minùs compati potest dubitationem etiam involuntariam.

Ad prob. ant. R. me nunquam experiri dubitationes involuntarias circa existentiam solis, quia evidentia illa magna, qua evidenter cognosco solem existere, est maximè proportionata intellectui meo, cique facilè ac toties occurrit, quoties cogito de sole, & occurrendo rapit ac determinat ad evidens judicium de existentia solis. Unde nunquam experior dubitationes involuntarias circa existentiam solis; non quia actus, quo evidenter judico solem existere, magis removet omnem dubitationem involuntariam, sed quia quoties cogito de sole, habeo actum illum, aut æquivalentem.

E contra philosophus, qui evidenter & demonstrativè per creaturas scit Deum existere, & providere universo, identidem patitur dubitationes involuntarias circa existentiam Dei & ejus providentiam; quia evidentia illa, quamvis magna, qua, cùm præsens est, evidenter judicat Deum existere, & providere universo, non est improportionata intellectui; unde non ita facilè, nec toties occurrit intellectui, quoties Philosophus cogitat de existentia Dei, & ejus providentia, sicque Philosophus non toties habet actum, quo evidenter judicet Deum existere & universo providere, quoties cogitat de existentia & providentia divina.

Similiter fidelis identidem patitur dubitationes involuntarias circa veritates revelatas, & revelationes divinas, non quia actus fidei divinæ minùs removet dubitationes involuntarias, sed quia cum actu cogitat fidelis de veritatibus revelatis aut revelationibus divinis, non semper habet actum fidei, aut evidentiam aliquam cum dubitationibus involuntariis incompossibilem.

Dices iterum. Ille actus est firmior, à quo intellectus minùs potest dimoveri, ut assentiatur opposito. Atqui intellectus minùs potest dimoveri ab actu, quo evi-

evidenter cognoscit solem existere, ut opposito assentiatur, quàm ab actu, quo credit veritatem aliquam propter revelationem divinam, ut docet experientia. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Nam ex eo quòd intellectus minus possit dimoveri ab actu aliquo, ut assentiatur opposito, sequitur tantùm, quòd actus ille sit magis necessarius, quòd sit minus in potestate cognoscentis, ut habeat vel non habeat illum; quòd sit clarior, quòd habeat objectum evidens ea evidentia, quæ facilè occurrit intellectui.

Probabis tamen majorem negatam. Actus, à quo intellectus minùs dimoveri potest, ut assentiatur opposito, magis removet à dissensu objecti. Ergo firmior est. *R.* neg. ant. Nam non hoc ipso magis removet à dissensu objecti, sed solùm magis necessariò removet, vel, si vis, solùm facit, ut minùs sit in potestate cognoscentis dissentire objecto, & assentiri opposito. Quo non obstante, actus fidei divinæ simpliciter removet magis dissensu objecti, quàm actus, quo evidenter cognoscitur solem existere; cùm simpliciter removeat magis dubitationes, etiam involuntarias, ut ostensum est.

Præterea, quòd fides divina simpliciter removeat magis à dissensu objecti, quàm actus quo evidenter cognoscitur solem existere, manifestum est ex eo, quod actus, quo evidenter cognoscitur solem existere, non sit talis, ut evidentia quælibet apparens in oppositum, omnem vim movendi intellectum in ejus concursu amissura, & vi ejus contemnenda sit. At evidentia apparens, etiam quoad speciem tanta, quanta est evidentia hujus veritatis, Sol existit, pugnans cum testimonio divino, amitteret omnem vim movendi intellectum in concursu fidei divinæ, & vi illius contemneretur. Quod etiam verum est de evidentia vera, si per impossibile pugnaret cum revelatione divina sufficienter proposita. Dico, si per impossibile; quia fieri non potest ut evidentia vera pugnet cum revelatione divina: cùm enim Deus non possit revelare falsum, non potest revelare oppositum veræ evidentiæ.

Ratio autem disparitatis pro fide divina, & actu quo evidenter cognoscitur solem existere, est, quia hic actus nequidem virtualiter & exercitè affirmat omnem aliam evidentiam repugnantem, contemnendam esse præ evidentiam qua constat solem existere; & si affirmaret, præter meritum objecti affirmaret: neque enim evidentia, qua constat solem existere, talis est, ut præ illa omnis alia evidentia meritò contemni possit. At actus fidei divinæ saltem virtualiter & exercitè affirmat præ testimonio divino, propter quod veritati revelatæ assentitur, contemnendum esse aliud quodcumque motivum in oppositum, omnemque evidentiam repugnantem, quantacumque appareat, esse contemnendam, in qua virtuali & exercita affirmatione consistit summa appretiatio fidei divinæ, sufficienter fundata in summa infallibilitate & authoritate testimonii divini.

Dices 3. Actus, quo evidenter cognoscitur solem existere, summè removet à dissensu objecti. Ergo tam removet à dissensu objecti, quàm actus fidei divinæ. Neg. ant. *Probabis*. Simpliciter & necessariò removet intellectum à dissensu objecti. Ergo summè removet. *R.* neg. conseq. Nam inter assensus naturales simpliciter & necessariò removentes intellectum à dissensu objecti, alii magis, alii minùs removent, pro majori vel minori evidentia objecti. Item assensus supernaturalis evidens magis removet intellectum à dissensu objecti, quàm assensus naturalis evidens, quia assensus supernaturalis evidens, firmior est assensu naturali evidenti.

Denique aliud est simpliciter & necessariò removere intellectum à dissensu objecti, & aliud summè removere; sicut aliud est amare necessariò, & aliud summè amare. Sicut ergo justus amore proprio ordinato amat se ipsum necessariò, nec tamen se ipsum amat summè; ita intellectus per actum, quo evidenter cognoscit solem existere, simpliciter & necessariò removetur à dissensu objecti, nec tamen summè removetur, quia per actum evidentem & necessarium removetur, sed non per actum summè appretiativum: cùm è contra summè removeatur per actum fidei divinæ, quamvis non necessariò, quia removetur per actum objectè summè appretiativum, quamvis non necessarium & evidentem, sed obscurum & liberum.

Dices 4. Actus, quo evidenter cognoscitur solem existere, excludit non solùm formidinem actualem, sed etiam potentiam antecedentem formidandi. Ergo firmior est, quàm actus fidei divinæ quæ excludit solam formidinem actualem. *R.* neg. consq. Nam quamvis fides divina non excludat potentiam antecedentem formidandi, quia est actus obscurus & liber, nihilominùs longè magis excludit formidinem actualem, quàm actus quo evidenter cognoscit solem existere, quia longè major est appretiativè; unde simpliciter longè firmior est: major enim firmitas attenditur potiùs secundùm majorem exclusionem formidinis actualis, quàm secundùm exclusionem potentiæ formidandi.

Dices 5. Intellectus non potest dubitare de veritate actus, quo evidenter judicatur solem existere, & potest dubitare de veritate actus fidei, quo credit rem revelatam. Ergo, &c. *R.* neg. 2. partem ant. Cùm enim intellectus per actum fidei virtualiter & exercitè affirmet rem creditam non posse aliter se habere, virtualiter quoque & exercitè affirmat ipsummet actum esse absolutè & infallibilem. Unde intellectus de actu fidei, quandiu perseverat, non potest magis formidare ne sit falsus, quam formidare potest, ne res credita aliter se habeat, quàm creditur.

Obj. 3. Non potest intellectus per actum fidei firmius ex merito objecti assentiri veritati revelatæ propter revelationem divinam, quàm ipsi revelationi assentiatur propter motiva credibilitatis saltem collectivè sumpta. Sed actus, quo intellectus assentitur revelationi propter motiva credibilitatis etiam collectivè sumpta, non est firmior quovis assensu naturaliter evidenti: nam evidentia motivorum credibilitatis etiam collectivè sumptorum non superat quamvis aliam evidentiam naturalem. Ergo, &c.

R. neg. maj. Nam intellectus assentiens alicui mysterio propter revelationem divinam, potest & debet illi assentiri modò appretiativè proportionato infallibilitati revelationis divinæ, & consequenter potest & debet illi assentiri propter revelationem divinam cum longè majori firmitate, quàm cùm assentitur ipsi revelationi divinæ propter motiva credibilitatis, etiam collectivè sumpta; quia infallibilitas revelationis divinæ, cùm sit summa, longè superat infallibilitatem evidentiæ motivorum credibilitatis, etiam collectivè sumptorum, quæ evidentia, ut rectè dicitur in objectione, non est major quavis evidentia naturali, nec proinde infallibilior.

ARTICULUS II.

Utrùm actus fidei divinæ pertineat ad intellectum.

Responsio.

Actus fidei divinæ pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem.

Prob. 1. ex Apostolo. Nam 1. Cor. c. 13. dicit: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate*. Et Hebr. c. 10. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*. At videre & intelligere, intellectus est, non voluntatis. 2. Ex S. Augustino, lib. de præd. Sanct. c. 2. ubi sic fidem divinam describit: *Credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare*. At intellectus cogitat, non voluntas. 3. Ratione, quia fides divina est actus, quo credens assentitur veritati revelatæ propter authoritatem primæ veritatis revelantis. At assentiri & dissentire sunt actus intellectus, sicut amare & odisse sunt actus voluntatis. Ergo, &c.

Obj. In Scriptura fides divina tribuitur voluntati. Nam Rom. cap. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam*. Item in Scriptura fides divina opponitur diffidentiæ, quæ est actus voluntatis. Nam dicitur Rom.

cap. 4.

cap. 4. *Non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide.* Item fides divina adhæret veritati revelatæ. Sed voluntatis est adhærere.

R. ad 1. neg. *Ad prob. R.* ibi cor non significare voluntatem, sed intellectum. *Nota.* In Scriptura cor quandoque sumitur pro intellectu, ut Matth. cap. 9. ubi Christus dicit: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Et Psal. 52. ubi sic ait Psalres: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Quandoque pro voluntate, ut Matth. cap. 22. ubi Christus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Præterea, etiamsi, cùm dicitur Rom. cap. 10. *Corde creditur ad justitiam;* to cor sumeretur pro voluntate, nihil tamen inde contra nos efficeretur: tunc enim to corde sumeretur causaliter, non formaliter; & sensus esset: Voluntariè creditur ad justitiam, hoc est, ex libero & pio voluntatis affectu intellectu creditur, & idcircò fides imputatur ad justitiam. *R. ad 2.* etiam neg. *Ad prob.* dico, diffidentiam ibi sumi, non propriè, & prout opponitur fiduciæ, sed pro incredulitate. *R. ad 3.* fidem divinam adhærere veritati revelatæ assentiendo, & judicando; voluntatem verò adhærere objecto suo, illud amando.

Hic obiter observamus, actum fidei divinæ habere triplicem respectum ad Deum, videlicet ut objectum materiale, quod creditur; ut objectum formale, propter quod creditur; & finem ultimum, qui propter se diligitur, & in quem ipsa fides & cætera omnia referuntur. Hinc dicimur credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Credimus Deum, credendo ipsum existere; credimus Deo, credendo quia locutus est; credimus in Deum, credendo ipsum & propter ipsum, omniaque in ipsum per dilectionem referendo.

Doctrinam hanc tradit S. Augustinus serm. 181. de verbis Domini: *Aliud est credere in illum, aliud credere illi, aliud credere illum. Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur. Credere illum, est credere quia ipse est Deus. Credere in illum, est diligere illum.* Quod tertium alibi inculcat, ut tract. 29. in Joan. *Quid est,* inquit, *credere in eum? Credendo amare.* Et serm. 6. de verbis Domini: *Ille,* inquit, *credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit.*

Dices. Supposita hac S. Augustini doctrina, fides non est in peccatoribus. *R.* non esse quoad tertium respectum, sed esse quoad primum & secundum. *Dices adhuc.* Saltem non possunt peccatores absque mendacio recitare Symbolum fidei, & dicere: *Credo in Deum Patrem, &c. Responderi potest* cum S. Thoma hìc q. 1. a. 9. ad 3. peccatores non dicere falsum, recitando Symbolum fidei, quia recitant ex persona totius Ecclesiæ. Itaque juxta hanc responsionem, sicut Sacerdos, dum consecrat, non ex propria, sed ex Christi persona dicit: *Hoc est corpus meum:* unde verum dicit, quamvis non proprium, sed alterius Corpus intelligat; ita quilibet Christianus non ex propria, sed ex Ecclesiæ persona loquitur, & fidem profitetur, cùm dicit: *Credo in Deum Patrem, &c.* Unde non dicit falsum, quamvis non diligat Deum; quia ad veritatem dicti satis est, si Ecclesia Deum diligat; & ut Ecclesia censeatur Deum diligere, necesse non est, ut quilibet Christianus in particulari diligat Deum, sed sufficit, si boni, qui in Ecclesia sunt (fieri autem non potest, ut non sint, etiam plurimi, Deo id infallibiliter providente) diligant.

ARTICULUS III.

Utrùm aliqui alii, & quinam actus, ad actum fidei divinæ prærequirantur.

Responsio I.

Ad actum fidei divinæ prærequiritur actus voluntatis, quo voluntas positivè determinet intellectum ad credendum.

Prob. 1. ex Apostolo, dicente Rom. cap. 10. *Non omnes obediunt Evangelio.* Atqui obedientia illa, qua carent increduli, nihil aliud esse potest, quam actus voluntatis se submittentis testimonio divino, sufficienter proposito, & determinantis intellectum ad credendum propter illud testimonium. Ergo, &c.

2. Ex S. Augustino lib. de spir. & littera cap. 33. quod ita exorditur: *Consequens est paululum quærere, utrum voluntas illa, qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit.* Ubi nomine voluntatis, non ipsam facultatem volendi intelligit, sed actum volendi prærequisitum ad credendum.

3. Ex Conc. Arausicano can. 5. ubi definitur ipsum credulitatis affectum nobis inesse, non naturaliter, sed per gratiæ donum. Quæ definitio manifestè supponit credulitatis affectum prærequiri ad fidem divinam. At ille credulitatis affectus non est aliud, quàm actus quo voluntas efficaciter applicat intellectum ad credendum.

4. Ratione. Fides divina est actus, quo intellectus assentitur alicui veritati revelatæ præcisè propter revelationem divinam. Atqui revelatio divina præcisè sumpta, est omninò obscura; nam præcisè sumpta non magis apparet esse, quàm non esse. Ergo fides divina est actus, quo intellectus assentitur alicui veritati revelatæ propter revelationem divinam sub ea ratione, sub qua omninò obscura est. Atqui intellectus non potest assentiri veritati revelatæ propter revelationem divinam sub ea ratione, sub qua obscura est, sine actu voluntatis, quo positivè determinetur ad sic assentiendum. Et verò non potest intellectus assentiri veritati revelatæ, nisi ad hunc assensum determinetur vel ab objecto, vel à voluntate, quia caret facultate se ipsum determinandi. Non potest determinari ab objecto, seu à revelatione, sub ea ratione, sub qua obscura est; quia non potest determinari ab objecto, nisi per evidentiam. Supereſt igitur ut ad hunc assensum determinetur à voluntate. Ergo, &c.

Amplius declaratur. Quia fides divina est actus quo intellectus assentitur veritati revelatæ cum ea amplitudine & firmitate, quam meretur & exigit suprema authoritas divinæ revelationis, proindeque cum amplitudine & firmitate appretiativè summa. Atqui saltem non potest intellectus cum tanta amplitudine & firmitate assentiri veritati revelatæ sine actu voluntatis, generaliter, plenè & absolutè se submittentis authoritati divinæ, & captivantis intellectum in obsequium fidei: nam saltem non potest intellectus determinari ad tantam amplitudinem & firmitatem assensus ab authoritate Dei loquentis præcisè sumpta; cùm locutio divina præcisè sumpta, sit obscura, nec magis appareat esse, quàm non esse, aut etiam ab authoritate Dei loquentis, ut substante evidentiæ morali motivorum credibilitatis: cùm enim hæc evidentia non sit absolutè infallibilis, non potest determinare intellectum ad assentiendum, cum summa firmitate divinæ locutioni, propter authoritatem divinæ locutionis veritati revelatæ. Ergo, &c.

Dices. Mysteria nostræ fidei sunt evidenter vera evidentia magna morali absoluta. Ergo necessarium non est imperium voluntatis ad hoc ut intellectus assentiatur revelationibus divinis, & propter illas mysteriis nostræ fidei. *R.* dist. cons. Necessarium non est imperium voluntatis, ut intellectus assentiatur revelationibus divinis, & propter ipsam mysteriis nostræ fidei, propter evidentia magnam moralem, quam habent argumenta credibilitatis saltem collectivè sumpta, & per actum evidentem & necessarium, sed fide divina longè inferiorem in amplitudine & firmitate, C. consq. Necessarium non est imperium voluntatis, ut intellectus assentiatur revelationibus divinis, & mysteriis nostræ fidei præcisè propter ipsasmet revelationes, sibi sistendo, & per actum obscurum, & tamen cum amplitudine & firmitate appretiativè summa adhæsivum, qui solus actus est fides divina, N. consq.

Res-

Responsio II.

Voluntatis imperium ad fidem divinam prærequisitum supponit judicium practicè practicum de credibilitate veritatis reuelatæ propter revelationem divinam.

Prob. Voluntatis imperium ad fidem divinam prærequisitum, supponit sufficientem propositionem motivi, propter quod elicitur; nam voluntas non fertur in incognitum. Atqui motivum, propter quod elicitur imperium voluntatis ad fidem divinam prærequisitum, est obligatio vel saltem honestas credendi veritatem reuelatam cum firmitate summa præcisè propter revelationem. Ergo imperium voluntatis, ad fidem divinam prærequisitum, supponit sufficientem propositionem honestatis vel obligationis credendi veritatem revelatam cum firmitate summa præcisè propter reuelationem divinam. Atqui actus, quo intellectus voluntati proponit talem honestatem vel obligationem, dicitur judicium practicè practicum de credibilitate veritatis revelatæ propter revelationem divinam, quia ordinatur proximè ad praxim & ad exercitium fidei divinæ. Ergo, &c.

Responsio III.

Judicium practicè practicum, piæ credulitati prærequisitum, supponit judicium speculativum de existentia, aut saltem prudenti credibilitate revelationis.

Prob. Nam judicium speculativum de existentia aut saltem prudenti credibilitate revelationis, est actus, quo intellectus evidenter judicat evidentia morali revelationem existere, aut saltem non posse nisi imprudenter negari existere, sed è contra posse firmissimè credi existere. Atqui talis actus necessariò præsupponitur judicio practicè practico, ad piam credulitatem prærequisito; nam hoc judicium essentialiter debet esse prudens; cum impossibile sit piam credulitatem concipi ex judicio practicè practico imprudenti: non esset autem prudens, sed imprudens, nisi præiret alius actus, quo intellectus evidenter evidentia morali cognosceret revelationem existere, aut saltem non nisi imprudenter posse negari existere, & è contra posse firmissimè credi existere. Ergo, &c.

Hoc autem judicium speculativum etiam quandoque supponit aliquem actum voluntatis liberum, & examen motivorum credibilitatis, quandoque verò non supponit: nam cùm reuelatio proponitur ad credendum, vel intellectus ita illustratur circa argumenta credibilitatis propositа, ut cum auxilio Spiritus sancti illum corroborantis & elevantis, statim condignè estimet argumenta illa, illorumque moralem euidentiam attingat, quantùm oportet ut evidenter judicet existentiam revelationis, aut saltem ejus prudentem credibilitatem, & tunc judicium speculativum de existentia vel prudenti credibilitate revelationis non supponit ullum actum voluntatis positivum, ullumue examen argumentorum credibilitatis: vel intellectus non ita adjuvatur, ut statim argumenta credibilitatis condignè æstimet, illorumque evidentiam attingat quantùm oportet, ut evidenter judicetur existentia revelationis, aut saltem prudens credibilitas ejus existentiæ, & tunc requiritur aliquis actus voluntatis liber, quo voluntas positiuè applicet intellectum ad diligens & prudens examen argumentorum credibilitatis, quo cum adjutorio Spiritus sancti facto, argumentorum illorum evidentia sufficienter apparet ad judicium speculativum euidens de existentia revelationis, vel saltem de ejus prudenti credibilitate.

Ex dictis facilè explicatur œconomia fidei diuinæ. 1. Itaque, apprehenditur ueritas reuelata cum reuelatione & argumentis credibilitatis. 2. Voluntas imperat examen argumentorum credibilitatis. 3. Argumenta credibilitatis ponderantur & examinantur. 4. Intellectus euidenter euidentia morali judicat reuelationem existere, uel saltem posse firmissimè credi existere. 5. Euidenter judicat credendum esse, uel saltem honestum esse credere. 6. Voluntas propter obligationem uel honestatem credendi imperat intellectui, ut credat. 7. Denique sequitur actus, quo intellectus credit, hoc est, cum firmitate appretiativè summa assentitur veritati revelatæ præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, siue propter veracitatem & revelationem divinam, creditas propter ipsam revelationem, ut reflexam virtualiter in se, & veracitatem; quod est fide divina credere.

ARTICULUS IV.

Utrùm actus fidei divinæ sit liber & honestus speciali honestate.

Responsio. I.

Actus fidei divinæ est positivè voluntarius & liber. *Prob.* 1. ex Scriptura. Nam Marci cap. ult. dicitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis manifestè innuitur, in libera hominum potestate positum esse, ut positis omnibus ad fidem divinam prærequisitis, credant, vel non credant fide divina.

2. Ratione. Nam, ut supra probatum est, fides diuina supponit liberum voluntatis imperium, quo intellectus determinatur ad assentiendum super omnia rebus à Deo revelatis præcisè propter authoritatem Dei revelantis. Ergo fides diuina positiuè libera est, non intrinsecè & immediatè, quia non est à potentia se ipsam determinante, sed mediatè & intrinsecè, quia elicitur ex libero imperio uoluntatis liberè determinantis & applicantis intellectum ad actum, quo assentitur super omnia rebus à Deo reuelatis præcisè propter authoritatem Dei reuelantis.

Dixi autem, positiuè; quia fides diuina non est merè negatiuè libera, quales sunt omnes illi actus, qui ab intellectu eliciuntur, uoluntate præcisè non impediente, nec auertente intellectum à consideratione motiuorum, quorum euidentia necessitatur ad actus illos.

Dices. Si intellectus non à se ipso, sed à voluntate determinatur ad actum fidei diuinæ, actus fidei diuinæ non est liber, sed necessarius. *R.* non esse liberum respectu intellectus, à quo elicitur, sed esse respectu voluntatis, à qua imperatur. Unde sequitur tantùm, quod verum est, actum fidei diuinæ non esse intrinsecè liberum, sed extrinsecè tantùm.

Responsio II.

Actus fidei diuinæ habet specialem honestatem objectiuam intrinsecam.

Prob. Illud habet specialem honestatem objectiuam intrinsecam, quod est per se laudabile, per se expetibile, per se honorificum Deo, per se consentaneum rectæ rationi. Atqui talis est fides diuina. Homo enim per fidem diuinam adhærendo cum firmitate appretiatiuè summa ueritati reuelatæ præcisè propter ueracitatem & reuelationem diuinam, generalissimè, plenissimè & absolutissimè sese submittit authoritati diuinæ. At sic se authoritati diuinæ submittere, est aliquid per se expetibile, per se laudabile, per se rectæ rationi maximè conueniens, & Deo honorificum.

Responsio III.

Actus fidei divinæ habet etiam specialem honestatem formalem, non intrinsecam, sed extrinsecam.

Prob. Nam actus imperatus habet specialem honestatem formalem extrinsecam, quando actus imperans habet specialem honestatem formalem intrinsecam: sicut enim actus imperatus extrinsecè denominatur liber actu imperante intrinsecè libero, ita denominatur extrinsecè honestus honestate formali ab actu imperante intrinsecè honesto formaliter. Atqui actus, à quo imperatur fides divina, habet specialem honestatem formalem intrinsecam: nam liberè tendit secundùm rectam rationem in objectum specialiter honestum. 1. Tendit in objectum honestum specialiter: tendit enim in fidem divinam, quam

impe-

imperat, & quæ habet specialem honestatem objectivam. 2. Tendit liberè: est enim liber, & liberè imperat fidem divinam. 3. Tendit secundùm rectam rationem: quia tendit ex affectu obediendi Deo, & supremæ ejus auctoritati sese submittendi generaliter, plenè & absolutè. Ergo, &c. Ex dictis patet, ex fide divina, & actu voluntatis illam imperante, resultare unicum moraliter & totalem actum, formaliter liberum, honestum, & meritorium. Hoc sensu Patres & Concilia dicunt fidem divinam esse initium meriti & salutis.

ARTICULUS V.

Utrùm actus fidei divinæ, & alii actus ad illum prærequisiti, sint supernaturales.

Responsio I.

Actus fidei divinæ supernaturalis est.

Prob. Nam actus ille supernaturalis est, qui superat vires naturæ, nec produci potest sine adjutorio speciali, & planè indebito. Atqui actus fidei divinæ talis est. Ergo, &c. *Prob. min.* 1. Ex Scriptura. Nam dicitur Ephes. c. 2. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et Philip. c. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, &c.* 2. Ex S. Augustino, toto ferè libro de præd. Sanct. 3. Ex Conc. Trid. sess. 6. can. 3. ubi ait: *Si quis dixerit hominem credere posse, sicut oportet ... anathema sit.*

Responsio II.

Imperium voluntatis, ad actum fidei divinæ prærequisitum, supernaturale est.

Prob. Nam tale imperium non potest produci sine adjutorio gratiæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Ex Apostolo ad Philip. c. 2. *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* 2. Ex S. Augustino lib. de Spir. & lit. c. 33. *Nec illam voluntatem*, inquit, *qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit* (per gratiam) *quando quidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit.* 3. Ex Conc. Arausicano can. 5. ubi definitur, *ipsum credulitatis affectum per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, nobis inesse.*

Dices. Posita & cognita sufficienti credibilitate testimonii humani, possumus naturaliter velle credere propter testimonium humanum. Ergo pariter posita & cognita sufficienti credibilitate testimonii divini, naturaliter possumus velle credere propter testimonium divinum. *R.* neg. cons. Quæ non magis valet, quam ista: Cognita amabilitate objecti creati, possumus naturaliter amare illud objectum propter ejus bonitatem cognitam. Ergo pariter cognita amabilitate Dei, possumus naturaliter amare Deum propter ejus bonitatem cognitam.

Itaque possumus naturaliter velle credere propter testimonium humanum præcognitum, sicut naturaliter possumus velle amare objectum creatum propter ejus amabilitatem præcognitam, quia nulla in ejusmodi actibus exercendis difficultas occurrit, quæ non possit solis naturæ viribus vinci. At non possumus naturaliter velle credere propter testimonium divinum, etiam sufficienter præcognitum, sicut nec possumus naturaliter velle amare Deum propter ejus bonitatem, etiam sufficienter præcognitam; quia in præsenti statu naturæ lapsæ tanta est voluntatis humanæ infirmitas, tantus torpor & languor, ut sine gratia excitante, sanante & corroborante, non possit ita affici obligatione vel honestate credendi propter testimonium divinum, quantùmvis credibiliter propositum, ut ex tali obligatione vel honestate velit credere propter testimonium divinum; sicut nec absque hujusmodi gratia ita potest affici ad bonitatem divinam, quamvis sufficientissimè cognitam, ut propter illam velit amare Deum; quod utrumque ex Scripturis, Patribus & Conciliis satis superque constat.

Responsio III.

Judicium practicè practicum, ad pium credendi affectum prærequisitum, est supernaturale.

Prob. Omnis cogitatio salutaris excedit vires naturæ, & nulla produci potest sine adjutorio gratiæ. Atqui judicium practicè practicum, quod prærequiritur ad pium credendi affectum, est cogitatio salutaris. Ergo, &c. Minor est extra controversiam; nam hoc judicium conducit ad salutem; cùm sit actus, quo cogitatur sicut oportet ad credendum fide divina. *Prob. ergo major* ex Scriptura. Nam Apostolus 2. Cor. cap. 3. ita loquitur: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex quibus verbis sic contra Massilienses argumentatur S. Augustinus lib. de præd. Sanctorum c. 2. *Nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est; quoniam fides, si non cogitetur, nulla est, & non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ergo ex S. Doctore, cogitatio, quæ præcedit fidem divinam, & ipsam voluntatem credendi, hoc est, judicium de credibilitate, non potest esse ex solis viribus naturæ, sed ad illud, adjutorium interioris gratiæ intellectum illuminantis prærequiritur.

Responsio IV.

Supernaturale etiam est judicium speculativum de existentia revelationis, vel ejus credibilitate, evidens evidentia morali absoluta, & sufficiente respectu omnium ad credendum cum certitudine appretiativè summa.

Prob. Nam tale judicium est actus, quo condignè & sicut oportet æstimantur argumenta credibilitatis. Atqui argumenta credibilitatis non possunt condignè & sicut oportet æstimari sine adjutorio gratiæ interioris intellectum illuminantis: nam supernaturalia sunt, & consequenter naturalem intelligentiam superant. Ergo judicium speculativum, &c. haberi non potest sine interiore gratia intellectum illuminante, proindeque naturales intellectus humani vires excedit.

Porrò dixi, judicium speculativum de existentia revelationis, vel ejus credibilitate, evidens evidentia morali absoluta, &c. Nam judicium speculativum de credibilitate revelationis, & rei revelatæ propter revelationem, evidens evidentia morali respectiva, & solùm sufficiente pro aliquibus, putà pro rusticis, vel pueris, cùm fundetur v. g. in sola auctoritate parochi vel parentis, sine fundamento diceretur esse supernaturale; gratis enim requireretur adjutorium gratiæ ad percipiendam evidentiam respectivam, quæ ex ejusmodi auctoritate oritur; cùm per se sit satis proportionata intellectui.

Itaque hoc judicium in rusticis & parvulis non magis est supernaturale, quam in aliis prima apprehensio motivorum credibilitatis, quæ tam naturalis est, quàm prima perceptio cujuscumque alterius objecti naturalis. Unde in rusticis & parvulis, & alii ejusmodi, prima cognitio supernaturalis est judicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi præcisè propter testimonium divinum.

Quando igitur rusticus credit fide divina, 1. naturaliter apprehendit cum mysterio fidei proposito auctoritatem parochi proponentis. 2. Etiam naturaliter propter auctoritatem parochi proponentis mysterium, ut revelatum à Deo, judicat evidenter evidentia morali respectiva credi posse prudenter mysterium ut revelatum à Deo, nec nisi imprudenter discredi posse. 3. Cùm auxilio gratiæ illuminantis, confortantis & determinantis intellectum ejus, judicat obligationem & honestatem sese generaliter, plenè & absolutè submittendi auctoritati divinæ, adhærendo super omnia mysterio proposito, præcisè propter testimonium divinum. 4. Cùm auxilio gratiæ voluntatem excitantis & corroborantis, vult sese generaliter,

ter, plenè & absolutè submittere divinæ auctoritati, & adhærere super omnia mysterio proposito, præcisè propter summam infallibilitatem testimonii divini. 5. Denique, elicit actum fidei, quo intellectus ejus, auxilio gratiæ concomitantis, & habitum fidei, quando deest, supplentis, adjutus, adhæret assensu super omnia certo veritati revelatæ, propter veracitatem & revelationem divinam, ibi sistendo.

Ex his facilè apparet, quid contingeret in rustico, cui parochus rem aliquam, ut à Deo revelatam falsò proponeret: tunc enim rusticus haberet quidem, vel habere posset judicium speculativum de credibilitate rei, tanquam revelatæ, evidens evidentia morali respectiva, fundatum in auctoritate parochi, de cujus malitia vel inscitia, ut supponitur, ne levem quidem haberet suspicionem. At nec haberet, nec habere posset judicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi præcisè propter summam infallibilitatem testimonii divini; sicque nec haberet, nec habere posset piam voluntatem rem à parocho propositam credendi præcisè propter summam infallibilitatem testimonii divini. Unde tunc rem à parocho propositam non crederet, nec credere posset præcisè propter testimonium divinum existimatum, sed vel omninò non crederet, vel solùm crederet propter auctoritatem parochi; proindeque tunc ad summum fidem humanam haberet.

Dices. Ad judicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi hìc & nunc veritatem aliquam præcisè propter testimonium divinum, & à fortiori ad judicium speculativum de existentia vel credibilitate testimonii divini, evidens etiam evidentia morali absoluta, sufficit lumen naturale intellectus cum propositione motivorum credibilitatis. Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis*. Ad utrumque judicium sufficit ut evidentia credibilitatis condignè & sicut oportet attingatur. Atqui hæc evidentia solo lumine naturali potest condignè & sicut oportet attingi, cùm sit naturalis. Ergo, &c.

R. 1. neg. Quòd evidentia credibilitatis sit naturalis, & possit attingi solo lumine naturali: cùm enim oriatur ex motivis credibilitatis, quæ sunt opera miraculosa & supernaturalia, supernaturalis est, & consequenter improportionata intellectui sibi relicto, ac proinde non potest ab intellectu condignè attingi sine auxilio ipsum illustrante & elevante.

R. 2. Evidentiam credibilitatis sicut oportet perceptam sufficere cum concursu supernaturali, ad judicium speculativum de existentia vel saltem credibilitate testimonii divini, sed non sufficere ad judicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi hic & nunc super omnia præcisè propter testimonium divinum, & præter illam requiri novum auxilium illustrans intellectum circa obligationem & honestatem credendi hic & nunc super omnia præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, ipsumque determinans ad judicandam obligationem & honestatem illam.

Dices. Si judicia illa supernaturalia sunt, per illa formaliter ad statum supernaturalem evehimur, & inchoamus supernaturalem vitam. Sed hoc est contra communem sensum Patrum & Doctorum, qui initium vitæ supernaturalis constituunt in fide. Ergo, &c. *R.* Patres & Doctores, cùm initium vitæ supernaturalis constituunt in fide, intelligere fidem, non solitariè sumptam, sed sumptam cum pio credendi affectu, & judiciis supernaturalibus, quæ hunc affectum præcedunt; nam ex his omnibus actibus & ipso actu fidei resultat unum quoddam morale, quod est fundamentum & initium vitæ supernaturalis.

Dices. Ratio præcipua cur actus fidei divinæ sit supernaturalis, est, quia ordinatur ad meritum præmii supernaturalis, tanquam medium ad finem. At judicia, de quibus agitur, non sic ordinantur ad meritum præmii supernaturalis: cùm enim sint actus necessarii, non possunt esse meritoria. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Nam actus fidei divinæ supernaturalis est, quia versatur circa objectum suum modo quodam excellenti, ad quem pertingere non potest natura cum solis viribus naturalibus. Propter eamdem rationem judicia illa de quibus agitur, supernaturalia sunt: habent enim excellentem quemdam modum tendendi in objectum, cui impar est intellectus, nisi per auxilium indebitum illustretur, elevetur, & determinetur. Addo judicia illa ordinari ad meritum præmii supernaturalis, non quidem immediatè & proximè, sed mediatè & remotè, quatenùs per se ordinantur ad pium affectum credendi sicut oportet, & ad ipsum actum credendi, aliaque opera meritoria subsecutura.

Dices. Si judicia illa, de quibus agitur, supernaturalia sunt, sequitur esse aliquos actus supernaturales in hæreticis & infidelibus culpabiliter, quibus scilicet mysteria fidei proponuntur sufficienter ad credendum, & tamen non credunt. At hoc hoc est incredibile. Ergo, &c. *R.* neg. min. Non enim est incredibile, quòd hæretici & infideles culpabiliter, quibus sufficienter proponuntur mysteria nostræ fidei, ex speciali & misericorditer concessa ope Spiritus sancti, etiam inviti convincantur per motiva credibilitatis, eaque condignè æstiment, atquæ judicent obligationem credendi hic & nunc super omnia propter summam infallibilitatem testimonii divini. Imò hoc planè consentaneum est summæ bonitati ac misericordiæ divinæ.

Hic tamen obiter observare juvat, ad hoc ut aliquis sit infidelis culpabiliter, non requiri, ut habeat judicia illa supernaturalia, de quibus loquimur, sed satis esse, si motiva credibilitatis sibi proposita rejiciat, aut nolit ea expendere, vel non inquirat cum tenetur inquirere. Hinc rectè ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili*. Sed contra id, quod supra notatum est, judicium de credibilitate revelationis, evidens evidentia tantùm imperfecta & relativa, non esse supernaturale.

Dices ult. Hoc judicium, quamvis evidens evidentia tantùm imperfecta & relativa, est cogitatio salutaris. Atqui, ut supra probatum est, omnis cogitatio salutaris superat vires naturæ, & nulla esse potest sine auxilio gratiæ. Ergo, &c. *R.* hoc judicium non magis esse cogitationem salutarem, quàm cogitatio salutaris est prima apprehensio revelationis propositæ, vel motivorum credibilitatis, & est omninò indifferens ad veritatem vel falsitatem, non solùm ratione motivi, sed etiam ratione principii effectivi; tam enim potest esse de revelatione existimàta, quàm de vera. Neque per illud cogitatur sicut oportet ad credendum, sed solùm per judicium subsequens practicè practicum, quo intellectus illustratus, elevatus & determinatus ab interiore gratia, judicat obligationem vel honestatem credendi firmissimè propter testimonium Dei. Quod judicium omninò infallibile est, non quidem ratione evidentiæ credibilitatis, in qua fundatur, sed ratione principii affectivi, quatenùs Spiritus sanctus non potest esse causa specialis actus falsi.

ARTICULUS VI.

Quomodo resolvatur actus fidei divinæ, & an Catholicè in reddenda ratione suæ fidei, vitiosam circulationem admittant.

REsolvere actum fidei est illum reducere in sua principia, hoc est, in ea, quæ ad illum producendum aliquo modo concurrunt. Unde cùm varia variè concurrant ad productionem actus fidei, potest actus fidei variè resolvi.

1. Itaque resolvi potest in motiva credibilitatis, tanquam in dispositiones, id est, tanquam in ea quibus intellectus ad credendum disponitur; vel, si vis, tanquam in conditionem sine qua intellectus non crederet. Sic resolvo fidem meam, dum quærenti v. gr. quare credam veram esse religionem Christianam, respondeo me credere, quia per multa & magna argumenta, evidenter credibile, vel etiam evidens est evidentia magna morali, religionem christianam esse veram religionem.

2. Resolvi potest in obligationem & honestatem cre-

dendi, tanquam in motiva, quibus inducimur ad volendum credere. Sic resolvo fidem meam, dum quærenti v. g. quare credam omnia à Deo revelata, respondeo, quia teneor, & honestum est in omnibus se submittere auctoritati Dei loquentis.

3. Resolvi potest in Deum, tanquam principium effectivum. Sic resolvo fidem meam, dum quærenti v. g. quare credam tot mysteria, ad credendum tam difficilia, respondeo, quia Deus me gratia sua adjuvat ad credendum.

4. Resolvi potest in voluntatem, tanquam in causam applicantem & determinantem intellectum. Sic resolvo fidem meam, dum quærenti v. g. quare credam mysterium Trinitatis, quod videtur pugnare cum principiis lumine naturali notis, respondeo me credere, quia summæ auctoritati divinæ supremum cultum exhibere volo, captivando intellectum in assensum rerum cum ratione apparenter pugnantium.

5. Resolvi potest tanquam in causam dirigentem, in Ecclesiam habentem auctoritatem, fundatam in argumentis, quibus ejus doctrina redditur evidenter credibilis, aut etiam evidenter vera evidentia magna morali. Sic resolvo fidem meam, dum quærenti v. g. quare credam Scripturam hanc esse verbum Dei, respondeo me credere, quia hanc Scripturam esse verbum Dei tenet & semper tenuit universa collectio fidelium, sive, quod idem est, quia quod Scriptura hæc sit verbum Dei, est unum è præcipuis articulis doctrinæ Christianæ.

6. Resolvi potest, tanquam in causam proponentem, in Ecclesiam habentem auctoritatem fundatam in speciali Spiritus sancti assistentia, in scripturis promissa. Sic resolvo fidem meam, dum quærenti v. g. quare credam esse in Christo duas voluntates, divinam & humanam, respondeo, quia hoc ab Ecclesia in Concilio generali definitum est.

7. Potest resolvi in veracitatem & revelationem divinam, tanquam in motivum formale intrinsecum. Sic resolvo fidem meam, dum quærenti v. g. quare credam mysterium incarnationis, respondeo me credere, quia prima veritas revelavit verbum esse incarnatum, &c.

Vitiosum circulum admittit, qui hoc per illud, & illud per hoc sive mediatè sive immediatè probat in eodem progressu, & apud eundem, qui æquè utrumque negat, vel æquè de utroque dubitat. Sic vitiosæ circulationis reus esset, qui pagano æqualiter neganti Scripturam & Ecclesiam, probaret Scripturam per Ecclesiam, & Ecclesiam per Scripturam, ibi sistendo.

Non admittit vitiosum circulum, qui probat hoc per illud, & illud per hoc in diverso progressu, & in ordine ad diversum intellectum, quando scilicet hoc ignotius est uni, & notius alteri? nam v. g. sine circulo vitioso probo causam per effectum illi cui effectus notior est quam causa; & vicissim probo effectum per causam alteri, cui causa notior est, quàm effectus. Hinc sine vitiosa circulatione probamus Judæis novum testamentum ex veteri quod admittunt, & vicissim testamentum vetus Manichæis, ex novo, quod agnoscunt. Item sine vitiosa circulatione probamus Ecclesiæ infallibilitatem ex Scriptura contra hæreticos, qui Scripturam agnoscunt; & vicissim Scripturam ex infallibilitate Ecclesiæ, contra alios, qui admittunt hanc infallibilitatem.

Omni suspicione vitiosæ circulationis caret progressus ille, quo sistitur in aliquo, quod est ultimum simpliciter in illo progressu, & quod est per se notum. Unde Catholicus in reddenda ratione suæ fidei non admittit vitiosum circulum, quia sistit in aliquo, quod est ultimum simpliciter in progressu quem facit, & per se notum. Res declaratur exemplo. Quæris à Catholico, quare credit realem Christi præsentiam in Eucharistia? Respondet, quia hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, significant realem ejus in Eucharistia præsentiam. Quæris, quare credat hunc esse sensum verborum Christi? Respondet, quia ita definitum est ab Ecclesia, quæ in definitionibus fidei infallibilis est. Quæris quare credat Ecclesiam esse infallibilem in definitionibus fidei? Respondet, quia hoc manifestè docet Scriptura, quæ est verbum Dei, puta hæc: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; Quibus verbis manifestè promittitur specialis Spiritus sancti assistentia in rebus fidei rectè definiendis. Quæris unde habeat, quòd hæc Scriptura sit verbum Dei? Respondet, ex eo quòd, hanc Scripturam esse verbum Dei, sit unus è præcipuis articulis doctrinæ christianæ; quam veram & divinam esse, evidenter credibile, imò simpliciter evidens est evidentia magna morali, propter argumenta quibus nititur ejus veritas & divinitas; ibique sistit, in illis scilicet argumentis, quæ per se & non per aliquid sibi superadditum ex parte objecti, hanc evidentiam mentibus ingerunt.

Dices. At hoc est, probare infallibilitatem Ecclesiæ per ipsam infallibilitatem Ecclesiæ, & consequenter probare idem per idem, quod est nugari, & in circuitu ambulare. *R.* Hoc est, probare infallibilitatem Ecclesiæ, in dirimendis fidei controversiis, ut expressam distinctè in verbo Dei, per eandem infallibilitatem Ecclesiæ, in discernendis veris Scripturis à falsis, ut evidenter credibilem, imò evidentem simpliciter evidentia magna morali, propter notas & characteres, quibus distinguitur christianismus, & apparet divinus, atque à Deo institutus. Quod non est, probare idem per idem: hoc enim est, infallibilitatem Ecclesiæ in dirimendis controversiis fidei, ut expressam in verbo Dei, probare mediate per argumenta credibilitatis, quibus nititur doctrina christiana, & quæ sunt veluti primum & universalissimum principium credendi omnia, quæ fide divina creduntur.

Iniquè igitur vitiosam circulationem nobis objiciunt hæretici; præsertim cùm ipsimet in illa hæreant: nam si quæras ab eis, unde habeant hanc Scripturam esse divinam, respondent se habere ex interno & privato spiritus, qui est Spiritus sancti testimonium. Quòd si quæras ulterius, unde habeant, quòd spiritus ille privatus sit testimonium Spiritus sancti; cùm hoc nec sit evidens per se, nec specialiter ipsis revelatum? respondent se habere ex Scriptura, hac verb. gr. *Oves meæ vocem meam audiunt*; vel quia Spiritus ille privatus conformis est Scripturæ. Unde divinitatem Scripturæ probant per spiritum privatum, & spiritus privati sinceritatem probant per Scripturam, sicque divinitatem Scripturæ probant per ipsam Scripturam præcisè; quod evidenter est in circuitu ambulare: nec aliter evadere possunt, cùm dicant nihil esse credendum, nisi quod continetur in Scriptura, juxta internum & privatum eorum spiritum intellecta, pertinaciterque rejiciant infallibilem in discernendis veris Scripturis, earumque germano sensu explicando, auctoritatem Ecclesiæ, quantumvis credibilem, imò evidentem simpliciter evidentia magna morali, per motiva quibus suadetur veritas & divinitas christianismi.

DISPUTATIO IV.

De necessitate fidei divinæ, & ejus externæ professionis.

Nota 1. Duplex est necessitas respectu salutis, nempe necessitas medii, & necessitas præcepti. Necessarium ad salutem necessitate medii, est illud, sine quo non potest obtineri salus secundùm legem Dei ordinariam. Talis est v. g. baptismus respectu infantium, qui non occiduntur in odium Christi, vel religionis Christianæ. Tale etiam est Sacramentum Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto susceptum, respectu adultorum, qui post susceptum baptismum mortaliter lapsi sunt. Necessarium ad salutem necessitate præcepti, est illud, sine quo salus obtineri non potest, quia cadit sub præceptum: unde cessante præcepti obligatione, non est amplius ad salutem necessarium, & sine jactura salutis omitti potest.

Nota 2. Necessarium necessitate medii differt dupliciter à necessario necessitate præcepti. Nam 1. necessarium necessitate medii non potest omitti sine jactura salutis, etiamsi inculpabiliter omittatur, ut patet in par-

parvulis sine baptismo morientibus: nam damnantur, quamvis absque ulla sua culpa personali sine baptismo decedant: necessarium verò necessitate præcepti potest sine salutis dispendio omitti, modò omittatur inculpabiliter propter ignorantiam invincibilem, aut aliam causam legitimam.

2. Quæ sunt necessaria necessitate medii, sæpè non sunt in potestate hominis, ut prima gratia. At quæ necessaria sunt necessitate præcepti, sunt in nostra potestate, quandiu necessaria sunt, & desinunt esse necessaria, ubi primùm desinunt esse in nostra potestate, quia statim desinit obligatio præcepti: præcepta enim non obligant ad impossibile.

Nota 3. Adhuc majoris claritatis causa, necessarium ad salutem distingui potest triplex, nempe necessarium necessitate medii tantùm, necessarium necessitate præcepti tantùm, & necessarium necessitate medii simul & præcepti. Illud est necessarium necessitate medii tantùm, sine quo non potest salus obtineri; non cadit tamen sub obligationem præcepti, quia non est in nostra potestate, ut prima gratia. Illud est necessarium ad salutem necessitate præcepti tantùm, quod non est ad salutem necessarium, nisi quia cadit sub obligationem alicujus præcepti: talis est rei alienæ restitutio. Illud denique necessarium est necessitate medii simul & præcepti, sine quo habito in re, vel saltem in voto, salus est impossibilis; & quia est in nostra potestate, cadit sub præceptum: nam sicut tenemur procurare salutem nostram, ita & tenemur nobis procurare media, quæ sunt in nostra potestate, & sine quibus salutem nostram consequi non possumus.

ARTICULUS I.

Utrùm actus fidei divinæ sit necessarius necessitate medii respectu adultorum, existentium in statu peccati mortalis.

Nota. Quæstio proponitur de adultis; nam planè indubitatum est, actum fidei divinæ non esse necessarium ad salutem parvulis ante ætatem adultam morientibus: parvuli enim justificantur in baptismo, sine actu fidei, cujus non sunt capaces; & morientes ante adultam ætatem, moriuntur antequam gratiam justificationis in baptismo acceptam amittere potuerint: unde salvantur absque actu fidei, sicut & absque omni actu cujuscumque altetius virtutis.

Item quæstio proponitur de adultis existentibus in peccato mortali; quia si quis in infantia baptizatus, moreretur post ætatem adultam, sed antequam peccaret mortaliter, moreretur cum gratia baptismali, quæ nisi per peccatum mortale amitti non potest, & ita salvaretur, antequam actum fidei divinæ exercuisset, nondùm urgente præcepto fidei, vel ejus obligatione inculpabiliter ignorata. Tota ergo difficultas est de adultis, qui vel in infantia non fuerunt justificati per baptismum, vel justitiam acceptam postea per mortale peccatum amiserunt. Pro illis itaque sit

Responsio.

Actus fidei divinæ necessarius est ad salutem necessitate medii omnibus adultis in statu peccati mortalis existentibus, sive ante, sive post baptismum.

Prob. Nullus adultus, existens in peccato mortali, salvari potest, nisi justificetur: nemo enim salvatur, nisi in statu justitiæ moriatur. Atqui nullus adultus, existens in peccato mortali, secundùm legem Dei ordinariam justificari potest sine aliquo actu fidei divinæ, ita ut omni actu fidei divinæ etiam inculpabiliter omisso, nullus unquam adultus in peccato mortali existens justificetur. Ergo, &c.

Prob. min. 1. ex Apostolo ad Hebr. c. 11. ubi ait: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, &c.*

2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. ubi de baptismo dicitur: *Quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio.* Et c. 8. de ipsa fide: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

3. Ex S. Augustino ser. 38. de tempore: *Fides est*, inquit, *bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.*

Ratio à priori est voluntas Dei, exigentis ad conferendum adulto peccatori justificationis beneficium, ut sibi priùs supremum intellectus cultum exhibeat, captivando intellectum in obsequium fidei, hoc est, ex pio affectu se submittendi authoritati divinæ, credendo firmissimè res intelligentiam humanam superantes, præcisè propter revelationem & veracitatem divinam. Quæ voluntas Dei nobis sufficientissimè innotescit ex Scriptura, Patribus & Conciliis, quorum plura testimonia legi possunt apud Valenciam & Suarez.

Nec dic Scripturam, Patres & Concilia loqui tantùm de necessitate præcepti, aut, si loquuntur de necessitate medii, sumere fidem generaliter, præscindendo à stricta & lata. Nam 1. quòd loquantur de necessitate medii, manifestum est ex tenore verborum. 2. Quòd loquantur de fide stricta, quæ sola communiter exprimitur nomine fidei divinæ, patet ex eo quòd loquantur de fide simpliciter, & sine addito. At nomine fidei simpliciter, intelligitur sola fides stricta.

Præterea, Apostolus, quando dicit, quòd impossibile sit placere Deo sine fide, loquitur de fide, quam initio capitis describit his verbis: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. At his verbis describit fidem strictam & perfectam. Item loquitur de fide, quam habuerunt Abel, Henoc, Noè, Abraham, &c. & per quam Deo placuerunt: at fides illa fuit procul dubio fides stricta & perfecta, seu fides, qua res à Deo revelatas cum summa appretiatione crediderunt præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, post sufficientem illarum per motiva credibilitatis propositionem.

Obj. 1. Si actus fidei divinæ est medium ad salutem necessarium respectu adulti existentis in statu peccati mortalis, vel est medium necessarium simpliciter, vel secundùm quid tantùm. Neutrum dici potest. Ergo, &c. *R.* neg. min. & dico esse medium necessarium simpliciter, quia adultus peccator justificari non potest sine actu fidei in re.

At inquies. Scriptura, Patres, & Concilia intelligi possunt de necessitate actus fidei vel in re, vel in voto: sicut cùm dicunt baptismum vel pœnitentiam esse medium ad salutem necessarium, possunt imò debent intelligi de necessitate medii vel in re, vel in voto.

R. neg. & dico magnum esse discrimen inter actum fidei & baptismum, vel pœnitentiam: nam neque Scripturæ, neque Patres, neque Concilia ullibi docent, vel innuunt sufficere ad justificationem & salutem adulti peccatoris votum fidei divinæ. At 1. Scriptura sufficienter significat sufficere ad justificationem votum baptismi, quando dicit peccatorem cum perfecta contritione justificari. Item sufficienter significat ad justificationem sufficere votum pœnitentiæ, sive pœnitentia sumatur pro sacramento, sive pro dolore de peccatis, cùm dicit hominem super omnia diligentem Deum, à Deo quoque diligi, dilectione scilicet justificante.

Similiter Concil. Tridentinum apertè supponit sess. 6. cap. 4. hominem justificari posse cum voto baptismi; & sess. 14. cap. 4. expresè docet per contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliari ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, & ita hominem Deo reconciliari per Sacramenti Pœnitentiæ votum, quod includit contritio charitate perfecta.

Præterea, docendo hominem reconciliari Deo per contritionem perfectam, satis innuit etiam reconciliari per actum charitatis, æquivalentem contritioni per-

perfectè, & votum ejus includentem, & ita ad justificationem sufficere posse votum contritionis perfectæ. At nihil simile docet, vel etiam leviter insinuat de actu fidei divinæ; sed è contra apertè significat votum fidei divinæ nunquam ad justificationem adulti sufficere posse, cum loquens de adultorum justificatione, ait actum fidei divinæ esse fundamentum & radicem omnis justificationis, & sine illo nemini unquam justificationem contigisse.

Obj. 2. Si actus fidei perfectæ est medium ad salutem necessarium simpliciter omni adulto existenti in statu peccati mortalis, salus impossibilis est adultis infidelibus, quibus non prædicatur Evangelium. Conf. repugnat Apostolo dicenti 1. ad Timoth. c. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam, ut constat ex dictis suo loco, adulti infideles, quibus non prædicatur Evangelium, non accipiunt quidem auxilia proximè necessaria ad exercendum actum fidei divinæ, at accipiunt remotè sufficientia, quibus si rectè uterentur, acciperent ulteriora, & proximè requisita ad hunc actum.

Nota. Media ad salutem necessaria, sunt inter se subordinata; ita ut unum non detur nisi mediante alio. Itaque qui benè utitur medio sibi oblato, paulatim majora accipit: qui verò malè utitur, indignus est qui accipiat majora, & sic merito deseritur à Deo. Cùm ergo infideles, quibus Evangelium non prædicatur, malè utantur mediis sibi à Deo ad salutem datis, mirum non est, quòd à Deo majora non accipiant, sed in tenebris infidelitatis relinquantur, in quibus morientes damnantur, non quidem ob infidelitatem, quæ in illis merè negativa est, sed propter peccatum originale, & alia actualia mortalia, in decursu vitæ commissa.

ARTICULUS II.

Quarum veritatum fides necessaria sit necessitate medii ad justificationem & salutem adulti existentis in statu peccati mortalis.

NOta 1. Potest aliquod credi dupliciter, explicitè, & implicitè. Illud creditur explicitè, quod per se & secundùm se attingitur à credente per actum fidei. Sic credo explicitè mysterium Trinitatis, quando propter revelationem divinam assentior huic veritati: Deus est trinus. Illud creditur tantùm implicitè, quod non attingitur per se & secundùm se à credente; qui tamen per actum quo credit, attingit illud aliquatenùs, & secundùm rationem aliquam confusam & generalem illi cum multis aliis planè diversis communem. Sic credo mysterium Incarnationis, credendo Deum hominibus de sufficientibus ad salutem mediis providisse; qui modus credendi incarnationem, ut per se patet, valdè diminutus est & imperfectus.

Nota 2. Mysterium Incarnationis tria includit. 1. Munus redemptoris & mediatoris Deum inter & homines. 2. Divinitatem hujus redemptoris: nam simul est verus Deus & verus homo. 3. Passionem & mortem ejusdem redemptoris, qua genus humanum redemit. Potest autem mysterium Incarnationis credi quoad hæc tria & implicitè & explicitè. Item potest explicitè credi uno actu quoad primum tantùm, & alio quoad primum & secundum tantùm, & alio quoad omnia simul; quæ non habent difficultatem.

Item in Deo multa considerari possunt, nempe quòd existat, quòd sit author rerum omnium, quòd curam salutis nostræ gerat, quòd sit finis noster supernaturalis, & quòd sit unus in essentia, & trinus in personis. Potest autem explicitè credi uno actu præcisè ut existens, alio præcisè ut existens & author rerum omnium, alio præcisè ut existens, author rerum omnium, curam salutis nostræ gerens, & finis noster supernaturalis; alio denique, ut existens, &c. & unus in essentia ac trinus in personis; quæ omnia plana sunt. Sed quæritur, utrùm ad justificationem, & consequenter ad salutem adulti peccatoris, requiratur ut explicitè credat Deum sub illis omnibus considerationibus, imò & mysterium Incarnationis secundùm illa tria, quæ includit. Quæ quæstio potest proponi non solùm pro tempore quod Evangelii promulgationem secutum est, sed etiam pro omnibus tempore quod legis evangelicæ institutionem & promulgationem antecessit. Ad hanc quæstionem solvendam, fit

Responsio I.

Fides, qua explicitè creditur Deum existere, esse authorem rerum omnium, curam salutis hominum gerere, & esse finem nostrum supernaturalem, fuit quovis tempore adulto peccatori necessaria ad salutem necessitate medii.

Prob. Nam nullus adultus peccator unquam justificari potuit sine fide illa. Ergo, &c. *Prob. ant.* ex Apostolo dicente Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Loquitur autem Apostolus. 1. De fide perfecta, quæ sola venit simpliciter nomine fidei. 2. De fide explicita, qua nimirùm res creditur, & attingitur in se, & secundùm rationem propriam, ut manifestè ostendunt ipsa verba Apostoli. Prætera, fides implicita, quà talis, non est fides rei, cujus dicitur fides, nisi secundùm quid, & cum addito diminuente. De qua procul dubio fide non loquitur Apostolus; cùm simpliciter dicat necessariam esse fidem Dei existentis & remuneratoris. 3. De fide Dei existentis sub ratione unius primi principii; loquitur enim de fide, qua Deus existens creditur ut Deus: non creditur autem ut Deus, nisi credatur saltem, ut unum primum principium existens. 4. De fide Dei, ut remuneratoris, remuneratione supernaturali alterius vitæ, ut patet ex contextu. 5. Et ita de fide Dei ut curam gerentis salutis hominum, & ut eorum finis ultimi, per visionem beatificam possidendi.

Responsio II.

Explicita fides mysterii Incarnationis, quoad divinitatem, passionem, & resurrectionem Christi, non fuit medium necessarium ad salutem adulti peccatoris in lege naturæ & Mosaica.

Prob. Nam medium ad salutem necessarium publicè omnibus prædicatur & promulgatur, alioqui Deus non provideret sufficienter saluti omnium hominum, quod est contra sinceram salvandi omnes voluntatem, quàm Apostolus Deo attribuit pluribus locis. Atqui in lege naturæ & Mosaica mysterium Incarnationis, quoad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, non fuit publicè prædicatum & promulgatum omnibus. Ergo mysterium Incarnationis, ut explicitè creditum quoad divinitatem, passionem, &c. non fuit medium necessarium ad salutem adulti peccatoris in lege naturæ & Mosaica.

Prob. min. ex Apostolo dicente Galat. c. 3. *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Atqui fides illa, quæ in lege gratiæ revelanda erat, & quæ proinde ante legem gratiæ non fuerat revelata, & ad quam reservabantur Judæi ad Christum convertendi, est fides divinitatis, passionis, mortis & resurrectionis Christi: de hac enim fide perpetuo loquitur Apostolus. Ergo ex Apostolo, ante adventum Christi & legem gratiæ, divinitas, passio, mors, & resurrectio Christi non fuerunt publicè prædicatæ & promulgatæ omnibus.

Porrò cùm dicimus medium ad salutem necessarium publicè omnibus prædicari & promulgari debere, accipiendum est in sensu morali; hoc est, ita debere, prædicari & promulgari, ut non aliquibus tantùm, sed multitudini, non majoribus tantùm vel doctioribus, sed etiam minoribus & indoctis innotescat, & si qui sunt, qui illud ignorant, ignorent ob aliquam culpam vel suam, vel aliorum, quorum curæ sunt com-

commissi; ita ut omnibus omninò notum sit, quantùm est ex parte Dei. At divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi sic prædicatas & promulgatas fuisse in lege naturæ & Mosaica, dici non potest: nam, ut docent communiter Doctores cum Sanct. Thoma, sic innotuerunt aliquibus, majoribus scilicet & sanctioribus, ut minores & multitudinem latuerint, quia nimirùm aliquibus ex speciali favore privatim revelatæ, non omnibus palam & publicè propositæ fuerunt, ut apertè docet Apostolus verbis supra laudatis, & post eum Augustinus, lib. 19. contra Faustum, cap. 14. ubi hæc habet de fide eorum, qui tempore legis veteris vixerunt: *Tunc & occulta erat fides: nam eadem credebant* (implicitè) *eademque sperabant omnes justi & sancti etiam temporum illorum, & promissiva erant illa omnia Sacramenta, omnisque ritus ille sacrorum. Nunc autem revelata est fides, in quam conclusus erat populus, quando sub lege custodiebatur.*

Responsio III.

Fides, qua explicitè creditur mysterium Incarnationis, quoad munus redemptionis & mediatoris Dei & hominum, fuit necessaria necessitate medii ad salutem adultorum in statu peccati mortalis existentium tempore legis naturæ & Mosaicæ.

Prob. 1. Quia si fides explicita Christi saltem ut redemptoris & mediatoris, non fuit medium ad justificationem, adeòque ad salutem necessarium adultis peccatoribus in lege naturæ & Mosaica, certè quia non fuit sufficienter prædicatum & promulgatum in lege naturæ & Mosaica Deum providisse hominibus de redemptore & mediatore, per quem à peccatis purgari possent: Nam ex hypothesi quòd publicè propositum fuerit Ecclesiæ in lege naturæ & Mosaica decretum divinum dandi hominibus redemptorem & mediatorem, per quem justificari & salvari sperarent, & possent, nulla est ratio asserendi adultos peccatores in lege naturæ vel Mosaica justificari & salvari potuisse sine fide explicita Christi ut redemptoris & mediatoris; & hoc asserere, derogare est honori Christi, ad cujus gloriam, velut ad finem, justificatio & salus hominum à Deo semper ordinata fuit.

Jam verò quòd Christus ut redemptor & mediator hominum apud Deum, in lege naturæ fuerit publicè promissus & propositus Ecclesiæ (in quo sanè est major difficultas,) ostenditur, 1. Ex S. Thoma hìc qu. 2. a. 7. in O. ibi Ecclesiam tempore legis naturæ & Mosaicæ dividit in majores & minores, & dicit mysterium Incarnationis non solùm quoad incarnationem, sed etiam quoad passionem & resurrectionem Christi fuisse creditum tum à majoribus, tum à minoribus; à majoribus quidem explicitè, à minoribus verò implicitè & confusè in fide qua explicitè credebant per sacrificia, quæ offerebantur, præfigurari mysteria Christi venturi, hoc est, Christi, quem esse venturum explicitè credebant, & sperabant, certè ut redemptorem & reparatorem generis humani. Verba S. Doctoris sunt: *Post peccatum autem fuit explicitè creditum mysterium incarnationis Christi non solùm quantum ad incarnationem, sed etiam quantum ad passionem & resurrectionem, quibus humanum genus à peccato & morte liberatur. Aliter enim non præfigurassent Christi passionem quibusdam sacrificiis, & ante legem & sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè majores cognoscebant: minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitùs esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem.*

2. Adamo post lapsum non pro ipso solùm, sed pro tota Ecclesia tam revelatus est & promissus Christus ut redemptor & salvator ipsius, & totius posteritatis ejus, quàm alia multa ei partim ante, partim post ejus peccatum pro tota Ecclesia revelata sunt, ut immortalitas animæ, mortuorum resurrectio, præmium justis, & supplicium malis in altera vita præparatum, &c. Sed per Adamum ista, nempe animæ immortalitas, resurrectio mortuorum, præmia & supplicia alteriùs vitæ, ita proposita & promulgata fuere toti Ecclesiæ, ut non solùm à majoribus, sed etiam à minoribus explicitè credi possent. Ergo per eundem Adamum Christus ut Redemptor & Salvator omnium hominum ita propositus & promulgatus fuit Ecclesiæ, ut non solùm majores, sed etiam minores possent illum ut talem explicitè credere: tam enim, imò magis oportuit Redemptorem & Salvatorem credi posse explicitè, quàm immortalitatem animæ, & mortuorum resurrectionem.

Confirmatur. Quia per Adamum eadem publicitate Christus saltem ut redemptor & reparator prædicatus & promulgatus est Ecclesiæ, quà prædicatum & promulgatum est peccatum originale, seu lapsus humani generis in ipso Adamo; ne homines audientes vulnus sibi per culpam primi parentis inflictum, & ignorantes sibi à Deo misericordi paratum esse remedium, in desperationem adducerentur: cùm è contra intelligentes sibi provisum esse de redemptore & reparatore, per quem à dæmonis servitute liberari, Deo reconciliari, & in pristinum filiorum & amicorum ejus statum restitui, atque cœlestem hæreditatem recuperare possent, animum erigerent, ad redemptorem & reparatorem sibi promissum suspirarent, in meritis ejus futuris confiderent; atque divinam misericordiam laudibus commendarent. Sed per Adamum ita publicè prædicatum & promulgatum est peccatum originale, ut explicita illius notitia ad omnes & singulos pervenire potuerit, ita ut à nemine ignoraretur nisi ob aliquam culpam vel suam, vel aliorum, quorum curæ commissus esset. Ergo similiter per Adamum ita publicè Christus saltem ut redemptor & reparator prædicatus & promulgatus est, ut explicita illius notitia ad omnes & singulos potuerit pervenire, & quantùm est ex parte Dei pervenerit.

3. denique, Aggæus Propheta adventum Christi præcinens cap. 2. sic ait: *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est... & veniet desideratus cunctis gentibus.* Eundem adventum prædicens Jacob, longè ante dixerat Genes. cap. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Sub qua autem ratione expectaretur Christus seu Messias, inferiùs declaratur his verbis: *Salutare tuum expectabo, Domine.* Ex quibus sic argumentor. Christus seu Messias, ut salvator & redemptor, fuit expectatus & desideratus non solùm ab aliquibus, sed etiam à multitudine eorum, qui sub lege naturæ vixerunt: nam manifestè significant verba illa: *Expectatio gentium, desideratus à cunctis gentibus.* At non potuit Christus seu Messias desiderari & expectari ut redemptor & salvator à multitudine eorum, qui sub lege naturæ vixerunt, nisi ita publicè prædicatus & promulgatus fuerit in lege naturæ ut redemptor & salvator, ut sub hac ratione non solùm ab aliquibus, sed etiam à multitudine non solùm à majoribus sed etiam à minoribus explicitè & distinctè cognitus fuerit. Ergo, &c.

Hoc à fortiori verum est de iis, qui vixerunt sub lege scripta: nec enim dici potest minorem & imperfectiorem fuisse Christi notitiam sub lege scripta, quàm sub lege naturæ: imò longè perfectior & vulgatior fuit fama Christi tempore legis scriptæ, tum propter promissionem & revelationem Messiæ factam Abrahamo, & apud Judæos tantoperè celebratam, tum propter sacrificia, quibus expressiùs præfigurabatur, tum propter scripta prophetarum, à quibus passim ejus adventus & mysteria prænunciantur, laudesque celebrantur, imò & ejus divinitas, passio, mors & resurrectio non obscurè delineantur, atque illis munus redemptoris & salvatoris clarè attribuitur.

Prob. 2. Quia semper, & consequenter non solùm in lege gratiæ, sed etiam in lege scripta & naturæ, necessariam fuisse necessitate medii aliquam fidem Christi ad justificationem & salutem adultorum peccatorum, Doctores omnes agnoscunt, & esse de fide docet Suares hic disp. 12. sect. 3. num. 12. Atqui dici non po-

potest probabiliter, quòd suffecerit fides implicita. Nam 1. fides implicita Christi non est fides Christi simpliciter, sed solùm secundùm quid, & cum addito diminuente, imò & destruente; fides enim implicita Christi propriè loquendo non est fides Christi, sed alteriùs objecti, in quo Christus modo valdè confuso & generali continetur. Unde asserere necessitatem alicujus fidei Christi ad aliquid hoc intelligendo de fide implicita, in verbis ludere est, & revera tantùm asserere necessitatem alicujus fidei, non Christi, sed alteriùs objecti.

2. Si ad justificationem & salutem adultorum non fuit necessaria alia fides Christi, quàm implicita in lege naturæ & scripta, fides Christi non magis fuit necessaria, quàm fides gratiæ sanctificantis, immortalitatis animæ, & resurrectionionis corporum: harum enim rerum fides implicita necessaria, fuit necessitate medii ad justificationem adulti impii in lege naturæ & scripta: nam explicita fides Dei ut existentis, & inquirentibus se remuneratoris, atque per media à se disposita peccata condonantis, quæ fuit semper medium simpliciter necessarium justificationem adultorum, non est magis fides implicita Christi quàm gratiæ sanctificantis, immortalitatis animæ, & resurrectionis mortuorum. Atqui videtur dici non posse absque aliqua Christi injuria, ad justificationem impii necessariam non fuisse fidem Christi diversam à fide gratia sanctificantis, & immortalitatis animæ: cùm nullus unquam nisi propter merita Christi & ejus intuitu, à Deo justificatus fuerit, juxta illud Act. c. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

3. Scripturæ pro omni tempore requirentes ad justificationem impii aliquam fidem Christi, non possunt prudenter intelligi de fide implicita: nam absolutè & simpliciter requirunt aliquam fidem Christi. At absolutè & simpliciter requirere aliquam fidem Christi, non est requirere fidem Christi implicitam: cùm fides implicita, ut jam observatum est, non sit fides, nisi secundùm quid, & cum addito diminuente, vel etiam destruente.

Et verò quomodò de fide implicita Christi seu Messiæ intelligi potest illud Habacuc cap. 2. *Apparebit in finem* (Christus seu Messias) *& non mentietur; si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in fide sua vivet*; (hoc est, in justitia, per fidem Messiæ accepta, per eandem fidem perseverabit.) Et illud Apostoli Roman. cap. 1. *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem* (hoc est, ex fide Christi venturi in fidem Christi præsentis.) Et illud ipsius Christi Joan. cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum.* Quæ verba generaliter intelligenda sunt pro omnibus temporibus cum proportione; ita ut sensus sit semper, ad justificationem & salutem necessariam fuisse aliquam fidem explicitam Christi proportionatam tamen legi sub qua vixerunt homines, sicut semper necessaria fuit fides explicita unius veri Dei.

Ad hæc omnia accedit authoritas S. Augustini pluribus locis, & præsertim lib. 18. de civ. cap. 47. ubi dicit inter gentiles ante adventum Christi non defuisse, qui justi fuerint, & ad electorum numerum pertinuerint, sed credendum esse ex illis nemini justificationis gratiam concessam esse, nisi qui explicitam fidem Christi, ut mediatoris Dei & hominum, ex revelatione ei divinitùs facta habuerit. Verba S. Doctoris sunt: *Divinitus autem prævisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiqui sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, ut una eademque fides per ipsum omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.*

Imò videtur S. Doctor pluribus locis existimasse fidem explicitam Incarnationis non solùm quoad munus redemptoris & mediatoris, sed etiam quantùm ad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, necessariam fuisse necessitate medii ad justificationem adultorum etiam tempore legis naturæ & legis scriptæ. Nam v. g. sic loquitur lib. de nat. & grat. cap. 44. *Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis & resurrectionis ejus; habentes ergo eundem spiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Et lib. de peccato originali cap. 24. *Sine fide ergo incarnationis, & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari & Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat, sive in eis justis quos Scriptura sancta commemorat, sive in eis justis, quos quidem illam non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt vel ante diluvium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore non solùm in filii Israel, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job.*

Obj. 1. Si fides explicita Christi ut redemptoris & mediatoris, fuit medium simpliciter necessarium ad salutem adultis peccatoribus in lege naturæ & Mosaica, vel fuit ex natura rei, vel ex lege Dei. Neutrum dici potest non primum: nam ad excitandam contritionem perfectam, & dilectionem Dei supernaturalem, quas Infallibiliter subsequitur & semper subsecuta est justificatio, ex natura rei sufficit fides explicita Dei ut existentis, & authoris donorum supernaturalium & justificationis. Non etiam secundùm, nam hoc neque ex Scriptura, neque ex Traditione sufficienter probari potest. Ergo, &c.

R. neg. min. quoad secundam partem. *Ad prob. R.* etiam neg. Itaque quòd fides explicita Christi saltem ut redemptoris & mediatoris, fuerit semper medium simpliciter necessarium ad salutem adultis peccatoribus, habemus sufficienter probatum ex Scripturis, absolutè & simpliciter fidem Christi ad justificationem adultorum peccatorum requirentibus indefinitè & sine ulla restrictione temporis; & præsertim ex traditione, cujus testis locupletissimus est S. Augustinus: præter rationem convenientissimam à dignitate & gloria Christi petitam, qua suadetur Deum propter honorem Christi noluisse ullos unquam adultos justificari sine fide explicita Christi saltem ut redemptoris; sicut noluit ullos unquam justificari, nisi intuitu meritorum ejus.

Obj. 2. Si fides explicita Christi ut redemptoris & mediatoris, fuit medium simpliciter necessarium ad salutem adultis pecactoribus in lege naturæ & Mosaica, salus fuit impossibilis innumeris hominibus non solùm in lege naturæ, sed etiam in Mosaica. Absurdum cons. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. Nam, ut multis argumentis demonstratum est, Christus venturus ut redemptor & salvator hominum, in lege naturæ, & præsertim Mosaica, fuit ita publicè prædicatus & promulgatus, ut non solùm aliquibus, nempe majoribus, sed etiam minoribus & multitudini, imò & quantùm erat ex parte Dei omnibus singulis explicitè & distinctè sub hac ratione innotuerit. Unde si multi in lege naturæ & scripta ignorarunt Christum esse venturum ut redemptorem & mediatorem, ignorarunt, vincibiliter; vel si invincibiliter ignorarunt, hoc non debet imputari Deo, sed malitiæ vel negligentiæ hominum; nec idcircò dici potest alquibus impossibilem fuisse salutem: nam qui vincibiliter ignorarunt, potuerunt errorem suum deponere; iis verò, qui ignorarunt invincibiliter, si rectè usi essent mediis sibi ad salutem oblatis, Deus procurasset eis explicitam illam Christi notitiam, sine qua, ex lege à Deo statuta, justificationis beneficium consequi non poterant.

At inquies. Gratis & falsò dicitur, quòd Christus

venturus ut redemptor & mediator, ita fuerit publicè propositus & promulgatus etiam in lege scripta, ut non solùm majoribus, sed minoribus & multitudini sub hac ratione explicitè & distinctè innotuerit: nam fuit error valdè vulgaris inter Judæos, quòd Messias venturus esset, ut rex temporalis. Ergo, &c.

R. neg. ant. *Ad prob. R.* 1. hoc esse falsum demonstrari posse ex plebeja illa muliercula Samaritana, quæ Joan. cap. 4. Christo dicenti, *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus Deus est, &c.* respondet: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Quibus verbis apparet communem & vulgarem fuisse etiam apud Samaritanos fidem explicitam Christi venturi ut regis spiritualis, & ducis ac doctoris hominum in rebus ad salutem & cultum Dei pertinentibus. At si fides explicita Christi venturi ut regis spiritualis & ducis, &c. communis & vulgaris fuit inter Samaritanos, quomodò potuit non esse communis & vulgaris inter Judæos, de rebus ad religionem pertinentibus longè instructiores, juxta illud Christi eodem loco: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.*

R. 2. dato quòd expectatio Messiæ ut regis temporalis, fuerit error valdè vulgaris inter Judæos, hunc errorem fuisse vincibilem & culpabilem in omnibus, aut saltem in majori parte eorum qui Messiam ut regem temporalem expectabant, ut satis ostendit exemplum Samaritanorum.

ARTICULUS III.

Utrùm fides explicita Incarnationis sit necessaria necessitate medii ad salutem adultorum peccatorum in lege gratiæ.

Responsio I.

IN lege gratiæ aliqua fides explicita mysterii Incarnationis, est medium simpliciter & in re necessarium ad salutem adultorum peccatorum.

Prob. Nam in lege gratiæ (supple semper, post sufficientem Evangelii promulgationem) nullus adultus peccator justificari potest sine aliqua fide explicita mysterii Incarnationis. Ergo, &c. Consequentia patet: nam adultus peccator salvari non potest, nisi justificetur.

Prob. ant. 1. Ex Scriptura. Nam Christus ipse dicit Joan. cap. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sicut ergo morsi à serpentibus in deserto non sanabantur, nisi aspicerent æneum serpentem à Moyse exaltatum; ita nec adulti mortalis culpæ veneno infecti, sanari & salvari possunt, nisi Christum pro peccatis nostris mortuum per fidem intueantur.

Ejusdem cap. 17. ait idem Christus: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ubi apertè significatur fidem Christi tam necessariam esse ad justificationem & salutem, quam fidem unius veri Dei. Fides autem explicita unius veri Dei est medium simpliciter & in re necessarium ad justificationem & salutem adulti peccatoris. Ergo, &c.

Act. cap. 26. Christus sic alloquitur Paulum: *Nunc ego mitto te* (ad Gentes) *ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem quæ est in me.* Quibus verbis adultorum justificatio fidei explicitæ Christi tanquam radici & fundamento manifestè attribuitur. Idem planè docet Petrus Apostolus Act. cap. 15. ubi de Gentibus sic ait: *Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum*, hoc est fide evangelica in Christum, de qua ibi Petrus loquitur.

Apostolus Paulus pluribus locis idem disertè testatur, ut Rom. cap. 3. *Justitia Dei*, inquit, *per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Et Galat. cap. 2. *Scientes*, inquit, *quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Quibus expressius dici posset ad asserendam in fide explicita Christi necessitatem medii ad justificationem adultorum?

Prob. ant. 2. Ex Conc. Trident. Nam sess. 6. cap. 6. inter dispositiones, quibus adulti peccatores ad justificationis beneficium præparantur, primo loco ponit fidem explicitam Christi. *Disponuntur autem*, inquit, *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt; atque illud in primis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Et cap. 8. exponens illud Apostoli Rom. cap. 3. *Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis*, ubi procul dubio Apostolus intelligit fidem Christi; affirmat hanc fidem, de qua loquitur Apostolus, esse fundamentum & radicem omnis justificationis, & sine illa impossibile esse placere Deo. *Cum*, inquit, *Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit; ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Prob. 3. Ex SS. Patribus, pro quibus omnibus sit S. Augustinus. Nam sic loquitur in lib. de spir. & littera cap. 29. *Fide Jesu Christi impetramus salutem, & quantùm nobis inchoatur in re, & quantùm perficienda expectatur in spe.* Et lib. de nat. & grat. *Si non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Et lib. de prædest. Sanct. cap. 7. *Si posset* (Centurio) *sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.*

Responsio II.

In lege gratiæ fides explicita mysterii Incarnationis, non solùm quoad munus redemptoris & mediatoris Dei & hominum, sed etiam quoad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, est medium simpliciter necessarium ad salutem adulti existentis in peccato mortali.

Prob. Nam de hac fide intelligi debent Scripturæ, cùm dicunt fidem Christi necessariam ad justificationem adulti peccatoris in lege evangelica. Et verò cùm Apostolus ait hominem in lege gratiæ non justificari, nisi per fidem Jesu Christi, & justitiam Dei per fidem Jesu Christi conferri iis qui credunt in eum loquitur de fide Jesu Christi, qua ipse credebat in eum; ad quam dicit, Galat. cap. 3. homines in lege gratiæ reservatos esse, quam ipse cum aliis Apostolis prædicabat. Hæc autem fides est procul dubio fides explicita Christi, ut hominis & Dei, redemptoris & mediatoris Dei & hominum, passi, mortui, & è mortuis suscitati pro hominum salute. Ergo, &c.

Prob. 2. Authoritate S. Augustini. Nam sic habet lib. de peccato originali cap. 24. *Unus est enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Quoniam non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; & in illo definivit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu, sine fide, inquam, resurrectionis ejus, quam Deus hominibus definivit, quæ utique sine incarnatione ejus & morte non potest veraciter credi: sine fide ergo incarnationis, & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas*

ritas Christiana non dubitat: sive in eis justis quos sancta Scriptura commemorat, sive in eis justis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israel, sicut fuerunt prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job.

Itaque juxta S. Doctorem, veritas Christiana non dubitat, fidem Incarnationis non solùm quantùm ad munus redemptoris, sed etiam quantùm ad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, etiam ante adventum Christi semper fuisse medium necessarium ad justificationem adultorum; & à fortiori non dubitat, esse eodem modo necessariam post Christi adventum.

Nec juvat dicere, quòd juxta S. Doctorem, fides Incarnationis quoad illa omnia, non debuerit esse explicita, nisi in solis majoribus; & fides confusa & implicita divinitatis, passionis, mortis & resurrectionis Christi cum explicita fide illius ut redemptoris & mediatoris, sufficerit in minoribus in lege naturæ & scripta. Nam tunc ad justificationem adultorum fides explicita incarnationis non solùm quoad munus redemptoris, sed etiam quoad divinitatem, passionem, &c. necessaria fuit in solis majoribus, quia tunc incarnatio quoad illa omnia fuit explicitè proposita solis majoribus. At in lege gratiæ mysterium Incarnationis tam minoribus, quàm majoribus explicitè & distinctè proponitur ad credendum, non solùm quoad munus redemptoris, sed etiam quoad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi. Ergo in lege gratiæ ad justificationem necessaria est tam in minoribus, quàm in majoribus fides explicita Incarnationis non solùm quoad munus redemptoris, sed etiam quoad divinitatem, passionem, &c.

Prob. 3. Ratione. Quia in lege gratiæ mysterium Incarnationis non solùm quoad munus redemptoris, sed etiam quoad passionem, mortem & resurrectionem, ita publicè proponitur & prædicatur, ut non tantùm majoribus, sed & minoribus explicitè & distinctè innotescat: imò ita publicè ab Apostolis promulgatum est, ut quantùm est ex parte Dei, notum sit omnibus & singulis; ita ut qui ignorant illud, sive ex toto, sive ex parte, vincibiliter ignorent; vel si ignorant invincibiliter, hoc non Deo, sed hominibus imputandum sit. Ergo convenientissimum est ut mysterium Incarnationis quoad illa omnia explicitè creditum, sit in lege gratiæ omnibus & singulis adultis medium simpliciter necessarium ad justificationem.

Prob. conseq. Nam cum nullus adultus justificetur nisi propter merita mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, qui cùm in forma Dei esset, ut redimeret nos, formam servi accepit, & mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram; maximè congruum fuit, ut nullus adultus justificaretur sine fide explicita illorum omnium in ea lege, in qua illa omnia omnibus, quantùm est ex parte Dei, explicitè & distinctè proponuntur credenda.

Dices 1. Satisfit authoritati Scripturæ & Patrum, si intelligantur de fide implicita Christi etiam pro lege evangelica. *R.* neg. Nam Scripturæ & Patres non possunt intelligi de fide implicita Christi, qui accipiantur in sensu improprio; cùm fides implicita non sit nisi impropria fides illius, cujus dicitur esse fides, ut jam observatum est. At hìc nihil planè est, quod cogat ad accipiendum Scripturas & Patres in sensu improprio.

At inquies. Ratio accipiendi in sensu improprio Scripturas & Patres, dum ad justificationem adulti in lege gratiæ asserunt fidem Christi esse medium necessarium, est, quia si ad justificationem adulti in lege gratiæ non sufficit fides implicita Christi, adultus justificari non potest cum sola fide Dei ut existentis, & inquirentibus se remuneratoris.

Sed contra est, quia 1. hæc ratio nullius est momenti respectu adulti fidelis, qui mysterium Incarnationis, quantùm ad ea quæ, ut loquitur S. Thomas, quæst. 2. a. 7. in O. communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, explicitè & distinctè novit, vel nosse debet. Quasi verò durius sit ab adulto peccatore ad hoc ut cum Deo in gratiam redeat, exigi fidem explicitam mysterii quod potest & tenetur explicitè scire, & ad quod credendum abundantem gratiam habet!

2. Non est etiam alicujus momenti respectu adulti infidelis: nam si bene uteretur gratiis sibi à Deo pro loco & tempore oblatis, Deo providente, sufficienter instrueretur ad explicitè credendum non solùm Deum esse, & inquirentibus se remuneratorem, sed etiam Filium Dei incarnatum, passum, mortuum, & è mortuis suscitatum fuisse pro salute hominum.

Dices 2. Saltem satisfit Scripturis & Patribus, si dicatur fidem explicitam Incarnationis esse medium ad justificationem adultorum in lege gratiæ necessarium secundùm quid, hoc est, in re vel in voto. *R.* hoc etiam sine sufficienti fundamento dici: nam Scripturæ & Patres expressè significant fidem explicitam Incarnationis, & quidem quoad ea omnia quæ de ea communiter in Ecclesia solemnizantur, & omnibus fidelibus credenda publicè proponuntur, necessariam esse necessitate medii ad justificationem adultorum in lege evangelica; & nullibi insinuant votum ejus sufficere. Unde bene infertur Scripturam & Patres velle fidem illam explicitam Incarnationis esse necessariam in re: sicut bene inferretur baptismum esse necessarium in re ad justificationem adultorum in lege gratiæ, ex eo quòd Scriptura simpliciter assereret esse necessarium, nisi aliunde ex ipsa Scriptura, vel traditione sufficienter constaret quandoque votum illius sufficere.

At inquies. Dum Apostolus Hebr. cap. 11. dicit: *sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit;* satis significat etiam in lege gratiæ sufficere ad justificationem adultorum fidem explicitam, qua creditur Deus existere, & inquirentibus se remunerator esse, & consequenter fidem explicitam Christi non esse necessariam simpliciter & in re, sed sufficere votum illius. *R.* cum S. Thoma, q. 2. art. 8. ad 1. Apostolum loco citato solùm significare, quòd fides explicita Dei existentis & remuneratoris sit medium necessarium ad justificationem adultorum, non verò quòd sufficiat: sicut cùm dicit, v. g. Galat. cap. 2. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, &c.* solùm significat fidem explicitam Christi esse ad justificationem adultorum necessariam necessitate medii, non verò quòd sufficiat sine alia fide.

Dices 3. Dilectio Dei super omnia propter se, & perfecta contritio de peccatis, sunt dispositiones proximæ ad justificationem, quibus positis, statim & infallibiliter sequitur justificatio. Atqui dilectio Dei super omnia, & perfecta contritio haberi possunt sine fide explicita Christi: nam ad illas sufficit fides Dei existentis, & inquirentibus se remuneratoris. Ergo, &c. *R.* neg. min. Quia nemo habere potest dilectionem Dei propter se, & contritionem de peccatis ob Deum propter se dilectum, nisi ad hoc per interiorem gratiam prævenientem excitetur, quod ex ordinatione divina nunquam fit in lege evangelica, nisi cùm peccator explicitè credit Christum esse Filium Dei, redemptorem, & mediatorem hominum, atque passum, mortuum, & è mortuis suscitatum pro salute nostra.

At inquies. Si Deus adultum peccatorem, habentem fidem explicitam Dei existentis, & inquirentibus se remuneratoris, non statim excitaret ad contritionem perfectam, esset causa, cur adultus peccator maneret in statu peccati. *R.* hoc neg. Deus enim non tenetur adultum peccatorem, habentem fidem explicitam Dei existentis, & inquirentibus se remuneratoris, excitare ad contritionem; imò nec tenetur etiam cùm

adultus peccator habet fidem explicitam non solùm Dei existentis & remuneratoris, sed etiam incarnationis quoad ea omnia, quæ de illa fideles omnes tenentur credere; & si tunc excitat, hoc facit ex pura misericordia.

At inquies. Ubi primùm adultus peccator habet id, quod requiritur ex parte intellectus, ad amandum Deum propter se, & dolendum de peccatis ob Deum propter se amatum, nec ponit ullum impedimentum actuale ex parte voluntatis, statim Deus illum excitat ad actum charitatis & contritionis perfectæ: nam peccatores in hac vita semper & in quocumque momento justificari possunt, quantùm est ex parte Dei. Atqui adultus peccator habens fidem explicitam Dei existentis & remuneratoris, habet id quod requiritur ex parte intellectus ad amandum Deum propter se, & dolendum de peccatis propter Deum sic amatum; nec ponit ullum impedimentum actuale ex parte voluntatis, ut supponi potest. Ergo, &c.

R. neg. maj. & ejus prob. quæ gratis & sine sufficienti fundamento asseritur; imò & contra experientiam, ex qua constat fideles peccatores, etiam de rebus fidei benè instructos, & ita habentes fidem explicitam non solùm Dei existenti & remuneratoris, sed etiam Christi redemptoris & mediatoris, &c. & nullum ex parte voluntatis actuale impedimentum ponentes, deposito scilicet omni affectu actuali ad peccatum, non semper, sed tantùm pro loco & tempore excitari ad dolendum de peccatis, alios quidem citiùs, & alios tardiùs, item frequentiùs alios & uberiùs, alios verò ratiùs & parciùs, prout Deo jubet, qui cujus vult miseretur, & quando vult, & quomodo vult, & nemini injuriam facit, cum nemini debitor sit.

At inquies. Supposita nostra doctrina, Catechumeno jamjam morituro, & habenti solam fidem explicitam Dei existentis & remuneratoris, salus impossibilis est: non enim potest sine miraculo habere fidem explicitam mysterii Incarationis, quod supponitur ignorare, & de quo jam propter temporis angustiam non potest absque miraculo sufficienter instrui. *R.* Cathecumenum illum debere sibi imputare hanc impossibilitatem, in quam vel ob malitiam, vel ob negligentiam suam culpabilem incidit. Esset tamen propter probabilitatem oppositæ sententiæ, ad fiduciam in Deum & dolorem de peccatis adhortandus, & baptismus petenti non esset denegandus.

Dices 4. Cornelius Centurio de quo Act. cap. 10. justificatus fuit sine fide explicita Christi: nam de illo, antequam haberet fidem explicitam Christi, dicitur: *Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*. Et inferiùs: *Cornelius Centurio vir justus & timens Deum, &c. R.* neg. Nam Cornelius non fuit justificatus, nisi postquam à Petro ad se vocato doctrinam evangelicam sufficienter edoctus est, & habuit fidem explicitam Incarnationis etiam quoad divinitatem passionem, mortem & resurrectionem Christi, &, ut credibile est, eo instanti quo *Spiritus Sanctus cecidit super omnes qui audiebant verbum*, antequam à Petro baptizaretur. Porrò Cornelius, antequam admonitus Angelo ad se Petrum accerseret, non habuit perfectum Dei amorem, sed inchoatum tantùm, ex quo aliqua pietatis opera exercebat, quibus prædicationis evangelicæ gratiam impetravit. Neque plus dicunt priora verba Scripturæ; & cùm missi à Cornelio, respondent Petro. *Cornelius vir justus, &c.* perinde est ac si dicerent: Cornelius vir frugi, vir bonus, &c.

In sententia nostra procul dubio fuit S. Augustinus, præsertim lib. de præd. Sanct. cap. 7. ubi de Cornelio sic ait: *Si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus*. At si Cornelius sine fide explicita Christi (de ea enim loquitur S. Doctor) fuisset justificatus, sanè potuisset sine hac fide esse salvus.

At inquies. S. Thomas 3. p. q. 69. a. 4. ad 2. docet Cornelium justificatum fuisse cùm fide implicita Christi. *R.* neg. inst. Nam S. Thomas dicit Cornelium justificatum fuisse cum fide Christi, & implicito vel explicito desiderio baptismi. Verba Sancti Doctoris sunt: *Cornelius & alii similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi implicitè vel explicitè*. Hæ autem voces, *implicitè vel explicitè*, manifestè cadunt in desiderium baptismi, non in fidem Christi.

Quòd autem S. Doctor fuerit in nostra sententia, patet ex eo quòd scribit in 3. Senrent. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiuncula 2. *Post adventum Christi*, inquit, *quia jam mysterium redemptionis impletum est, & corporaliter & visibiliter prædicatum, tenentur omnes ad credendum explicitè, & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret*. Has voces, *Si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret*, pondera: nam clarè significant necessitatem, non præcepti tantùm, sed medii.

ARTICULUS IV.

Utrùm fides explicita Trinitatis in lege gratiæ necessaria sit necessitate medii ad salutem adultorum peccatorum.

Responsio.

Post sufficientem Evangelii promulgationem fides explicita Trinitatis est medium simpliciter necessarium ad salutem adultorum existentium in peccato mortali.

Prob. Post sufficientem Evangelii promulgationem nullus adultus existens in peccato mortali justificari potest sine fide explicita Trinitatis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam, ut probatum est, post sufficientem Evangelii promulgationem nullus adultus existens in peccato mortali, justificari potest sine fide explicita Incarnationis, quantùm ad divinitatem Christi. Atqui fides explicita Incarnationis, quantùm ad divinitatem Christi, haberi non potest sine fide explicita Trinitatis. Ergo, &c.

Dices. Fides explicita Trinitatis non fuit medium ad justificationem adultorum existentium in peccato mortali necessarium in lege naturæ & scripta. Ergo nec est in lege gratiæ. *R.* neg. conseq. Nam est magna disparitas: in lege enim naturæ & scripta mysterium Trinitatis non fuit ita propositum & promulgatum, ut tam minoribus quàm majoribus innotescere posset. Unde communiter ignorabatur à fidelibus utriusque legis, proindeque non potuit esse medium ad salutem necessarium in lege naturæ & Mosaica. At in lege gratiæ mysterium Trinitatis ita publicè prædicatur & proponitur, ut non solùm aliquibus, sed etiam multitudini, non solùm majoribus, sed etiam minoribus innotescat: ita ut si qui sunt, in religione Christiana educati, qui mysterium illud ignorant, ignorent ob aliquam culpam vel suam, vel aliorum quorum curæ sunt commissi. Unde fideles omnes in lege gratiæ tenentur explicitè credere mysterium Trinitatis.

Dices iterum. Multi ita rudes sunt & ingenio tardi, ut non possint intelligere, quomodo in una & & eadem divinitate sint tres personæ, realiter inter se distinctæ. Ergo multis salus erit impossibilis, si fides explicita Trinitatis est necessaria necessitate medii ad salutem omnis adulti peccatoris.

R. neg. conseq. Non enim requiritur, ut rudes illi & tardi ingenio intelligant, sed tantùm ut credant; seu non requiritur, ut cognoscant quomodo in una & eadem divinitate sint tres personæ inter se realiter distinctæ, sed tantùm ut propter authoritatem divinam sufficienter propositam, firmissimè assentiantur in una & eadem divinitate esse tres personas realiter inter se distinctas. Hinc illud S. Augustini de ejusmodi hominibus lib. contra epist. fundamenti, cap. 4. *Turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit*. Sed ad pleniorem propositæ difficultatis solutionem,

Nota,

Nota, tria tantùm requiri, ad credendum mysterium Trinitatis (idem dic de quolibet alio mysterio) nempe ut intellectus possit apprehendere terminos, & eorum significationem; judicare sicut oportet de credibilitate revelationis; & propter illam assentiri firmissimè. At primum solis naturæ viribus potest quilibet homo, quantumlibet rudis & ingenio tardus; secundum verò & tertium cum auxilio gratiæ, quæ rudibus non deest, cùm mysterium Trinitatis eis propter authoritatem Dei revelantis credendum proponitur.

At inquies, Fides explicita Trinitatis secluso miraculo planè extraordinario, impossibilis est surdis & mutis à nativitate, item educatis inter barbaros, vel in solitudine, ubi nihil unquam auditum est de mysterio Trinitaris, sicut nec de mysterio Incarnationis.

R. 1. de educatis inter barbaros vel in solitudine, ubi nihil unquam auditum est de misterio Trinitatis, quòd si rectè uterentur gratiis, quas pro loco & tempore accipiunt, Deus procuraret illi prædicationem Evangelii, vel illos per se aut Angelos instrueret. Præterea, fides explicita Dei ut authoris gratiæ & gloriæ, non minùs est impossibile adultis educatis inter barbaros, vel in solitudine, ubi nihil unquam auditum est de Deo ut largitore gratiæ & gloriæ: nec tamen inde colligi potest fidem explicitam Dei ut authoris gratiæ & gloriæ non esse medium simpliciter necessarium ad salutem quorumcumque adultorum existentium in statu peccati mortalis; cùm Apostolus generaliter dicat de omnibus hominibus: *Oportet accedentem ad Deum credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

R. 2. de peccatoribus surdis & mutis à nativitate, quòd non possint justificari sine fide explicita Dei ut largitoris gratiæ & gloriæ. Unde vel salus est illis impossibilis, vel possunt cùm speciali Spiritus Sancti assistentia habere fidem illam. At si possunt cum speciali Spiritus Sancti assistentia, & sine miracolo extraordinario habere fidem explicatam Dei ut largitoriis gratiæ & gloriæ; quidni pariter possent habere, & re ipsa habebunt nisi ipsimet liberè obsint, fidem explicitam Dei ut unius in essentia & trini in personis, Deo hominibus illos per signa vel picturas instruentibus cooperante, & interiùs illustrante & per se ipsum, vel Angelum, quòd instructioni deest, suppliente?

Porrò non est hìc prætermittendum, quod fatentur adversarii, videlicet sententiam nostram esse in praxi tenendam, & teneri non solùm pastores suos subditos de mysterio Trinitatis & Incarnationis diligenter instruere, sed etiam confessarios suos pœnitentes, quos advertunt esse valdè rudes, & rerum fidei ignaros.

Quæres, utrùm etiam fides explicita aliorum articulorum, qui in Symbolo continentur, sit necessaria necessitate medii ad salutem adultorum peccatorum?

R. hanc fidem non in re, sed in voto esse medium necessarium ad salutem adulti peccatoris. Nam nullus adultus justificari potest sine proposito servandi præcepta. Atqui præceptum est, ut credantur explicitè omnes articuli Symboli. Ergo nullus adultus justificari potest sine proposito credendi explicitè omnes articulos symboli, & consequenter propositum seu votum fidei explicitæ omnium articulorum Symboli, est medium necessarium ad justificationem, ac proinde ad salutem hominis adulti existentis in peccato mortali.

Addo, necessariam quoque esse necessitate medii ad justificationem & salutem adulti peccatoris fidem implicitam omnium omninò aliarum veritatum à Deo revelatarum: nam, ut definit Trident. sess. 6. cap. 6. actus quo explicitè credimus vera esse ea, quæ à Deo revelata sunt, necessarius est necessitate medii ad justificationem adulti. Atqui talis actus est fides implicita omnium omninò veritatum, quæ divinitùs revelatæ sunt. Ergo, &c.

ARTICULUS V.

Utrùm actus fidei divinæ sit etiam necessarius necessitate præcepti.

Responsio.

Necessarius est necessitate præcepti.

Prob. Nam 1. Marci cap. ult. dicitur: *Qui non crediderit condemnabitur*. Quibus verbis exprimitur saltem necessitas præcepti. Et 1. Joan. cap. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.*

At inquies. Non potest dici, per quem actum innotescat præceptum illud. *R.* neg. & dico innotescere per judicium, quod præcedit fidem divinam. Itaque facta sufficienti propositione revelationis & præcepti de credendo, intellectus non solùm cognoscit id, quòd ad credendum proponitur, esse credibile, sed etiam judicat esse credendum. Quod judicium supernaturale est, nec tamen est fides divina, sed actus præcedens voluntatem credendi, & ipsam fidem divinam.

At inquies. Intellectus per actum illum vel judicat esse credendum fide supernaturali, vel non judicat. *R.* judicare credendum esse assensu super omnia firmo præcisè propter summam authoritatem Dei loquentis. Quod cùm superet vires naturæ, consequens est illum judicare credendum esse fide supernaturali. In quo nullum est inconveniens.

Quæres 1. quotuplex si præceptum fidei divinæ? *R.* duplex esse, unum affirmativum, & alterum, negativum. Affirmativum est illud, quod obligat nos ad credenda mysteria fidei; negativum verò, quòd nos obligat ad non dissentiendum illis, neque de illorum veritate dubitandum. Item affirmativum non obligat nos, ut credamus explicitè omnes & singulas veritates à Deo revelatas, neque ut credamus quodlibet tempore: obligat enim solùm ad credendum explicitè certas quasdam veritates, & certo quodam tempore. Negativum verò complectitur omnes veritates revelatas & omne tempus: semper enim illicitum est dissentire veritati, sufficienter propositæ ut à Deo revelatæ, quæcumque sit illa veritas.

Quæres 2. ad quid præceptum affirmativum fidei nunc obliget? *R.* obligare ad credendum explicitè omnia mysteria in Symbolo contenta. Ita satis apertè sentit S. Thomas q. 2. a. 5. in O. & *prob.* 1. Authoritate S. Augustini serm. 135. de tempore, ubi sic ait: *Symbolum est regula fidei nostræ brevis & grandis, brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum.* Quis autem negabit quemlibet Christianum graviter obligari ad tenendam explicitè ejusmodi regulam fidei suæ? 2. Quia in primitiva Ecclesia non batizabantur adulti, nisi priùs didicissent, & memoriter recitassent Symbolum Apostolorum, ut patet ex can. 46. Concilii Laodiceni: *Baptizandos oportet fidei Symbolum discere, & quinta feria ultimæ septimanæ, vel episcopo vel presbyteris reddere.*

Quæres 3. utrùm Christianus obligetur tantùm ad credenda explicitè ea, quæ continentur in Symbolo? *R.* ad ea tantùm teneri ex præcepto fidei divinæ. Sed præterea tenetur ad credenda ea quæ pertinent ad Baptismum, Eucharistiam, sacramentum Pœnitentiæ, Decalogi, &c. quæ obligatio non oritur ex præcepto fidei, sed ex præcepto religionis, justitiæ, & aliarum virtutum.

ARTICULUS VI.

Utrùm actus externus fidei sit necessarius ad salutem.

Nota 1. Actus externus fidei, verus scilicet (nam de vero agitur, non de falso) est externa confessio, qua quis profitetur exteriùs actum internum fidei, quo assentitur rebus à Deo revelatis, juxta illud Apostoli Rom. cap. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem.* Unde actus fidei externus refertur ad duo, videlicet ad actum

internum fidei, cujus est signum, & ad veritatem revelatam, tanquam ad objectum actus interni, quocum unum quid moraliter efficit, sicut locutio externa cum interna.

Nota 2. Confessio externa fidei fieri potest ex diversis motivis. 1. scilicet ad placendum Deo. 2. Ad beatitudinem æternam consequendam. 3. Ad colendum Deum, & protestandam ejus excellentiam. 4. Ad obediendum Deo ita imperanti. 5. Ad confirmandum proximum in fide. 6. Ad verum dicendum. 7. denique propter authoritatem Dei loquentis credibiliter, quia nimirùm digna est, ut ei non solùm interno assensu, sed etiam externa locutione adhæreamus, quantùm possumus. Quando enim Deus nobis loquitur credibiliter, meretur non solùm ut interiùs judicemus verum esse id quod dicit, sed etiam ut illud profiteamur exteriùs.

Primo modo pertinet ad charitatem, secundo ad spem, tertio ad religionem, quarto ad obedientiam, quinto ad charitatem proximi, sexto ad veracitatem, septimo denique ad virtutem fidei: nam generatim actus externi pertinent ad eas virtutes, ex quarum motivo exercentur. Sed confessio fidei hoc ultimo modo exercetur ex motivo proprio virtutis fidei: eadem enim honestate, qua interiùs honestum est assentiri rebus à revelaris propter authoritatem divinam, honestum etiam est exteriùs profiteri se assentiri rebus à Deo revelatis propter authoritatem divinam; nam assentiri authoritati divinæ, quia digna est, & assensum ei datum exteriùs profiteri, quia pariter digna est, est una & eadem honestas.

Sicut ergo actus externus & internus temperantiæ v.g. pertinent ad eandem virtutem temperantiæ, quia fiunt ex eadem honestate, ita pariter actus internus fidei & ejus externa professio pertinent ad eandem virtutem fidei, quando externa professio fidei fit propter authoritatem Dei loquentis, quia digna est; tunc enim actus externus & internus fidei sunt propter eandem honestatem.

Responsio.

Externa confessio fidei necessaria est necessitate præcepti, quo jubemur profiteri fidem nostram suo tempore.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Rom. cap. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Ergo externa confessio fidei necessaria est ad salutem; non necessitate medii, ergo necessitate præcepti. Ergo, &c. 2. Ex S. Augustino lib. de Fide & Symbolo, cap. 1. *Fides*, inquit, *officium à nobis exigit & cordis & linguæ*. 3. Ex innumerorum Martyrum exemplo, & usu perpetuo, ac unanimi sensu Ecclesiæ.

Hoc autem præceptum exteriùs fidem profitendi, cùm sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed solùm pro aliquo, quando scilicet externa fidei professio necessaria est ad honorem Dei, vel ad utilitatem proximi. At cùm ex tali professione nulla expectetur utilitas, sed tantùm turbatio infidelium, tunc non obligat, ut docet S. Thomas, quæst. 3. a. 2. ad 3. ubi etiam dicit quòd *si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet homo publicè fidem confiteri*.

Quæres 1. utrùm aliquando liceat negare fidem, præsertim ad vitandam mortem?

R. nunquam licere, ut *prob.* 1. ex Scriptura: nam ipse Christus ait Matth. cap. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*. Quæ verba generaliter & absque restrictione dicta, intelligenda sunt pro quolibet casu, & periculo mortis, ut intelliguntur à Patribus, & ab Ecclesia, quæ gravibus pœnis olim subjiciebat eos, qui in tyrannorum persecutionibus fidem Christi negabant, etiam ad vitanda gravissima tormenta, & mortem acerbissimam.

2. Ratione: quia qui exteriùs negat fidem, quam interiùs profitetur, mentitur in re gravi; quod est graviter illicitum. Item gravem injuriam facit Christo, quem erubescit. Unde contra ejusmodi Christus ait Luc. c. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua*.

Accedit authoritas S. Augustini, tract. 62. in Joan. *Quanta vita est*, inquit, *confiteri Christum, tanta mors est negare Christum*. Hinc Catholicus, interrogatus num sit Christianus, peccaret graviter, 1. negando se esse Christianum, quia negaret se credere in Christum, & ita negaret Christi fidem. 2. Respondendo se esse Turcam, vel Judæum, aut Gentilem, quia hoc ipso negaret se esse Christianum. 3. Respondendo se non esse Papistam, Romanensem, Pontificium, quia hoc ipso negaret se esse Catholicum. Quod est veram Christi fidem negare. At Sacerdos vel Religiosus, interrogatus num sit sacerdos vel religiosus, peccaret quidem respondendo se non esse, quia mentiretur; at non negaret fidem, quia non negaret se esse Catholicum vel Christianum.

Quæres 2. utrùm aliquando liceat tacere vel dissimulare fidem?

R. eum, qui ab infidelibus intuitu fidei & religionis interrogatur, num sit Christianus vel Catholicus, si à persona publica interrogetur, non posse tacere fidem, aut ambiguè respondere, sed teneri ad apertè confitendum se esse Christianum vel Catholicum, etiam cum eminenti periculo vitæ.

Prob. Nam 1. qui in casu proposito taceret, vel quocumque modo fidem dissimularet, censeretur erubescere Christum. 2. Christianus tunc maximè tenetur apertè profiteri fidem suam, quando id postulat honor Dei. At honor Dei hoc postulat in casu proposito, quia in casu proposito hoc postulat honor fidei christianæ, qui conjunctus cum honore Dei, authoris fidei christianæ.

Quòd autem in casu proposito hoc postulet honor fidei christianæ, patet ex eo quòd si Christianus, à persona publica interrogatus de sua religione, apertè profiteatur se esse Christianum, significet se magni facere fidem christianam, & pro ea quodlibet periculum subire paratum esse; quòd fidei christianæ maximè honorificum est, è contra verò si neget, vel dissimulet se esse Christianum, significat se parvi facere fidem christianam, quod fidei christianæ indecorum est.

3. denique Princeps etiam infidelis jus habet in ditione sua interrogandi quemlibet de sua fide & religione, & consequenter Christianus ab eo interrogatus de sua fide & religione, tenetur ei respondere sine mendacio & ambiguitate.

Quod si à persona privata interrogaretur, per se loquendo, posset tacere, aut interrogationem eludere, dicendo, v.g. Quid ad te? Quid me interrogas? Dixi, per se loquendo, quia fieri potest ut Christianus etiam à persona privata de sua fide & religione interrogatus, teneatur apertè confiteri suam fidem & religionem, putà si alii Christiani præsentes, ejus silentio vel dissimulatione scandalizarentur, vel offenderentur, aut si præsentes hæretici vel infideles, erga religionem christianam bene affecti, eam contemnere inciperent propter ejus silentium, vel dissimulationem.

Quæres 3. utrùm Christianus tempore persecutionis possit fugere, vel se occultare, ne cogatur confiteri fidem suam, & confitendo sese mortis periculo exponere.

R. posse, ut prob. 1. Ex verbis Christi, Matth. cap. 10. *Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. 2. Exemplo Apostoli Pauli, qui per murum civitatis in sporta dimissus est, ut fugeret. 3. Exemplo multorum Sanctorum, ut Cypriani & Athanasii, qui ab Ecclesia non reprehenduntur, quòd tempore persecutionis fugerint, &c. Hæc tamen fuga in pastore, vel episcopo illicita esset; si verb. grat. fuga ejus esset occasio cur fides nostra contemneretur, vel præsentia ejus necessaria esset ad confirmandos subditos ejus in fide: tunc enim ratione officii obligaretur ad manendum cum suis subditis tempore persecutionis, etiam cum periculo vitæ.

Quæ-

Quæres 4. utrùm Christiano liceat per simulationem adorare idola, vel thus illis adolere?

R. non licere, ut prob. 1. Ex Apostolo 2. Cor. cap. 6. ubi sic ait. *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* Quibus verbis prohibetur omnis communicatio cum infidelibus, qua infidelibus. Sed qui etiam per simulationem idola adorat, aut eis thus adolet, communicat cùm infidelibus qua infidelibus. 2. Ex innumeris Martyribus, qui gravissima tormenta & mortem acerbissimam pati maluerunt, quàm etiam per simulationem idola adorare, quia hoc esse graviter illicitum senserunt. 3. Ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ, in qua fideles tanto studio vitabant ritus externos Gentilium, & quæ tam severè animadvertebat in eos, qui etiam per simulationem tantùm idola adorassent. 4. Ratione: quia qui per simulationem adorat idola, facto ostendit se esse idolatram, & negat se esse Christianum. Quod utrumque graviter malum est.

Dices. Naaman Syrus per simulationem adorando in templo Remmon cum Rege suo, non peccabat ut apertè colligitur ex lib. 4. Regum, cap. 5. *R.* Naaman Syrum post conversionem suam à gentilissmo, nequidem per simulationem idola adorasse. Pro quo *nota*. Mos erat Regibus Syriæ, ut sive in foro, sive in templo, humero alterius inniterentur. Unde famulus, cujus humero innitebantur, tenebatur ex officio hoc illis præstare obsequium, ubicumque essent, sive in foro, sive in templo, ac proinde stare, vel ambulare, vel genuflectere, si rex staret, vel ambularet, vel genuflecteret.

Itaque cùm Naaman Syrus esset ille, cujus humero innitebatur Rex, quando prodibat in publicum, vel adibat templum Remmon, & hoc ex officio præstare obsequium Regi suo, ex officio tenebatur stare, vel ambulare, vel genuflectere, cùm Rex stabat, vel genuflectebat, vel ambulabat, ubicumque, sive in foro, sive in templo staret, vel ambularet, vel genuflecteret. Rege igitur in templo Remmon genuflectente, genuflectebat Naaman, sed magno cum discrimine: Rex enim genuflectebat ante idolum, ut illud adoraret; Naaman verò ut debitum obsequium Regi præstaret. Unde genuflexio Regis fiebat intuitu religionis, & genuflexio Naaman intuitu obsequii civilis; proindeque genuflexio Regis erat actus religionis, & genuflexio Naaman obsequium civile, debitum Regi, & licitè præstitum, quia & ipsi Regi & aliis adstantibus satis notum erat Naaman non genuflectere, nisi obsequii civilis causa, & adfungendum officio suo præsertim si publicum erat illum jam Deum Judæorum colere. Unde Rex genuflectendo peccabat, Naaman verò non.

At inquies. Jehu lib. 4. Reg. cap. 10. non peccavit simulando se velle sacrificare idolo Baal, ut omnes ejus Sacerdotes occideret: nam ob factum laudatur à Deo. *R.* Jehu peccasse simulando se velle sacrificare idolo Baal, neque ob hanc simulationem laudatum fuisse à Deo, sed quòd domum Achab develisset.

Quæres ultim. utrùm licitum sit uti vestibus infidelium.

R. illicitum esse uti vestibus infidelium, specialiter destinatis ad professionem vel exercitium falsæ religionis: nam qui uteretur, falsam religionem facto profiteretur, & ita facto fidem suam negaret. Propter eandem rationem videtur nullo modo licitum esse, etiam ad vitandam mortem uti veste infidelibus propria eorumque ab aliis sectis distinctiva, qualis est v. g. thobalia Turcica: nam qui gestat vestem propriam alicujus sectæ, & illius ab omnia alia secta distinctivam, videtur facto profiteri se ad sectam illam pertinere: sic v. g. qui in Turcarum ditione gestat thobaliam Turcicam, videtur facto profiteri se esse Turcam, & consequenter videtur profiteri se esse infidelem, quòd est illicitum.

Multi tamen sunt in opposita sententia, quam judicant esse probabiliorem, & docent Christianum in terris infidelium degentem, ex gravi causa, putà ad servandam vitam, posse assumere vestem infidelium propriam, & eorum distinctivam ab aliis sectis, putà gestare thobaliam Turcicam in Turcia, modò non intendat simulare se esse infidelem, sed solùm religionem suam occultare, eo tempore, & loco, quo non tenetur eam profiteri; quia, inquiunt, non mentitur; & vestis illa, qua utitur; non est per se propriè, & directè signum potestativum falsæ religionis.

DISPUTATIO V.

De habitu Fidei, & ejus subjecto.

ARTICULUS I.

Utrum detur habitus fidei.

Responsio I.

DAtur fidei habitus naturaiis & acquisitus.

Prob. experientia: nam fideles crebrò & intensè exercentes actus fidei divinæ, magnam credendi facilitatem acquirunt. Atqui per habitum fidei naturalem & acquisitum intelligimus hanc facilitatem. Ergo, &c. Ratio à priori est, quia potentia naturalis acquirit habitus se exercendo. Atqui potentia naturalis tam exercet se per actus supernaturales, quales sunt actus fidei divinæ, quàm per actus naturales; tam enim impendit se actibus supernaturalibus quàm naturalibus. Ergo, &c.

Dices. Habitus naturalis non potest inclinare potentiam naturalem ad actus supernaturales. Ergo implicat fidei habitus naturalis & acquisitus. *R.* non posse, si potentia naturalis non elevetur per comprincipium supernaturale; at posse, si elevatur: nam potentia naturalis elevata faciliùs exercet actus supernaturales cùm habitu naturali, quàm sine illo. *Nota*. Cùm potentia naturalis elevatur, elevatur etiam habitus naturalis & acquisitus, quem habet. Unde sicut potentia naturalis elevata potest producere actus supernaturales, ita habitus naturalis elevatus potest inclinare ad actus supernaturales.

Responsio II.

Datur etiam in intellectu habitus fidei per se infusus & supernaturalis.

Prob. Ex Conc. Trident. sess. 6. ubi postquam cap. 6. inter dispositiones ad justificationem prærequisitas recensuit actum fidei divinæ, sic exorditur caput 7. *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur, quæ est sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Quid autem per hæc dona intelligat, exponitur inferiùs eodem capite his verbis: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem*. Quæ verba intelligi non possunt, nisi de fide, spe, & charitate habituali.

Ratio autem est, quia conveniens est intellectum compleri per comprincipium intrinsecum & permanens, ut sic sit intrinsecè & permanenter habilis ad eliciendos actus fidei divinæ, & ita connaturaliùs actus illos eliciat. Dixi, connaturaliùs, quia intellectus potest elicere actus fidei divinæ sine habitu infuso & supernaturali, cum solo concursu extraordinario, sicut primus saltem actus fidei divinæ elicitur ab homine, qui ad fidem convertitur.

Responsio III.

Præter habitum illum intellectualem, per se infusum & supernataralem, quo intellectus immediatè & intrinsecè completur ad eliciendum actum fidei divinæ, datur etiam in voluntate habitus per se infusus & supernaturalis, ad eliciendum actum piæ credulitatis, seu imperii, quo intellectus à voluntate efficaciter applicatur ad actum fidei.

Prob. Nam, ut ex Tridentino probatum est, intellectus immediatè perficitur per comprincipium intrinsecum & permanens, ut sit intrinsecè & permanenter habilis ad actus fidei, & eos connaturaliùs eliciat. Ergo pariter voluntas immediatè completur per comprincipium intrinsecum & permanens, ut sit intrinsecè & permanenter habilis ad piam credulitatem, & eam connaturaliùs eliciat: omninò enim dicendum est Deum, cujus perfecta sunt opera, non minùs velle, ut pia credulitas modo perfecto & connaturali procedat à voluntate, quàm vult ipsum actum credendi modo perfecto & connaturali ab intellectu procedere. Hic autem habitus est specialis virtus, ab omnibus aliis distincta, quia spectat honestatem specialem, & diversam ab honestate, quam spectant aliæ virtutes, videlicet honestatem, quæ relucet in eo, quod est credere Deo firmissimè præcisè propter testimonium ejus, quamvis in se obscurum, nec præviè cognitum per motiva credibitatis evidenter ea evidentia, quæ tantam firmitatem assensus mereatur.

Dices. Hic habitus piæ credulitatis vel est theologicus, vel moralis. Neutrum dici potest. Ergo, &c. *R.* neg. min. & dico non esse virtutem theologicam, sed moralem, quia non habet pro objecto formali etiam partiali perfectionem divinam: sed habet pro objecto formali totali solam honestatem relucentem in eo quod est captivare intellectum in obsequium fidei, & submittere se authoritati Dei loquentis, modo supra explicato.

Responsio IV.

Præter habitum fidei & habitum piæ credulitatis per se infusos & supernaturales, datur etiam in intellectu habitus per se infusus & supernaturalis ad eliciendum judicium practicè practicum supernaturale, quo immediatè dirigitur pius credendi affectus.

Prob. Nam sicut intellectus habitu fidei, & voluntas habitu piæ credulitatis instruuntur, ut hæc actum piæ credulitatis, ille verò actum fidei modo perfecto & connaturali eliciat; ita ipse intellectus dici debet instrui habitu, ad eliciendum judicium supernaturale, directivum piæ credulitatis, modo perfecto & connaturali; tam enim conveniens est hoc judicium modo perfecto & connaturali elici, quàm pium credendi affectum, & ipsum actum credendi.

Hic autem habitus est virtus specialis prudentiæ, cujus objectum adæquatum est honestas, vel debitum submittendi se authoritati Dei revelantis, & adhærendi firmissimè objecto revelato præcisè propter primam veritatem revelantem. Unde differt à prudentia generali, quæ virtutum moralium directiva est, & cum illis destruitur, sicut cum illis infunditur: cùm è contra habitus ille prudentiæ specialis tandiu maneat, quandiu manet habitus fidei, & sic non destruatur, sicut ipse habitus fidei, nisi per peccatum infidelitatis, virtutibus moralibus, cum prudentia generali illatum directiva, per quodlibet mortale peccatum pereuntibus; excepto tamen habitu piæ credulitatis, qui etiam tandiu conservatur, quandiu conservatur habitus fidei.

Quæres, utrùm habitus fidei sit virtus theologica?

R. 1. habitum fidei esse virtutem intellectualem: nam perficit & rectè disponit intellectum; cùm sit essentialiter determinatus ad rectam operationem, nempe ad assensum fidei divinæ, quæ essentialiter vera est, quia ei subesse falsum implicat.

R. 2. habitum fidei esse virtutem theologicam: quia habitus ille dicitur theologicus, qui habet Deum pro objecto formali, atque etiam pro materiali principali. Atqui talis est habitus fidei: nam habet pro objecto formali Deum, ut est prima veritas revelans, & pro materiali principali eundem Deum, ejusque perfectiones: nam perfectiones divinæ propter se creduntur, & cætera propter ipsas.

At inquies. Religio versatur circa Deum, & tamen non est virtus theologica. *R.* Religionem non esse virtutem theologicam, quia non versatur directè & immediatè circa Deum, ut objectum formale, & materiale principale, sicut versantur fides, spes & charitas: versatur enim directè & immediatè circa cultum Dei exhibendum, tanquam objectum materiale, & circa honestatem, quæ est in exhibendo tali cultu, tanquam objectum formale.

ARTICULUS II.

Utrùm habitus fidei aliquando infundatur priùs tempore, quàm habitus charitatis.

Responsio.

Habitus fidei nunquam infunditur priùs tempore, quàm habitus charitatis.

Prob. 1. Ex Trident. à quo assertio nostra diserè traditur sess. 6. cap. 7. his verbis: *In ipsa justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem.* Quæ intelligenda sunt de fide, spe, & charitate habituali, & de justificatione hominis infidelis; nam in justificatione peccatorum fidelium non infunditur fides habitualis, sed priùs infusa retinetur.

Prob. 2. Ex S. Thoma, qui sic ait 1. 2. q. 62. a. 4. in O. *Ordine generationis in uno & eodem, fides præcedit spem, & spes charitatem secundùm actus; nam habitus simul infunduntur.* Et 3. p. q. 85. a. 6. *In virtutibus non attenditur ordo temporis quantùm ad habitus: quia omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur una earum esse prior altera ordine naturæ, quæ consideratur ex ordine actuum.*

Ex dictis collige, habitum prudentiæ specialis & habitum piæ credulitatis nunquam infundi priùs tempore, quàm charitas infundatur: quia cum habitu fidei, cui subserviunt, & quocum moraliter constituunt unum totalem habitum, infunduntur; sicut cum eo destruuntur post peccatum infidelitatis. Unde nullus habitus supernaturalis nobis infunditur ante habitum charitatis; quamvis aliqui in nobis conserventur sine charitate, nisi charitas amittatur per peccatum infidelitatis. Quòd si charitas amittitur per peccatum desperationis, perit quidem habitus spei cum habitu charitatis, sed adhuc remanet habitus fidei cum habitibus sibi subservientibus, nempe habitu prudentiæ specialis, & habitu piæ credulitatis.

Obj. Baptismus producit effectum ad quem non reperit obicem; licèt non producat alios, quos potest producere, quos tamen non producit, quia ad illos reperit obicem. Atqui in eo qui habet fidem actualem sine contritione, non est obex respectu fidei habitualis, licèt sit respectu gratiæ & charitatis. Ergo in illo baptismus producit fidem habitualem, quamvis non producat in eo gratiam & charitatem habitualem, & consequenter habitus fidei producitur priùs tempore, quàm habitus charitatis.

R. dist. maj. baptismus producit effectum, ad quem non reperit obicem, neque positivum neque negativum, C. Ad quem non reperit obicem positivum, sed reperit negativum, N. maj. At in adulto habente fidem actualem sine contritione, cùm tamen habeat mortalia personalia, baptismus non reperit quidem obicem positivum ad fidem habitualem, sed reperit negativum, nempe carentiam dispositionis prærequisitæ ad infusionem charitatis habitualis, sine qua tamen, non quidem ex natura rei, sed ex ordinatione divina infundi non potest fides habitualis, ut apertè tradi videtur à Tridentino. Unde baptismus in casu proposito producit solùm characterem, quia ad solùm characterem nullum planè, hoc est, neque positivum, neque negativum obicem reperit.

ARTICULUS III.

In quibus reperiatur habitus fidei.

Responsio. I.

Habitus fidei non est in beatis.

Prob. Nam habitus fidei esset otiosus in beatis. Ergo non reperitur in illis. Consequentia patet, quia

quia habitus fidei non infunditur, nec conservatur nisi propter actum fidei. *Prob. ant.* Beati non eliciunt actus fidei. Ergo habitus fidei esset otiosus in illis. *Prob. ant.* 1. Ex Apostolo 1. Cor. cap. 13. ubi sic ait: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit id, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Unde statim subjicit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas* (supple, quæ nunquam excidit, sed permanet in patria.)

2. Ex S. Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 2. *Neque jam fides erit* (in cœlo) *qua credantur quæ non videntur, sed species, qua videantur quæ credebantur.*

3. Ratione. Quia cognitio obscura, qualis est fides divina, non convenit statui comprehensoris: imò impossibile est beatos assentiri assensu libero & obscuro propter authoritatem Dei loquentis. Ergo impossibile est illos habere fidem divinam. *Prob. ant.* Nam beati clarè & intuitivè vident veracitatem & revelationem divinam in se. Atqui veracitas & revelatio divina clarè & intuitivè visæ in se, non possunt esse objectum formale assensus liberi & obscuri: semper enim rapiunt & determinant intellectum ad assensum evidentem, & quidem sibi proportionatum, & consequenter appretiativè & intensivè certissimum. Ergo, &c.

Responsio II.

Habitus fidei non est in damnatis.

Prob. Ibi non est habitus fidei, ubi non est, nec potest esse actus fidei, hoc est, assensus liber, obscurus & honestus, quo intellectus firmiter adhæret alicui veritati præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, ex imperio voluntatis efficaciter volentis se submittere authoritati divinæ. Atqui nec est, nec esse potest talis assensus in damnatis, tum quia non possunt habere pium affectum se submittendi authoritati divinæ, cùm habeant voluntatem in malo obfirmatam; tum quia carent omni auxilio gratiæ, sine qua tamen nullus intellectus ulli veritati adhærere potest, præsertim firmiter, præcisè propter revelationem & veracitatem divinam in se obscuras. Ergo, &c.

Obj. Jacobus cap. 2. Attribuit fidem dæmonibus: nam sic ait: *Tu credis, quia unus est Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.* In quæ verba hæc scribit Augustinus libro de fide & operibus cap. 14. *Jacobus tam vehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet.* Item fides non amittitur, nisi per peccatum infidelitatis. At multi sunt damnati, qui nullum habuerunt peccatum infidelitatis in via. Ergo illi saltem retinent habitum fidei. Item debet esse aliquod discrimen inter fideles & infideles damnatos. At nullum est, nisi maneat habitus fidei in iis, qui fideles fuerunt. Ergo, &c.

Resp. ad 1. Cùm S. Thoma, Apostolum attribuere dæmonibus non fidem propriè dictam, de qua hìc agitur, & quæ est assensus liber, obscurus, honestus, supernaturalis, sed solùm fidem quandam impropriè dictam, quæ nihil est, quàm actus naturalis, evidens, necessarius, quo evidenter & necessariò judicant doctrinam christianam esse veram, & à Deo revelatam.

Resp. ad 2. Habitum fidei non amitti in hac vita, nisi per peccatum infidelitatis; secus in altera, in qua per subtractionem influxus conservativi, destruitur in beatis, quia non indigent; & in damnatis, quia indigni sunt, & exciderunt omni spe beatitudinis, resurrectionis spiritualis, & reconciliationis cum Deo assequendæ, propter quas tantùm, vi præsentis providentiæ, habitus fidei relinquitur fidelibus peccatoribus.

Resp. ad 3. Fideles damnatos sufficienter discerni ab aliis per characterem baptismi, quem ad confusionem, non ad ornamentum retinebunt.

Responsio III.

Habitus fidei fuit in Angelis viatoribus, & in homine innocente. Ita S. Thomas quæst. 5. art. 1.

Prob. Nam in Angelis viatoribus, & homine innocente, fuit actus fidei. Ergo & habitus. *Prob. ant.* Nam 1. ut ait S. Thomas in O. Sed contra, *Angelus & homo in sua prima conditione erant in statu accedendi ad Deum. Ergo fide indigebant.* Ut enim ait Apostolus Hebr. cap. 11. *Oportet accedentem ad Deum credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

2. Ut dicit idem S. Doctor in O. fuit in Angelo viatore & homine innocente inchoatio quædam beatitudinis, ad quam erant à Deo ordinati. Atqui hæc inchoatio consistebat ex parte voluntatis in spe & charitate, & ex parte intellectus, in fide. Ergo non solùm spem & charitatem, sed etiam fidem habuerunt.

3. Si fidem non habuerunt, certè quia non potuerunt. At hoc dici non potest: nam non habuerunt veracitatis & revelationis evidentiam simplicem in se, sed ad summum in alio, nempe in motivis credibilitatis, & ita revelatio primæ veritatis fuit illis obscura secundùm se, proindeque potuerunt ex pia credulitate actu libero & obscuro firmiter adhærere revelationi primæ veritatis immediatè & propter se, & propter revelationem primæ veritatis sic creditam, firmiter adhærere veritatibus revelatis; quod est credere fide divina.

Responsio IV.

Habitus fidei est in animabus Purgatorii.

Prob. Quia animæ Purgatorii sunt adhuc in via salutis, & ad patriam tendunt, ad quam nondum pervenerunt, & consequenter nondùm acceperunt id quod perfectum est, proindeque in illis nondùm evacuari debet id quod ex parte est; & sic fides, seu cognitio obscura veritatum supernaturalium non repugnat illarum statui.

Præterea, nondùm primam veritatem revelantem vident clarè & intuitivè in se; & consequenter possunt assensu libero & obscuro primæ veritati adhærere immediatè. Ergo possunt credere fide divina, & ex prævia cognitione fidei divinæ diligere Deum, & beatitudinem desiderare. Ergo habent habitum fidei, quo intrinsecè, & permanenter instruuntur ad credendum.

Responsio V.

In hac vita habitus fidei est in omnibus fidelibus justificatis; imò & in iis omnibus peccatoribus, qui è statu gratiæ per peccatum mortale, à peccato infidelitatis diversum, exciderunt.

Prob. 1. *pars.* Quia, ut docet Tridentin. sess. 6. cap. 7. justificatio *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum;* quæ dona, ut inferiùs exponit eodem capit. eadem Synodus, consistunt saltem in habitibus fidei, spei & charitatis.

Ratio autem est, quia esse justum, præter puritatem ab omni labe mortalis peccati, dicit saltem intrinsecam & permanentem habilitatem ad exercendos actus divini ordinis, qui sunt actus fidei, spei & charitatis. Atqui hæc intrinseca & permanens habilitas consistit in habitibus per se infusis & supernaturalibus fidei, spei & charitatis. Ergo omnes justi, præter puritatem ab omni labe peccati mortalis, habent habitus per se infusos & supernaturales fidei, spei & charitatis.

Prob. 2. *pars.* Ex eodem Concil. Trident. eadem sess. cap. 15. ubi sic ait: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amitta-*

amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti. Ex quibus duo habemus, charitatem seu gratiam sanctificantem amitti per quodlibet peccatum mortale; habitualem verò fidem per solum peccatum infidelitatis. Ergo, &c.

At inquies. Peccator per quodlibet peccatum mortale amittit cum charitate virtutes morales. Ergo & fidem habitualem. *Resp.* neg. consequentiam. Ratio negandi est, quia licèt peccator per quodlibet peccatum mortale tam mereatur privari fide habituali, quàm virtutibus moralibus, tamen quia fides habitualis vi præsentis providentiæ est principium radicale resurrectionis spiritualis, & reconciliationis cum Deo, Deus conservat illam in peccatore, quandiu vivit, & est bene affectus erga veracitatem & revelationem divinam; seu quandiu vivit, & non est totaliter aversus à Deo per peccatum infidelitatis.

At inquies. Fides in peccatore est mortua. Ergo non est magis vera fides, quàm homo mortuus est verus homo. *Resp.* neg. consequentiam. Disparitas est, quia homo vivus est intrinsecè & per formam sibi essentialem: unde vel vivit, vel non est. At fides non est viva nisi accidentaliter, & per denominationem extrinsecam, petitam à charitate, non solùm ut significante, sed etiam ut referente ad finem suum, nempe bonum divinum, actus fidei, & ita constituente fidem habitualem in esse vivæ & perfectæ virtutis, hoc est, in esse virtutis valentis ad actus de condigno meritorios vitæ æternæ.

Itaque fides habitualis, semper manens vera fides, modò viva est, modò mortua; viva quidem, cùm valet ad actus meritorios vitæ æternæ; mortua verò, cùm non valet; viva, quando conjuncta est, mortua, quando non est conjuncta cum charitate dignificante actus ejus, illosque ad finem suum, nempe ad bonum Dei ordinante. At semper, etiam cùm mortua est, manet vera fides, quia semper est comprincipium intrinsecè & permanenter complens intellectum ad assentiendum firmissimè veritatibus revelatis, propter revelationem divinam.

Responsio VI.

Habitus fidei non manet in hæreticis formaliter.

Prob. Ex Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 15. verbis supra relatis, ubi dicitur non solùm charitatem, sed etiam fidem habitualem amitti per peccatum infidelitatis. Ratio est, quia actus infidelitatis formalis habet moralem oppositionem specialem cum habitu fidei: habet enim malitiam formalem specialem, directè oppositam honestati fidei. Ergo reddit hominem formaliter hæreticum, & specialiter indignum habitu fidei. Ergo convenienter amittitur habitus fidei per actum infidelitatis formalis; quamvis propter nullum aliud mortale peccatum amittatur, non quòd non possit meritò amitti per quodlibet peccatum mortale, sed quia Deus non vult illo privare peccatorem, quandiu non est illo specialiter indignus per formalem infidelitatem, per quam malè afficitur ad veracitatem divinam, & totaliter à Deo avertitur, ut supra dictum est.

Præterea, habitus fidei datur & conservatur à Deo in homine ad exercendos actus fidei perfectæ. Atqui homo formaliter hæreticus non potest exercere actus fidei perfectæ. Ergo meritò privatur habitu infuso fidei, si antea illum habuit. Major est certa: nam sicut habitus charitatis datur & conservatur à Deo in homine, ad diligendum Deum super omnia propter se; ita & habitus fidei datur & conservatur à Deo in homine ad credendum Deo super omnia & ex parte intellectus & ex parte voluntatis, hoc est, ad assentiendum rebus à Deo revelatis assensu appretiativè certissimo propter revelationem & veracitatem divinam, ex generali, pleno & absoluto affectu se submittendi authoritati divinæ in omnibus, id est, credendi quamlibet veritatem firmissimè propter authoritatem Dei loquentis, quotiescumque proponitur sufficienter ad credendum.

Prob. min. Nam quælibet infidelitas formalis argutivè contradictoria est omni actui fidei perfectæ: omnis enim actus fidei perfectæ dicit, ex parte voluntatis, ut patet ex modò dictis, generalem, plenum & absolutum affectum se submittendi in omnibus authoritati divinæ, sufficienter propositæ: infidelitas verò formalis dicit ex parte voluntatis nolitionem submittendi se in omnibus authoritati divinæ, quamvis sufficienter propositæ: homo enim est formaliter infidelis, saltem quia non vult credere veritatem aliquam revelatam, quamvis sufficienter propositam ut revelatam, & consequenter saltem quia non vult se submittere authoritati divinæ, quamvis sufficienter propositæ, circa aliquam veritatem particularem, propter specialem difficultatem credendi, vel quamcumque aliam rationem. Ergo, &c.

Obj. 1. Homo formaliter hæreticus non vult credere veritatem revelatam, circa quam errat, non quia negat summam infallibilitatem revelationis divinæ, sed quia veritatem illam revelatam, quam non vult credere, non agnoscit esse revelatam, sic, ut si illam esse revelatam agnosceret, vellet illam credere, & libentissimè crederet firmissimè propter summam infallibilitatem revelationis divinæ. Ergo adhuc potest credere fide perfecta alias veritates revelatas, quas esse revelatas agnoscit.

Resp. neg. consequentiam. Nam homo formaliter hæreticus non vult credere veritatem revelatam; circa quam errat, quamvis sufficienter propositam ut revelatam, & ita non vult illam credere, quia non vult agnoscere illam esse revelatam, quamvis sufficienter proponatur ut revelata. Unde rejicit revelationem divinam sufficienter propositam, sicque magnam facit injuriam authoritati divinæ: quod stare non potest cum pio affectu se in omnibus subjiciendi authoritati divinæ, sufficienter propositæ, & consequenter nunquam rejiciendi authoritatem divinam sufficienter propositam; qui tamen affectus ad fidem perfectam essentialiter requiritur, ut declaratum est.

Quòd autem homo formaliter hæreticus gravem authoritati divinæ injuriam faciat, nolendo credere veritatem revelatam, quia præcisè non vult agnoscere esse revelatam in concursu sufficientis propositionis illius ut revelatæ, manifestum est ex eo quòd authoritas divina postulat non solùm ut revelatio divina sufficienter proposita, censeatur esse summè infallibilis, & consequenter digna assensu appretiativè firmissimo; sed etiam ut agnoscatur esse sufficienter proposita; sic ut meritò censeatur violari summa Dei in testificando authoritas, & contemni ejus revelatio, si propter illam non creditur, sive quia non censetur esse infallibilis & fide digna, sive quia non admittitur ut sufficienter proposita in concursu sufficientis propositionis illius.

Obj. 2. Qui ex catholico fit hæreticus, pertinaciter dissentiendo quibusdam articulis sibi sufficienter propositis, adhuc credit alios articulos veros eodem modo, quo antea illos credebat. Ergo adhuc habet fidem perfectam circa illos, & consequenter fides perfecta stare potest cum hæresi formali.

Resp. nego ant. Quia alios illos articulos vel non credit ampliùs propter authoritatem Dei revelantis, sed propter authoritatem humanam, aut aliud aliquod motivum ab authoritate divina distinctum (quod puto communiter contingere omnibus hæreticis:) vel si credit propter authoritatem Dei loquentis, non credit præcisè propter illam, hoc est, propter illam immediatè & propter se, assensu sibi proportionato creditam, sed propter illam, ut creditam propter authoritatem hominis, aut quodcumque aliud motivum, ut dicit S. Thomas quæst. 5. art. 3. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd alios articulos fidei, de quibus hæreticus non errat, non tenet eodem modo, sicut tenet eos fidelis, scilicet simpliciter inhærendo primæ veritati, ad quod indiget homo adjuvari per habitum fidei; sed tenet ea quæ sunt fidei, propria voluntate & judicio*. Vel denique si credit præcisè propter authoritatem Dei revelantis, quod non potest sine adjutorio

torio interioris gratiæ; non credit, nec credere potest ex generali, pleno & absoluto affectu se se in omnibus submittendi authoritati divinæ sufficienter propositæ; & ita nec habet, nec habere potest fidem illam christianam & perfectam, qua Deo creditur super omnia, qua intellectus absolutè captivatur in obsequium Christi, qua sola exhibetur Deo supremus cultus intellectualis, & suprema reverentia authoritati ejus debita, quæ sola ad justificationem sufficit, & quæ sola venit nomine fidei simpliciter, sicut sola dilectio Dei super omnia, venit nomine charitatis.

At inquies. Potest aliquis credere fide humana perfecta sine voluntate generali, plena & absoluta se submittendi in omnibus authoritati humanæ. Ergo & potest credere fide divina perfecta, sine voluntate generali, plena & absoluta se submittendi in omnibus authoritati divinæ sufficienter propositæ. *R.* neg. conseq. Ratio disparitatis est; quia authoritas humana, cùm sit finita & fallibilis, non meretur tantam submissionem; unde potest quis credere fide humana perfecta sine tanta submissione: nam credit fide humana perfecta, qui se submittit authoritati humanæ, quantùm meretur, & consequenter qui credit cum voluntate restricta se submittendi authoritati humanæ. Imò qui crederet fide humana cum voluntate generali, plena & absoluta se submittendi in omnibus authoritati humanæ, non crederet fide humana perfecta, sed imperfectissima & imprudentissima, quia enormiter excederet fides ejus meritum authoritatis humanæ.

Authoritas verò divina est summa & summè infallibilis; unde meretur generalem, plenam & absolutam submissionem, & ita nemo potest credere fide divina perfecta, nisi generaliter, plenè & absolutè se submittat authoritati divinæ, & ita generaliter, plenè & absolutè paratus sit, ad deferendum in omnibus authoritati divinæ sufficienter propositæ; quia non censetur credere fide divina perfecta, nisi qui se submittit authoritati divinæ, quantùm ipsa meretur; & ut fides divina dicatur perfecta, debet esse saltem appretiativè proportionata meritò & excellentiæ authoritatis divinæ; sicut dilectio Dei propter se, ut sit perfecta charitas, debet esse saltem appretiativè proportionata merito & excellentiæ divinæ bonitatis.

DISPUTATIO VI.

De Vitiis Fidei oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit, & quotuplex sit infidelitas.

Responsio I.

INfidelitas in genere triplex est, negativa scilicet, contraria, & privativa.

Exponitur. Infidelitas negativa est carentia fidei in iis, qui de fide nihil unquam audierunt, quales sunt multi gentiles. Infidelitas contraria est actus, quo quis fidem sibi sufficienter propositam contemnit, vel ei contradicit. Infidelitas denique privativa est carentia fidei in iis, quibus fides est sufficienter proposita, non quidem ut credant, sed ut teneantur inquirere, & tamen non inquirunt, sive ex negligentia, sive ex malitia.

Responsio II.

Infidelitas contraria triplex est, nempe paganismus, judaismus, & hæresis.

Exponitur. Paganismus, ad quem reducitur atheismus, est infidelitas, qua doctrina fidei totaliter rejicitur. Judaismus est infidelitas, qua doctrina fidei rejicitur in veritate, seu ut est in novo Testamento, sic tamen ut admittatur in figura, seu ut est in Testamento veteri. Hæresis est infidelitas, qua doctrina fidei in veritate non quidem ex toto, sed solùm ex parte rejicitur. Talis est v. g. Calvinismus, qui doctrinam de baptismo admittit, sed rejicit doctrinam de Eucharistia.

Responsio III.

Hæ tres infidelitatis contrariæ species non distinguuntur essentialiter in ratione peccati, sed solùm accidentaliter secundùm magis & minùs, in eadem peccati specie.

Prob. 1. pars. Nam sicut fidelis est ille, qui authoritatem divinam sufficienter propositam admittit, eique se submittit, propter illam firmissimè credendo; unde bonitas & honestas fidei consistit in eo, quòd per eam fidelis voluntariè exhibeat authoritati divinæ sibi sufficienter propositæ debitam reverentiam, illam modo ipsius infallibilitati proportionato amplectendo: sic infidelis contrariè dicitur ille, qui authoritatem divinam sibi sufficienter propositam non vult admittere, neque ei submittere; unde malitia & turpitudo infidelitatis contrariæ in eo sita est, quòd per eam infidelis authoritati divinæ sufficienter propositæ reverentiam debitam denegat, illam non amplectendo, vel illi contradicendo. Atqui denegatio reverentiæ debitæ authoritati divinæ sufficienter propositæ, est ejusdem naturæ in pagano, judæo, & hæretico: ut enim patebit ex modò dicendis, hæc denegatio in pagano, judæo & hæretico diversa est tantùm secundùm magis & minùs tum intensivè tum extensivè intra eandem speciem. Ergo malitia & turpitudo infidelitatis contrariæ est ejusdem naturæ in pagano, judæo, & hæretico, & consequenter paganismus, judaismus & hæresis non differunt essentialiter in ratione malitiæ & turpitudinis moralis.

Prob. 2. pars. Nam illæ species infidelitatis contrariæ opponuntur inter se secundùm majorem vel minorem irreverentiam & contemptum authoritatis divinæ. Ergo opponuntur inter se secundùm majorem vel minorem turpitudinem in eadem specie turpitudinis moralis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Quia cæteris paribus, major est contemptus authoritatis divinæ in hæresi, quàm in judaismo, & major in judaismo, quàm in paganismo. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ibi major est contemptus authoritatis divinæ, ubi majora sunt fundamenta subjiciendi se authoritati divinæ. Atqui in hæreticis majora sunt fundamenta credendi & subjiciendi se authoritati divinæ, quàm in judæis; & in judæis, quàm in paganis: nam hæretici agnoscunt Messiam venisse, quod negant judæi: & judæi admittunt vetus Testamentum, quod pagani rejiciunt. Ergo, &c.

Itaque cæteris paribus, hæresis est gravius peccatum, quàm judaismus, & judaismus, quàm paganismus, & ita, cæteris paribus, inter peccata infidelitatis, hæresis est peccatum gravissimum, intensivè scilicet, propter majorem contemptum divinæ authoritatis; nam extensivè minus est peccatum quàm judaismus, & judaismus, quàm paganismus, quia pagani errant circa plures veritates revelatas, quàm Judæi, & Judæi circa plures, quàm hæretici. Unde paganismus est peccatum infidelitatis extensivè maximum.

Hìc tamen observandum est, hæresim sic esse peccatum infidelitatis gravissimum, ut tamen non sit peccatum simpliciter maximum in ratione malitiæ: nam v. gr. odisse Deum est aliquid gravius in ratione malitiæ, quàm authoritati divinæ sufficienter propositæ nolle se submittere, sed illam rejicere, vel illi contradicere. Dixi, in ratione malitiæ; quia quælibet infidelitas contraria, ac proinde non solùm hæresis, sed etiam judaismus & paganismus, est peccatum simpliciter maximum ex parte nocumenti, quod infert: nam tollit radicem omnis justitiæ, nempe fidem, sine qua nullus esse potest actus etiam de congruo tantùm meritorius.

Res-

Responsio IV.

Hæresis subdividitur in plures species, non quidem formaliter, sed materialiter tantùm diversas.

Prob. Nam v. g. hæresis alia est Ariana, alia Macedoniana, alia Nestoriana, alia Pelagiana, alia Lutherana, &c. Ratio est, quia tot sunt species hæresum, quot sunt diversi articuli fidei, circa quos erratur. Atqui alii errant circa divinitatem Verbi, alii circa divinitatem Spiritus Sancti, alii circa existentiam Incarnationis, alii circa Gratiam, alii circa Justificationem, &c. Ergo, &c. Hæ autem hæresis species non sunt formaliter, sed solùm materialiter diversæ, quia diversitas illarum petitur, non à diverso specificè contemptu authoritatis divinæ; nam contemptus authoritatis divinæ est idem specie in omnibus hæresibus; sed à diversa materia, seu à diversis fidei articulis, circa quos erratur.

ARTICULUS II.

Utrùm infidelitas negativa sit peccatum, an pœna peccati tantùm.

Responsio.

INfidelitas purè negativa non est peccatum, sed pœna peccati.

Prob. 1. *pars.* 1. Ex verbis illis Christi Joan. c. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quæ verba S. Augustinus tract. 89. in Joan. interpretans de peccato infidelitatis, dicit eos, quibus Christus non est prædicatus, habere excusationem, *non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.*

2. Ex S. Thoma qu. 10. art. 1. in O. ubi sic ait: *Si autem accipiatur* (infidelitas) *secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joan. 15.* Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: *Quod exponens Augustinus dicit, quòd loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Christum.*

3. Ratione. Nam infideles infidelitatem purè negativam habentes, ignorant invincibiliter Evangelium. Ergo non peccant, non credendo. Consequentia patet, quia ignorantia juris positivi divini excusat à peccato. *Prob. ant.* Nam ille ignorat invincibiliter Evangelium, qui de Evangelio nihil unquam vel audivit, vel cogitavit, vel per industriam humanam audire aut cogitare potuit. Atqui tales sunt infideles, qui infidelitatem purè negativam habent. Ergo, &c.

Præterea, ut docet S. Augustinus, omne peccatum est voluntarium, in se scilicet, vel in causa. Atqui infidelitas purè negativa neque in se neque in causa voluntaria est habentibus illam. Ergo non est peccatum. *Prob. min.* 1. Enim non est voluntaria in se, quia non est in se cognita. 2. Non est voluntaria in causa, quia nihil faciunt, aut omittunt infideles, unde cognoscant, vel per industriam humanam cognoscere possint sequi infidelitatem illam purè negativam. Meritò igitur à summo Pontifice Alexandro VII. damnata est propositio asserens infidelitatem purè negativam esse peccatum.

Prob. 2. *pars.* 1. Ex S. Thoma loco proximè citato. 2. Ex S. Augustino epist. 109. ad Sixtum, ubi loquens de ignorantia Evangelii dicit, *ignorantiam in illis, qui intelligere noluerunt, peccatum esse: in eis autem, qui non potuerunt, pœnam peccati.* Unde sic argumentor. Ignorantia Evangelii, propter quam infideles laborant infidelitate negativa, est pœna peccati. Ergo & ipsa infidelitas negativa: non enim ignorantia Evangelii potest esse pœna peccati, originalis scilicèt (nam de eo loquitur S. Augustinus, & post illum S. Thomas) quin etiam ejusdem peccati pœna sit illud omne, quòd hanc ignorantiam necessariò consequitur.

Obj. 1. Ex dictis, infideles illi, qui infidelitatem negativam habent, si facerent quod in se est cum auxilio gratiæ, audirent Evangelium, & reliqua auxilia proximè ad fidem christianam requisita acciperent. Ergo infidelitas negativa est in illis peccatum. *Resp.* neg. conseq. Quia quòd, faciendo quod in se est cum auxilio gratiæ, instruerentur de Evangelio, & acciperent alia auxilia proximè requisita ad fidem christianam, nec sciunt, nec per ullam industriam humanam scire possunt. Unde ignorant illud invincibiliter, & ita ignorantia Evangelii, & infidelitas quæ illam consequitur, nullo modo sunt illis voluntariæ, & sic peccatum esse nequeunt.

Dices. Est in potestate infidelium illorum instrui de Evangelio, & habere omnia auxilia proximè requisita ad fidem christianam. Ergo quòd ignorent Evangelium, & careant fide christiana, non potest in illis excusari à peccato. *Resp.* neg. cons. Quamvis enim instrui de Evangelio, & habere auxilia ad fidem christianam proximè requisita, sit in infidelium illorum potestate, quatenùs in eorum potestate est facere aliquid cum auxilio gratiæ, per quod infallibiliter impetrarent prædicationem Evangelii, & alia omnia proximè requisita ad credendum fide christiana; tamen quòd ignorent Evangelium, & fide christiana careant, nullo modo illis voluntarium est; quia nec sciunt nec scire possunt, quòd in eorum potestate sit, rectè utendo auxiliis gratiæ, quæ pro loco & tempore accipiunt, instrui de Evangelio, & habere fidem christianam.

At inquies. Si in eorum potestate est instrui de Evangelio, ignorantia Evangelii non est in illis invincibilis, sed vincibilis. Ergo si in eorum potestate est instrui de Evangelio, quòd Evangelium ignorent, & consequenter quòd fide christiana careant, non potest in illis non esse peccatum. *Resp.* Dato quòd in infidelibus, de quibus agitur, ignorantia Evangelii sit aliquo modo vincibilis, adhuc nihil effici, & rectè negari consequentiam: nam adhuc infideles illi rectè dicentur ignorare Evangelium & fidem christianam probabiliter, seu inculpabiliter, quia non quælibet ignorantia vincibilis etiam Evangelii dici potest improbabilis & culpabilis, sed ea solùm, ad quam tollendam tenetur quis adhibere diligentiam. At infideles, de quibus loquimur, non tenentur adhibere diligentiam ad tollendam ignorantiam Evangelii, quod esse nequidem suspicari humanitus possunt, sed solùm tenentur ad bonum usum gratiarum, quas pro loco & tempore accipiunt; unde illis ad peccatum solùm imputatur, quòd gratiis illis abutantur, non quòd ignorent Evangelium & fidem christianam.

Obj. 2. Ex Apostolo. Evangelium ubique terrarum sufficienter prædicatum fuit: nam sic loquitur Rom. cap. 10. *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Ergo nullus hominum per ignorantiam Evangelii excusari potest, quòd non credat. *R. breviter* neg. ant. *Ad prob. Resp.* Apostolum, si verba illa, *In omnem terram*, non sumantur in sensu restricto, per to *eorum*, intelligere non solùm Apostolos, sed etiam eorum successores, & in hac voce, *exivit*, sumere tempus præteritum pro futuro, more Prophetarum; & proinde Apostoli sensum esse, Evangelium partim per Apostolos, partim per Apostolorum successores ubique gentium & terrarum prædicatum iri. Quæ prophetia sensim impletur; sic tamen, ut adhuc innumeri penè infideles sint, qui nihil audierunt, nec audire humanitùs potuerunt de Evangelio hactenùs.

AR-

ARTICULUS III.

Quid sit propriè hæresis.

NOta. Hæresis, si etymologia spectetur, significat electionem. Unde spectata sola etymologia hujus vocis; quælibet sententia, quàm quis eligit, hæresis vocari potest, sive vera sit, sive falsa. At verò si usum vocis spectes, hæresis in malam partem accipitur, & significat errorem in fide. De hæresi autem in hac significatione sumpta, quæritur hic, quid sit.

Responsio I.

Ad hæresim requiritur ex parte intellectus judicium erroneum contra fidem; ex parte voluntatis, pertinacia, & ex parte subjecti, professio fidei christianæ.

Prob. 1. Itaque requiritur ex parte intellectus, judicium erroneum contra fidem, hoc est, judicium directè repugnans veritati à Deo revelatæ. Ratio est, quia hæresis est species infidelitatis contrariæ, ut constat ex Art. 1. Sed infidelitas contraria est actus, quo quis dissentit veritati à Deo revelatæ: sicut fides, cui contrariè opponitur, est actus, quo quis veritati à Deo revelatæ assentitur. Ergo hæresis est actus, quo quis veritati à Deo revelatæ dissentit, proindeque judicium est erroneum contra fidem, & directè repugnans veritati à Deo revelatæ. Ex his

Observa. Si quis teneret aliquam veritatem fidei, putans eam esse contrariam doctrinæ Ecclesiæ, aut cum voluntate perstistendi in sua sententia, quamvis oppositum ab Ecclesia definiretur, ibi præcisè sistendo, nec infallibilitatem Ecclesiæ negando, non esset hæreticus propriè. Item non est hæreticus, qui præcisè habet voluntatem amplectendi Lutheranismum (idem dic de qualibet alia hæresi) quamvis ex parte affectus peccet peccato infidelitatis. Item non est propriè hæreticus, qui exteriùs tantùm fidem abnegat: unde nec incurrit excommunicationem latam contra hæreticos.

2. Ex parte voluntatis requiritur pertinacia, ut docet S. Augustinus epist. 162. ubi sic habet: *Qui sententiam suam, quamvis falsam & perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt: quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Et lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. ubi sic ait: *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis.*

S. Augustinum sequitur S. Thomas quæst. 11. art. 2. ad 3. ubi relatis prioribus verbis S. Augustini, sic prosequitur: *Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse, vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, utrum sic vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent authoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur.*

Contumax autem in hac materia censetur is, qui sciens & prudens tenet aliquid contra sensum Ecclesiæ, hoc est, qui cognoscens & animadvertens suam opinionem contrariam esse sensui Ecclesiæ, contempta authoritate Ecclesiæ, nihilominùs opinioni suæ adhæret. Patet 1. ex S. Thoma verbis proximè relatis. 2. Ex S. Augustino lib. 4. contra Donatistas c. 16. ubi sic ait: *Constituamus aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse catholicam fidem; nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholica fidei, resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.*

Accedit ratio: quia sicut ille censetur docilis, & catholicus, qui credit vera esse ea omnia, quæ ab Ecclesia proponuntur, ut revelata à Deo; ita è contrario is censeri debet contumax & hæreticus, qui sentit aliquid non esse verum; quamvis Ecclesia proponat illud, ut à Deo revelatum. Igitur contumacia ad hæresim requisita, consistit in efficaci & deliberata voluntate contradicendi Ecclesiæ, & dissentiendi alicui veritati revelatæ, contra sensum & determinationem Ecclesiæ, à qua veritas illa sufficienter proponitur ut revelata.

Hinc quamvis homo dissentiens privatæ revelationi credibili, sit infidelis infidelitate, quæ habitum fidei excludit, & ab hæresi quoad essentiam nihil planè differat, non est tamen hæreticus propriè, & secundùm acceptionem in Ecclesia communiter receptam; quia non contradicit Ecclesiæ, nec tenet aliquid contra sensum & determinationem ejus; unde subjectus non est pœnis hæreticorum.

3. Requiritur ex parte subjecti, professio fidei christianæ. Nam ita docet, 1. S. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 51. ubi sic ait: *Hæretici sunt, qui sub vocabulo christiano doctrinæ resistunt christianæ.* 2. S. Thomas quæst. 11. art. 1. in O. ubi ita loquitur: *A rectitudine ergo fidei christianæ dupliciter potest quis deviare. Uno modo, quia ipse Christo non vult assentire: is hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem: & hoc pertinet ad speciem infidelitatis paganorum & judæorum. Alio modo, per hoc quòd intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat: quia non eligit ea, quæ sunt verè à Christo tradita, sed ea quæ sibi propria mens suggerit. Et ideò hæresis est infidelitatis species, pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt.* Ratio autem est, ut suggerit S. Thomas hoc loco, quia qui non profitetur fidem christianam, seu, quod idem est, qui non profitetur se Christo credere, etiamsi erret, paganus est vel judæus, non hæreticus.

Addo, ad hæresim ex parte subjecti sufficere professionem fidei christianæ. Nam 1. non requiritur ex parte subjecti, ut priùs habita fuerit vera fides: alioqui qui esset Calvinista ab infantia, non esset hæreticus: quod dici non potest. 2. Non requiritur ex parte subjecti susceptio baptismi: nam Concilium Nicænum can. 19. statuens eos, qui ad Ecclesiam Catholicam ex hæresi Pauli Samozateni redeunt, esse baptizandos, supponit aliquos esse hæreticos antequam baptizentur. Quod etiam supponit S. Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum c. 3. & in præfatione ad librum de hæresibus. Neminem tamen Ecclesia tanquam hæreticum punire potest, nisi sit baptizatus, quia nemo ab Ecclesia puniri potest, nisi subjectus ejus potestati & jurisdictioni. Nemo autem subjectus est potestati & jurisdictioni Ecclesiæ ante baptismum. Unde cùm Ecclesia hæreticos non baptizatos anathematizat, anathema tunc, non excommunicationem, sed execrationem significat. Ex his autem sit

Responsio II.

Hæresis est voluntarius error intellectus contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia assertus ab eo qui se Christianum profitetur.

Dicitur 1. error intellectus, hoc est, erroneum judicium, seu falsus assensus, cujus subjectum est intellectus. Dicitur 2. error voluntarius, quia sicut assensus fidei à voluntate imperatur, ita & assensus contra fidem: unde uterque æquè liber est; & sicut assensus fidei est honestus & laudabilis, ita & assensus contra fidem est inhonestus & culpabilis. Dicitur 3. error contra veritatem fidei, quia error in alia materia, non est hæresis. Dicitur 4. contra aliquam veritatem fidei: nam error contra omnes veritates fidei non est hæresis, sed apostasia. Dicitur 5. cum pertinacia: quia qui errat circa aliquam veritatem fidei sine pertinacia, est malè sentiens, non hæreticus. Dicitur denique 6. ab eo, qui se Christianum profi-

tetur:

tetur : qui enim Christum non agnoscit, nec ei credere se profitetur, non est hæreticus, sed infidelis, paganus scilicet, vel judæus.

ARTICULUS IV.

Utrùm sit hæreticus ille, qui habet dubitationem in rebus fidei.

Nota. Dubitatio duplex esse potest, una scilicet negativa, & altera positiva. Dubitatio negativa est, quando intellectus apprehendens aliquam propositionem, circa illam nullum exercet actum, sed circa illam se habet merè negativè, neque assentiendo, neque dissentiendo. Dubitatio positiva est, cùm intellectus positivè judicat propositionem, quam apprehendit, esse incertam, & de illa positivè dicit: Fortasse non est vera, sed falsa.

Responsio I.

Qui deliberatè & positivè dubitat de veritate aliqua revelata, & ut tali ab Ecclesia sufficienter proposita, est formaliter hæreticus.

Prob. 1. Ex S. Thoma quæst. 10. art. 7. in O. *Si disputet*, inquit, *tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; proculdubio peccat tanquam dubius in fide, & infidelis.*

2. Ratione: nam 1. ille est formaliter hæreticus, qui judicat authoritatem Ecclesiæ in proponendis veritatibus fidei esse fallibilem. Sed qui positivè dubitat de veritate revelata, &, ut tali, ab Ecclesia sufficienter proposita, judicat Ecclesiæ in proponendis veritatibus fidei authoritatem fallibilem esse: nam veritatem revelatam, &, ut talem, ab Ecclesia sufficienter propositam, judicat esse incertam; quod facere non potest, nisi judicando Ecclesiam falli posse in propositione veritatum fidei, proponendo scilicet aliqua tanquam revelata, quæ tamen revelata non sunt. Ergo, &c.

2. Ille est formaliter hæreticus, qui habet judicium erroneum in materia fidei cum pertinacia. Sed qui positivè dubitat de veritate revelata, &, ut tali, ab Ecclesia sufficienter proposita, habet judicium erroneum in materia fidei cum pertinacia. 1. Habet judicium erroneum in materia fidei: nam judicare incertam esse veritatem, quam Ecclesia sufficienter proponit, ut revelatam, errare est in materia fidei, cùm omnis veritas, quàm Ecclesia ut revelatam sufficienter proponit, sit certissima. 2. Pertinax est: nam sciens & prudens contradicit sensui Ecclesiæ, quæ judicat firmissimè tenendam esse omnem veritatem, quam ut revelatam proponit fidelibus credendam. Ergo, &c.

Hinc etiam si quis eliciat assensum tantùm opinativum circa veritatem revelatam, ut talem ab Ecclesia sufficienter propositam, est formaliter hæreticus, si assensus ejus est actu formidolosus: nam tunc positivè dubitat, & negat Ecclesiæ infallibilitatem, ejusque sensui contradicit, judicando veritatem aliquam esse incertam, quam tamen Ecclesia ipsa certissimè tenendam esse judicat. At non est hæreticus, si assensus ejus est solùm radicaliter formidolosus, quia tunc non dubitat actu, nec negat infallibilitatem Ecclesiæ, quamvis eam non asserat; neque contradicit Ecclesiæ sensui; non enim judicat veritatem ab Ecclesia propositam, esse indignam assensu firmissimo, quamvis tunc ei non adhæreat firmissimè.

Responsio II.

Qui de veritate aliqua revelata, & ut tali ab Ecclesia sufficienter proposita, dubitat negativè, hoc est, per meram suspensionem assensus, à voluntate imperatam propter rationes contrarium suadentes, est etiam formaliter hæreticus.

Prob. Nam talis non audet assentiri veritati ab Ecclesia propositæ, quia propter rationes contrarium suadentes timet, ne assentiendo illi, errot. Unde ad vitandum erroris periculum, imperat sibi suspensionem assensus. Ergo æquivalenter judicat rationes contrarium suadentes, tanti esse momenti, ut incertam reddant veritatem, quamvis ab Ecclesia proponatur, ut certò tenenda, tanquam à Deo revelata. Ergo æquivalenter judicat Ecclesiam esse fallibilem in materia fidei, & æquivalenter contradicit sensui Ecclesiæ judicantis veritatem, quam proponit ut revelatam, assensu firmissimo tenendam esse propter authoritatem divinam. Ergo tam est hæreticus, quàm qui dubitat positivè: nam sive formaliter, sive æquivalenter judices Ecclesiam fallibilem esse in materia fidei; item sive formaliter, sive æquivalenter contradicas sensui Ecclesiæ, perinde est in æstimatione morali in ordine ad incurrendam formalem hæresim, quia in utroque casu pertinaciter erratur contra fidem.

ARTICULUS V.

Utrùm errans in fide ex ignorantia culpabili quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, sit formaliter hæreticus, & infidelis infidelitate pellente habitum fidei.

Responsio I.

NOn est formaliter hæreticus, qui errat in fide ex ignorantia culpabili, sive affectata, sive non affectata, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia.

Prob. Nam ille non est formaliter hæreticus, qui non errat in fide cum pertinacia, ut constat ex dictis Art. III. Sed qui errat in fide ex ignorantia, &c. non errat cum pertinacia. Ergo, &c.

Prob. min. Nam, ut etiam constat ex dictis eod. Articulo, illi omnes & soli errant in fide cum pertinacia, qui cognoscunt & advertunt se credere & opinari contra sensum Ecclesiæ, proponentis aliquid ut revelatum, & fide divina tenendum. Sed qui errat in fide ex ignorantia, &c. non cognoscit, nec advertit se credere & opinari contra sensum Ecclesiæ, proponentis aliquid ut revelatum, & fide divina tenendum. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia ille nec est, nec potest esse contumax in materia fidei, qui habet voluntatem efficacem submittendi se authoritati Ecclesiæ, & credendi firmiter omnem veritatem revelatam, & ut talem ab Ecclesia sufficienter propositam: nam, ut Articulo citato dictum est, contumacia in materia fidei est voluntas deliberata & efficax contradicendi Ecclesiæ, & dissentiendi alicui veritati revelatæ, quamvis ut tali sufficienter ab Ecclesia propositæ. Sed qui errat in fide ex ignorantia culpabili, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, habet voluntatem efficacem submittendi se authoritati Ecclesiæ, & firmiter credendi omnem veritatem revelatam, & ut talem ab Ecclesia sufficienter propositam: alioqui non erraret in fide ex ignorantia, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, seu, quod idem est, non erraret in fide, quia ignorat oppositum doceri ab Ecclesia, & ignorantia non esset causa erroris illius. Ergo, &c.

Hoc autem argumentum tam valet pro eo qui errat ex ignorantia affectata, quàm pro eo qui errat ex ignorantia non affectata: nam ignorantia affectata eam est causa erroris in eo qui errat ex ignorantia affectata, quàm ignorantia non affectata est causa erroris in eo qui ignorat ex ignorantia non affectata.

Responsio II.

Qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, sive affectata, sive non affectata, quòd contrarium doceatur ab Ecclesia, non est infidelis infidelitate pellente habitum fidei.

Prob.

Prob. Habitus fidei non pellitur, nisi per infidelitatem propriè & simpliciter dictam. Sed qui errat contra fidem ex ignorantia, &c. non est infidelis infidelitate propriè & simpliciter dicta. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam infidelitas propriè & simpliciter dicta, est ea, qua rejicitur & contemnitur objectum formale fidei sufficienter propositum. Sed qui errat contra fidem ex ignorantia, &c. non est infidelis infidelitate rejiciente & contemnente objectum formale fidei sufficienter propositum. Ergo, &c. Major constat: nam infidelitas propriè & simpliciter dicta, est ea, quacum stare non potest actus fidei, quo veritas revelata creditur super omnia. At talis est sola infidelitas, qua rejicitur & contemnitur saltem in aliquo objectum formale fidei sufficienter propositum.

Prob. ergo min. Si is, qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, quòd oppositum teneatur ab Ecclesia, contemnit in aliquo objectum formale fidei sufficienter propositum, certè contemnit in Articulo, contra quem errat. Sed hoc dici non potest: nam objectum formale fidei non est ei sufficienter propositum relatè ad hunc articulum. Ergo, &c. Præterea, ille non contemnit in aliquo objectum formale fidei sufficienter propositum, qui habet voluntatem efficacem, absolutam & universalem amplectendi objectum formale fidei, quoties erit sibi sufficienter propositum, Sed hanc voluntatem habet is, qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, etiam affectata, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia. Sed ex his

Confirm. Resp. Ille non est infidelis infidelitate pellente habitum fidei, qui in sensu composito sui erroris potest exercere actus fidei perfectæ, & credere super omnia propter revelationem divinam articulos fidei, sibi ad credendum sufficienter propositos: nam secundùm legem Dei ordinariam, qui habet habitum fidei, tandiu retinet illum, quandiu nihil habet incompossibile cum actu fidei perfectæ. Sed qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, etiam affectata, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, potest in sensu composito sui erroris exercere actus fidei divinæ, & credere super omnia alios fidei articulos, sibi ab Ecclesia sufficienter propositos: nam in sensu composito sui erroris habet voluntatem efficacem, absolutam & generalem amplectendi veritates omnes revelatas, & ut tales sibi ab Ecclesia sufficienter propositas; cùm habeat voluntatem efficacem, absolutam & generalem amplectendi objectum formale fidei, quoties sibi erit ab Ecclesia sufficienter propositum. Ergo, &c.

Obj. Ignorantia graviter culpabilis non excusat ab aliis peccatis: nam v. g. qui occidit hominem ex ignorantia graviter culpabili, reus est homicidii. Ergo nec excusat ab hæresi formali. *R.* neg. cons. Disparitas est, quia ad alia peccata requiritur & sufficit voluntarietas, quam non impedit ignorantia graviter culpabilis: nam ut actus legi repugnans, quà talis, sit tibi voluntarius, necesse non est ut actu advertas te facere contra legem, sed satis est, si advertere possis & debeas. Ad hæresim verò, præter voluntarietatem requiritur pertinacia, quam impedit ignorantia, etiam graviter culpabilis, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia; quia ad pertinaciam requiritur actualis scientia & advertentia, qua qui errat contra fidem, actu scit & advertit se contradicere Ecclesiæ.

Dices 1. Qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, peccat contra præceptum fidei. Ergo est formaliter hæreticus. *R.* dist. ant. Peccat contra præceptum fidei, non adhibendo debitam diligentiam, ad sciendas veritates à Deo revelatas, & ut tales ab Ecclesia propositas. C. ant. Peccat contra præceptum fidei, rejiciendo & contemnendo authoritatem Ecclesiæ, & objectum formale fidei sufficienter propositum, N. ant. & conseq. Nam ut quis sit formaliter hæreticus, requiritur ut in aliquo rejiciat & contemnat Ecclesiæ authoritatem, & objectum formale fidei sufficienter propositum ad credendum.

Dices 2. Qui errat contra fidem ex ignorantia, &c. contemnit authoritatem Dei revelantis, & Ecclesiæ. Ergo est hæreticus. *R.* dist. ant. Contemnit authoritatem Dei revelantis, & Ecclesiæ, non adhibendo sufficientem diligentiam, ne authoritati Dei revelantis & Ecclesiæ contradicat, & ita non exhibendo debitam reverentiam Deo & Ecclesiæ, C. ant. Rejiciendo in aliquo objectum formale fidei, sibi ab Ecclesia sufficienter propositum, & sic formaliter vel saltem virtualiter Deo revelanti, aut Ecclesiæ revelationes divinas proponenti denegando infallibilitatem, N. ant. & cons.

Itaque ut quis sit formaliter hæreticus, requiritur, ut rejiciat in aliquo objectum formale fidei, sibi ab Ecclesia sufficienter propositum, & sic virtualiter saltem Deo vel Ecclesiæ in materia fidei deneget infallibilitatem, quod non facit, qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, etiam affectata, quòd oppositum ab Ecclesia doceatur: nam è contra ita actu affectus est erga Dei & Ecclesiæ authoritatem, ut si articulus fidei, quem negat, ei ab Ecclesia sufficienter proponeretur ut revelatum, statim, errore depositio, illum amplecteretur, & firmissimè crederet propter revelationem sufficienter ab Ecclesia propositam. Unde actus, quo errat, & adhæret falso articulo, nequidem est virtualis negatio infallibilitatis Dei aut Ecclesiæ, nec est omninò absolutus, sed hanc tacitam conditionem includit, modò oppositum non sit à Deo revelatum, & ut tale ab Ecclesia sufficienter propositum.

Dices 3. Qui errat contra fidem ex ignorantia affectata, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, vult ignorare ex contemptu authoritatis Ecclesiæ, tanquam fallibilis in rebus fidei. Sed qui contemnit authoritatem Ecclesiæ, tanquam fallibilem in rebus fidei, est formaliter hæreticus. Ergo saltem ille est formaliter hæreticus, qui errat contra fidem ex ignorantia affectata, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia.

Res. neg. maj. Imò vult ignorare, quia certò credit Ecclesiam esse in proponendis revelationibus infallibilem, & ita vult ignorare, quia reveretur authoritatem Ecclesiæ in rebus fidei; & ita reveretur, ut si cognosceret oppositum ab ea doceri, statim vellet judicio ejus se submittere, & sic cogeretur deponere opinionem suam, quam amat, & quam, spectatis solis rationibus naturalibus, veram judicat, cum hac tamen, ut jam dictum est, tacita conditione, nisi oppositum sit à Deo revelatum, & ut tale sufficienter ab Ecclesia propositum. Ex quo apparet illum nullo modo contemnere authoritatem Ecclesiæ, tanquam errori obnoxiam in proponendis veritatibus fidei.

At inquies. Quid si errans contra fidem, ignorando quòd oppositum doceatur ab Ecclesia, affectaret ignorare ex contemptu authoritatis Ecclesiæ, tanquam fallibilis in rebus fidei? *R.* 1. Quòd non erraret contra fidem ex ignorantia, sed cum ignorantia, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia: nam tunc ignorantia non esset causa erroris ejus, nec esset ignorantia antecedens, sed merè concomitans: cùm enim contemnat authoritatem Ecclesiæ ut errori obnoxiam in rebus fidei, sublata ignorantia, & cognito sensu Ecclesiæ, adhuc permaneret in errore suo, & tandiù permaneret, quandiù retineret judicium illud, quo authoritatem Ecclesiæ, ut fallibilem, parvipendit.

Resp. 2. Quòd esset formaliter hæreticus, non præcisè propter actum erroneum, quo negaret articulum fidei, ut talem ab Ecclesia sufficienter propositum, sed propter illud prævium judicium erroneum, quo contemneret authoritatem Ecclesiæ, ut fallibilem in rebus fidei, ac proinde Ecclesiæ in rebus fidei infallibilitatem denegaret.

Dices 4. In aliis materiis peccatum commissum ex ignorantia graviter culpabili, est ejusdem speciei moralis, cum peccato commisso ex certa scientia. Ergo etiam in materia fidei. *R.* neg. conseq. Disparitas est, quia ad peccatum mortale hujus vel illius speciei moralis in aliis materiis, saltem ut plurimum sufficit actionis malæ voluntarietas, quam non impedit ignorantia graviter culpabilis. At verò ad hæresim, præter voluntarietatem actus, quæ ad peccatum mortale satis est, requiritur specialis notitia & advertentia revelationis divinæ, cui contradicitur, & sufficientis ejus

propo-

propositionis; quia sine hac notitia & advertentia error contra fidem potest quidem esse graviter malus & culpabilis, at non potest esse formalis aut virtualis negatio pertinax infallibilitatis Dei revelantis, aut Ecclesiæ revelationem divinam proponentis: quod tamen essentialiter requiritur ad hæresim.

Dices 5. Error contra fidem ex ignorantia culpabili sufficit ad paganismum & judaismum. Ergo sufficit etiam ad hæresim. *R.* dist. ant. Error contra fidem ex ignorantia culpabili sufficit ad paganismum & judaismum materialiter, C. ant. Ad paganismum & judaismum formaliter, N. ant. & conseq. Vel, si vis, dist. similiter cons. Ergo sufficit etiam ad hæresim materialiter, C. cons. Ad hæresim formaliter, N. cons. Duplex itaque distingui potest paganismus (idem dic de judaismo) nempe paganismus materialiter, & paganismus formaliter.

Paganismus formaliter consistit in infidelitate propriè dicta, & pellente habitum fidei, & est in eo, qui falsam idolorum religionem profitetur, quamvis vera religio sit ei sufficienter proposita, ut prudenter possit & debeat eam credere & amplecti, quam proinde rejicit & contemnit pertinaciter: unde ad paganismum formaliter requiritur pertinacia in rejicienda & contemnenda vera religione, quamvis sufficienter proposita ad obligationem illam credendi & amplectendi.

Paganismus materialiter consistit in errore culpabili, quo quis adhæret falsæ idolorum religioni, ex ignorantia culpabili veræ religionis, quæ scilicet non est ei sufficienter proposita, ut prudenter possit & debeat illam credere & amplecti, sed est sufficienter, ut debeat inquirere: quod cùm non faciat, ignorat culpabiliter, & sic ex ignorantia culpabili adhæret falsæ idolorum religioni, sed sine pertinaci rejectione & contemptu veræ religionis, quæ non est ei sufficienter proposita, ut illam prudenter credat & amplectatur. Unde in paganismo materialiter, non est pertinacia, sine qua tamen non potest esse infidelitas propriè dicta, & cum habitu fidei incompossibilis.

Similiter duplex distingui potest v. gr. Lutheranismus, nempe Lutheranismus materialiter, & Lutheranismus formaliter. Lutheranismus formaliter est infidelitas propriè dicta, & pellens habitum fidei, qua aliquis adhæret doctrinæ Lutheri, cum cognitione & advertentia, quòd oppositum doceatur ab Ecclesia Romana, ipsi per motiva credibilitatis sufficienter proposita, ut Ecclesia vera, & consequenter ut infallibilis in docendis veritatibus revelatis, quam proinde prudenter potest & debet credere esse veram Ecclesiam, & in proponendis veritatibus fidei infallibilem. Unde talis est formaliter hæreticus, quia pertinaciter rejicit & contemnit veritates fidei, erroribus suis contrarias sibi ad obligationem credendi sufficienter propositas, & pertinaciter negat infallibilitatem & veritatem Ecclesiæ Rom. sibi sufficienter propositæ ad obligationem credendi eam esse veram & infallibilem Ecclesiam.

Lutheranismus materialiter est error culpabilis, quo quis culpabiliter adhæret doctrinæ Lutheri ex ignorantia culpabili, quòd Ecclesia Romana, quæ oppositum docet, sit vera Ecclesia, & consequenter infallibilis in veritatibus fidei proponendis; in quantum veritas & infallibilitas Ecclesiæ Romanæ non est ei sufficienter proposita per motiva credibilitatis, ut prudenter possit & debeat illas credere, sed solùm ut prudenter possit & debeat de illis inquirere. Unde talis non est formaliter hæreticus, quia non rejicit veritates revelatas, ut tales sufficienter propositas ad obligationem credendi, sed solùm sufficienter ad obligationem inquirendi; nec rejicit veritatem & infallibilitatem Ecclesiæ Romanæ, quas teneatur immediatè credere, sed solùm de quibus teneatur immediatè inquirere; proindeque non habet pertinaciam ad formalem hæresim requisitam, & in eo sitam, quòd quis rejiciat & contemnat veritates fidei, ut tales ad credendum sibi sufficienter propositas per authoritatem Ecclesiæ veræ & infallibilis, ut talis ad credendum sufficienter propositæ per motiva credibilitatis, quam tamen esse veram & infallibilem Ecclesiam credere, eique ut tali deferre non vult, & nolendo pertinaciter rejicit, & contemnit.

Ex his autem observa, in hæreticorum regionibus non deesse, præsertim inter rudes, vel juniores, qui errorem cum lacte hauserunt à parentibus, & ubi nullum est publicum veræ religionis exercitium; non deesse, inquam, qui excusentur ab hæresi formali, ac proinde & ab excommunicatione in foro conscientiæ; quia scilicet non desunt qui errent, quamvis culpabiliter, absque pertinacia ad hæresim formalem requisita, quia errant ex ignorantia, quamvis culpabili, quòd Ecclesia Romana, cui contradicunt, sit vera & infallibilis Ecclesia, eò quòd Ecclesia Romana non est illis sufficienter proposita, ut prudenter possint & debeant credere illam esse veram & infallibilem Ecclesiam, sed solùm sufficienter, ut prudenter possint & debeant de ejus veritate & infallibilitate inquirere. Unde Ecclesiam Romanam esse veram & infallibilem Ecclesiam negant quidem culpabiliter, & negando, graviter peccant contra fidem, sed tamen negant absque pertinacia hæresis formalis constitutiva, qualis reperitur in iis omnibus, quibus Ecclesia Romana, ut vera & infallibilis Ecclesia, sufficienter proponitur ad obligationem credendi, & tamen nolunt credere.

Pauci porrò sunt inter hæreticos, saltem eos, qui regiones incolunt, in quibus permittitur vel toleratur veræ religionis exercitium, pauci, inquam, sunt qui sic ab hæresi formali excusari possint, quia tot & tanta, tam clara & obvia sunt motiva credibilitatis pro vera Ecclesia, ut passim sese offerant, & vel invitis oculos perstringant. Unde hæreticis communiter veritas & authoritas Ecclesiæ Romanæ sufficienter est proposita ad credendum; paucique censendi sunt esse, qui sine pertinacia, & consequenter sine formali hæresi Ecclesiam Romanam esse veram & infallibilem Ecclesiam agnoscere inficientur.

Dices denique 6. Quilibet actus de se graviter malus, charitati repugnat, eamque pellit, quamvis committatur ex ignorantia graviter culpabili. Ergo quilibet error culpabilis contra fidem, repugnat habitui fidei, illumque pellit, si is, qui errat, ex ignorantia graviter culpabili errat. *Resp.* neg. conseq. Nam actus de se graviter malus, ex ignorantia graviter culpabili commissus, habet specialem aliquam repugnantiam cum habitu charitatis, quam non habet cum habitu fidei error contra fidem ex ignorantia graviter culpabili: nam in sensu composito actus de se graviter mali, ex ignorantia graviter culpabili commissi, non potest exerceri actus perfectæ dilectionis, propter quem tamen datur & conservatur habitus charitatis. At in sensu composito erroris contra fidem ex ignorantia graviter culpabili, exerceri possunt actus fidei etiam perfectæ circa alios articulos, circa quos non erratur.

Mirum itaque non est, quòd habitus fidei, qui nobis datur ad exercendos actus perfectæ fidei, non pellatur per errorem contra fidem ex ignorantia graviter culpabili, & tamen habitus charitatis pellatur per quemlibet actum de se graviter malum, ex ignorantia graviter culpabili commissum: sicut etiam habitus fidei pellitur per quemlibet errorem contra fidem, conjunctum cum pertinacia, seu per quemlibet errorem contra fidem, conjunctum cum sufficienti scientia & advertentia, quòd oppositum doceatur à vera Ecclesia: cùm enim talis error sit saltem virtualiter negatio infallibilitatis Dei loquentis, vel Ecclesiæ res fidei proponentis, & incompossibilis sit cum voluntate absoluta & generali se submittendi authoritati divinæ sufficienter ad credendum propositæ, & ita sit incompossibilis cum omni actu fidei perfectæ, reddit inutilem habitum fidei, & habet cum illo specialem repugnantiam, qualem habet omne peccatum mortale cum habitu charitatis.

PARS

PARS SECUNDA.

DE SPE, ET CHARITATE.

DISPUTATIO PRIMA.

De Spe.

HÆC vox *Spes* variè in Scripturis divinis sumitur. Sumitur enim, 1. Pro rebus, quæ sperantur; ut in epist. ad Tit. cap. 2. *Expectantes beatam spem*. Et Rom. c. 8. *Spes, quæ videtur, non est spes*. 2. Pro eo, à quo bonum aliquod speramus; ut Psal. 90. *Tu es, Domine, spes mea*. Et Psal. 60. *Factus es spes mea, turris fortitudinis*. 3. Pro actu sperandi; ut Job c. 19. *Reposita est hæc spes in sinu meo*. 4. Pro habitu infuso, ad actum spei supernaturalem intrinsecè hominem habilitante.

Nota iterum. Spes, actualis scilicet, sumi potest dupliciter, latè & strictè. Spes latè sumpta, est cujuscumque futuri expectatio: unde tam est mali, quàm boni futuri. Spes verò propriè & strictè sumpta, non est nisi bonorum futurorum expectatio. Spes sumpta hoc modo, in genere definitur desiderium efficax boni absentis, ardui, possibilis obtineri, probabiliter obtinendi, cum quadam animi erectione, quæ vel in propriis, vel in alienis viribus fundatur, & vi cujus difficultates contemnuntur.

Hæc Spei descriptio probatur ex S. Thoma: nam sic loquitur 1. 2. qu. 40. art. 1. in O. *Circa objectum spei quatuor conditiones attenduntur. Primò, quòd sit bonum: non enim propriè loquendo, est spes nisi de bono, & per hoc differt spes à timore, qui est de malo. Secundò, ut sit futurum* (seu absens,) *non enim spes est de præsenti jam habito, & per hoc differt spes à gaudio, quod est de bono præsenti. Tertio requiritur quòd sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile: non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat, & per hoc differt spes à desiderio* (simplici, & pront ad concupiscibilem partem pertinet,) *vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolutè. Quartò, quòd illud arduum sit possibile adipisci: non enim aliquis sperat id quòd omnino adipisci non potest, & secundum hoc differt spes à desperatione*.

Adde, ad mentem S. Doctoris, & probabiliter obtinendi: quod enim certò judicatur non esse obtinendum, quantumvis judicetur esse secundùm se possibile, non potest desiderari efficaciter. Spes autem cùm sit motus voluntatis tendentis ad consecutionem boni absentis, & quidem talis, ut obtineri non possit nisi per media à sperante adhibita, est desiderium efficax, quod non negat S. Doctor articulo citato, cùm ait spem distingui à desiderio, illudque supponere: loquitur enim de simplici desiderio, hoc est, de motu appetitus, propendentis in bonum absens, præscindendo ab hoc, quòd sit arduum & possibile obtineri, ut patet ex resp. ad 3. ubi sic loquitur: *Objectum spei non tantùm addit possibilitatem super objectum desiderii, sed etiam arduitatem, quæ ad aliam potentiam facit spem pertinere, scilicet ad irascibilem, quæ respicit arduum*. Quare S. Doctor in re non aliud vult, quàm spem non esse desiderium simpliciter, sed esse desiderium cum addito, seu desiderium modificatum per certam animi erectionem, qua sic confortatur appetitus contra objecti absentis arduitatem, ut ea non obstante, in objecti absentis consecutionem tendat efficaciter, mediaque ad hunc finem idonea & necessaria adhibeat. Hanc esse S. Doctoris mentem patet ex 1. 2. quæst. 25. art. 1. in O. ubi ait: *Spes supra desiderium addit quendam conatum, & quandam elevationem animi ad consequendum bonum arduum*.

Spes itaque, juxta S. Doctorem, supra desiderium simplex addit quandam elevationem animi adversùs arduitatem objecti. Quod etiam evidenti ratione demonstrari potest. Nam spes essentialiter tendit in objectum absens arduum, quà arduum. Ergo spes versatur circa arduitatem objecti absentis, vel illam appetendo, & prosequendo; vel illam fugiendo, & propter illam ab objecti prosecutione resiliendo; vel denique contra illam appetitum erigendo & confirmando: quartus enim modus excogitari non potest, quo spes possit versari circa arduitatem objecti sui. Primum autem dici non potest; quia arduitas illa non habet rationem boni, sed mali. Secundum etiam non potest dici, quia non spei, sed desperationis est objecti arduitatem fugere, & propter illam ab objecti prosecutione resilire. Superest igitur ut spes versetur circa arduitatem objecti sui, adversùs illam insurgendo, & appetitum adversùs illam ita confortando, ut propter illam non deterreatur à proposito, sed è contra, illa contempta, velit efficaciter adhibere media ad objecti consecutionem necessaria.

Porrò hæc animi erectio contra difficultates, in objecti prosecutione occurrentes, quæ spei propria est, & per quam spes potissimùm differt à desperatione, quæ præter objecti fugam dicit quandam animi dejectionem, qua debilitatus appetitus resilit ab objecti prosecutione propter illius vel impossibilitatem, vel nimiam difficultatem; illa, inquam, animi erectio non est tendentia distincta à tendentia desiderii, quod dicit spes, sed pura & intrinseca hujus tendentiæ modificatio: sicut v. gr. evidentia & certitudo cognitionis, qua objectum evidenter & certò cognoscitur, est hujus cognitionis modificatio pura & intrinseca: non enim evidens & certa cognitio objecti est actus duplex, quorum unus sit objecti perceptio, & alter hujus perceptionis evidentia & certitudo, sed est unicus actus, qui per se & intrinsecè tali modo se habet ad objectum, cujus per se & intrinsecè est clara & certa perceptio.

Similiter desiderium efficax boni absentis, ardui, &c. cum animi erectione adversùs arduitatem hanc, non est duplex motus voluntatis, quorum uno voluntas tendat in consecutionem boni absentis, & altero se contra arduitatem illius erigat; sed est motus unicus & simplex, tali modo per se & intrinsecè ad boni absentis & ardui consecutionem se habens, hoc est, quo voluntas sic propendet in consecutionem boni absentis & ardui, ut non obstante ejus arduitate, velit adhibere, & ita velit, ut re ipsa adhibeat media ad bonum illud consequendum necessaria.

Nec dic spem non esse, sed præsupponere desiderium boni absentis & ardui, & esse tantùm actum, quo appetitus erigitur & confortatur contra arduitatem boni absentis, quod natura saltem priùs per alium actum desideratur. Nam quid est sperare, nisi velle sibi bonum aliquod arduum, quod absens est? At velle sibi bonum absens, est desiderare: desiderium enim est actus prosecutivus boni absentis, & in hoc differt, 1. Ab amore, qui est de bono, quà bono præcisè, præscindendo ab ejus absentia, sicut & ab ejus præsentia. 2. A delectatione seu gaudio, quod est de bono præsenti, quà tali.

Jam verò bonum illud absens, in quod quà tale voluntas tendit efficaciter, vel est arduum, vel non est arduum, sed obtentu facilè. Si non est arduum, tunc est simplex illius desiderium efficax: si verò arduum est, tunc est spes, quæ proinde est actus, quo voluntas in bonum absens & arduum, non obstante ejus arduitate, tendit efficaciter efficacia ipsam erigente & confirmante contra arduitatem illam; & per hoc spes differt à simplici desiderio efficaci, seu ab actu, quo voluntas prosequitur efficaciter bonum absens, sed minimè arduum, & obtentu facilè: hujus enim desiderii efficacia, & modus tendendi in objectum, ab efficacia spei, & ejus modo in objectum tendendi multùm differt, & ab ejus perfectione multùm deficit: nam valere non potest ad erigendam voluntatem contra objecti absentis arduitatem.

Unde simplex desiderium, quod est efficax respectu boni absentis, obtentu facilis, esset omninò inefficax relatè ad bonum absens, arduum, & obtentu difficilè, & cum tali desiderio boni absentis ac obtentu difficilis, stare posset desperatio.

Denique animi erectio, quam præter desiderium dicit spes, fundatur vel in propriis vel in alienis viribus: nam hæc animi erectio rectè dicitur fundari in eo, quod movet voluntatem ad contemnendam arduitatem objecti absentis, in quod tendit. Voluntas autem ad contemnendam arduitatem objecti, &c. movetur vel à propriis viribus, quando scilicet eas sibi sufficere judicat, vel ab auxilio alieno, quando judicat vires suas sibi non sufficere, sed aliunde adesse sibi auxilium sufficiens ad superandas difficultates, quæ occurrent in prosecutione objecti. Sed

Nota 3. Spes sic in genere definita, dividitur in naturalem, & supernaturalem seu theologicam. Naturalis est ea quæ tendit in bonum aliquod naturale, absens, arduum, &c. Supernaturalis verò & theologica est ea, quæ tendit in bonum supernaturale, absens, arduum, &c. Unde spes supernaturalis & theologica, de qua sola agitur in hac Disputatione, est desiderium efficax boni supernaturalis, & creaturam rationalem beare potentis, absentis, ardui, possibilis obtineri, & probabiliter obtinendi, cum quadam adversùs difficultates, in prosecutione talis boni occurrentes, animi erectione, fundata in auxiliis tum naturalibus tum supernaturalibus, promissis à Deo, qui summè potens est, misericors, summeque fidelis in iis quæ promisit, adimplendis. Hæc spei theologicæ descriptio patet maxima ex parte ex dictis de ipe in genere: cætera verò patebunt ex dicendis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam sit objectum materiale spei.

Nota. Virtutis appetitivæ objectum materiale duplex distingui potest, primarium scilicet, & secundarium. Primarium est illud, quod per se & propter se intenditur, cætera verò propter ipsum; unde vocatur etiam objectum materiale attributionis. Secundarium est illud omne, quod intenditur non propter se, sed propter aliud, quod per se & propter se intenditur: unde objectum materiale secundarium dicitur etiam objectum materiale attributum. Porrò in objecto materiali primario, si sit complexum ex pluribus, potest unum se habere ut principaliùs, & alterum ut minùs principale, quatenùs sic per se & propter se intenduntur per modum unius, ut tamen non intendantur æquè principaliter, quia non sunt æqualis inter se excellentiæ.

Nota iterùm. Objectum materiale primarium spei theologicæ esse supernaturalem hominis beatitudinem, facilè concedunt Doctores omnes scholastici, & manifestè significant Scripturæ divinæ pluribus locis. Nam dicitur Tob. 2. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est*. Et Rom. cap. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Et ad Tit. cap. 1. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus*. Quibus locis, & aliis similibus, Scriptura sacra manifestè assignat spei christianæ objectum materiale primarium, illudque constituit in vita illa æterna, quam promisit, qui non mentitur, Deus, & quam proinde perseverantibus usque in finem in statu gratiæ daturus est. Vita autem illa æterna aliud non est, quàm supernaturalis beatitudo, quam sancti, spreta temporali fœlicitate, expectant, & expectare non erubescunt, sed è contra de illa sua expectatione seu spe, tanquam sibi maximè honorifica, gloriantur. Sed

Nota 3. Supernaturalis beatitudo distinguitur duplex, objectiva scilicet, & formalis. Objectiva est Deus ipse, qua nostrum summum bonum est: formalis verò est Dei possessio seu fruitio, cujus essentiam alii in sola visione intuitiva, alii in visione intuitiva & amore beatifico, alii in visione intuitiva, amore, & gaudio beatifico constituunt; quæ sententiarum diversitas parvi aut nullius momenti est in præsenti materia, ubi agitur tantùm de assignando objecto materiali primario spei, circa quod tres sunt Scholasticorum sententiæ. Prima, quæ est Cajetani, & aliorum, vult objectum illud esse solam beatitudinem objectivam, seu solum Deum, ut est summum nostrum bonum: ita ut beatitudo formalis, seu possessio & fruitio Dei se habeat tantùm ut conditio sine qua Deus non posset esse objectum materiale spei. Secunda, quæ est Durandi, ponit objectum illud in sola beatitudine formali, seu in sola possessione & fruitione Dei. Tertia docet objectum illud esse complexum ex beatitudine objectiva & formali, seu complexum ex Deo & ejus possessione, in quo complexo Deus se habet ut principalius, ejus verò possessio ut minùs principale. Hanc sententiam tenent Doctores communissimè, & erit nostra. Itaque sit

Responsio I.

Objectum materiale primarium spei non consistit in sola beatitudine formali, seu in sola possessione Dei.

Prob. Objectum materiale primarium spei est summum nostrum bonum: nihil enim nisi summum nostrum bonum ordinatè possumus à Deo sperare primariò & principaliter. Atqui possessio Dei secundùm se sumpta, nec est nec potest esse summum nostrum bonum: nam summum nostrum bonum non potest esse aliquid creatum, qualis certè est possessio Dei secundùm se sumpta: sic enim sumpta, nihil dicit nisi actus vitales intellectus & voluntatis creatæ, quibus creatura intellectualis Deum possidet, eoque fruitur. Ergo, &c.

Responsio II.

Objectum materiale primarium spei non consistit in sola beatitudine objectiva, seu non consistit in Deo secundùm se sumpto, & præciso ab actibus, quibus eum possidemus, eoque fruimur.

Prob. Objectum materiale primarium spei est bonum nostri summè perfectivum. Atqui Deus non secundùm se, sed ut à nobis possessus, & ut per actus beatificos nobis intimè conjunctus, est bonum nostri summè perfectivum. Ergo objectum materiale primarium spei non est Deus secundùm se sumptus; & Deus vel non est omninò objectum materiale spei, vel non est, nisi ut à nobis possidendus, nobisque per actus beatificos intimè conjungendus. Sed sit

Responsio III.

Objectum materiale primarium spei consistit in beatitudine objectiva, seu in Deo, tanquam in parte principaliori.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Genes. cap. 15. Abram dicit Deus: *Ego ..... merces tua magna nimis*; quibus verbis Deus se ipsum ut præmium bonorum operum promittit. Unde S. Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 30. sic loquitur: *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, & qui se ipsum, quo melius & majus nihil possit esse, promisit*. Ex quibus sic argumentor. Illud ad objectum materiale primarium spei pertinet, quod nobis à Deo promissum est ut præmium virtutum, & bonorum operum: illud enim primariò sperare possumus & debemus. Atqui Deus se ipsum ut præmium virtutum & bonorum operum promisit, & re ipsa omnibus in finem usque bene operantibus daturus est. Ergo ad objectum materiale primarium spei pertinet Deus. Pertinet autem ut pars principalior; cùm sit id, quo melius & majus nihil potest esse, adeòque sit summum præmium virtutum & bonorum operum.

Prob. 2. Ex ipsa natura spei theologicæ. Illud ad objectum materiale primarium spei pertinet, & quidem ut pars ejus principalis, quod debemus sperare princi-

principaliter. Atqui debemus principaliter sperare ipsum Deum: cùm enim per spem theologicam speremus in Deum seu à Deo, & quidem ordinatè, spes enim theologica essentialiter ordinata est; nec possîmus in Deum seu à Deo ordinatè sperare, nisi bonum quod ab eo speramus principaliter, sit proportionatum auxiliatrici ejus virtuti, cui spes nostra innititur, & quæ infinita est, adeòque nos potest ad infinitum bonum producere: ad spem theologicam requiritur essentialiter, ut bonum quod principaliter speramus, sit bonum infinitum; proindeque vel non habemus spem theologicam, vel bonum quod principaliter speramus, est bonum infinitum. Atqui bonum hoc infinitum aliud esse non potest, quàm Deus ipse. Ergo, &c.

Hoc argumentum est S. Thomæ 2. 2. q. 17. art. 2. in O. *Spes* (theologica) *attingit Deum, innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem effectum esse causæ proportionatum, & ideò bonum quod propriè & principaliter à Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinita virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit.* Cùm autem S. Doctor ait vitam æternam in fruitione ipsius Dei consistere, manifestè Deum ponit in obliquo grammaticaliter tantùm, & perinde est ac si diceret, vitam æternam consistere in ipso Deo possesso, & nobis per actus beatificos intimè conjuncto.

Responsio IV.

Objectum materiale primarium spei consistit etiam in beatitudine formali, seu in possessione Dei, tanquam parte minùs principali.

Prob. Nam ex Resp. III. objectum materiale primarium spei est Deus, & ex Resp. II. non est Deus præcisè & secundùm se sumptus. Ergo superest, ut objectum materiale primarium spei sit Deus ut à nobis possidendus & fruendus. Ergo ad objectum materiale primarium spei, præter Deum ipsum pertinet ejus possessio & fruitio: quid enim est Deus ut possidendus & fruendus, nisi complexum ex Deo & ejus possessione ac fruitione? Et quid est sperare Deum ut possidendum ac fruendum, nisi sperare Deum & ejus possessionem ac fruitionem?

Spes igitur theologica tendit simul & indivisibiliter, tanquam in objectum suum materiale primarium, in Deum & ejus possessionem; & objectum materiale primarium spei adæquatè sumptum, est supernaturalis beatitudo, adæquatè sumpta, hoc est, complexum ex beatitudine objectiva & formali, id est, complexum ex Deo & ejus possessione ac fruitione, in quo complexo Deus se habet per modum partis principalioris, ejus verò possessio ac fruitio per modum partis minùs principalis: unde spes theologica, quæ essentialiter ordinata est, ita simul & indivisibiliter tendit tanquam in objectum suum primarium, in Deum & ejus fruitionem, ut principaliùs intendat Deum, nec Deum propter ejus possessionem, sed possessionem Dei propter ipsum Deum intendat.

Responsio V.

Objectum materiale secundarium spei sunt ea omnia bona creata, tam supernaturalia, quàm naturalia, quæ nobis ad consequendam beatitudinem necessaria, vel utilia esse possunt.

Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 2. ad 2. ubi sic loquitur: *Quæcumque alia bona non debemus à Deo petere nisi in ordine ad beatitudinem æternam. Unde & spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam. Alia verò quæ petuntur à Deo, respicit secundariò in ordine ad beatitudinem æternam: sicut & fides principaliter quidem respicit Deum, & secundariò respicit ea, quæ ad Deum ordinantur.*

Ratio autem à priori est, quia ad eandem virtutem pertinet velle finem & media; primariò quidem finem, media verò secundariò. Ergo ad eandem virtutem pertinet velle primariò beatitudinem æternam, & secundariò auxilia divina ad consecutionem beatitudinis æternæ conducentia. Hinc illud Apostoli ad Hebr. cap. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quibus verbis significat Apostolus, veniam peccatorum, & alia beneficia divina, ad consecutionem vitæ æternæ conducentia, pertinere ad objectum materiale totale spei, eorumque spem esse conditionem necessariò prærequisitam ad hoc ut debitè petantur à Deo, & ab eo impetrentur.

Articulus II.

Solvuntur objectiones.

Obj. contra I. Resp. Non possumus sperare Deum. Ergo possumus tantùm sperare possessionem & fruitionem Dei. Ergo objectum materiale primarium spei consistit adæquatè in Dei possessione & fruitione. *Prob. ant.* Nam cùm spes supponat amorem concupiscentiæ & quidem ordinatum & honestum, possumus tantùm ea sperare, quæ possumus ordinatè & honestè amare amore concupiscentiæ. Atqui non possumus ordinatè & honestè amare Deum amore concupiscentiæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam amando Deum amore concupiscentiæ, amaremus illum propter nos. Atqui non possumus ordinatè & honestè amare Deum propter nos. Ergo, &c.

Ad obj. Resp. neg. ant. *Ad prob. ant.* neg. min. *Ad prob. min.* neg. maj. Nam amando Deum amore illo concupiscentiæ, quem supponit, & in quo fundatur spes theologica, non amamus eum propter nos, qui modus amandi Deum esset inordinatus & inhonestus, sed, quod proculdubio ordinatum est & honestum, amamus eum nobis. Et verò quare non possemus ordinatè & honestè nobis amare id quod est nostrum summum bonum? Deus autem summum nostrum bonum est.

Dices. Non possumus amare amore concupiscentiæ, nisi id quod est nostrum bonum formale. Atqui non Deus, sed conjunctio cum Deo est nostrum bonum formale: non enim per Deum, sed per actus, quibus cum Deo conjungimur, formaliter & intrinsecè perficimur. Ergo, &c. *Resp.* Supponendo quòd per bonum formale illud omne & solum bonum intelligatur, quod per modum formæ nobis inhærentis nos perficit, neg. maj. & dico amorem concupiscentiæ, quem spes theologica supponit, versari non solùm circa bonum nostrum formale, sed etiam circa bonum nostrum objectivum; imò principaliùs versari circa objectivum, quàm circa formale. Deus autem est summum nostrum bonum objectivum: actus verò, quibus conjungimur cum Deo, sunt bonum nostrum formale. Unde amor concupiscentiæ, quem supponit spes theologica, non modò versatur, sed etiam principaliùs versatur circa Deum, quàm circa actus beatificos, qui nos cum Deo conjungunt. Pro quo

Nota. Deus ab actibus quibus cum eo conjungimur, non habet ut sit bonum nostrum, sed hoc habet per se & secundùm se, licèt non omninò absolutè, sed ut nobis per actus beatificos conjungibilis. At è contra actus beatifici, quibus cum Deo conjungimur, habent ab eo, ut sint bona nostra: non enim sunt bona nostra, nisi quia nos conjungunt cum Deo, qui per se & secundùm se, quamvis non prorsus absolutè, nostrum summum bonum est. Unde cùm amor concupiscentiæ, quem spes theologica supponit, supernaturalis sit, adeòque essentialiter ordinatus, per illum ita simul & indivisibiliter amamus nobis Deum, & actus quibus conjungimur cum Deo, ut non Deum propter actus illos, sed actus illos propter Deum nobis amemus, hoc est, ut nobis amemus actus illos, quia nos conjungunt cum Deo,

quem nobis amamus, non quia per actus illos nobis conjungitur, sed quia nostrum summum bonum est, quamvis eum ut summum nostrum bonum nobis nec amaremus, nec amare possemus, si non esset nobis per actus illos conjungibilis.

Obj. 2. *contra eand. Resp.* Bonum quod speratur, est futurum & arduum. Atqui Deus non est futurus, sed ejus possessio. Item Deus non est quid arduum & difficilè, sed ejus consecutio. Ergo bonum quod speramus, non est Deus, sed ejus consecutio & possessio. *Resp.* Deum quidem secundùm se non esse quid futurum, cùm secundùm se semper sit præsens; sed quà nobis præsentem per actus beatificos, esse respectu nostri bonum futurum: nondùm enim nobis per actus beatificos præsens est, sed solùm potest esse, & probabiliter erit. Item Deus non quidem secundùm se præcisè, sed quà per bona nostra merita consequendus, est quid arduum & difficilè. Unde sequitur tantùm, quòd speremus Deum, non secundùm se, & prorsùs absolutè sumptum, sed ut futurum nobis præsentem per actus beatificos, & ut à nobis per bona nostra merita consequendum.

Obj. 3. *contra eand. Resp.* Idem est objectum materiale spei in via, & delectationis, quæ succedit spei in patria. Sed objectum materiale hujus delectationis non est Deus, sed possessio Dei. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia delectatio, quæ est de Deo in patria, non respondet spei, sed charitati. *Resp.* Conced. maj. neg. min. Objectum igitur materiale delectationis, quæ succedit spei, eique respondet in patria, non est quidem Deus præcisè, seu Deus secundùm se & omninò absolutè sumptus, sed est Deus ut nostrum summum bonum jam consecutum, & nobis per actus beatificos præsens; adeòque objectum materiale delectationis illius non est solus Deus, neque sola consecutio & possessio Dei, sed complexum ex Deo, quà summum bonum nostrum est, & ejus consecutione ac possessione.

Sicut igitur in via speramus simul & indivisibiliter Deum, quà summum bonum nostrum est, & ejus consecutionem ac possessionem, possibilem, & probabiliter futuram: ita in patria per delectationem, quæ succedet & respondebit spei, simul & indivisibiliter delectabimur de Deo, quà summo nostro bono, & ejus consecutione ac possessione jam præsente, principaliùs quidem de Deo, minùs verò principaliter de ejus consecutione seu possessione; quia non de Deo propter ejus consecutionem præsentem, sed de præsenti consecutione Dei propter ipsum Deum, quia summum nostrum bonum est, delectabimur: sicut in via non in Deum, quà bonum nostrum est, propter ejus possessionem possibilem & probabiliter futuram, sed in possessionem Dei possibilem & probabiliter futuram, propter ipsum Deum, quà bonum nostrum est, tendimus. Unde in via per spem ita tendimus simul & indivisibiliter in Deum, quà bonum nostrum est, & ejus possessionem probabiliter futuram, ut Deum, quà bonum nostrum est, principaliùs intendamus.

Obj. 4. *contra eand. Resp.* Idem est objectum materiale spei & desperationis: contraria enim circa idem objectum versantur: spes autem & desperatio sunt duo contraria. Atqui objectum materiale desperationis non est Deus ipse, sed ejus consecutio: non enim Deus, sed ejus consecutio desperatur. Ergo, &c. *Resp.* nego min. & dico, objectum materiale desperationis esse Deum, & ejus possessionem absentem; nam desperatur Deus, non quidem secundùm se & absolutè sumptus, sed ut possidendus; quia scilicet Deus ut possidendus, apprehenditur ut bonum obtentu impossibile, vel saltem nimis arduum ac difficilè.

Dices. Non est aliud objectum materiale desperationis, quàm tristitiæ damnatorum. Atqui objectum materiale tristitiæ damnatorum non est Deus ipse, sed ejus visio; non enim tristantur de Deo, sed de ejus visione, qua in æternum privantur. Ergo, &c. *Resp.* nego min. Nam damnati tristantur de Deo, non quidem secundùm se & absolutè sumpto; Deus enim sic sumptus nullam habet rationem mali; sed ut sibi in æternum sua culpa amisso. Deus enim, qui summum nostrum bonum est, & quem damnati consequi potuerunt, in æternum tamen ipsis ipsorum culpa amissus, habet respectu illorum rationem summi mali.

Itaque sicut beati in cœlo delectantur de Deo ut summo suo bono in æternum consecuto, ita ut hæc delectatio sit simul & indivisibiliter de Deo & ejus possessione in æternum consecuta; ita damnati in inferno tristantur de Deo ut summo suo bono in æternum sua culpa amisso; ita ut hæc tristitia sit simul & indivisibiliter de Deo & ejus possessione in æternum amissis.

At inquies. Damnati nec tristantur, nec tristari possunt, nisi de suo malo. Atqui neque Deus, neque ejus visio est malum damnatorum, sed culpabilis amissio utriusque. Ergo neque Deus, neque visio Dei est objectum tristitiæ damnatorum, sed est utriusque amissio culpabilis. *Resp.* In re amissionem Dei nihil aliud esse, quàm Deum amissum; & amissionem visionis Dei nihil aliud esse, quàm visionem Dei amissam. Unde cùm dicitur culpabilem Dei & ejus visionis amissionem esse malum damnatorum, perinde est ac si dicatur, Deum, qui summum nostrum bonum est, & ejus visionem ut culpabiliter amissos, esse malum damnatorum. Sicut igitur Deus beatis per visionem beatificam in æternum præsens, est eis quid maximè delectabile, & materia maximæ delectationis: à contrario Deus damnatis per carentiam visionis beatificæ in æternum absens, est eis quid maximè afflictivum, & tristitiæ maximæ materia.

Obj. 5. *contra IV. Resp.* Deus est ens increatum, & visio ejus (idem dic de aliis actibus beatificis, quibus Deo fruimur) est quidem creatum. Atqui creatum cum increato non potest coalescere in idem objectum ejusdem virtutis. Ergo objectum materiale primarium spei non potest esse complexum ex Deo & visione Dei, &c.

Resp. neg. min. Nam verbi gratia revelatio interna est quid increatum, & externa quid creatum, & tamen revelatio externa cum interna coalescit in idem objectum formale ejusdem virtutis, nempe fidei: coalescit autem, quia ex intentione Dei loquentis, ordinem habet ad revelationem internam, quæ nihil aliud est, quàm divina alicujus objecti cognitio, eamque relatè ad nos complet in ratione testimonii divini, sub qua ratione pertinet ad fidem ut objectum ejus formale.

Similiter, & à fortiori, visio Dei (idem dic de aliis actibus beatificis) cùm sit quid supernaturale & divini ordinis, habeatque non extrinsecum, sed intrinsecum ordinem ad Deum sub ea ratione, sub qua potest esse objectum materiale primarium spei, hoc est, ad Deum ut summum nostrum bonum à nobis possidendum, cum Deo coalescere potest, & necessariò coalescit in idem ejusdem virtutis, nempe spei, objectum materiale primarium, veluti quoddam illius complementum in hac ratione, hoc est, in ratione objecti materialis primarii virtutis spei.

Dices. Si præter Deum ipsum aliquid creatum, nempe visio Dei cum aliis actibus beatificis, pertinet ad objectum materiale primarium spei, spes non est virtus theologica. Absurdum cons. Ergo, &c. *Resp.* neg. seq. maj. Nam ad virtutem theologicam minimè requiritur, ut nihil nisi increatum reperiatur in ejus objecto materiali primario; sed sufficit in hoc objectum sit saltem ex parte aliquid increatum, & hoc increatum principaliùs intendatur: ita ut nonnisi propter ipsum intendatur creatum illud, quod cum ipso in unum objectum materiale primarium coalescit. Sicut ad virtutem theologicam non requiritur ut in ejus objecto formali nihil sit nisi increatum: sed sufficit ut hoc objectum sit saltem ex parte aliquid increatum, quod principaliter moveat: ita ut creatum, quod cum eo coalescit in unum objectum formale, nonnisi in virtute ipsius moveat, ut patet in

fide

fide divina, ad cujus objectum formale præter veracitatem divinam & revelationem internam, pertinet aliquid creatum, nempe revelatio externa, & nihilominùs est virtus theologica; quia in ejus objecto formali revelatio interna cum veracitate divina principaliter movet, externa verò revelatio nonnisi in virtute utriusque.

Obj. 6. Non possumus sperare beatitudinem æternam. Ergo perperam dicitur beatitudo æterna esse objectum materiale spei. Neg. ant. *Probabis*. Non possumus sperare perseverantiam finalem. Ergo non possumus sperare beatitudinem æternam. Conf. patet: nam perseverantia finalis & consecutio beatitudinis æternæ sunt duo inter se necessariò connexa, & quorum proinde unum sine altero sperari non potest. Neg. ant. *Probabis*. Non possumus sperare id, quod credere non possumus nos habituros esse: spes enim præsupponit essentialiter actum fidei de suo objecto. Atqui credere non possumus nos habituros esse perseverantiam finalem: quòd enim Deus nobis eam donaturus sit, à Deo revelatum non est, & est res planè dubia & incerta. Ergo non possumus sperarè perseverantiam finalem.

Resp. dist. maj. Non possumus sperare id, quod credere non possumus nos habituros esse, etiam sub aliqua conditione, C. maj. Quod credere non possumus nos habituros esse absolutè, N. maj. *Ad min. R.* Non possumus quidem credere, perseverantiam finalem nos habituros esse absolutè, quia sic perseverantiam finalem nos habituros esse, credere non possumus sine expressa revelatione, quòd Deus eam re ipsa nobis donaturus sit, qualem revelationem non habemus publicè factam & propositam Ecclesiæ. Unde illi tantùm, qui rari admodum sunt, iique eximiè sancti, credere possunt perseverantiam finalem habituros se esse absolutè, quibus Deus privatim revelat, eos re ipsa finaliter esse perseveraturos. At possumus & debemus credere, perseverantiam finalem habituros nos esse sub hac conditione, si gratiæ Dei non defuerimus; quod sufficit ut possimus & debeamus sperare perseverantiam finalem. Ad hoc enim ut possimus, & consequenter debeamus sperare perseverantiam finalem, non requiritur ut sit certò futura absolutè, sed planè sufficit, quòd sit certò futura conditionatè: est autem certò futura conditionatè, & possumus credere, eam nos habituros esse, si non defuerimus gratiæ Dei.

Porrò quòd possumus credere, perseverantiam finalem nos habituros esse sub hac conditione, docet Tridentina Synodus sess. 6. cap. 13. ubi de perseverantia finali loquens, sic ait: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim nisi illi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.*

ARTICULUS III.

Quodnam sit objectum formale spei theologicæ.

Nota. Circa hanc quæstionem triplex est potissimùm sententia. Prima objectum formale spei ponit in bonitate respectiva Dei, seu in Deo ut summum nostrum bonum est. Secunda in virtute Dei auxiliatrice, seu in Deo ut auxiliatore. Tertia in utroque, hoc est, in bonitate Dei respectiva, & ejus virtute auxiliatrice. Pro qua sententia, quæ erit nostra,

Nota iterùm. Spes theologica est actus virtualiter duplex, seu, quod idem est, est actus æquivalens duobus actibus, quorum unus esset tantùm desiderium efficax beatitudinis, & alter esset tantùm erectio voluntatis adversùs beatitudinis arduitatem, seu adversùs difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes. Unde jam apparet oportere, ut spei theologicæ duplex sit virtualiter objectum formale; vel, si vis, ut spei theologicæ duplex sit objectum formale, in unum tamen totale coalescens: aliud enim ad desiderandum objectum, & aliud ad contemnendas difficultates in prosecutione objecti desiderati occurrentes, voluntatem movere debet. Sit itaque

Responsio I.

Objectum formale spei, ut est desiderium efficax beatitudinis, est bonitas Dei respectiva.

Prob. Nam spes, ut est desiderium beatitudinis, tendit in Deum, ut bonus est: omne enim desiderium est motus voluntatis prosecutivus, & omnis motus voluntatis prosecutivus tendit in bonum aliquod, quà bonum est. Ergo spes, ut est desiderium beatitudinis, tendit in Deum vel ut est in se bonus absolutè, vel ut nobis bonus est. Atqui non tendit in Deum, ut est in se bonus absolutè: hic enim tendendi modus in Deum proprius est charitatis, cujus proinde objectum formale est bonitas Dei absoluta. Ergo tendit in Deum ut nobis bonus est, adeòque objectum formale principale spei, ut est desiderium beatitudinis, est bonitas Dei relativa.

Confirmatur ex S. Thoma 2. 2. qu. 17. art. 8. in O. ubi distinguit duplicem amorem, unum scilicet perfectum, & alterum imperfectum: perfectum quidem, quo aliquis amatur propter bonitatem absolutam, cui proinde bonum vult is, qui amat; imperfectum verò, quo res aliqua amatur propter bonitatem relativam: unde vi hujus amoris, is qui amat, non vult bonum aliquod rei amatæ, sed ipsam rem amatam sibi vult, quia ipsi bona est. Primus amor charitatis est & benevolentiæ; secundus verò concupiscentiæ. Ad hunc autem, juxta S. Doctorem, non ad illum amorem pertinet spes theologica, ut est desiderium; quia ille, qui sperat, sibi, & non alteri bonum desiderat; adeòque desiderat bonum quod amat, non propter bonitatem absolutam, sed propter relativam, sive quod amat quia sibi bonum, non quia in se bonum est. Vide S. Thomam.

Dices. Saltem objectum formale spei, ut est desiderium beatitudinis, non consistit in sola bonitate Dei respectiva, sed etiam ad illud pertinet bonitas respectiva actuum beatificorum, quibus conjungimur cum Deo, eoque fruimur. Spes enim, ut est desiderium beatitudinis, non solùm tendit in Deum, sed etiam in actus beatificos; adeòque sicut tendit in Deum propter bonitatem ejus respectivam, ita & dici debet tendere in actus beatificos propter respectivam eorum bonitatem.

Resp. Spem, ut est desiderium beatitudinis, simul quidem & indivisibiliter tendere in Deum & actus beatificos, sed ita tendere simul & indivisibiliter, ut in Deum principaliùs tendat, hoc est, ut tendat in actus beatificos propter Deum, ut per illos possidendum, in Deum verò propter solam bonitatem ejus respectivam. Unde sola bonitas Dei respectiva est id, quod in spe movet voluntatem ad tendendum in Deum ut possidendum & fruendum, seu, quod idem est, ad tendendum simul & indivisibiliter in Deum, ac possessionem & fruitionem ejus; adeòque sola bonitas Dei respectiva est objectum formale spei: actuum verò beatificorum bonitas respectiva ad objectum materiale spei pertinet, quia in spe non est id, propter quod desideratur aliquid, sed est id, quod propter aliud desideratur, in quo ut per se desiderato sistit voluntas: voluntas enim in spe actus beatificos cum sua bonitate respectiva, seu cum vi, quam habent, nos cum summo bono conjungendi, desiderat propter respectivam summi boni bonitatem, in qua per se desiderata sistit ultimò.

Responsio II.

Objectum formale spei, ut est erectio voluntatis adversùs difficultates, est virtus Dei auxiliatrix, per divinas promissiones quodam modo obligata nobis.

Prob. 1. Ex Scriptura divina: nobis enim proponit virtutem Dei auxiliatricem, ut motivum spei; ut Psalm. 17. ubi dicitur: *Dominus firmamentum meum,*

& refugium meum, & liberator meus. Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Atqui Scriptura non proponit nobis virtutem Dei auxiliatricem tanquam motivum spei, præcisè ut est desiderium beatitudinis: spei enim sic sumptæ motivum Deus est, quà summum est bonum nostrum, ut supra ostensum est. Ergo, &c.

Prob. 2. Spes, ut est animi erectio, est virtus theologica. Ergo habet pro objecto formali saltem primario Deum. Ergo vel Deum ut primam veritatem revelantem, vel Deum ut in se bonum, & propter se amabilem, vel Deum ut nobis summè bonum, vel denique Deum ut auxiliatorem. Non primum: nam Deus, ut est prima veritas revelans, est objectum formale fidei divinæ, quæ est actus intellectus, non voluntatis, & quà, si vis, firmissimè credimus, Deum ad nobis auxiliandum & potentissimum & paratissimum esse. At hoc actu neque erigitur, neque erigi potest formaliter voluntas, sed solùm necessariò & essentialiter præsupponitur actui voluntatis, quo voluntas se ipsam formaliter erigit. Non secundum: Nam Deus, ut est amabilis propter se, est objectum formale charitatis. Non tertium: nam Deus, ut est nobis bonus, est tantùm objectum spei, ut est desiderium beatitudinis. Ergo superest ut Deus, quà auxiliator, sit objectum formale spei, sumptæ ut est voluntatis erectio. Quod

Declaratur amplius. Nam spei, ut est voluntatis erectio, Deus est objectum formale sub ea tantùm ratione, sub qua beatitudinem de se maximè arduam, & viribus naturalibus planè impossibilem, reddit possibilem, imò & certò futuram sub conditione cooperationis nostræ. Atqui Deus hoc non præstat, nisi ut auxiliator potentissimus, & ad subveniendum paratissimus. Unde, ut propria experientia convincimur, non excitamur ad sperandam beatitudinem, non obstantibus difficultatibus in ejus consecutione occurrentibus, nisi ex consideratione omnipotentiæ, misericordiæ, & fidelitatis Dei in suis promissis; & quærenti quare beatitudinem speramus, non obstante maxima ejus arduitate, respondemus nos sperare, quia Deus omnipotens, summè misericors, summeque in suis promissionibus implendis fidelis, auxilia nobis idonea promisit; sive, quod idem est, respondemus nos sperare, quia Deus & potentissimus est, & paratissimus ad præstanda nobis auxilia, quibus si rectè, ut possumus, usi fuerimus, infallibiliter consecuturi sumus beatitudinem. Ergo, &c.

COROLLARIUM.

Spei theologicæ objectum formale adæquatum constitit in complexo ex bonitate Dei respectiva, & ejus infinita virtute auxiliatrice, nobis quodam modo obligata per promissiones divinas.

Patet ex dictis hactenùs. Hoc autem utrumque motivum in sua ratione ultimum est & completum: spes enim, ut est desiderium beatitudinis, habet pro motivo totali bonitatem Dei respectivam, in qua sistit ultimò; & ut est erectio animi, habet pro motivo totali saltem primario, virtutem Dei auxiliatricem, in qua pariter ultimò sistit. Hæc tamen motiva rectè dicuntur coalescere in unum objectum formale adæquatum spei, quia simul & indivisibiliter cum mutua dependentia suo modo in spem influunt: nam neutrum ante alterum movet, & neutrum sine altero sufficit ad actum spei: unde sic sunt causæ totales in suo genere relatè ad effectum inadæquatè & diversimodè consideratum, ut sint tantùm causæ partiales relatè ad effectum adæquatè sumptum; partiales, inquam, non solùm partialitate causæ, quatenùs neutra sine altera sufficit ad actum spei, sed etiam partialitate effectus, quatenùs una tantùm influit in spem, ut est desiderium beatitudinis, & altera tantùm influit in spem, ut est erectio animi. Quare tam, imò magis ex illis fit una causa motiva spei adæquata & totalis simpliciter, quàm v. gr. ex gratia & voluntate humana fit una causa efficiens actus salutaris adæquata & totalis simpliciter.

Obj. contra II. Resp. Virtus Dei auxiliatrix pertinet ad spem, ut est desiderium. Ergo non ad eam pertinet, ut est erectio. *Resp.* Virtutem Dei auxiliatricem, ut est nobis bona, seu ut est perfectio, qua frui possumus per actus beatificos, pertinere ad spem ut est desiderium: sub hoc enim respectu est de complexo perfectionum divinarum, quod per spem desideramus propter bonitatem ejus respectivam: sicut sumpta ut est in se bona bonitate absoluta, pertinet ad charitatem, quia pertinet ad idem complexum perfectionum divinarum, prout per se amabile est & propter se. At sumpta ut reddit beatitudinem possibilem, & probabiliter futuram, pertinet ad spem, ut est erectio: sub hoc enim respectu est motivum, quo voluntas erigitur contra difficultates, & contra desperationem confirmatur in prosecutione beatitudinis desideratæ.

Obj. Si objectum formale spei non consistit in sola bonitate respectiva Dei, sed præter illam dicit etiam virtutem Dei auxiliatricem, in spe diversæ sunt honestates; una scilicet, quæ relucet in amando Deo, quia summum bonum nostrum est, & altera quæ relucet in erigendo animo propter virtutem Dei auxiliatricem. Absurdum cons. Nam diversæ honestates pertinent ad diversas virtutes, & per honestatum diversitatem virtutes diversificantur. Ergo, &c. *Resp.* dist. seq. maj. Si objectum formale, &c. in spe sunt diversæ honestates, quarum una ad alteram pertinet, ut aliquid ipsam intrinsecè modificans, & modificando coalescens cum ea in unam totalem honestatem, C. seq. maj. Quarum una non sic pertinet ad alteram, N. seq. maj.

Itaque in spe sicut erectio est pura & intrinseca modificatio desiderii: ita honestas erectionis est pura & intrinseca modificatio honestatis desiderii. Unde in spe sicut desiderium & erectio non sunt duo tendentiæ, sed unica tali modo se habens: ita honestas erectionis & honestas desiderii non sunt honestates duæ, pertinentes ad actus duarum & diversarum virtutum, sed honestas unica unius & ejusdem virtutis, tali modo se habentis, & tendentis in objectum suum, hoc est, unius & ejusdem virtutis, simul & indivisibiliter beatitudinem desiderantis non solùm efficaciter propter bonitatem Dei respectivam, sed etiam, non obstante maxima ejus arduitate, firmiter & confidenter propter virtutem Dei auxiliatricem. Qui modus tendendi in objectum, virtualiter duplex, ita ad spem requiritur, ut sine illo spem esse repugnet.

Obj. Saltem virtus Dei auxiliatrix sufficere potest sola ad objectum formale spei. Neg. *Probabis.* Potest voluntas elicere actum fiducialitatis in Deum, habentem pro motivo solam virtutem Dei auxiliatricem. Ergo, &c.

Resp. 1. neg. cons. Nam supposito quòd possit dari talis actus fiducialitatis in Deum, non erit spes theologica, cui essentiale est tendere in Deum non solùm ut auxiliatorem, sed etiam, & quidem principaliùs, ut summum bonum nostrum: unde essentiale est spei theologicæ, ut habeat pro motivo, & quidem principaliori, bonitatem Dei respectivam.

Resp. 2. neg. ant. Nam actus fiducialitatis est essentialiter actus voluntatis prosecutivus alicujus objecti; adeòque quando ex amore concupiscentiæ oritur, essentialiter est actus prosecutivus alicujus objecti, quà nobis boni. Ergo quando ex amore concupiscentiæ oritur, habet essentialiter pro motivo partiali bonitatem respectivam alicujus objecti. Ergo quando ex amore concupiscentiæ oritur, & est fiducialitas in Deum, vel habet pro motivo partiali bonitatem respectivam Dei, & tunc est spes theologica; vel habet pro motivo partiali bonitatem respectivam alicujus boni creati, ad Deum non relati, & tunc non est actus spei theologicæ, sed alterius virtutis spe theologica inferioris. Pro quo

Nota. Possumus à Deo bonum aliquod creatum spera-

sperare dupliciter. 1. Desiderando bonum illud, quia nobis utile est ad consecutionem beatitudinis, quam eodem actu appetimus propter bonitatem ejus respectivam, in qua sistimus. 2. Desiderando bonum illud propter bonitatem ejus respectivam, in ea præcisè sistendo. Si primo modo speramus bonum creatum à Deo, actus ille quo speramus, est spes theologica. Si secundo modo bonum creatum à Deo speramus, actus ille quo speramus, non est actus spei theologicæ, sed virtutis spe theologica inferioris. Ratio disparitatis est, quia non secundus, sed primus tantùm actus est ex objecto formali adæquato spei theologicæ: primus enim actus habet pro motivo bonitatem respectivam Dei cum ejus virtute auxiliatrice; secundus verò cum virtute Dei auxiliatrice bonitatem respectivam boni creati: unde in ejus motivo non reperitur nisi pars, eaque minùs principalis, objecti formalis spei theologicæ. E contra non solùm actus, quo aliquid credimus de Deo, sed etiam actus, quo credimus aliquid de creatura propter primam veritatem revelantem, est fides divina. Ratio est, quia uterque actus est ex objecto formali adæquato fidei divinæ: objectum enim formale adæquatum fidei divinæ est prima veritas revelans.

Obj. Auxilia, quibus juvamur à Deo ad consequendam beatitudinem, sunt objectum formale spei, ut erectio est: nam ex consideratione auxiliorum illorum erigimur contra difficultates occurrentes in prosecutione beatitudinis. Ergo falsum est, objectum formale spei, ut erectio est, esse Deum ut auxiliatorem. *Resp.* Auxilia, quibus juvamur à Deo ad consequendam beatitudinem, pertinere ad objectum formale spei, ut erectio est, sicut revelatio externa pertinet ad objectum formale fidei divinæ, adeòque pertinere ad objectum formale spei, ut erectio est, tanquam aliquid minùs principale; cùm ad hoc objectum principaliter pertineat Deus ut auxiliator, sicut ad objectum formale fidei divinæ principaliter pertinet revelatio interna; cum hoc tamen discrimine, quòd revelatio interna sine externa movere non possit ad actum fidei divinæ; Deus verò ut auxiliator, ad spem, ut erectio est, sufficienter moveat.

Obj. Arduitas beatitudinis pertinet ad objectum formale spei. Ergo malè dicitur objectum formale spei adæquatè consistere in bonitate respectiva Dei, & ejus virtute auxiliatrice. *Resp.* neg. ant. Nam arduitas beatitudinis ut sic, non habet rationem boni, sed mali; adeòque nata est movere non ad prosecutionem, sed ad fugam beatitudinis: unde ingredi non potest objectum formale spei, quæ est actus beatitudinis prosecutivus. Arduitas igitur beatitudinis est tantùm quædam illius circumstantia, sine qua in illam tendere non posset voluntas per motum spei, quæ essentialiter est quædam animi erectio, seu audacia, quæ versari non potest nisi circa objectum arduum, ac obtentu difficile. Spes itaque attingit beatitudinem, & ejus arduitatem; beatitudinem quidem, illam desiderando; arduitatem verò beatitudinis, contra illam animum erigendo; ad quam erectionem non movetur voluntas per ipsam arduitatem, sed per virtutem Dei auxiliatricem; sicut nec per ipsam arduitatem, sed per bonitatem Dei respectivam movetur ad desiderandam beatitudinem. Sed ad plenam difficultatum solutionem, sit

ARTICULUS IV.

Utrùm præter amorem charitatis, detur alius amor Dei honestus & supernaturalis, in quo fundetur spes, &c.

Responsio I.

AMor, quo Deum diligimus, quia summum bonum nostrum est, est honestus & supernaturalis.

Prob. 1. Hic amor est honestus: nam amor, quo diligitur bonum eo modo, quo bonum est & amabile, est ordinatus & honestus. Atqui amor, quo Deum diligimus ut summum bonum nostrum, tendit in Deum eo modo quo bonus est & amabilis: Deus enim est reipsa nostrum summum bonum; & omne bonum eo modo amabile est, quo bonum est. Adde quòd hic amor nullam habere possit malam circumstantiam. Ergo est amor honestus.

2. Hic amor supernaturalis est: nam omnis actus pietatis superat vires naturæ, & ad omnem actum pietatis requiritur adjutorium gratiæ interioris. Atqui hic amor est actus pietatis. Ergo, &c. Præterea, per hunc amorem diligimus Deum ut summum bonum nostrum supernaturale, seu fruendum per actus beatificos. Atqui amor quo sic diligimus Deum, proculdubio vires naturæ superat.

Responsio II.

Amor quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, non est amor charitatis, sed concupiscentiæ.

Prob. Ille amor Dei non est amor charitatis, sed concupiscentiæ, quo amans Deum, non Deo, sed sibi amat bonum: in hoc enim differunt amor charitatis & amor concupiscentiæ, quòd hic tendat in bonum amantis, quia amantis bonum est; ille verò tendat in bonum rei amatæ, quia bonum est rei amatæ, ibi sistendo. Unde primus amor commodum & perfectionem amantis, secundus verò commodum & perfectionem rei amatæ intendit. Atqui per amorem quo diligimus Deum ut summum nostrum bonum, non Deo, sed nobis amamus bonum, nempe ipsum Deum, & ejus fruitionem. Ergo, &c.

Responsio III.

Ex hoc amore concupiscentiæ, quo Deum diligimus ut summum nostrum bonum, nascitur spes theologica.

Prob. Nam amorem concupiscentiæ, quo bonum aliquod nobis amamus, naturali necessitate consequitur desiderium boni illius, si sit absens; sicut naturali necessitate consequitur gaudium de bono illo, si sit præsens. Ergo amorem concupiscentiæ absolutum & perfectum (nam de tali amore intelligi debet assertio nostra) quo perfectè & absolutè Deum diligimus ut summum bonum nostrum, naturali necessitate consequitur desiderium absolutum & perfectum beatitudinis supernaturalis, seu, quod idem est, desiderium absolutum & perfectum Dei ut summi boni nostri per visionem beatificam possidendi. Atqui desiderium hoc absolutum & efficax beatitudinis supernaturalis est spes theologica. Ergo, &c.

At inquies. Spes theologica supra desiderium absolutum & perfectum, seu, quod idem est, supra desiderium efficax beatitudinis, dicit aliquid sibi essentiale, nempe erectionem animi contra beatitudinis arduitatem. Atqui ad hanc erectionem voluntas non determinatur per amorem concupiscentiæ, quo perfectè & absolutè diligit Deum ut summum nostrum bonum. Ergo, &c.

Resp. Amorem concupiscentiæ absolutum & perfectum, ad hanc animi erectionem non determinare voluntatem, ut aliquid se tenens ex parte objecti; sic enim determinare voluntatem ad erectionem animi, virtutis Dei auxiliatricis est; sed determinare ut aliquid se tenens ex parte principii, seu ipsius voluntatis, quæ hoc ipso quòd amat amore concupiscentiæ absoluto & perfecto bonum aliquod, quod est absens & arduum, sed possibile obtineri, & probabiliter futurum, non potest non desiderare absolutè & perfectè bonum illud, & simul contra illius arduitatem sese erigere per unum & eundem actum, qui spes dicitur, & differt essentialiter à simplici desiderio etiam efficaci boni absentis, sed obtentu facilis, ut jam aliàs observatum est.

Responsio IV.

Amor concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, & desiderium efficax beatitudinis, seu spes quæ ex illo amore oritur, pertinent ad eandem virtutem theologicam, nempe virtutem spei.

Prob. 1. Pertinent ad eandem virtutem: nam illi actus pertinent ad eandem virtutem, quorum idem est objectum formale primarium & principale. Atqui idem est objectum formale primarium & principale amoris concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, & spei quæ ex illo amore oritur: nam amoris concupiscentiæ, quo, &c. objectum formale primarium est bonitas Dei respectiva, quæ bonitas Dei respectiva est objectum formale primarium & principale spei, quæ in illo amore fundatur; cum sit objectum formale spei, quæ in illo amore fundatur, sumptæ secundùm id, quod est primariò & principaliter: est enim objectum formale spei illius, sumptæ ut est desiderium efficax beatitudinis; & spes illa est primariò & principaliter desiderium efficax beatitudinis, secundariò verò tantùm, & veluti accessoriè, erectio animi contra beatitudinis arduitatem. Ergo, &c.

2. Virtus ad quam actus illi pertinent, est virtus theologalis: nam virtus illa theologalis est, quæ habet pro objecto materiali primario & pro formali Deum. Atqui virtus, ad quam actus illi pertinent, habet pro objecto materiali primariò & pro formali Deum: tendit enim primariò in Deum ut possidendum, & tendit propter bonitatem ejus respectivam, ut patet ex dictis hactenus de illis actibus. Ergo, &c.

3. Virtus ad quam actus illi pertinent, est virtus spei: nam est virtus theologalis, ut probatum est. Ergo vel est fides, vel spes, vel charitas. Conseq. patet: nam sunt tantùm tres virtutes theologales. Atqui, 1. non est fides. Fides enim est virtus intellectus, quæ versatur circa veritates à Deo revelatas, ut credendas propter authoritatem Dei revelantis. 2. Non est charitas: charitas enim tendit in Deum propter bonitatem ejus absolutam; unde per charitatem non nobis, sed Deo bonum volumus, & amamus bonum ejus, quia bonum ejus est, sicut odimus malum ejus, quia malum ejus est. At virtus de qua agitur, tendit in Deum propter bonitatem ejus respectivam: unde per hanc virtutem bonum volumus nobis, non Deo, & amamus bonum Dei intrinsecum, quia bonum nostrum est. Ergo superest, ut hæc virtus sit virtus spei.

Responsio V.

Amor concupiscentiæ, quo Deum diligimus, quia summum nostrum bonum est, & desiderium seu spes, quæ ex illo amore oritur, pertinent ad habitum, realiter distinctum ab habitibus fidei & charitatis.

Prob. Nam hi actus pertinent ad habitum spei; cùm sint actus virtutis spei. Atqui habitus spei distinguitur realiter ab habitibus fidei & charitatis. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam in homine peccatore manet habitus spei sine habitu charitatis, & habitus fidei sine habitu spei. Ergo cùm idem esse non possit sine se ipso, habitus fidei, spei & charitatis sunt tria inter se realiter distincta.

Obj. 1. *contra* 1. *Resp.* Per amorem concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut bonum nostrum, adeòque quo diligimus Deum in commodum nostrum & perfectionem nostram, constituimus in nobis finem nostrum ultimum, & Deum ad nos tanquam ad finem nostrum ultimum referimus. Atqui hoc est inordinatissimum. Ergo, &c. *Resp.* neg. maj. Nam per hunc amorem concupiscimus Deum ut finem nostrum ultimum; per hunc amorem concupiscimus finem nostrum ultimum, & fruitionem ejus; per hunc amorem concupiscimus unionem nostri cum fine nostro ultimo: unde per hunc amorem non in nobis, sed in Deo finem nostrum ultimum constituimus: itaque per hunc amorem non Deum ad nos, sed nos ad Deum ut finem virtualiter & exercitè referimus; neque per hunc amorem Deum ut medium amamus nobis ut fini, sed Deum ut finem amamus nobis ut subjecto, cui bonum & optimum est conjungi cum fine suo ultimo: finis enim ultimus nobis conjunctus summa & ultima nostra perfectio est.

Dices. Per amorem illum concupiscentiæ utimur Deo. *Resp.* Hoc neg. Nam usus propriè versatur circa media, & oritur ex amore finis, ad quem media ordinantur. At amor, quo Deum ut summum bonum nostrum concupiscimus, non versatur circa Deum, ut medium aliquod, ordinatum ad finem, cujus consequendi gratia intendatur, sed versatur circa Deum ut ipsum finem ultimum rerum omnium, ipsum ut talem finem & ejus possessionem concupiscendo amanti, non ut fini, sed ut subjecto, quod per sui cum eo conjunctionem summè potest perficere. Unde hic amor non tendit in amantem ut finem ultimum Dei, sed tendit in Deum ut finem ultimum amantis, ipsi per actus beatificos conjungendum, in quo nihil inordinatum est, & totum referibile est ad gloriam Dei, & habitualiter saltem refertur ab eo, qui charitatem habet.

Obj. 2. *contra eand. Resp.* Amor concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, est amor proprius. Atqui omnis amor proprius est vitiosus. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam amor ille concupiscentiæ respectu Dei, est simul & indivisibiliter amor benevolentiæ respectu nostri: per illum enim nobis bene volumus; cùm per illum amemus propriam nostram perfectionem, & proprium nostrum commodum.

Resp. neg. min. Universaliter sumptam: nam amor proprius ut sic, est præcisè amor propriæ perfectionis & proprii commodi. Hic autem amor, quanquam sæpè contingat eum esse vitiosum, quando naturalis est, quia sæpè contingit ut bona sensibilia nobis inordinatè concupiscamus, non est vitiosus essentialiter, & potest ordinatus esse ac honestus: possumus enim nos amare ordinatè & honestè, ordinatè & honestè concupiscendo propriam nostram perfectionem & proprium nostrum commodum. Sic Deum ut finem nostrum ultimum & fruitionem ejus concupiscendo nobis ut subjecto, cui bonum & optimum est frui fine ultimo, ordinatè & honestè concupiscimus propriam nostram perfectionem, & proprium nostrum commodum supernaturale, adeòque ordinatè & honestè amamus nos, Deum ut finem nostrum ultimum & fruitionem ejus, &c. Amor igitur concupiscentiæ, quo Deum diligimus ut summum bonum nostrum per actus beatificos possidendum, quamvis sit etiam amor nostri, ordinatus est & honestus.

Obj. 3. Saltem amor ille concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, est amor merè naturalis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam 1. amor ille oritur ex amore proprio naturali, quo naturaliter amamus nos, & nobis bonum nostrum volumus. 2. Omnis amor, quo proprium nostrum commodum volumus, naturalis est. Atqui amore illo concupiscentiæ, quo diligimus Deum, ut summum nostrum bonum, amamus proprium nostrum commodum. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. *Ad* 1. *prob. R.* neg. Amor enim ex amore non oritur, quia omnis amor est primus actus. Amor itaque concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut summum bonum nostrum, est primus in suo genere, nec oritur ex alio amore, quo amamus nos naturaliter, sed solùm hunc amorem supponit, sicut gratia supponit naturam, quam perficit. Gratia hominem amantem se naturaliter, & sibi bene esse naturaliter volentem, ipsum illustrando & movendo, excitat & adjuvat ad amandum se supernaturaliter, diligendo Deum ut summum suum bonum, seu concupiscendo summum suum bonum & fruitionem ejus. Unde homo ad sic se amandum non movetur per amorem sui naturalem, sed ex parte principii à gratia interiore ipsum excitante,

& ex parte objecti ab excellentia seu bonitate respectiva boni concupiti.

Ad 2. prob. R. neg. maj. universaliter sumptam: nam amor, quo proprium nostrum commodum supernaturale amamus, supernaturalis est. Amore autem illo, quo concupiscimus Deum ut summum bonum nostrum, amamus proprium nostrum commodum supernaturale, quod nihil aliud est, quàm conjunctio nostri cum summo bono nostro, quà nostri summè perfectiva.

Dices. Si amor ille, quo concupiscimus Deum ut summum bonum nostrum, supernaturalis est, pertinet ad virtutem charitatis: ad solam enim charitatem pertinet amare supernaturaliter, & velle beatitudinem, aliaque bona supernaturalia, solius charitatis officium est. Absurdum consl. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. *Ad prob. R.* neg. Nam possumus quidem amare nos supernaturaliter, & velle nobis beatitudinem, aliaque bona supernaturalia ex charitate, at non ex sola charitate. Amamus non supernaturaliter ex charitate, amando nos præcisè propter Deum, seu propter bonitatem Dei absolutam. Item volumus nobis beatitudinem, & alia bona supernaturalia ex charitate, volendo ea nobis propter honorem & gloriam Dei. At amamus etiam nos supernaturaliter, concupiscendo nobis beatitudinem, & alia bona supernaturalia, ad beatitudinem assequendam nobis utilia vel necessaria, quia beatitudo summum bonum nostrum est. Et actus, quo sic nobis beatitudinem, & alia bona supernaturalia ad ipsam conducentia concupiscimus, supernaturalis est; vires enim naturæ superat, & omnem ejus exigentiam; nec tamen est amor charitatis; habet enim pro motivo bonitatem Dei respectivam, seu bonum Dei ut est nostrum bonum, & sic nostrum proprium commodum, quamvis supernaturale & altioris ordinis, intendit. Charitas verò habet pro motivo bonitatem Dei absolutam, & sic non proprium nostrum commodum intendit, sed bonum Dei, nempe gloriam ejus extrinsecam, quia bonum ejus est.

Obj. 4. contra 4. Resp. Amor ille, quo diligimus Deum ut summum nostrum bonum, pertinere non potest ad virtutem theologicam: nam habet quidem pro objecto materiali Deum, at pro formali non habet aliquid increatum, sed aliquid creatum: ratio enim amandi Deum ut summum bonum nostrum, non est Deus, sed ipse amans, & commodum proprium. Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* Amorem illum non solùm habere pro objecto materiali primario Deum, sed etiam habere pro objecto formali aliquid increatum, nempe bonitatem Dei respectivam; cùm hoc amore amemus summum bonum nostrum, quia summum bonum nostrum est. Ratio igitur amandi Deum hoc amore, non est ipse amans, sed bonitas Dei, & eatenùs proprium commodum, est nobis ratio amandi Deum hoc amore, quatenùs hoc amore amatur Deus propter ejus bonitatem, non ut ejus bonum est, sed ut est bonum amantis.

Dices. Homo non amat Deum ut summum bonum suum, nisi quia saltem natura priùs amat se ipsum. Ratio autem amandi se ipsum est propria bonitas amantis. Ergo ratio amandi Deum amore concupiscentiæ, est propria bonitas amantis. *R.* neg. ant. Nam homo propter naturalem conjunctionem, quam habet ad se ipsum, sine prævio amore, quo se ipsum propter propriam bonitatem amet, cum auxilio interioris gratiæ amat Deum ut summum suum bonum, & sic amando Deum se ipsum amat: nam hic amor, qui est concupiscentiæ respectu Dei, est benevolentiæ respectu ipsius amantis, ut jam observatum est; quamvis tota ratio amandi sit bonitas Dei, non quidem ut est bonum Dei, sed ut est bonum amantis: hoc ipso enim quod amo Deum propter bonitatem ejus, quia bonum meum est, simul & indivisibiliter eodem illo actu amo me ipsum, quia sic amando Deum, illum, adeòque summum bonum meum mihi amo.

Obj. 5. contra eand. Resp. Potest v.g. religio (idem dic de omnibus aliis virtutibus ad voluntatem pertinentibus) elicere circa objectum sibi proprium, nempe circa cultum Dei, actus amoris & spei. Ergo malè dicitur, quòd spes & amor, ex quo spes oritur, pertineant ad solam illam virtutem specialem, quæ virtus spei dicitur. *R.* Posse quidem religionem (quod etiam dici debet de qualibet alia virtute ad voluntatem pertinente) elicere actus amoris & spei circa objectum sibi proprium: potest enim elicere actus amoris & desiderii efficacis circa cultum Dei cum erectione animi adversùs cultus hujus arduitatem, fundata in virtute Dei auxiliatrice. At spes illa non est nisi latè & impropriè spes, nec habet pro objecto materiali aut etiam formali primario Deum: nam objectum ejus formale primarium est honestas cultus divini, qui est objectum ejus materiale.

Porrò hìc non agitur de spe latè & impropriè sumpta, sed de spe sumpta propriè & strictè. Spes autem propriè & strictè sumpta, est ea quæ habet pro objecto materiali primario beatitudinem supernaturalem, seu Deum ut possidendum per visionem beatificam, & pro formali primario bonitatem Dei respectivam. Unde spes sic sumpta oritur ex amore, cujus objectum materiale primarium est supernaturalis beatitudo, formale verò bonitas Dei non ut bonum Dei est, sed ut est nostrum bonum. Spes igitur propriè & strictè sumpta, & amor ex quo spes propriè & strictè sumpta oritur, sunt actus theologales, adeòque pertinentes ad virtutem aliquam theologalem, quæ alia esse non potest, quàm virtus spei, seu quàm virtus illa, quæ inter virtutes theologicas secundum locum obtinet.

Dices. Spes propriè & strictè sumpta tam pertinet ad tertiam virtutem theologicam, quàm ad secundam: tam enim possum sperare proximo beatitudinem supernaturalem quàm mihi. Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad. Prob. R.* Cùm spero beatitudinem supernaturalem proximo, vel spero propter Deum, seu propter gloriam Dei, quem propter se diligo, & tunc spes mea pertinet ad charitatem, at non est spes propriè & strictè sumpta; vel spero, quia supernaturalis beatitudo est proximi bonum & commodum, quod est aliquo modo bonum & commodum meum propter naturalem conjunctionem, quam habeo cum proximo, quomodo mater etiam existens in peccato mortali, potest sperare filio suo supernaturalem beatitudinem, & tunc spes mea est spes propriè & strictè sumpta, sed minimè pertinere potest ad charitatem, cujus objectum formale est bonitas Dei secundùm se & absolutè sumpta, seu bonitas Dei, non ut est bonum nostrum, sed præcisè ut bonum Dei est. Spes igitur propriè & strictè sumpta pertinet ad solam secundam virtutem theologicam, cujus præcipuus est actus ac difficillimus: unde hæc virtus theologica virtus spei nominatur; charitatis verò præcipuus & excellentissimus actus est, diligere Deum, eique adhærere super omnia propter se.

ARTICULUS V.

Utrùm aliquis timor, & quis pertineat ad virtutem spei.

Nota. Cùm S. Thoma 2. 2. q. 19. a. 1. in O. hìc agimus de timore, secundùm quòd per ipsum aliquo modo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur. Timor autem, secundùm hanc acceptionem, dividitur in mundanum, servilem, filialem, & initialem. Timor mundanus seu humanus dicitur, quo quis ita timet malum aliquod temporale, quod potest ab hominibus infligi, ut malit peccare & Deum offendere, quàm malum illud incurrere. Hic autem timor, cùm avertat à Deo, & oriatur ex mala radice, nempe ex amore mundano, quo homo finem suum constituit in creatura, malus est, nec proinde esse potest actus virtutis, adeòque nec potest pertinere ad virtutem spei, aut ad aliquam aliam virtutem.

Timor

Timor servilis est ille, quo homo timet pœnam sive temporalem sive æternam, à Deo infligendam. Dividitur in servilem simpliciter, & serviliter servilem. Serviliter servilis est is, quo quis immoderatè & contra rectæ rationis regulam timet, plùs scilicet timendo malum pœnæ, quod à Deo propter peccatum infligitur, quàm malum culpæ, quo Deus offenditur, ut si timeat æternam damnationem tanquam omnium omninò malorum supremum. Unde timor serviliter servilis malus est & vitiosus: per illum enim homo plus timet malum proprium, quàm malum Dei, quod est peccatum; atque ita convincitur se ipsum plus diligere, quàm Deum, & sic non in Deo, sed in se ipso finem suum constituere: nam, ut dicit S. Thomas qu. cit. a. 3. O. *timor ex amore nascitur*, & sic homo non plùs malum proprium timet, quàm malum Dei, nisi quia plùs amat se ipsum, quàm Deum. Timor igitur serviliter servilis non potest esse alicujus virtutis actus, & sic ad spem pertinere non potest.

Timor servilis simpliciter est ille, quo pœna à Deo infligenda, timetur moderatè, & secundùm mensuram rationis, ut cùm quis timet damnationem æternam super omne aliud malum, quòd non est peccatum: tunc enim malum damnationis æternæ non plus timetur, quàm meretur ejus malitia, & homo sic timens malum damnationis æternæ, non amat se ipsum inordinatè, nec finem suum in se ipso constituit: neque paratus est ad potiùs peccandum, quàm ad incurrendum malum æternæ damnationis; sed è contra necessariò necessitate consequente, super omnia mala temporalia refugit malum culpæ, non quidem ut est offensivum Dei, adeòque malum ejus, sed ut est inductivum reatus æternæ damnationis, adeòque proprium summum malum: quod bonum est & honestum: malum enim culpæ non solùm ut Dei offensivum, sed etiam ut æternæ damnationis reatus inductivum, super omnia mala temporalia honestè & laudabiliter refugi potest, potestque actus, quo sic malum culpæ refugitur, à charitate imperari, & ad Dei gloriam referri. Quòd si tunc homo nondùm amat Deum super omnia propter se, at non se ipsum plus amat quàm Deum, nec finem suum in se ipso constituit, sed in Deo quem diligit super omnia ut suum summum bonum, non quidem amore charitatis, sed amore concupiscentiæ, quem honestum & ordinatum esse probavimus. Timor igitur servilis simpliciter bonus est, & rectæ rationi consentaneus.

Timor filialis dicitur ille, quo timetur malum culpæ, quia malum est Dei, non quia malum est timentis; seu quo timemus culpam, non quia inducit reatum pœnæ sed quia Deum offendit. Dicitur filialis, quia, ut ait S. Thomas quæst. cit. a. 2. in O. *Filiorum est timere offensam patris*: dicitur etiam timor castus, quia oritur ex charitate, cujus est animas nostras unire Deo tanquam sponso, sicut uxor se conjungit viro unione amoris, & sic conjuncta castitatem conjungalem studiosè servat. Vide S. Thomam art. cit. ad 3.

Timor initialis differt à filiali, tanquam imperfectum à perfecto intra eandem speciem. Unde timor filialis dividi potest in perfectum & imperfectum. Timor filialis imperfectus, qui timor initialis dicitur, est ille qui reperitur in incipientibus, in quibus charitas est imperfecta, hoc est, in quibus est amor Dei propter se, appretiativè quidem summus, sed nondùm valdè intensus: quare super omnia quidem, sed nondùm cum magna intensione timent culpam, ut est offensa Dei: unde fit, ut adhuc magis timent culpam, eamque præcipuè devitent propter reatum pœnæ, quem inducit. Breviter, quia malum culpæ remissè tantùm, quamvis super omnia, timent ut est malum Dei, illud intensiùs timent ut est malum proprium, quare & illud quà tale præcipuè fugiunt. Hinc timor initialis est timor culpæ prout est offensa Dei, appretiativè quidem summus, sed remissus, & quocum, quia remissus est, prædominatur adhuc timor servilis: ita ut, qui timorem tantùm initialem habet, quia remissam tantùm habet charitatem, præcipuè timeat & vitet malum culpæ, quà inductivum reatus pœnæ, adeòque quà malum proprium.

Timor filialis perfectus, qui dicitur simpliciter timor filialis, est ille qui reperitur in perfectis, in quibus charitas est perfecta, hoc est, in quibus est amor Dei propter se non solùm appretiativè summus, sed etiam valdè intensus: quare non solùm super omnia, sed etiam cum magna intensione timent culpam, prout est offensa Dei, tamque ut talem devitant. Unde timor filialis est timor culpæ, prout est offensa Dei, non solùm appretiativè summus, sed etiam intensione magnus quocum proinde prædominari non potest timor servilis, quo timetur malum culpæ, ut malum proprium timentis; sed vel homo desinit timere malum culpæ ut malum proprium, & inductivum reatus pœnæ, vel certè regulariter non timet & vitat malum culpæ, nisi ut malum Dei, illudque ut tale præcipuè timet & vitat. Vide S. Thomam 2. 2. q. 19. a. 8. & ad 2.

Ex dictis hactenùs, habemus timorem filialem & initialem oriri ex charitate, filialem ex perfecta non solùm appretiativè, sed etiam intensivè; & initialem ex perfecta appretiativè, sed intensivè imperfecta, adeòque neutrum pertinere posse ad virtutem spei. De solo igitur timore servili potest esse difficultas; pro cujus solutione, sit

Responsio.

Timor servilis simpliciter, quo scilicet ordinatè & secundùm mensuram rectæ rationis pœna æterna, vel aliud quodvis ad eam ducens timetur ut malum & incommodum nostrum, pertinet ad virtutem spei, ut actus ab ea elicitus.

Prob. Nam ejusdem virtutis est amare bonum, & fugere contrarium sub ratione opposita rationi, sub qua amat bonum. Sic v. g. charitatis est amare bonum Dei extrinsecum, quia bonum Dei est, & fugere malum huic bono contrarium, nempe peccatum, quia Dei malum est. Atqui virtutis spei est, amare beatitudinem supernaturalem, quia bonum & commodum nostrum est. Ergo etiam est virtutis spei, fugere privationem beatitudinis supernaturalis, & aliud quidlibet ducens ad hanc privationem, quia est malum & incommodum nostrum. Atqui fugere privationem, beatitudinis, quia est malum & incommodum nostrum, est eam timere serviliter. Ergo timere serviliter privationem beatitudinis, pertinet ad virtutem spei, & timor servilis est actus ab ea elicitus.

Confirm. Timor servilis pertinet ad eam virtutem, ad quam pertinet amor ex quo nascitur: actus enim boni per se ordinati, ita ut unus alium præsupponat, & ex eo intimè oriatur, ad eandem virtutem pertinent. Atqui amor ex quo nascitur timor servilis, pertinet ad virtutem spei. Ergo & timor servilis. *Prob. min.* Nam amor, ex quo timor servilis nascitur, est amor concupiscentiæ, quo amamus beatitudinem nostram ut bonum & commodum nostrum: non enim timeo ne sim miser, nisi quia amo esse beatus; nec timeo privationem beatitudinis æternæ ut malum & incommodum meum, nisi quia amo beatitudinem æternam ut meum bonum & commodum; & hoc ipso quòd amo beatitudinem æternam ut bonum & commodum meum, non possum non odisse & timere æternæ beatitudinis privationem ut meum malum & incommodum. Atqui amor ille concupiscentiæ, quo, &c. ad virtutem spei pertinet. Ergo, &c.

Obj. Si timor servilis simpliciter pertinet ad virtutem spei, ad eam quoque pertinet timor serviliter servilis. Absurdum conf. Ergo, &c. Minor constat: nam timor serviliter servilis est actus vitiosus. *Prob. seq. maj.* Timor enim servilis simpliciter, & timor serviliter servilis, non differunt quoad substantiam.

R. neg. seq. maj. & prob. ejus. Quamvis enim timor servilis simpliciter, & timor serviliter servilis

con-

conveniant in objecto materiali, uterque enim est timor pœnæ æternæ; unde conveniunt in ratione generica timoris servilis, quod est, esse ejusdem substantiæ latè sumptæ attamen essentialiter & specificè differunt, quia habent modum tendendi in objectum essentialiter & specificè diversum. Unde tam differunt inter se, quàm inter se differunt actus quo amatur bonum creatum & summum bonum, & actus quo amatur idem bonum creatum præcisè secundùm veram & propriam rationem boni, quam habet.

Quæres, utrùm timor diminuatur, vel omninò tollatur, an verò solùm perficiatur per charitatem?

*R.*1. Timor serviliter servilis tollitur per charitatem: nam actus, quo plùs timetur proprium malum & incommodum, quàm offensa Dei, etiam gravis, incompossibilis est cum charitate. Atqui per timorem serviliter servilem plus timetur proprium malum & incommodum, quàm offensa Dei etiam gravis: timor enim serviliter servilis est is, quo quis timet pœnam æternam ut summum malorum omnium, adeòque quo quis timet pœnam æternam super ipsum malum culpæ. Ergo, &c.

*R.*2. In timore simpliciter servili duo considerari possunt, nempe anxietas, & substantia ipsius timoris. Timor servilis quantùm ad anxietatem sensim minuitur, crescente charitate: nam crescente charitate, crescit spes & fiducia in Deum. Crescente autem spe & fiducia in Deum, anxietatem & sollicitudinem, quas causat timor servilis, decrescere, & pacem conscientiæ generari necesse est. Ergo, &c. Quantùm verò ad substantiam timor servilis non minuitur, sed augetur, crescente charitate: nam substantia timoris servilis est fuga privationis beatitudinis, quà malum nostrum est. Atqui hæc fuga crescit, crescente charitate: crescente enim charitate, crescit spes seu desiderium beatitudinis, ut nostrum bonum est; & crescente spe, seu desiderio beatitudinis, ut nostrum bonum est, non potest non crescere fuga privationis beatitudinis, ut malum nostrum est: nam quò plus amamus bonum aliquod, eò plus aversamur malum oppositum; & quò aversamur malum oppositum; eò plus illud fugimus.

Porrò quamvis timor simpliciter servilis quoad substantiam maneat cum charitate etiam perfecta, in bono tamen sensu potest simpliciter dici, ab ea excludi, quatenùs qui perfectam habet charitatem, bonum non operatur ampliùs ex timore servili, aut certè bonum non operatur ampliùs ex illo, tanquam ex motivo præcipuo, sed semper operatur bonum vel ex sola charitate, vel saltem ex illa ut motivo principali; cùm è contra is, in quo charitas imperfecta est & remissa, sæpè ex timore servili, & quidem motivo præcipuo operetur.

*R.*3. Charitas non tollit timorem filialem, sed è contra illum perficit. Nam 1. timor filialis ex charitate oritur, 2. Et ita crescente charitate, non potest non augeri timor filialis. Ratio pro utroque est, quia qui timet aliquem offendere, ideò timet, quia illum amat; adeòque quò plus illum amat, eò plus timet illum offendere. Hinc imperfecti imperfectum tantùm & initialem habent timorem filialem, quia imperfectè tantùm & remissè Deum diligunt. Perfecti verò timorem filialem perfectum habent, quia Deum diligunt perfectè & intensissimè: unde fit ut nunquam, vel saltem rarò, ex timore servili ut præcipuo motivo vitent offensam Dei.

Quæres, utrùm remaneat timor in patria?

R. Timorem aliquem remanere in patria docet Psaltes regius Psal. 18. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi*. Et Job cap. 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*; ubi per columnas cœli angelos beatos intelligit, interprete Gregorio Magno, lib. 17. Moralium, cap. 17. Unde S. Bernardus epist. 109. inter errores Abailardi computat, timorem non manere in patria. Sed difficultas est, quis sit ille timor, qui in patria manet; circa quod tres sunt sententiæ. Prima docet, in patria, ubi nec pœna, nec culpa esse potest, non manere timorem servilem, nec filialem, prout est timor divinæ offensæ; & timorem qui est in beatis, esse timorem reverentialem, seu summam quandam reverentiam, quam habent Deo, in quantum ex consideratione infinitæ ipsius excellentiæ, profundissimè demittunt sese in illius præsentia, & quendam velut horrorem de illo concipiunt.

Secunda sententia pariter excludit à patria utrumque timorem, servilem & filialem, & dicit actum illum, quo beati dicuntur timere in cœlo, esse quandam admirationem de excellentia divina, vel potius esse actum, quo ex tali admiratione refugiunt curiosiùs investigare opera & consilia Dei.

Tertia sententia tenet timorem filialem, seclusis imperfectionibus, quas adjunctas solet habere in via, manere in beatis, fugam scilicet offensæ Dei, ut secundùm se possibilis in natura creata.

ARTICULUS VI.

De proprietatibus spei.

Propositio I.

Spes theologica est affectivè firmissima.

*Prob.*1. ex Apostolo Hebr. c. 6. ubi sic ait: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*. 2. Ex Trid. sess. 6. cap. 13. ubi dicitur: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent*. 3. Ratione: nam spes, quà erectio animi contra arduitatem beatitudinis, adhæret objecto formali secundùm meritum ejus. Atqui objectum formale spei, ut est erectio animi contra, &c. meretur adhæsionem firmissimam, imò & super omnia firmam: nam objectum illud formale est virtus Dei auxiliatrix infinitè efficax, nobis per promissionem summè fidelem aliquo modo obligata. Ergo, &c.

Propositio II.

Spes theologica ex parte sua est certissima tum intrinsecè, tum extrinsecè.

*Prob.*1. Est certissima extrinsecè: nam nititur fide divina, qua certissimè proponuntur solidissima motiva sperandi, & assurgendi contra difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes. 2. Est certissima intrinsecè: nam certissimè erigit nos contra difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes; cùm nitatur virtute auxiliatrice infinitè efficaci, nobis obligata per promissionem summè fidelem; vel, si vis, cùm nitatur auxiliis certissimè præparatis, & ad assequendam salutem sufficientissimis. Dixi autem, ex parte sua: nam ex parte nostra defectibilis est, quia Deo nobis auxilianti deesse possumus: unde salus nostra incerta est.

Propositio III.

Spes theologica necessaria est necessitate medii ad salutem adultorum peccatorum.

Prob. Nam illud est necessarium necessitate medii ad salutem adulti peccatoris, sine quo adultus peccator justificari non potest. Atqui adultus peccator justificari non potest sine actu spei theologicæ. Ergo, &c. *Prob. min.* ex Trid. sess. 6. cap. 6. ubi recensentur dispositiones in adultis peccatoribus prærequisitæ, & dicitur: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum .... & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.*

Propositio IV.

Spes theologica est etiam necessaria necessitate præ-

præcepti non solùm adultis peccatoribus, sed etiam justis.

Prob. Et 1. quòd necessaria sit necessitate præcepti adultis peccatoribus, manifestè sequitur ex Prop. III. Nam illud nobis præceptum est, quod est in nostra potestate cum auxilio gratiæ, & sine quo justificari non possumus. Atqui actus spei theologicæ est in nostra potestate cum auxilio gratiæ, & sine eo justificari non potest adultus peccator. Ergo, &c. 2. Quòd etiam necessaria sit necessitate præcepti justis adultis, probari potest ex multis Scripturæ locis. Unus sit pro omnibus Psal. 61. ubi dicitur: *Sperate in eo omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.* Quibus verbis non merum consilium, sed præceptum contineri observat S. Thomas 2. 2. quæst. 22. art. 1. O. Sed

Quæres, quandonam præceptum spei obliget per se?

R. Præceptum spei obligat per se. 1. Ubi primùm, moraliter loquendo, homo usum rationis assecutus est, & sufficienter instructus de fine ultimo, de beatitudine, & de mediis quibus beatitudo redditur possibilis, & probabiliter futura: tunc enim tenetur homo sine vituperabili mora secundùm æstimationem prudentum beatitudinem suam desiderare efficaciter cum firma in Deum fiducia, sicut tenetur ad finem suum ultimum se convertere. 2. In morali periculo mortis: tunc enim præcipuè tenetur homo in Deum confidere, & ab eo beatitudinem suam debito modo expectare. 3. Identidem in decursu vitæ. Quoties verò hoc præceptum urgeat in anno v. g. æstimandum relinquitur judicio prudentum.

Quæres, quandonam præceptum spei obliget per accidens.

R. Obligare, 1. Cùm urget aliqua tentatio, putà tentatio desperationis, nec superari potest sine actu spei. 2. Quando sine actu spei exerceri non possunt actus aliarum virtutum, putà orationis, pœnitentiæ, &c. & tamen illos exercendi instat obligatio.

Quæres, utrùm præter præceptum spei affirmativum, detur etiam negativum?

R. affirmativè. Hoc autem præceptum, quod est de non desperando, & præsumptuosè sperando, semper pro semper obligat sub gravi: nam desperatio & præsumptio sunt semper injuriosæ Deo, adeòque semper graviter prohibitæ. Porrò levitas materiæ hìc locum non habet, neque qui delinquit contra præceptum spei, excusari potest à mortali, nisi per defectum inculpabilem sufficientis advertentiæ. Hinc peccat mortaliter, qui non elicit actum spei, cùm urget præceptum sperandi, & ad ejus obligationem advertit, vel saltem potest advertere. Item qui plus sperat bona terrena quàm cœlestia, ut si eligat bonis hujus vitæ frui, bonis cœlestibus Deo derelictis. Item qui ad vitandum æternæ damnationis periculum, aut annihilari aut nunquam extitisse optat ex immoderato damnationis metu, & diffidentia de Dei misericordia vel gratia. Item qui desperat de obtinenda peccatorum venia, vel de obtinendis mediis ad assequendam beatitudinem necessariis. Item qui præsumit de misericordia Dei, sperando peccatorum remissionem sine pœnitentia, & salutem sine bonis operibus. Item qui præsumit de misericordia Dei, volendo usque ad mortem aut senectutem, in statu peccati permanere. Item qui sperat beatitudinem ut obtinendam solis naturæ viribus. Item qui non veretur peccata multiplicare, ex motivo quòd facilè per veram pœnitentiam deleri possint innumera peccata? quàm unum aut alterum. Ratio est pro omnibus, quia gravem Deo injuriam faciunt, ut per se clarum est.

ARTICULUS VII.

De habitu spei.

Propositio I.

DAtur habitus spei per se infusus & supernaturalis in entitate, qui vera & propria virtus est.

Prob. 1. *pars* ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi dicitur: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Quòd autem hic Synodus loquatur de habitibus, non de actibus, patet ex eo quòd loquatur de fide, spe & charitate, quæ infunduntur homini priùs ad justificationem disposito per actus fidei, spei, &c. Ratio autem convenientiæ est, quia congruum est hominem intrinsecè & permanenter habilem reddi, cùm justificatur, ad exercendos actus supernaturales fidei, spei & charitatis. Quod aliter fieri non potest, quàm per infusionem habituum in entitate supernaturalium, se habentium per modum potentiarum, naturalibus potentiis superadditarum, easque ad actus divinis ordinis exercendo complentium.

Prob. 2. *pars*. Quia ille habitus est vera & propria virtus, cujus objectum est optimum, & actus honestissimi. Atqui habitus spei objectum est optimum, & & actus honestissimi: nam objectum ejus est beatitudo nostra, ut est summum bonum nostrum; & beatitudo nostra, ut est summum bonum nostrum, est objectum honestissimum, quòd scilicet honestissimè amare, desiderare, sperare possumus: unde actus quos elicit habitus spei, honestissimè sunt in sua ratione specie. Ergo, &c.

Porrò hæc ratio valet non solùm pro habitu spei formato, seu cum charitate conjuncto, sed etiam pro habitu spei informi seu separato à charitate idem enim est objectum, & iidem sunt actus habitus spei, sive conjunctus sit cum charitate, sive sit ab ea separatus; & actus spei formatæ ab actibus spei informis in hoc tantùm differunt, quòd illi imperentur à charitate, hi verò non imperentur.

Dices. Qui habet tantùm spem informem, indebito modo sperat: sperat enim beatitudinem ut obtinendam sine meritis. *R.* Neg. Cùm enim peccator sperat beatitudinem, non eam sperat ut obtinendam à se: etiam in præsenti statu peccati; alioquin non speraret, sed præsumeret: sed sperat eam ut obtinendam per merita, quæ sperat, sicut & sperat veniam peccatorum ut obtinendam per futuram pœnitentiam.

Propositio II.

Habitus spei inter habitus theologicos medium perfectionis locum tenet.

Prob. Nam habitus spei minùs perfectus est, quàm charitas; & magis perfectus est, quàm fides. Ergo, &c. Prima pars est planè certa, imò est de fide, & apertè colligitur ex Apostolo 1. Cor. cap. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Ratio à priori est, quia charitas tendit in Deum propter bonitatem ejus absolutam, spes verò propter bonitatem ejus respectivam. Atqui perfectius est tendere in Deum propter bonitatem ejus absolutam, quàm in eum tendere propter bonitatem ejus respectivam. Ergo, &c. Secunda pars non est tam certa, sed tametsi sufficientissimè probatur sic. Habitus spei attingit Deum ut summum bonum nostrum, eique nos intimè conjungit per amorem, quòd fides nec præstat, nec præstare potest per actum suum, quo præcisè, & quidem obscurè tantùm ostendit nobis finem nostrum ultimum. Ergo, &c.

Propositio III.

Subjectum proximum habitus spei est voluntas, remotum verò sunt supposita omnia intellectualia, actuum ejus capacia.

Prob. 1. *pars*. Nam subjectum proximum habitus est potentia, cujus sunt actus, ad quos inclinat habitus. At-

Atqui actus ad quos inclinat habitus spei, pertinent ad voluntatem : voluntatis enim est amare, desiderare confidere, timere, gaudere, & ad hos omnes actus inclinat habitus spei : nam habitus spei inclinat ad amandam beatitudinem amore concupiscentiæ, ad eam desiderandam cum erectione animi adversus ejus arduitatem, quòd est eam sperare ; ad fugiendam ejus privationem, ad speranda media ad eam conducentia, ad gaudendum de ea obtenta. Secunda pars sequitur ex prima hoc ipso enim quòd habitus inhæret proximè alicui potentiæ rationali, hoc ipso, inquam, remotè inhæret supposito, cujus est potentia illa rationalis.

Dixi autem, actuum ejus capacia : cùm enim habitus spei non infundatur, & infusus non conservetur, nisi propter actus ad quos inclinat, non infunditur, & infusus non conservatur, nisi in iis, qui actus illos omnes, vel saltem aliquos producere possunt.

Hinc 1. habitus spei non manet in damnatis ; cùm sint prorsus incapaces omnis actus honesti.

2. E contra manet in animabus Purgatorii, quia possunt exercere actum spei circa beatitudinem æternam, utpotè habentem respectu illorum rationem bonis absentis, possibilis, & ardui ; cùm illam non nisi per pœnam ignis obtinere possint.

3. Manet in beatis ; quamvis non possint ampliùs sperare beatitudinem, cùm sit ipsis præsens, & actualiter possessa, & in æternum absque omni difficultate possidenda : unde respectu illorum non potest ampliùs habere rationem boni absentis, ardui, probabiliter futuri. At propter conjunctionem, quàm habent nobiscum per charitatem, possunt nobis sperare beatitudinem nostram, prout est bonum nostrum, aliquatenùs in bonum eorum redundans. Item possunt amare & amant amore concupiscentiæ beatitudinem. Item possunt gaudere & re ipsa gaudent de beatitudine obtenta, etiam prout est bonum & commodum proprium ; quanquam amorem concupiscentiæ, quo Deum diligunt ut sibi bonum, & gaudium quo gaudent de Deo ut sibi bono, ex affectu charitatis referunt sicut & cætera omnia ad Deum, ut rerum creatarum omnium finem ultimum. Unde beati sicut amant Deum duplici amore, concupiscentiæ scilicet & charitatis, quibus veluti duobus brachiis Deum arctissimè amplectuntur : ita & gaudio duplici concupiscentiæ scilicet & charitatis, de Deo gaudent, & in Dei possessione suavissimè quiescunt.

4. denique, habitus spei remanet in peccatoribus fidelibus, qui gratiam sanctificantem non amittunt per peccatum spei specialiter oppositum, quandiu in peccata hujusmodi non labuntur : possunt enim cum auxilio gratiæ actus omnes ad habitum spei pertinentes producere. Quod patet ex eo quòd possint à peccato resurgere, & cum Deo in gratiam redire, quod sine actu spei fieri non potest, ut superiùs probatum est.

Quæres, quibus actibus intellectus dirigatur in operando habitus spei.

R. Habitus spei in operando dirigitur variis actibus intellectus ; quales sunt isti : Possum salvari per Dei gratiam, & ad eam mihi dandam paratissimus est. Deus sincerè vult salutem meam, & nihil est, quod possit eam impedire, si velim, & velle possum cum auxilio gratiæ, quæ mihi præsto est. Certò salvabor, si gratiæ Dei non desim. Probabiliter salvabor, quia Christus pro me mortuus est, & sanguinem suum fudit, ut mereretur mihi auxilia de se efficacissima, quibus bene uti propono firmiter. Deus omnipotens, summè misericors, & in promissionibus implendis summè fidelis est, & promisit mihi auxilia gratiæ quibuscum salvari possum, & salvabor, si volo, &c.

Quæres, utrùm habitus spei expellatur per desperationem ?

R. Habitus spei destruitur per desperationem oppositam actui ejus principali, qui est desiderium efficax beatitudinis cum erectione animi adversùs difficultates. Unde desperatio opposita huic desiderio est quædam animi dejectio & fuga à beatitudine ut prosequenda, quia judicatur impossibilis, aut nimiùm ardua, adeòque nunquam obtinenda. Quare objectum materiale hujus desperationis est beatitudo, à qua recedit ; formale verò propter quod recedit, est malitia impossibilitatis, aut nimiæ arduitatis existimatæ. Responsionis autem ratio generalis pro omni habitu theologico est, quia habitus theologicus corrumpitur per actum sibi contrarium, ut patet ex fide & charitate.

Quares, utrùm habitus spei destruatur per præsumptionem ?

Nota. Præsumptio, quantùm ad præsentem materiam attinet, est vitium, quod virtuti spei per excessum opponitur, sicut ei opponitur desperatio per defectum. Præsumptio igitur, ut hìc sumitur, consistit in quadam spei immoderantia. Quod fieri potest duobus modis. 1. Immoderatè innitendo propriæ virtuti, ut si quis speret se beatitudinem consequi posse per solas naturæ vires ; & tunc est præsumptio Pelagiana. 2. Immoderatè innitendo misericordiæ divinæ, ut si quis speret se beatitudinem consecuturum esse sine bonis operibus, & peccatorum veniam obtenturum sine pœnitentia ; & hæc præsumptio est Lutherana. Dico autem habitum spei corrumpi hac utraque præsumptione, non solùm quia utraque conjuncta est cum infidelitate, sed etiam quia utraque contrariatur actui principali virtutis spei.

Quæres, utrùm habitus spei destruatur per aliquos alios actus malos ?

R. Destruitur etiam per quodvis peccatum infidelitatis, quo corrumpitur habitus fidei ; fides enim, ut docent Patres & Scholastici, est fundamentum totius ædificii spiritualis : adeòque ruente habitu fidei, reliquos omnes habitus infuios ruere necesse est. Item per actus odii & contemptus beatitudinis : nam hi actus contrariantur huic habitui, cujus nimirùm est inclinare ad amandam & desiderandam beatitudinem ut bonum nostrum. At non destruitur per omissionem etiam graviter culpabilem actus spei sicut nec per omissionem etiam graviter culpabilem actus fidei corrumpitur fidei habitus. Ratio pro utroque est, quia per solam omissionem actus fidei vel spei, homo non redditur indispositus ad credendum vel sperandum. Item non destruitur per inefficacem displicentiam beatitudinis, quia cum ea potest homo amare & desiderare efficaciter beatitudinem ; neque per peccata tantùm repugnantia charitati, vel virtutibus moralibus, quia peccata illa non contrariantur actibus ejus, nec in conservari pendet à charitate, aut virtutibus moralibus, & sine illis manere potest informis in homine peccatore.

DISPUTATIO II.

De charitate.

ARTICULUS I.

De objecto materiali charitatis.

PROPOSITIO I.

OBjectum materiale primarium charitatis est Deus ; secundarium verò proximus.

Prob. 1. *pars*, 1. Ex Apostolo dicente Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis :* dicit enim charitatem Dei, interprete S. Augustino lib. de spir. & lit. c. 32. non solùm quia charitas à Deo donatur, sed etiam & maximè quia ad Deum terminatur primariò & principaliter. 2. Ratione. Illud est objectum materiale primarium charitatis, ad quod charitas primariò terminatur. Atqui charitas primariò terminatur ad Deum. Ergo, &c. *Prob. min.* Ad illud primariò terminatur charitas, in quo objectum formale charitatis

tatis primariò relucet, ut patet ex terminis. Atqui objectum formale charitatis primariò relucet in Deo. hoc enim objectum est bonitas divina, ut ostendetur, & hæc bonitas est in Deo per essentiam, in reliquis verò entibus non nisi per participationem. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Nam charitas terminatur etiam ad proximum. Ergo vel terminatur ad illum primariò, vel secundariò tantùm. Non primum: nam charitas ad solum Deum primariò terminatur; cùm objectum ejus formale in solo Deo primariò reluceat. Ergo secundùm, adeòque proximus est objectum materiale secundarium charitatis. Quòd autem charitas terminetur etiam ad proximum, est de fide, & prob. ex epist. 1. Joan. cap. 4. ubi dicitur: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.*

Confirm. Quia, ut probabitur, charitas est perfecta amicitia cum Deo, & proximus est quid pertinens ad Deum. Atqui de ratione perfectæ amicitiæ est, non solùm amare primariò eum, quocum primariò & per se amicitia contrahitur, sed etiam secundariò, & propter illum diligere ea, quæ ad ipsum pertinent. Ergo, &c.

Porrò nomine proximi intelligitur hìc omnis creatura rationalis, quæ capax est beatitudinis. Unde proximus noster est 1. omnis homo viator: omnis enim homo, quandiu in via est, salvari potest. 2. Omnis homo comprehensor. 3. Omnis Angelus beatus, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 25. a. 10. 4. Christus ut homo, quia ut homo, est ejusdem beatitudinis capax & particeps. Propter oppositam rationem, mali angeli & homines damnati, non sunt de numero proximorum nostrorum: sunt enim prorsus incapaces beatitudinis, & quorumvis aliorum bonorum supernaturalium: unde illis beatitudinem ullumve aliud bonum supernaturale velle non possumus, & ita non possumus eos ut proximos ex charitate diligere; quos enim ut proximos diligimus, si comprehensores non sunt, eis beatitudinem, aliaque bona supernaturalia ad beatitudinem conducentia volumus.

Obj. Peccatores non pertinent ad objectum materiale charitatis: non enim possunt ex charitate diligi. Ergo falsum est, quòd nomine proximi intelligi possit omnis homo viator. *R.* cum S. Thoma 2. 2. q. 25. a. 6. in peccatoribus duo posse considerari; naturam scilicet & culpam. Secundùm naturam, quam habent à Deo, sunt capaces beatitvdinis, super cujus communicatione charitas fundatur. Sed culpa eorum contrariatur Deo, & est beatitudinis impedimentum. Unde secundùm culpam ad objectum materiale charitatis pertinere non possunt, quia secundùm culpam non possunt diligi ex charitate, sed è contra debent odio haberi; debemus enim in peccatoribus odisse, quòd peccatores sint, quicumque tandem illi sint, etiam pater, & mater, & propinqui. At secundùm naturam pertinere possunt & pertinent ad objectum materiale charitatis, quia secundùm naturam ex charitate diligi possunt, cùm sub hac ratione beatitudinis consortes esse possint.

Dices. Imò peccatores sunt odio habendi ex charitate, juxta illud Davidis, in quo erat perfecta charitas: Psal. 118. *Iniquos odio habui*; & illud ejusdem, Psal. 138. *Perfecto odio oderam illos. R.* cum Sancto Thoma art. cit. ad 1. peccatores ex charitate odio habendos esse, & diligendos sub diverso respectu: sunt enim odio habendi in quantum peccatores & iniqui, odio scilicet habendo eorum iniquitatem, quæ ipsorum malum est; & cùm sic odio habentur, ex charitate odio habentur. Sed simul sunt etiam diligendi ut aliquid secundùm naturam beatitudinis capacem ad Deum specialiter pertinens, & cùm sic diliguntur, ex charitate diliguntur. Porrò quia sic ex charitate diliguntur, ex charitate odio habentur ut iniqui, seu, quod idem est, ex charitate odio habetur eorum iniquitas, quæ ipsorum malum est; quia ut ait S. Thomas, *ejusdem rationis est odisse malum alicujus, & diligere bonum ejus.*

Dices. Saltem peccatores reprobi non possunt diligi ex charitate, adeòque non pertinent ad objectum materiale charitatis. *R.* Neg. Non enim minùs ex charitate diligi possunt reprobi peccatores, quàm justi reprobi, quos tamen ex charitate diligi posse, dubium esse non potest. Possumus igitur & debemus ex charitate diligere omnes omninò homines viatores; quamvis inter illos multi sint, imò longè plures sint reprobi, quàm prædestinati. Ratio est, quia nescimus quinam sint reprobi, & nullus hominum est, qui quandiu est in via, non sit capax beatitudinis, quia nullus est, qui absolutè non possit salvari, quandiu viator est.

Propositio II.

Homo quilibet, etiam relatè ad se ipsum, pertinet ad objectum materiale secundarium charitatis.

Prob. Nam illud omne pertinet ad objectum materiale charitatis, quod possumus diligere ex charitate, & cui bonum velle possumus propter Deum principaliter & propter se dilectum. Sed homo quilibet potest se ipsum diligere ex charitate, & sibi velle bonum propter Deum principaliter & propter se dilectum: amor enim amicitiæ, quo quis Deum principaliter & propter se diligit, connaturaliter extendi potest ad ea omnia, quæ ad Deum aliquo modo pertinent, præsertim si pertineant ut filii adoprivi & amici, vel in actu, vel saltem in potentia. Atqui sic ad Deum pertinet is, qui Deum principaliter & propter se diligit. Sic ratiocinatur S. Thomas 2. 2. qu. 25. art. 4. O. *Alio modo possumus*, inquit, *loqui de charitate secundùm propriam rationem ipsius, prout scilicet est amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex consequenti ad ea quæ sunt Dei. Inter quæ etiam est ipse homo, qui charitatem habet. Et sic inter cætera, quæ ex charitate diligit quasi ad Deum pertinentia, etiam se ipsum ex charitate diligit.*

Dices. Ergo homo habere potest amicitiam ad se ipsum: nam charitas est amicitia. Absurdum cons. Amicitia enim est essentialiter ad alterum. Unde S. Gregorius hom. 17. in Evang. dicit, *Charitas minùs quàm inter duos haberi non potest.* Et verò amicitia, ut ait Philosophus 8. Ethic. cap. 3. & 8. simul sumptis, de sui ratione importat redamationem & æqualitatem, ad quod utrumque requiruntur saltem duo supposita. Ergo, &c. *R.* neg. seq. *Ad prob. R.* dist. Charitas est amicitia, cum est unius ad alterum, C. Cùm est ejusdem ad se ipsum, N. S. autem Gregorius loquitur de charitate prout est virtus unitiva. Unde cùm unio sit essentialiter plurium distinctorum, rectè dicit S. Doctor charitatem minùs quàm inter duos haberi non posse.

Homo itaque potest se ipsum diligere ex charitate; cùm possit diligere Deum principaliter propter se, & propter Deum sic dilectum, se ipsum diligere ut est aliquid ad Deum pertinens: Deum enim principaliter propter se diligere, & propter Deum sic dilectum diligere ea quæ sunt Dei, ejusdem virtutis est. Unde propter Deum principaliter propter se dilectum diligere ea quæ sunt Dei, est actus charitatis: sicut actus charitatis est, diligere Deum principaliter propter se. Non potest tamen homo, propriè loquendo, habere amicitiam ad se ipsum, quia amicitia, ut dicit Philosophus locis citatis, importat redamationem & æqualitatem, quæ non possunt esse nisi inter plures; vel, si vis, quia, ut ait S. Thomas art. citato in O. *amicitia unionem quandam importat*, & idem ad se ipsum non unionem, sed unitatem habet. Unde sequitur tantùm charitatem non esse essentialiter amicitiam; & tunc tantùm esse amicitiam, cùm est ad alterum redamantem ex charitate, & aliquo modo æqualem. Charitas igitur ejusdem ad se ipsum non est amicitia propriè, sed *est*, ut ait S. Thomas artic. citato in O. *forma & radix amicitiæ: in hoc enim amicitiam habemus ad alios, quòd ad eos nos habemus sicut ad nos ipsos.*

Porrò

Porrò homo relatè ad se ipsum, ad objectum materiale secundarium charitatis pertinet non solùm secundùm animam, sed etiam secundùm corpus: nam homo potest se ipsum diligere ex charitate secundùm id omne sui, secundùm quod potest esse particeps beatitudinis, & est aliquid ad Deum pertinens. Atqui homo non solùm secundùm animam, sed etiam secundùm corpus est aliquid ad Deum pertinens, & potest esse particeps beatitudinis; ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 5. ad 2. *ex fruitione animæ redundat quædam beatitudo ad corpus, scilicet sanitatis & incorruptionis.* Adde dona charitatis, agilitatis, & subtilitatis, quibus etiam gaudebunt corpora beatorum. Ergo, &c.

Nota. Corpus nostrum possumus diligere dupliciter, nempe amore sensuali, & amore supernaturali. Amamus corpus nostrum amore sensuali, cùm volumus illi bona sensibilia & infima; sic corpora sua diligunt peccatores, qui in malo magis, quàm justi, diligunt se & corpora sua, quia in se ipsis finem suum ultimum constituunt. Amamus corpus nostrum amore supernaturali, cùm volumus illi bona supernaturalia. Quòd si volumus illi hæc bona, ut ejus bona sunt, tunc est amor concupiscentiæ pertinens ad virtutem spei, de quo non agitur hìc; si verò hæc bona volumus illi, ut rei ad Deum pertinenti, tunc est amor charitatis, de quo nunc agitur: amando enim corpus nostrum ut rem ad Deum pertinentem, diligimus illud, quia Deum principaliter propter se diligimus. Utroque autem illo amore supernaturali justi corpora sua diligunt; & sic diligendo, in bono magis illa diligunt, etiam cùm illa affligunt, & cogunt obedire rationi: hoc enim pacto promerentur illis beatitudinem, in quantum illius sunt capacia.

Dico, in quantùm sunt capacia: non enim eodem modo capax est beatitudinis homo secundùm animam & secundùm corpus: nam secundùm animam capax est beatitudinis, quantùm ad id omne, quod est primarium & essentiale in beatitudine; quia secundùm animam frui potest Deo, ipsum videndo intuitivè & amando, atque in eo viso & amato suaviter quiescendo: secundùm corpus verò non est capax beatitudinis, nisi quantùm ad ea, quæ secundaria sunt, & ex fruitione summi boni connaturaliter derivantur, & redundant in corpus. Unde homo ex charitate amabilis est primariò secundùm animam, secundùm corpus verò secundariò tantùm.

Propositio III.

Bona supernaturalia pertinent ad objectum materiale secundarium charitatis, non tanquam id quod diligitur ut amicus, sed tanquam id quod amico diligitur.

Prob. Nam 1. bona supernaturalia non sunt personæ. Ergo non possunt ex charitate diligi, sicut id quod diligitur ut amicus: ad solas enim creaturas rationales haberi potest amicitia. 2. Sunt tamen maxima bona creaturarum rationalium, ad quas haberi potest amicitia. Ergo possumus illa ex charitate diligere iis, quos ut amicos diligere possumus. Ergo, &c. Ita docet S. Thomas 2. 2. qu. 25. a. 2. O. *Per amicitiam*, inquit, *amatur aliquid dupliciter. Uno modo, sicut ipse amicus, ad quem amicitiam habemus, & cui bona volumus. Alio modo, sicut bonum quod amico volumus: & hoc modo charitas per charitatem amatur, & non primo; quia charitas est illud bonum, quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus. Et eadem ratio est de beatitudine, aliis virtutibus* (bonisque supernaturalibus.)

Dices. Ergo amare sibi beatitudinem & charitatem, pertinet ad charitatem, non ad amorem concupiscentiæ. *R.* bona omnia supernaturalia pertinere ad objectum materiale charitatis, & amoris concupiscentiæ, sed diverso modo: nam si ea diligimus propter nostrum commodum, seu quia nobis bona sunt & commoda, tunc est amor concupiscentiæ. Si verò ea diligimus propter gloriam Dei, nulla habita ratione proprii commodi, tunc est dilectio charitatis.

Porrò quod diximus de bonis supernaturalibus, dicendum quoque est de omnibus aliis rebus irrationalibus & inanimatis: quamvis enim non sint ex charitate diligibiles, sicut id, quod ut amicus diligitur, quia, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 3. O. *amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum, sed non propriè possumus bonum velle creaturæ irrationali* (& à fortiori inanimatæ,) *quia non est ejus propriè habere bonum, sed solum creaturæ rationalis, quæ est domina utendi bono, quod habet, per liberum arbitrium:* sunt tamen ex charitate diligibiles, *sicut bona, quæ aliis volumus* (quos diligimus ut amicos;) *in quantum scilicet ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei, & utilitatem hominum* (quibus ad consequendam beatitudinem conducere possunt,) ut ait ibidem S. Doctor.

Articulus II.

De objecto formali charitatis.

Propositio I.

Objectum formale charitatis est infinita Dei bonitas absoluta.

Prob. 1. ex S. Thoma 2. 2. q. 23. a. 5. ad 2. ubi sic ait: *Charitate diligitur Deus propter se ipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter à charitate, scilicet divina bonitas.* Et a. 6. in O. *Fides & spes attingunt quidem Deum, secundùm quòd ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni. Sed charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis boni proveniat: & ideò charitas est excellentior fide & spe, & per consequens omnibus aliis virtutibus.*

Prob. 2. ratione. Charitas est omnium virtutum præstantissima, juxta illud Apostoli 1. Cor. cap. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Ergo motivum charitatis est omnium motivorum præstantissimum. Atqui hoc motivum esse non potest nisi infinita Dei bonitas absoluta. Ergo, &c.

Dices 1. Per charitatem desideramus Dei visionem intuitivam ut nobis bonam, & appetitus nostri satiativam: dicit enim S. Augustinus lib. 1. Soliloq. cap. 6. *nos per charitatem desiderare Dei conspectum.* Ergo per charitatem desideramus beatitudinem nostram propter bonitatem Dei respectivam, adeòque bonitas Dei respectiva pertinet ad objectum formale charitatis. *R.* neg. ant. Sic enim desiderare visionem Dei, pertinet ad ipsem, & ejusmodi desiderium oritur ex amore concupiscentiæ, cujus est velle nobis beatitudinem nostram propter bonitatem Dei respectivam, seu quà nostrum bonum est. Tunc igitur solùm per charitatem desideramus visionem Dei, cùm eam desideramus ut medium ad ardentiùs & constantiùs amandum Deum propter se, seu quia in se bonus est, ibi sistendo; vel cùm eam desideramus præcisè, quia Deum propter se diligimus, nulla habita ratione proprii commodi, ut ampliùs explicabitur. Et sic intelligi debet S. Augustinus, cùm ait conspectum Dei nos desiderare per charitatem.

Dices 2. Amare Deum propter beneficia ab eo accepta, est actus charitatis, & tamen objectum formale propter quod Deus tunc amatur, non est bonitas Dei, sed bonitas creata, nempe beneficia à Deo accepta. Ergo, &c. *R.* Deum propter beneficia ab eo accepta amari posse dupliciter. 1. enim amari potest propter beneficia ab eo accepta, vel etiam certò sperata, ut motivum proximum & intrinsecum amandi, & cùm sic amatur, non est actus charitatis, sed gratitudinis. 2. Amari potest propter beneficia ab eo accepta, vel etiam certò sperata, ut motivum remotum & extrinsecum amandi, & cùm sic amatur, est actus charitatis, cujus motivum proximum & intrinsecum est bonitas Dei absoluta, vi cujus nos amat, & nos amando, nobis beneficia contulit, vel probabiliter collaturus est: vel, si vis, cujus motivum & proximum

& in-

& intrinsecum est amor quo Deus nos amat, & qui cum sit summa quædam perfectio, reddit Deum infinitè amabilem propter se. Sed

Nota. Beneficia à Deo accepta, sunt ratio amandi Deum actu charitatis, sicut motiva credibilitatis sunt ratio credendi res à Deo revelatas, actus fidei divinæ. Sicut igitur motiva credibilitatis sunt tantùm ratio remota & extrinseca credendi fide divina res à Deo revelatas, quatenùs tantùm applicant nobis auctoritatem Dei revelantis, quantùm opportet, ut propter eam, tanquam proximam & intrinsecam rationem assentiendi rebus à Deo revelatis, illas fide divina credamus; ita beneficia à Deo accepta, sunt tantùm ratio remota & extrinseca amandi Deum actu charitatis, quatenùs tantùm applicant nobis, ut ita loquar, & sic applicant bonitatem Dei absolutam, ut propter eam, tanquam rationem proximam & intrinsecam amandi, ipsum amare velimus, & amemus. Unde sicut actus fidei divinæ, ad quem inducunt nos motiva credibilitatis, terminatur intrinsecè ad solam auctoritatem Dei revelantis, quæ proinde est objectum formale adæquatum fidei divinæ, ita actus charitatis, ad quem per beneficia à Deo accepta inducimur, terminatur intrinsecè ad solam bonitatem Dei absolutam, quæ proinde sola est objectum formale actus illius charitatis, ad quem inducimur per beneficia à Deo accepta.

Dices. Ex S. Thoma 2. 2. q. 23. a. 4. in O. charitas versatur circa *bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum*. Ergo charitas versatur circa bonum divinum, quà nostrum bonum est. Ergo bonitas Dei non absoluta, sed respectiva, est objectum formale charitatis. *R*. neg. utramque conseq. Nam per illud, *in quantum*, non intendit significare S. Thomas rationem formalem amandi, sed solùm conditionem sine quà Deus non posset amari amore charitatis, quia charitas est amor amicitiæ ad Deum, ac proinde amor quo non solùm diligitur Deus ut amicus, sed etiam appetitur unio & conjunctio cum illo, cujus appetitionis, sicut & dilectionis Dei motivum est bonitas Dei absoluta.

Ad amorem igitur charitatis requiritur, ut Deus possit nobis conjungi & uniri per actus beatificos, adeòque ut sit objectum nostræ beatiudinis; quia si non posset nobis conjungi & uniri per actus beatificos, non posset à nobis appeti unio & conjunctio cum illo, & sic non possemus eum amare eo amore, qui, amicitiæ proprius est: qui enim alterum amat amore amicitiæ non solùm diligit eum propter se, sed eriam simul & indivisibiliter appetit uniri & conjungi cum illo, nulla habita ratione proprii & commodi, & solùm quia alterum propter se diligit.

Dices. Ut amor Dei sit amor charitatis, requiritur & sufficit, ut præscindat à præsentia vel absentia Dei amati. Ergò non solùm bonitas Dei absoluta, sed etiam respectiva potest esse objectum formale charitatis. *R*. neg. ant. Nam datur aliquis amor Dei honestus & supernaturalis, qui non est amor charitatis, sed concupiscentiæ, & tamen hic amor præscindit à præsentia vel absentia Dei amati, seu à possessione Dei, vel negatione hujus possessionis. Unde ad amorem charitatis requiritur aliquid aliud, per quod essentialiter differat ab amore concupiscentiæ, nempe objectum formale notabiliter diversum ab objecto formali amoris concupiscentiæ. Amoris autem cnncupiscentiæ, quo Deum diligimus, objectum formale aliud esse non potest, quàm bonitas Dei respectiva: illud enim concupiscere dicimur, quodamamus, quia nobis bonum & commodum est. Supereſt igitur ut objectum formale charitatis sit bonitas Dei absoluta.

Deum itaque, etiam ut nobis unibilem & conjungibilem per actus beatificos, duplici amore amare possumus amore scilicet charitatis, & concupiscentiæ. Amamus illum amore concupiscentiæ, cùm amamus illum, quia nobis bonus est. Amamus eum amore charitatis, cùm amamuseum, quia in se bonus est. Hinc dupliciter appetere possumus uniri & conjungi cum Deo, seu possidere Deum, eoque frui per actus beatificos. 1. enim hoc appetere possumus, quia nobis bonum & commodum est sic uniri & conjungi cum Deo, & hic appetitus pertinet ad amorem concupiscentiæ, cujus est tendere in Deum, ut nobis bonum & commodum. 2. Hoc appetere possumus, nulla prorsus habita ratione proprii boni & commodi, & hìc appetitus pertinet ad amorem charitatis, cujus est tendere in Deum, præcisè quia in se bonus est, ibi sistendo. Unde per amorem charitatis, Deum, quia in se bonus est, diligimus, & Deum sic dilectum possidere, eoque frui appetimus, præcisè quia illum propter se diligimus.

Dices denique, actus, quo volumus Deo gloriam extrinsecam, quia Dei bonum est, est actus charitatis: Atqui hìc actus habet pro objecto formali bonitatem creatam, nempe bonitatem respectivam gloriæ Dei. Ergo, &c. *R*. neg. min. Nam bonitas respectiva gloriæ Dei non amatur propter se, sed propter Deum, quem propter se amamus actu illo, quo volumus ei gloriam extrinsecam. Unde actus illius, quo Deo volumus gloriam extrinsecam, objectum formale est bonitas Dei absoluta.

Propositio II.

Bonitas Dei absoluta, sumpta non solùm pro collectione omnium perfectionum divinarum, sed etiam pro singulis perfectionibus divinis, seorsim sumptis, est objectum formale charitatis.

Prob. Nam illud omne est objectum formale charitatis, propter quod Deus amabilis est paopter se, adeòque amabilis est amore amicitiæ, & quidem super omnia, quæ non sunt Deus. Atqui propter quamlibet perfectionem divinam, seorsim ab aliis sumptam, Deus amabilis est propter se & super omnia, quæ non sunt Deus. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min*. Nam quælibet perfectio divina, seorsim ab aliis sumpta, est infinita in suo genere. Ergo propter quamlibet perfectionem divinam seorsim ab aliis sumptam, Deus non solùm propter se amabilis est, sed etiam infinitè amabilis, adeòque amabilis super omnia quæ non sunt Deus.

Dices. Omnis actus charitatis est actus perfectissimus. Ergo omnis actus charitatis habet objectum formale perfectissimum. Ergo omnis actus charitatis habet pro objecto formali totam collectionem perfectionum divinarum. *R*. Omnem quidem actum charitatis esse perfectissimum ex suo modo tendendi in Deum generico, quatenùs per quemlibet actum charitatis Deus diligitur super omnia propter se, seu propter bonitatem solam absolutam, nulla prorsus per hunc actum habita ratione commodi diligentis. At inter actus charitatis, sic ex genere suo omnes perfectissimos, sicut alii aliis intensivè perfectiores sunt, quia plures alii, alii pauciores gradus intensionis habent: ita alii aliis perfectiores sunt extensivè, quia alii ad plures, & ad pauciores alii perfectiones divinas extenduntur, aliis ob plures, & aliis ob pauciores perfectiones divinas Deum super omnia diligentibus, in quo nullum est inconveniens.

Dices. Deus per quemlibet actum charitatis propter se diligitur ut infinitè perfectus in omni genere perfectionis. Ergo, &c. *R*. neg. ant. Nam ad actum charitatis satis est, si Deus propter se diligatur ut infinitè perfectus in aliquo genere perfectionis. Deum autem diligere ut infinitè perfectum in omni perfectionis genere, pertinet ad solos charitatis actus, ex objecto formali perfectissimos extensivè.

Dices. Si quælibet perfectio divina seorsim ab aliis potest esse objectum formale charitatis, omnes actus charitatis non sunt ejusdem speciei. Absurdum conseq. Ergo, &c. *R*. dist. seq. maj. Si quælibet, &c. omnes actus charitatis non sunt ejusdem speciei, physicè & strictè loquendo, C. seq maj. Nam v. g. actus charitatis quo Deus diligitur, quia est infinitè justus, physicè & strictè loquendo, est alterius speciei ab actu charitatis, quo Deus diligitur, quia infinitè misericors est. Omnes actus charitatis non sunt ejusdem

spe-

speciei latè & moraliter loquendo, N. seq. maj. Omnes enim in hoc conveniunt, quòd pro objecto formali habeant perfectionem Deo intrinsecam & infinitam, qua redditur Deus infinitè, adeòque super omnia amabilis propter se: quod sufficit ad hoc ut pertineant ad eundem habitum per se infusum: habitus enim per se infusi se habent per modum potentiæ adeòque valere possunt ad actus diversos specie physica, qui conveniunt in modo generico tendendi in objectum.

Propositio III.

Deus non solùm ut auctor bonorum supernaturalium, sed etiam ut auctor bonorum naturalium, est objectum formale charitatis justificantis, & supernaturalis.

Prob. 1. Deus ut auctor bonorum naturalium, est objectum formale charitatis: nam perfectio omnis, per quam Deus redditur infinitè amabilis propter se, potest esse objectum formale charitatis, ut patet ex dictis hactenùs. Atqui perfectio, per quàm Deus est auctor bonorum naturalium, reddit Deum infinitè amabilem propter se: est enim infinita, & Deo intrinseca per summam identitatem. Ergo, &c.

2. Deus ut auctor bonorum naturalium, est objectum formale charitatis justificantis: nam Deus ut auctor bonorum naturalium, est infinitè amabilis propter se. Ergo ut talis, est amabilis propter se super omnia. Ergo ut talis, amabilis est perfecto amore amicitiæ. Atqui omnis perfectus amor amicitiæ ad Deum justificativus est. Ergo Deus ut auctor bonorum naturalium, est objectum formale amoris seu charitatis sufficientis ad justificationem. Unde ulteriùs sequitur Deum, ut est auctor bonorum naturalium, esse objectum formale charitatis supernaturalis: ad omnem enim charitatem justificantem, sicut ad quemlibet alium actum pietatis, adjutorium gratiæ necessarium esse, & sic omnem charitatem justificantem, sicut & quemlibet alium actum pietatis superare vires naturæ, fides docet.

Dices. Amor naturalis & supernaturalis habent diversa objecta formalia. Atqui Deus, ut auctor bonorum naturalium, est objectum formale amoris naturalis. Ergo ut talis, non potest esse objectum formale amoris supernaturalis. *Prob. min.* Nam in statu naturæ puræ, nec vitiatæ per peccatum originale, Deus cum solis naturæ viribus, & absquæ omni dono gratuito superaddito, amaretur propter se ut auctor rerum naturalium.

R. neg. maj. Nam idem amor Dei propter se, qui non superat vires naturæ puræ & non vitiatæ, superat vires naturæ lapsæ, & per peccatum originale corruptæ; & ita idem amor Dei propter se, qui naturalis esset in uno statu, supernaturalis est in alio statu. Potest igitur esse idem objectum formale amoris naturalis & supernaturalis. Præterea, potest eadem perfectio divina esse objectum formale duplicis amoris Dei propter se, quorum unus tendat in Deum cum appretiatione, quæ non superet vires naturæ, puræ & alter tendat in Deum cum appretiatione, quæ vires naturæ, quantùmvis puræ & non vitiatæ, superet. Atqui hic amor supernaturalis erit, ille verò naturalis. Ergo, &c.

Articulus III.

Quid sit charitas actualis, & quotuplex.

1. Charitas est actus, quo Deum propter se, vel proximum aut nosmetipsos propter Deum diligimus. Deum autem diligi propter se, est Deum diligi propter bonitatem suam absolutam, hoc est, vel propter omnes perfectiones divinas, vel saltem propter aliquam ex perfectionibus divinis, ibi sistendo, nulla prorsus habita ratione proprii nostri commodi. Patent hæc omnia ex dictis hactenùs Art. I. & II.

2. Charitas dividitur in perfectam & imperfectam appretiativè. Charitas imperfecta appretiativè est actus quo Deus verè diligitur propter se, sed nondum super omnia diligitur: unde hic amor Dei non est incompossibilis cum omni affectu ad peccatum mortale, & ita non habet vim justificandi: nec est charitas, nisi cum addito diminuente, inchoata, imò & tollente rationem propriam charitatis: quare simpliciter dici non potest charitas, sed solùm dici debet inchoatio charitatis.

Charitas perfecta appretiativè, est actus quo Deus non solùm propter se, sed etiam super omnia diligitur. Charitatis autem sic sumptæ, quæ dicitur & est charitas simpliciter, tres sunt gradus. Primus est, cùm Deus propter se diligitur super omnia alia bona, quæ obtineri vel retineri non possunt sine gravi offensa Dei: ita ut homo diligens Deum, malit bonis illis carere, quàm illa contra voluntatem seu legem Dei graviter obligantem obtinere vel retinere. Hinc porrò gradus charitatis, cùm excludat omnem affectum ad peccatum mortale, sufficit ad justificationem peccatoris. Præterea, ad salutem necessarius est; cùm cadat sub præceptum sub mortali obligans suo tempore.

Secundus gradus est, cùm Deus propter se diligitur super omnia, non solùm graviter, sed etiam leviter Deo displicentia, ita ut homo paratus sit potiùs quolibet bono carere, vel quodlibet malum pati, quàm Deum vel leviter offendere. Unde hic gradus charitatis incompossibilis est cum omni affectu non solùm ad peccatum mortale, sed etiam ad veniale. Ad Christianam perfectionem necessarius est, non ad salutem: non enim est præcepti, sed consilii tantùm. *At inquies*. Tenemur vitare omnia venialia. *R.* non tenemur vitare ex motivo charitatis, & possumus ea vitare ex motivo aliarum virtutum, & si sic vitemus, sufficit.

Tertius gradus est, cùm Deus propter se diligitur non solùm super omnia ei displicentia sive graviter sive etiam leviter, sed etiam super omnia, quæ ei minus grata & accepta sunt. Unde hic tertius gradus amoris Dei propter se, incompossibilis est non solùm cùm omni peccato sive mortali sive etiam veniali, sed & cum omni imperfectione deliberata. Et homo sic diligens Deum, semper eligit id quod judicat esse gratius & acceptius Deo, illudque anteponit cuilibet alteri bono, quamvis licito, sibique utili jucundo & honorifico. Hic charitatis gradus summus christianæ perfectionis gradus est, nec cadit sub præceptum, sed sub consilium tantùm.

3. Charitas perfecta appretiativè, dividitur in perfectam & imperfectam intensivè. Item in perfectam & imperfectam extensivè. Charitas imperfecta intensivè, est ea, quæ non habet plures, aut saltem non multò plures gradus intensionis, quàm ad perfectam appretiationem requirantur: perfectam enim appretiationem sine aliquibus intensionis gradibus, seu sine aliquo voluntatis conatu sibi proportionato esse non posse, nobis persuasum est. Charitas perfecta intensivè, est ea, quæ multò plures, quàm ad perfectam appretiationem requirantur, intensionis gradus habet. Charitas perfecta extensivè, est ea, quæ cumulum omnium perfectionum divinarum: imperfecta verò extensivè, est ea quæ non omnes perfectiones divinas, sed aliquam vel aliquas tantùm habet pro objecto formali.

Quæres, utrùm amor Dei propter se, & amor proximi propter Deum, sint ejusdem speciei?

R. Sunt ejusdem speciei moralis: quia cùm habeant idem objectum formale, habent eandem honestatem moralem. At non sunt ejusdem speciei physicæ, quia habent diversa objecta materialia, non eodem modo per objectum formale affecta: unum enim objectum materiale intrinsecè, alterum verò extrinsecè tantùm afficitur per formale, quod proinde ad unius materialis amorem propter se, & ad alterius amorem propter aliud movet. Unde amor Dei propter se, & amor proximi propter Deum, physicas habent tendentias specificè diversas. Ex quo sequitur tantùm, non omnes actus charitatis esse ejusdem spe-

ſpeciei phyſicæ; quod non eſt inconveniens, ut jam obſervatum eſt.

Quæres, utrùm actus, quo diligitur proximus propter bona ſupernaturalia gratiæ & gloriæ, quibus eſt, vel creditur eſſe prædituſ, ſit actus charitatis?

R. Actus, quo diligitur proximus propter dona ſupernaturalia gratiæ & gloriæ, quia placent propter bonitatem Dei increatam, ad quam dicunt ordinem, & ad cujus manifeſtationem conducunt, eſt actus charitatis. Ratio eſt, quia hic actus habet pro objecto formali ultimo bonitatem Dei increatam, abſolutè ſumptam. Propter oppoſitam rationem non eſt actus charitatis, ſed virtutis inferioris, ſi ſupernaralia illa dona purè & præcisè placeant propter bonitatem ſuam creatam: tunc enim actus illius objectum formale planè aliud eſt ab objecto formali charitatis, quod eſt bonitas Dei increata, abſolutè ſumpta.

Dixi autem, actum illum quo diligitur proximus præcisè propter bonitatem creatam donorum ſupernaturalium gratiæ & gloriæ, eſſe actum virtutis inferioris. Nam 1. eſt actus honeſtus, & ad Deum per charitatem referibilis. At omnis actus honeſtus ad aliquam virtutem pertinet. Unde cùm actus ille propriam & ſpecialem honeſtatem habeat, eum ad ſpecialem virtutem pertinere neceſſe eſt. 2. Nititur motivo, quod inferius eſt motivo charitatis, adeòque ad virtutem charitate inferiorem pertinet, quamvis ſit virtus ſupernaturalis, & per ſe infuſa. Pro quo

Nota. Hic in ordine ſupernaturali duplex diſtinguenda eſt virtus per ſe infuſa: una ſcilicet, quâ diligimus Deum propter ſe, & proximum propter Deum, & eſt charitas, quæ eſt virtus theologica, & habet pro objecto formali adæquato bonitatem Dei increatam: altera verò, qua diligimus proximum præcisè propter dona ſupernaturalia gratiæ vel gloriæ, quibus exornatus eſt, & eſt amicitia humana moralis, quæ habet pro objecto formali adæquato ſupernaturalem bonitatem creatam, proximo intrinſecam: unde non eſt charitas, ſed una ex virtutibus illis inferioribus, quæ cum charitate infunduntur, & cum charitate corrumpuntur.

Porrò primum modum diligendi proximum paſſim commendant & inculcant Scripturæ & Patres, cùm ſecundi non meminiſſe videantur; tum quia primus ſecundo longè præſtat; tum quia primus; non ſecundus, nobis à Deo præceptus eſt.

Quæres, utrùm charitas actualis patriæ ſpecie differat à charitate actuali viæ?

R. Charitas actualis patriæ ſpecie differt à charitate actuali viæ. Nam actus charitatis in patria ſpecificatur à bonitate divina, ut clarè per viſionem beatificam propoſita; & in via ſpecificatur à bonitate divina, ut obſcurè tantùm propoſita per fidem. Atqui eadem bonitas divina in ratione movendi voluntatem, & actus ejus ſpecificandi, ut clarè propoſita per viſionem beatificam, virtualiter diverſa eſt ſpecificè à ſe ipſa, ut obſcurè tantùm per fidem propoſita. Ergo actus charitatis in patria habet ſpecificativum, ſeu objectum formale ſpecie diverſum virtualiter à ſpecificativo ſeu objecto formali, quod habet actus charitatis in via. Ergo actus charitatis in patria ſpecificè differt ab actu charitatis in via.

Hoc argumentum ſuggerit S. Auguſtin. lib. de ſpir. & litt. cap. 36. ubi ſic loquitur: *Quis vero exiſtimare audeat, cùm eò ventum fuerit quod ait*, ut cognoſcam ſicut cognitus ſum, *tantam* (ſolùm) *Dei dilectionem fore contemplatoribus ejus, quanta fidelibus nunc eſt? aut illo modo hanc illi tanquam de proximo comparandam? Porrò ſi quantò major notitia, tantò erit major dilectio; perfecto nunc quantum deeſt dilectioni, tantum tunc perficiendæ juſtitiæ deeſſe credendum eſt ... Cùm ab hac peregrinatione, in qua per fidem nunc ambulatur, non per ſpeciem, perventum erit ad ſpeciem ... proculdubio & ipſa dilectio non ſolùm ſupra quàm hic habemus, ſed longè ſupra quàm putimus, & ſupra quàm intelligimus, erit: nec ideò tamen plus eſſe poterit, quàm ex toto corde.*

Juxta S. Doctorem igitur, quantò major erit notitia Dei in patria, tantò major erit dilectio Dei propter ſe; & quia notitia Dei in patria major erit incomparabiliter, incomparabiliter quoque major erit dilectio Dei propter ſe. At non erit dilectio Dei propter ſe in patria incomparabiliter perfectior, quàm dilectio Dei proprer ſe in via, niſi quia in eodem ordine ſupernaturali & divino, dilectio Dei propter ſe in patria, eſt altioris & perfectioris ſpeciei, quàm dilectio propter ſe in via. Ergo re vera dilectio Dei propter ſe altioris & perfectioris erit ſpeciei in patria, & bonitas Dei intuitivè viſa movebit ad altiorem & perfectiorem ſpeciem dilectionis Dei propter ſe, quàm moveat, aut etiam movere poſſit eadem bonitas Dei obſcurè tantùm per fidem cognita. Ergo, &c.

At inquies. Juxta S. Doctorem, dilectio Dei propter ſe in patria, non erit incomparabiliter major, niſi ratione intenſionis. *R.* hoc eſſe falſum: nam charitas in patria, aut omninò non erit, aut ſaltem non erit notabiliter intenſior, quàm habitus charitatis. Certè communis Doctorum ſententia eſt, quòd actus charitatis à beatis in cœlo non eliciatur intenſior habitu ſuo. Igitur dilectio Dei propter ſe in patria incomparabiliter major erit ratione appretiationis ſpecificè diverſæ.

At inquies. Juſti viatores Deum propter ſe diligunt ex toto corde, & juxta S. Doctorem, comprehenſores non poterunt Deum propter ſe plus diligere, quàm ex toto corde. Ergo, juxta S. Doctorem, dilectio Dei propter ſe in patria nec poteſt eſſe major appretiativè, quàm dilectio Dei propter ſe in via. Ergo ſupereſt, ut juxta S. Doctorem, dilectio Dei propter ſe in patria, ſit incomparabiliter major ratione intenſionis tantùm.

R. Comprehenſores quidem non plus Deum propter ſe diligere, quàm ex toto corde, ſed eum propter ſe diligere ex toto corde cum appretiatione altioris & perfectioris ſpeciei, quacum comparari non poteſt appretiatio, qua juſti viatores Deum propter ſe diligunt ex toto corde in hac mortali vita. Unde neg. utramque conſequentiam.

Dices. Apoſtolus loquens de charitate actuali 1. Cor. c. 13. ait: *Charitas nunquam excidit*. Ergo, ſecundùm Apoſtolum, actus charitatis idem eſt in via & in patria. *R.* diſt. conſ. Ergo actus charitatis in via & in patria idem eſt ſecundùm rationem genericam charitatis, C. conſeq. Sicut enim in via Deus propter ſe diligitur ex toto corde à juſtis; ita, & quidem à fortiori, in patria Deus propter ſe diligitur ex toto corde à beatis. Actus charitatis in via & in patria idem eſt ſecundùm rationem ſpecificam, N. conſeq. Nam actus quo Deus in patria ex toto corde à beatis propter ſe diligitur, eſt altioris & perfectioris ſpeciei; quia à beatis Deus diligitur cum appretiatione ſpecificè majore & perfectiore. Sed

Nota. Cùm ait Apoſtolus, charitatem nunquam excidere, hoc dicit relatè ad fidem, qua creduntur myſteria à Deo revelata; & ad ſpem, ſeu ad actum primarium virtutis ſpei. In patria autem non creduntur myſteria à Deo revelata, ſed intuitivè videntur: nec ſperatur beatitudo, cùm ſit præſens, & futura ſit in æternum infallibiliter & invariabiliter præſens. At ſicut in via, ita & in patria Deus propter ſe ex toto corde diligitur. Et ex eo quòd in patria Deus propter ſe ex toto corde diligatur cum appretiatione majore & perfectiore ſpecificè, non ſequitur charitatem excidere, ſed è contra perfici eam colligitur: ſicut v. g. fides non excideret, ſed magis perficeretur, ſi in patria myſteria hic à Deo revelata crederentur, quamvis cum appretiatione ſpecificè majore & perfectiore.

Quæres, utrùm charitas actualis ſit intenſior in patria, quàm ſit in via?

R. 1. Reſpectu ejuſdem hominis, charitas actualis ſolet eſſe intenſior in patria, quam fuerit in via. Ratio eſt, quia ſæpe homo in via non diligit Deum ſecundùm totam latitudinem charitatis habitualis, quam habet; & dato quòd quandoque ſecundùm, imò ſuprà totam latitudi-

tudinem illam Deum diligat, solet non solùm per actus illos, quibus sic Deum diligit, sed etiam per alios remissiores actus charitatis, aut etiam aliarum virtutum in se charitatis habitum intendere. Unde fit, ut habitus charitatis, quocum moritur, & quem habet in patria, intensior sit actu charitatis omnium, quos in via elicuit, intensissimo, atque ita, cùm in patria necessariò diligat Deum ex tota latitudine habitus charitatis, quem habet; sequitur quòd necessariò dilectionem Dei in patria intensiorem habeat, quàm unquam habuerit in via.

Dices. Viatores speciali gratiæ auxilio adjuti, quandoque, imò fortasse sæpe Deum diligunt supra totam latitudinem charitatis habitualis, quam habent. Ergo gratis dicuntur comprehensores Deum non diligere supra totam latitudinem habitus charitatis, quem habent. *R.* neg. conseq. Cùm enim comprehensores sint in termino, in quo crescere non possunt in sanctitate, & fruantur præmio proportionato meritis suis, quæ augeri non possunt; nulla ratio est, eis ad actum charitatis habitu suo intensiorem eliciendum concedendi specialia illa auxilia, quæ viatores identidem accipiunt ad producendos actus intensissimos, ut hoc pacto ad majorem sanctitatem promptiùs promoveantur.

R. 2. Charitas actualis in aliquibus viatoribus intensior est, quàm in variis comprehensoribus. Ratio est, quia in aliquibus viatoribus, qui nimirùm eximiè sancti sunt, charitas actualis intensior est charitate habituali variorum comprehensorum, qui cùm non habeant charitatem actualem intensiorem habituali, Deum non tam intensè diligunt, quàm ab aliquibus viatoribus diligitur.

Dices. Christus Matth. c. 11. sic ait: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*. Ergo minimus comprehensorum major est maximo viatorum. Nisi quia Deum intensiùs diligit. *R.* hoc neg. Itaque minimus comprehensorum major est maximo seu sanctissimo viatorum, non quia Deum intensiùs diligit, sed 1. quia Deum diligit cum appretiatione specificè majore & perfectiore. 2. Quia est in eo statu, in quo summa necessitate Deum perfectissimè diligit, sic ut charitatem non possit amittere, nec ab actuali ejus exercitio unquam impediri, aut etiam retardari.

ARTICULUS IV.

Utrùm dari possit vera amicitia homines inter & Deum.

NOta. Triplex est amicitia, utilis scilicet, delectabilis, & honesta. Amicitia utilis est ea, in qua amicus diligitur propter utilitatem & proprium commodum amanti. Delectabilis est ea, in qua amicus diligitur propter voluptatem. Honesta denique est ea, in qua amicus diligitur propter se & propter honestatem. Prima & secunda non sunt verè & propriè amicitia, sed sola tertia, quia sola tertia per veram benevolentiam amicos conjungit. Porrò quamvis vera amicitia non sit utilis, vel delectabilis eo sensu quòd non contrahunt propter utilitatem vel delectationem, sed propter honestatem, seu propter illius, qui diligitur, virtutem, propter quam illum diligere, nulla habita ratione utilitatis vel delectationis propriæ, honestum est; nihilominus in alio vero sensu utilis est & delectabilis, quia re ipsa utilitatem affert & voluptatem; utilitatem quidem, propter bonorum communicationem, & voluptatem, propter conjunctionem animorum, & affectuum. Sed

Nota iterum. Vera amicitia duplex est; una æqualitatis, qualis reperitur inter omninò pares; & altera supereminentiæ, qualis intercedit inter parentem ac filium, & inter principem ac subditum, inter quos datur æqualitas non simpliciter, sed cum addito diminuente proportionalis, seu inter quos datur aliquid, vi cujus in estimatione prudenti filius parentis, & subditus principis amicitæ sufficienter proportionatur. Primam amicitiam hominem inter & Deum intercedere non posse, clarum est. Igitur de secunda tantùm institui potest quæstio, pro, cujus resolutione.

Nota 3. Ad veram amicitiam requiruntur & sufficiunt æqualitas vel perfecta, vel saltem proportionalis; mutua benevolentia; hujus mutuæ benevolentiæ notitia saltem probabili; communicatio; familiaritas; consuetudo; animorum unio; stabilitas: His præsuppositis, sit.

RESPONSIO.

Datur vera amicitia inter Deum, & hominem, qui charitatem habet.

Prob. ex Scriptura. Nam Psal. 138. dicitur: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus*. Per amicos autem illos intelligit proculdubio Psalmista homines justos & sanctos. Joan. c. 15. sic ait Christus: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*. In quæ verba sic habet S. Augustinus tract. 85. in Joan. *Magna dignatio . . . . ut Dominus, quos novit servos suos, dignetur dicere amicos*. Cùm autem Christus dicit, *Si feceritis, &c.* perinde est ac si diceret: Si manseritis in dilectione mea, in qua manere non potestis nisi observando præcepta mea. Unde superiùs dixerat: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*. Scripturæ consonat Synodus Tridentina sess. 6. c. 7. ubi declarat peccatorem, cùm justificatur, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum fieri ex inimico amicum, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.

Prob. ratione. Nam 1. homo qui charitatem habet, est filius Dei adoptivus, hæres vitæ æternæ, intrinsecè & permanenter habilis ad exercendas operationes supernaturales & divinas, adeòque modo quodam excellentissimo naturæ divinæ particeps: unde perfectissimam quandam similitudinem habet cum Deo; quæ similitudo, qua homo evehitur ad ordinem divinum, est quædam cum Deo æqualitas, non quidem perfecta, & simpliciter dicta; qualis inter pares invenitur, sed proportionalis, qualis reperitur inter filium & parentem, & reperiri potest inter subditum & regem, atque sufficit ad amicitiam supereminentiæ.

2. Inter Deum, & hominem qui charitatem habet intercedit mutua benevolentia. Nam homo, qui Deum ex charitate diligit, vult bonum Dei, quia bonum ejus est, absque ullo respectu ad propriam utilitatem, vel delectationem. Similiter Deus homini, ipsum ex charitate diligenti, vult bonum, non propter suam, sed propter solam illius utilitatem & delectationem: quanquam, quia essentialiter est finis ultimus rerum omnium, ad quem proinde omnia referri necesse est, & hominem, & bonum quod vult homini, referat ad se ipsum, seu ad gloriam suam extrinsecam. Sed hæc gloria, propriè loquendo, non est utilis Deo, quia per eam non fit beatior. Unde Deus ad hanc gloriam referendo bonum quod homini vult, non intendit propriam utilitatem; quare solam utilitatem hominis, cui vult bonum, intendere dicendus est. Deus igitur hominem, ipsum ex charitate diligentem, amat amore benevolentiæ, quia vult illi bonum, ut bonum illius, nulla habita ratione utilitatis propriæ: non enim bonum quod homini vult, refert ad gloriam suam ex affectu proprii commodi, qualis affectus locum habere non potest in Deo, sed quia aliter non potest ordinatè velle bonum homini.

3. Hæc mutua benevolentia constat, Deo quidem certò & infallibiliter, homini verò probabiliter, quod sufficit: homo enim eodem modo cognoscit se à Deo diligi, quo cognoscit se Deum diligere: Deus enim diligentes se diligit, ut dicitur Prov. c. 8. At homo, qui charitatem habet, probabiliter cognoscit se Deum diligere.

4. Bonorum communicatio, familiaritas, & conversatio ad veram amicitiam requisitæ, hic non desunt: Deus enim homini communicat bona tum naturalia, tum

supernaturalia : homo verò pro bonis illis reddit Deo gratiarum actionem, laudem, honorem, obsequia. Item Deus per internas illustrationes & inspirationes agit cum homine justo, & vicissim homo justus agit cum Deo per pias cogitationes, orationes, & pia desideria.

5. denique, non desunt animorum conjunctio & stabilitas. Non deest animorum conjunctio : nam, ut ait Apostolus 1. Cor. c. 7. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*. Hanc affectuum unionem significat Christus Joan. c. 14. ubi ait; *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Non deest stabilitas: nam amicitia illa de se æterna est: ut enim ait Apostolus 1. Cor. c. 13. *Charitas* (quæ amicitam illam constituit) *numquam excidit*. Et verò justus per mortem non definit esse amicus Dei, sed è contra transit ad consummatissimum amicitiæ statum.

Obj. Ad amorem amicitiæ prærequiritur in persona amata ratio amoris honesti, seu ratio illam amandi propter se ipsam; adeòque amorem amicitiæ præcedit in persona amata ratio amoris honesti. Atqui amorem divinum ratio amoris honesti nec præcedit, nec præcedere potest in creatura rationali. Ergo amor divinus erga creaturam rationalem, nec est, nec potest esse amor amicitiæ.

R. ad amorem amicitiæ inter creaturas prærequiri in persona amata rationem amoris honesti; at non prærequiri ad amorem amicitiæ inter Deum, & creaturas; non prærequiri, inquam, ex parte creaturarum. Ratio disparitatis est, quia creatura amando aliam creaturam, non potest illam reddere dignam amore honesto, seu, quod idem est, non potest illam reddere dignam amari propter se : unde prius est ut creatura sit digna amari propter se, quàm possit amari ab alia creatura amore amicitiæ. At Deus amando creaturam rationalem, illo scilicet amore quo eam evehit ad ordinem divinum, per infusionem donorum supernaturalium reddit eam amore etiam amicitiæ dignam pro eodem illo instanti reali, quo eam amat, & infundit ei dona supernaturalia; licèt non intelligatur digna, nisi pro posteriori rationis, quo intelligitur ad ordinem divinum, seu ad excellentissimam quandam naturæ divinæ participationem evecta. Deus igitur in creatura rationali, quam amat amore amicitiæ, non præsupponit rationem amoris honesti, sed eam causat amore illo amicitiæ, quo creaturam rationalem prosequitur.

Obj. Ad veram amicitiam requiritur mutua beneficiorum collatio. Atqui homo in Deum beneficia conferre non potest. Item vera amicitia parit obligationem præstandi consueta benevolentiæ officia. Atqui Deus obligari non potest homini. Ergo, &c. *R.* majorem utramque falsam esse. Cum una ex personis amantibus alteri debet id totum quod est, potest, & operatur : tunc enim ad veram amicitiam solùm requiritur, ut persona, quæ sic alteri debet omnia, pro beneficiis ab altera in ipsam liberaliter collatis rependat laudem, honorem, gratiarum actiones, & obsequia sua: quia tunc est bonorum communicatio sufficiens ad veram amicitiam: nec ad bonorum communicationem, quæ ad veram amicitiam sufficiat, requiritur ut sit obligationis in utraque persona amante, sed sufficit ut sit dignationis in ea persona, cui ab alia debentur omnia.

ARTICULUS V.

De habitu charitatis.

Propositio I.

Habitus charitatis est ens creatum, nempe qualitas physica, supernaturalis, & per se infusa, inhærens animæ, ipsamque permanenter habilitans ad actus, quibus Deus propter se, & proximus propter Deum diligitur.

Est omnium Doctorum contra Magist. Sent. in 1. dist. 17. ubi docet charitatem actualem non produci ab aliquo habitu in anima producto, eique inhærente, sed immediatè à Spiritu S. animam inhabitante, & hoc sensu Spiritum Sanctum, inhabitantem animam, esse charitatem habitualem.

Prob. 1. Ex Apostolo dicente Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Quibus verbis Apostolus manifestè charitatem a Spiritu Sancto distinguit, tanquam effectum a causa efficiente, tanquam donum infusum ab infundente. Quod autem Apostolus non de actuali, sed de habituali charitate loquatur, demonstratur ex Trid. sess. 6. c. 7. ubi cùm ait, *Per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret*; evidenter alludit ad citata Apostoli verba, & tamen non de actuali, sed de habituali charitate loquitur.

2. Ex Trid. verbis modò laudatis, & immediatè subsequentibus: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*. Hìc autem Synodus manifestè non actus, sed habitus fidei, spei & charitatis intelligit; non enim homo actus fidei, spei & charitatis infusos accipit in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, sed illos ante habuit, & per illos se disposuit ad ipsam justificationem, ut dicitur eodem cap. juncto cap. 6. Charitas igitur habitualis non est ipse Spiritus Sanctus, sed qualitas physica; non enim est substantia: supernaturalis; peccator enim non justificatur per infusionem donorum naturalium; adeòque per se & essentialiter infusa: inhærens animæ; nam per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, & in illis manet, donec per peccatum mortale expellatur : animam permanenter habilitans ad actus, &c. nam se habet per modum potentiæ, potentiis naturalibus supradditæ, animam complentis ad actus &c.

Obj. Spiritus Sanctus est charitas: nam 1. Joan. c. 4. dicitur: *Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Ergo, &c. *R.* Spiritum Sanctum esse formaliter charitatem increatam, tum essentialem, quia est amor essentialis, qui tribus personis divinis communis est; tum notionalem, quia procedit per viam amoris, quod ei proprium est. At non est nisi causaliter charitas, qua creaturæ rationales Deo diligunt, & quæ est qualitas creata, in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusa. Doctrinam hanc tradit S. Bernardus in tract. 3. de diligendo Deo, ubi hæc habet: *Dicitur rectè charitas & Deus, & Dei donum. Charitas dat charitatem; substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen substantiæ est; ubi donum, qualitatis*.

Obj. S. Augustinus lib. 8. de Trin. c. 8. dicit, dilectionem, qua diligimus fratres, non solùm esse ex Deo, sed etiam esse Deum. *R.* S. Doctorem hic loqui, non de dilectione, qua formaliter, sed de dilectione, qua efficienter constituimur dilectores fratrum. Dilectio autem hoc secundo sensu accepta, est ipse Spiritus Sanctus per quem, ut ait Apostolus, in cordibus nostris diffunditur charitas illa habitualis, quæ per se ipsam constituit nos habituliter dilectores, sicut per actum suum constituit nos dilectores actualiter. De ea autem loquitur lib. de spir. & litt. c. 32. *Charitas Dei est*, inquit, *diffundi in cordibus nostris, non qua nos diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut dicitur justitia Dei, quæ justi ejus munere dicimur*.

Propositio II.

Charitas habitualis est virtus specialis, theologica, & omnium virtutum præstantissima.

Prob. per partes. 1. Charitas est virtus: nam ille habitus est virtus, qui inclinat ad actus honestos. Atqui habitus charitatis inclinat ad actus honestos: inclinat enim ad amandum Deum propter se, & proximum propter Deum. Amare autem Deum propter

pter se, & proximum propter Deum honestissimum est. Ergo, &c.

2. Charitas habitualis est virtus specialis: nam ille habitus est virtus specialis, qui specialem habet modum tendendi in Deum immediatè; adeòque inclinat in actus specialiter honestos. Atqui talis est habitus charitatis: nullus enim alius habitus inclinat ad amandum Deum propter se, & proximum propter Deum, ibi sistendo, & nulla habita ratione proprii commodi. Ergo, &c.

3. Charitas habitualis est virtus theologica: nam ille habitus est virtus theologica, qui habet pro objecto formali, & pro materiali primario Deum. Atqui habitus charitatis Deum habet pro objecto formali & pro materiali primario, ut manifestum est ex Articulo 1. & 2. Ergo, &c.

4. Charitas habitualis est omnium virtutum præstantissima. Nam 1. præstantior est omnibus virtutibus moralibus, cùm sit virtus theologica. 2. Præstantior est aliis virtutibus theologicis, nempe fide & spe, ut probatur ex Apostolo 1. Cor. cap. 13. ubi ait: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Ex quo loco sic argumentor breviter, supponendo hic Apostolum loqui tantum de actibus fidei, spei & charitatis. Ille habitus præstantior est, cujus præstantior est actus. Atqui ex Apostolo, actus charitatis præstantior est actibus fidei & spei. Et verò charitas nos magis cum Deo conjungit, quàm fides, si tamen fides dici potest nos Deo conjungere; & nos perfectiùs conjungit Deo, quàm spes: nam per spem adhæremus Deo, quia nostrum bonum est; per charitatem verò adhæremus Deo, quia in se bonum est, nulla habita ratione nostri commodi; qui modus tendendi in Deum, eique adhærendi, longè excellentior est. Ergo, &c.

Propositio III.

Charitas habitualis est virtus amicitiæ.

Prob. Ille habitus est virtus amicitiæ, cujus actus est amor amicitiæ. Atqui amor Dei, ad quem inclinat habitus charitatis, est amor amicitiæ: habet enim conditiones omnes ad id requisitas, ut probatum est. Ergo, &c.

Propositio IV.

Charitatis habitualis subjectum immediatum est voluntas; mediatum verò sunt justi omnes, sive in via, sive extra viam sint.

Prob. 1. *pars.* Subjectum immediatum habitus infusi est ea potentia naturalis, cui infunditur habitus. Atqui habitus charitatis infunditur voluntati, ut eam scilicet intrinsecè & permanenter compleat ad operandum modo divino, amando Deum propter se, & proximum propter Deum. Hinc illud Apostoli Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Ergo, &c.

Prob. 2. *pars.* Subjectum mediatum habitus est suppositum in quo & cujus est habitus. Atqui charitas habitualis est, 1. in justis viatoribus: viatores enim justificantur per infusionem habituum fidei, spei & charitatis. 2. In justis, qui sunt in purgatorio: non enim aliter justi sunt, quàm justi viatores. 3. In justis comprehensoribus: nam justi comprehensores habent charitatem habitualem; justi enim tam sunt intrinsecè & permanenter habiles ad amandum Deum propter se in patria, quàm fuerunt in via. Ergo vel habent eandem, quam habuerunt in via, vel habent specificè diversam & perfectiorem. Secundùm dici non potest, saltem cum sufficienti fundamento. Ergo primum dicendum est, nempe quòd eundem speciè & numero charitatis habitum habeant in patria, quem habuerunt in via.

At inquies. Amor patriæ specificè diversus est ab amore viæ, eoque specificè perfectior. Ergo charitas habitualis, qualis habetur in via, non manet in patria, sed alius habitus succedit altioris & perfectioris speciei. *R.* neg. conseq. Nam amor patriæ connaturalis est charitati habituali, qualis habetur in via; & quòd cum illa à justo viatore non possit amari Deus cum ea appretiatione, quacum amatur à justo comprehensore, hoc non ex ejus; sed ex fidei, quæ imperfecta & obscura est, defectu provenit. Hinc charitas habitualis longè excellentior est quovis actu amoris Dei propter se à justo viatore elicito. Unde charitas habitualis, non actualis, qualis haberi potest in via, est forma sanctificans.

Quæres 1. Utrùm charitas habitualis sit forma aliarum virtutum?

Respondeo affirmativè. Cum S. Thoma 2. 2. q. 23. a. 8. in ⊙. Ratio est, quia sine charitate habituali non possumus promereri gloriam per actus aliarum virtutum; adeòque virtutes aliæ sine charitate habituali nobis ad promerendam gloriam inutiles sunt. Ergo virtutes aliæ sine charitate habituali non sunt nisi virtutes informes & imperfectæ: ille enim solùm virtutes formatæ & perfectæ virtutes dici possunt & dicuntur, quarum actus gloriæ meritorii sunt. Ergo charitas habitualis rectè dicitur forma & perfectio virtutum aliarum. *Prob. ant.* Nam charitatis habitualis est actus aliarum virtutum ordinare ad finem ultimum, seu Deum; & sine hac ordinatione actus aliarum virtutum non possunt esse meritorii vitæ æternæ.

Quæres 2. Utrùm charitas habitualis possit diminui?

R. 1. Cum S. Thoma 2. 2. q. 24. a. 10. in O. charitatem habitualem non posse diminui directè.

Prob. Nam si potest diminui directè, certè per peccatum: nihil enim nisi peccatum charitati habituali contrarium esse potest. Atqui charitas habitualis non diminuitur directè per peccatum. nam si diminuitur, vel per peccatum mortale, vel per veniale. Neutrum dici potest. Non primum: nam per peccatum mortale quodlibet totaliter corrumpitur charitas habitualis. Non etiam secundùm: nam si charitas habitualis diminuitur per peccatum veniale, multiplicatis venialibus, totaliter tandem destruetur, & ita fieri poterit ut homo propter sola venialia multiplicata damnetur, moriendo scilicet post amissam totaliter charitatem habitualem per multiplicationem venialium. Quod est absurdum & erroneum. Ergo, &c.

R. 2. Cum S. Thoma ibidem, rectè dici posse, quòd per venialia charitas habitualis indirectè diminuatur: nam ut ait S. Thoma loco citato, *potest indirectè dici diminutio charitatis dispositio ad corruptionem ipsius.* Atqui venialia disponunt ad corruptionem charitatis habitualis: nam disponunt ad mortale, quo charitas habitualis corrumpitur. Disponunt autem ad mortale, augendo concupiscentiam, intendendo habitus pravos in materia peccati mortalis, & impediendo abundantiam gratiarum actualium, quibus homo à mortalibus præservatur.

Adde quòd peccata venialia etiam rectè dicantur, indirectè diminuere charitatem habitualem, quatenùs impediunt exercitium illius. Impediunt autem exercitium illius, quia faciunt, ne actus illius frequenter producantur. Item, quia faciunt, ne aliarum virtutum actus, præsertim heroicus, facilè imperet. Item, quia faciunt, ne Deus intensè seu cum fervore diligatur. Porrò cùm Patres videntur docere, per venialia diminui, vel etiam corrumpi charitatem habitualem, nihil aliud intelligunt, quàm per venialia charitatis habitualis exercitium impediri, vel per ea ad charitatis habitualis corruptionem hominem disponi.

Dices. Saltem homo propter venialia minùs à Deo diligitur amore amicitiæ. *R.* dist. Minùs à Deo diligitur in ordine ad gloriam, N. Deus enim propter venialia homini non vult minorem gloriam. Minùs à Deo diligitur in ordine ad auxilia gratiæ, C. Deus enim propter venialia homini dare non vult tot & tantas gratias, quot & quantas daret illi, si à venialibus abstineret. Unde fit ut homo non cavendo sibi à venialibus, sensim sine sensu in mortalia labatur.

Quæres 3. Utrùm charitas habitualis possit amitti?

R. 1. Ab homine justo, quandiu est in via, charitatem habitualem amitti posse. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 11. & cum eo Doctores omnes.

Prob. Quia charitas habitualis vel est gratia sanctificans, vel saltem veluti proprietas gratiæ sanctificantis, ab ea de lege ordinaria inseparabilis. Atqui homo justus, quandiu viator est, amittere potest gratiam sanctificantem. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam gratia sanctificans neque per se immediatè hominem justum confirmat in bono, neque habet sibi infallibiliter annexas gratias efficaces ad vitanda omnia mortalia, ut patet ex innumeris, qui post acceptam in baptismo regenerationis gratiam, peccant mortaliter. Ergo homo justus, quandiu viator est, mortaliter peccare potest. Atqui gratia sanctificans per mortale quodlibet amittitur: hoc enim dicit Scriptura Ezech. c. 18. ubi legitur: *Cùm averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur* (morte scilicet spirituali, quæ in gratiæ sanctificantis privatione consistit). Ergo homo justus, quandiu viator est, amittere potest gratiam sanctificantem.

R. 2. Charitatem habitualem amitti per quodlibet peccatum mortale. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 12. & cum eo Doctores omnes.

Prob. Nam charitas habitualis necessariò amittitur, cùm amittitur gratia sanctificans; cùm ipsa vel sit gratia sanctificans, vel saltem sit proprietas illius, ab ea inseparabilis, ut jam observatum est. Atqui gratia sanctificans amittitur per quodlibet peccatum mortale; quia, ut apertè docet Scriptura, Deus in statu præsentis providentiæ decrevit hominem in pœnam cujuscumque peccati mortalis privare gratia sanctificante, seu, quod idem est, privare vita animæ, quæ in gratia sanctificante consistit. Ergo, &c.

Confirmatur. Habitus infusi destruuntur per actus malos, specialiter oppositos actibus illorum, & cum eis incompossibiles, ut patet in habitibus fidei & spei, quorum hic per desperationem, ille verò per positivam infidelitatem corrumpitur. Atqui omnis actus vel quasi actus mortaliter malus, specialiter opponitur actui charitatis, seu actui quo Deus propter se diligitur super omnia, & cum eo incompossibilis est, actus enim, quo Deus propter se super omnia diligitur, est virtualiter & exercitè nolitio efficax omnis peccati mortalis, adeòque nolitio omnis peccati mortalis, ejus volitioni & commissioni arguitivè contradictoria. Ergo charitas habitualis destruitur per quodlibet peccatum mortale. Vide S. Thomam loco citato.

Quæres 4. Utrùm charitas habitualis possit augeri?

R. Cum S. Thoma 2. 2. q. 24. a. 4. Charitatem habitualem augeri posse in homine justo, quandiu viator est.

Prob. 1. Ex Apocalyp. cap. 22. ubi dicitur: *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Ergo justus viator potest magis ac magis justificari, potest magis ac magis sanctificari. Atqui non potest magis ac magis justificari, & sanctificari sine augmento charitatis habitualis. Ergo, &c. 2. Ratione. Quia, ut dicit S. Thomas art. proximè citato in O. *Ex hoc dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis.* Ergo quandiu sumus in via, tandiu possumus tendere in Deum, ut est beatitudo nostra: seu, quod idem est, tandiu possumus progredi versùs Deum, ut est beatitudo nostra. Atqui hic progressus fieri non potest, nisi merendo plures & plures gradus gloriæ. Ergo quandiu sumus in via, tandiu novos gloriæ gradus mereri possumus, adeòque mereri possumus novos gradus charitatis habitualis: gradus enim gloriæ retribuendæ correspondent gradibus charitatis habitualis; neque plures aut pauciores erunt gradus gloriæ in patria, quam fuerint gradus charitatis habitualis in via. Ergo, &c.

ARTICULUS VI.

Utrùm ad charitatis habitualis augmentum requirantur actus ipsa intensiores.

Responsio.

CHaritas habitualis augetur non solùm per actus ipsa intensiores, sed etiam per remissiores.

Prob. 1. Homo justus toties meretur augmentum charitatis habitualis, quoties meretur augmentum gloriæ, ut patet ex supra dictis. Atqui homo justus meretur augmentum gloriæ per actum charitatis, etiamsi habitus charitatis remissior sit. Ergo, &c. *Prob. min.* Supponatur homo justus ut sex, producere actum charitatis intensum ut tria tantùm. In hac suppositione, homo justus producit actum charitatis, remissiorem charitate habituali, quam habet. Atqui tamen per actum illum meretur de condigno augmentum gloriæ. Ergo, &c.

Prob. min. Nam homo justus meretur de condigno augmentum gloriæ, per omnem actum qui Deo gratus est, & proportionem habet cum gloria sufficientem ad meriti condignitatem. Atqui in hypothesi facta, actus charitatis elicitus, gratus est Deo quod non habet difficultatem, & proportionem habet cum gloria sufficientem ad condignitatem meriti: nam etiam secundum adversarios, haberet in homine justo tantùm ut duo, nec minorem habere potest, eò quòd eliciatur ab homine justiore & sanctiore: repugnat enim per majorem sanctitatem minui æstimationem operis, sed è contra ex hac parte necessariò crescit. Ergo, &c.

Prob. 2. Si homo justus non meretur augmentum charitatis habitualis, nisi per actus charitatis intensiores ipso habitu, cùm homo justus mereri non possit augmentum gloriæ, nisi simul mereatur charitatis habitualis augmentum, opera pietatis ab hominibus justis elicita ex charitatis affectu, ipso charitatis habitu remissiore, non mererentur augmentum gloriæ. Consequens videtur apertè repugnare Concilio Tridentino. Ergo, &c.

Prob. min. Nam Trid. sess. 6. c. 16. sic loquitur: *Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta . . . vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Ergo ex Trid. ut opera justificatorum verè promereantur gloriam, requiritur & sufficit, ut sint in Deo facta. Atqui ut censeantur esse in Deo facta, sufficit ut sint facta ex affectu placendi Deo, adeòque ex affectu charitatis, sive affectus ille sit intensior ipso charitatis habitu, sive non; & quòd opera pietatis non fiant in Deo, nisi fiant ex affectu charitatis, qui sit ipso habitu intensior, apertè falsum & absurdum videtur. Certè manifestè falsum & absurdum est, dicere opus pietatis, factum ex affectu charitatis intenso tantùm ut tria, factum esse in Deo, si is qui fecit, justus est solùm ut duo; secus si justus est ut quatuor. Ergo, &c.

Obj. 1. Esto homo justus charitatis habitualis augmentum mereatur per actus ipso habitu remissiores, saltem augmentum illud non statim confertur. *R.* hoc neg. Nam nulla est ratio hujus dilationis. Præterea, quòd statim conferatur, apertè docet Triden. sess. 6. cap. 10. ubi loquens de incremento justificationis acceptæ in Sacramento, adeòque de incremento habitualis justitiæ, sic ait: *Sic ergo justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur . . . & per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur.* Quibus verbis in sensu proprio & obvio sumptis, sicuti sumi debent, cum non sit ratio ea aliter accipiendi, apertè significatur justitiam habitualem, quæ ex parte consistit in habituali charitate, per bona opera in Deo facta crescere & augeri simpliciter, adeòque incrementum illius

non

non differri, sed bonis operibus in Deo factis statim conferri.

Obj. 2. Qui longo tempore frequenter elicuit actus charitatis remissos, non experitur facilitatem in eliciendis ejusmodi actibus intensioribus. Ergo signum est, quòd habitus charitatis non augeatur per actus remissos. *R.* neg. cons. Nam ratio cur ille facilitatem in eliciendis actibus charitatis intensioribus non experiatur, est quia habitus infusi, qualis est charitas habitualis, aut nullo modo facilitant, aut saltem non facilitant sensibiliter. Veritas hujus responsionis demonstrari potest ex eo, qui sæpe Sacramenta recipit cum dispositione remissa: non enim majorem facilitatem experitur in exercendis actibus charitatis, quamvis in eo charitas habitualis augeatur.

Obj. 3. Charitas habitualis crescit quidem in esse gratiæ per actus remissiores, at non crescit in esse habitus & qualitatis. *R.* hoc gratis & inintelligibiliter dici, nam charitas habitualis non potest crescere in esse gratiæ, nisi per additionem novorum graduum. Non possunt autem novi gradus addi prioribus, quin charitas habitualis crescat in esse habitus & qualitatis: cùm enim sit essentialiter habitus & qualitas, hoc ipso quòd novos gradus accipit, fit habitus & qualitas intensior.

Dices. Charitas habitualis crescit moraliter in esse gratiæ per actus remissos, non crescendo in esse habitus & qualitatis, quatenùs propter actus remissos homo magis acceptatur ad gloriam, quamvis non recipiat novos gradus, quibus in eo intendatur charitas habitualis. *R.* hoc dici non posse: Deus enim eatenùs hominem acceptat ad gloriam, quatenùs dat illi jus proximum ad gloriam; atque ita Deus hominem magis acceptat ad gloriam, quatenùs dat illi jus proximum ad gloriam majus. Deus autem non dat homini jus proximum ad gloriam, nisi per infusionem charitatis habitualis, quæ idcircò dicitur semen gloriæ. Ergo Deus non dat homini jus proximum ad gloriam majus, nisi charitatem habitualem priùs infusam intendendo per additionem novorum graduum. Ergo Deus non magis acceptat hominem ad gloriam, nisi quia novos gradus charitatis habitualis infundit homini; adeòque charitas habitualis crescere non potest moraliter in esse gratiæ, quin simul physicè crescat in esse habitus & qualitatis: imò physicè crescit in esse habitus & qualitatis ratione priùs, quam moraliter crescat in esse gratiæ; quia ratione priùs est, eam per additionem novorum graduum intendi, quàm jus proximum ad gloriam majus dari.

Obj. 4. Justus qui exercet actus charitatis non intensiores ipso habitu, eo non bene utitur. Ergo non meretur augmentum gloriæ & charitatis habitualis. *R.* neg. ant. 1. enim quomodo dici potest justus non bene uti habitu charitatis, cùm elicit actus charitatis huic habitui in intensione æquales? Certè si ille habitu charitatis tunc non bene utitur, nec beati in cœlo benè utuntur; non enim habent actum charitatis intensiorem habitu, ut suo loco dictum est.

2. Malè dicitur justum non bene uti habitu charitatis, cùm ex eo producit actum ipso remissiorem: hic enim actus, quamvis ipso habitu remissior secundùm intensionem, est tamen, ut supponitur apprætiativè summus. Quòd autem justus non bene utatur habitu charitatis, cùm ex eo producit actum, quo Deum propter se super omnia diligit, malè & falsò asseritur. Justus igitur producens actum charitatis ipso habitu remissiorem, benè utitur habitu, cùm ex eo producat excellentem actum & Deo gratum; quamvis habitu non utatur optimè, quia ex illo cum auxilio actualis gratiæ posset actum excellentiorem, & Deo gratiorem producere. Unde non tantùm gloriæ & gratiæ incrementum promeretur, quantum posset promereri.

Dices. Justus producendo actum charitatis ipso habitu remissiorem, operatur negligenter. Ergo non bene utitur habitu. *R.* dist. ant. Operatur negligenter negligentia purè negativa; hoc est, non adhibet in operando tantam diligentiam, quantam posset adhibere, vel si vis, non operatur tanto fervore, quanto posset operari, C. ant. Operatur negligenter negligentia primativa, hoc est, negligentia importante omissionem diligentiæ, hic & nunc debitæ vel ex officio vel ex aliquo Dei præcepto, N. ant. Alioquin tunc nequidem ad sensum adversariorum mereretur, sed è contra demereretur positivè, quia peccaret.

Dices. Scriptura variis locis reprehendit negligentes & tepidos: idem passim faciunt SS. Patres. *R.* negligentes & tepidos illos, quos redarguit Scriptura, & post Scripturam Patres redarguunt, non esse eos, qui opera pietatis exercent ex affectu charitatis ipso charitatis habitu remissiore, vel non intensiore; sed eos qui operantur negligenter negligentia privativa & peccaminosa, quales sunt ii, qui ea ad quæ obligantur, non nisi perfunctoriè & cum multis imperfectionibus atque culpis venialibus plenè deliberatis exequuntur. Ad tales pertinet illud Apoc. cap. 3. *Utinam frigidus esses, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*

Obj. 5. Hæc nostra sententia inducit teporem, & fervorem extinguit. *R.* hoc perperam dici: cùm enim dicimus hominem justum, per actus charitatis habitu non intensiores, aut etiam remissiores, mereri augmentum gloriæ & gratiæ, simul dicimus, & per actus intensiores mereri majus augmentum; & cum Apostolo 1. Cor. c. 15. clamamus omnibus: *Stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.*

Dices. Secundùm hanc sententiam fieri potest, ut is qui nunquam nisi remissos charitatis actus elicuit, sanctitate æquet, imò & superet eum, qui elicuit valdè intensos. *R.* hoc fieri posse, si primus diu vivat absque mortali peccato, & actus charitatis remissos frequentissimè eliciat; secundus verò non diu vivat, & sic longè pauciores eliciat intensos, in quo non est inconveniens. Porrò vicissim fieri potest, ut qui non diu vixit, sanctitate æquet, imò & superet justos, qui diu vixerunt, & actus charitatis aliarumque virtutum remissos frequentissimè elicuerunt, quia brevi illo tempore quo vixit, in producendis actibus charitatis, aliarumque virtutum valde intensis sese diligenter exercuit. De tali dicitur lib. Sap. c. 4. *Consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.*

Quæres, utrùm aucta charitate habituali, augeantur cæteri omnes habitus infusi, tam morales, quàm theologici?

R. cum ea, nec sine ea augeri. Ratio est, quia cæteri omnes habitus per se infusi, se habent ad charitatem habitualem, ut proprietates ad naturam, cujus sunt proprietates, quod indubitatum est de habitibus virtutum moralium, quas à charitate habituali connaturaliter inseparabiles esse, facilè concedunt omnes. De habitibus verò virtutum theologicarum fidei & spei suadetur ex eo, quòd nec infundantur sine charitate habituali, & earum consortium ita connaturaliter exigat charitas habitualis, ut sine illis nunquam existat. Quòd autem sine ea maneant in homine peccatore, hoc fit per accidens ex speciali favore Dei, contra naturalem exigentiam volentis in fideli peccatore manere principium intrinsecum actuum fidei & spei, sine quibus justificationis gratiam recuperare non potest; manere, inquam, principium intrinsecum, &c. donec illud per actus malos specialem cum eo repugnantiam habentes, demereatur. Ergo cæteri omnes habitus infusi sequuntur charitatem habitualem quoad augmentationem, sicut sequuntur eam quoad infusionem, & sicut eam sequerentur omnes quoad conservationem, sine speciali & innaturali favore, quo, ut dictum est, in fideli peccatore habitus fidei & spei conservantur.

Ex dictis collige, 1. in fideli peccatore habitus fidei & spei non augeri per actus proprios. Ratio est, quia cùm habitus fidei & spei non augeantur, nisi aucta charitate habituali, non augentur nisi per actus meritorios augmenti gratiæ sanctificantis:

non enim nisi per actus hujusmodi augeri potest charitas habitualis. Atqui in fideli peccatore actus fidei & spei non sunt meritorii gratiæ sanctificantis. Ergo, &c.

2. Cæteros omnes habitus infusos semper esse in eodem gradu intentionis cum charitate habituali: infunduntur enim & augentur eadem proportione, qua charitas habitualis. Nam ratio quæ probat cæteros omnes habitus infusos non infundi aut augeri, nisi infusa, vel aucta charitate habituali, probat etiam eos non nisi eadem proportione infundi & augeri. Hinc justi homines, etiam eximiè sancti, non magis excellunt in una virtute habituali infusa, quàm in alia; quamvis interdum in una virtute actuali magis excellant, quàm in aliis; seu quamvis per gratiam actualem excitati & adjuti, in materia unius virtutis excellentiùs operentur, quàm in aliarum virtutum materia, ut docet experientia.

At inquies. Cùm excellunt v. g. in exercendis actibus fidei, magis in eis augetur habitus fidei, quam v. g. habitus spei. *R.* hoc esse falsum: nam propter excellentiores illos actus fidei, fides & spes habitualis augentur eadem proportione, qua habitualis charitas, adeòque augentur eadem proportione inter se: unde una non magis augetur, quàm alia. Quòd si sancti illi majorem subinde in exercendis fidei actibus facilitatem experiuntur, oritur hæc facilitas vel ex majoribus gratiis actualibus, quibus excitantur ad credendum, vel ex intensiori habitu per excellentiores fidei actus acquisito.

ARTICULUS VII.

Utrùm status charitatis perfectæ excludat actus virtutis spei: ita ut neque timor pœnarum, seu damnationis æternæ, neque amor & desiderium beatitudinis, qua nostrum bonum est, in hoc statu locum habeant.

SAnctus Thomas 2. 2. q. 24. art. 9. distinguit tres gradus seu status charitatis habitualis; incipientem scilicet, proficientem, & perfectam. *Nam primo quidem*, inquit S. Doctor in O. *incumbit homini* (justificatio) *studium principale ad recedendum à peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat. Et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur. Et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo.*

Igitur S. Doctor homines justos constituit in triplici classe. In prima sunt ii, qui Incipientes dicuntur, & quorum præcipuum studium est in nutrienda seu fovenda charitate, pravos habitus alias contractos destruendo, effrœnem concupiscentiam reprimendo; tentationes, quibus tunc vehementiùs & pertinaciùs afflictantur, superando; sibi denique à peccatis præsertim mortalibus cavendo. In secunda classe sunt ii, qui dicuntur Proficientes, quique destructis magna saltem ex parte pravis habitibus, refrœnata concupiscentia, sedatis tentationum procellis, in hoc præcipuè incumbunt, ut per bonos actus & opera pietatis, habitualem in se charitatem, aliasque virtutes omnes augeant. In tertia denique classe sunt ii, qui Perfecti dicuntur, quique postquam in virtutibus christianis omnibus per diligentissimum & frequentissimum actuum illarum exercitium multum profecerunt, Deum ardentissimè diligentes, hoc principaliter affectant, ut Deo per continuam, quantùm in hac mortali vita fieri potest, contemplationem, & amorem continuum adhæreant, eoque fruantur.

Porrò incipientes sic dicuntur, non quòd tantùm nutriant seu foveant charitatem habitualem, ne per mortale peccatum corrumpatur; nam actus virtutum, & opera pietatis exercent, & exercendo proficiunt in charitate habituali, aliisque virtutibus; sed quia potissimùm occupantur in vitandis peccatis, quibus in eis corrumperetur habitualis charitas; potissimùm, inquam, occupantur, &c. eò quòd in eo statu vigent adhuc habitus pravi, & efferatior est concupiscentia. Unde crebriùs & vehementiùs incipientes ad peccandum sollicitantur, quàm ii qui dicuntur Proficientes, quique à pravorum habituum servitute liberi, sicut & à frequentioribus & vehementioribus concupiscentiæ insultibus securiores facti, præcipuam curam ponunt in profectu.

Hoc dicit S. Thomas in resp. ad 2. ubi sic loquitur: *Illis in quibus charitas incipit, quamvis proficiant* (per actum virtutum, quos exercent) *principalior tamen cura imminet, ut resistant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed postea hanc impugnationem minùs sentientes, jam quasi securiùs intendunt ad profectum, ex una parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium;* scilicet ut pugnent contra incentiva peccati, quibus non carent, & contra insurgentes tentationes, à quibus non omninò liberantur.

Similiter perfecti sic dicuntur, non quòd eum attigerint terminum, ultra quem excrescere non possit charitas habitualis, aut quòd, derelicto virtutum exercitio, in charitate habituali proficere desierint, sed quia quamvis adhuc proficere possint & quotidie proficiant, ardenti amore Dei flagrantes, ad hoc aspirant præcipuè, ut per assiduum contemplationis & amoris exercitium uniantur Deo, eoque fruantur. Hoc dicit S. Thomas in resp. ad 3. *Perfecti etiam in charitate proficiunt. Sed non est ad hoc principalis eorum cura: sed jam eorum studium circa hoc maximè versatur, ut Deo inhæreant. Et quamvis etiam hoc quærant incipientes & proficientes, tamen magis sentiunt circa alia suam sollicitudinem; incipientes quidem, de vitatione peccatorum; proficientes verò, de profectu virtutum.*

Ex dictis hactenùs apparet, juxta S. Doctorem, gradum seu statum perfectorum ab aliis prioribus differre in eo tantùm, quòd perfectorum propter ardorem seu intentionem charitatis, præcipuum studium sit inhærere Deo, eoque frui, præcipuum, inquam, non unicum: vivunt etiam studiosè & vitant peccata & in virtutibus proficiunt. Unde sequitur perfectos præcipuè quidem, at non unicè affici ad bonitatem Dei absolutam: quare perperam & falsò negatur, eos identidem ad operandum moveri à bonitate Dei respectiva, seu in operando intendere proprium interesse ordinatum & supernaturale, quod in vitanda damnatione æterna, & possessione Dei consequenda consistit. Pro quo sit

Responsio.

Bonum operari & vitare malum intuitu proprii interesse, seu commodi supernaturalis, non repugnat statui perfectorum, adeòque nec amor & desiderium beatitudinis, quâ summum bonum nostrum est, nec timor æternæ damnationis, etiam quatenùs est summum nostrum malum, repugnat huic statui.

Prob. 1. ex Script. Nam Psal. 118. dicitur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Et ad Hebr. c. 11. Apostolus loquens de Moise sic ait: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Ex his autem sic argumentor. Qui malum vitat, & bonum operatur intuitu retributionis & remunerationis æternæ, malum vitat, & bonum operatur ex affectu proprii interesse seu commodi supernaturalis, ut patet ex terminis. Atqui Moyses & David, qui proculdubio perfecti censendi sunt, malum vitarunt, & bonum operati sunt intuitu retributionis & remunerationis æternæ. Ergo malum vitarunt, & bonum operati sunt ex affectu proprii interesse seu commodi supernaturalis. Ergo, &c.

Præterea, 2. ad Timoth. c. 4. de se ipso sic loquitur

quitur Apostolus : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Ergo Apostolus expectabat gloriam æternam ut coronam seu mercedem. Ergo expectabat gloriam æternam ut sibi bonam & commodam. Ergo amabat & desiderabat gloriam æternam ut sibi bonam & commodam. Ergo quamvis perfectissima charitate præditus, operabatur ex affectu æternæ gloriæ, ut sibi bonæ & commodæ. Ergo, &c.

Præterea, sic ait idem Apostolus Rom. c. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ergo Apostolus cum perfecta charitate sperabat gloriam æternam, imò & de illa sua spe gloriabatur. Atqui sperare gloriam, est eam amare, & desiderare efficaciter ut summum nostrum bonum & commodum. Ergo Apostolus cum perfecta charitate gloriam amabat & desiderabat efficaciter ut summum suum bonum & commodum, imò & gloriabatur, quòd sic eam amaret & desideraret. Ergo, &c.

Denique, Epist. ad Tit. c. 2. hæc habet: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem*, quæ verba diriguntur non solùm ad incipientes & proficientes, sed etiam ad perfectos, qui proinde sobriè, & justè, & piè vivunt in hoc sæculo, quia sperant, hoc est, quia promissam bonis operibus beatitudinem amant & desiderant efficaciter, ut summum suum bonum & summam suam perfectionem. Igitur, ex Apostolo, etiam perfecti efficaciter afficiuntur ad suum proprium interesse, seu commodum supernaturale; & quia sic ad illud afficiuntur, sobriè, & justè, & piè vivunt in hoc sæculo.

Porrò ex dictis hactenùs evidenter infertur, etiam perfectos odisse & fugere, adeòque timere damnationem æternam, ut summum suum malum & incommodum: qui enim amat & desiderat efficaciter bonum aliquod, ut sibi bonum & commodum, hoc ipso naturali necessitate odit & fugit, adeòque timet malum huic bono oppositum, ut sibi malum & incommodum. Ergo etiam perfecti peccatum fugiunt ex metu damnationis æternæ, quà summum suum malum est & incommodum, adeòque ex affectu proprii interesse & commodi supernaturalis; quamquam etiam & potissimùm illud fugiant ex affectu charitatis quia est offensa Dei.

Confirmatur. Ex verbis Christi Matth. cap. 10. dicentis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hæc autem verba dirigit Christus etiam ad perfectos: hic enim Christum solos incipientes & proficientes alloqui, gratis & perperam diceretur. Atqui Christus per hæc verba suadet metum gehennæ, hoc est, æternæ damnationis, quà summum malum nostrum est; & suadet, ut hoc metu à peccato deterreamur. Ergo possunt omnes, etiam perfecti, timere damnationem æternam, ut summum suum malum, & ex timore damnationis æternæ, ut summi sui mali, vitare offensam Dei. Præterea, cùm perfecti consilium Christi negligere dici non possint; & damnationem æternam ut summam miseriam timere, & quia timent, offensam Dei vitare, omninò dicendi sunt; quamvis etiam & maximè, ut jam dictum est, eam, quia est offensa Dei, quem ardentissimè propter se diligunt, devitent.

Prob. 2. resp. Auctoritate Innocentii XII. qui anno 1699. damnavit hanc propositionem: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent in eo amplius partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter fœlicitatem in eo amando inveniendam.* Nullus igitur status charitatis habitualis est, in quo justi viatores non retineant affectum aliquem ad proprium interesse seu commodum, ordinatum scilicet & supernaturale, in quo non timeant pœnas, hoc est, damnationem æternam, ut summam hominis miseriam; in quo non desiderent remunerationes, hoc est, æternam gloriam, ut mercedem bonis operibus in Deo factis retribuendam; in quo non ament Deum propter meritum, hoc est, ut eum amando mereantur vitam æternam; in quo denique Deum non ament propter perfectionem, & fœliciratem in eo amando inveniendam, adeòque eum ament propter solam bonitatem ejus absolutam, & nunquam propter bonitatem ejus respectivam; seu, quod idem est, eum ament non ut bonum ipsis, sed tantùm ut bonum in se. Quæ

Confirmatur. Ex Trid. sess. 6. c. 16. ubi legitur: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna . . . tanquam merces ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* His autem verbis etiam perfectos comprehendi, patet ex subsequentibus. *Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, &c.* Ergo etiam perfecti ad bonum volendum & operandum excitari possunt per considerationem vitæ æternæ, ut mercedis bonis operibus reddendæ; alioquin frustra omninò proponeretur illis vita æterna, ut merces bonis operibus reddenda. Ergo ad bonum volendum & operandum excitari possunt per considerationem proprii interesse & commodi: nam qui operando intendit mercedem, proprium interesse & commodum intendit, Ergo ad bonum volendum & operandum excitari possunt per amorem, & desiderium efficax beatitudinis consideratæ ut summum bonum, summaque perfectio hominis est, adeòque à peccato deterreri possunt per odium & fugam æternæ damnationis, consideratæ ut hominis summum malum est, summaque miseria.

Prob. denique resp. Ratione, & quidem 1. sic. Potest homo perfectus proximo, quem perfectè diligit, & quia cum diligit propter Deum, velle beatitudinem qua summum ejus bonum est. Ergo potest etiam se ipsum diligens perfectè propter Deum, quia se ipsum sic diligit, velle sibi beatitudinem, qua summum suum bonum est. Similiter homo perfectus proximo, quia eum diligit propter Deum, potest nolle & timere damnationem, quà summum ejus malum est. Ergo potest etiam sibi, quia se ipsum diligit propter Deum, nolle, & timere damnationem, quà summum suum malum est. Quidni enim homo perfectus posset, in ordine ad salutem, ex imperio charitatis sibi velle aut nolle, ubi desiderare aut timere, quod ex charitatis imperio proximo vult aut non vult, desiderat aut timet; & sibi velle aut nolle, desiderare aut timere sub ea consideratione, sub qua proximo vult aut non vult, desiderat aut timet? Imò quia perfectus ex charitate diligit proximum, sicut se ipsum ex charitate diligit, amat & desiderat proximo summum ejus bonum quà tale, quia summum suum bonum sibi amat & desiderat quà tale. Item odit & timet proximo summum ejus malum quà tale, quia summum suum malum qua tale sibi odit & timet.

2. Sic Justus in statu perfectè charitatis elicere potest cum auxilio gratiæ actus, qui etiam in hoc statu utiles sunt, & quandoque necessarii ad vincendas tentationes, ad resistendum rebellantis concupiscentiæ motibus, ad erigendum contra difficultates in via salutis passim occurrentes animum, adeòque ad roborandam & conservandam charitatem habitualem. Atqui ad hæc omnia maximè utiles sunt, imò & identidem necessarii actus, quibus amamus & desideramus summum nostrum bonum quà tale, aut quibus odimus & timemus summum nostrum malum, quà summum nostrum malum est. Ergo, &c.

3. Sic. Justus in statu perfectæ charitatis producere potest actus illos omnes, qui imperari possunt à perfecta charitate. Atqui actus virtutis spei imperari possunt à perfecta charitate, & tam saltem possunt, quàm actus virtutum moralium: tam enim

possunt

possunt actus virtutis spei produci ex affectu placendi Deo, quàm possunt ex affectu placendi Deo produci actus virtutum moralium. Et verò actus virtutum moralium produci possunt ex affectu placendi Deo, quia sunt honesti, adeoque Deo grati. Atqui pariter actus virtutis spei sunt honestissimi, ac proinde Deo gratissimi: Deus enim, qua summum nostrum bonum, honestissimè amabilis est. Ergo, &c.

Obj. 1. Qui bonum operatur, & malum vitat propter mercedem & retributionem, mercenarius est. Sed esse mercenarium repugnat statui perfectorum. Ergo statui perfectorum repugnat operari bonum & vitare malum propter mercedem & retributionem. *R.* mercenarium esse, qui operatur propter mercedem & retributionem temporalem, & in bono aliquo creato posita; at non esse mercenarium, qui operatur propter mercedem & retributionem æternam, quæ non est alia quàm Deus ipse. Unde repugnat quidem statui perfectorum bonum operari & malum vitare propter mercedem temporalem, seu propter bonum aliquod creatum obtinendum: at huic statui non repugnat operari bonum & vitare malum propter mercedem æternam; seu propter possessionem Dei consequendam.

Bonitas hujus responsionis patet ex eo quòd alioquin mercenarius fuit Moises, qui improperium Christi majores divitias æstimando thesauro Ægyptiorum, aspiciebat in remunerationem. Item mercenarius fuit David, qui propter retributionem inclinabat cor suum ad servanda mandata divina. Item mercenarius fuit Apostolus, qui à Deo, justo judice, expectabat coronam gloriæ, & de hac sua expectatione gloriabatur. Item Synodus Tridentina, quantum in se est, justos omnes facit mercenarios, omnibus indiscriminatim vitam æternam proponendo ut mercedem bonis ipsorum operibus reddendam.

Mercenarius itaque ille omnis & solus dicendus est, qui non operatur nisi propter mercedem temporalem, ita ut nec serviat, nec servire velit Deo, nisi propter bonum aliquod creatum à Deo obtinendum; unde convincitur non amare Deum, nisi propter illud bonum, quòd proinde plus amat, quàm Deum, ejusque possessionem vel expressè, vel saltem interpretativè anteponit possessioni Dei. Hic autem modus amandi Deum inordinatissimus est, & incompossibilis non solum cum statu perfectorum, sed etiam cum statu proficientium & incipientium. Mercenarius igitur dici non potest, qui operatur propter mercedem æternam, nec aliud à Deo bonorum suorum operum præmium expectat, quàm ipsum Deum: qui enim sic servit Deo, rebus omnibus creatis eum anteponit; in eoque tanquam in summo suo bono constituit finem suum ultimum: qui modus diligendi Deum, & serviendi Deo, ordinatissimus est, & cum perfectissima charitate maximè compossibilis.

Hanc totam doctrinam tradit S. Augustinus enarr. in Psal. 72. ad hæc verba, *Pars mea Deus in æcula*; quibus David non aliud bonorum suorum operum præmium nisi Deum expectare se significabat: *Factum est cor castum*, inquit S. Doctor, *gratis jam amatur Deus. Non ab illo patitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? nullum præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus est: hoc amat, hoc diligit. Si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumperis. Noli recedere, corruptio tua erit, &c.*

Obj. 2. Quod repugnat puritati charitatis, repugnat statui perfectorum. Sed bonum operari intuitu proprii interesse seu commodi, repugnat puritati charitatis. Ergo, &c. *R.* dist. min. Bonum operari intuitu proprii commodi temporalis, repugnat puritati charitatis, C. min. Charitas enim non est pura in eo qui aliquid præter Deum amat, quod non amat propter Deum. At qui operatur bonum intuitu proprii commodi temporalis, bonum aliquod creatum amat præter Deum, quod propter Deum non amat; adeòque non amat Deum purè, quamvis, ut supponitur boni illius prosecutio aut non sit, aut non nisi leviter sit peccaminosa. Bonum operari intuitu proprii commodi supernaturalis & æterni, repugnat puritati charitatis, N. m. Charitas enim pura est in eo qui nihil amat nisi Deum, aut propter Deum, quem amat non solùm ut suum summum bonum, sed etiam ut inse summè bonum; ac proinde quem amat non solùm amore concupiscentiæ, cujus motivum est bonitas divina respectiva, sed etiam amore amicitiæ, cujus motivum est bonitas divina absoluta. At justus, qui bonum operatur intuitu propri commodi supernaturalis & æterni, nihil amat nisi Deum, aut propter Deum, quem amat non solùm, &c.

Nota. Proprium hominis interesse supernaturale, & æternum nihil aliud est, quàm Deus ipse ut possidendus per actus beatificos, & quà talis summè perfectivus hominis. Justus igitur, cum bonum operando intendit proprium interesse supernaturale & æternum, intendit conjunctionem sui per actus beatificos cum Deo ut summo bono hominis, adeòque hominis per actus beatificos summè perfectivo. Et quia in hac conjunctione consistit perfectissima subjectio creaturæ ad Deum, justus hanc conjunctionem intendendo, perfectissimam subjectionem sui ad Deum intendit, ut maximam suam perfectionem. Et quia in subjectione creaturæ ad Deum consistit gloria Dei extrinseca, justus intendendo perfectissimam subjectionem sui ad Deum, intendit perfectissimam gloriam extrinsecam Dei, quanquam illam non ut Dei bonum, sed ut bonum suum intendat.

Proprii igitur interesse seu commodi supernaturalis & æterni intentio officere non potest puritati charitatis: charitatis enim puritati officere non potest, quod opus intendat perfectissimam sui cum Deo conjunctionem, perfectissimam subjectionem sui ad Deum, perfectissimam gloriam Dei extrinsecam, ut sibi bene sit: nam qui sibi bene esse non vult, nisi per conjunctionem sui cum Deo, nihil sibi amat, nisi Deum, aut propter Deum sibi conjungendum, quocum amore sui stare potest & stat purissima charitas in eo, qui ut sibi benè sit, intendit conjunctionem sui per actus beatificos cum Deo, quem propter se diligit super omnia. 1. enim amat Deum amore charitatis. 2. Amat Deum purè, quia nihil sibi amando nisi Deum aut propter Deum sibi conjungendum, nullo creaturæ inordinato amore maculat amorem illum charitatis, quo Deum amat.

At inquies. Præter Deum, quem amat, amat se ipsum. Ergo non amat Deum purè. *R.* 1. dist. ant. sic. Amat se ipsum inordinatè, & aliter volendo sibi benè esse, quam per conjunctionem sui cum Deo, N. ant. Amat se ipsum ordinatè, non aliter volendo sibi benè esse, quàm per sui cum Deo conjunctionem, C. ant. & neg. cons. Nam amat Deum amore puro charitatis, qui præter Deum, quem propter se diligit, nihil amat, nisi secundùm normam charitatis, qua Deum amat. At qui præter Deum, quem propter se diligit, non aliter amat se ipsum, quàm volendo sibi bene esse per conjunctionem sui cum Deo, non amat se ipsum nisi secundùm normam charitatis, qua Deum amat. Pro quo

Nota. Qui per bona opera sua intendit conjunctionem sui cum Deo, ut hominis per actus beatificos summè perfectivo, & simul Deum propter se & super omnia diligit, 1. amat sibi Deum modo quo eum sibi laudabilissimè & honestissimè amare potest. 2. Sic sibi amando Deum ut suum summum bonum, non sistit in se & suo bene esse, etiam per Dei possessionem obtinendo, sed cum etiam Deum, ut rerum omnium finem ultimum, diligat propter absolutam ejus bonitatem; & se & sua omnia, adeòque suum bene esse per Dei possessionem obtinendum, ulteriùs refert ad ipsum Deum, quem propter absolutam bonitatem diligit, & in quo sic dilecto, tanquam rerum omnium fine ultimo, ultimatè sistit. Talem autem ad charitatis amussim se ipsum exactissimè diligere, quis non videt? Amat Deum sibi, sed

simul

simul se suaque omnia ulterius refert ad Deum. Amat conjunctionem sui cum Deo, subjectionem sui ad Deum, gloriam Dei extrinsecam ut suum interesse, ut suum bene esse; sed simul illud suum interesse, illud suum bene esse amat ut bonum extrinsecum Dei, in quo sistit ut fine ultimo, propter absolutam suam bonitatem super omnia dilecto.

Obj. 3. Perfectus appetit possessionem Dei per amorem charitatis, juxta illud S. Augustini lib. 3. de doctr. christ. c. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum*. Ergo perfectus non appetit possessionem Dei & per amorem concupiscentiæ. *R.* N. cons. Perfectus itaque appetit possessionem Dei & per amorem charitatis & per amorem concupiscentiæ: per amorem quidem charitatis, appetendo illam ut possessionem amici propter se, seu propter bonitatem suam absolutam dilecti; per amorem verò concupiscentiæ, appetendo illam ut possessionem summi boni, adeòque possidentis per possessionem sui summè perfectivi, ac proinde propter summam suam bonitatem respectivam amati. Hoc autem utroque modo possessionem Dei appetendo, perfectus duplici pondere ad Deum fertur vehementiùs, & veluti ala duplici sublevatus, terrena despiciens, facilius assurgit ad cœlestia.

ARTICULUS VIII.

De Præcepto Charitatis.

Propositio I.

DAtur charitatis præceptum ab aliis omnibus distinctum.

Prob. ex Deuter. cap. 6. ubi dicitur: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* Quibus verbis exprimitur vel præceptum speciale, vel merum consilium. Secundum dici non potest, & contextui manifestè repugnat. Ergo his verbis exprimitur speciale præceptum. Præterea, Christus Matth. c. 22. hæc eadem verba recitat, & continuò subjicit: *Hoc est maximum & primum mandatum*. At primum & maximum mandatorum non potest non esse speciale mandatum, & ab aliis omnibus mandatis distinctum & diversum. Ergo, &c.

Porrò præceptum hoc duplex est, positivum scilicet & negativum. Positivum præcipit actum amoris, quo Deus diligitur propter se, seu quia in se bonus est. Negativum verò prohibet actum huic amori oppositum, nempe odium inimicitiæ, quo quis Deo optat malum aliquod; ut si optat eum non esse, aut non esse justum, aut ignorare ea quæ hic fiunt, &c. Hoc autem peccatum nunquam fieri potest veniale ex parvitate materiæ, seu ex parvitate mali, quod optatur Deo, & mortalium omnium gravissimum est. Quid enim gravius esse potest, quàm velle malum, qualecumque sit malum illud, Enti supremo, summè bono, adeòque summè amabili? Quare præceptum charitatis negativum obligat semper & pro semper; cùm nunquam licitum esse possit odisse Deum. Sed de positivo quæritur, quandonam obliget? Pro resolutione, sit

Propositio II.

Præceptum charitatis positivum aliquando per se obligat, & aliquando per accidens tantùm.

1. Obligat per se omnes, ubi primum post acceptum rationis usum, sufficientem Dei notitiam habent: tunc enim tenentur sub gravi sese ad Deum convertere, non solùm ut summum suum bonum, quod fit per amorem spei, sed etiam ut rerum omnium finem ultimum, propter quem creata sunt omnia, & ad quem proinde omnes se suaque omnia referre debent; quod fieri non potest, nisi per amorem charitatis.

Cùm autem dicimus: Ubi primùm post, &c. sufficientem Dei notitiam habent; addendum judicamus: Vel habere possunt; ita ut non nisi ob gravem suam negligentiam hac notitia careant: tunc enim non nisi ex ignorantia graviter culpabili ignorant obligationem convertendi se per actum charitatis ad Deum, ut finem ultimum rerum omnium: unde talem actum omittendo, contra præceptum charitatis graviter peccant peccato ignorantiæ. Quare parentes, Parochi, & Confessarii pueros qui ad usum rationis proximè accedunt, aut etiam cum attigisse videntur, diligenter de obligatione amandi Deum admonere, & ad eum amandum excitare debent.

2. Per se obligat identidem, imò sæpè in decursu vitæ: ita ut sub gravi teneamur in vitæ decursu identidem, imò sæpè actus charitatis elicere. Hoc enim postulat ratio amicitiæ divinæ. Hoc postulant continua Dei beneficia. Hoc exigit ratio finis ultimi, ad quem nos nostraque omnia identidem, imò sæpenumero referre, ex natura rei non possumus non obligari. Hoc denique non obscurè significatur Deuter. c. 6. ubi post verba superiùs laudata, continuò additur: *Eruntque verba hæc, quæ hodie præcipio tibi, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque, &c.* Ad quid autem hæc omnia, si rarò præceptum charitatis obligat? Quænam autem in eliciendis charitatis actibus mora sit graviter culpabilis, determinandum relinquimus judicio prudentum.

3. Per se obligat in mortis articulo, seu in morali vitæ periculo. Nam si in principio vitæ moralis graviter tenemur convertere nos ad Deum, non solùm ut summum nostrum bonum per amorem spei, sed etiam ut rerum omnium finem ultimum per amorem charitatis, à fortiori ad idem tenemur in termino illius moraliter instante. Tunc igitur graviter obligat præceptum charitatis, cujus obligationis moribundos, qui eis in extremis assistunt, Parochi vel Confessarii admonere, vel eos ad eliciendos ejusmodi actus excitare & adjuvare debent.

4. Obligat etiam per accidens in variis casibus; ut cùm quis probabiliter judicat hic & nunc actum charitatis sibi necessarium esse ad vincendam gravem aliquam tentationem; cùm quis sibi conscius peccati mortalis, non habet copiam Sacerdotis, & tamen morali aliqua necessitate adigitur vel ad celebrandum, vel ad ministrandum aut suscipiendum aliquod Sacramentum: tunc enim tenetur perfectè conteri, quod non potest sine actu charitatis, &c.

Addo hìc, eum qui versatur in morali vitæ periculo, sive conscius sibi sit peccati mortalis, sive non, sive copiam habeat Confessarii, sive non habeat, teneri ad actum charitatis, etiam ex præcepto charitatis propriæ; quia tunc ex præcepto charitatis propriæ tenetur saluti suæ consulere modo securissimo, quod facere non potest, nisi per actum charitatis, qui solus per se sufficit ad supplendos defectus, si qui forte intervenerint in susceptione sacramentorum. Sed quæritur ad quid obliget præceptum charitatis? Pro resolutione, sit

Propositio III.

Præceptum charitatis obligat ad amandum Deum propter se cum summa appretiatione.

Prob. 1. Obligat ad amandum Deum propter se: nam amare Deum propter se, est illum amare, quia in se bonus est, adeòque propter bonitatem suam absolutam. Atqui præceptum charitatis obligat ad amandum Deum propter bonitatem suam absolutam. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam charitatis præceptum obligat ad amandum Deum propter objectum formale charitatis; alioquin non obligaret ad actum charitatis, quod est absurdum. Atqui objectum formale charitatis est bonitas Dei absoluta. Ergo, &c.

2. Obligat ad amandum Deum cum summa appretiatione: nam summam appretiationem hìc dicimus eam, qua Deum omnibus aliis diligibilibus sic affectivè præferimus, ut affectivè parati sumus aliis omnibus omninò bonis in æternum carere, quàm Deum graviter offendere. Atqui præceptum charitatis

tatis obligat nos ad Deum omnibus aliis diligibilibus sic affectivè præferendum, ut affectivè parati simus aliis omnibus, &c. Hanc enim saltem affectivam Dei prælationem exigit excellentia infinita bonitatis Dei absolutæ, quæ est objectum formale actus, ad quem obligat nos charitatis præceptum. Ergo, &c.

Quæres. Utrùm præceptum charitaris obliget etiam ad amandum Deum cum summa intensione?

R. Non obligare: nam si præceptum charitatis obligat nos ad amandum Deum cum intensione summa; vel cum intensione summa absolutè, hoc est, tanta, quanta secundùm legem Dei ordinariam potest esse in via; vel cum intensione summa respectivè ad omnem aliam intensionem, quacum creaturas diligimus. Neutrum dici potest. Non primum. Nam 1. præcepta divina non obligant ad actus, qui non sunt in nostra potestate cum ordinariis gratiæ auxiliis. At amor Dei propter se intensus intensione absolutè summa, non est in nostra potestate cum ordinario actualis gratiæ auxilio: quis enim dixerit, nos cum ordinario actualis gratiæ auxilio posse Deum propter se tam intensè diligere, quàm intensè dilexit illum anima Christi Viatoris? Hinc 2. Si præceptum charitatis obligat nos ad intensionem summam absolutè, amor Dei propter se nobis tam intensus præcipitur, adeòque tam intensus ad salutem nobis necessarius est, quam intensum habuit Christus Viator, ac proinde quàm intensum nunc Christus habet in cœlo: non enim minùs intensum habuit in terra, quàm nunc in cœlo habet. Consequens est intollerabiliter falsum. Ergo, &c.

Non etiam secundum: nam 1. tam gravis obligatio neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ratione aliqua sufficienter probari potest. Et verò verbis illis Deuter. c. 6. *Ex toto corde, ex tota anima*; & illius Christi Matth. cap. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*, non aliud probari potest, quàm summæ apprætiationis à nobis explicitæ necessitas.

2. Si præceptum charitatis obligat ad intensionem summam respectivè, amor Dei propter se apprætiativè summus, sed remissus intensivè, urgente præcepto elicitus, turpis est & inhonestus; est enim difformis præcepto, si præceptum obligat ad summam respectivè intensionem. Atqui consequens est intolerabiliter absurdum. Ergo, &c.

3. Denique præceptum charitatis dici non debet obligare, nisi ad amandum Deum modo proportionato excellentiæ bonitatis divinæ. Atqui cùm Deus amatur cum apprætiatione summa, à nobis explicata, amatur modo proportionato excellentiæ bonitatis divinæ: amatur enim modo, actum quo diligitur, constituente in eo gradu excellentiæ in genere dilectionis, ad quem nulla pertingere potest dilectio ordinata creaturæ, etiamsi intendatur magis ac magis in infinitum, etiamsi supponatur infinitè simpliciter intenta, ut patet ex eo, quòd dilectioni creaturæ etiam in hac suppositione prævaleat & prædominetur dilectio Dei apprætiativè summa, quantumlibet remissa. Ergo, &c.

At inquies. Diligere creaturam cum majori intensione, quàm Deum etiam cum summa apprætiatione dilectum, est aliquid positivè inordinatum, adeòque præcepto charitatis prohibitum. *R.* hoc neg. Nam v. gr. non est aliquid positivè inordinatum & vituperabile in matre, quod intensiùs & teneriùs diligat filium, quàm Deum, quem amat cum summa apprætiatione, quemque proinde sic affectivè præfert filio, ut eo affectivè parata sit potiùs carere, quam gravem aliquam Dei offensam incurrere: quamvis aliqua laudabilitate morali careat, quam haberet, si Deum non solum cum apprætiatione summa, sed tiam cum majori, quàm filium, intensione & teneritudine diligeret. Deum igitur cum majori intensione diligere, consilium est, non præceptum. Utinam omnes Deum non solum cum summa apprætiatione, sed etiam cum intensione summa diligeremus! Det saltem nobis Deus per gratiam suam, ut amor ipsius in nobis magis ac magis intensivè augeatur. Sed quæritur utrùm præceptum charitatis obliget ad referenda omnia ad Deum? Pro resolutione, sit

Propositio IV.

Præceptum charitatis obligat ad referenda omnia ad Deum,

Prob. Ex S. Thoma 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. ubi sic ait: *Dicendum quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum*. Angelico Doctori præiverat Doctor gratiæ lib. 1. de doctr. christ. c. 22. ubi hæc habet: *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est*. Diliges, *inquit*, proximum tuum, sicut te ipsum: Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers*. Ratio nostra est, quia præceptum charitatis obligat nos ad diligendum Deum ut finem ultimum rerum omnium. Atqui Deus non diligitur ut finis ultimus rerum omnium, nisi omnia in ipsum referantur. Ergo, &c.

At inquies. Si ita est, homo quotiescumque deliberatè agit, tenetur agere vel ex formali, vel saltem virtuali intensione placendi Deo, adeòque ex actuali affectu charitatis, ipsum ad agendum applicantis, vel perceptibiliter & tunc habet formalem, vel saltem imperceptibiliter, & tunc habet virtualem intentionem placendi Deo. Consequens admitti non potest. Ergo, &c.

Prob. min. Quia, ut ait S. Thomas artic. proximè citato in Sed contra, *quicumque non servat præceptum* (charitatis, cum obligat) *peccat mortaliter*. *Itaque si modus charitatis cadat sub præcepto* (adeòque homo teneatur ex affectu charitatis agere, quotiescumque deliberatè agit) *sequitur quòd quicumque operatur aliquid, & non ex charitate, peccet mortaliter. Sed quicumque non habet charitatem, operatur, non ex charitate. Ergo sequitur, quod quicumque non habet charitatem, peccet mortaliter in omni opere quod facit, quantumcumque sit de genere bonorum*: *quod est inconveniens*. Unde ulteriùs sequitur, omnes actus deliberatos infidelium esse peccata mortalia. Item, omnes actus deliberatos fidelium existentium in statu peccati, esse peccata mortalia; nam neque infideles, neque fideles peccatores charitatem habent. Horum autem primum in Bajo damnatum est à summis Pontificibus, consentiente universa Ecclesia. Secundum verò evidenter falsum est, imò & fidei contrarium.

Addo, hominem, si quotiescumque deliberatè agit, tenetur agere ex affectu charitatis, vel perceptibilis, vel saltem imperceptibilis, teneri ad actuale amoris Dei propter se exercitium, nunquam, aut ferè nunquam interruptum; quod in hac mortali vita moraliter saltem impossibile est omnibus hominibus, exceptis fortasse perfectis, qui pauci sunt. Concessa igitur minore; neg. seq. maj. & dico hominem deliberatè agendo, tunc tantùm teneri ad agendum ex affectu charitatis id quod agit, cùm urget præceptum referendi omnia in Deum. Pro quo

Nota. Præceptum referendi omnia in Deum non obligat pro semper, cùm sit præceptum affirmativum. Et verò præceptum referendi omnia in Deum, & præceptum diligendi Deum propter se, sunt unum & idem indivisibiliter præceptum affirmativum charitatis: cùm enim præceptum charitatis obligat ad diligendum Deum propter se, obligat ad eum diligendum propter se ut finem ultimum rerum omnium; nec obligat ad referendum omnia in Deum, nisi obligando ad diligendum Deum propter se ut finem ultimum rerum omnium.

Obligatio igitur referendi omnia in Deum non urget, nisi cùm urget obligatio diligendi Deum propter se. Unde cùm obligatio diligendi Deum propter se

non

non urgeat pro semper, ita nec urget pro semper obligatio referendi omnia in Deum. Homo itaque non tenetur referre in Deum actionem suam, seu, quod idem est, non tenetur agere propter Deum, quotiescumque deliberatè agit, quia obligatio referendi omnia in Deum non urget pro semper, sicut non urget pro semper obligatio diligendi Deum propter se.

Hæc certò certiùs est doctrina S. Thomæ, quam tradit art. citato ad 2. ubi post verba à nobis superiùs laudata, sic statim prosequitur: *Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare* (quando re ipsa ad id ex charitate tenetur) *non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes: sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum* (parentes scilicet honorando hìc & nunc ex affectu honestatis moralis, quæ relucet in honorandis parentibus, quia parentes sunt, vel alterius cujuscumque, sed diversæ ab honestate charitatis,) *non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis* (hoc est, præceptum obligans ad modum charitatis;) quia nimirùm contingere potest, ut hoc præceptum, cùm non urgeat pro semper, non obliget pro eo tempore, pro quo obligat præceptum honorandi parentes.

Igitur, juxta S. Doctorem, præceptum obligans ad modum charitatis, hoc est, ad agendum ex affectu charitatis, seu ad referendum ad Deum id quod agitur (quod præceptum continetur his Scripturæ verbis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, adeòque est ipsum speciale charitatis præceptum) cùm sit præceptum affirmativum, non obligat pro omni tempore, ac proinde non obligat pro omni omninò actione deliberata; & sic homo non tenetur omnem omninò actionem deliberatam referre ad Deum; seu, quòd idem est, non tenetur ex affectu charitatis agere, quotiescumque deliberatè agit; sed sufficit, si identidem ex affectu charitatis agat id, quòd agit deliberatè, quando scilicet aliquid agit, urgente præcepto charitatis, adeòque urgente obligatione se suaque omnia referendi in Deum tanquam rerum omnium finem ultimum. Hinc

Supponamus Titium hìc & nunc urgeri præcepto honorandi parentes, & re ipsa ut huic præcepto satisfaciat, parentibus honorem exhibere ex affectu pietatis in illos, & non ex affectu charitatis in Deum. In hac suppositione, vel etiam hìc & nunc urget præceptum charitatis, vel non urget: cùm enim non ad semper, sed solùm identidem obliget, contingere potest, ut obliget, obligante præcepto honorandi parentes, & contingere potest, ut non obliget. Si primum, Titius peccat mortaliter, non quidem contra præceptum honorandi parentes; hoc enim præceptum nec obligat, nec obligare potest ad modum charitatis; sed contra charitatis præceptum, quo tenetur hìc & nunc se suaque omnia referre in Deum, quodque proinde transgreditur, non referendo in Deum honorem illum, quem actu exhibet parentibus. Si secundum, nullo modo peccat: nam nec peccat contra præceptum honorandi parentes, quod hìc & nunc implet; nec peccat contra præceptum charitatis, quod supponitur hìc & nunc non urgere, adeòque non obligare Titium ad referendum hìc & nunc in Deum omnia, & ita non obligare Titium ad referendum hìc & nunc in Deum actionem illam, qua parentes honorat. Et hæc est manifestè doctrina S. Thomæ.

Porrò sicut præcepto charitatis, quà obligat ad diligendum Deum propter se, respondet præceptum negativum, quod obligat pro semper, & quo prohibetur, ne odio habeatur Deus, eique malum aliquod optetur: ita eidem præcepto charitatis, quà obligat ad referendum omnia in Deum, respondet præceptum negativum, quod pro semper obligat, & quo prohibetur, ne positivè ùstamus in aliquo bono creato, vel, ut loquitur S. Augustinus, ne fruamur aliquo bono creato. Hoc præceptum negativum luculenter exprimit S. Doctor lib. 1. de doctr. christ. c.22. his verbis: *Cùm autem ait*, Toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.* Positivè autem in bonis creatis sistere, vel, si vis, bonis creatis frui, est illa propter se diligere, & in illis beatam vitam constituere, ut patet ex S. Doctore ibidem. Peccant igitur contra hoc negativum præceptum charitatis, qui divitias, honores, voluptates etiam licitas diligunt propter se, & in illis beatam vitam constituunt.

ARTICULUS IX.

Utrùm præceptum charitatis obliget non solùm ad diligendum Deum propter se, sed etiam ad diligendum proximum propter Deum.

Responsio I.

UNusquisque tenetur ex charitate proximum suum diligere.

Prob. Nam legitur Matth. c.22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; ubi *sicut* non omnimodam æqualitatem, sed similitudinem significat, juxta Patrum interpretationem. Quòd autem his verbis præceptum exprimatur, manifestum est ex contextu. Et Joan. cap. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et inferiùs: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Et 1. Joan. cap. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

Ratio autem est, quia hoc ipso quòd Deum diligere propter se tenemur, tenemur etiam propter ipsum diligere quidquid ad eum pertinet, vel ut amicus ejus, vel ut capax ejus amicitiæ. Atqui proximus noster sic pertinet ad Deum. Ergo idem charitatis præceptum obligat nos ad amandum Deum propter se, & proximum nostrum propter Deum. Hinc illud 1. Joan. c.3. *Qui non diligit* (proximum suum) *manet in morte*, quia nimirùm non implet præceptum charitatis. Et illud c.4. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est*; quia si diligimus proximum nostrum propter Deum, à fortiori ipsum Deum propter se diligimus, & sic præceptum charitatis implemus.

Responsio II.

Præceptum charitatis, etiam quatenùs pertinet ad proximum, obligat ad actum internum.

Prob. 1. ex Script. Nam cùm dicitur, *Diliges proximum tuum*, to *diliges* debet sumi in sensu proprio; nam ad sumendum in sensu improprio nulla ratio cogit. Præterea to *diliges* tam sumi debet in sensu proprio, cùm dicitur, *Diliges proximum tuum*, quàm cùm dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum*. Atqui to *diliges*, in sensu proprio significat actum internum. Ergo, &c. Quod confirmatur ex eo, quòd non præcisè dicitur, *Diliges proximum tuum*, sed, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Nam sic argumentor. Unusquisque tenetur diligere proximum suum sicut se ipsum. Sed unusquisque diligit se ipsum actu interno, quo vult sibi bene esse. Ergo, &c.

Prob. 2. authoritate Innocentii XI. à quo damnata fuit hæc propositio: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Et ista: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

Prob. 3. authoritate S. Augustini lib. 3. de doctr. christ. c.10. ubi loquens de charitate à Deo præcepta, sic ait: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.*

Prob. 4. ratione. Præceptum affirmativum diligendi proximum, præcipit actum, cujus contrarium pro-

prohibet præceptum negativum, quod illi correspondet. Atqui præceptum negativum, quod correspondet præcepto affirmativo diligendi proximum, prohibet odium proximi, cujus contrarium est actus internus, quo proximus diligitur. Ergo, &c.

Responsio III.

Præceptum charitatis in proximum non solùm obligat ad actum internum dilectionis, sed etiam ad actus externos, hoc est, ad beneficia proximo, cùm necesse est, quantùm possumus præstanda.

Prob. 1. ex verbis Christi Joan. cap. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.* Atqui Christus non contentus fuit actu interno charitatis, quo dilexit nos, sed actum illum prodidit per varios actus externos, varia scilicet in nos beneficia conferendo. Ergo, &c. 2. Ex 1. Joan. cap. 3. ubi dicitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Ergo, &c.

Ratio est, quia interna dilectio proximi præcepta est in bonum & utilitatem proximi. Atqui proximo prodesse non potest per se præcisè, sed solùm per actus externos, seu externa beneficia, quæ potest imperare, & quibus potest adjuvari proximus. Ergo præcepta est propter externa hæc beneficia, adeòque præceptum charitatis obligat non solùm ad actum internum dilectionis proximi, sed etiam & potissimùm ad actus externos, quibus in necessitate proximo subveniri potest. Aliud est de actu interno, quo Deus propter se diligitur: nam hic actus per se patet Deo, qui intuetur cor, nec bonis nostris potest indigere, & per hunc actum colitur, eique creatura perfectè subjicitur; unde mirum non est, quòd hic potissimùm actus præcipiatur præcepto charitatis in Deum.

Quæres, quandonam præceptum charitatis in proximum ad actum internum dilectionis proximi obliget?

R. 1. per se obligare saltem pro eo tempore, pro quo per actus externos, seu externa beneficia proximo necessitatem patienti subveniendum est, cùm enim actus internus dilectionis proximi sit potissimùm præceptus propter actus externos, quibus proximus subvenitur, obligatio actus interni, quo proximus diligitur, non potest non urgere per se & ex natura præcepti, cùm urget obligatio actuum externorum, quibus subvenitur proximo. *R.* 2. obligare per accidens, pro eo tempore, pro quo quis tentatur de odio proximi, de vindicta sumenda, vel quavis alia tentatione pulsatur, quæ aliter vitari moraliter non potest.

Quæres, ad quos actus externos obliget præceptum charitatis in proximum?

R. 1. obligare ad actus externos, quibus proximo subvenitur necessitatem patienti in rebus temporalibus. Patet ex 1. Joan. cap. 3. ubi dicitur: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* *R.* 2. obligare ad actus externos, quibus succurritur proximo laboranti in rebus spiritualibus, & ad salutem pertinentibus. Patet ex 1. Joan. c. 3. ubi legitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere* (quando id necessitas postulat.) Hanc obligationem exprimit S. Augustinus lib. 1. de doctr. christ. c. 22. *Quisquis ergo*, inquit, *rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum.* Et lib. de moribus Eccl. Cath. c. 26. *Quod ergo agis tecum*, inquit, *id agendum cum proximo est: hoc est, ut etiam ipse perfectè amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis.*

Rationem denique pro utraque parte reddit S. Doctor lib. proximè citato cap. 27. ubi ait: *Homo igitur, ut homini apparet, anima rationalis est, mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim verò animæ hominis benefacit, qui hominem diligit.* Præceptum igitur charitatis in proximum obligat nos ad diligendum hominem, qui cùm constet corpore & anima, ope nostra indigere potest & secundùm corpus, & secundùm animam, quia secundùm corpus & animam, potest subesse variis necessitatibus, quibus subvenire possumus. Ergo obligat nos ad opem nostram proximo & in corporalibus & in spiritualibus necessitatibus præstandam.

Articulus X.

Quem ordinem servare debeamus in actibus externis, quibus nobis & proximo subvenire possumus.

Responsio I.

TEnemur ex charitate magis providere nobis, quàm proximo in bonis spiritualibus, quæ ex charitate tenemur nobis velle, & proximo.

Prob. Nam bona illa spiritualia, quæ tenemur ex charitate nobis velle & proximo, sunt salus æterna, gratia sanctificans, auxilia & media ad gratiam sanctificantem vel recuperandam vel conservandam necessaria. Atqui ex charitate tenemur bona illa nobis magis velle, & studiosiùs procurare, quàm cuilibet proximo, imò quàm toti mundo. Ergo, &c.

Prob. min. 1. Ex Script. Nam Christus ait Matth. c. 6. *Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus.* Et c. 16. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quibus locis Christus evidenter significat debere nos ante omnia saluti nostræ consulere. 2. Ratione. Nam ex charitate debemus illud nobis studiosiùs procurare, quàm proximo, quod Deus vult, ut nobis magis amemus, quàm proximo. Atqui Deus vult, ut magis amemus salutem & sanctitatem nostram, quàm salutem & sanctitatem proximi, ut patet ex verbis Christi laudatis. Ergo, &c.

Dices. Bonum commune in temporalibus anteponendum est bono privato. Ergo & in spiritualibus, adeòque privatus quisque potest & debet sanctitatem multorum propriæ sanctitati anteponere. *R.* neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia privatum pati detrimentum in bonis temporalibus, potest esse medium necessarium ad procurandum bonum commune temporale. At privatum pati detrimentum in bonis spiritualibus, nunquam potest esse medium necessarium ad procurandum bonum commune spirituale; & è contra tunc bonum commune spirituale efficacissimè procurabitur, si privatus quisque bonum spirituale proprium ante omnia procuret.

Dices. Charitas magis amat majorem gloriam Dei. Sed major est gloria Dei in eo quòd plures sancti sint, & beati, quàm unus. Ergo charitas magis amat, ut plures sancti sint & beati, quàm unus, adeòque præfert salutem & sanctitatem multorum saluti & sanctitati unius. *R.* charitatem in unoquoque magis diligere id, quo Deum magis ipse glorificat, & ita charitatem in unoquoque magis diligere majorem curam salutis & sanctitatis propriæ, quam salutis & sanctitatis aliorum, etiam plurimorum, etiam totius mundi; quia qui sic amat salutem & sanctitatem propriam, Deum magis amat, eique magis conjunctus & subjectus est, & sic eum magis ipse glorificat.

Dices. Potest quis ex charitate optare, in æternum gratia sanctificante & beatitudine privari propter salutem proximi. Ergo potest quis ex charitate salutem & sanctitatem proximi anteponere propriæ saluti & sanctitati. *Prob. ant.* Nam revera id optarunt viri sanctissimi, Moyses scilicet, qui Exod. c. 32. sic Deum deprecatur: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et Apostolus, qui sic ait Rom. cap. 9. *Optabam ego ipse anathema*

thema esse à Christo pro fratribus, hoc est, pro Judæis. Atqui id non optassent, si non ex charitate optare potuissent. Ergo, &c.

R. neg. ant. & dico, quòd qui optaret in æternum privari gratia sanctificante & beatitudine, etiam pro totius mundi salute, peccaret graviter contra charitatem, qua & Deum & se ipsum tenetur diligere. *Ad prob. R.* Moysem & Apostolum solùm optasse sibi pro salute aliorum privationem specialium favorum Dei, sine quibus & gratiam sanctificantem habere, & beatitudinem assequi, imò & ad absolutissimam sanctitatem pervenire poterant.

Responsio II.

Secundùm ordinem charitatis nemo tenetur, aut etiam potest velle peccare etiam venialiter tantùm, & ita pati spirituale detrimentum, quale à peccato veniali causari potest, ad procurandum bonum spirituale proximi.

Prob. Quia si aliquando peccatum, etiam veniale tantùm, esset ex charitate eligibile, aliquando honestum esset & laudabile peccare venialiter. Consequens repugnat: nam omne peccatum, hoc ipso quod peccatum est, est aliquid inhonestum & vituperabile. Honestum autem esse & laudabile, id facere quod inhonestum & vituperabile est, manifestam involvit repugnantiam. Hinc illud vulgatissimum: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Hinc Apostolus Rom. c. 3. v. 7. quosdam qui ajebant eum dicere, Faciamus mala, ut veniant bona, calumniatores vocat. Hinc velle peccare, etiam venialiter tantùm, ad procurandam salutem totius mundi, vel etiam ad impedienda omnia peccata mortalia usque ad finem mundi committenda, intrinsecè malum est. Hinc denique, secundùm ordinem charitatis, nemo tenetur, aut etiam potest exponere se morali & proximo periculo peccandi, etiam venialiter tantùm, ad procurandam salutem totius mundi; vel etiam ad, &c. quia hoc ipso quis peccat, quòd se exponit tali periculo.

Dices. Deo magis placet, ut vitentur omnia peccata mortalia, & totus mundus salvetur, quàm ut quis non admittat veniale aliquod, putà leve vel mendacium. Ergo quilibet ex charitate tenetur hoc potiùs velle, quàm illud. *R.* Ut vitentur omnia, &c. Deo magis placere secundùm se & in abstracto; at non magis placere, ut à me etiam per peccatum veniale tantùm procurandum. Deus enim id omne, quod intrinsecè malum est, adeòque v. g. mendacium etiam leve, prohibet mihi absolutè, & pro quacunque hypothesi. Unde etiam eo casu, quo mendacium leve à me prolatum, prævideretur fore occasio salutis totius mundi, vel vitandi omnia peccata mortalia, magis placet Deo, ut abstineam à levi mendacio, quàm ut illud proferendo, procurem salutem totius mundi, vel impediam omnia peccata mortalia; quamvis salutem totius mundi procurari, vel omnia peccata mortalia impediri, sit bonum incomparabiliter majus, quàm vitatio unius levis mendacii.

Responsio III.

Detrimentum spirituale, quo impeditur augmentum meritorum & gratiæ sanctificantis, non est ex charitate eligibile ad procurandum bonum spirituale proximi.

Prob. Illud non est secundùm ordinem charitatis eligibile, quod repugnat inclinationi charitatis. At velle carere augmento meritorum & gratiæ sanctificantis, adeòque velle carere majori sanctitate & gloria, ad procurandum bonum spirituale proximi, repugnat inclinationi charitatis: charitas enim subjectum suum inclinat ad perfectissimam cum Deo conjunctionem, tum in hac vita per sanctitatem, tum in altera per gloriam. Ergo, &c. Hinc nemo ex charitate obligari potest, pro spirituali bono proximi procurando, ad opus ex quo per se minùs meriti sequeretur, quàm sequeretur ex opere ejus causa omisso. Sed

Dices. Potest aliquis ex charitate obligari ad actus minùs perfectos, ut subveniat proximo: sic v. g. aliquis, ut subveniat proximo sive in spiritualibus, sive etiam in temporalibus, potest ex charitate obligari ad non ingrediendam Religionem. Ergo potest aliquis ex charitate obligari ad opus ex quo per se sequetur minus meriti. *R.* neg. conseq. Nam actus illi minùs perfecti, ad quos quis ex charitate obligari potest in necessitate, ut subveniat proximo, non pugnant cum majori merito & augmento perfectionis; & qui ad illos ex charitate obligatur, potest eos cum tali intentionis puritate, talique ardore charitatis exercere, ut magis mereatur eos exercendo, quàm mereretur exercendo actus oppositos perfectiores. Ex illis igitur actibus minùs perfectis, ad quos quis ex charitate obligari potest in necessitate, non sequitur per se minus meriti, sed solùm per accidens, quia scilicet is à quo exercentur, cùm posset eos exercere cum majori puritate intentionis & charitatis affectu, non tamen eos sic exercet.

Porrò cùm non est tanta necessitas subveniendi proximo, ut actus illi minùs perfecti sint in præcepto, tunc nequidem in consilio esse possunt, præsertim si moraliter certum sit ex illis minus meriti & perfectionis, quamvis per accidens, & propter fragilitatem eos exercentis, secuturum esse. Ratio est, quia cum in præcepto non sunt, charitas sine illis conservari potest, adeòque tunc magis inclinat ad sui augmentum per eorum omissionem procurandum, quàm ad procurandam salutem proximi per eorum positionem; & ita tunc eorum positio non potest secundùm ordinem charitatis eligi ad procurandam salutem proximi.

Responsio IV.

Potest aliquis ad procurandam salutem proximi, secundùm ordinem charitatis aliquando velle pati detrimentum spirituale charitati omninò extrinsecum, putà velle carere spirituali delectatione seu dulcedine.

Prob. Nam hoc potest esse medium necessarium ad procurandam salutem proximi, & aliunde nec cum charitate, nec cum ejus augmento pugnat; imò ad hoc augmentum plurimùm conferre potest, cùm possit esse maximi meriti. Quare mirum videri non debet, quòd etiam sanctissimi viri pro salute proximi procuranda detrimentum hujusmodi libenter subjerint.

Responsio V.

Quilibet ex charitate tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quàm se ipsum in corporalibus.

Prob. Nam charitas magis inclinat ad amandum id quod est magis amabile. Atqui anima proximi secundùm rectam rationem magis amabilis est, quàm corpus proprium: nam in ea Deus magis glorificari potest, quam in corpore proprio. Ipsa capax est actuum beatificorum, quibus possidetur Deus, non corpus proprium. Longè præstantiori, quàm corpus proprium, modo participat bonitatem divinam, quæ est objectum formale charitatis. Ergo, &c. Præterea unusquisque tenetur diligere proximum sicut se ipsum. Sed unusquisque tenetur se ipsum magis diligere secundùm animam, quàm secundùm corpus. Ergo similiter, &c. Hinc

1. Ex charitate tenemur non solùm cum bonorum temporalium, sed etiam cum vitæ periculo subvenire proximo existenti in extrema necessitate spirituali, seu in extremo periculo salutis æternæ. Hoc dicit, 1. Christus, cùm ait Joan. cap. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: nam Christus ita dilixit nos, ut vitam corporalem pro animarum nostrarum vita dederit. 2. Joannes Apostolus epist. 1. c. 3. *Ille*, inquit, *animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*. 3. S. Augustinus in lib. de mendacio cap. 6. *Temporalem planè*, inquit, *vitam suam pro æterna vita proximi*

non

non dubitabit Christianus amittere: hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Scriptura autem, & post Scripturam Augustinus loquuntur de casu extremæ necessitatis. Et verò Christus pro nobis in extrema necessitate spirituali existentibus mortuus est.

Ratio est, quia cùm ex charitate teneamur proximum magis diligere in spiritualibus, quàm nos in corporalibus, in extrema saltem necessitate ex charitate tenemur magis vitare summum malum spirituale proximi, quod est æterna damnatio, quàm summum malum nostrum temporale, quod est mors; si tamen, quod semper debet suppleri pro omni casu extremæ necessitatis, certa sit spes subveniendi proximo per vitæ propriæ periculum. Casus autem extremæ necessitatis spiritualis sunt v.g. 1. Si infans sit in proximo periculo moriendi sine baptismo, quacunque tandem ex parte proveniat illud periculum. 2. Si adultus, quem morali certitudine scio esse in statu peccati mortalis; vel dormiens, vel non cogitans, sit occidendus. 3. Si adultus facinorosus sit in proximo periculo moriendi absque confessione, sine qua non nisi difficillimè salvari potest, quamvis simpliciter possit per actum contritionis perfectæ: tunc enim propter rei gravitatem, cùm tantoperè salus æterna proximi periclitetur, necessitas censeri debet extrema.

Porrò extra casum necessitatis extremæ proximo, cujus salus æterna periclitatur, non tenor ex charitate cùm vitæ periculo subvenire: tunc enim cùm necessitas non sit maxima, charitas non me obligat, ut ei subveniam cum jactura summi boni corporalis, ut sentiunt Doctores communiter. Dixi: Non teneor ex charitate: nam si pastor sum ovi meæ: cujus salus spiritualis graviter periclitatur, ex justitia propter officium meum teneor subvenire etiam cum periculo vitæ, si certa sit spes illam adjuvandi, & vitam meam possim exponere sine gravi detrimento communitatis. Quò pertinet illud Christi Joan. c. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ* (idem dic de eo, qui cùm sit pastor, se tamen gerit ut mercenarius, adeòque pastoris officium minimè fungitur) *videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Vide S. Thomam 2.2.q. 185. a. 5.

Item cùm dixi: Extra casum necessitatis extremæ proximo, &c, nomine proximi privatam personam intellexi: aliud enim esset, si bonum commune spirituale graviter periclitaretur, ut si graviter priclitaretur Religio Christiana, quia hæretici ad veram fidem evertendam nihil non molirentur: nam videtur, quòd qui ad id idonei essent, ex charitate tenerentur etiam cum periculo vitæ sese hæreticis opponere, ad quod à fortiori tenerentur pastores.

2. Proximo in gravi necessitate spirituali constituto subvenire tenemur ex charitate, non solùm cum levi, sed etiam cum gravi aliquo damno temporali proprio. Nam si secundùm ordinem charitatis tenemur proximum magis diligere in spiritualibus, quàm nos in temporalibus, ordo charitatis manifestè postulat, ut gravem necessitatem spiritualem proximi præferamus gravi damno temporali proprio, comparando gravitatem necessitatis cum gravitate damni: non enim charitas obligat nos ad subeundum grave damnum temporale proprium quodlibet, pro qualibet proximi necessitate spirituali etiam gravi: sed inter gravitatem damni proprii & gravitatem necessitatis proximi, servanda est proportio, cujus æstimationem prudenti judicio relinquimus.

Extra casum verò gravis necessitatis spiritualis, proximo subvenire cum gravi nostro damno temporali, non est in præcepto, sed est in consilio: cùm enim bonum spirituale proximi de se sit majoris momenti, quàm temporale proprium, cùm sit altioris ordinis; bonum spirituale proximi, etiam extra casum gravis necessitatis, laudabiliter possumus anteponere temporali proprio etiam gravi, nisi tamen specialis aliqua ratio cogat nos ad non perdendum temporale proprium extra casum gravis necessitatis spiritualis proximi.

At inquies. Ad quid charitas obligat erga eum, qui voluntariè exponit se periculo damnationis, putà erga eum, qui invadit inimicum ut eum occidat? *R.* eum, qui invaditur, posse se defendere, & invadentem interficere. Ratio est, quia charitas, extra casum extremæ necessitatis spiritualis proximi, non obligat hominem ad subveniendum proximo cum jactura summi boni corporalis, quod est vita, & in casu proposito invasor non est in extrema necessitate, imò nequidem est in necessitate, sed in voluntaria malitia, ut ait Suares noster. Ex his

Resolvitur casus latronis viatorem invadentis: nam latro vel armatus invadit, vel inermis. Si primum, & prudenter judicat viator, ni se defendat, se à latrone interficiendum, potest se defendere, & latronem occidere. Ratio patet ex modò dictis. Si secundum, & nulla alia ratione viator versetur in morali vitæ periculo, à viatore, ne spolietur quantalibet summa, latronem interfici non posse, sentire videtur S. Augustinus lib. 1. de lib. arb. c. 5. ubi sic ait. *Quomodo apud eam* (divinam providentiam) *sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Ratio autem est, quia quamvis latro voluntariè exponens se periculo damnationis secundùm prudentem æstimationem non sit in necessitate, nihilominùs charitas postulat, ut jacturam magni boni temporalis de se reparabilem patiamur potiùs, quàm ad eam vitandam positivè conferamus ad id, nempe ad temporalem latronis mortem, ex qua licèt præter, aut etiam contra intentionem nostram, malum ejus spirituale summum & irremediabile secuturum est.

Responsio VI.

In eodem genere bonorum & necessitatum temporalium, quilibet secundùm ordinem charitatis potest sibi potiùs providere, quam alteri, privato.

Prob. Nam in eodem genere bonorum & necessitatum temporalium homo non tenetur magis diligere proximum, quàm se ipsum; & cùm Christus, Matth. c. 19. dicit, *Diliges proximum sicut te ipsum*, to, *sicut* non significat omnimodam æqualitatem, ut docent Patres. Ergo, &c. Dixi autem in eodem genere, &c. Nam aliud erit, si in eodem genere bonorum, proximus majorem patiatur necessitatem, ego verò minorem; aut si in eodem genere necessitatis, proximus necessitatem patiatur in bonis majoris momenti. Sed de his etiam aliàs, ubi de Eleemosina. Item dixi, quàm alteri privato: nam in extrema necessitate, bono communi in temporalibus privatus quilibet potiùs subvenire debet, quam sibi. Ratio est, quia quælibet pars bonum totius præferre debet bono proprio.

Responsio VII.

Homo, per se loquendo, non potest pro servanda proximi vita propriam vitam exponere, secundùm ordinem charitatis.

Prob. Nam per se loquendo charitas magis inclinat subjectum suum ad sui conservationem, quàm ad conservationem cujuscumque alterius privati. Ergo per se loqnendo, qui propriam vitam exponeret ad servandam alterius privati vitam ageret contra inclinationem, ac proinde contra ordinem charitatis, & sic contra charitatem peccaret. Dixi, per se loquendo: nam possunt esse aliquæ circumstantiæ, in quibus charitas non magis inclinat subjectum suum ad conservationem sui, ut si vita alterius privati periclitantis sit bono communi, vel animarum saluti utilior. Unde possunt esse aliquæ circumstantiæ, in quibus homo poterit laudabiliter propriam vitam exponere pro servanda vita proximi.

ARTICULUS XI.

Quomodo ordo charitatis servandus sit inter proximos.

ORdinem in dilectione proximorum ex charitatis præcepto servandum esse, communis est Doctorum sententia, quam docet S. Thomas 2.2. q. 44. a. 8. & ante docuit S. Augustinus lib. 1. de doctr. christ. c. 27. ubi sic ait: *Ille autem justè & sanctè vivit; qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æquè diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius, quod æquè diligendum est.* Ratio autem est, quia hic ordo est secundùm inclinationem charitatis. Atqui quod est secundùm inclinationem charitatis, cadit sub ejus præceptum. Ergo, &c. Hoc præsuppositio, sit

Responsio I.

In eodem genere bonorum & necessitatum, consanguinei extraneis præferendi sunt.

Prob. Quia illis tenemur potiùs beneficium conferre, quos tenemur magis diligere: actus enim internus dilectionis proximi præcipitur in ordine ad actum externum, quo benefaciendum est proximo. Atqui in eodem genere bonorum & necessitatum, tenemur magis diligere consanguineos, quàm extraneos: ad hoc enim inclinat charitas propter naturalem conjunctionem. Ergo, &c. Hinc illud Apostoli 1. ad Thimoth. c. 5. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Dixi, in eodem genere bonorum & necessitatum: nam si in eodem genere bonorum, extraneus sit in gravi necessitate, consanguineus verò in communi tantùm, aut si in eodem genere necessitatum, putà si uterque, consanguineus & extraneus, sint in necessitate gravi, sed extraneus in spirituali, consanguineus verò in corporali tantùm necessitate sit, debeo subvenire potiùs extraneo, quàm proximo. Ratio est; quia sicut debeo magis diligere proximum in spiritualibus, quàm me ipsum in corporalibus: ita & debeo magis diligere extraneum in spiritualibus, quàm consanguineum in corporalibus (supple semper, in pari necessitate.) Item sicut debeo magis diligere proximum, quàm me ipsum in corporalibus, quando aut extremam, aut gravem, quàm non patior, patitur proximus: ita etiam debeo magis diligere extraneum, quam consanguineum in corporalibus, quando aut extremam aut gravem necessitatem extraneus patitur, quàm non patitur consanguineus.

Responsio II.

Ex consaguineis in eodem genere bonorum & necessitatum, nobis propinquiores, & ex æquè propinquis digniores, præferendi sunt.

Prob. Nam in eodem genere bonorum & necessitatum, inter consanguineos debemus magis diligere eos, qui nobis sanguine conjunctiores sunt: nam si propter naturalem conjunctionem debemus magis diligere consanguineos cæteris paribus, manifestum est debere nos, cæteris paribus, propter naturalem conjunctionem majorem, magis diligere consanguineos propinquiores. Ergo, &c.

Item ex consanguineis æquè propinquis in eodem genere, &c. debemus magis diligere digniores, seu aliquam in consanguinitate eminentiam habentes, quàm non habent alii: hoc ipso enim, cæteris paribus, sunt magis, quàm alii, diligibiles. Ergo, &c. Hinc

In eodem genere bonorum & necessitatum, parentes præferendi sunt filiis emancipatis: nam v. g. parentes Titii relatè ad illum habent eminentiam principii, quàm non habent ejus filii. Item cæteris paribus, pater præferendus est matri: cùm enim pater sit præcipua causa generationis, habet in consanguinitate, respectu filii, aliquam eminentiam, quàm non habet mater. Unde major reverentia patri debetur, quàm matri: sicut non filiis sed parentibus simpliciter debetur reverentia.

Dixi, filiis emancipatis, nam quamdiu filii sunt sub tutela patris, pater non solùm ex charitate, sed etiam ex officio tenetur illis providere: unde extra casum extremæ necessitatis, videtur filios non emancipatos, in quacunque alia necessitate, præferendos esse parentibus in eodem genere bonorum.

Porrò quia propter vinculum matrimonii arctissima conjunctio est inter conjuges, quæri potest, 1. Utrùm, cæteris paribus, parentes præferendi sint conjugi. 2. Utrùm conjux præferenda sit filiis. *R. ad* 1. communem esse sententiam, quòd, cæteris paribus, conjugi parentes propter maxima ab eis accepta beneficia præferendi sint quoad subventionem scilicet, de qua hìc agitur: nam quoad habitationem, & mutuam societatem, præferendum esse conjugem docet Scriptura Gen. cap. 2. ubi dicitur: *Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

Resp. ad 2. Videtur quòd, cæteris paribus, conjux sit præferenda filiis. Ratio est, quia vinculum matrimonii conjuges tam arctè conjungere videtur, juxta illud Scripturæ loco citato, *Et erunt duo in carne una*, quàm vinculum sanguinis conjungit parentes & filios; & conjux, quia generationis comprincipium est, in eodem gradu conjunctionis aliquam habet eminentiam, quam non habent filii.

Responsio III.

Inter extraneos præferendi sunt meliores in eodem genere bonorum & necessitatum.

Prob. Nam meliores sunt similiores Deo, & objecta nobiliora, adeòque charitati magis proportionata. Ergo meliores habent unde magis diligibiles sint si nihil obstet ex parte diligentis. Atqui hìc ex parte diligentis nihil est, quod obstet, quominùs meliores sint diligibiles: nam si quid obstare, certè aliqua conjunctio diligentis cum minùs boni. Nullam autem habent; cùm minùs boni, sicut & meliores, sint ei omninò extranei. Ergo inter extraneos magis diligibiles sunt, & ita magis diligi debent meliores. Ergo, &c.

ARTICULUS XII.

Utrùm charitatis præceptum obliget ad dilectionem inimicorum.

Responsio I.

MOrtale est contra charitatem odisse inimicos. Est de fide, &

Prob. Quia mortale est contra charitatem odisse proximum, juxta illud 1. Joan. c. 3. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Scripturam autem, nomine fratris, omnem proximum intelligere, extra dubium est. Atqui inimicus est proximus: proximi enim nomine intelligitur omnis homo capax beatitudinis, qualis est omnis homo viator. Ergo, &c.

Dices. Licet odisse eos, quibus licet malum desiderare. Atqui licet malum desiderare inimicis. Ergo, &c. Neg. min. *Probabis.* Licet malum desiderare peccatoribus, juxta illud Psal. 9. *Convertantur peccatores in infernum.* Atqui inimici sunt peccatores. Ergo, &c. *R.* neg. maj. *Ad prob. resp.* verba Scripturæ laudata, verba esse non optantis, sed prædicentis malum peccatorum.

At inquies. Christiani absque scrupulo malum desiderant inimicis Ecclesiæ. Ergo similiter unusquisque absque scrupulo malum desiderare potest inimico suo. *R.* Christiani malum temporale desiderant inimicis Ecclesiæ, vel ut convertantur, vel ne Ecclesiæ noceant. Unde Christiani inimicis Ecclesiæ malum

desiderant non ex odio personarum, sed ex affectu charitatis, vel erga salutem illarum, quod est personas ipsas vero charitatis amore prosequi, vel erga Ecclesiæ bonum commune, quod utrumque licitum est & laudabile.

Similiter inimico proprio desiderate malum aliquod temporale, vel ex sincero affectu conversionis ejus, vel ex sincero affectu boni communis, quia nimirùm aut ejus conversio, aut bonum commune alia via moraliter procurari non posse judicaretur, non esset malum, sed laudabile. At tunc malum non desideraretur inimico ex odio ipsius personæ, sed ex vero charitatis affectu, vel erga inimicum ipsum, cujus bonum spirituale temporali anteponere debemus, vel erga bonum commune, sive spirituale, sive temporale, quod temporali bono cujuscumque privatil audabiliter præfertur. Ab hujusmodi tamen desideriis præsertim imperfecti abstinere debent propter morale periculum, ne aliquis vindictæ affectus illis immisceatur.

Responsio II.

Sub mortali ex charitatis præcepto tenemur actu interno positivè diligere inimicos nostros.

Prob. ex Scriptura: nam Christus Matth. cap. 5. sic ait: *Audistis, quia dictum est*: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. *Ego autem dico vobis*: *Diligite inimicos vestros*. Hìc autem per hæc verba, *Diligite inimicos vestros*, manifestè exprimitur eadem obligatio, quam exprimunt verba illa, *Diliges proximum tuum*. At exprimunt obligationem gravem actu interno proximum positivè diligendi, ut supra probatum est Articul. IX. Ergo, &c. Sed quæritur quando & quomodo præceptum charitatis obliget ad internam dilectionem inimicorum? Pro quo sit

Responsio III.

Præceptum charitatis obligat ad diligendum inimicos in particulari in casu necessitatis; & extra casum necessitatis, per se loquendo, obligat tantùm ad diligendum eos in communi.

Prob. Ex præcepto charitatis non aliter tenemur, per se loquendo, ad diligendum inimicos, quàm tenemur ad diligendum alios homines: cùm per se loquendo, non alia sit ratio diligendi inimicos, quàm diligendi alios homines, non enim magis sunt proximi nostri, quàm alii homines. Atqui non tenemur ad diligendum alios homines in particulari, nisi in casu necessitatis; & extra casum necessitatis sufficit, si eos diligimus in communi. Ergo, &c.

Satisfacit igitur præcepto charitatis circa inimicum, qui eum extra casum necessitatis non excludit ab interno dilectionis actu, quo generaliter & in communi prosequi debet omnes proximos suos, & sic paratus est eum diligere in particulari, cùm occurret necessitas ei benefaciendi, eumque reipsa diligit, cùm occurit talis necessitas. Quod autem etiam extra casum necessitatis diligat inimicum in particulari, per se loquendo non est in præcepto, sed in consilio, neque pertinet ad obligationem charitatis, sed ad ejus perfectionem.

Doctrinam hanc tradit S. Thomas 2.2. q. 25. a. 8. in O. ubi sic loquitur: *Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in universali; & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis: ut scilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali: ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: & istud non est de necessitate charitatis absolutè: quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate charitatis; quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis; secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quòd in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum* (in speciali) *propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, &c.*

Dixi autem non semel, per se loquendo: quia potest quis extra casum necessitatis obligari per accidens ad diligendum inimicum specialiter & singulariter, quando scilicet id moraliter necessarium est ad deponendum vel vitandum odium proximi, & affectum vindictæ reprimendum. Sed quæritur utrùm teneamur ad actus externos dilectionis erga inimicos? Pro quo sint sequentes Responsiones.

Responsio IV.

Ex præcepto charitatis unusquisque tenetur specialiter & singulariter subvenire inimico in casu necessitatis; extra casum necessitatis non tenetur.

Prob. Nam ut ait S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 9. in O. *effectus & signa charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur*. Unde sic argumentor, 1. pro prima parte. Tunc ex præcepto charitatis tenemur specialiter & singulariter benefacere inimico, eique subvenire, cùm ex præcepto charitatis tenemur, eum specialiter & singulariter diligere. Atqui ex præcepto charitatis tenemur specialiter & singulariter diligere inimicum in casu necessitatis, ut probatum est. Ergo, &c. 2. pro secunda parte. Tunc non tenemur specialiter & singulariter benefacere inimico, cùm non tenemur eum specialiter & singulariter diligere. Atqui non tenemur inimicum specialiter & singulariter diligere extra casum necessitatis. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia ex præcepto charitatis non tenemur alio modo ad benefaciendum inimicis, quàm tenemur ad benefaciendum aliis hominibus: sicut ex præcepto charitatis non tenemur alio modo diligere inimicos, quàm tenemur ad diligendum alios homines. Atqui ad specialiter & singulariter benefaciendum aliis hominibus ex præcepto charitatis non tenemur, nisi in casu necessitatis. Ergo, &c.

Specialiter igitur & singulariter inimicis, sicut & aliis hominibus, benefacere extra casum necessitatis, non est in præcepto, sed in consilio, nec ad obligationem charitatis, sed ad ejus perfectionem pertinet: nec charitatis præceptum transgreditur, qui extra casum necessitatis inimico non benefacit specialiter & singulariter, modò paratus sit ad hoc faciendum in casu necessitatis.

Totam hanc doctrinam tradit S. Thomas loco citato, ubi sic loquitur: *Alia sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis: & talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere, non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis: secundum illud Proverb.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum. *Sed quod præter articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis: per quam aliquis non solum cavet vinci à malo, quod necessitatis est, sed vult in bono vincere malum, quod est etiam perfectionis, &c.*

Responsio V.

Tenemur ex præcepto charitatis ea inimicis beneficia vel benevolentiæ signa exhibere, quæ exhibemus aliis hominibus in communi, sive tunc præceptum aliis hominibus exhibendi urgeat, sive non urgeat.

Prob. Nam eo modo tenemur actu externo dilectionis inimicos diligere quo tenemur eos diligere actu interno dilectionis: effectus enim & signa dilectionis internæ, sicut ab ea procedunt, ita necessariò ei proportionantur. Atqui ex præcepto charitatis tenemur inimicos diligere actu dilectionis interno, quo alios homines diligimus in communi. Ergo tenemur etiam ex præcepto charitatis inimicos diligere actu dilectionis externo, quo alios homines in communi diligimus. Ergo, quod idem est, tenemur ex præcepto charitatis inimicis exhi-

bere

bere externa dilectionis internæ signa, quæ aliis hominibus in communi exhibemus.

Sic ratiocinatur S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 9. in O. *Dicendum*, inquit, *quòd effectus & signa charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicum, in communi quidem est de necessitate præcepti absolutè: in speciali autem est non absolutè, sed secundùm præparationem animi ... Sic ergo dicendum est de effectu & signo dilectionis exteriùs exhibendo: sunt enim quædam signa vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, putà cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cùm aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: & talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere, est de necessitate præcepti, &c.*

At inquies. Præceptum obligans ad internam dilectionem hominum in communi, est præceptum affirmativum, adeòque non obligat pro semper. Ergo possumus aliquando inimicos excludere ab interno dilectionis actu, quo alios homines diligimus in communi. Ergo possumus aliquando inimicos excludere à beneficiis seu benevolentiæ signis, quæ aliis hominibus exhibemus in communi. *R.* neg. conseq. Nam cùm præceptum illud non urget, non tenemur absolutè inimicos diligere in communi, sicut nec absolutè tenemur alios homines in communi diligere. At ex hypothesi quòd tunc eliciamus actum internum dilectionis proximorum in communi, si ab eo inimicos excludimus, præceptum charitatis transgredimur, quia tunc eos non excludimus, nisi ex odii vel vindictæ affectu, qui pro semper charitatis præcepto prohibitus est; & dato quòd hoc fiat per aliquem alium affectum indifferentem, adhuc peccamus contra charitatem, quæ tunc ad internam dilectionem inimicorum in communi non absolutè quidem, sed ex hypothesi obligat, & quia actu proximos alios in communi diligimus. Unde nego 2. conseq. Ex dictis.

Collige 1. hæc Christi verba Matth. c. 5. *Diligite inimicos vestros*, obligare ad actum internum dilectionis erga inimicos, in speciali quidem, quando occurrit necessitas, & in communi extra casum necessitatis, quando scilicet alii in communi diligendi sunt, aut etiam absque obligatione diliguntur. 2. Et ita hæc alia Christi verba eodem loco, *Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, obligare ad benefaciendum inimicis, & pro illis orandum, in speciali quidem in casu necessitatis, & extra casum necessitatis in communi, quando scilicet aliis hominibus benefacere, & pro eis orare in communi tenemur, aut etiam sine obligatione aliis hominibus in communi benefacimus, & pro eis oramus. Docet hoc S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 8. in O. *Necessitatis est*, inquit, *ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quòd autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.*

Quæres, utrùm homo teneatur salutare inimicum, & salutantem resalutare.

R. hominem teneri ad salutandum inimicum, quando hoc necessarium est ad vitandum scandalum, aut ad deponendum internum actum odii, aut ad placandum inimicum, vel procurandum ut ipse odium deponat. Quia autem vel ad hæc omnia, vel saltem ad aliquid horum regulariter salutatio necessaria est, homo ad salutandum inimicum regulariter tenetur: quamvis salutatio signum sit specialis benevolentiæ, adeòque per se loquendo, non magis inimicis, quàm aliis hominibus debeatur.

R. 2. hominem, quamvis non teneatur ex charitate omnem salutantem resalutare, sed ad summum ad id ex quadam tantùm urbanitate teneatur, teneri tamen ex charitate ad resalutandum inimicum salutantem, & aloquenti respondendum. Ratio est, quia in talibus circumstantiis, resalutationis & responsionis omissio est de se & ex natura rei significativa odii, adeòque de se & ex natura rei adversatur charitati, & quidem graviter; nisi tamen attenta personarum & circumstantiarum conditione, signum sit tantùm contemptus levis, vel levis cujusdam indignationis, quo casu de se, & sublato scandalo, leviter tantùm charitati repugnabit.

Quæres, quando & quomodo ex charitate teneatur homo ad remittendam injuriam inimico?

R. 1. hominem teneri ex charitate ad remittendam interiùs injuriam, seu ad omne odium interiùs deponendum, quò pertinet illud Christi Matth. c. 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

R. 2. ad externa amicitiæ signa inimico exhibenda, per se loquendo, hominem non teneri ex charitate, nisi in casu necessitatis, aut cùm inimicus veniam petit. Ratio est, quia charitas per se non obligat ad hæc signa inimico exhibenda; nisi cùm obligat ad eum specialiter & singulariter diligendum. Atqui charitas non obligat ad inimicum specialiter & singulariter diligendum, nisi in casu necessitatis, aut cùm veniam petit. Ergo, &c.

Major patet ex terminis. Minor verò probatur ex S. Thoma 2. 2. q. 83. a. 8. in O. *Diligere*, inquit, *inimicos in generali, est in præcepto; in speciali autem non est in præcepto, nisi secundùm præparationem animi; ut scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret.* Externa igitur amicitiæ signa inimico exhibere, cùm nec occurrit necessitas, in qua juvandus sit, nec ipse veniam petit, in consilio est non in præcepto, nec necessitatis est, sed perfectionis.

R. 3. hominem non teneri ex charitate ad condonandam satisfactionem convenientem injuriæ acceptæ, quantùmvis ad injuriam ipsam interiùs, interiùs odium deponendo, vel etiam exteriùs, cùm venia petitur, externa reconciliationis signa exhibendo remittendam, teneatur ex charitate. Ratio est, quia qui injuriam passus est, jus habet ad congruam satisfactionem, & jus illud per legitimam potestatem prosequi potest, & petere ut sibi restituantur bona externa, honor, fama, &c. prout in bonis externis, honore, fama, læsus fuit. Hic tamen aliqua sunt observanda, ne violetur charitas. 1. Ut ex animo remittatur injuria, & nihil fiat ex affectu vindictæ. 2. Ut reo justam ad prudentum arbitrium satisfactionem offerenti, lis non intendatur, nisi pœna aliqua, per sententiam Judicis infligenda, ad bonum commune requiratur. 3. Ne reus levi damno, a se illato, cogatur satisfacere cùm gravi suo detrimento. 4. Ne reus, postquam satisfecit quantùm potuit, ampliùs urgeatur ut faciat quod non potest, nisi tamen ulteriùs, propter bonum commune, justè ab eo qui læsus est, intendi possit, ut pœna aliqua reo infligatur propter commissum delictum.

ARTICULUS XIII.

De præcepto correctionis fraternæ.

Duplex est correctio proximi: una judicialis, & altera charitativa. Prima pertinet ad justitiam vindicativam, & fit per authoritatem publicam tenditque saltem præcipuè in ejus, qui corrigitur, castigationem & pœnam, propter bonum commune. Secunda pertinet ad misericordiam, quæ vel non est virtus distincta à charitate, vel potiùs virtus est intimè cum charitate conjuncta. Finis ejus est illius qui corrigitur bonum & emendatio, & de ea multa quæruntur. 1. Utrùm sit in præcepto? 2. Utrùm sit in præcepto graviter obligante? 3. Quænam sit ejus materia? 4. Quando & cum quibus circumstantiis hoc præceptum obliget? 5. Quas personas & ad quos corrigendos obliget. 6. denique, utrùm obliget ad servandùm ordinem aliquem in correctione. Quibus omnibus satisfiet sequentibus Responsionibus.

Responsio I.

Datur præceptum de correctione fraterna.

*Prob.*1. Ex Scriptura. Nam Christus Matth. cap.18. dicit: *Si peccaverit in te* (hoc est, coram te) *frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Hoc autem verbum, Corripe, manifestè præceptum sonat, & præceptivum esse docent communiter Jurisconsulti & Doctores scholastici cum S. Thoma 2. 2. quæst. 33. art. 2. Præceptum hoc inculcat variis locis Apostolus, ad Galat. cap. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto ... hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* 1. ad Thess. cap. 5. *Corripite inquietos.* Et 2. ad eosd. cap. 3. *Si quis non obedit verbo nostro ..., nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.*

*Prob.*2. Ex S. Augustino, qui fraternæ correctionis obligationem luculenter exprimit serm. 16. de verbis Domini, ubi hæc habet: *Qui passus est* (injuriam,) *quid debet? Quod audivimus hodie:* Si peccaverit in in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. *Si neglexeris, pejor es ... Tu vulnus fratris tui contemnis? tu eum vides perire, & negligis? Pejor es tacendo, quàm ille conviciando.*

*Prob.*3. Quia actus misericordiæ tam sunt in præcepto, quàm actus charitatis erga proximum, cùm tam sint necessarii. Atqui correctio fraterna est actus misericordiæ: misericordiæ enim est miseriæ proximi succurrere; & per correctionem fraternam miseriæ proximi succurritur. Ergo correctio fraterna est in præcepto. Quod confirmatur a pari: nam tenemur subvenire proximo patienti necessitatem corporalem, quod fit per eleemosynam. Ergo pariter, imò & multò magis tenemur subvenire proximo patienti necessitatem spiritualem, quod fit per fraternam correctionem.

At inquies. Cùm proximus necessitatem spiritualem patitur, potest sibi ipse subvenire: habet enim libertatem & gratiam saltem ad orandum, adeòque potest orando ulteriorem gratiam imperrare, quacùm, si velit, se ipse emendabit. *R.* hominem in necessitate spirituali existentem, absolutè quidem posse sibi subvenire, sed hoc aliquando difficillimum esse, & sæpe futurum esse ut hac potestate usurus non sit, nisi per fraternam correctionem adjuvetur. Unde correctio fraterna proximo spiritualem necessitatem patienti moraliter necessaria est; quod sufficit ad hoc, ut sit in præcepto.

Responsio II.

Præceptum correctionis fraternæ ex genere suo sub gravi obligat.

Prob. Præceptum misericordiæ ex genere suo graviter obligat, & tam ex genere suo graviter obligat, quàm præceptum charitatis erga proximum: vel enim sunt unum & idem præceptum, vel unum alteri intimè conjunctum est & affine. Atqui præceptum correctionis fraternæ est præceptum misericordiæ, cùm ad misericordiam pertineat correctio fraterna. Ergo præceptum correctionis fraternæ ex genere suo graviter obligat. Quòd confirmatur ex eo quòd præceptum correctionis fraternæ gravius obligare debeat, quàm præceptum eleemosynæ; cùm miseria spiritualis miseria corporali gravior sit. Atqui præceptum eleemosynæ ex genere suo obligat sub mortali. Ergo à fortiori præceptum correctionis, &c.

Responsio III.

Quodlibet peccatum mortale commissum & non emendatum, est materia gravis & sufficiens præcepti correctionis fraternæ.

Prob. ex verbis Christi Matth. cap. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ergo finis correctionis fraternæ est lucrari fratrem perditum. Ergo materia correctionis fraternæ est peccatum, quo periit frater, amittendo scilicet vitam spiritualem animæ. Atqui tale est peccatum mortale quodlibet, commissum & non emendatum. Ergo, &c. Quòd confirmari potest ex verbis S. Augustini Resp. I. allegatis, in quibus apertè supponit correctionem fraternam esse de peccato, mortem animæ proximo inferente.

Dixi autem, peccatum mortale commissum, &c. Nam peccatum mortale potest esse commissum, & jam emendatum, & tunc non potest esse materia præcepti correctionis fraternæ: cùm enim hæc correctio fieri non debeat, nisi ut proximus emendetur, emendato proximo, cessat necessitas hujus correctionis, ac proinde & ejus obligatio: quamvis locus adhuc esse potest accusationi & correctioni judiciariæ, quia hæc non emendationem delinquentis spectat, sed ejus castigationem & pœnam, quæ etiam post emendationem locum habere potest propter bonum commune.

Item potest peccatum mortale nondùm esse commissum, & tunc nondùm potest esse materia præcepti fraternæ correctionis: cùm enim nondùm proximus deliquerit, nondùm emendatione indiget, & sic nondùm locus esse potest fraternæ correctioni. Et verò cùm correctio fraterna sit medium ordinatum ad lucrandum fratrem, qui deliquit, & delinquendo periit, & sublato fine, medii adhibendi nulla possit esse necessitas; necessitas correctionis fraternæ, adeòque & ejus obligatio necessariò supponunt fratrem deliquisse, & delinquendo periisse. Superest igitur, ut solùm peccatum commissum, & nondùm emendatum, sit materia præcepti fraternæ correctionis.

At inquies. Fieri potest, ut qui nondùm peccatum commisit, sit in morali & proximo periculo illud committendi. Item fieri potest, ut qui peccatum commisit, & illud emendavit, sit in occasione morali & proxima illud iterùm admittendi. *R.* Qui versatur in morali & proximo periculo committendi peccatum mortale, vel advertit ad illud periculum, vel non advertit. Si primum, peccat mortaliter: mortaliter enim peccat, qui scienter manet in morali & proximo periculo peccandi mortaliter, quia scienter transgreditur præceptum prohibens peccatum mortale, cujus morali & proximo periculo sese exponit: nam idem præceptum, quod prohibet v. g. adulterium, prohibet quoque ne maneas in morali & proximo periculo adulterandi.

Si secundum, vel non advertit culpabiliter, vel non advertit inculpabiliter. Si primum, peccat mortaliter contra præceptum prohibens peccatum mortale, cujus periculo se exponit: culpabilis enim non advertentia æquivalet actuali scientiæ in ordine ad imputabilitatem. Si secundum, non peccat, ac proinde non eget emendatione. Unde in hoc casu potest quidem urgere præceptum admonendi & docendi proximum: at urgere non potest præceptum corrigendi. Sed

Quæres, utrùm etiam peccatum veniale sit materia necessaria, licèt levis tantùm, præcepti fraternæ correctionis: ita ut hoc præceptum obliget sub veniali ad corrigendum peccatum veniale commissum, & nondùm emendatum?

R. Doctores multi negant præceptum correctionis fraternæ ad venialia extendi; quorum sententia probari potest ex verbis Christi: *Si peccaverit in te, &c.* Hic enim necessariò subintelligitur hæc vox, graviter, ut manifestum est ex subsequentibus. Unde Christus hic non dicit simpliciter: *Si peccaverit in te;* sed, *Si peccaverit graviter in te frater tuus, corripe eum, &c.* Ergo præceptum correctionis fraternæ impositum nobis tantùm est pro peccatis gravibus commissis, & nondùm emendatis.

Porrò quamvis venialia commissa cum prudenti moderatione corrigere, videatur non esse in præcepto charitatis & misericordiæ, sed in consilio tantùm, ne detur occasio innumeris scrupulis, (cùm venialia frequentissima sint,) ad ea tamen corrigenda obligari etiam graviter possunt aliqui, nempe superiores religionum: cùm enim ex justitia propter

officium

officium teneantur procurare ut inferiores non solùm mortalia vitent, sed etiam tendant ad sui status perfectionem, adeòque vitent illius impedimenta; possunt ex justitia obligari ad corrigenda venialia, & hæc obligatio gravis esse potest, ut si venialia specialem aliquam habeant indecentiam, propter quam scandalum pariunt, vel parere possunt, si venialia sint communia, quod vergit in detrimentum regularis disciplinæ, &c. Unde prælatus mortaliter peccare potest contra justitiam, ob nimiam, in corrigendis venialibus negligentiam.

Responsio IV.

Ut præceptum correctionis fraternæ obliget, requiruntur aliquæ circumstantiæ, quibus existentibus, statim obligat.

Prob. 1. pars. Nam 1. requiritur ut sufficienter constet delictum proximi. Ratio est, quia sine hac circumstantia correctio temeraria esset. Correctio autem temeraria præcepta non est, sed prohibita. Porrò ut sufficienter constet de delicto proximi sufficit cognitio certa certitudine morali ad quam certitudinem sufficit verisimilitudo notabilis, & notabiliter major omni verisimilitudine in contrarium. Nunquam igitur sufficere potest conjectura levis, ex qua si correctio fieret, non correctio, sed contumelia dicenda esset.

2. Requiritur emendationis spes aliqua: nam ubi nulla aut pene nulla spes est emendationis proximi, ibi non possum prudenter intendere emendationem ejus. Et ubi non possum prudenter intendere emendationem proximi, ibi non possum prudenter velle correctionem ejus: quia finis intrinsecus correctionis proximi est ejus emendatio: & si non possum prudenter intendere finem, non possum prudenter velle medium. Atqui ubi non possum prudenter velle correctionem proximi, ibi ejus obligationem cessare necesse est: obligatio enim ad actum imprudentem repugnat. Ergo, &c. Dixi autem, spes aliqua: non enim certa spes requiritur; cùm enim vix unquam haberi possit, si prærequireretur, vix unquam obligare posset præceptum correctionis; unde satis inutiliter esset à Christo impositum.

Sufficit igitur spes verisimilis. Et verò ad hoc ut charitas postulet aliquid fieri ad subveniendum proximo necessitatem patienti, sufficit ut illud ei verisimiliter profuturum sit. Imò si proximus qui deliquit, est in proximo mortis periculo, adeòque in proximo periculo damnationis æternæ, & ei per correctionem subveniri potest, ad eum corrigendum etiam in dubio emendationis futuræ præceptum graviter obligat. Sed

Nota. 1. Ad obligationem correctionis fraternæ non requiritur, ut fructus illius statim speretur, sed sufficit ut speretur in progressu cùm fieri potest. Pro quo observa quinque actus in correctione fraterna. Primus est, quo qui novit peccatum proximi, privatim eum corripit. Secundus est, quo proximum privatæ correptioni non obsequentem corripit coram aliquot testibus. Tertius est, quo proximum nequidem huic secundæ correptioni auscultantem, denunciat superiori. Quartus est, quo superior subditum sibi delatum corripit. Quintus denique, quo superior subditum, si delictum emendare nolit, ut contumacem excommunicat.

Patet ex verbis Christi: *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum inter te & ipsum solum.* (*En primus actus.*) *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* (*En secundus actus.*) *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* (*En tertius.*) *Si autem Ecclesiam non audierit,* (*En quartus,*) *sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* (*En quintus, & ultimus.*)

Itaque si is qui delinquit, talis est, ut cum eo per omnes correctionis actus progressus fieri possit, ad necessitatem correctionis sufficit spes fructus in aliquo ex illis actibus indeterminatè: sin minus, hoc est, si is qui deliquit, talis non est cùm eo, &c. quia v.g. aliò jamjam migraturus est, si non speratur statim emendandus per secretam correctionem, non teneor ad illum corrigendum: nemo enim tenetur ad actum otiosum & inutilem.

Dices. Ad obligationem correctionis fraternæ spes boni commnnis sufficit. Ergo non requiritur spes emendationis proximi corrigendi. *R.* duplicem distinguendam esse correctionem fraternam; unam privatam, & privatim faciendam, quia delictum occultum est; & alteram publicam, & publicè faciendam, quia delictum est publicum. Ad hanc autem correctionem, de qua non agitur, sufficit spes boni communis. Ratio est, quia intrinsecè ordinatum potissimùm ad bonum commune: unde si bono communi profutura speratur, non est prætermittenda; etiamsi nulla delinquentis vel delinquentium emendationis spes affulgeat. At correctio privata, de qua nunc agimus, intrinsecè ordinatur ad solam emendationem proximi qui delinquit; unde boni communis ratio in ea locum non habet. Quare cùm delictum est occultum, & ita proximus qui delictum commisit, non nisi privatim corripi potest, vel aliqua spes est emendationis proximi, vel omittenda est correptio.

2. Requiritur, ut proximus qui delinquit, correctione indigeat: ita ut cum sufficienti fundamento timeatur, ne si non corrigatur, aut ex peccato commisso occasionem sumpturus sit iterùm peccandi, aut in eo sit permansurus longo tempore cum gravi suo damno spirituali. Quare si non est sufficiens fundamentum horum aliquid timendi, & prudenter judicatur, se ipse sponte sua per sinceram pœnitentiam emendaturus esse, tunc non obligat præceptum correctionis fraternæ. Ratio est, quia præceptum misericordiæ non obligat, nisi in necessitate proximi; & ita præceptum correctionis fraternæ non obligat, nisi cùm correctio necessaria est proximo. Unde cùm in prudenti existimatione nulla est correctionis necessitas, nulla potest esse ad illam obligatio.

Prob. 2. pars. Nam si hæ tres circumstantiæ concurrant, nempè certa moraliter cognitio delicti commissi necessitas correctionis in prudenti existimatione, ut qui delinquit, emendetur, & probabilis spes emendationis; nulla alia rationabilis causa esse potest differendæ correctionis. Ergo tribus his circumstantiis concurrentibus, correctionis præceptum statim obligat.

At inquies. Rationabilis est causa differendi correctionem, si probabiliter judicetur, fore ut, correctionem differendo, peccator postquam tempore aliquo in peccato permanserit, aut etiam aliquoties in illud relapsus fuerit, cum majori fervore & constantia resurgat. Et verò Deus sæpe propter hanc causam differt correctionem peccatoris. Ergo &c. *R.* negando. Cùm enim peccatum mortale sit gravis injuria Dei, & maximum proximi malum, ubi primùm occurrit opportunitas illud emendandi per fraternam correctionem, qua omissa, non emendabitur, sine dilatione adhibenda est correctio, nec permittendum est ut perseveret, sub prætextu magni alicujus spiritualis commodi, quod ex correctionis dilatione etiam probabiliter speratur, & fortasse non eveniet.

Ad prob. R. non licere homini, quidquid licet Deo. Sic v.g. Deus permittit unum peccatum in pœnam alterius præcedentis, quod homo licitè facere non potest. Ex eo igitur quòd Deus aliquando, vel etiam sæpe, correctionem differat propter majus bonum spirituale peccatoris, non sequitur quòd idem possimus. Addo Deum differre correctionem propter majus commodum spirituale peccatoris, quod certò & infallibiliter prænovit ex correctionis dilatione secuturum esse. Nos verò rerum futurarum habere non possumus nisi conjecturalem scientiam, propter quam negligere præsentem opportunitatem correctionis in necessitate proximi, licitum esse posse non credimus.

At inquies. S. Augustinus lib. 1. de civ. c. 9. docet

dilationem correctionis licitum esse in casu proposito. Nam ibi sic loquitur: *Si propterea quisque objurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia oportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur ... non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.* Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam S. Doctor loquitur de eo, qui correctionem differt, quia aut nullam vel pene nullam spem habet emendationis peccatorum, si hìc & nunc corrigantur, aut etiam rationabiliter metuit, ne ex correctione, si hìc & nunc fiat, efficiantur deteriores. Unde S. Doctor dilationem correctionis laudat tantùm pro eo casu, quo probabiliter sperari non potest fructus ex correctione hìc & nunc facta.

Responsio V.

Præceptum correctionis fraternæ obligat eos omnes, qui ad corripiendum idonei sunt.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam Eccli. c. 17. dicitur: *Et mandavit illis* (hominibus) *unicuique de proximo suo* (adjuvando scilicet, non solùm in necessitatibus corporalibus, sed etiam in spiritualibus.) 2. Ex S. Augustino loco proximè citato, ubi ait, in hac vita bonos cum malis flagellari: quia ob nimium ad res temporales affectum, negligunt illos corripere. *Flagellantur*, inquit, *simul* (boni,) *non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam, non quidem æqualiter, sed tamen simul, quam boni contemnere deberent, ut illi* (mali) *correpti atque correcti consequerentur æternam.*

S. Augustinum sequitur S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 3. in O. ubi distinguit duplicem correctionem, fraternam & judiciariam, & dicit hanc, cùm sit actus justitiæ vindicativæ, ad solos prælatos; illam verò, cùm sit actus charitatis, non solùm ad prælatos, sed etiam ad alios pertinere. Verba ejus sunt; *Duplex est correctio: una quidem, quæ est actus charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, sive sit subditus, sive prælatus. Est autem alia correctio, quæ est actus justitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non solum procuratur per admonitionem fratris, sed etiam interdum per punitionem, ut alii à peccato timentes desistant; & talis correctio pertinet ad solos prælatos, qui non solum habent admonere sed etiam corrigere puniendo.*

Ratio autem assertionis nostræ ex Angelico Doctore est, quia correctio fraterna est actus charitatis, vel quia à charitate elicitur, vel cum ejus actu intimè conjuncta est. Ergo præcepto correctionis fraternæ tenentur iidem, qui tenentur præcepto charitatis erga proximum. Atqui præcepto charitatis erga proximum tenentur etiam ii qui prælati non sunt. Ergo etiam ii omnes, qui prælati non sunt, & ad corrigendum sunt idonei, tenentur præcepto correctionis fraternæ; quanquam magis obligentur prælati, quam alii.

Nota. Magis idonei magis obligantur ad corrigendum. Prælati autem regulariter magis idonei sunt. Propter eandem rationem, ad corrigendum magis obligantur parentes erga filios, domini erga famulos, & simpliciter qui vel propter ætatem, vel propter sanctitatem, vel alia quacumque de causa habentur in majori reverentia. Unde regulariter hi omnes gravius peccant contra charitatem, omittendo correctionem in iis circumstantiis, in quibus urget præceptum illius.

Quòd prælati magis, quàm alii qui prælati non sunt, ad correctionem fraternam obligentur, erga subditos, docet S. Thomas art. proximè citato ad 1. ubi sic ait: *Etiam in correctione fraterna, quæ ad omnes pertinet, graviar est cura prælatorum ... Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis quorum curam temporalem habet: ita etiam beneficia spiritualia, puta correctionem, doctrinam, & alia hujusmodi, magis debet exhibere illis, qui sunt suæ spirituali curæ commissi.*

Idem ante eum docuit S. Augustinus lib. 1. de Civ. c. 9. ubi hæc habet: *Qua in re* (ubi de correctione fraterna agitur) *non utique parem, sed longe graviorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur:* Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. *Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata. Nec ideò tamen ab hujuscemodi culpa penitus alienus est, qui licèt præpositus non sit, in eis tamen, quibus vitæ hujus necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit, & negligit, devitans eorum offensiones propter illa quibus in hac vita non indebitis utitur, sed plus quàm debuit, delectatur.* Quibus verbis videtur S. Doctor, eos qui non sunt prælati, excusare à mortali, cùm urgente præcepto correctionis fraternæ, eam omittunt ex metu amittendi bona temporalia; nisi tamen velit eos tantùm excusare à mortali contra justitiam, contra quam etiam, & non tantùm contra charitatem, peccant prælati cùm negligunt correctionem, quando concurrunt ejus necessitas & opportunitas. Sed

Nota iterum. Non solùm boni, sed etiam mali tenentur præcepto correctionis fraternæ per se loquendo: nam per se loquendo præcepta charitatis & misericordiæ obligant omnes, tam malos, quàm bonos. Præterea, ut dicit S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 5. in O. *correctio delinquentis pertinet ad aliquem, in quantum viget rectum judicium rationis. Peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto judicio rationis.* Potest igitur ad peccatorem, non obstante ejus peccato, pertinere correctio; cùm non obstante peccato suo, ad corripiendum idoneus esse possit, præsertim si peccatum illud occultum est etiam ei qui corripiendus est. Dico, præsertim si, &c. Nam si peccatum publicum est, vel saltem notum ei qui correptione indiget, per accidens ratione scandali peccator fortasse non tenebitur præcepto correctionis.

Dico, fortasse: nam si peccator, cujus peccatum publicum est, sit prælatus nihilominùs obligatur præcepto correctionis; & ad hoc ut huic obligationi satisfaciat, tenetur pœnitere, & vitam emendare; ut sit planè idoneus ad corripiendum; quod etiam verum est de quocumque alio peccatore publico & non prælato, saltem cùm proximus corripiendus versatur in extrema necessitate spirituali, coram illo sufficientia veræ pœnitentiæ signa exhibendo.

Responsio VI.

Præceptum correctionis fraternæ obligat ad corripiendos non solùm inferiores, sed etiam æquales & superiores, quando correptione indigent.

Prob. Nam præceptum correctionis fraternæ obligat ad subveniendum per correctionem omni proximo, in miseria spirituali constituto: hoc enim præceptum respicit miseriam spiritualem proximi ut sic. Atqui non solùm inferior vel æqualis, sed etiam superior proximus est, & omnes capaces sunt miseriæ spiritualis. Ergo, &c. Sed

Confirmatur resp. de superioribus, 1. Ex S. Augustino epist. 19. *Ipse vero Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: atque rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, si cubi forte recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda evangelica veritate, salva fraterna charitate resistere.*

2. Ex Gregorio Magno lib. 10. epist. 37. *Sicut* inquit, *laudabile discretumque est, reverentiam & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si qua inter eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere, ne totum, quod absit, corpus incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite.*

3. Ex S. Thoma 2. 2. q. 33. a. 4. in O. *Correctio*, inquit,

quit, *fraterna, quæ est actus charitatis, pertinet ad unumquemque, respectu cujuslibet personæ, ad quam charitatem debet habere, si in illo aliquid corrigibile inveniatur .... Sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis; ideò in correctione, qua subditi corrigunt prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum pervenia & duritia, sed cum mansuetudine & reverentia corrigantur.*

Ratio itaque S. Doctoris est, quia correctio fraterna est actus charitatis, quem proinde exercere possumus & debemus erga omnes illas personas, quas tenemur ex charitate diligere. At inferiores tenentur ex charitate diligere superiores suos. Ergo, &c. Addo, cùm superiores sint magis ex charitate diligendi, quàm alii, & possint esse in majori necessitate, quia versantur in majoribus periculis, & pauciores sint qui eos admoneant; potest esse non solùm obligatio, sed etiam major obligatio eos admonendi, servata semper moderatione debita.

Quæres, utrùm superior possit & debeat aliquando publicè corripi ab inferiore?

Ad hanc quæstionem respondet S. Thomas art. proximè citato ad 2. ubi postquam dixit superiorem, cùm correctione indiget, in occulto & reverenter admonendum esse, sic prosequitur: *Sciendum tamen est, quòd ubi immineret periculum fidei, etiam publicè essent prælati à subditis arguendi. Unde & Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publicè arguit.* Idem docet S. Augustinus epist. 19. cùm ait Paulum, quando Petro in faciem restitit, exemplum dedisse minoribus, *quo confidenter auderent majoribus pro defendenda evangelica veritate, salva fraterna charitate, resistere.*

Responsio VII.

Quando delictum proximi publicum est, publicè corrigi potest statim, nec præmissa admonitione secreta.

Prob. ex S. Thoma 2. 2. q. 33. a. 7. in O. *Aut enim*, inquit, *peccata sunt publica, aut sunt occulta. Si quidem sint publica, non est tantum remedium adhibendum ei qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur. Et ideò talia peccata sunt publicè arguenda, juxta illud Apostoli primæ ad Timoth. quinto: Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. Quod intelligitur de peccatis publicis, ut Augustinus dicit, &c.* Ratio itaque nostræ resp. ex S. Thoma est: quia cùm delictum publicum est, tunc non tam de peccatoris, quàm de aliorum bono per correptionem procurando agitur, ad quod publica correptio necessaria est. Adde, quòd admonitio secreta adhibeatur ad consulendum famæ peccatoris, quæ ratio locum non habet in casu proposito, in quo peccator diffamatus est.

Porrò delictum publicum publicitate facta (nam de hac publicitate hìc agitur, non de publicitate juris, quæ fit per sententiam judicis, qua reus publicè condemnatur de commisso crimine) tale esse potest, vel simpliciter, vel secundùm quid tantùm. Est publicum simpliciter, cùm est ita notorium, ut nulla tergiversatione celari possit. Publicum est secundùm quid tantùm, cùm notum est multis, & probari potest in jure. Delictum itaque publicum pro modo publicitatis corrigendum est: nam in correptione adhibenda ratio scandali & necessitatis, ut omnia ordinatè fiant, haberi debet.

Responsio VIII.

Si delictum proximi occultum est, sed vergit in detrimentum boni communis, potest & debet statim, nulla secreta admonitione præmissa, denunciari superiori.

Prob. Quia bonum commune divinius est bono privato, adeòque præferri debet, & sufficienter procurari, etiam cum infamia privati, contra illud molientis aliquid. Ita docet S. Thomas loco proximè citato. *Quædam peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occultè tractet quomodo civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines à fide avertat. Et quia ille qui sic occultè peccat, non solùm in te peccat, sed etiam in alios; oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur.*

Porrò in hac nostra responsione subintelligenda est aliqua restrictio, quam S. Doctor addit his verbis: *Nisi forte aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.* Itaque si certa esset & firma spes consulendi sufficienter bono communi per secretam admonitionem, tenenda prius esset hæc via, quia charitas exigit, ut consulatur bono communi, cum minimo, quantùm fieri potest, damno privati.

At inquies. Quid si delictum proximi occultum, vergeret in damnum, non boni communis, sed alterius privatæ personæ? *R.* Vel delictum vergeret in gravissimum damnum personæ privatæ, vel in leve aliquod tantùm. Si vergeret in gravissimum damnum hominis privati, putà quia alter ei mortem machinaretur, & nulla spes esset in admonitione secreta, aut correptione facienda coram uno aut duobus testibus cum discretione assumendis, tunc statim procedendum esset ad denuntiationem: charitas enim postulat, ut si aliter fieri non potest, innocenti in gravi, & à fortiori in gravissima necessitate existenti, subveniatur etiam cum gravi damno vel infamia aggressoris.

Quòd si delictum vergeret tantùm in leve aliquod damnum personæ privatæ, & magna esset inæqualitas personarum, putà quia aggressor esset in sublimi dignitate constitutus, cui proi de infamia esset gravissimo nocumento, nec ulla spes esset in primo aut secundo actu correctionis; tunc nec privatim admonendus esset aggressor, aut corripiendus coram testibus, cùm hoc utrumque esset inutile; nec denuntiandus esset propter damnum alterius, sed ad propriam emendationem, si tamen esset aliqua spes illius in actibus denuntiationem subsecutis; alioquin prorsus esset dissimulandum.

Responsio IX.

Si delictum proximi non est notorium, & ita non generat publicum scandalum, nec vertitur in detrimentum boni communis, aut alterius personæ privatæ, denuntiationem præcedere debet admonitio secreta, si sit spes aliqua fructus in ea.

Prob. Quia charitas graviter prohibet ne proximus infametur sine causa. Atqui in casu proposito, proximus sine causa infamaretur, si statim procederetur ad denuntiationem. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam in casu proposito agitur tantùm de emendatione proximi, nec aliud intendi potest, quàm ut proximus, qui deliquit, emendet delictum, quod obtineri potest per solam admonitionem secretam; adeòque, si spes est per eam obtinendi, sine causa infamabitur proximus, si ea omissa, statim fiat denuntiatio. Hoc argumentum suggerit S. Thomas art. citato resp. 7. ubi loquens de delicto occulto, nec vergente in damnum aliorum, sic ait: *Tunc ad hoc solum tendendum est, ut fratri peccanti subveniatur. Et sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicujus membri abscissione ... ita etiam ille qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emendare fratrem, quantum ad conscientiam, ut fama ejus conservetur.*

Rationes autem, ob quas charitas proximum etiam delinquentem prohibet infamari sine causa, sunt, juxta S. Doctorem hoc loco, quia, 1. Fama utilis est *ipsi peccanti, non solùm in temporalibus, in quibus quantum ad multa patitur detrimentum amissa fama; sed etiam quantum ad spiritualia; quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrænatè peccant.* 2. *Quia uno infamato, alii infamantur.* 3. *Quia ex pec-*

cato unius publicato, alii provocantur ad peccandum. Has itaque ob rationes, peccatoris emendatio, si fieri potest, per secretam admonitionem procuranda est, ut ejus fama conservetur.

Ex dictis hactenùs collige, in casu proposito, hunc ordinem servandum esse in correptione, si spes sit fructus in singulis ejus actibus, videlicet ut, 1. peccator privatim admoneatur. Hoc dicit S. Thomas verbis supra relatis. 2. Si privata admonitio sit inutilis, coram uno vel duobus testibus corripiatur peccator. Hoc dicit S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 8. in O. *Post admonitionem secretam semel vel pluries factam, quandiu spes habetur de correctione ... ex quo probabiliter cognoscere possumus, quòd secreta admonitio non valet procedendum est ulteriùs, quantumcumque sit peccatum occultum, ad testium inductionem.* Testes autem, ut ait S. Doctor ad 3. *possunt induci propter tria. Uno modo, ad ostendendum quòd hoc sit peccatum de quo aliquis arguitur. Secundo modo, ad convincendum de actu, si actus iteratur. Tertio modo, ad testificandum, quòd frater admonens fecit quod in se fuit.*

3. Si & hic secundus actus est inefficax, & delictum probari potest, peccator publicè denuncietur superiori, ut judici. Hoc dicit S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 7. in O. *Quia conscientia præferenda est famæ, voluit Dominus, ut saltem cum dispendio famæ, fratris conscientia per publicam denunciationem à peccato liberetur.* Dixi autem, si delictum probari potest; nam si non potest probari in jure superior non potest fungi officio judicis, sicque si tunc peccator publicè denuntietur, inutiliter infamabitur. Quare si delictum sit occultissimum, nec probari possit juridicè, progrediendum non est ultra correptionem coram uno vel duobus correctionis testibus factam, à quà etiam esset abstinendum, *si probabiliter æstimaretur, quod hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redderetur*, ut ait S. Doctor hic ead. q. a. 8. in O.

4. Superior, facta delicti quod probari potest, publica denunciatione, corripiat subditum, antequam procedat ut judex ad infligendam pœnam à jure statutam. Quòd si emendatur subditus, cessat ordo judicialis, & sic delictum superior punire non potest ut judex, adeòque nec ad excommunicationem procedere.

5. denique, si subditus à superiore correptus non emendetur propter contumaciam à superiore excommunicetur. Hunc porrò totum correctionis ordinem cum omnibus ejus actibus habemus expressum in verbis Christi Matth. 18. aliàs relatis, quibus manifestè tam præcipitur ordo actuum, quàm ipsimet actus præcipiuntur.

Dices. Præmitti quidem debet admonitio secreta publicè & judiciali denunciationi, at non necessariò præmitti debet delationi secretæ & paternæ. Unde licèt delinquens non possit publicè denuntiari superiori ut judici, cùm delictum est occultum, nisi priùs privatim admonitus, vel etiam post privatam admonitionem coram uno vel duobus testibus correptus nec emendatus fuerit, potest tamen statim ad superiorem ut patri secretè deferri ut patet ex praxi recepta in omnibus religiosis ordinibus.

R. Cùm de delictis agitur, quorum delatione infamantur delinquentes, idem planè, per se loquendo, tenendum est de secreta & paterna delatione, quod de publica & judiciali: tam enim in una quàm in altera, per se loquendo, famæ proximi parcendum est, ut non priùs infametur apud superiorem, quàm privatim admonitus ab eo, cui delictum ejus notum est, corrigi neglexerit: nam hoc per se loquendo, manifestè postulat charitas.

Dixi autem 1. cùm de delictis, &c. Nam quantùm ad leviores defectus contra regulas, qui non inducunt nisi reatum quemdam civilem, adeòque nec infamiam pariunt, statim ad superiorem ut patrem deferri possunt, ut patet ex praxi omnium religiosorum ordinum. Ratio autem est, quia per hanc delationem non lædit fama proximi, & aliundè non solùm utilis, sed etiam necessaria est ad tuendum regularis disciplinæ vigorem.

Dixi 2. per se loquendo; quia per accidens, nempe si subditi cedant jure, quod habent ad privatam admonitionem, immediata delictorum etiam gravium ad superiorem delatio licita esse potest, ut patet ex praxi Societatis nostræ, quam qui ingrediuntur, consentiunt ut quælibet eorum culpæ, etiam graves, ad superiorem non quidem ut judicem, in ordine ad correctionem publicam & judicialem, sed ut patrem, in ordine ad paternam & secretam correctionem, cùm discretione & charitate debita immediatè deferantur à quovis, qui eas alia via cognoverit, quàm ex Sacramentali confessione, vel redditione rationis conscientiæ, vel declaratione ab ipsis facta ad petendum consilium.

Nota. 1. Delictum grave subditi perfectè emendatum sine relapsus periculo, non sine gravi culpa deferretur superiori; quia tunc sine causa subditus apud superiorem infamaretur. 2. Propter eandem rationem, delictum grave non emendatum, superiori immediatè deferri non potest, si prudenter judicetur emendationem subditi meliùs procurandam esse per privatam admonitionem, quàm per superiorem; & à fortiori si prudenter judicetur, adeòque probabiliùs sit emendationem subditi per superiorem obtinendam non esse 3. Cùm superior mediatus delictum corrigere non potest, nisi per superiorem immediatum, delatio fieri debet superiori immediato, alioquin delinquens sine causa infamabitur apud duos. Propter eandem rationem, delatione immediato superiori facta, si delictum ab eo sufficienter emendetur, non potest fieri nova delatio superiori mediato. 4. Superior immediatus, cui ut patri crimen subditi delatum est, tenetur ipse, si spes est hac via sufficienter emendandi subditum, illum secretè & paternè corripere; & si sic correptus re ipsa emendetur, non potest superior immediatus mediato crimen aperire, sed solùm potest secretas pœnitentias, etiam graves pro gravitate criminis, subdito injungere. 5. Si subditus non emendetur sufficienter per correptionem superioris immediati, debet hic crimen deferre superiori mediato, qui tenebitur ipse secretè & paternè corripere subditum. 6. Si nec hac vice subditus emendatur, & crimen ejus in grave damnum status religiosi vertitur, tenetur tunc delator à paterna delatione ad judicialem transire; unde & ad hoc cogi potest, ut manifestum est ex dictis Resp. 8.

ARTICULUS XIV.

De præcepto eleemosynæ.

PROPOSITIO I.

DAtur præceptum eleemosynæ, ex genere suo obligans ad mortale.

Prob. Et 1. quòd eleemosyna sit in præcepto, docet apertè Scriptura Eccli. c. 4. *Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes.* Et inferiùs: *Inclina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum.* Idem docent unanimi consensu Patres. Pro omnibus sit S. Ambrosius lib. de Nabuch. c. 12. *Qui non patitur*, inquit, *te dicere, Cras dabo: quomodo patitur dicere. Non dabo? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas? Omnium est terra, non divitum; sed pauciores qui non utuntur suo, quàm qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum.*

2. Quòd hoc præceptum ex genere suo obliget ad mortale, asserit Christus Matth. c. 25. cùm ait: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum ... Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Multi igitur damnabuntur, eò quòd eleemosynam non dederint. Atqui nemo damnari potest, nisi propter peccatum mortale. Ergo, &c. Idem docet Joannes Apostolus epist. 1. cap. 3. *Qui habuerit*, inquit, *substantiam*

tiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Unde sic argumentor. Illud præceptum graviter obligat, sine cujus observatione non potest conservari charitas. Atqui charitas conservari non potest sine observatione præcepti eleemosynæ. Ergo, &c.

Ratio à priori utriusque partis est, quia eleemosyna est actus misericordiæ: est enim actus, quo subvenitur miseriæ corporali proximi, quod pertinet ad misericordiam. Atqui actus misericordiæ sunt in præcepto ex genere suo graviter obligante, ut Art. superiore probatum est. Ergo, &c. Et verò tam tenemur subvenire miseriæ corporali proximi, quàm tenemur eum diligere, juxta illud epist. 1. Joan. c. 3. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate*. Atqui præceptum obligans ad dilectionem proximi, ex genere suo obligat ad mortale. Ergo, &c.

Quæres 1. Quandonam obliget præceptum eleemosynæ?

R. 1. hoc præceptum, cùm sit affirmativum, non obligare pro semper. 2. Hoc præceptum obligare pro eo tempore, quo proximus necessitatem corporalem patitur: nam eleemosyna est actus quo subvenitur proximo in necessitate corporali constituto. Ergo præceptum eleemosynæ est præceptum obligans ad subveniendum proximo in necessitate corporali constituto: Ergo tunc urget præceptum eleemosynæ, cùm proximus in necessitate corporali constitutus est.

Porrò necessitas corporalis triplex est; communis scilicet, gravis, & extrema. Communis dicitur ea, quæ reperitur in communibus pauperibus. Gravis est, cùm homo grave detrimentum in bonis temporalibus vitare non potest, nisi ei subveniatur. Extrema denique dicitur, cùm homo est in evidenti periculo vel mortis, vel mutilationis membrorum, vel incidendi in amentiam, vel amittendi totam famam, aut omnia bona fortunæ.

Circa has omnes necessitates versatur præceptum eleemosynæ, sed non æquè obligat circa omnes. Nam in extrema necessitate, ubi primùm occurrit, tenemur absque mora subvenire proximo, nisi tamen simul occurrant plures hujusmodi necessitates, nec possimus omnibus subvenire: tunc enim optionem habemus, servato semper ordine charitatis. At in necessitatibus communibus non tenemur cuivis egenti nobis obvio eleemosynam dare, sed possumus eam servare aliis simílem necessitatem patientibus. In gravibus verò necessitatibus prudentia opus est: nam aliquando gravem necessitatem patienti statim subveniendum erit; aliquando verò eleemosyna reservari poterit aliis in simílem necessitatem probabiliter jamjam casuris, quando scilicet non adeò gravis erit necessitas: necessitas enim gravis latitudinem habet.

Quæres 2. Ad quos se extendat præceptum eleemosynæ?

Resp. Hoc præceptum extendit se ad quoslibet homines necessitatem patientes, sive consanguinei, sive alieni, sive justi, sive peccatores, sive amici, sive inimici sint.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Tobiæ cap. 4. dicitur: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut neq; à te avertatur facies Domini*. Et Proverb. cap. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*. Præterea, Scriptura nunquam distinguit inter pauperem & pauperem; & cùm simpliciter dicit pauperi subveniendum esse, nullum hominem, qui necessitatem patiatur, excludit. 2. Ratione: quia præceptum eleemosynæ ad eos omnes se extendit, ad quos extendit se præceptum charitatis, in quo fundatur, & cui proinde commensuratur. Atqui præceptum charitatis extendit se ad omnes omninò homines. Ergo, &c.

Quæres 3. Utrùm homo teneatur quærere indigentes, quibus det eleemosynam?

Resp. Non teneri ad hoc, sed sufficere, si subveniat iis, qui præsentes sunt, vel in ejus notitiam venerint; nec studiosè ignoret necessitates proximorum, & fugiat occasiones illis subveniendi. Ratio est, quia obligatio inquirendi nullibi expressa reperitur, & alioquin onus esset gravissimum. Adde quòd miserorum est aperire suam miseriam. Ita sentit S. Thomas quodlibet. 8. art. 12. ubi hæc habet: *Nec tenetur* (homo) *inquirere, quia hoc esset nimis grave, quòd de omnibus pauperibus inquireret, & præcipuè cum ad eum, qui necessitatem patitur, pertineat, ut necessitatem suam exponat*.

Porrò hæc responsio intelligenda est de solis personis privatis. Nam qui rempublicam administrant, teneri possunt, & quandoque tenentur, saltem ex justitia & ratione officii, ad inquirendum; quia hoc quandoque necessarium est ad bonum statum reipublicæ, in qua occurrunt necessitates, quibus sine diligenti inquisitione provideri non potest.

Propositio II.

Homo non potest facere eleemosynam extra casum necessitatis extremæ, nisi ex bonis, quorum dominium habet non impeditum, aut quorum legitimam & absolutam administrationem habet.

Prob. Nam 1. homo non potest facere eleemosynam nisi de bonis, de quibus potest disponere. Atqui non potest disponere nisi de bonis quorum dominium habet, &c. Ergo, &c. 2. Qui facit eleemosynam, per eam transfert dominium rei quam largitur, in pauperem cui largitur. Atqui hæc translatio fieri non potest nisi à rei domino, legibus humanis non impedito, aut ab eo qui vicem ejus gerit. Ergo, &c. Hinc

1. Famuli & famulæ non possunt facere eleemosynas ex bonis dominorum sine illorum expressa vel tacita concessione, & si faciunt, furantur, & tenentur ad restitutionem.

2. Religiosi subditi, sine expressa vel probabiliter præsumpta superioris licentia, non possunt facere eleemosynas. At possunt superiores facere eleemosynas aliquas, non quidem ut domini, quia non sunt, sed ut rerum temporalium administratores. Unde debent illas facere juxta quantitatem, & modum sibi præscriptum, nisi tamen hoc totum eorum prudentiæ relinquatur.

3. Filii familias sine consensu patris non possunt facere eleemosynas ex bonis paternis, quia eorum dominium non habent. Similiter non possunt pupilli ex propriis bonis, quia habent dominium per leges impeditum. Ab his tamen differunt filii familias, quòd rerum aliquarum dominium expeditum habere possint, quale est peculium castrense, vel quasi castrense, ex quo proinde possunt eleemosynas facere. Secùs sentiendum est de peculio profectitio & adventitio, quia profectitii dominus, & adventitii usufructuarius pater est.

Porrò peculium castrense dicitur, quod in militia, vel intuitu militiæ; quasi castrense, quod vel officio liberali & publico, vel donatione regia; profectitium, quod vel donatione intuitu patris facta, vel bonis paternis, cum eis negotiando; adventitium denique, quod vel donatione facta sine patris intuitu, vel aliter quàm cum bonis paternis negotiando, comparatum est.

4. Quamvis uxor dominium habeat dotis suæ, non potest tamen ex ea facere eleemosynas sine consensu mariti, quia penes maritum est administratio dotis uxoris. Ita docet S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 8. ad 2. ubi sic ait: *Si uxor habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro* (ad onera illa sustentanda non necessariò) *vel quocumque alio licito modo* (v. gr. ex bonis paraphernalibus, quorum dominium & liberam administrationem habet,) *potest dare eleemosynas, etiam irrequisito assensu viri; moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Alias autem*

non

non debet dare eleemosynas sine consensu viri, vel expresso vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis (extremæ.) *Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his quæ ad dispositionem domus pertinent, vir caput est mulieris.*

Dixi autem in resp. Extra casum necessitatis extremæ: nam in hoc casu omnia communia sunt quantùm ad usum. Unde si non habeantur propria, ex alienis proximo necessitatem patienti subveniendum est. Ergo à fortiori subveniendum est ex propriis, quorum non habetur libera administratio. Hinc in extrema necessitate constituto eleemosynam dare possunt monachus ex bonis monasterii, filius-familias ex bonis paternis, pupillus ex propriis bonis, & uxor ex dote sua, sicut etiam famuli & famulæ ex rebus dominorum.

Propositio III.

Homo non potest facere eleemosynam ex bonis restitutioni obnoxiis, nisi vel in casu extremæ necessitatis, vel cùm sic restitutio facienda est.

Prob. Nam homo cum habet aliena, vel restitutioni obnoxia, tam tenetur ad restituendum, quàm tenetur ad non furandum. Ergo tam peccabit non restituendo, quàm peccaret furando ad faciendam eleemosynam.

Dixi autem, Nisi vel in casu, &c. Nam 1. qui videt proximum in extrema necessitate positum, si non habet propria, ex quibus ei subvenire possit, debet ei, si potest, subvenire ex alienis, etiam ea furripiendo; si dominus, requisita ipsius voluntate, probabiliter illa daturus non est; ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 3. *In casu*, inquit, *extremæ necessitatis omnia sunt communia. Unde licet ei, qui talem necessitatem patitur, accipere de alieno ad sui sustentationem, si non inveniat, qui sibi dare velit. Et eadem ratione licet habere aliquid de alieno, & potest de hoc eleemosynam dare, quin imò accipere, si aliter subveniri non possit necessitatem patienti. Si tamen fieri potest sine periculo, debet, requisita domini voluntate, pauperi providere extremam necessitatem patienti.*

2. Si quis habet bona restitutioni obnoxia, & post debitam inquisitionem incertum est, cui restituere debeat, debet bona illa pauperibus distribuere. Ratio est, quia 1. non obstante hac incertitudine, urget obligatio restituendi, & non potest alio convenientiori modo fieri restitutio. 2. Talis præsumitur esse voluntas domini, cujus in hoc casu debitor quasi dispensator est.

Propositio IV.

Proximo in extrema necessitate existenti tenetur homo sub mortali subvenire ex non necessariis ad conservationem vitæ propriæ, vel suorum, adeòque ex necessariis ad conservationem status.

Prob. Quia ordo charitatis graviter exigit, ut homo plus diligat vitam proximi, quàm status sui decentiam. Ergo, &c. Præterea, qui versatur in extrema necessitate, naturale jus habet utendi bonis alterius, quantumvis ei ad statum necessariis, illaque, eo etiam invito, accipiendi. Ergo alter tenetur ei dare, eique jus suum servare.

Propositio V.

Proximo in gravi necessitate constituto tenetur homo sub mortali subvenire, etiam ex iis, quæ ei aliquo modo necessaria sunt ad integram status decentiam.

Prob. Quia charitas obligat graviter hominem ad diligendum proximum sicut se ipsum. Atqui homo censeri non potest diligere proximum sicut se ipsum, si nolit gravi miseriæ proximi cum aliquo suo non notabili incommodo subvenire. Ergo, &c. Ad hoc pertinere videtur illud epist. 1. Joan. cap. 3. *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Quòd si homo sub mortali tenetur, ex aliquo modo necessariis ad statum, subvenire proximo graviter periclitanti in corpore, vel fama, vel fortunis, quantò magis tenetur ex simpliciter superfluis?

Dixi autem, aliquo modo necessaria: nam ex simpliciter necessariis ad statum, homo non tenetur subvenire proximo, nisi cùm est in extrema necessitate: neque homo ut subveniat proximo necessitatem patienti, tenetur se ipsum ad parem necessitatem redigere, & subire grave damnum, ut grave damnum proximi in eodem genere impediat: dilectio enim sui est prior dilectione proximi; & cùm dicitur: *Diliges proximum sicut te ipsum*, to, *sicut* non significat omnimodam æqualitatem, ut jam aliàs notatum est.

Propositio VI.

Unusquisque tenetur simpliciter superflua erogare in pauperes communes.

Prob. Superflua simpliciter dicuntur ea, quæ homini neque ad propriam & suorum vitam conservandam, neque ad integram status decentiam securè servandam, spectatis eventibus, qui moraliter possunt contingere, neque ad liberos secundùm eorum conditionem honestè & convenienter collocandos, neque ad altiorem in Republica gradum obtinendum, si ad eum idoneus est, & ad eum prudenter aspirare potest, necessaria sunt. Atqui hujusmodi bona debent erogari in pauperes communes. Ergo, &c.

Prob. min. Ex S. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 7. in O. ubi sic loquitur: *Ea quæ sunt juris humani, non possunt derogare juri naturali, vel juri divino. Secundùm autem naturalem ordinem ex divina providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quòd ex his subveniatur hominum necessitati: & ideò per rerum divisionem & appropriationem, ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus. Et res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. Unde Ambrosius dicit.* Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis.

Juxta S. Doctorem igitur, bonorum divisio & appropriatio jure gentium induci non potuit, nisi ea lege & conditione, ut qui superabundantia, hoc est, simpliciter superflua haberent, ea tenerentur distribuere pauperibus. Et ratio ejus est, quia Deus ut auctor & provisor naturæ humanæ, constituit, adeòque jus naturale, quod per jus humanum aboleri non potest, graviter præcipit omnium hominum necessitatibus, servata proportione, subveniri ex rebus temporalibus, hoc est, extremæ necessitati unius ex rebus alteri etiam simpliciter necessariis ad statum, gravi necessitati unius ex rebus alteri non modò simpliciter superfluis, sed etiam aliquo modo ad statum necessariis, & communibus necessitatibus aliorum ex aliorum rebus, eis simpliciter superfluis. Quod confirmat S. Doctor ex verbis S. Ambrosii, idem asserentis æquivalenter.

Itaque juxta S. Doctorem, qui superabundantia habent, & simpliciter superflua, non tam eorum domini sunt, quàm dispensatores, quorum tamen arbitrio horum superfluorum distributio committitur; ita ut non teneantur dare huic vel illi determinatè, sed quibus dent, servato ordine charitatis, eligere possint. Hoc dicit S. Doctor eodem loco: nam sic prosequitur: *Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri; committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.* Adde nec eos teneri ad superflua illa statim in pauperes profundenda; sed satis esse v. gr. si superflua unius anni intra annum distribuant, nisi tamen graves aliquæ necessitates occurrant, quibus citiùs subvenire necesse sit.

Hanc

Hanc porrò obligationem simpliciter superflua erogandi in pauperes, etiam in communi tantùm necessitate gravem esse, satis colligitur ex ratione D. Thomæ, ex Patribus, Ambrosio verbis citatis, Basilio homil. in avaros ditescentes, ubi eodem planè modo loquitur, quo Ambrosius; Gregorio Nazianz. orat. de amore pauperum, &c. imò & ex verbis Christi Matth. cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum ... Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ex quibus liquet, innumeros divites damnatum iri, quòd proximorum necessitatibus non subvenerint. Unde mortaliter peccat, qui nunquam facit, vel proponit nunquam facere eleemosynam ex simpliciter superfluis; qui ex simpliciter superfluis thesaurizat; qui simpliciter superflua in ludos, epulas, sumptuosa ædificia, aliosve vanos usus expendit, vel omnia, vel saltem ex parte notabili.

Dices. Divites sunt domini rerum simpliciter superfluarum. Ergo saltem extra casus extremæ vel gravis necessitatis possunt illas sibi retinere, & ex illis thesaurizare. *Resp.* neg. conseq. Divites itaque sunt quidem domini simpliciter superfluorum, sed cum gravi obligatione ea, hoc ipso quòd sic superflua sunt, in pauperes erogandi. Ex eo igitur quòd divites simpliciter superfluorum sint domini, sequitur tantùm quòd ad eorum in pauperes erogationem non teneantur ex justitia commutativa, & ita si non erogent, non teneantur ad restitutionem.

Dices. Talis est obligatio subveniendi proximo, qualis est necessitas proximi. Ergo ubi non est nisi levis necessitas, ibi non potest esse nisi levis obligatio. Atqui in casu necessitatis communis nunquam occurrit nisi levis necessitas particularis. Ergo nunquam occurrit nisi levis obligatio subveniendi proximo. Ergo nunquam nisi venialiter peccari potest, non subveniendo proximo in casu necessitatis communis. Ergo saltem qui retinet simpliciter superflua, non peccat nisi venialiter. *Resp.* neg. hanc ultimam consq. Ratio negandi est, quia obligatio dandi simpliciter superflua pauperibus, non est præcisè obligatio subveniendi necessitati hujus vel illius proximi in particulari, sed est obligatio subveniendi necessitati communi, seu aggregato ex omnibus necessitatibus particularibus, quod profectò aggregatum est sufficientissima materia gravis obligationis.

Dices. Hac doctrina damnatur maxima divitum pars: non enim ditescunt, nisi simpliciter superflua retinendo, & ex eis thesaurizando. *Resp.* Hanc doctrinam solùm ostendere, quomodo se ipsi damnent divites illi, quibus cum Jacobo Apostolo dicimus: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt ... aurum & argentum vestrum æruginavit; & ærugo eorum in testimonium vobis erit* (vestræ in pauperes inhumanitatis,) *& manducabit carnes vestras. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.*

Propositio VII.

Præcepto eleemosynæ non satisfit per mutuum, aut alium contractum onerosum, quo indigens obligetur ad aliquid sive absolutè, sive conditionatè tantùm, putà si posteà ditescat, si posteà domum vel agrum possideat, &c.

Prob. Nam præceptum eleemosynæ, cùm urget, obligat ad subveniendum miseriæ proximi, non qualicumque modo, sed liberaliter & absolutè donando: nam eleemosyna, in sensu Scripturarum & Patrum, est res absolutè & gratuitò donata proximo ad subveniendum ejus necessitati; adeòque præceptum eleemosynæ est præceptum absolutè & gratuitò donandi proximo rem aliquam, qua sublevetur ejus miseria. Ergo cùm urget præceptum eleemosynæ, non ei satisfacit qui proximi necessitatem sublevat per mutuum, aut quemlibet alium contractum onerosum, sed peccat mortaliter, si proximus est in extrema vel gravi necessitate.

Dixi autem, cùm urget præceptum eleemosynæ. Nam 1. si proximus non sit in necessitate simpliciter, sed secundùm quid tantùm, putà quia abest à patria, in qua habet bona, quia est operarius, & non locatur ejus opera, quia est artifex viribus valens ad exercendam artem suam, sed caret instrumentis, nisi tamen tota sua industria ad sibi vel familiæ suæ subveniendum indigeat, quo casu erit simpliciter indigens; si proximus, inquam, non sit in necessitate nisi secundùm quid, tunc propriè non urget præceptum eleemosynæ, & charitati satisfit, si proximo subveniatur per mutuum, locationem, aliumve contractum onerosum.

2. Si proximus est tantùm in necessitate communi, & non habeo simpliciter superflua, non obligat me præceptum eleemosynæ, quia non possum subvenire proximo nisi de necessariis ad statum, & ita non possum ex charitate teneri ad ei subveniendum, nisi per mutuum, aut alium aliquem contractum onerosum. Idem dic, si proximus non est in extrema necessitate, nec possum ei subvenire nisi ex simpliciter ad statum necessariis, seu sine notabili meo damno. Et si habeo simpliciter superflua, teneor præcepto eleemosynæ, etiam extra casum extremæ vel gravis necessitatis, ex illis subvenire simpliciter indigentibus, per largitionem omninò gratuitam & absolutam.

Quæres. Utrùm is, qui se fingit pauperem, & aliquâ titulo eleemosynæ accipit, teneatur ad restitutionem?

Resp. Talis accepta titulo eleemosynæ tenetur restituere donatori, vel pauperibus. Ratio est, quia vera paupertas, ut talis probabiliter cognita vel præsumpta, est motivum substantiale dandi eleemosynam, quo proinde deficiente, subsistere non potest donatio. Præterea, in omni donatione titulo eleemosynæ facta, tacitè subintelligitur hæc conditio sine qua non. Si verus es pauper.

ARTICULUS XV.

De Scandalo.

1. Scandalum duplex distinguitur, activum scilicet, & passivum. Scandalum activum, quod simpliciter dicitur scandalum, definitur à S. Thoma 2. 2. quæst. 43. art. 1. in O. *Dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ* (spiritualis scilicet, quæ in peccato consistit.) Hanc definitionem probat S. Doctor his verbis: *In processu vitæ spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius: in quantum scilicet sua admonitione, vel inductione aut exemplo, alterum trahit ad peccandum: & hoc proprie dicitur scandalum. Nihil autem secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi quod habet aliquem defectum rectitudinis: quia id quod est perfectè rectum, magis munit hominem contra casum, quàm ad ruinam inducat.* Hinc

Breviter sic argumentor. Scandalum dicitur, omne dictum vel factum, quo quis alterum disponit ad peccatum, in quo spiritualis casus seu ruina hominis consistit. Atqui per se loquendo nemo potest alterum disponere ad peccatum, per dictum suum vel factum, nisi dictum illud vel factum habeat aliquem defectum rectitudinis: quod enim est perfectè rectum, magis retrahit à peccato, quàm ad illud disponit. Ergo, &c. Ad scandalum igitur activum duo requiruntur, nempe 1. dictum vel factum minùs rectum, quod eo ipso quòd est minùs rectum, potest ad peccatum disponere. 2. Ut hoc dictum vel factum re ipsa inducat, vel saltem morale periculum sit, ne inducat ad peccatum.

Porrò hic minùs rectum dicitur, ut ait S. Doctor ad 2. *non quod ab aliquo alio superatur in rectitudine: sed quod habet aliquem rectitudinis defectum; vel quia est secundùm se malum, sicut peccatum; vel quia habet speciem mali, sicut cùm aliquis recum-*

recumbit in idolo: quamvis enim hoc secundùm se non sit peccatum, si aliquis hoc non corrupta intentione faciat: tamen quia habet quandam speciem mali, vel similitudinem veneratiõnis idoli, potest alteri præbere occasionem ruinæ; & si re ipsa præbet, vel morale periculum est, ne præbeat, scandalum est, & peccatum contra charitatem grave vel leve, prout est alteri occasio gravis vel levis ruinæ. Unde, ut subjicit S. Doctor, Apostolus 1. Thess. cap. 5. sic fideles admonet: *Ab omni specie mala abstinete vos.*

2. Scandalum passivum est ipsa spiritualis ruina proximi, hoc est, peccatum ad quod proximus inducitur per alterius dictum vel factum minùs rectum. Ex quo patet, scandalum passivum semper quidem esse peccatum: non enim scandalizatur proximus, nisi ruendo spirituali ruina, & non ruit spirituali ruina, nisi peccando, ut ait S. Thomas hic art. 2. in O. At nunquam quà tale, hoc est, quà scandalum passivum, est peccatum speciale. Hoc dicit S. Thomas hìc a. 3. in O. ubi ait: *Passivum scandalum non potest esse speciale peccatum, quia ex dicto vel facto alterius aliquem ruere contingit secundùm quodcumque genus peccati: nec hoc ipsum quod est occasionem peccandi sumere ex dicto vel facto alterius, specialem rationem peccati constituit: quia non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam.*

3. Ut observat S. Thomas hìc art. 1. ad 4. quandoque simul est scandalum activum in uno, & passivum in altero, putà quando unus inducit ad peccandum, & alter peccat. Quandoque est scandalum activum sine passivo, putà quando aliquis ad peccandum inducit dicto vel facto, & alter non consentit. Quandoque demùm est scandalum passivum sine activo, quando nempe ex eo quòd unus rectè dicit vel facit, & præter ejus intentionem alter sumit occasionem peccandi: tunc enim unius dictum vel factum non est per se, sed solùm per accidens occasio ruinæ alterius, adeòque vel nullatenùs, vel non nisi impropriè dici potest scandalum activum. Ex his

4. Scandalum adhuc dividitur in datum & acceptum. Scandalum dicitur datum, cùm dictum vel factum unius est per se occasio ruinæ alterius: dicitur verò acceptum, cùm dictum vel factum unius est tantùm per accidens ruinæ alterius occasio. Dictum autem vel factum unius est per se occasio ruinæ alterius, *quando*, ut ait S. Thomas loco proximè citato, *aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam si ipse hoc non intendat, & ipsum factum est tale, quòd de sui ratione habet, quòd sit inductivum ad peccandum, puta cum aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati: & tunc ille qui hujusmodi actum facit, propriè dat occasionem ruinæ*, atque ita tunc est scandalum datum.

Dictum verò vel factum unius est tantùm per accidens ruinæ alterius occasio, *quando*, ut ibidem pergit S. Thomas, *& præter intentionem operantis, & præter conditionem operis* (quod nimirum neque malum est, neque similitudinem habet mali,) *aliquis malè dispositus, ex hujusmodi opere inducitur ad peccandum, putà cùm aliquis invidet bonis aliorum. Et tunc ille qui facit hujusmodi actum rectum, non dat occasionem, quantum in se est, sed alius sumit occasionem*, atque ita tunc est scandalum, non datum, sed acceptum.

5. Scandalum acceptum subdividitur in scandalum pusillorum, & scandalum pharisaicum. Scandalum pharisaicum dicitur, quod procedit ex malitia, hoc est, cùm quis ex odio, vel invidia, vel alia quavis prava intentione sumit occasionem peccandi ex alterius dicto vel opere recto præter ejus intentionem. Pharisaicum autem nuncupatur, quia hoc pacto de doctrina & miraculis Christi scandalizabantur pharisæi. Scandalum pusillorum dicitur, quod procedit ex infirmitate vel ignorantia, hoc est, cùm quis ex alterius dicto vel opere recto præter ejus intentionem peccandi occasionem sumit ex infirmitate vel ignorantia. Quia autem sæpè tenemur impedire, ne proximus sic scandalizetur ex dicto vel facto nostro quantumlibet recto, sæpè contingere potest, quòd scandalum pusillorum malitiam habeat scandali dati. Hinc sæpè contingere potest, quòd in scandalo pusillorum scandalum passivum non sit sine activo; cùm è contra in scandalo pharisaico nunquam sit scandalum activum cum passivo; adeòque solus peccet ille, qui sic scandalizatur. His omnibus præsuppositis, pro scandalo activo sit

Propositio.

Scandalum est peccatum speciale & mortale ex genere suo.

Prob. Et 1. quidem quòd scandalum sit peccatum, apertè docet Scriptura pluribus locis. Sic dicitur Matth. cap. 18. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis.* Et Rom. c. 14. *Malum est homini, qui per offendiculum manducat* (carnes, quamvis per se non sit illicitum manducare:) *Bonum est* (& quidem sic, ut contrarium malum sit & inhonestum) *non manducare carnem, & non bibere vinum*, (neque aliud quid simile, quantumvis de se licitum facere) *in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Ratio autem est, quia causare malum spirituale proximi, peccatum est. Sed qui scandalizat proximum, causat malum spirituale illius. Ergo, &c.

2. Scandalum est peccatum speciale: nam, ut dicit S. Thomas hìc art. 3. in Sed contra, *speciali virtuti speciale peccatum opponitur. Sed scandalum opponitur speciali virtuti, scilicet charitati*: *dicitur enim Rom.* 14. Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas. Ergo, &c. Et verò inferre proximo spirituale damnum, charitati contrarium est. Atqui scandalum infert proximo spirituale damnum. Ergo, &c. *At inquies.* Proximus spirituale damnum illud voluntariè patitur. *Resp.* Hoc tantùm impedire læsionem justitiæ, quo non obstante, verè læditur charitas.

3. Scandalum est peccatum mortale ex suo genere, ut patet ex verbis Christi Matth. cap. 18. & Apostoli Rom. c. 14. & hac ratione suadetur. Omne peccatum, quod specialiter adversatur charitati, ex genere suo mortale est. Atqui scandalum specialiter adversatur charitati. Ergo ex genere suo mortale est. Dico, ex genere suo: nam propter levitatem materiæ, potest esse veniale tantùm.

Itaque proximus, qui scandalizatur, vel inducitur ad peccatum mortale, vel ad veniale tantùm. Si primum, cùm peccatum mortale proximi sit gravis ruina, est gravis materia scandali, adeòque scandalum grave est, & peccatum mortale, nisi tamen excusetur aliundè. Si secundùm, cùm peccatum veniale proximi sit tantùm levis ruina, vel, ut loquitur S. Thomas hìc art. 4. in O. sit quasi impactio tantùm, non ruina, est tantùm levis materia scandali, ac proinde tunc scandalum, quà tale, leve est, & peccatum veniale tantùm. Dico, quà tale: nam dictum vel factum, quo proximus inducitur ad peccandum venialiter, & quod idcircò veniale tantùm est in ratione scandali, potest ex alio capite uno vel multiplici esse peccatum mortale: nam erit peccatum mortale, si proximus ad peccandum inducatur ex gravi odio, cum gravi injuria, &c.

Dixi supra, nisi tamen excusetur aliunde: nam scandalum de se grave, quia est causa gravis ruinæ proximi, potest esse veniale ex inadvertentia, si nimirum aliquis proximo occasionem gravis ruinæ præbeat, ad hoc non advertendo, & ejus inadvertentia sit tantùm leviter culpabilis. Ad quod requiritur, ut hæc inadvertentia procedat vel ex levi tantùm negligentia, vel ex ignorantia penè invincibili.

Quæres 1. Quinam dicto vel facto suo incurrant specialem malitiam scandali?

Resp. 1. Qui directè inducit proximum ad peccandum,

dum, ex formali intentione ut peccet proximus, incurrit specialem malitiam scandali: tunc enim vel verum est scandalum, vel nunquam est. Imò tunc est maximum scandalum quod esse potest; & scandalum diabolicum: diabolus enim directè inducit homines ad peccandum, ut spiritualiter ruant, & ruendo moriantur spiritualiter.

Resp. 2. Qui directè ad peccandum inducit proximum, non ut ruat proximus, sed propter aliquam suam utilitatem vel delectationem, incurrit specialem malitiam scandali; nam dicto vel facto illius convenit tota definitio scandali. Præterea, si non incurrit malitiam propriam scandali, certè quia non intendit illam, sed suam utilitatem vel delectationem. Atqui hoc dici non potest: ad hoc enim ut malitia aliqua contrahatur, sufficit ut liberè fiat id quocum conjuncta est, & cognoscitur, vel saltem cognosci debet esse conjuncta. Qui autem dicto aut facto suo directè proximum ad peccandum inducit, licèt non inducat nisi propter aliquam suam utilitatem vel oblectationem, dicit aut facit aliquid, quocum conjuncta est specialis malitia scandali, & hoc cognoscit, vel saltem debet cognoscere: cognoscit enim, vel saltem debet cognoscere, quòd proximum ad spiritualem ruinam impellere, charitati specialiter adversetur; sive propter se, sive propter aliud tantùm intendatur spiritualis ruina proximi. Ergo, &c.

Resp. 3. Qui temerè coram alio dicit vel facit aliquid malum, aut speciem habens mali, quo alius ad peccandum inducitur, incurrit specialem malitiam scandali: nam ejus dicto vel facto convenit tota definitio scandali: est enim dictum vel factum minùs rectum, proximo dans occasionem ruinæ spiritualis. Præterea, ut contrahatur specialis malitia scandali, sicut & cujuscumque alterius vitii, sufficit ut sit indirectè volita. Sed qui coram alio dicit, &c. vult indirectè malitiam specialem scandali: nam indirectè vult ruinam spiritualem proximi; cùm velit id quocum conjuncta est, & conjunctam esse cognoscit, aut saltem cognoscere debet. Ergo, &c. Ex his

Collige 1. Eum peccare peccato scandali, qui petit ab alio, vel consulit illi opus, quod nullo pacto exequi potest, nisi peccando. Ratio est, quia talis in æstimatione morali proximum directè inducit ad peccatum: directè enim inducit eum ad actionem, quæ sine malitia esse non potest.

Dixi autem, quod nullo pacto, &c. Nam si opus aliqua ratione præstari potest inculpatè, quandoque peti potest sine scandalo, quandoque non potest. Nam si is, à quo petis opus illud, paratus est ad peccandum, & habes rationabilem causam petendi, petendo non contrahis malitiam scandali, etiamsi moraliter certus sis opus nonnisi peccaminosè præstandum esse, quia tunc uteris jure tuo, neque tunc censeris causare, sed solùm justa de causa permittere ruinam proximi. Hinc gravem necessitatem patienti, qui aliter subvenire sibi non potest, licèt petere mutuum ab usurario, qui petiturus est usuras. Hinc gravi de causa, v. gr. cùm de firmandis induciis agitur, licèt petere juramentum à Mahumetano, qui super Alcorano juraturus est.

Dixi. Si habes rationabilem causam petendi: nam sine rationabili causa petere opus, quod sine peccato non præstabitur, quamvis posset, scandalum est etiam relatè ad eum, qui ad peccandum paratissimus est: petendo enim sine rationabili causa, censeris non purè permittere, sed indirectè velle & causare proximi ruinam; cui nimirùm, cùm non habes eam permittendi causam rationabilem, occasionem subtrahere teneris ex præcepto charitatis & misericordiæ. Hinc qui invitat meretricem ad fornicandum, non solùm fornicationis, sed etiam gravis scandali malitiam propriam contrahit, quantumvis mulier illa parata sit ad peccandum.

Jam verò si is à quo opus petitur, non est paratus ad peccandum, vel habes speciale jus justitiæ ad opus illud, vel non habes. Si primum, nec sine aliquo tuo notabili detrimento carere potes illo opere, petendo non peccas contra charitatem, nec incurris malitiam scandali, quamvis moraliter certus sis opus non esse præstandum sine peccato. Ratio est, quia tunc ex charitate teneri non potes privare te jure tuo, & is à quo rationabili de causa petis opus tibi debitum, sibi soli imputare debet, quòd opus illud non præstet sine peccato. Hinc fidelis v. gr. quia speciale jus habet petendi sacramenta à parocho, si non potest ea ab alio accipere, nec illis carere sine aliquo suo notabili damno, saltem spirituali, potest licitè ea à parocho petere, quamvis parochum illa non sine peccato administraturum esse, certus sit moraliter.

Collige 2. Malitiam propriam scandali eum contrahere, qui coram alio dicit vel facit aliquid malum, aut speciem habens mali, nisi hìc & nunc ex circumstantiis ipsi moraliter constet, alium inde sumpturum non esse occasionem peccandi. Nam si habet hanc moralem certitudinem, in nullo sensu dici potest velle ruinam proximi, seu proximum ad peccandum inducere. Si verò non habet, dicendo vel faciendo aliquid, quod ratione sui inductivum est ad peccatum, censetur interpretativè velle ruinam proximi, & ita proximum indirectè ad peccandum inducere. Præterea, ibi scandalum est, ubi morale periculum est, ne proximus ex dicto vel facto minùs recto sumat occasionem peccandi. Atqui hìc morale periculum est, ne proximus, &c.

Collige 3. Eum specialem scandali malitiam incurrere, qui facit aliquid de se etiam omninò indifferens, sive ex formali intentione, sive sine formali intentione, sed cum morali periculo proximum inducendi ad malum. Nam illud quod facit, quantumvis de se indifferens, hìc & nunc malum est propter circumstantiam intentionis, vel moralis periculi ruinæ proximi. Atqui malum esse non potest propter circumstantiam, &c. nisi malitia propria scandali. Præterea, ille contrahit malitiam propriam scandali, qui directè, vel saltem indirectè proximum impellit ad ruinam. Atqui facit aliquid de se indifferens, unde proximus occasionem sumere potest ruendi, proximum ad ruinam impellit: directè quidem, si ex intentione; indirectè verò, si cum morali periculo proximum inducendi ad malum facit. Ergo, &c. Hinc aliquid de se indifferens, nec de se inductivum ad peccandum, potest esse peccatum etiam grave in ratione scandali; potest, inquam, esse, non quidem per se & ratione sui, sed per accidens, nempe vel propter pravam intentionem facientis, vel propter videntis pravam dispositionem.

Quæres 2. Utrùm opera bona sint aliquando omittenda, ne proximus ex illis scandalizetur?

Resp. 1. Opera bona ad salutem necessaria, quia graviter præcepta sunt, durante præcepti obligatione, nunquam omittenda sunt, propter scandalum vitandum. Hoc dicit S. Thomas hìc art. 7. in O. *Est autem in spiritualibus bonis distinguendum. Nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt sine peccato mortali. Manifestum est autem, quòd nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat: quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quàm alterius. Et ideò ea quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.*

Dixi autem, durante obligatione præcepti: cùm enim præcepta affirmativa non obligent pro semper, contingere potest, ut præceptum aliquod affirmativum non obliget ad opus aliquod in morali periculo ruinæ proximi, ad quod secluso tali periculo obligaret. Hoc dicit S. Thomas art. citato ad 1. ubi post S. Augustinum ait, peccatorum punitionem, quæ est actus justitiæ, interdùm omittendam esse propter vitandum scandalum; quia nimirùm interdùm propter scandali periculum, ad illam non obligat justitia.

Hac autem in re ut prudenter judicetur, utrùm præceptum affirmativum obliget hìc & nunc, an non, in morali periculo ruinæ proximi, maturè consideranda est præcepti natura, gravitas, necessitas, vel

utili-

utilitas, & ex his æstimandum, utrum ex duobus, ruina scilicet proximi vitanda, & opere faciendo, alteri præponderet.

Resp. 2. Bona opera ad salutem non necessaria, quia non sunt in præcepto, sed in consilio tantùm, unde vocantur opera supererogationis, non sunt omittenda propter scandalum Pharisæorum vitandum; at propter vitandum scandalum pusillorum nonnunquam omittenda sunt. Sic respondet S. Thomas art. citato in O. ubi sic prosequitur: *In his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum. Quia scandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit: cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando. Et hoc est scandalum Pharisæorum ..... quod esse contemnendum Dominus docet, Matth. 15. Quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia. Et hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdùm differenda: ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione, hujusmodi scandalum cessat.*

Quare autem opera supererogationis interdùm omittenda sint propter scandalum pusillorum vitandum, facilè ostenditur. Nam proximi ex infirmitate vel ignorantia lapsuri ruinam impedire teneor præcepto charitatis & misericordiæ, cùm facilè possum. Atqui facilè possum, cùm agitur tantùm de omittendo opere supererogationis. 1. Enim tale opus ad salutem necessarium non est. 2. Si omitto illud, ne proximus propter infirmitatem vel ignorantiam suam ex eo scandalizetur, tunc actum charitatis exerceo, magis meritorium, quàm foret ipsum opus, quod omitto. Ex dictis hactenùs,

Collige 1. Mulierem interdùm teneri posse ad omittendum sacrum etiam die festo, non quidem propter periculum scandali vagi & indeterminati, hoc est, propter periculum, ne alicui indeterminatè sit occasio peccandi mortaliter, sed ad vitandam ruinam alicujus in particulari, quem ex ejus præsentia occasionem peccandi sumpturum esse ex infirmitate, moraliter certa est: tunc enim non urget præceptum Ecclesiæ, quia præceptum charitatis & misericordiæ prævaler. Ad vitandum igitur hujusmodi scandalum, mulier etiam die festo à sacro abesse tenebitur semel aut iterùm, non tamen longo tempore: non enim longo tempore abesset sine scandalo publico, quod præponderat privato, imò nec sine aliquo suo notabili damno spirituali, quod subire non tenetur ad impediendam ruinam alterius, qui licèt ex infirmitate, voluntariè tamen casurus est.

Collige 2. Mulierem graviter teneri ad abstinendum ab ornatu, non quidem ordinario, & decenti juxta conditionem suam, sed extraordinario, & aliquo modo de se ad peccandum provocativo; atque à fortiori à notabili nuditate corporis: hæc enim esse non possunt sine morali periculo gravis ruinæ multorum. Non potest autem non incurrere malitiam specialem scandali, qui facit aliquid inordinatum, cùm tali periculo conjunctum. Fœminas itaque hujus scandali reas qui absolvunt, peccant mortaliter, nisi illæ priùs se correxerint, vel saltem seriò promiserint in posterum ab ejusmodi cultu & nuditate abstinere. Porrò quod hìc de mulieribus indecenti cultu utentibus dicitur, dici quoque debet de iis, qui picturas vel statuas scandalosè nudas publicè exponunt.

Quæres 3. Utrùm propter scandalum vitandum temporalia bona sint dimittenda?

Resp. 1. Cum S. Thoma hìc art. 8. in O. *Circa temporalia bona distinguendum est. Aut enim sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa: sicut bona Ecclesiæ committuntur prælatis, & bona communia quibuscumque reipublicæ rectoribus. Et talis conservatio, sicut & depositorum, imminet his, quibus sunt commissa, ex necessitate. Et ideò non sunt propter scandalum dimittenda: sicut nec alia, quæ sunt de necessitate salutis.*

Ratio igitur, cur bona hujusmodi non sint dimittenda propter vitandum scandalum, est quia eorum conservatio est de necessitate salutis; cùm ii quibus sunt commissa, illa conservare graviter teneantur ex justitia, cujus observatio hominibus maximè necessaria est, etiam in concursu vitandi scandali. Atqui quæ sunt de necessitate salutis, non sunt dimittenda propter vitandum aliorum scandalum: ut enim ait S. Doctor art. 7. in O. *Secundùm ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius.* Ergo, &c.

Confirmatur & declaratur ampliùs, secundùm mentem S. Doctoris. Nullus debet transgredi præceptum graviter obligans, ut vitet scandalum aliorum: nam, ut ait S. Doctor loco proximè citato, *manifestum est, quòd nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat.* Atqui homo non potest bona sibi commissa dimittere, nisi transgrediendo justitiæ præceptum, quo propter ejus necessitatem graviter tenetur bona illa conservare, etiam cùm agitur de vitando scandalo pusillorum. Ergo nullus debet bona sibi commissa dimittere, ut vitet aliorum scandalum; sed ut officio suo fungatur, potest & debet scandalum illud permittere.

Resp. 2. Cum eodem ibidem: *Temporalia verò bona, quorum nos sumus domini, dimittere, ea tribuendo, si penes nos ea habeamus; vel non repetendo, si apud alios sint, propter scandalum, quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum, quod diximus esse scandalum pusillorum, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum est sedandum.... Aliquando verò scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisæorum; & propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi: daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, qui retinenda aliena, in peccato remanerent.*

Quæres 3. Quandonam vendendo, locando, commodando, donando, incurratur vel non incurratur specialis malitia scandali?

Resp. 1. Res planè indifferentes de se, quarum usus non est aliqua lege prohibitus, & quibus homines bene utuntur communiter, si vendantur alicui, qui malè illis usurus est, sed omninò ignoratur esse malè usurus, non incurritur malitia scandali. Nam in dubio negativo unusquisque præsumitur bonus, in iis præsertim, in quibus homines communiter boni sunt. Unde venditor in casu proposito ementem potest & debet præsumere bonum, adeòque re empta bene usurum. Sed qui rem de se planè indifferentem vendit alicui, quem potest & debet præsumere bonum, & ea re non malè usurum, in nullo sensu censeri potest velle ruinam & peccatum illius, etiamsi postea malè utatur ea re. Ergo, &c.

Resp. 2. Qui rem de se planè indifferentem vendit, locat, commodat, &c. alicui quem novit ea re malè usurum esse, incurrit malitiam scandali. Nam in hoc casu venditor, locator, &c. meritò censetur saltem interpretativè velle ruinam ementis. Quòd si venditor novit emptorem re empta malè usurum in damnum alterius, non solùm scandali, sed etiam injustitiæ malitiam contrahit, quia saltem indirectè vult injuriam, quam emptor re empta illaturus est. Idem dic, si venditor non novit, sed solùm positivè dubitat.

Resp. 3. Si res tales sunt vel ex natura sua, vel ex hominum institutione, vel propter legem aliquam prohibentem, ut moraliter timeatur pravus earum usus, non possunt sine scandalo vendi, locari, commodari, &c. nisi iis, de quibus moraliter certum est, quòd non sint illis malè usuri. Nam qui res ejusmodi vendit, locat, &c. alicui, sine morali certitudine, quòd non sit malè usurus, in morali æstimatione censetur illi præbere occasionem ruinæ.

AR-

ARTICULUS XVI.

De Bello, & Duello.

§. I.

De Bello.

Quæres 1. Utrùm bellum gerere, sit intrinsecè malum?

Resp. Bellum non est intrinsecè malum, sed potest esse licitum & honestum. Est de fide, & probatur ratione. Nam bellum vel defensivum est, vel aggressivum. At 1. bellum defensivum licitum esse potest: bellum enim defensivum dicitur, quo vis vi repellitur. Atqui vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, omnia jura permittunt. Ergo, &c. 2. Bellum aggressivum potest esse licitum & honestum: nam bellum aggressivum dicitur, quod infertur ad hostes coercendos, & vindicandas injurias illatas. Atqui illatas Reipublicæ injurias, pro quibus justa satisfactio denegatur, vindicare licitum est & honestum: est enim necessarium ad rerum publicarum pacem & incolumitatem tuendam. Ergo, &c.

Quæres 2. Ad quem pertineat bellum indicere.

Resp. Bellum indicere pertinet ad supremos Principes, qui superiorem non habent in temporalibus, quales sunt Imperator Romanus, Reges qui non sunt imperio Romano subditi, & multi Duces. Ita docet S. Thomas 2. 2. quæst. 40. art. 1. in O. *Ad hoc, quòd aliquod bellum sit justum*, inquit, *tria requiruntur. Primò quidem, authoritas principis, cujus mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere: quia potest jus suum in judicio superioris prosequi. Similiter autem convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cùm autem cura reipublicæ commissa sit principibus, ad eos pertinet rem publicam civitatis, vel regni, seu provinciæ sibi subditæ tueri. Et sicut licite defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores .... ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hominibus*, hoc est, à rebuspublicis, vel principibus, qui in jus vocari non possunt apud superiorem; cùm, ut supponitur, non habeant in temporalibus: unde ad satisfaciendum imparati, nonnisi per bellum legitima auctoritate indictum compelli possunt.

Porrò quod hìc dicitur de supremis principibus, quantùm ad legitimam bellum indicendi potestatem, intelligi quoque debet de rebuspublicis perfectis; cùm superiorem in temporalibus non habeant: secùs verò de rebuspublicis imperfectis, & principibus, qui supremi non sunt: possunt enim jus suum prosequi in judicio superioris, & idcircò non magis possunt bellum indicere, quàm privati. Unde si tales bellum indicerent, etiam justa de causa, peccarent non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam; quia bellum indicere sine legitima authoritate, est actus illegitimus: quare ad damnorum omnium restitutionem tenerentur.

Quæres 3. Utrùm bellum indicere & gerere Clericis liceat?

Resp. 1. Prælatus Ecclesiasticus supremam habens potestatem in temporalibus, licitè potest, & sine irregularitatis incurrendæ periculo, bellum indicere. Ratio est, quia sufficientem ad hoc habet authoritatem, & hujus authoritatis usus nulla lege sive divina sive humana prohibitus est.

Resp. 2. Per se bellum gerere offensivum clericis illicitum est, non quidem jure divino; nullum enim tale jus extat, sive in scriptura, sive in traditione; sed jure Ecclesiastico, ut patet v. g. ex cap. *Clericum*, dist. 50. ubi dicitur: *Clericum qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquisito: homicida enim est. Nam cùm diversi sint milites sæculi à militibus Ecclesiæ; non convenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire.*

Rationem autem congruam hoc prohibendi clericis exponit S. Thomas 2. 2. qu. 40. art. 2. in O. ubi sic ait: *Bellica exercitia maximè repugnant illis officiis, quibus episcopi & clerici deputantur, propter duo: primò quidem generali ratione: quia bellica exercitia maximas inquietudines habent. Unde multum impediunt animum à contemplatione divinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum. Et ideò sicut negotiationes, propter hoc quòd nimis implicant animum, interdicuntur clericis, ita & bellica exercitia ... Secundò propter specialem rationem. Nam omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur passio Christi ..... & ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere, quod gerunt ministerio.*

Hanc autem obligationem per se bellum non exequendi, quæ sanè gravis est, cùm sit in materia gravissima, & sub gravissimis pœnis imponatur, manifestè extendit Sanct. Doctor non solùm ad episcopos, presbyteros, & diaconos, sed etiam ad subdiaconos: cùm etiam subdiaconi sint deputati ad ministerium altaris: unde altari ex officio deserviunt. Quin imò videtur S. Doctor extendere obligationem illam ad eos, qui in minoribus ordinibus existunt, quod intelligendum videtur de iis, qui postquam promoti fuerunt ad minores ordines, statui suo non renunciarunt: sunt enim ex officio ministri Ecclesiæ, præsertim si beneficium habeant Ecclesiasticum: postquam enim statui suo omninò renunciarunt, videntur omninò liberi ab obligatione de qua agitur.

Porrò dixi, bellum offensivum: nam defensivum non minùs licitum est clericis, quàm laicis: unicuique enim jus naturale concedit, vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, & hoc nullum jus positivum prohibet clericis, qui proinde pugnare possunt pro vitæ propriæ & patriæ defensione, quando ad id extrema, vel saltem gravis urget necessitas. Bellis verò offensivis ex authoritate superiorum clerici possunt interesse, ut ait S. Thomas art. proximè citato ad 2. *Non quidem ut ipsi propria manu pugnent, sed ut justè pugnantibus spiritualiter subveniant suis exhortationibus & absolutionibus, & aliis hujusmodi spiritualibus subventionibus .... Et ad hoc primo fuit concessum, quòd episcopi vel clerici ad bella procederent. Quod autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est.*

Quæres 4. Quid ad hoc ut bellum offensivum seu aggressivum sit justum, requiratur præter legitimam illud indicendi authoritatem?

Resp. Requiritur causa legitima & necessaria bellum indicendi. Hoc dicit S. Thomas hìc art. 1. in O. *Secundò*, inquit, *requiritur causa justa, ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde August. dicit* lib. 83. qq. super Josue qu. 10. *Justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est; vel reddere quod per injuriam ablatum est* (aut retinetur.) Ad justitiam igitur belli aggressivi requiritur gravis aliqua injuria, vel quam princeps aut respublica infert, & ab inferenda cessare; vel quam princeps aut respublica intulit, & pro illata justam absque bello satisfactionem dare renuit; adeòque requiritur gravis aliqua injuria, quæ alia ratione, quàm bellum inferendo, tolli, vel vindicari, aut reparari non potest.

Ratio est, quia si propter aliquam aliam causam licitum esset alios bello aggredi, putà propter ambitionem, cupiditatem, inanem gloriam, virium vel fortitudinis ostentationem, semper bellum esset ex utraque parte justum per se & absque ignorantia, quod est absurdum: duo enim contraria jura non possunt esse ambo justa. Item licitè possent homines absque

ulla

ulla sua, vel reipublicæ, cujus membrum sunt; culpa, fortunis, libertate & vita spoliari, quod tamen iniquissimum est. Item princeps quilibet armis invadendo ditionem alterius, quod licitè posset quoties auderet, jure belli suum faceret quidquid occuparet, atque ita unusquisque tandiu solùm jus haberet ad res suas, quandiu eas retinere posset; quod profectò rapinis & cædibus portam aperiret, & in maximum generis humani damnum verteretur. Sed

Nota 1. Ad justitiam belli sufficere, quòd injuria fiat vel principi, vel subditis ejus; nam princeps rei publicæ & subditorum suorum custos est; vel etiam fœderatis & amicis, iisque omnibus, qui se protectioni principis commiserunt; nam princeps jus habet vindicandi illos, si ipsi jus habent ad vindictam, & auxilium ejus expresè vel tacitè implorant. 2. Fieri posse ut injuria secundùm se levis, gravis verò sit ratione consequentiarum, & damnorum quæ ex impunitate probabiliter metuuntur; & ita fieri posse ut injuria secundùm se levis, putà una excursio, unius oppidi occupatio, &c. sit causa sufficiens ad bellum justè inferendum, nisi justa satisfactio maturè offeratur, & acceptata exhibeatur.

Porrò princeps cujus est bellum indicere, tenetur diligenter examinare causam belli indicendi; & si post diligens examen causæ, moralem habet de justitia illius certitudinem, ad quam sufficit verisimilitudo sensibiliter major, bellum potest indicere: quid enim ad hoc ampliùs requiras ex parte principis? Milites verò communes ad nullum tenentur examen, & vocati ad bellum, possunt & debent ire, nisi evidenter illis constet de belli injustitia. Quòd si circa hoc patiantur dubium aliquod etiam positivum, possunt & debent illud deponere, & velut scrupulum contemnere, atque formare conscientiam suam propter principis & ejus consilii authoritatem, quæ ad hoc sufficientissima est.

Idem autem, quod de militibus communibus, dic de ducibus etiam primariis: eadem enim est ratio pro omnibus subditis, pro quibus, extra evidentiam injustitiæ belli ultrò sese offerentem, principis boni & ejus consilii authoritas sufficientissimum est motivum moralis certitudinis de belli justitia. Supple tamen pro ducibus, nisi à principe vocentur ad consilium: tunc enim tenentur ad diligentem veritatis inquisitionem, ut per se liquet.

§. II.

De Duello.

Duellum, græcè Monomachia, dicitur duorum vel paucorum certamen, ex partium consensu initum: unde differt ab eo certamine, quod inter duos vel paucos initur ex improviso & fortuitò, saltem ex parte illius vel illorum, qui provocantur: unde aggressores censeri non possunt, & jus habent defendendi se cum moderamine inculpatæ tutelæ, & aggressorem vel aggressores occidendi, si aliter vitæ suæ consulere non possint; neque lege ulla hoc eis prohibitum est: nam vim vi repellere cum moderamine, nulla lex prohibet, aut prohibere potest. At in duello uterque, provocans scilicet & acceptans, censetur & est aggressor; quod de provocante per se manifestum est, & de acceptante facilè ostenditur: nullam enim vim patitur, sed voluntariè & ex condicto descendit ad pugnam: quare non purè defendere se, sed provocantem aggredi, jure meritò censetur. His præsuppositis, *quæritur* utrùm & quando duellum sit malum & illicitum intrinsecè?

Responsio I.

Duellum, si fiat authoritate publica, & ex causa publica, non est intrinsecè malum, sed licitum & honestum esse potest.

Prob. Nam tale duellum habet veram rationem belli, Atqui bellum non est intrinsecè malum & illicitum, sed potest esse licitum & honestum; cùm reverà tale sit, si geratur ex authoritate legitima, & justa causa. Ergo, &c.

Amplius. Bellum inter multos potest esse licitum ac honestum, & est, si prædictas conditiones habeat. Ergo etiam bellum inter paucos potest esse licitum ac honestum, & est, si easdem illas habeat conditiones: multitudinis enim differentia belli honestatem seu justitiam variare non potest. Atqui duellum, de quo agitur, est bellum inter paucos. Ergo, &c. Hinc

1. Ad terminandum vel etiam impediendum justum bellum, princeps licitè & honestè potest offerre vel acceptare duorum vel paucorum certamen, ut paucorum periculo lis dirimatur, & majora utriusque partis damna, cædesque plurimorum vitentur; modò tamen hac ratione causam suam in deteriori statu non ponat; quod faciet, si superior viribus victoriam penè certam commutet cum duelli incertitudine: tunc enim contra charitatem & justitiam peccabit erga subditos. Nihilominùs tamen relatè ad pugnantes, duellum licitum erit & honestum, quia fiet ex authoritate & causa ad justum bellum sufficientibus, & ita justi belli conditiones habebit.

2. Tempore belli si quis ex hostili exercitu ex adverso stante insulter, & duellum offerat, potest licitè & honestè acceptari ex ducum consensu pro causa publica: nam si ex ducum consensu multi licitè & honestè possunt pro causa publica congredi cum multis hostium, quidni & pauci cum paucis? Præterea, qui in casu proposito ex ducum consensu duellum acceptat, acceptat illud authoritate publica, & sic authoritate publica aggreditur hostem, quem jus habet occidendi: supponitur enim justum esse bellum ex parte acceptantis? Denique duellum hoc rationem habet belli partialis, quod tam licitum & honestum esse potest, quàm totale, quia tam potest justi belli conditiones habere. Cùm autem re ipsa conditiones illas habeat in casu proposito ex parte acceptantis, ex parte acceptantis licitum & honestum esse manifestum est. Potuit igitur David pro causa publica ex consensu Saulis licitè & honestè acceptare duellum oblatum à Goliatho.

Responsio II.

Duellum quod fit authoritate privata, ex quacumque causa fiat, est intrinsecè illicitum & inhonestum.

Prob. Quia in duello uterque, provocans scilicet & acceptans, est aggressor. Ergo in duello, quod fit authoritate privata, uterque authoritate sua privata alterum aggreditur ad eum occidendum. Atqui privata sua authoritate alterum aggredi ad occidendum, intrinsecè malum est; cùm intrinsecè malum sit, alium privata sua authoritate occidere, extra casum necessariæ defensionis vitæ propriæ, quando scilicet vis infertur, nec repelli potest nisi occidendo eum qui vim infert. Ergo duellum, quod fit authoritate privata, &c.

Duellum igitur, quod fit ex duorum vel plurium conventione privata, graviter repugnat juri naturali, sed & graviter prohibetur. 1. Jure Civili l. unic. codice de Gladiatoribus. 2. Jure Ecclesiastico tum veteri tum novo: nam cap. *Felicis* extra de torneamentis, quo qui singulare certamen ineunt ad virium & generosi animi ostensionem, & in eo moriuntur, etiamsi absolvantur ante mortem, privantur sepultura ecclesiastica. Cap. *Monomachiam*, 2. qu. 5. & ex cap. *Cura* extra de purgatione vulgari, reprobatur duellum, quod fit ad manifestandam veritatem, vel ad purgandum se ab aliquo crimine. Trid. sess. 25. cap. 19. de reformatione, generatim proscribuntur duella, ex privata conventione facta, ex quacumque causa fiant: *Detestabilis*, inquit Synodus, *duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano Orbe penitus exterminetur*.

Ibidem Synodus ad deterrendos homines ab hujusmo-

jusmodi duellis, gravissimas infligit pœnas, quas ad privatim, seu sine patrinis, sociisve ad id vocatis duellantes extendit Gregorius XIII. in bulla anno 1582. edita. 1. Itaque Synodus in duello pugnantibus, & eorum, ut vocant, patrinis, pœnam excommunicationis, bonorum omnium proscriptionis, & perpetuæ infamiæ ipso facto incurrendam imponit. 2. Si in ipso conflictu decesserint, eos perpetuò privat ecclesiastica sepultura. 3. Præcipit, ut juxta sacros canones puniantur, tanquam homicidæ. 4. Illos etiam, qui consilium dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon & spectatores, ex condicto scilicet, non verò casu tantùm & fortuitò, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo ipso facto obligat.

His omnibus adde Principum constitutiones, quibus, præsertim in Gallia, sub gravissimis pœnis, adeòque sub reatu gravis culpæ hujusmodi duella prohibent. Privatum igitur duellum facientes, graviter peccant contra jus divinum naturale, contra jus ecclesiasticum, & contra jus civile. Unde sic pugnando exponunt se morali periculo non solùm mortis temporalis, sed etiam mortis æternæ, quod crimen eorum maximè aggravat.

Dices. Provocatio ad duellum privatum potest esse licita & honesta, si nimirùm fiat ad vindicandam gravem injuriam, quæ aliter reparari non potest. *Resp.* Hoc esse falsum: nam authoritate privata vindicare injuriam acceptam, qualiscumque sit illa injuria, est intrinsecè illicitum & inhonestum. Ergo privata sua authoritate alterum aggredi ad vindicandam injuriam ab eo acceptam, qualiscumque sit illa injuria, est intrinsecè illicitum & inhonestum. Sed qui provocat aliquem ad duellum privatum, ad vindicandam injuriam ab eo acceptam, vult privata sua authoritate illum aggredi ad vindicandam, &c. & se ipsum in sua causa constituit judicem; quod iniquissimum, authoritati publicæ injuriosum, & omni jure prohibitum est. Ergo, &c.

Provocatio igitur ad duellum privatum non potest esse medium licitè & honestè ordinabile ad ulciscendam injuriam acceptam, quantacumque supponatur hæc injuria; & cùm supponitur injuriam talem esse, ut non possit aliter reparari quàm per duellum, hoc perperam & pessimè supponitur: nulla enim esse potest, in qua per judicium superioris non possit sufficienter reparari honoris vel famæ læsio, nisi fortasse in insipienti mundanorum hominum æstimatione, cujus nulla ratio haberi, sed contemni debet.

Dices. Potest saltem duelli acceptatio aliquando esse licita & honesta, si nimirùm duellum accepte-tur ad vitandam infamiam, quam non poterit aliter vitare is, qui provocatur, nisi acceptet. *Resp.* Hoc esse falsum. Nam 1. is qui provocatur, duellum recusando non potest incurrere veram infamiam: nulla enim vera infamia sequi potest ex eo, quòd quis præeligat obedire Deo, Ecclesiæ, & principi suo; sed econtrà inde sequitur magna laus & gloria apud probos & sapientes, in quorum existimatione vera fama consistit. Quòd autem non acceptans duellum infametur velut ignavus apud improbos & insipientes, legumque divinarum & humanarum contemptores, quorum proinde æstimatio nullius momenti esse potest; hæc infamia non est nisi imaginaria infamia, adeòque nec potest esse motivum licitè & honestè duellum acceptandi.

2. Dato quòd is qui recusat duellum, contrahat veram aliquam infamiam recusando, quod tamen manifestè falsum est, adhuc non potest licitè acceptare duellum. Ratio est, quia, ut jam dictum est, in duello uterque, provocans & acceptans, est aggressor. Privata autem sua authoritate alterum aggredi ad occidendum, vel cum periculo occidendi, intrinsecè malum est, ex quacumque causa fiat; cùm alterum privata authoritate occidere, licitum esse non possit, nisi in casu puræ & justæ defensionis. Is igitur qui ad duellum provocatur, non posset licitè illud acceptare, ad vitandam veram infamiam, si qua incurrenda esset recusando, quantò minùs poterit, ad vitandam apparentem tantùm & imaginariam? præsertim cùm deesse non possint multi alii modi eam laudabiliter vitandi, in occasionibus, quæ non desunt, dando certa fortis animi indicia.

Quæres. Utrùm excommunicatio, quam ipsofacto incurrunt in duello pugnantes, & alii ad duellum aliquo pacto per se conferentes, reservata sit Romano Pontifici?

Resp. Romano Pontifici reservatam esse à Clemente VIII. in bulla, quæ incipit: *Illius vices*, edita anno 1592. in qua sic loquitur: *Ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, excommunicamus & anathematizamus, maledicimus & execramur omnes & quoscumque, publicè vel privatim, palàm vel occulte, in quibuscumque locis, modis, & formis .... singulare certamen, quod duellum vulgò dicitur, ex condicto ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, & commeatus præbentes, &c. Cujus ... excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentia & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, &c.*

TRACTATUS OCTAVUS.

DE LEGIBUS.

DISPUTATIO PRIMA.

De Lege in communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Lex.

RESPONSIO.

LEX propriè dicta benè describitur, rationis ordinatio communitatis obligativa, ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata, qua scilicet permanenter sancitur aliquid, vel præcipiendo, vel prohibendo, vel permittendo, vel denique statuendo ut aliquæ res, aut personæ tali vel tali modo se habeant in ordine ad aliquos effectus morales.

Dicitur 1. *rationis ordinatio*, hoc est, actus mentis, seu locutio interna practica, per verba imperativi modi exprimi solita, qua legislator ad subditos dirigit voluntatem, quam habet illos obligandi ad aliquid. Pro quo

Nota. In legislatore, quà tali, varii sunt actus, nempe actus, quo judicat expedire bono communi, ut subditi ad hoc vel illud obligentur; actus, quo vult illos obligare; actus imperii, seu locutio interna practica, qua voluntatem obligandi, quam habet, dirigit ad subditos modo imperativo; actus denique externus, seu signum externum & sensibile, quo imperium internum, seu locutio interna exteriùs & sensibiliter exprimitur modo practico & imperativo.

Primus actus solùm requiritur ad hoc ut lex prudenter feratur, & sine illo validè ferri potest: unde ad intrinsecam legis rationem non pertinet. Sine reliquis verò actibus ratio legis esse non potest, quia neque actus imperii sine voluntate obligandi, neque voluntas obligandi sine actu imperii, exteriùs expresso per signum aliquod practicum, lex esse potest: nam sine voluntate obligandi in legislatore, non potest esse obligatio in subditis; & sine actu imperii, exteriùs expresso per signum practicum, quo legislator præscribit aliquid, præcipiendo, vel prohibendo, vel permittendo, vel statuendo de esse morali rerum aut personarum, non est regula. Lex autem, ut ait S. Thomas hìc quæst. 90. art. 1. in O. est regula quædam & mensura actuum humanorum, proximè subditos obligans ad agendum, vel omittendum aliquid.

Hinc intrinseca legis ratio, adæquatè sumpta, rectè dici potest, formaliter & in recto complecti tres actus legislatoris, videlicèt voluntatem obligandi; actum imperii, seu locutionem internam practicam, qua voluntas obligandi ad subditos imperativè dirigitur; & actum seu signum externum practicum, quo locutio interna practica exteriùs exprimitur, subditis intimatur, & completur in ratione locutionis practicæ & mandati. Hinc rectè Scriptura Sacra legem divinam vocat, modò Lumen, ut Psal. 4. ubi dicit Psaltes regius, loquens de lege divina: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Modò voluntatem divinam, ut Psalm. 39. ubi David in persona Christi ait: *In capite libri scriptum est, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Item rectè Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 27. legem æternam rationis vel voluntatis nomine indifferenter vocitari posse docet: *Lex*, inquit, *æterna est ratio vel voluntas divina.* Item leges humanæ ab authoribus, modò gubernandi rationes, bonæ opiniones, prudentum virorum consulta, sermones ab aliqua mente profecti, qui vim habent cogentem; modò principum placita seu voluntates rectè nominantur. Denique ad Cap. *In istis* dist. 4. rectè dicuntur *leges institui, cùm promulgantur.*

Conciliantur ergo omnia, si dicatur lex quælibet ex tribus legislatoris actibus intrinsecè constitui, nempe, ut jam dictum est, ex actu voluntatis, quo vult subditos ad aliquid obligare; actu mentis, quo voluntatem illam per modum imperii dirigit ad subditos, & actu externo, quo subditis actum illum internum practicè & imperativè intimat, sine qua intimatione actus ille internus nec esset regula actuum humanorum, nec subditos obligaret, aut etiam obligare posset. Sic tamen ratio legis bene constituitur ex parte in actu voluntatis, quo legislator vult obligare subditos, ut principaliùs constitui debeat in actu mentis, quo voluntatem suam obligandi per modum imperii ad subditos dirigit, non quidem ut purè interno, sed ut exteriùs expresso per signum aliquod, quo legislator subditis practicè & imperativè significat, quid statuat, vel velit fieri aut non fieri.

Ratio est, quia dirigere per modum regulæ, sicut & ordinare, pertinet ad rationem, ut dicit S. Thomas hìc quæst. 90. art. 1. in O. Unde lex, non ab actu voluntatis, quem includit, sed ab actu mentis, quem illi superaddit, habet, quod in ea præcipuum est, nempe quòd sit regula actuum humanorum, eorumque ordinatio in finem à legislatore intentum, quod est bonum commune.

Dicitur 2. *Communitatis*; quia lex fertur tantùm communitati perfectæ. Ut enim dicunt Jurisconsulti, *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Præterea, lex est instrumentum policitæ gubernationis. Ergo cùm sola perfecta communitas capax sit gubernationis politicæ, sola subjectum est, cui lex potest imponi. In hoc jam lex differt à puro præcepto, quod non solùm perfectæ communitati, sed etiam imperfectæ, imò & privatæ alicui personæ imponi potest à superiore.

Dixi, quòd lex feratur tantùm communitati perfectæ. Pro quo *nota.* Duplex distinguenda est communitas, una perfecta, & altera imperfecta. Communitas perfecta est ea, quæ ex natura sua perpetua, ac politicæ gubernationis capax est, & in qua reperitur potestas jus dicendi, & in perpetuum obligandi, ut ecclesia, regnum, civitas, &c. Imperfecta verò communitas est ea, quæ non est perpetua ex natura sua, nec capax gubernationis politicæ: unde nec in ea reperitur potestas juris dicendi, & obligandi in perpetuum. Talis est domus privata, seu familia. Hinc familia non est subjectum aptum, cui ferantur leges, quippe quæ ex natura sua perpetuæ sunt, ut dicetur, & feruntur authoritate publica à superiore habente jurisdictionem & potestatem obligandi in perpetuum.

Hinc paterfamilias domui suæ præest œconomicè tantùm, non verò politicè, & cum jurisdictione atque publica authoritate. Potest quidem jure paterno toti familiæ ad longum aliquod tempus mandata imponere, at non potest in perpetuum, seu non potest mandata imponere, quæ posteros obligent, nisi priùs familia illa in communitatem perfectam mutetur, & ipse fiat illius princeps & superior cum jurisdictione & potestate publica; fiat, inquam, illius princeps

vel

vel authoritate divina, vel consensu communitatis. Unde extra hunc casum paterfamilias non potest ferre leges.

Dicitur 3. *Obligativa*. Nam effectus proprius legis est moralis obligatio. In quo lex differt à puro consilio, quod, quà tale, nec obligat, nec obligare potest. Unde illud S. Hieronymi lib. 2. cont. Jovin. *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas servitutis*. Lex autem vim habet obligandi, quia legislator obligandi potestatem habet, & ferendo legem, efficaciter vult obligare, atque hanc efficacem obligandi voluntatem per locutionem practicam & imperativam subditis intimat; qua intimatione facta, non potest efficax voluntas obligandi non sortiri effectum suum, suppositâ obligandi potestate in legislatore. Sed

Nota. Vis obligandi, quam lex habet, inchoatur per voluntatem efficacem obligandi subditos ad aliquid; completur verò & perficitur per actum imperii, seu locutionem internam practicam exteriùs expressam per signum practicum. Vis itaque completa & integra, quam lex habet obligandi subditos, & quæ, quantùm ad conceptum, est vis completa & integra inducendi vinculum morale, quo morali quadam necessitate subditi ad aliquid faciendum vel omittendum adstringuntur, realiter & quoad entitatem non est aliud, quàm complexum ex actibus legislatoris, ex quibus intrinsecè lex constituitur, non physicè quidem, sed moraliter seu æquivalenter in æstimatione prudenti permanentibus in ordine ad causandum in subditis hunc effectum moralem per denominationem realem extrinsecam: non enim aliter causari potest. Unde ulteriùs obligatio moralis, quæ quantùm ad conceptum est vinculum morale, seu moralis quædam necessitas ad aliquid faciendum vel omittendum adstringens, quoad rem non est aliud, quàm ipsimet actus legislatoris, ex quibus intrinsecè constituitur lex: omnis enim denominatio realis, sive intrinseca sive extrinseca, quoad rem nihil aliud est, quàm forma, cujus est denominatio.

Dicitur 4. *Ad bonum commune*: quia lex omnis ferri debet propter bonum commune: lex enim ex intrinseca & essentiali sua ratione est instrumentum publicæ potestatis ad procurandum eum finem, propter quem potestas publica instituta est sive à Deo, sive ab hominibus. Atqui publica potestas tantùm instituta est sive à Deo, sive ab hominibus, ad procurandam fœlicitatem publicam. Ergo lex ex intrinseca & essentiali sua ratione est instrumentum publicæ potestatis ad procurandam fœlicitatem publicam; & consequenter fœlicitas publica ut procuranda, est finis intrinsecus & essentialis legi: ita ut lex communitati lata, sive toti communitati lata sit, sive tantùm alicui ejus parti, tanquam ejus membro, invalida sit, & solùm nominetenùs lex, nisi ad procurandam fœlicitatem publicam valeat, vel immediatè, si toti communitati lata est, vel saltem mediatè & ultimatè, si tantùm lata est alicui communitatis parti, tanquam ejus membro, cujus proinde bonum redundare debet in bonum totius communitatis.

Hinc legislator, si ferendo legem, proprium, aut aliquorum privatorum, non publicum bonum intendat, graviter peccat: nihilominùs tamen lex validè ab eo fertur, & subditos obligat, si præter aut contra intentionem ejus, ad publicam utilitatem conducere potest. Hinc etiam lex, quæ validè lata est, quia, cùm lata est, ad bonum publicum valebat, desinit esse valida, & subditos obligare, ubi primùm desinit ad bonum publicum utilis esse, & à fortiori ubi primùm incipit esse nociva, & bono publico contraria.

Dicitur 5. *Ab eo qui curam habet communitatis*: quia, ut jam dictum est, finis intrinsecus & essentialis legi est bonum commune procurandum, & consequenter illius tantùm est condere leges, cujus principaliter est procurare bonum commune. Procurare autem bonum commune, principaliter pertinet vel ad communitatem, vel ad eum qui communitati præest, ejusque curam gerit ut princeps. Ita docet S. Thomas hìc q. 90. art. 3. in O. *Lex*, inquit' *propriè primo & principaliter respicit ordinem ad bonum commune. Ordinare autem aliquid in bonum commune, est vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis; & ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet*.

Dicitur 6. *Promulgata*, hoc est, actu seu signo aliquo externo practicè & per modum imperii subditis intimata. Hæc autem intimatio est intrinsecum & essentiale legis complementum, quo posito, existit regula actuum humanorum, completam & integram vim habens dirigendi & obligandi subditos, quo non posito, nec est, nec esse potest hæc regula, proindeque nec est, nec esse potest lex: quantumcumque enim supponantur esse in legislatore voluntas efficax obligandi subditos, & locutio interna practica voluntatem illam ad subditos practicè dirigens, nondùm est actuum humanorum regula, aut vis completa & integra subditos obligandi; etiamsi legislator subditis suis exteriùs significet actus illos, sed sine practica intimatione: nondùm enim ad quidquam tenentur subditi. At ubi primùm ad actus internos legislatoris accedit exterior intimatio practica, & per modum imperii facta, ut subditi aliquid faciant vel omittant, hoc ipso subditi habent actuum suorum regulam, cui se conformare tenentur. Hinc ad cap. *In istis* dist. 4. dicitur: *Leges instituuntur, cum promulgantur*. Promulgatio igitur est essentialis legi, quam intrinsecè constituit cum internis actibus legislatoris.

Dicitur 7. *Qua permanenter sancitur aliquid*: quia lex fertur in perpetuum, aut saltem nonnisi ad tempus valdè longum, in quo lex, juxta communem Doctorum sententiam, differt à mero præcepto, quod per mortem præcipientis expirat: lex verò, mortuo aut amoto legislatore, adhuc durat, donec abrogetur, vel mutatis circumstantiis, incipiat esse nociva, aut saltem inutilis bono publico. Ratio perpetuitatis legis petitur ex eo, quòd lex fertur soli communitati perfectæ, quæ ex natura sua perpetua est, quatenùs per successionem continuam perseverat eadem moraliter in posteris, nec utiliter administrari potest sine legum stabilitate & uniformitate. Leges igitur, ex modo & intentione qua feruntur, non solùm in præsens, sed etiam in futurum prospiciunt; nec solùm præsentes, sed etiam quotquot in posterum erunt in communitate, pro suo tempore obligant: quotquot enim in posterum erunt in communitate, hoc ipso subjacebunt legibus, quòd fient partes communitatis.

ARTICULUS II.

Qualis debet esse Lex.

QUæruntur hoc Articulo conditiones ad legem requisitæ. Has convenienter enumerat Isidorus verbis relatis dist. 4. cap. 2. ubi dicitur: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta ... nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*.

1. Igitur debet esse honesta, ex parte objecti scilicet, non solùm non præcipiendo aliquid quod sit turpe, sed etiam nihil præcipiendo, quod non sit honestum vel ex natura sua, & antecedenter ad omnem legem, vel saltem ratione finis ad quem ordinatur, quatenùs ita de se indifferens est, ut possit conducere ad bonum finem, quem intendit lex. Sine hac conditione lex non esset verà lex: unde hæc conditio est essentialis legi.

Ratio est, quia 1. homines obligari ad turpia repugnat. 2. Finis intrinsecus & essentialis legi est bonum commune procurandum, & quod procurari non potest præcipiendo turpia. 3. Homines nihil possunt validè statuere, vel præcipere, nisi secundùm potestatem

tem vel immediatè, vel saltem mediatè acceptam à Deo: nam, ut ait Apostolus Rom. cap. 13. *non est potestas, nisi à Deo*. Atqui, ut ait idem 2. Corinth. cap. 13. potestas condendi leges non est à Deo data hominibus ad destructionem, sed ad ædificationem, neque ad subditos malos, sed bonos efficiendos. Ergo, &c.

Dices. Aliquæ tamen leges humanæ permittunt aliquod malum. *Resp*. Leges humanas aliquod malum permittere, non statuendo, ut licitum sit quod turpe & inhonestum est, sed præcisè malum minus tolerando, & prohibendo ne puniatur, non ut delinquentibus procuretur impunitas, & liberiùs peccent, sed ut majus malum impediatur. Hæc autem mali alicujus minoris permissio, 1. non est ex se inhonesta, 2. Imò positivè honesta est ratione boni communis ad quod ordinatur, & ad quod conducit impediendo majus malum. Præterea, recta ratio dictat, minus malum permitti posse, & debere, ad majus malum vitandum, & procurandum majus bonum, atque ex duobus malis inevitabilibus majus vitandum esse, & ad hunc finem eligendum minus.

2. Lex debet esse justa, 1. ex parte finis, nihil statuendo contra bonum commune, quod est finis ejus. 2. Ex parte potestatis, ita ut legislator non plus statuat, quàm potest statuere, & iis tantùm statuat, quibus statuere potest. 3. Secundùm æqualitatem proportionalem: ita ut subditis in ordine ad bonum commune onera imponantur, habita ratione virium & facultatum. Hæc conditio est etiam essentialis legi: lex enim injusta, vera lex esse non potest.

3. Lex debet esse possibilis, seu de objecto possibili: nemo enim obligari potest ad impossibile. Sed *nota*. Potest aliquid esse impossibile triplici modo: simpliciter, secundùm quid, & moraliter. Impossibile simpliciter est v. gr. illud omne, quod non possumus sine aliquo auxilio, quod nullo modo est in nostra potestate. Impossibile secundùm quid est illud omne v. gr. quod non possumus cum solis naturæ viribus, sed possumus cum auxilio gratiæ, quod vel habemus, vel in nostra potestate est ut illud habeamus. Impossibile moraliter est illud omne quod non possumus, nisi cum valdè magna difficultate.

Porrò nullus legislator, sive divinus sive humanus, præcipere potest impossibilia simpliciter, quia moralis obligatio ad impossibile simpliciter implicat contradictionem. Divinus, pro supremo suo jure, potest præcipere & præcipit aliqua impossibilia secundùm quid, sicut & aliqua moraliter impossibilia, in sensu scilicèt explicato. Humanus verò non potest præcipere impossibilia moraliter, sine causa valdè gravi & urgente; quia potestas legislatoris humani non est suprema, sed humanæ imbecillitati accommodata; unde non potest ad quidlibet ex qualibet causa obligare. Adde quòd potestatem condendi leges accepit, ad regendos homines, non ut servos, sed ut cives. Ex dictis autem apparet hanc possibilitatis conditionem esse quoque legi essentialem.

4. Lex debet esse secundùm naturam, ideſt, ut interpretatur Glossa, secundùm naturalem rationem: nulla enim lex rectæ rationi contraria, valida esse potest: nam lex contraria rectæ rationi, legi divinæ adversatur.

5. Lex debet esse secundùm patriæ consuetudinem: quia, ut ait Glossa, *si est contra consuetudinem inhabitantium, per contrariam consuetudinem abrogatur*.

6. Debet esse loco & tempori conveniens; alioquin ad bonum commune conducere non poterit, aut etiam ei adversabitur, atque ita subditos obligare non poterit.

7. Lex debet esse necessaria: quia, ut Glossa dicit, *nonnisi instante necessitate jus statui debet*. Nam si leves ob causas leges ferantur, brevi legum multitudine obruentur subditi. Lex tamen sine instanti necessitate lata, obligat, si re ipsa valet ad bonum commune.

8. Lex debet esse utilis: quia, ut ait Glossa, *inutilis esset abjicienda*. Inutilis autem dicitur, quæ non valet ad bonum commune procurandum; qui tamen finis intrinsecus & essentialis est omni legi. Unde legem ad bonum commune utilem non esse, & tamen esse validam repugnat. Quare hæc conditio est essentialis.

9. Lex debet esse manifesta; *ne*, ut dicitur in textu Capituli laudati, *aliquid per obscuritatem in captionem contineat*, hoc est, ut Glossa explicat, *ne aliquis captiosè possit eam interpretari, vel etiam ne alicui laqueus paretur per eam*. Hæc autem conditio requiritur tantùm ad bene esse legis.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit Lex.

LEx 1. dividitur in æternam, & temporalem. Lex æterna, juxta D. Thomam hìc qu. 93. art. 1. in O. est *ratio divinæ sapientiæ, moventis omnia ad debitum finem*, seu *ratio divinæ sapientiæ, secundùm quod est directiva omnium actuum & motionum*. Unde, juxta D. Thomam, lex æterna extenditur non solùm ad creaturas rationales, sed etiam ad irrationales; nec solùm est regula actionum liberarum, sed etiam quarumlibet aliarum. Lex autem æterna, sumpta in tam ampla significatione, nonnisi improprissimè lex dici potest. Irrationales enim creaturæ legis propriè dictæ incapaces sunt, nec lex propriè dicta potest esse regula & mensura, nisi actuum liberorum.

Itaque ut lex æterna magis accedat ad rationem legis propriè dictæ, sumenda est strictiùs, scilicet pro actu divinæ voluntatis, quo Deus, ut author naturæ, ex hypothesi creaturarum rationalium producendarum, necessariò voluit ab æterno obligare creaturas rationales ad aliqua, cum actu imperii, seu locutione interna practica intellectus divini, voluntatem illam ab æterno dirigente ad creaturas illas. Complexum enim ex his duobus actibus potest utcumque obtinere nomen legis propriè dictæ, quatenùs actus liberos creaturæ rationalis, in tempore extituræ, ab æterno ordinavit ad finem debitum, nempe ad bonum commune rationalis naturæ, & utcumque regula & mensura est actuum liberorum, quos rationalis quælibet creatura exercet in tempore.

Dixi, utcumque: nam complexum illud ex actibus divinis, nempe ex efficaci voluntate obligandi ad aliqua creaturam rationalem, aliquando extituram, & locutione interna practica hanc voluntatem dirigente ad creaturam rationalem, non potest esse lex propriè dicta, nisi inchoatè & incompletè, quia non potest esse, nisi inchoatè & incompletè, regula & mensura actuum creaturæ rationalis, creaturam rationalem ad aliqua proximè obligans. Talis enim regulæ complementum intrinsecum & essentiale, est promulgatio, seu aliquis actus externus practicè & per modum imperii subditis intimans actum internum voluntatis, quo legislator vult illos ad aliquid obligare, & exteriùs exprimens locutionem internam, qua legislatoris intellectus practicè & per modum imperii dictat aliquid à subditis esse faciendum, vel omittendum, ut patet ex dictis Art. I.

Cùm igitur actuum divinorum, quibus constituitur lex æterna strictiùs sumpta, nulla fuerit aut potuerit esse promulgatio ab æterno, quia nulla fuit aut potuit esse ab æterno creatura rationalis; lex æterna, etiam strictiùs sumpta, non est nisi inchoatè lex propriè dicta, nec nisi inchoatam vim habet obligandi creaturam rationalem, ejusque actus liberos dirigendi per modum regulæ. In tempore autem completur in ratione legis propriè dictæ, per rationis rectæ dictamen practicum, quo Deus, ut author naturæ, practicè & per modum imperii dictat & præscribit creaturæ rationali hoc vel illud faciendum vel omittendum esse, atque ita practicè & per modum imperii intimat actus suos internos, quibus vult, & practicè ac imperativè loquitur interiùs, quà legislator naturalis, &

quibus,

quibus, hoc rectæ rationis dictamine posito, nihil deest ad hoc ut sint completa & integra regula ac mensura actuum creaturæ rationalis, vim habens completam & integram, creaturam rationalem obligandi circa omnia circa quæ præscribit aliquid, sive præcipiendo, sive prohibendo: unde, hoc rectæ rationis dictamine posito, nihil eis deest ad hoc, ut sint lex propriè dicta, & quidem completa & integra in ratione legis.

Hanc autem legem, quam cum rationis dictamine constituunt, naturalem nominamus, maximè propter complementum ejus intrinsecum, quod est actus naturalis rationis. Unde apparet legem naturalem ab æterna in eo tantùm differre quoad rem, quòd ei superaddat promulgationem, quæ fit in tempore per naturale dictamen, à quo lex naturalis habet ut sit completè & integrè lex.

2. Lex dividitur in divinam & humanam. Lex divina dicitur ea, quæ fertur immediatè authoritate divina, sive Deus promulget eam immediatè per se ipsum, sive non. Subdividitur in naturalem & positivam. Lex naturalis est ea, qua Deus statuit ea quæ sunt juris naturalis, qualia sunt omnia Decalogi præcepta, excepta determinatione Sabbati: positiva verò est ea, qua Deus statuit ea quæ non sunt juris naturalis, qualia sunt præcepta Mosaica de cæremonialibus.

Lex humana dicitur ea, quæ fertur authoritate humana; quæ tamen authoritas vel immediatè vel saltem mediatè à Deo accepta est. Nam *non est potestas, nisi à Deo*. Subdividitur in civilem & ecclesiasticam. Ecclesiastica est ea, quæ fertur authoritate ecclesiastica, ut Summi Pontificis, vel Conciliorum. Civilis est ea, quæ fertur authoritate sæculari, ut Imperatorum, vel Regum. Utraque subdividitur in naturalem ex parte objecti, & positivam: nam legislator ecclesiasticus & civilis possunt statuere aliqua, quæ sunt juris naturalis, & alia quæ non sunt.

DISPUTATIO II.

De Lege naturali.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit lex naturalis.

Responsio I.

Lex naturalis bene describitur, rationis divinæ ordinatio ad bonum commune naturæ rationalis, à Deo ut authore illius promulgata, & creaturam rationalem obligans, qua permanenter statuit ea omnia, quæ sunt juris naturalis, præcipiendo ea, quorum omissio, & prohibendo ea, quorum commissio naturam rationalem dedecet, atque statuendo de esse morali rerum in ordine ad certos effectus morales.

Explicatur itaque & prob. Dicitur 1. *Rationis divinæ ordinatio*, hoc est, actus intellectus divini practicè & per modum imperii ad creaturas rationales dirigens voluntatem, quam Deus habet obligandi illas ad hoc, ut se gerant in omnibus modo naturam rationalem decente: vel, si vis, actus divini intellectus practicè & per modum imperii dictans cum efficaci voluntate obligandi quid creaturæ rationali faciendum sit aut omittendum, tanquam sibi, quà rationalis est, conveniens aut disconveniens. Quòd autem lex naturalis sit ordinatio rationis divinæ, patet ex dictis Disp. I. Art. I. Cùm enim omnis lex sit ordinatio rationis, & lex naturalis sit divina, non enim est humana; legem naturalem esse rationis divinæ ordinationem necesse est.

Dicitur 2. *Ad bonum commune naturæ rationalis*: quia cùm finis intrinsecus & essentialis legi omni sit bonum commune, & lex naturalis lata sit naturæ rationali, quà tali, manifestum est legem naturalem latam esse propter bonum commune naturæ rationalis, quà talis.

At inquies. Lex naturalis lata est immediatè propter bonum privatum individuorum. *Resp.* Esto. At dico saltem latam esse propter bonum privatum individuorum, ut redundet in bonum commune naturæ, & ita saltem latam esse mediatè & ultimatè propter bonum commune naturæ rationalis, quod sufficit. Dici potest Deum in ferenda lege naturali proximè & immediatè, & bonum privatum individuorum, & bonum commune naturæ spectasse.

Dicitur 3. *A Deo ut authore illius*, hoc est, naturæ rationalis, *promulgata*, hoc est, lata & instituta: leges enim instituuntur, cùm promulgantur. Quòd autem lex naturalis à Deo lata sit, facilè probatur. Nam lex naturalis lata est naturæ rationali, & propter bonum commune naturæ rationalis. Ergo lata est ab eo, cujus est providere bono communi naturæ rationalis. Atqui providere bono communi naturæ rationalis, pertinet ad Deum, qui illius superior est, sicut & author ac conditor, & quà illius author ac conditor est. Ergo, &c.

Dicitur 4. *Creaturam rationalem obligans:* quia lex naturalis lata est soli creaturæ rationali, & sola creatura rationalis capax est obligationis moralis, quem effectum re ipsa causat in ea lex naturalis; quia ex efficaci intentione obligandi lata est à Deo, qui obligandi potestatem habet, ut supremus naturæ rationalis dominus ac princeps, & hanc intentionem practicè & imperativè intimat per dictamina practica rectæ rationis.

Dicitur 5. *Qua permanenter*: quia lex naturalis creaturæ rationali in perpetuum lata est. Imò ex hypothesi naturæ rationalis conditæ, non potuit non ferri à Deo lex naturalis, ut probabitur, & consequenter ex hypothesi naturæ rationalis perseveraturæ, lex naturalis non potest non esse perduratura.

Dicitur 6. *Statuit ea, quæ sunt juris naturalis:* quia jus naturale proximè fundatur in lege naturali, ab eaque efficitur, nec est ab ipsa natura rationali, nisi remotè & radicaliter. Sic v. gr. tenemur ad non mentiendum; tenemur, inquam, jure naturali remotè & radicaliter, propter disconvenientiam quam mendacium habet cum natura rationali, quà rationalis est: proximè verò & formaliter ac propriissimè, quia mendacium à Deo, ut authore & gubernatore naturæ rationalis, prohibitum est, quia naturam rationalem, quà talem, dedecet.

Dicitur 7. *Præcipiendo ea, quorum omissio, &c.* quia jus naturale est tantùm de iis, quæ ex natura sua decent, vel dedecent naturam rationalem, quà talem, & consequenter de iis tantùm, quæ ex natura sua relatè ad naturam rationalem, quà talem, talia sunt, ut non possint non esse præcepta, aut non possint non esse prohibita. Unde fit, ut lex naturalis, ex hypothesi naturæ rationalis conditæ, sit necessaria; & jus naturale, quod efficit, sit necessarium.

Porrò additum est: *Atque statuendo, &c.* quia sicut inter actus creaturæ rationalis, aliqui sunt præcepti, aliqui prohibiti jure naturali, ita aliqui jure naturali irriti sunt & nulli moraliter in ordine ad certos effectus, quia eorum validitas disconveniens esset naturæ rationali, quà rationalis est, & non potuerunt non irritari lege naturali à sapientissimo naturæ rationalis authore & rectore. Bonitas autem hujus descriptionis patet ex eo, quòd sufficientissimè explicet naturam legis naturalis, eamque ab omni alio sufficientissimè distinguat.

Responsio II.

Lex naturalis quoad rem & entitatem consistit, non quidem adæquatè, sed completivè, seu tanquam in complemento intrinseco & essentiali in dictaminibus rectæ rationis practicè & imperativè dictantibus, quid sit faciendum, vel omittendum, velut consentaneum, vel dissentaneum naturæ rationali, quà tali.

Et 1. quidem, quòd lex naturalis non consistat adæquatè in dictaminibus practicis rectè rationis. *Prob.* Quia, ut patet ex dictis Disp. I. Art. I. omnis lex dicit, tanquam partes sui constitutivas, duos actus internos legislatoris, nempe voluntatem efficacem obligandi subditos ad aliquid, & locutionem internam practicam, hanc voluntatem ad subditos practicè dirigentem. Ergo lex naturalis, quæ est lex propriè dicta & divina, dicit: tanquam partes sui constitutivas, duos actus Deo immanentes, nempe actum voluntatis divinæ, quo Deus ab æterno & pro æterno vult efficaciter obligare creaturas rationales ad facienda ea quæ fieri, & omittenda ea quæ omitti postulat natura rationalis, quà rationalis est; & actum imperii intellectus divini, quo voluntas illa dirigitur ad creaturas rationales. Ergo lex naturalis constitui non potest adæquatè in dictaminibus rectæ rationis.

2. Quòd lex naturalis consistat in dictaminibus practicis rectæ rationis, tanquam in complemento intrinseco & essentiali. *Prob.* Quia lex omnis, ut patet ex dictis Disp. I. Art. I. intrinsecè & essentialiter completur per actum externum practicum, quo actus interni legislatoris, quà talis, modo practico & imperativo intimantur subditis, illisque practicè & per modum imperii dictat & præscribit, ut hoc vel illud faciant, aut omittant. Ergo lex naturalis, quæ est lex propriè dicta & divina, intrinsecè & essentialiter completur per actus externos practicos, quibus Deus internos actus, quos habet quà legislator naturalis, modo practico & imperativo exprimit & intimat creaturæ rationali, atque dictat ac præscribit, quid debeat facere, tanquam conveniens, & omittere, tanquam disconveniens sibi, quà rationalis est. Atqui dictamina practica rectæ rationis sunt actus externi, quibus Deus modo practico & imperativo exprimit, & creaturæ rationali intimat actus illos internos, eique dictat & præscribit quid debeat facere, &c. Ergo lex naturalis intrinsecè & essentialiter completur per dictamina practica rectæ rationis, proindeque dictamina practica rectæ rationis sunt etiam in recto ipsa lex naturalis, non quidem adæquatè, sed completivè sumpta.

Obj. 1. Actus externus, quo completur lex in ratione legis, seu in ratione regulæ actuum humanorum, ad agendum vel omittendum aliquid proximè obligantis, est actus legislatoris legem ferentis. Atqui dictamina practica rectæ rationis non sunt actus Dei ut legislatoris legem ferentis: sunt enim actus intellectus creati. Ergo falsum est, quòd lex naturalis compleatur in ratione legis per dictamina practica rectæ rationis. *Resp.* neg. min. Quamvis enim hæc dictamina sint actus intellectus creati, & ab eo physicè producantur, nihilominùs sunt actus Dei ut legislatoris legem ferentis, & actus internos, quorum uno vult obligare creaturam rationalem, & altero practicè dirigit hanc voluntatem ad creaturam rationalem, practicè & per modum imperii intimantis ipsi creaturæ rationali.

Deus enim vim indidit creaturæ rationali eliciendi dictamina illa, & ad illa elicienda eam determinat, aut saltem ad illa concurrit per modum causæ primæ, & physicè præmoventis ex speciali intentione per illa voluntatem suam obligativam, & locutionem suam internam practicam exteriùs exprimendi, & practicè ac per modum imperii intimandi creaturæ rationali. Unde dictamina illa sunt verè & propriè actus externi Dei legem naturalem ferentis & promulgantis, seu locutio quædam Dei externa practica & imperativa, qua creaturæ rationali dictat practicè & per modum imperii, quid velit ab ea fieri vel non fieri, tanquam consentaneum vel dissentaneum ipsi, ut rationali.

Dices. Lex naturalis non potest compleri intrinsecè & essentialiter, nisi per aliquid permanens: cùm ipsa sit aliquid permanens. Atqui dictamina practica rationis non sunt aliquid permanens, sunt enim actus transeuntes. Ergo non sunt complementum intrinsecum & essentiale legis naturalis. *Resp.* Dictamina practica rectæ rationis sufficienter esse quid permanens ad hoc, ut sint complementum intrinsecum legis naturalis: nam 1. sunt aliquid permanens, non quidem formaliter, sed virtualiter in potentia elicitiva, ex se semper parata & determinata ad illa producenda. 2. Sunt etiam aliquid actu permanens, non quidem physicè, sed moraliter & æquivalenter, quatenùs quoties occurrit agendi occasio, magna facilitate, & sæpè non liberè, sed necessariò eliciuntur. Unde perinde se habent in æstimatione morali, ac si essent aliquid naturæ rationali concreatum, cum ipsa actu & physicè permanens; quod sufficit, ut possint esse intrinsecum & essentiale complementum legis naturalis: legem enim naturalem non aliter permanere, quantùm ad complementum suum etiam intrinsecum & essentiale, nullum habet inconveniens.

Dices. Dictamina illa practica quandoque, imò sæpè sunt erronea. Atqui legem naturalem compleri per dictamina erronea, evidenter repugnat. Ergo, &c. *Resp.* Legem naturalem secundùm nos non compleri, nisi per dictamina vera: nam pro complemento intrinseco & essentiali legis naturalis assignamus, non quælibet dictamina practica, sed solùm dictamina practica rationis rectæ, hoc est, rationis de rebus rectè & verè judicantis. Juxta nos igitur, dictamina practica erronea, etiamsi invincibiliter erronea sint, non pertinent ad legem naturalem, ut complementum ejus: unde nec sunt, nec possunt esse vera regula actuum humanorum, nec vim habent obligandi; & ita qui non agit secundùm illa, peccat, non quia contra illa agit, sed quia agit sine persuasione quòd licitè possit agere id quod agit.

Dices. Lex naturalis distinguitur adæquatè ab actu, quo cognoscitur à subdito quem dirigit, eique applicatur. Atqui lex naturalis à subdito quem dirigit, cognoscitur, eique applicatur per dictamina practica rectæ rationis. Ergo ab illis adæquatè distinguitur, & consequenter non completur ab illis intrinsecè & essentialiter.

Resp. neg. maj. Itaque lex quidem positiva, sive divina sive humana, distinguitur adæquatè ab actu quo cognoscitur, & applicatur subdito quem dirigit & obligat. Ratio est, quia lex positiva quævis est adæquatè extrinseca subdito quem dirigit & obligat, ut facilè patet consideranti modum quo leges positivæ promulgantur. At propter oppositam rationem lex naturalis non potest adæquatè distingui ab actu quo cognoscitur, & applicatur subdito quem dirigit & obligat: cùm enim actus externus, quo promulgatur lex, sit ejus complementum intrinsecum & essentiale, & lex naturalis promulgetur per dictamina practica rectæ rationis, lex naturalis non potest subdito quem dirigit & obligat, esse externa adæquatè, sed necessariò secundùm aliquam sui partem, qua nimirùm intrinsecè & essentialiter completur in ratione legis, est ei interna, in eoque vitaliter recepta.

Mirum igitur non est, quòd lex naturalis per aliquam sui partem, eam scil. qua completur in ratione legis, practicè intimetur subdito, atque simul & indivisibiliter ab eo cognoscatur exercitè, formaliter eum reddendo practicè cognoscentem, quid facere quidve fugere debeat, velut conveniens vel disconveniens naturæ rationali, quà tali, imò & reflexè; quia omnis actus intellectus est sui ipsius cognitio, & ita per dictamina practica non solùm practicè cognoscit, quid facere quidve fugere debeat, sed etiam cognoscit hoc se practicè cognoscere; & cognoscendo hoc se practicè cognoscere, cognoscit legem naturalem reflexè. Ergo lex naturalis non distinguitur adæquatè ab actibus, quibus cognoscitur & applicatur subdito quem dirigit & obligat, sed inadæquatè tantùm, nempè secundùm actus internos legislatoris, quos includit præter actus externos, quibus intimatur & completur in ratione legis.

Lex igitur naturalis subdito quem dirigit & obligat,

gat, se ipsa immediatè applicatur, quia applicatur per dictamen practicum, quo completur in ratione legis, & quo subditum formaliter reddit practicè cognoscentem, quid faciendum quidve omittendum sit: hoc ipso enim subditus exercitè cognoscit legem naturalem, & quidem sufficienter ad hoc, ut per eam dirigatur & obligetur. Quamvis autem lex naturalis sic se ipsa immediatè applicetur subdito, non tamen se ipsa immediatè applicatur ad opus, quia dictamen practicum, quo completur in ratione legis, est dictamen universale, quale est illud: Nunquam mentiri licet. Dictamen autem universale non potest ad opus applicari, nisi mediante dictamine particulari, seu judicio practicè practico, quo intellectus judicat v. gr. non esse hic & nunc mentiendum. Hoc autem judicium est applicatio legis ad opus, non ipsa lex: lex enim debet esse universalis, & abstrahere à circumstantiis particularibus, quibuscum dictamen particulare objectum proponit.

Dices. Si dictamina practica rationis sunt complementum intrinsecum & essentiale legis naturalis, lex naturalis non est lex divina. Consequens est contra nos. Ergo, &c. *Resp.* neg. seq. maj. Quantumcumque enim dictamina illa sint actus intellectus creati, ab eo physicè & immanenter eliciti, sunt nihilominùs actus Dei, ut legem ferentis, & voluntatem suam obligativam per illa practicè intimantis, atque præscribentis quid fieri quidve non fieri velit; proindeque dictamina illa cum internis actibus Dei, ut legislatoris, constituunt completam & integram legem, quæ verè divina est, utpotè ab ipso Deo immediatè lata & instituta.

Dices. Dictamina practica rectæ rationis dictant præcisè aliquid esse faciendum vel omittendum, ut conveniens vel disconveniens naturæ rationali, quà tali. Ergo falsum est, quòd intiment voluntatem quam Deus habet obligandi creaturam rationalem ad faciendum vel omittendum aliquid, quia decet vel dedecet naturam rationalem, quà talem; proindeque falsum est dictamina illa esse complementum legis naturalis. *Resp.* neg. ant. Nam dictamina illa simul & indivisibiliter saltem confusè & implicitè, quòd sufficit, dictant illud esse præceptum vel prohibitum à Deo, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali, à Deo, inquam, ut authore & rectore naturæ rationalis. Hinc aliàs negavimus, ab ullo adulto, ubi primùm præceptum aliquod naturale implendum occurrit, Deum inculpabiliter ignorari posse.

At inquies. In ea hypothesi, sive possibili sive impossibili, in qua existeret natura rationalis, & tamen Deus nullam haberet voluntatem obligandi ad facienda vel omittenda, quæ naturam rationalem decent vel dedecent, adhuc dictamina practica rectæ rationis essent omninò eadem, quæ nunc sunt. Atqui in illa hypothesi dictamina practica rectæ rationis præcisè dictarent aliquid esse faciendum vel non faciendum, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali. Ergo similiter nunc dictant præcisè, &c.

Resp. neg. maj. Nam in facta hypothesi, ut dicitur in minore, nihil aliud dictarent sive distinctè sive confusè, quàm aliquid esse faciendum vel non faciendum, ut conveniens vel disconveniens naturæ rationali, quà tali. At in præsenti hypothesi, in quà Deus habet voluntatem efficacem obligandi creaturam ad facienda ea, quorum omissio, & omittenda ea, quorum commissio naturam rationalem dedecet, atque ad hanc voluntatem creaturæ rationali intimandam utitur dictaminibus practicis rectæ rationis; ita hæc dictamina modificat, ut saltem confusè dictent ab eo, ut authore & rectore naturæ rationalis, præcepta esse ea, quæ dictant esse facienda, quia eorum omissio, & prohibita esse ea quæ dictant esse omittenda, quia eorum commissio naturam rationalem dedecet.

Hinc in præsenti hypothesi, quæ sola possibilis est, ut infrà ostendetur, nemo peccare potest contra rectam rationem, purè dictantem aliquid esse faciendum vel non faciendum, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali; & quicumque peccat contra rationem, dictantem aliquid esse faciendum vel non faciendum, quia conveniens vel disconveniens est naturæ rationali, peccat contra rationem saltem confusè dictantem aliquid esse præceptum vel prohibitum, quà conveniens vel disconveniens naturæ rationali, à Deo ut authore & rectore naturæ rationalis, atque ita Dei, ut authoris & rectoris naturæ rationalis, voluntatem obligativam practicè intimantem, illamque complentem in ratione legis divinæ naturalis.

Hinc quicumque peccat contra rectam rationem, peccat contra legem divinam naturalem, & ita omne peccatum theologicum est, ac offensa Dei propriè dicta, inducens reatum damnationis æternæ, si grave est. Hinc divisio peccati in philosophicum, quod soli rationi repugnat, & peccatum, quod etiam adversatur legi divinæ, in præsenti hypothesi chymera est.

ARTICULUS II.

Quid præscribat, & ad quid obliget lex naturalis.

Responsio I.

LEx naturalis prohibet, quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem, seu, quod idem est, prohibet id omne, cujus commissio intrinsecè & essentialiter dedecet naturam rationalem.

Prob. Nam id omne, quod ex natura rei dedecet naturam rationalem, prohibitum est aliqua lege divina: hoc enim evidenter pertinet ad sapientem naturæ rationalis, cujus Deus author & rector est, gubernationem. At si aliqua lege divina prohibitum est, certè lege naturali, quam Deus condidit ut author & rector naturæ rationalis, & quæ supponit in iis quæ prohibet, intrinsecam & essentialem turpitudinem, in quo differt à lege purè positiva, quæ non supponit in iis quæ prohibet, moralem turpitudinem, sed eam inducit. Ergo, &c.

Responsio II.

Lex naturalis præcipit id omne, quod ex natura rei, sive antecedenter ad omnem ordinationem & constitutionem sive divinam sive humanam, necessarium est ad vivendum conformiter ad naturam rationalem, seu, quod idem est, præcipit id omne, cujus omissio intrinsecè & essentialiter naturam rationalem dedecet.

Prob. Id omne, quod ex natura rei necessarium est ad vivendum conformiter ad naturam rationalem, præceptum est, imò non potest non esse præceptum aliqua lege divina ex hypothesi naturæ rationalis conditæ: hoc enim essentialiter exigit sapiens & efficax naturæ rationalis existentis gubernatio. Ergo præceptum est aliqua lege, non libera Deo, sed necessaria ex hypothesi naturæ rationalis conditæ. Sed talis lex non est, nisi lex naturalis: omnis enim lex divina positiva libera Deo est etiam ex hypothesi naturæ rationalis existentis. Ergo, &c.

Porrò in Resp. dictum est, legem naturalem præcipere id omne, quod ex natura sua necessarium est, &c. quia duplex est naturaliter honestum, unum cujus omissio naturam rationalem dedecet, & quod proinde necessarium est ad vivendum honestè; alterum verò, cujus omissio non dedecet naturam rationalem, & quod proinde ad vivendum honestè necessarium non est: hoc lex naturalis consulit tantùm, alterum verò præcipit.

Responsio III.

Lex naturalis, aliquid fieri præcipiens, non solùm præcipit actum, sed etiam modum virtutis.

Prob. Nam præcipere etiam modum virtutis, est præcipere non solùm ut aliquis fiat, sed etiam ut fiat modo naturam rationalem decente. Atqui lex naturalis præcipiens, non solùm præcipit ut fiant actus, quorum omissio naturam rationalem dedecet, sed etiam ut fiant modo decente naturam rationalem. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam lex naturalis præcipit creaturæ rationali, ut vivat honestè & conformiter ad naturam rationalem. Atqui ad vivendum honestè, & conformiter ad naturam rationalem, requiritur non solùm ut fiant actus, quorum omissio naturam rationalem dedecet, sed etiam fiant modo naturam rationalem decente.

Ex his sequitur legem naturalem, sive præcipientem, sive etiam prohibentem, adæquatè impleri non posse, nisi per actus honestos, & moraliter bonos, quibus videlicet vel honestum aliquod prosequimur, vel aversamur aliquod inhonestum modo convenienti naturæ rationali, quà rationalis est, ac proinde ex motivo naturæ rationali, quà rationalis est, consentaneo, & cum omnibus aliis circumstantiis ei convenientibus, aut saltem non disconvenientibus.

Dices. Qui v. gr. restituit debitum, servat præceptum naturale, licèt restituat modo indebito. Ergo lex naturalis non præcipit modum virtutis. *R.* Eum qui restituit debitum, sed modo indebito, satisfacere quidem præcepto naturali, quo præcisè præcipitur restitutio debiti, unde non tenetur ad novam restitutionem; at non satisfacere præcepto naturali, quo præcipitur ut omnia fiant, ac proinde ut hæc restitutio fiat modo convenienti naturæ rationali, quà rationalis est. Unde neg. cons.

Responsio IV.

Inter actus humanos aliqui non solùm prohibentur, sed etiam irritantur lege naturali.

Prob. Nam 1. quando ex natura rei deest potestas moralis circa aliquem actum, actus ille non solùm prohibitus est, sed etiam irritus jure naturali. Talis est v. gr. donatio rei jam alteri donatæ, quia ex natura rei deest in donante potestas donandi rem jam donatam: qui enim donat rem aliquam, transfert à se dominium illius, proindeque hoc ipso ex natura rei caret potestate donandi illam alteri. At verò donatio rei jam promissæ alteri, est quidem prohibita jure naturali; jus enim naturale præcipit, ut res donetur ei, cui promissa est: at non est jure naturali irrita, quia promissio non transfert rei dominium in promissarium, & sic cum promissione uni facta, manet in eo qui promisit, moralis potestas donandi rem alteri.

2. Quando adest quidem potestas moralis, sed deest usus & applicatio hujus potestatis circa actum aliquem, hic actus non solùm prohibitus est, sed etiam irritus jure naturali. Sic v. gr. si Titius solutus matrimonium contrahat cum soluta, putà Bertha, putans se contrahere cum Maria, & volens cum illa contrahere, contractus jure naturali irritus est: licèt enim uterque potestatem habeat contrahendi, deest tamen usus & applicatio talis potestatis circa talem personam, & ita hæc potestas nihil operatur. Nam ex natura rei potestas contrahendi nullum habet effectum, nisi ea utaris, eamque applices.

Ratio à priori pro utroque casu est, quia natura rerum, circa quas lex naturalis versatur, est fundamentum & mensura illius. Ergo sicut lex naturalis præcipit aliqua, quia eorum omissio, & aliqua prohibet, quia eorum commissio ex natura sua naturam rationalem dedecet, ita irritat aliqua, quia ex natura sua talia sunt, ut natura rationalis postulet ea esse invalida. Item dictamina practica rectæ rationis sunt intimatio & promulgatio legis naturalis. Unde sequitur legem naturalem præcipere ea omnia, quæ recta ratio dictat esse facienda, & ea omnia prohibere, quæ recta ratio dictat facienda non esse. Ergo propter eandem rationem lex naturalis irritare dicenda est ea omnia, quæ recta ratio pro nullis dictat esse habenda.

Responsio V.

Lex naturalis obligat in conscientia circa ea omnia, quæ Deus, ut author naturæ, statuit sive præcipiendo, sive prohibendo, sive etiam irritando.

Prob. 1. Ex Apostolo Rom. cap. 2. ubi loquens de gentilibus sic ait: *Quicumque sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege* (scripta) *peribunt*, nempe propter peccata contra legem naturalem commissa. Non perirent autem gentiles propter peccata contra legem naturalem commissa, si lex naturalis non obligaret in conscientia; & qui contra legem naturalem graviter peccant, non incurrerent reatum culpæ & damnationis æternæ.

Prob. 2. Ratione: quia lex naturalis est ordinatio Dei pro supremo suo jure alia præcipientis, prohibentis alia tantùm, alia irritantis simul & prohibentis. Atqui Deus sic pro supremo suo jure ordinans, obligat in conscientia. Ergo, &c. *Quod confir.* Quia legi naturali nihil deest ad obligandum in conscientia. Ad hoc enim tria tantùm requiruntur, nempe potestas obligandi in legislatore, efficax reipsa obligandi voluntas, & hujus voluntatis intimatio practicè & per modum imperii facta subditis. Hæc autem tria adsunt respectu legis naturalis: cùm sit ordinatio & constitutio Dei per dictamina practica rectæ rationis practicè & imperativè intimantis voluntatem suam obligativam ad facienda vel omittenda ea, quæ natura rationalis, quà talis, fieri vel omitti postulat. Lex igitur naturalis obligat sub culpa mortali, vel veniali, prout ejus materia gravis est, vel levis; sive, quod idem est, prout illius, quod præcipit aut prohibet, omissio aut commissio naturæ rationali, quà tali, graviter vel leviter repugnat.

Obj. Lex non potest obligare ad pœnam, quam non potest manifestare. Atqui lex naturalis non potest manifestare pœnam æternam: nam pœna æterna non potest cognosci solo lumine naturali. Ergo lex naturalis non potest obligare ad pœnam æternam, & consequenter non potest obligare sub culpa mortali, quæ inductiva est reatus pœnæ æternæ. *Resp.* neg. major. Nam ut delinquens incurrat reatum alicujus pœnæ, necesse non est ut pœnam illam cognoscat sive per legem, sive aliunde, sed satis est, si faciat actum dignum tali pœna, & actus illius malitiam cognoscat, aut saltem non ignoret nisi culpabiliter, & hæc ignorantia sit graviter culpabilis, quando pœna propter actum infligenda gravis est.

Articulus III.

Utrùm lex naturalis sit necessaria.

Responsio.

Lex naturalis non est necessaria absolutè, sed est necessaria ex hypothesi præsenti, in qua natura rationalis condita est cum usu rationis ac libertatis circa bonum & malum, & cum fragilitate sibi connaturali.

Prob. 1. *pars.* Nam lex naturalis non est magis necessaria, quàm rationalis creatura, cui fertur. Atqui creatura rationalis non est absolutè necessaria: potuit enim Deus abstinere à productione creaturarum intellectualium: cùm Deus liberè producat quidquid producit ad extra, atque ita illud producat, quia vult, ut posset non producere, & non produceret, si nollet. Ratio à priori est, quia sibi ipse sufficit, nec ad esse, aut bene esse indiget alio, quod sit extra se.

Prob. 2. *pars.* Quia ex hypothesi quòd Deus voluerit producere creaturam rationalem, non potuit non velle illam gubernare sapienter, & modo sanctitati suæ convenienti: hoc enim pertinet ad ideam entis, quo nihil melius cogitari potest. Atqui ad sapientem, & sanctitati divinæ convenientem gubernationem creaturæ rationalis, conditæ cum usu ac libertate

circa

circa bonum & malum, & cum fragilitate sibi connaturali, evidenter requiritur, ut Deus statuat, & authoritate sua sanciat ea quæ sunt juris naturalis, præcipiendo scilicet ea quæ ex natura rei necessaria sunt ad vivendum honestè, & ea prohibendo quæ ex natura rei turpia & inhonesta sunt, atque ita creaturæ rationali hæc vitandi & illa faciendi imponendo propriè & strictè dictam obligationem, contra quam qui agerent, reatum culpæ & pœnæ propriè & strictè dictum, & quidem in rebus naturæ rationali graviter repugnantibus, culpæ mortalis & pœnæ æternæ incurrerent. Ergo, &c.

Prob. min. Quia si Deus creaturam rationalem, qualem condidit, relinqueret naturali judicio rationis approbantis alia ut consona naturæ rationali, alia verò ut naturæ rationali dissona reprobantis, eam ad bonum agendum non moveret, aut à faciendo malo non deterreret, nisi valdè inefficaciter, ut ostendit experientia eorum omnium, quos offensæ divinæ & æternæ damnationis, quam tamen sola offensa Dei gravis, & ejus vel formalis vel saltem virtualis contemptus inducere potest, consideratio, ad facienda ea quorum omissio, & omittenda ea quorum commissio naturæ naturali graviter repugnat movere non potest efficaciter. Atqui hoc sapienti, & sanctitati divinæ convenienti gubernationi evidenter adversatur. Ergo, &c.

Obj. Repugnat Deum necessitari ad aliquid ex iis quæ sunt ad extra. Ergo, &c. *R.* dist. ant. Repugnat necessitati absolutè, & extra omnem hypothesim, C. ant. Repugnat necessitari ex aliqua hypothesi, ipsi libera, N. ant. Nam v. g. ex hypothesi quòd Deus promiserit aliquid, non potest non implere promissum, quia non implere promissum, intrinsecè & essentialiter dedecet naturam divinam. Non potest autem Deus, qui essentialiter indefectibilis est, aliquid, quod naturam divinam dedeceat.

Propter eandem rationem, ex hypothesi quòd condiderit naturam rationalem, qualem condidit, non potest non ei legem naturalem imponere; quia ex hypothesi, quòd eam condiderit, non potest eam non sapienter, & modo sanctitati suæ convenienti gubernare: nam naturam rationalem conditam deserere, aut non sapienter gubernare, intrinsecè & essentialiter naturam divinam dedecet; nec potest eam, qualis condita est, sapienter, & modo sanctitati suæ convenienti gubernare sine lege naturali, præcipiente illa, quæ ex natura rei honesta, & ad honestè vivendum necessaria sunt, & illa prohibente, quæ ex natura rei turpia sunt & inhonesta.

ARTICULUS IV.

Utrum lex naturalis capax sit mutationis propriæ dictæ.

Responsio.

LEx naturalis non potest mutari propriè.

Prob. Quia lex mutatur propriè, cùm mutatur in se. Atqui lex naturalis non potest mutari in se. Ergo, &c. *Prob. min.* Lex mutatur in se, aut quando desinit, quia desinit conducere ad bonum commune, vel etiam incipit ei esse contraria; aut quando ad aliquod tantùm tempus lata est, quo proinde finito, eo ipso extinguitur; aut quando abrogatur à superiore; aut quando contraria consuetudine præscribitur; aut etiam, si vis, quando restringitur per dispensationem propriè dictam. Atqui nihil horum legi naturali potest contingere. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. Lex naturalis non potest per se ipsam desinere, quia neque ad tempus lata est, sed in perpetuum, neque potest unquam non conducere ad bonum commune naturæ rationalis: cùm præcipiat, aut prohibeat ea tantùm, quorum omissio aut commissio intrinsecè, & essentialiter ipsam naturam rationalem dedecet, & consequenter ea tantùm præcipiat, aut prohibeat, quæ fieri, aut omitti semper conducet ad bonum commune naturæ rationalis.

2. Non potest abrogari à superiore, quia non habet superiorem, nisi Deum, à quo necessariò lata est ex hypothesi præsenti. 3. Non potest præscribi contraria consuetudine, quia consuetudo ab hominibus inducta non potest prævalere juri naturali; jus enim humanum non potest prævalere juri divino, quale est jus naturale. 4. denique, non potest restringi per dispensationem propriè dictam, quia nulla potestas etiamsi divina sit, dispensare potest propriè in jure naturali, ut probabitur Art. seq. Ergo, &c.

Obj. 1. Communitas bonorum fuit de jure naturali. Atqui tamen jure gentium introducta est bonorum divisio & proprietas. Ergo, &c. *R.* Communitatem bonorum fuisse de jure naturali negativè, non positivè. Nam jus naturale permisit quidem bonorum communitatem, at non præcepit, nec prohibuit bonorum divisionem & proprietatem. Unde cùm jure gentium divisio & proprietas bonorum introducta est rationabiles ob causas, nihil juri naturali contrarium statutum est.

Obj. 2. De jure naturali fuit non solùm negativè, sed etiam positivè, ut omnes homines essent liberi. Atqui tamen jure gentium introducta est servitus. Ergo, &c. *R.* dist. maj. De jure naturali fuit non solùm negativè, sed etiam positivè, ut omnes homines essent liberi, nulla supposita culpa vel injuria. C. maj. lex enim naturalis non solùm permisit, sed etiam præcepit, ut, nulla supposita culpa vel injuria, sua fruerentur homines libertate. De jure naturali fuit, &c. supposita aliqua culpa vel injuria propter quam potuit justè bellum inferri hostibus, N. maj. Nam lex naturalis permisit pro eo casu homines in servitutem redigere: si enim licuit per legem naturalem eo casu hostem interficere, à fortiori per legem naturalem licuit, mortem in servitutem commutare. Servitus igitur jure gentium in casu justi belli introducta est, non reluctante, sed consentiente jure naturali.

Obj. 3. Per legem humanam præscriptionis, derogatum est legi naturali, prohibenti ne retineatur alienum, invito domino. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam lex præscriptionis, ab humano legislatore lata, non facit ut alienum, manens alienum, retineatur invito domino; sed solùm facit, ut id quod erat alienum, jam non sit alienum, sed proprium possidentis, quatenùs legislator humanus, qui ut communitatis princeps, disponere potest de bonis privatorum, quantùm expedit bono communi, statuit ut qui bona fide & certo tempore possederit rem alienam, acquirat dominium illius, eoque dominio privetur prior dominus; statuit, inquam, ad lites impediendas, & puniendos negligentes dominos, qui rerum suarum curam negligunt. Lex autem naturalis neque prohibuit unquam hoc statui, cùm hoc statui bono communi multùm expediat; neque præcepit unquam rem alienam restitui priori domino, postquam desiit esse aliena, & ad priorem dominum pertinere. Lex igitur præscriptionis legi naturali non contraria, sed consentanea est.

Obj. 4. Leges humanæ requirentes certam solemnitatem in contractibus, ad hoc ut sint validi, derogant legi naturali: nam reipsa reddunt invalidos contractus, qui antea jure naturali validi erant. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam leges illæ juri naturali non derogant, sed solùm addunt aliquid, quod quidem jus naturale non præcipit, sed nec prohibet addi, quatenùs ad valorem contractuum requirunt certas conditiones, quæ quidem non requiruntur ex natura rei, & quæ proinde non requiruntur lege naturali, sed quas requiri bono communi expedit, & quas proinde requiri permittit lex naturalis. Leges igitur requirunt certam in contractibus solemnitatem, permittente, non contradicente lege naturali, quæ contractus illos non dictavit fore validos, nec validos esse voluit, nisi quandiu legislator humanus,

manus, propter commune bonum, ad eorum valorem aliquas conditiones communi bono expedientes non requisivit.

ARTICULUS V.

Utrùm lex naturalis pati possit dispensationem proprie dictam.

Responsio.

NUlla potestas, sive humana, sive divina, dispensare potest propriè in lege naturali.

Prob. Nam superior non dicitur dispensare propriè in lege, nisi cùm personam aliquam liberat ab obligatione legis, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus lex viget & obligat. Atqui nequidem Deus potest personam aliquam eximere ab obligatione legis naturalis, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus obligat. Ergo, &c.

Prob. min. Quia si Deus eximeret personam aliquam ab obligatione legis naturalis, manentibus omnibus circumstantiis in quibus obligat, permitteret aliquid intrinsecè malum: tandiu enim omissio vel commissio actionis quam præcipit vel prohibet lex naturalis, est intrinsecè mala, quandiu manent omnes circumstantiæ in quibus lex naturalis præcipit vel prohibet actionem illam, proindeque obligat ad illam faciendam vel non faciendam: nam fundamentum actionem illam lege naturali præcipiendi vel prohibendi, proindeque obligandi ad illam faciendam vel non faciendam, est intrinseca malitia, seu intrinseca cum natura rationali dissonantia omissionis vel commissionis ejus. Atqui evidenter repugnat Deum permittere aliquid intrinsecè malum, seu intrinsecè dissentaneum naturæ rationali, quà tali: hoc enim evidenter adversatur summæ sanctitati divinæ. Ergo, &c.

Obj. 1. Deus dispensavit cum Abraham, ut filium suum posset occidere. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam Deus non permisit Abrahamo, ut filium suum interficeret, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus occisio hominis est extrinsecè mala, & prohibetur lege naturali: priùs enim, ut supremus vitæ & necis arbiter, jus in vitam filii innocentis concessit Abrahamo, quàm præciperet & permitteret illi, ut filium occideret.

Obj. 2. Deus propriè dispensavit cum Osea propheta, ut posset fornicari. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam Deus non concessit prophetæ, ut ad mulierem accederet ante matrimonium cum ea initum, sed solum jussit illi, ut eam, quæ fornicaria fuerat, uxorem duceret, & ad eam affectu maritali accederet, quorum certè neutrum legi naturali repugnat. Porrò mulier illa, etiam post matrimonium cum propheta initum, dicitur fornicaria propter vitæ præcedentis infamiam, & filii ejus filii fornicationum appellantur, propter opprobrium matris.

Obj. 3. Deus dispensavit cum Israelitis, ut possent furari vasa Ægyptiorum. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Non enim Deus concessit Israelitis, ut Ægyptiorum vasa raperent, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus hoc tanquam furtum lege naturali prohibitum erat: rapere enim rem alienam invito domino, non est furtum, nec lege naturali prohibitum, nisi quandiu res aliena manet aliena. At prius quàm Deus Israelitis concederet, ut spoliarent Ægyptios, Ægyptiorum vasa Israelitis donavit, vel ut supremus bonorum omnium dominus, vel ut supremus judex, nimirùm ad puniendos Ægyptios ob summam eorum in Israelitas immanitatem, aliave scelera, aut ad retribuendam Israelitis debitam laborum Ægyptiis impensorum mercedem. Dum igitur Deus Israelitis concessit, ut Ægyptiorum vasa raperent, concessit illis, ut, quod suum erat, sumerent, quod certè lege naturali nunquam fuit prohibitum.

Obj. 4. Deus dispensavit cum Patriarchis in polygamia, & cum Judæis in libello repudii. Ergo, &c. *R.* neg. ant. quoad utramque partem. Nam 1. Deus non concessit Patriarchis, ut plures uxores ducerent, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus pluralitas uxorum lege naturali probibetur: non enim lex naturalis prohibet pluralitatem uxorum, nisi quandiu manet mariti inhabilitas ad plures uxores ducendas, quam inhabilitatem tollere potest Deus, vel ut author naturæ, cui in ordine ad conservationem & propagationem prolis jure matrimonii subjacent; unde & de illis pro arbitrio statuere potest; vel ut supremus corporum dominus, in plures uxores dividendo dominium corporis mariti. Deus autem in Patriarchis priùs sustulit naturalem ad plures uxores ducendas inhabilitatem, quàm illis concederet uxorum pluralitatem, & ita pluralitatem uxorum concessit illis in iis circumstantiis, in quibus lege naturali nullatenùs prohibita fuit.

2. Deus non permisit Judæis, ut priore uxore superstite, secundam ducerent in iis circumstantiis, in quibus lex naturalis hoc prohibet: lex enim naturalis non prohibet secundam duci uxorem, priore vivente, nisi quandiu matrimonii eum illa initi vinculum manet. At Deus permittendo Judæis libellum repudii, prioris matrimonii vinculum dissolvebat, & ita Judæis non concedebat, ut priore uxore superstite, ad secundas convolarent nuptias, nisi dissoluto authoritate divina prioris matrimonii vinculo, pro quo casu non erant lege naturali prohibitæ secundæ nuptiæ.

Obj. 5. Deus dispensavit cum Machabæis, ut possent Sabbatum violare. Ergo, &c. *R.* Machabæi non usi sunt dispensatione, sed interpretatione: tantùm enim interpretati sunt se non esse violaturos Sabbatum, opus ad vitam conservandam necessarium exercendo, & rectè interpretati sunt.

Obj. 6. Deus quotidie dispensat per Summum Pontificem in votis & juramentis, quorum tamen obligatio naturalis est. Ergo, &c. *R.* Deum per Summum Pontificem, tanquam Vicarium suum & Œconomum, dispensare in votis & juramentis, non concedendo, ut sibi non reddatur quod promissum est, sed relaxando promissionem sibi factam. Unde per ejusmodi dispensationem Deus non concedit homini, ut non reddat quod promisit, manentibus circumstantiis, in quibus lex naturalis obligat ad reddendum promissum: lex enim naturalis ad reddendum promissum non obligat, relaxata promissione; & ità Deus per ejusmodi dispensationem non dispensat propriè in lege naturali. Porrò similiter Deus per Summum Pontificem dispensat in matrimonio rato, non consummato, per eum tollendo vinculum, & matrimonii contractum rescindendo, qui contractus subest authoritati Dei, ut authori naturæ, & rerum omnium Domino.

Quæres, utrùm lex naturalis pati possit saltem improprie dictam dispensationem?

R. Affirmativè. Nam per dispensationem improprie dictam intelligitur vel authentica legis interpretatio, vel materiæ mutatio facta authenticè, seu per authoritatem superioris. Atqui hoc utrumque in legem naturalem cadere potest. Ergo, &c. Hæc tamen nostra responsio restrictionem aliquam admittit. Sunt enim quædam legis naturalis præcepta, in quibus nequidem improprie dispensari potest. Tale est præceptum prohibens odium Dei, blasphemiam, &c. Nam odium Dei & blasphemia ita mala sunt intrinsecè, ut per nullam in objecto aut circumstantiis mutationem factam fieri possint non mala, & licita. Idem dic de præcepto naturali prohibente mendacium: mendacium enim talis est naturæ & malitiæ, ut nullæ sint possibiles circumstantiæ, in quibus naturam rationalem non dedeceat, proindeque in quibus non turpe sit & inhonestum: alioqui Deus posset mentiri, & homines ad mentiendum impellere: quod multum elevaret veracitatem divinam: non enim posset summam à nobis fidem exigere, nec religionis nostræ principia summam haberent certitudinem.

Quæres, utrùm lex naturalis indigeat declaratione & interpretatione?

R. in multis indigere. Ratio est, quia multa, quæ

sunt

sunt juris naturalis, non nisi difficilè intelliguntur. Et verò cùm lex naturalis supponat res esse tales in se, quales eas decernit, hoc est, in se malum esse quod prohibet, in se bonum esse & moraliter necessarium quod præcipit, in se licitum esse quod permittit, in se denique irritum esse & nullum quod irritat; ad habendam veram legis naturalis notitiam, necessariò investigandæ sunt circumstantiæ, in quibus actus humani sunt in se boni vel mali, in se necessarii vel non necessarii, ad honestè scilicet vivendum; in se liciti vel illiciti, in se denique validi vel invalidi. Ad hoc autem sæpe opus est declaratione & interpretatione.

Quæres, utrùm lex naturalis aliquando indigeat epykia propriè dicta?

R. negativè. Nam illa tantùm lex indiget epykia propriè dicta, quæ præcipit vel prohibet universaliter per verba generalia, quæ corrigenda sunt in casibus in lege non expressis, sive casus illos legislator præviderit, sive non. Epykia enim propriè loquendo est *emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale*. Atqui lex naturalis non, sicut positiva, præcipit vel prohibet universaliter per verba generalia, in certis casibus qui excipi debuerunt, corrigenda: lex enim naturalis præcipit quidem vel prohibet universaliter, at simul excipit casus omnes excipiendos; cùm sit ordinatio divina practicè intimata per dictamina practica rectæ rationis, præcisis circumstantiis particularibus, in quibus fiunt actiones, dictantis singillatim de iis omnibus, quæ bona sunt vel mala, licita vel illicita, valida vel invalida ex natura rei, agenda vel non agenda esse, permissa vel non permissa esse, valere vel non valere. Ergo, &c.

Quæres, utrùm lex naturalis possit deleri de cordibus hominum?

R. 1. nullatenùs deleri posse quoad prima principia, quia sunt omnibus per se nota, qualia sunt ista: Bonum faciendum est, malum fugiendum; Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Ita S. Thomas hìc q. 94. a. 6. in O.

R. 2. deleri posse quoad præcepta particularia, ut ostendit experientia. Ita S. Thomas ibidem. Præcepta illa particularia alia sunt, quæ facilè deducuntur ex primis principiis, & non nisi culpabiliter delentur de cordibus hominum, *vel propter malas persuasiones, vel propter pravas consuetudines & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam*. Alia verò sunt, quæ non nisi difficillimè possunt ex primis principiis erui, & possunt per ignorantiam inculpabilem deleri de cordibus hominum, ut tenent Doctores communissimè. Vide Tractat. de Actibus humanis.

Quæres, utrùm jus gentium sit naturale?

R. Jus gentium esse formaliter positivum. Nam jus gentium est jus statutum ab omnibus, aut ferè omnibus gentibus, non quòd omnes gentes convenerint ad illud constituendum, sed quia diversæ gentes, propter voluntatum & arbitriorum similitudinem, idem singulæ statuerunt scripto, vel potiùs usu tantùm & consuetudine, vim legis habente. Ergo jus gentium hominum placito statutum est, & consequenter formaliter positivum est.

Dico: Formaliter positivum est: nam materialiter, seu ex parte materiæ, partim naturale est, & partim positivum. Nam ab omnibus aut ferè omnibus gentibus constituta sunt aliqua, quæ sunt juris naturalis, & quoad hoc communi gentium consensu confirmatum est jus naturale. Item ab omnibus aut ferè omnibus gentibus constituta sunt aliqua, quæ sunt juris merè positivi, ut divisio agrorum, servitus captorum justo bello, &c.

Quæres, in quo jus gentium differat à naturali?

R. 1. Differt in eo quòd ab hominibus constitutum sit, naturale verò à Deo, ut authore naturæ. 2. Differt in eo, quòd per illud præcipiantur, prohibeantur, & statuantur aliqua, quæ non sunt jure naturali præcepta, prohibita, vel statuta. Jus tamen gentium non est contrarium juri naturali: 1. enim non est contrarium, ut est materialiter naturale; cùm sub hoc respectu sit potiùs juris naturalis confirmatorium. 2. Non est contrarium, ut est etiam materialiter positivum: nam quæ sub hoc respectu præcipit, prohibet vel statuit, non sunt quidem præcepta, prohibita, vel statuta jure naturali. At jus naturale permittit ea præcipi, prohiberi, vel statui, ut patet in servitutis institutione, divisione agrorum, possessionum proprietate, &c.

DISPUTATIO III.

De lege Mosaica.

Nota. Lex divina positiva dicitur ea, quæ ab ipso Deo immediatè lata, aliter promulgata est, quàm per dictamina rationis naturalis, nempe scripto, vel voce; in quo lex divina positiva differt à lege divina naturali, quæ per dictamina practica rectæ rationis hominibus intimatur.

Dividitur autem lex divina positiva, 1. in purè positivam, seu in positivam tam materialiter quàm formaliter, & non purè positivam, hoc est, potisivam formaliter, & materialiter naturalem, quæ divisio intelligitur ex dictis Disput. I. Art. ult.

Dividitur 2. in veterem seu Mosaicam, & novam seu Evangelicam; quæ divisio est adæquata, per legem positivam divinam intelligendo integrum quoddam corpus juris divini, continens multa statuta, & traditum alicui multitudini hominum, ut vivant sub iisdem sacramentis, eodem modo sacrificandi, & eodem cultu externo Dei, & sic efficiant unum corpus mysticum. Lex enim divina positiva, sic sumpta, præter Mosaicam & Evangelicam alia non fuit, aut erit: nam nulla alia ejusmodi lex divina ante Mosaicam data fuit hominibus, aut dabitur post Evangelicam, ut constat ex Sacris Scripturis. Fuerunt tamen, ut certum est, in lege naturæ aliqua præcepta divina positiva, ad valdè longum tempus lata, & consequenter particulares liquæ leges divinæ positivæ, aliter quam per rationis dictamen practicum intimatæ, ut præceptum abstinendi ab esu sanguinis, præceptum circumcisionis, &c. sed quæ non efficiebant corpus juris.

ARTICULUS I.

A quo, & quibus lata fuerit lex Mosaica.

Responsio I.

Lex Mosaica immediatè à Deo lata est hominibus. Est contra Manichæos, qui, ut refert S. Augustinus lib. de hæres. num. 46. docebant *Deum, qui legem per Moysem dedit, & in hebræis prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum*.

Prob. autem 1. authoritate Christi Matth. cap. 15. ubi loquens de lege Mosaica, vocat eam mandatum Dei. *Irritum fecisti*, inquit, *mandatum Dei propter traditiones vestras*. 2. Authoritate Concilii Trident. session. 4. in decreto de Can. Script. ubi dicit Deum authorem esse veteris & novi testamenti.

Porrò lex Mosaica, quamvis à Deo immediatè lata, non fuit tamen ab eo promulgata immediatè, sed à Moyse, cui à Deo angelorum ministerio tradita est, ut constat ex Apostolo Galat. cap. 3. *Quid igitur lex*, inquit, *propter transgressionem posita est ... ordinata per angelos in manu mediatoris*. Et ex Actor. cap. 7. ubi Stephanus martyr sic ait de Mose: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis*. Unde ille, nempe Angelus, qui

qui Moysi loquens dicebat: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, loquebatur, non in propria persona, sed in persona Dei, quem repræsentabat, tanquam legatus ejus.

Responsio II.

Tota lex Mosaica, ab Exodo usque ad Deuteronomium inclusivè, à Deo immediatè lata est.

Prob. Nam 1. cap. 20. Exodi, sic tradi incipit lex Mosaica: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me, &c.* 2. Cap. 21. sic præcepta judicialia tradi incipiunt: *Hæc sunt judicia, quæ proponeis eis: Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi, &c.* 3. C. 27. precepta cœremonialia inchoantur sic: *Locutusque est Dominus ad Moysen*, dicens: *Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias, &c.* 4. Cùm traduntur præcepta sive moralia, sive judicialia, aut cœremonialia, identidem repetuntur, & inculcantur verba illa, *Hæc dicit Dominus, Locutus est Dominus ad Moysen, dicens.* Ergo, &c. Dixi autem, ab Exodo usque ad Deuteronomium inclusivè, nam postea quædam præcepta authoritate humana addita fuerunt de celebrando festo Phurim, Esther. c. 9. & de festo Scenopegiæ, lib. 2. Machab. c. 1.

Obj. illa Christi verba Matth. c. 19. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vestras uxores: ab initio autem non fuit sic. R.* Judæis libellum repudii permisit Moyses, non ut conditor legis, sed ut promulgator. Per libellum enim repudii Judæis concedebatur potestas rescindendi prius matrimonium, & novum contrahendi; quam potestatem nulla authoritas creata concedere potest.

Responsio III.

Lex Mosaica à Deo lata est soli populo Judæorum.

Prob. ex Script. Nam 1. Deuteron. c. 4. dicitur: *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, & universam legem?* 2. Apostolus Rom. c. 9. loquens de Judæis, sic ait: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio.* Ergo, &c. Ex his.

Nota. Lex Mosaica solos Judæos obligavit: lex enim non obligat, nisi eos quibus lata est. Unde gentiles non obligabantur lege Mosaica, quamvis obligarentur lege naturali, & nunc obligentur lege gratiæ; quia hæc utraque lex universis hominibus lata ta est. Hinc gentiles salvari potuerunt sine observatione legis Mosaicæ, licèt non potuerint salvari sine observatione legis naturalis, & nunc non possint salvari sine observatione legis evangelicæ.

Porrò quamvis gentiles lege Mosaica non obligarentur, poterant tamen adjungere se populo Judæorum, & legi Mosaicæ se subjicere, juxta illud Exodi c. 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase Domino, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ.* Quicumque autem ex gentilibus circumcidebatur, ad totius legis observationem tenebatur, juxta illud Apostoli Gal. c. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Et verò plures ex gentilibus populo Judaico aggregatos fuisse, & legem Mosaicam recepisse, constat ex lib. Esther cap. 8. ubi dicitur: *Plures alterius gentis & sectæ, Judæorum religioni & cæremoniis jungebantur.*

Quæres, quotuplex fuerit præceptum legis Mosaicæ?

R. præcepta legis Mosaicæ triplicia fuisse, nempe moralia, cœremonialia, & judicialia, quæ in Scriptura significantur nomine præceptorum, cœremoniarum, & judiciorum. Præcepta moralia sunt ea, quæ materiam legis naturalis continent, qualia sunt ea omnia, quæ continentur in Decalogo, excepta Sabbati determinatione. Præcepta cœremonialia dicuntur ea, quæ continent institutionem sacramentorum, sacrificiorum, & aliarum circa cultum divinum observantiarum. Præcepta denique judicialia sunt ea, quæ statuunt illa, quæ ad reipublicæ regimen politicum, & pacem ac justitiam cum proximo servandam pertinent.

Quæres, quis finis fuerit & quotuplex legis Mosaicæ?

R. Triplicem habuit finem lex Mosaica. Primus & proximus ac immediatus fuit, per præcepta moralia, in iis quæ ad naturalem rectitudinem necessariam ad vivendum conformiter ad naturam rationalem; per præcepta cœremonialia, in iis quæ ad cultum divinum; & per præcepta judicialia, in iis quæ ad regimen politicum spectant, dirigere populum Judaicum.

Secundus finis, & principaliùs à Deo intentus, fuit spiritualis ac supernaturalis populi Judaici fœlicitas, tum in hac vita per sanctitatem morum, juxta illud Ps. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas;* tum in altera, juxta illud Luc. c. 10. *Hoc fac, & vives*, vita scilicet æterna, de qua Christus à legisperito interrogatus.

Tertius denique finis fuit gloria Christi, ad quem venturum lex Mosaica disponebat, juxta illud Apostoli Rom. c. 10. *Finis legis Christus*, & quem magna ex parte præfigurabat per præcepta cœremonialia, & multa judicialia, juxta illud ejusdem Apostoli Hebr. c. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum.*

Quæres, quinam fuerint effectus legis Mosaicæ?

R. Effectus legis Mosaicæ fuerunt, 1. populum Judaicum dirigere in iis quæ pertinebant ad honestatem naturalem necessariam, ad cultum divinum, & ad regimen politicum. 2. Procurare spiritualem & supernaturalem ejusdem populi fœlicitatem, tum in hac vita per morum sanctitatem, tum in altera per æternam beatitudinem. 3. Disponere ad Christum venturum, illumque præfigurare. 4. Obligare ad ea quæ præcipiebat, vel prohibebat. 5. Aliqua permittere, ut libellum repudii, pluralitatem uxorum, &c. 6. Irritare aliquos actus, ita ut validi esse non possent, ut quòd non nisi ex tribu Levi constitui posset sacerdos. 7. Constituere præmia, vel pœnas, sive temporales, sive etiam spirituales, v. g. quasdam irregularitates, & immunditias legales.

Articulus II.

Utrum lex Mosaica fuerit perfecta, an imperfecta.

Responsio I.

Lex Mosaica non fuit imperfecta positivè, seu non fuit mala & injusta, sed bona & sancta. Est contra Manichæos.

Prob. 1. Ex Scriptura, in qua de lege Mosaica dicitur Psal. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas*: & ad Rom. c. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* 2. Ratione. Lex illa non potuit non esse bona, sancta & justa, quæ lata fuit à legislatore summè bono, sancto & justo. Atqui lex Mosaica lata fuit à legislatore summè bono, sancto & justo: nam lata fuit à Deo, de quo Job cap. 34. dicitur: *Nullus ei similis est in legislatoribus.* Ergo, &c.

Obj. 1. Script. Dicitur Ezech. cap. 20. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent.* Rom. cap. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* 2. Cor. cap. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Hebr. cap. 8. *Si illud prius* (testamentum) *culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.* Actor. cap. 15. *Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?*

R. ad 1. Præcepta illa non bona, de quibus loquitur Deus, non sunt præcepta Mosaica, sed præcepta ab hominibus data, quæ nimirùm Deus permiserat ab hominibus imponi Judæis in pœnam violatæ legis Mosaicæ. *Ad* 2. Apostolus hoc loco & aliis similibus, nihil aliud vult, quàm legem Mosaicam ostendisse, & prohibuisse peccata, unde occasione, non data, sed

sed accepta, exarsit in hominibus desiderium rerum prohibitarum, & ita contra intentionem legis & legislatoris peccata multiplicata fuerunt. *Ad* 3. Littera, seu lex Mosaica occidit occasionaliter, seu occasione, non data, sed ab hominibus propter cordis pravitatem accepta. *Ad* 4. Apostolus ibi per culpam intelligit defectum negativum, seu impotentiam legis Mosaicæ ad sanctificandos homines ex propriis. Eodem sensu ead. epist c. 7. sic loquitur: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem*. *Ad* 5. Apostolus ibi tantùm cum exaggeratione quadam ostendit gravitatem & difficultatem legis Mosaicæ, ut à sententia dettereat eos, qui gentes recens ad fidem conversos circumcidi & legem servare volebant.

Obj. 2. Lex Mosaica multa permittebat rationi repugnantia, nempe odium inimicorum, oculum pro oculo & dentem pro dente eruere, uxorum pluralitatem, usuram erga alienigenas, & libellum repudii. *R. ad* 1. neg. Imò Levit. c. 19. expressè prohibetur inimicorum odium: dicitur enim: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Cùm autem Christus ait Matth. c. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, nihil aliud significat, quàm hæc verba, *& odio, &c.* à quibusdam legis corruptoribus, ex proprio sensu & ex prava interpretatione addita fuisse. Et verò verba hæc, *Odio habebis inimicum tuum*, nullibi Scriptura vetus habet.

Ad 2. Lex talionis fuit quidem severa, at non fuit injusta, nec eam Christus Matth. c. 5. damnat, sed solùm abrogat, & suaviorem instituit. *Ad* 3. Deus, ut supremus corporum Dominus, Judæis permittere potuit, ut plures simul uxores haberent. *Ad* 4. Deus, ut supremus bonorum omnium temporalium Dominus, Judæis potuit permittere, ut aliquid ab alienigenis supra sortem acciperent. *Ad* 5. Deus ut author naturæ, cui jura omnia matrimonii subjacent, permittere potuit, ut certis de causis matrimonii contractum rescinderent Judæi.

Responsio II.

Lex Mosaica fuit imperfecta negativè, & comparativè, hoc est, minùs perfecta, quàm lex evangelica.

Prob. 1. Fuit minùs perfecta ex parte causæ efficientis: nam utraque sic à Deo immediatè lata est: ut vetus per hominem purum, nempe Moysem, nova verò per Christum Deum & hominem ab eo lata sit. De hac differentia loquitur Apostolus Hebr. cap. 2. & 3.

2. Minùs perfecta fuit ex parte eorum quibus lata est; lata enim est Judæis tantùm; unde gentiles non obligabat, quanquam, si vellent, possent illi se submittere. At lex Evangelica pro universo orbe lata est, juxta illud Matth. c. ult. *Euntes docete omnes gentes*. Unde sic obligat omnes homines, ut nemo salvari possit sine illius observatione.

3. Minùs perfecta fuit ex parte durationis: non enim lata est, nisi ad tempus, nempe usque ad adventum Christi, juxta illud Apostoli Gal. cap. 3. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen* (Christus.) *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*. At lex Evangelica duratura est usque ad mundi finem, juxta illud Christi Matth. c. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Unde non est alia lex post Evangelicam legem instituenda.

4. Minùs perfecta fuit ex parte materiæ, quatenùs lex Evangelica, 1. præter præcepta moralia, quæ sunt juris naturalis, & quibus proinde non potest non teneri creatura rationalis: pauca alia continet; unde illud Christi Matth. c. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. At lex Mosaica, præter præcepta moralia, continebat quàm plurima alia cœremonialia & judicialia, observatu difficillima, ut testatur Petrus Apostolus Actor. c. 15. 2. Lex Evangelica præcipit aliqua longè perfectiora; nempe fidem explicitam Trinitatis & Incarnationis pro omnibus adultis, oblationem sacrificii longè præstantioris omnibus Mosaicis sacrificiis, & usum Sacramentorum longè excellentiorum, quippe quæ gratiam non modò significant, ut sacramenta Mosaica, sed etiam ex opere operato conferunt. 3. Dat consilia excellentis perfectioins, ut castitatis, paupertatis, &c. quæ non dedit lex Mosaica.

5. Fuit minùs perfecta ex parte efficaciæ: nam non dabat gratia ex propriis, sicut dat lex Evangelica, nec ejus sacramenta conferebant gratiam, sicut conferunt Sacramenta legis Evangelicæ, sed significabant tantùm: unde ab Apostolo Gal. c. 4. appellantur *infirma & egena elementa*: nec peccata expiare, aut veram justitiam conferre poterat, sicut potest lex Evangelica: unde Hebr. c. 7. dicitur ab Apostolo fuisse reprobata *propter infirmitatem & inutilitatem*: nec in ea dabatur gratia cum tanta abundantia propter Christum venturum, quantacum datur in lege Evangelica post Christi adventum: unde illud Joan. c. 1. *Lex per Moysem data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Nec denique introducebat in cœlum, quod clausum erat, nondùm persoluto per Christi mortem & sanguinem hominum redemptionis prætio; quod cùm jam sit persolutum, lex Evangelica in cœlum homines introducendi potestatem habet.

6. Fuit minùs perfecta, quia magis fuit lex timoris quàm amoris, & magis servilis quàm filialis. Lex verò Evangelica est lex amoris & filiorum, juxta illud Apostoli Rom. c. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*. Et verò, ut dicit hic S. Thom. q. 91. a. 5. in O. lex vetus ad mandatorum observantiam inducebat *timore pœnarum*, qui modus inducendi servorum proprius est. *Lex autem nova facit hoc per amorem, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, quæ in lege nova confertur, sed in lege veteri figurabatur*. Induci autem per amorem ad observanda præcepta, proprium filiorum est. Rectè igitur S. Augustinus hoc loco à S. Thoma laudatus, lib. contra Adamantium cap. 7. ait: *Brevis differentia est legis & Evangelii timor & amor*.

Articulus III.

Utrùm, & à quo, & quando abrogata sit lex Mosaica.

Responsio I.

Lex Mosaica abrogata est.

Prob. 1. ex Scriptura veteri, in quâ legis Mosaicæ abrogatio manifestè prænunciatur, Hier. c. 31. his verbis: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum . . . Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum*. Sic autem ad hæc verba loquitur Apostolus Hebr. c. 8. *Dicendo novum, veteravit priùs, in prænuntiatione scilicet; quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est*.

Prob. 2. ex nova Scriptura, in qua legem veterem abrogatam esse manifestè docet Apostolus, 1. ad Gal. c. 3. *Lex*, inquit, *prædagogus noster fuit in Christo. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*. 2. Hebr. cap. 7. *Reprobatio*, inquit, *fit præcedentis mandatis, propter infirmitatem ejus & inutilitatem*. Unde cùm aliquando in Scriptura lex Mosaica, & ejus cœremoniæ dicuntur æternæ, non sic dicuntur, quia in æternum duraturæ erant, sed quia institutæ fuerunt ad tempus longissimum, & sine certo termino in earum promulgatione definito.

Responsio II.

Lex Mosaica abrogata est non solùm quoad præcepta cœremonialia & judicialia, sed etiam quoad moralia.

Prob.

Prob. Nam variis Scripturæ locis lex vetus dicitur abrogata, nulla exceptione facta, & sine distinctione præceptorum moralium à cœremonialibus & judicialibus, ut patet ex locis Resp. I. citatis. Quod confirmatur ex Apostolo Hebr.c.8. ubi dicit: *Translato sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.* Ergo sicut penitùs translatum, seu abrogatum est sacerdotium Aaronicum, ita penitùs translata, seu abrogata est lex Mosaica. Hinc ad observanda Decalogi præcepta non tenemur vi legis Mosaicæ, sed vi legis naturalis, quæ semper manet, & vi legis Evangelicæ: quæ statuit illa eadem, quæ scilicet ex parte materiæ purè naturalia sunt; de illis enim agitur, non de determinatione Sabbati, ad quod servandum nulla lege nunc tenentur homines. Sed

Observa. 1. Lex Mosaica non fuit abrogata propriè, nisi respectu Judæorum, quia solos Judæos obligabat. Et verò cùm non fuerit lata gentilibus, non opus fuit abrogatione respectu illorum. 2. Nunc non solùm gentiles, sed etiam Judæi à lege Mosaica liberi sunt, sive convertantur ad fidem, sive non. 3. Et ita Judæi sicut nunc non debent sperare bonorum temporalium promissiones legi Mosaicæ annexas, nec debent subire pœnas, impositas legis Mosaicæ transgressoribus: sicut enim desiit lex Mosaica, ita & defierunt promissiones, & pœnæ temporales ei annexæ.

Obj. Script. Dicitur Matth. cap.5. *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Rom. cap.3. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit; sed legem statuimus.* Rom. cap.13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Ephes. cap.6. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione.* Jac. cap. 2. *Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis.* Quibus locis significari videtur, quod lex vetus adhuc vigeat quoad præcepta moralia.

R. ad 1. Cùm sic loquebatur Christus, non erat abrogata lex Mosaica, sed adhuc vigebat. *Ad* 2. Mens Apostoli est, quòd doctrina evangelica de justificatione peccatoris ex fide Christi, legem Mosaicam non malam aut inutilem, sed bonam & utilem fuisse probet. *Ad textus reliquos*, in illis significata tantùm præcepta moralia legis Mosaicæ, quæ sunt juris merè naturalis, instaurata & firmata esse per legem evangelicam, & ita servanda esse vi obligationis, quam inducit lex evangelica.

Responsio III.

Lex Mosaica à Christo abrogata est.

Prob. 1. ex Script. Nam Ephesiorum cap.2. de Christo dicitur: *Qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis* (evangelicis) *evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, &c.* 2. Quia ab eo lex vetus abrogata est, à quo lata est lex nova: nam lex vetus per novam abrogata est. Atqui lex nova lata est à Christo, ut probabitur. Ergo, &c. Itaque cùm Luc. c.16. dicitur, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem;* sensus est, vel quòd lex & prophetæ usque ad Joannem, Christum prædixerint venturum, ipse verò Joannes præsentem demonstrarit, vel potiùs quòd usque ad Joannem lex & prophetæ bona temporalia legem servantibus proposuerint, ipse verò Joannes cœperit proponere regnum Dei, quod in spiritualibus bonis situm est, nam post verba citata sic prosequitur Scriptura: *Ex eo regnum Dei evangelizatur.*

Responsio IV.

Lex Mosaica tunc abrogata est, cùm lex Evangelica sufficienter intimata & promulgata est Judæis.

Prob. Nam lex Mosaica abrogata est, vel ante mortem Christi, vel in ipsa morte Christi, vel post mortem Christi, quando scilicet lex Evangelica sufficienter promulgata est Judæis. Non primum, aut secundum: Ergo tertium dicendum est.

Prob. min. 1. itaque lex Mosaica non fuit abrogata ante mortem Christi. Nam Christus præcepit legem Mosaicam servari, ut patet ex Matth. cap.23. ubi sic loquitur: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Præterea, Luc. c. 22. dicitur: *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha.* Ergo pridie mortis Christi adhuc vigebat, & obligabat lex Mosaica.

2. Lex Mosaica non fuit abrogata in ipso articulo mortis Christi. Nam si abrogata est in ipso mortis Christi articulo, tunc abrogata est, cùm non innotuit sufficienter ejus abrogatio: nam ipsimet discipuli Christi post ejus mortem crediderunt legem Mosaicam adhuc obligare: ut enim dicitur Luc. c. 23. *Revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & Sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum*, existimantes scilicet Sabbatum, sicut præcipiebat lex Mosaica, servandum esse. Falsum cons. Ergo, &c. *Prob. min.* Si tunc lex Mosaica abrogata est, cùm ejus abrogatio non innotuit sufficienter, non est abrogata sapienter, & utiliter, abrogationis enim invincibiliter ignoratæ nulla utilitas esse potest, cùm tunc ex conscientia erronea subditi perinde teneantur servare legem, ac si non esset abrogata. Atqui lex Mosaica non potuit abrogari, nisi prudenter & utiliter: non enim potuit abrogari, nisi à Deo, qui nihil nisi prudenter & utiliter facere potest. Ergo lex Mosaica tunc tantùm abrogata est, cùm lex Evangelica Judæis sufficienter promulgata est.

Ratio à priori est, quia lex Mosaica exclusa est à Christo per introductionem legis Evangelicæ, juxta illud de Christo dictum ab Apostolo Ephes. c.2. *Legem mandatorum decretis evacuans.* Unde sic argumentor breviter. Lex Mosaica tunc abrogata est, cùm desiit obligare Judæos. Tunc desiit obligare Judæos, cùm lex Evangelica cœpit illos obligare. Lex Evangelica tunc cœpit illos obligare, cùm respectu illorum cœpit habere completam & integram rationem legis. Tunc denique respectu illorum cœpit habere completam & integram rationem legis, cùm illis promulgata est sufficienter. Ergo à primo ad ultimum tunc lex Mosaica abrogata fuit, cùm lex Evangelica Judæis intimata & promulgata fuit sufficienter. Hoc autem contingit in die Pentecostes pro urbe Hierosolyma, & deinceps successivè in variis orbis partibus per Apostolorum prædicationem.

Obj. 1. Si lex Mosaica non fuit abrogata ante mortem Christi, lex Mosaica & Evangelium simul viguerunt. *R.* re ipsa simul viguisse, sed cum hoc discrimine, quòd toto illo tempore lex Mosaica fuerit in præcepto, Evangelium verò in consilio tantùm. Unde toto illo tempore circumcisio obligavit Judæos, baptismus verò neminem.

At inquies. Judæi tunc temporis pro parvulis suis habuerunt remedium adversus peccatum originale, nempe baptismum. Ergo non tenebantur illos circumcidere. *R.* neg. conseq. Nam, ut suo loco probabitur, circumcisio fuit primariò instituta ad distinguendum populum Dei ab aliis populis; unde etiamsi inter Judæos aliquis sanctificatus esset in utero materno, adhuc ad circumcisionem tenebatur, ut patet in Joanne Baptista.

Obj. 2. Apostolus docet legem veterem abolitam esse in ipsa morte Christi. Nam 1. sic ait Hebr. c.7. *Translato sacerdotio, necessarium est, ut & legis translatio fiat.* Unde sic argumentaris. Tunc lex Mosaica abolita est, cùm sacerdotium Aaronicum translatum est. Atqui ex Apostolo, sacerdotium Aaronicum translatum est in ipsa morte Christi. Ergo, &c. 2. Eadem epist. dicit, novum testamentum confirmatum esse, hoc est, vim habuisse testamenti validi in ipsa morte Christi. Ergo in ipsa morte Christi testamentum vetus valere desiit: cùm enim testamentum posterius conditur ad revocandum prius, valor prioris tollitur per valorem posterioris. Novum autem testamentum à Christo conditum fuit, ad revocandum vetus testamentum. *R.* neg. obj.

Ad 1. *autem prob. R.* Christus non transtulit omninò sacerdotium Aaronicum, nisi cùm novum pontificatum

ficatum promulgavit, quod non fecit in ipso mortis suæ articulo, licèt tunc & pridie exercuerit officium sacerdotis secundùm ordinem Melchisedech, & sacerdotium Aaronicum cœperit transferre, quando ipse sacrificavit, & Apostolos novi testamenti sacerdotes instituit, atque ab eis & eorum successoribus sacrificium Missæ usque ad mundi finem offerri præcepit. Lex autem Mosaica non est abrogata, nisi cùm Aaronicum sacerdotium omninò translatum est, & consequenter non est abrogata in ipso mortis Christi articulo, sed quando promulgata est lex Evangelica.

Ad 2. prob. R. Apostolus per vetus testamentum intelligit pactum à Deo cum Judæis initum, quo Deus Judæis promiserat benevolentiam & protectionem suam, bonaque temporalia, si legem Mosaicam servarent: per novum verò testamentum, pactum à Christo cum Christianis initum, quo Christus Christianis promittit peccatorum veniam, amicitiam Dei, & cœlorum regnum, si legem Evangelicam servent. Hoc autem pactum morte Christi confirmatum esse, & aliud prius infirmatum docet Apostolus. Quod fieri potuit, absque eo quòd in ipso mortis Christi articulo lex Evangelica compleretur in esse legis, & regulæ morum, completam & integram obligandi vim habentis, & consequenter absque eo quòd in ipso mortis Christi articulo abrogaretur lex Mosaica.

ARTICULUS IV.

Utrùm lex Mosaica, statim atque mortua est, mortifera fuerit.

Nota. Aliud est legem esse mortuam, & aliud esse mortiferam. Lex mortua est, cùm abrogata est, & non obligat ampliùs: mortifera est, quando non solùm non obligat ampliùs, sed etiam est obligatio ad oppositum, ita ut non solùm non debeat ampliùs, sed nec ampliùs possit observari absque peccato.

Nota iterum. Lex Mosaica, ut superiùs dictum est, triplicis generis præcepta complectebatur, moralia scilicet, judicialia, & cœremonialia. Quantùm attinet ad præcepta moralia, quæ sunt juris merè naturalis, ea servare non solùm licitè possumus, sed etiam tenemur, non quidem vi legis Mosaicæ, cujus omnis obligatio desiit, sed vi legis naturalis, quæ semper manet, & vi legis evangelicæ, qua Christus omnia, quæ sunt juris purè naturalis, confirmavit.

Quantum attinet ad præcepta judicialia, exceptis iis quæ à Christo abolita sunt, qualia sunt ea, quibus permittebantur libellus repudii, pluralitas uxorum, & usura erga alienigenas, non est quidem necessarium ea servare, sed est licitum, possuntque ab iis qui potestatem habent condendi leges, proponi & præscribi ut servanda, non quidem vi legis Mosaicæ, hæc enim intentio mortifera esset; sed ut habentia vim obligandi ex lege de novo lata. Et verò legislatores, tam ecclesiastici quàm sæculares, multa circa regimen politicum Ecclesiæ & Reipublicæ statuerunt, quæ olim circa regimen politicum Judæorum lege Mosaica præscripta fuerant, & præcepta.

Certum igitur est legem Mosaicam, quantùm ad præcepta moralia, quæ sunt juris purè naturalis, & judicialia omnia, exceptis tamen iis quæ à Christo abolita sunt, non fuisse mortiferam, statim atque mortua est: cùm nequidem nunc quantùm ad illa sit mortifera. Unde tota difficultas est de præceptis cœremonialibus; cùm de fide sit legem Mosaicam quantùm ad illa non solùm mortuam esse, ita ut non obliget ampliùs, sed etiam mortiferam esse, ita ut cœremoniæ religiosæ, v.g. sacramenta & sacrificia quæ præcipiebat, non possint nunc usurpari sine gravi peccato? De his ergo præceptis quæritur, utrùm lex Mosaica quantum ad illa, mortifera fuerit, statim atque fuit mortua? Ad resolutionem quæstionis sit

Responsio.

Lex Mosaica, etiam quoad præcepta cœremonialia, non fuit mortifera, statim atque mortua est; ita ut aliquo tempore post abrogationem legis Mosaicæ, licitum fuerit præcepta illa servare, licèt non fuerit necessarium.

Prob. Nam lege Evangelica sufficienter promulgata, & ita sublata Mosaicæ legis obligatione, Apostoli observarunt cœremonialia. Atqui dici non potest hac in parte errasse Apostolus, ignorando tunc legem Mosaicam non solùm mortuam, sed etiam mortiferam esse, aut etiam scienter contra præceptum divinum cœremonialium usum prohibens, peccasse. Ergo, &c.

Prob. maj. ex Actor. c. 21. ubi de consilio Jacobi & seniorum, *Paulus assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians* (sacerdoti) *expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*. Hoc autem contigit anno Christi quinquagesimo octavo, ac proinde vigesimo quarto à promulgatione legis Evangelicæ Hierosolymis facta, & consequenter eo tempore, quo jam à multis annis ibidem obligare desierat lex Mosaica; imò eo tempore, quo jam toto orbe Romano lex Mosaica erat extincta; cum jam toto orbe Romano lex Evangelica per Apostolos esset sufficienter promulgata.

Porrò, quod non est prætermittendum, quia egregiè facit ad rem nostram, rumor percrebuerat Hierosolymis, quòd Paulus Judæos, quos inter gentiles ad fidem converterat, prohiberet ab observatione legalium, & ob hunc rumorem multitudinis fidelium, Hierosolymis recens à judaismo ad christianam religionem traductorum, gravem offensionem incurrerat: quapropter Jacobus, & seniores Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Paulo consilium dedere, ut viris quatuor, qui tunc in urbe aderant, & votum habebant super se, assumptis sanctificaret se cum illis, quo facto omnes intelligerent falsum rumorem de eo sparsum esse, ipsumque cœremonias legales non modò non spernere & reprobare, sed è contra religiosè colere & observare. Huic autem consilio lubens acquievit Paulus; & *assumptis viris, postera die purificatus*, &c. Ergo totius Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & Episcopi ejus Jacobi Apostoli, & ipsius etiam Pauli sententia tunc fuit, legem Mosaicam, quantùm ad præcepta cœremonialia observari potuisse non solùm absque peccato, sed etiam laudabiliter. Ergo tunc lex Mosaica, etiam quantùm ad præcepta cœremonialia, nondùm erat mortifera. Ergo multò minùs fuit, statim atque mortua est.

Obj. 1. Apostolus ad Gal. c. 5. sic alloquitur Galatas: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit ... Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini*. *R.* Apostolus ita loquitur, quia Galatæ circumcisionem usurpabant, non solùm ut licitam, sed etiam ut necessariam ad salutem, & falsò putabant ad justificationem legem Evangelicam non sufficere, sed præterea requiri legis Mosaicæ, saltem quantùm ad præceptum circumcisionis, observationem. Dicit itaque Apostolus Galatas peccare, non quidem præcisè adhibendo circumcisionem, sed adhibendo ut necessariam.

Obj. 2. Statim atque lex Mosaica mortua est, non potuit ampliùs observari absque injuria Christi & legis Evangelicæ, quasi hæc lex ad salutem non sufficeret. *R.* Legem Mosaicam, postquam mortua est, minimè Christo & legi Evangelicæ injuriosum fuit aliquandiu servare, non quidem ut necessariam, sed ut licitam, atque ut cum honore synagoga sepeliretur; ne videlicet, si statim reprobaretur, cœremoniæ ejus malæ, & ejusdem cum ethnicorum superstitionibus generis fuisse viderentur; quod in contumeliam Dei, legis Mosaicæ conditoris, redundasset.

Obj. 3. Post Evangelii promulgationem, cœremoniarum legalium observatio pernicioſum mendacium continebat: tunc enim cœremoniæ illæ significabant myste-

mysteria Christi ut futura, quæ jam erant facta. *R.* Cœremoniæ legales ex vi institutionis suæ tantùm significabant mysteria Christi ut futura pro eo tempore, pro quo erant futura: unde earum observatio etiam post Evangelii promulgationem, sed secundùm earum institutionem facta, erat tantùm significatio & protestatio mysteriorum Christi ut futurorum pro eo tempore, pro quo erant futura, in quo certè nullum erat mendacium.

Hinc qui cœremonias illas post Evangelii promulgationem usurpabant secundùm earum institutionem, & ita ex intentione per eas significandi præcisè mysteria Christi ut futura pro eo tempore pro quo futura erant, & à fortiori qui usurpabant eo tantùm animo, ut ostenderent illas non fuisse malas, sed à Deo profectas, non peccabant: quamvis peccarent ii, qui eas usurpabant cum intentione per eas significandi mysteria Christi ut nondùm facta, & ut facienda: tunc enim earum observatio significatio erat ac protestatio mysteriorum Christi, ut nondùm factorum, & ut faciendorum, in quo pernicioſum erat mendacium. At hoc, non ipsis cœremoniis, sed illas malè usurpantibus imputandum fuit.

Obj. 4. Si postquam lex vetus mortua est, licuit adhuc servare cœremonias illius, Paulus immeritò reprehendit Petrum, quòd eas usurparet, seque à gentilibus Antiochenis recèns ad fidem conversis segregaret, ut judaicè viveret cum Judæis, qui Hierosolymis à Jacobo advenerant. Atqui justam tamen causam habuit Paulus Petrum reprehendendi, ut ipse Paulus testatur Gal. cap. 2. ubi sic ait: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*

R. Paulus reprehendit Petrum, non quia præcisè usurpabat cœremonias legales, sed quia usurpabat cùm aliqua imprudentia, & scandalo infirmorum, quatenùs ejus facto & exemplo inducebantur gentiles, recèns conversi ad fidem, ut crederent legalium observationem ad salutem necessariam esse, & sic aliquo modo cogebantur ad vivendum judaicè, ut apertè colligitur ex his Pauli verbis loco citato: *Si tu, Judæus cùm sis, gentiliter vivis & non judaicè, quomodo gentes cogis judaizare?* Petrum autem cœremonias legales imprudenter & cum infirmorum scandalo usurpantem, jure merito reprehensum esse, & reprehensibilem fuisse, quis dubitat? Sed quid hoc contra nos, qui dicimus legales cœremonias etiam post Evangelii promulgationem aliquandiu licitè usurpari potuisse, secluso infirmorum scandalo?

Obj. 5. Lex cœremonialis non potuit religiosè observari, nisi quandiu in ratione veræ legis mansit. Atqui ubi primùm mortua est, desiit habere rationem veræ legis: nam intrinsecum & essentiale est omni veræ legi, ut obliget. Ergo lex cœremonialis, ubi primùm mortua est, seu obligandi vim amisit, non potuit observari religiosè.

R. neg. maj. Lex enim cœremonialis tandiu potuit religiosè observari, quandiu cœremoniæ in ea præscriptæ, manserunt quoad institutionem. Tandiu autem quoad institutionem manserunt, quandiu non fuerunt à Deo omninò repudiatæ & prohibitæ: tandiu enim verè fuerunt cœremoniæ divinæ, quantùmvis quoad obligationem abrogatæ, & ita lege cœremoniali non ampliùs manente in esse veræ legis. At Deus cœremonias illas non repudiavit & prohibuit, statim atque lex ipsa cœremonialis mortua est, sed solùm postquam synagoga cum sufficienti honore sepulta est. Lex igitur cœremonialis, etiam postquam desiit habere rationem veræ legis, amissa obligandi vi, potuit aliquandiu religiosè observari.

Nota. Cœremoniæ legales desierunt quantùm ad obligationem, ubi primùm lex Evangelica sufficienter promulgata est; quantùm verò ad institutionem, non nisi postquam sufficiens honos delatus est synagogæ: tunc enim primùm Deus eas repudiavit & prohibuit, atque tunc primùm pro non divinis haberi debuerunt.

Quæres, quo præcisè tempore lex Mosaica, quantùm ad cœremonialia cœperit esse mortifera?

R. hoc incertum esse. Quòd enim lex Mosaica, quantùm ad cœremonialia, sit nunc mortifera, neque habemus ex aliqua Scriptura Sacra, neque ex definitione alicujus Concilii Oecumenici, aut summi Pontificis, sed solùm ex traditione Ecclesiastica, quæ docet quidem nunc mortiferam esse legem quoad præcepta cœremonialia, sed annum & diem, quo talis esse cœperit, non indicat. Probabiliùs tamen est, cœpisse mortiferam esse quadragesimo circiter anno à Christi morte; tum quia hæc est communis Doctorum sententia, tum quia tunc temporis, jam à pluribus annis lege Evangelica toto orbe Romano sufficienter promulgata, templum Hierosolymitanum unà cum statu reipublicæ Judaicæ à Romanis eversum est, proindeque synagoga extincta, cui consequenter honorem deferre necesse non erat ampliùs, tum quia cœremoniarum legalium bonitas & utilitas jam sufficientissimè demonstrata fuerat, nec ullum ampliùs condescensum merebantur Judæi, à tot annis cum tanta pertinacia vocationi divinæ, tot signis & prodigiis probatissimæ, obsistentes.

Dices. Multis post Christi mortem sæculis Canon Apostolicus prohibens esum sanguinis & suffocati, confirmatus est in Concilio Gangrensi, in Aurelianensi II. & Vormacensi. Ergo cœremoniarum legalium usus multis à morte Christi sæculis licitus, imò & ex aliqua parte præceptus fuit.

R. Ecclesia in aliquibus Conciliis, Christianis prohibuit esum sanguinis & suffocatorum, non in gratiam legis Mosaicæ & cœremoniarum legalium, & ad deferendum honorem synagogæ, sed quia tunc temporis ethnicæ superstitionis speciem habere videbantur, & ut Christiani omnem paganismi suspicionem vitarent: idolis enim in gentilismo offerebantur carnes suffocatæ, & de illis comedebant, qui illas immolabant. Posset autem Ecclesia etiam nunc, quamvis nunc mortiferas esse cœremonias legales, sit extra omnem controversiam, eadem prohibere, Christianis, si eædem prohibendi rationes recurrerent.

Quæres, quo jure cœremoniæ legales factæ sint tandem aliquando mortiferæ.

R. factas esse jure divino. Nam sicut lex Mosaica, quantùm ad omnia sua præcepta, jure divino mortua est per sufficientem Evangelii promulgationem, quatenùs facta sufficienti promulgatione Evangelii, Deus noluit eam ampliùs habere vim obligandi: ita, quantùm ad præcepta cœremonialia, mortifera facta est jure divino, postquam sufficiens honos delatus est synagogæ, quarenùs sufficienti honore synagogæ delato, Deus cœremonias ejus repudiavit & prohibuit sicque cœremoniæ illæ superstitiosæ & illicitæ evaserunt etiam jure naturali.

Igitur elapso tempore, quo debuit honor exhiberi synagogæ, & cujus determinationem Deus verisimiliter relinquit Ecclesiæ, Ecclesia non potuit, nec potest amplius cœremonias legales renovare, aut præcipere; non enim potest derogare juri divino. Potuit tamen, & nunc potest alias similes cœremonias instituere & præcipere, modò judaicam superstitionem non redoleant. Item quilibet etiam Christianus potest aliqua facere ex iis quæ præcipiebat lex cœremonialis, & quæ sunt ex se indifferentia, modo hæc faciat sine intentione religiosum aliquid usurpandi, absque scandalo, & vitet omnem judaicæ superstitionis suspicionem. Sic potest Christianus quilibet, propter valetudinem, & quemcumque alium finem non malum, abstinere à certo genere ciborum, modò hoc faciat sine scandalo, & suspicione superstitionis judaicæ.

Quæres, utrùm quamdiu Judæis, ad fidem conversis, licuit uti cœremoniis legalibus, licuerit etiam gentilibus pariter conversis ad fidem, usurpare easdem cœremonias, non quidem ut necessarias ad salutem, sed ut licitas, & ad sepeliendam cum honore synagogam.

R. licuisse. Nam 1. cœremoniæ illæ nunquam specialem aliquam prohibitionem vel malitiam habuerunt respectu gentilium ad fidem conversorum, vi cujus

per

prohibitionis vel malitiæ non possent ab illis usurpari, quantumvis licitè à Judæis ad fidem conversis usurparentur. 2. Tandiu cœremoniæ illæ sacræ fuerunt & divinæ, nullatenùs legi Evangelicæ repugnantes, quandiu Judæis ad fidem conversis licuit illis uti.

Dices. Paulus circumcidit Timotheum, qui judæus erat ex genere materno, & circumcidere noluit Titum, qui erat ex omni parte gentilis; non nisi quia Timotheo licuit, Tito verò non licuit usurpare cœremonias legales. Ergo, &c. *R.* neg. min. Itaque Paulus Timotheum circumcidit, ut hoc facto ostenderet, se non improbare cœremonias legales, nec Judæos ad fidem conversos, ab earum observatione, ut falsus ferebat rumor, prohibere. Titum verò noluit circumcidere, ut Judæis enixè postulantibus ut Titus circumcideretur, ostenderet cœremoniarum legalium observationem ad salutem minimè necessariam esse.

DISPUTATIO IV.

De Lege Evangelica.

ARTICULUS I.

Utrùm Christus novam legem condiderit, & quotuplicia sint hujus legis præcepta.

NOta. Lutherus & Calvinus docuerunt, Christum munus obiisse redemptoris tantùm, non legislatoris, nec legem novam instituisse, sed solùm veterem abrogasse, nihilque aliud nunc ad salutem necessarium esse, quàm fidem, per quam liberamur ab omni lege. Hos errores damnat Tridentina Synodus sess. 6. can. 19. ubi dicitur: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem... anathema sit.* Et can. 21. ubi dicitur: *Si quis dixerit Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, anathema sit.* Secundùm hanc doctrinam, contra novatores, sit

Responsio I.

Christus non solùm legem veterem abrogavit, sed etiam novam condidit. Est de fide.

Prob. 1. ex Scriptura veteri. Nam Isaiæ c. 33. Christus promittitur non solùm ut salvator, sed etiam ut legislator: sic enim propheta loquitur de Messia: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Item promittitur lex nova, à Christo statuenda. Nam Isaias c. 2. sic ait: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quod de lege quam laturus erat Messias, intelligendum esse, manifestum est ex contextu.

Prob. 2. ex nova Scriptura, ex qua Christum potestate legislativa, sibi ut homini à Patre concessa, usum esse, veterem legem abrogasse, & novam instituisse, patet; sed in primis ex Matth. c. 5. infra citando, & 28. ubi sic Apostolos alloquitur Christus: *Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

Prob. 3. ratione theologica. Christus rex est Ecclesiæ: nam de illo dicitur Isaiæ c. 33. *Dominus rex noster.* Et Psalm. 2. *Ego autem constituus sum rex ab eo super Sion.* Et Luc. c. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ergo Christus dare debuit, & revera dedit leges Ecclesiæ. Cùm enim perfecta societas, sive civilis, sive ecclesiastica, utiliter administrari, & stabiliter conservari non possit sine legibus, & officium regis sit statuere ea, quæ ad regni sui, seu societatis perfectæ cui præest, bonum regimen & conservationem necessaria sunt; vel Christus dicendus est boni regis officium neglexisse, quod est impium; vel Ecclesiæ, quam instituit, leges convenientes dedisse.

Responsio II.

Nova lex à Christo lata continet præcepta moralia.

Prob. Præcepta moralia sunt ea, quæ pertinent ad fidem, spem, charitatem, & alias virtutes. Atqui nova lex ejusmodi præcepta continet. Nam Matth. c. 5. sic loquitur Christus: *Nolite putare quoniam veni solvere legem.... Non veni solvere legem.... Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Quibus verbis, ut patet ex subsequentibus, Christus loquitur de præceptis purè naturalibus, in decalogo contentis; quæ proinde hìc confirmat, sicut lege Mosaica fuerant confirmata.

Idem facit passim aliis locis. Sic Matth. c. 7. dicit: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quibus verbis comprehenduntur omnia officia erga proximum, lege naturali præscripta. Et Luc. c. 10. legisperito recitanti hæc Decalogi verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.... & proximum tuum sicut te ipsum*; respondet: *Hoc fac, & vives.* At verba illa totam legem naturalem continent. Unde Christus illa confirmando, totam legem naturalem confirmavit.

Præterea, disertis verbis præcipit fidem Matth. c. ult. cùm ait: *Qui non crediderit, condemnabitur*; & charitatem proximi Joan. c. 13. dicendo: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Usuram expressè prohibet Luc. c. 6. his verbis: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et Matth. c. 19. prohibet divortium, & libellum repudii, ipsumque irritat, cùm ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Igitur nova lex continet præcepta moralia, quorum alia sunt juris naturalis, ut præceptum amoris Dei & proximi, alia verò positiva divina, ut præceptum credendi fide explicita mysterium Trinitatis.

Responsio III.

Nova lex à Christo lata, continet etiam præcepta cœremonialia.

Prob. Nam præcepta cœremonialia dicuntur ea, quæ pertinent ad sacramenta, ad sacrificium, & ad cultum Dei externum. Atqui lex nova continet ejusmodi præcepta, ut patet ex illo Joan. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; quibus verbis præcipitur susceptio baptismi. Et illo ejusdem c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis*; quibus verbis præcipitur sumptio Eucharistiæ. Et illo ejusdem c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*; quibus verbis instituitur sacramentum pœnitentiæ, & præcipitur confessio mortalium post baptismum admissorum. Et ex illo Luc. c. 21. *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus verbis præcipitur oblatio sacrificii. Et ex illo Joan. c. 21. *Pasce oves meas*; quibus verbis summo Pontifici inter alia præcipitur, ut statuat ea quæ spectant ad cultum Dei. Ergo, &c.

Portò lex nova non habet præcepta judicialia, sicut habuit lex vetus, quia Christus non voluit per se ipsum dare præcepta, nisi ea quæ perpetuò stabilia & immutabilia esse expediebat, qualia sunt præcepta moralia & cœremonialia, quæ dedit. Cùm autem præcepta judicialia pro temporum & occasionum varietate sæpe mutari expediat, satius judicavit Apostolis, & eorum successoribus, atque in primis Petro & successoribus ejus, de ejusmodi præceptis statuendi arbitrium relinquere, necessariamque ad id jurisdictionem concedere, Matth. c. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* quæ verba pertinent ad omnes Apostolos, & eorum successores. Ejusd. c. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Et Joan. c. 21. *Pasce oves meas.* Quibus locis non solùm Petro Apostolorum principi, sed etiam successoribus ejus promittitur & conceditur publica potestas & jurisdictio in universam Ecclesiam.

Obj. 1. illud Rom. c. 3. *Ubi est ergo gloriatio tua?*

Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem fidei. Hic Apostolus legem Evangelicam vocat legem fidei, & eam opponit legi Mosaicæ, quam appellat legem factorum. Ergo secundùm Apostolum, lex Evangelica obligat tantùm ad credendum, juxta illud Matth. c. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

R. Ibi Apostolus per legem fidei, ipsam fidem intelligit, & per legem factorum, opera per legem Mosaicam præscripta, seu legales cœremonias; nec aliud docet, quàm hominem non per cœremoniarum illarum observationem, sed per fidem Christi justificationis gratiam consequi; supple, si modò non desint aliæ conditiones ad id requisitæ. Hanc esse mentem Apostoli patet ex verbis subsequentibus: *Arbitramur enim*, inquit, *justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* In verbis autem Christi Matth. c. ult. subintelligitur, si modò non desint aliæ conditiones, quæ ad salutem requiruntur, ut patet ex contextu: nam ibidem legitur: *Euntes docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.*

Obj. 2. illud Joan. c. 1. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Hic lex Evangelica vocatur gratia. At lex Evangelica in tantum vocatur gratia, seu lex gratiæ, in quantum vitam æternam promittit gratis, & sine conditione operum. Ergo, &c. *R.* Lex Evangelica vocatur gratia, seu lex gratiæ, quia ex propriis confert gratiam sanctificantem, & gratiæ actualis auxilia longè abundantiora, quàm darentur in lege veteri ob merita Christi futura.

Obj. 3. illud Rom. c. 8. *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Et illud Jacobi c. 1. *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, &c.* In hoc utroque textu agitur de lege Evangelica. Ergo lex Evangelica est lex libertatis, & liberat nos ab omni operum onere. *R. ad* 1. Per legem spiritus vitæ, Apostolus intelligit gratiam Christi, quæ per Spiritum vivificantem in cordibus nostris diffunditur, & qua à concupiscentiæ dominatu liberamur sic, quemadmodum ait Augustinus, ut licèt eam sentiamus, non tamen ei consentiamus.

R. ad 2. Lex Evangelica vocatur à Jacobo lex libertatis, vel quia liberat nos à jugo legis Mosaicæ, vel quia liberat nos per gratiam quam ex propriis dat, à reatu & dominatu concupiscentiæ; non verò quòd liberet nos ab omni præceptorum & operum onere, ut manifestum est ex ipso loco citato, ubi dicitur: *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

Obj. 4. illud Gal. c. 3. *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et illud 2. Cor. c. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Sed qui credunt, spiritu ducuntur, & habent spiritum Domini. Ergo liberi sunt ab omni legis præcipientis vel prohibentis onere. *R. ad* 1. Sensus est: Qui Spiritus Sancti sequuntur instinctum, & ita ex affectu justitiæ legem servant, non sunt sub lege terrente, premente, vindicante, sicut sunt ii, qui legem transgrediuntur, aut non eam servant, nisi ex metu serviliter servili. *R. ad* 2. Apostolus loquitur de libertate affectus, qua libertate fruuntur, qui legem observant ex amore justitiæ, & qua carent, qui non servant legem, nisi ex timore pœnæ, seu vindictæ.

Obj. 5. Lex nova Evangelium dicitur, quia vitam æternam promittit sub conditione solius fidei: cùm lex Mosaica non promiserit illam, nisi sub conditione observationis mandatorum. *R.* Lex Evangelica vocatur Evangelium, hoc est, bonum nuncium, quia peccatorum remissio, adoptio filiorum, corporum resurrectio, & beatitudo æterna in ea promittuntur.

ARTICULUS II.

Quandonam lex Evangelica cœperit obligare.

Responsio II.

Lex Evangelica non cœpit obligare per modum legis, nisi post sufficientem promulgationem.

Prob. Quia nulla lex, sive divina, sive humana, completam habet & integram vim obligandi per modum legis, nisi completum habeat & integrum esse legis, ut patet ex terminis. Atqui lex non habet completum & integrum esse legis sine sufficienti promulgatione: nam ut Disp. I. dictum est, promulgatio sufficiens est intrinsecum & essentiale legis complementum, legem perficiens in esse regulæ & mensuræ actuum humanorum, proportionatæ creaturæ intelligenti & liberæ. Ergo, &c.

Confirm. Quia sufficiens promulgatio est saltem conditio essentialiter requisita in omni lege, sive divina, sive humana, ad hoc ut subditi teneantur ad faciendum vel omittendum id quod præcipit vel prohibet. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam lex omnis est regula publica: est enim regula actuum communitati propter bonum commune præscripta ab eo qui communitatis curam habet. Atqui regula publica debet publicè proponi, ad hoc ut subditi teneantur illi se conformare: sicut regula privata debet saltem privatim applicari ad hoc ut privatus se conformare teneatur.

Corollarium I.

Lex Evangelica non obligavit per modum legis ante diem Pentecostes.

Prob. Cùm enim ante hunc diem non fuerit promulgata, ante hunc diem aut caruit intrinseco & essentiali complemento, sine quo tamen non potuit habere completum & intrinsecum esse legis, & sic non potuit habere completam & integram vim obligandi per modum legis; aut saltem caruit conditione essentialiter requisita ad hoc, ut vim quam habebat obligandi per modum legis, exerceret, & sic non obligavit, nec obligare potuit per modum legis.

Obj. 1. Ante illum diem multa fidei mysteria fuerunt sufficienter à Christo revelata cum obligatione credendi. Item ante illum diem Sacramenta fuerunt à Christo instituta, partim ante mortem, partim post resurrectionem. Item ante illum diem plurima præcepta moralia dedit Christus, ut patet ex Matth. c. 5. 6. & 7. & aliis locis.

R. Hæc omnia Christus fecit vel privatim, vel coram paucis: unde non habuerunt, nec habere potuerunt completum & integrum esse legis, & ita nec habuerunt nec habere potuerunt completam & integram vim obligandi communitatem; vel saltem defuit illis conditio ad obligandam communitatem essentialiter prærequisita, donec in die Pentecostes solemnis illorum promulgatio fieret in urbe Judæorum regia, præsentibus ex toto orbe Romano Judæis, qui ad festum paschale Hierosolymam confluxerant.

Obj. 2. Ante mortem Christi Judæi jam tenebantur credere illum esse Messiam, juxta illud Christi Joan. c. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* *R.* Ante mortem Christi, quòd Christus esset Messias, ad fidem obligabat, non per modum legis positivæ, sed per modum doctrinæ à Deo revelatæ, & ad credendum Judæis per signa & prodigia ab ipso Christo facta, sufficienter propositæ. Hoc ipso enim quòd hæc doctrina, ad salutem necessaria, Judæis erat proposita sufficienter ad credendum, ex ipsa rei natura, & consequenter jure naturali tenebantur credere.

Obj. 3. Christus ante mortem sacerdotibus præceptum celebrandi imposuit, ut patet ex Luc. c. 22. ubi Christus ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui hoc præceptum statim obligavit. Ergo, &c. *R.* Præceptum hoc tunc temporis non habuit rationem veræ legis, sed solum præcepti personalis, nec tunc communitatem aliquam perfectam obligavit, sed tantùm aliquas personas privatas, nempe Apostolos, qui-

quibus tunc privatim quidem, sed sufficienter ad obligandum à superiore intimatum est.

Obj. 4. Illud Joan. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; & illud ejusdem c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* obligarunt per modum legis ante mortem Christi. *R.* neg. Nam nequidem tunc obligarunt. Itaque illud, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* à Christo dictum est in ordine ad futuram promulgationem, & pro eo tempore, pro quo futura erat sufficiens promulgatio legis Evangelicæ; unde baptismus non fuit ad salutem necessarius ante Christi passionem, ut docet S. Thomas p. 3. q. 66. a. 2. ad 3. Idem dic de secundo textu: alioquin Eucharistia fuit necessaria, & de præcepto sumenda, antequam esset instituta; tunc enim Eucharistia fuit tantum promissa & prænunciata.

Corollarium II.

Lex Evangelica non statim & eodem tempore toto terrarum orbe obligavit per modum legis.

Prob. Non enim obligavit, aut potuit obligare per modum legis toto orbe terrarum, nisi postquam pro toto terrarum orbe facta est sufficiens illius promulgatio. Atqui sufficiens illius promulgatio pro toto terrarum orbe nec facta est, nec fieri potuit simul & eodem tempore, quo Hierosolymis facta est. Ergo lex Evangelica priùs per modum legis obligavit Hierosolymis, quàm in aliis mundi partibus, in quibus postea successivè obligavit per modum legis, prout ad illas sufficiens ejus promulgatio propagata est.

Obj. Quando Hierosolymis in die Pentecostes facta est solemnis promulgatio legis Evagelicæ, aderant Judæi & proselyti ex omni natione quæ sub cœlo est, ut Scriptura testatur. Ergo tunc facta est sufficiens legis Evangelicæ promulgatio pro toto terrarum orbe, & ita tunc lex Evangelica cœpit obligare per modum legis toto orbe terrarum.

R. neg. conseq. Nam 1. illud quod dicitur, Judæos & proselytos adfuisse ex omni natione quæ sub cœlo est moraliter sumi debet, & intelligendum est, Judæos & proselytos adfuisse ex multis nationibus, iis scilicet, quæ postea enumerantur.

2. Successione temporis opus fuit ut Judæi & proselyti illi ad nationes suas redirent, atque ea quæ audierant & viderant, suis annuntiarent, & annuntiando evulgarent.

3. Non omnes qui viderunt & audierunt, credidérunt, atque ita non omnes, quod viderunt, & audierunt, ut verum annuntiarunt. Qui verò credidérunt quod viderunt & audierunt, & ut verum annunrunt, non omnes sufficienter credibile fecerunt. Lex autem Evangelica non priùs obligavit, aut obligare potuit ad sui acceptationem, quàm sufficienter credibilis fieret. Unde Christus Marc. ult. cum Apostolis præcipit, ut toto terrarum orbe Evangelium prædicent, simul dat eis prædicationem suam variis signis & portentis confirmandi potestatem.

Per Judæos igitur proselytos, qui Hierosolymis aderant in die Pentecostes, solemnis Evangelicæ legis promulgatio tunc temporis facta, non fuit per reliquas orbis partes sufficienter propagata, quantùm scilicet necesse erat ut lex Evangelica ubique terrarum obligaret per modum legis, sed solùm per illos quasi strata via est Apostolis, brevi postea solemnem illam legis Evangelicæ promulgationem, Hierosolymis factam, per reliquas orbis partes sufficientissimè propagaturis prædicatione sua, signis innumeris confirmanda.

Corollarium III.

Lex Evangelica priùs obligavit Judæos, quàm gentiles.

Prob. Lex Evangelica priùs obligavit eos, quibus priùs facta est illius sufficiens promulgatio & intimatio. At qui lex Evangelica, priùs promulgata & intimata est Judæis, quàm gentilibus. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. Petrus Apostolus in die Pentecostes primum promulgans legem Evangelicam, solos Judæos alloquitur, Actor. cap. 2. *Vos estis*, inquit, *filii prophetarum, vobis est facta promissio, & filiis vestris.*

2. Intra aliquot annos, nempe usque ad conversionem Cornelii Centurionis, Apostoli solis Judæis & proselytis prædicabant, eosque solos ad baptismum admittebant. Unde cùm Petrus Cornelium baptizasset, & hanc fuisse Dei voluntatem probasset, mirati sunt fideles omnes, Judæi scilicet ad fidem conversi, & *glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam;* Actor. 11.

3. denique Christus Apostolis suis præceperat, ut priùs Judæis prædicarent, quàm gentilibus, & huic præcepto paruerunt Apostoli. Patet ex Actor. c. 13. ubi Paulus Judæos, qui Antiochiam Pisidiæ incolebant, sic alloquitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* Ergo, &c.

Obj. Matth. c. ult. Christus dicit: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* *R.* Christus his verbis præcepit quidem Apostolis, ut prædicarent etiam gentilibus, & sustulit prohibitionem factam Matth. c. 10. his verbis: *In viam gentium ne abieritis.* At hoc non prohibet, quin potuerit simul eis præcipere, ut priùs Judæis quàm gentilibus prædicarent; & re ipsa præcepisse, Apostolosque huic præcepto obediviſſe, habemus ex verbis Pauli laudatis.

Corollarium IV.

Lex Evangelica in universo terrarum orbe cœpit obligare per modum legis, ante mortem Apostolorum.

Prob. Quia ante mortem Apostolorum partim per Apostolos, partim per viros sanctos, ab eis in partem ministerii vocatos, lex Evangelica sufficienter promulgata est ad hoc ut universos homines per modum legis obligaret: ad hanc enim promulgationem satis fuit, ut intimaretur in multis & variis orbis terrarum partibus, unde ad alias orbis partes, quò non penetrarunt Apostoli, hujus intimationis fama humano modo pervenire posset, dareturque tempus sufficiens ad famam hanc ubique evulgandam quanquam non fuerit re ipsa evulgata, propter hominum negligentiam, aut malitiam. Ante mortem autem Apostolorum partim per ipsos Apostolos, partim per viros pios ab eis missos, lex Evangelica intimata est in multis & variis orbis terrarum religionibus, unde ad reliquos humano modo hujus intimationis fama pervadere potuit, sufficiensque ad hunc effectum tempus effluxit.

Obj. Multi sunt etiam nunc ethnici, qui de Evangelio nihil omninò audierunt. Ergo multi sunt etiam nunc ethnici, quos lex Evangelica non obligat. *R.* neg. conseq. Nam legis Evangelicæ promulgatio ad eorum regiones humanitùs etiam Apostolorum tempore pervadere potuit. Quòd si non pervasit, hoc hominum negligentiæ vel malitiæ imputandum est, non Christo legis Evangelicæ authori, qui legislatoris officio pleniſſimè satisfecit, per Apostolos suos Evangelium suum promulgando in tot & tam variis orbis partibus, ut inde ad reliquas hujus promulgationis fama constans absque miraculo perferri posset.

Ethnici igitur qui nihil unquam de Evangelio audierunt, etiam ab illo Apostolorum tempore, quo completa est sufficiens pro toto terrarum orbe promulgatio legis Evangelicæ, verè obligantur lege Evangelica; quamvis contra illam non peccent imputabiliter propter ignorantiam invincibilem & inculpabilem, qua laborant. Dico, contra illam: nam cùm transgrediuntur præcepta moralia juris naturalis, legé Evangelicâ confirmata, peccant imputabiliter, quia tunc peccant non solùm contra legem Evangelicam, sed etiam contra legem naturalem, qua tenentur, & quam quoad illa præcepta, aut omninò non ignorant, aut non nisi culpabiliter ignorant.

Meritò igitur condemnabuntur propter mortales legis naturalis transgressiones.

ARTICULUS III.

Utrùm lex Evangelica à Mosaica differat quoad modum promulgationis, & quoad vim justificandi.

Responsio I.

Lex Evangelica a Mosaica differt quoad modum promulgationis, in quantum lex Mosaica scripto tradita fuit in tabulis lapideis: Evangelica verò non fuit per se primò scripta, sed viva voce exteriùs intimata, & interiùs per abundantem Spiritus Sancti gratiam altè insculpta cordibus hominum.

Prob. 1. ex Scriptura veteri. Nam Hier. c. 3. Deus de lege Evangelica loquens, sic ait: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam*, 2. Ex Scriptura nova. Nam 2. Cor. c. 3. sic fideles Corinthios alloquitur Apostolus: *Epistola estis Christi* (hoc est, legem Christi & doctrinam ejus continens,) *ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. 3. S. Augustino lib. de spiritu & litt. c. 17. ubi sic ait: *Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi lex extrinsecùs posita est, qua injusti terrerentur; hic intrinsecus data est, qua justificarentur*. Idem docet S. Thomas hic q. 106. a. 2. ad 3. 4. Ratione. Quia lex Evangelica non nisi post aliquot annos ab ejus solemni promulgatione, Hierosolymis facta, scripto tradita fuit a canonicis authoribus, & quidem ex occasione tantùm vel docendi fideles, ut patet ex epistolis B. Pauli & aliis canonicis; vel ad obsequendum precibus & devotioni fidelium, vitam Christi & ejus doctrinam scripto mandari cupientium, ex qua intentione Marcus & Matthæus Evangelium suum scripserunt: vel ad fabulosos scriptores refellendos, quem ob finem Evangelium suum & Acta Apostolorum scripsit Lucas; vel denique ad occurrendum hæreticorum erroribus, ut patet ex Joanne, qui, rogantibus Asiæ episcopis, Evangelium suum scripsit contra hæreticos Christi divinitatem impugnantes: cùm è contra lex Mosaica scripto tradita sit ex professo, partim digito Dei, hoc est, ministerio Angelorum partim a Mose. Ergo, &c.

Obj. Utraque lex fuit scripta in cordibus hominum per Spiritus sancti gratiam: nam certè gratia Spiritus sancti non defuit Judæis, ut possent intelligere & observare legem Mosaicam, quæ præcipiebat multa supernaturalia; quæ proinde absque gratia exequi non poterant Judæi.

R. Lex Evangelica præ lege Mosaica rectè dicitur scripta fuisse in cordibus hominum per Spiritus sancti gratiam; quia viva voce solemniter promulgata est cum tanta gratiæ abundantia; ut vi hujus abundantiæ integra & incorrupta sine scripto usque ad finem mundi conservari potuerit. Lex autem Mosaica data non est cum illa gratiarum abundantia. Unde quamvis non defuerint Judæis auxilia gratiæ, quibuscum legem Mosaicam intelligere & observare possent, juxta illud Deut. c. 30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, &c.* non potest tamen lex Mosaica dici simpliciter scripta in cordibus hominum.

Responsio II.

Lex Evangelica vim habet justificandi, & in hoc differt a lege Mosaica.

Prob. 1. pars. Nam dicitur Rom. c. 1. *Non erubesco Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* At si Evangelium virtus est in salutem, est etiam virtus in justificationem: salus enim non est, nisi justificatorum. Ita ratiocinatur S. Thomas hic q. 106. a. 2. in Sed contra. Item 1. Cor. c. 15. Apostolus sic ait: *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis . . . per quod & salvamini*. Salvantur autem homines per Evangelium, quatenùs per illud justificantur. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Lex enim Mosaica vim justificandi non habuit: dicitur enim Gal. c. 2. v. 12. *Si enim per legem esset justitia, ergo gratis Christus mortuus est*. Et v. 16. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro*. Et c. 3. *In lege nemo justificatur apud Deum*. Et Hebr. c. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit*. Infirmitas autem & inutilitas, propter quam lex Mosaica a Deo abrogata est & repudiata, in eo consistebat, juxta Apostolum, quod peccatores justificare non posset; & nomine perfectionis hic intelligit Apostolus veram justitiam, quæ reddit hominem Deo gratum & acceptum.

Igitur ex Apostolo lex Mosaica non habuit vim justificandi, sed solùm potestatem habuit conferendi legalem quandam & cœremonialem justitiam, & tollendi legalem immunditiam, hoc est conferendi habilitatem, & tollendi inhabilitatem quandam legalem ad cultum Dei externum, juxta illud Hebr. c. 9. *Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, hoc est, ad emundationem carnalem, quæ figura fuit emundationis spiritus, seu spiritualis, quam conferre potest lex nova, & quæ consistit in emundatione interna animæ, id est, in peccatorum remissione, facta per sanctificantem gratiam, animæ per Spiritum sanctum infusam. Rectè igitur ait S. Augustinus lib. de spir. & litt. c. 7. loquens de discrimine legis Mosaicæ & Evangelicæ: *Ibi lex extrinsecùs posita est, qua injusti terrerentur; hic intrinsecus data est, qua justificarentur*.

Prob. 2. utraque pars responsionis. Illa lex bene dicitur habere vim justificandi, in qua sunt Sacramenta, gratiam sanctificantem ex opere operato conferentia. Atqui in lege Evangelica sunt Sacramenta, qui ritè ea suscipientibus gratiam sanctificantem ex opere operato conferunt. Ergo, &c. Minor est de fide, & suo loco probabitur.

Prob. maj. Nam institutio Sacramentorum est pars legis illius, in qua sunt illa Sacramenta: lex enim non solùm est præceptiva, aut prohibitiva, sed etiam aliter constitutiva. Ergo Sacramenta quæ sunt in aliqua lege, pertinent ad illam, ut quædam ejus instrumenta, & consequenter rectè censetur per illa operari, quidquid operantur; proindeque si producunt gratiam, rectè censetur producere gratiam per illa, velut instrumenta sua, producendi gratiam vim habere, Ergo, &c.

Simile argumentum sumitur ex Sacrificio Missæ in hunc modum. Illa lex rectè dicitur habere vim justificandi, in qua sacrificium est, conferens ex opere operato gratias actuales, quibuscum, qui injusti sunt, sese ad primam justificationem disponere possunt, & qui jam sunt justi, possunt augere justitiam suam. Atqui in lege Evangelica est tale sacrificium, nempe Sacrificium Missæ, ut suo loco ostendetur. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam sacrificii institutio est ex parte lex illa, in qua est illud sacrificium. Ergo sacrificium, quod est in aliqua lege, ad illam, ut quoddam illius instrumentum morale pertinet, & consequenter rectè censetur lex sacrificium quod in ea est, velut per instrumentum suum morale operari quidquid sacrificium illud operatur, proindeque conferre gratiam, si sacrificium illud gratiam confert.

Jam verò quòd lex Mosaica nullam vim justificandi habuerit, a contrario sic ostenditur. Lex illa nullam vim habuit justificandi, cujus sacramenta & sacrificia nullam vim habuerunt conferendi ex opere operato, sive gratias actuales, quibuscum homo se ipsum disponere potest ad justificationem, si impius est & injustus, vel majorem justitiam consequi, si jam pius est & justus; sive gratiam sanctificantem, qua homo formaliter justus aut justior efficitur. Atqui sacramenta & sacrificia legis Mosaicæ nullam vim habuerunt, &c. Unde ab Apostolo vocantur infirma & egena elementa. Ergo lex Mosaica nulla habuit vim justificandi.

Neque

Neque dici potest, quod lex Mosaica justificandi vim habuerit, qua præceptiva aut prohibitiva fuit: nam sub hac ratione non magis habuit vim justificandi, quàm habeat nunc lex Evangelica. At lex Evangelica non habet vim justificandi, quà præceptiva vel prohibitiva, ut rectè docet S. Thomas hìc q. 106. a. 2. in O. Imò de utraque lege, qua præceptiva vel prohibitiva præcisè, æquè intelligi debet illud Apostoli 2. Cor. c. 3. *Littera occidit*, occasionaliter scilicet, nisi adsit interior gratia fidei sanans.

Lex igitur Evangelica ratione sui status, in quo præsentem habet Christum auctorem ipsius & institutorem, propter merita ipsius jam exhibita, & prætium ab eo pro redemptione nostra persolutum, in ordine ad justificationem & salutem nostram, prærogativam aliqua, qua leges anteriores, nempe lex naturæ & Mosaica caruerunt, accipere debuit, & re vera accepit in sacrificii sui & sacramentorum suorum institutione, tanquam instrumentorum moralium, quibus justificationem & salutem nostram operatur, per illa Deum determinando ad dandam gratiam propter merita Christi, ad ipsam modo quodam specialissimo ob ipsiusmet Christi dispositionem pertinentia.

Dices. Imò lex Evangelica & Mosaica in hoc differunt, quod in hac nulli in filios Dei adoptarentur, & nulli gratiam interiorem acciperent. *R.* hoc manifestè repugnare Apostolo, dicenti de Judæis Rom. cap. 3. *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio*; & toto cap. 11. ad Hebr. Itaque aliud est aliquos in lege veteri justificatos fuisse, & aliud justificatos fuisse vi legis veteris: hoc falsum est, illud indubitatum. Item aliud est homines in lege veteri accepisse gratiam interiorem, necessariam ad servanda mandata divina; aliud accepisse vi legis veteris. Primum verum est, secundum falsum.

ARTICULUS IV.

Utrum per legem Evangelicam fideles eximantur ab obligatione mandatorum divinorum & humanorum.

Responsio I.

Lex Evangelica non eximit fideles ab obligatione mandatorum divinorum. Est contra Lutherum.

Prob. 1. ex Scriptura. Christus enim ait Matth. c. 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*. Et c. 25. *Ite maledicti in ignem æternum..., esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Quibus verbis & subsequentibus declarat, reprobos in æternum esse damnandos propter mandatorum divinorum transgressionem. Et c. ult. *Euntes, docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis*. At cur Apostolis suis præciperet Christus, ut gentes omnes docerent mandata divina, si mandatorum divinorum observatio ad salutem necessaria non esset gentibus ad fidem conversis, solaque fides illis sufficeret.

Prob. 2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 20. ubi dicitur: *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum, anathema sit*. Ratio autem manifesta est, quia impium est dicere, quòd Christus venerit, ut per legem Evangelicam vitiis omnibus aperiret januam, homines liberando à jugo mandatorum divinorum, & scelerum omnium impunitatem promitteret iis, qui hanc impunitatem propter ejus merita sibi concedendam crederent & confiderent.

Responsio II.

Lex Evangelica non liberat fideles ab obligatione legum humanarum. Est contra Lutherum.

Prob. 1. De legibus Ecclesiasticis, quòd lex Evangelica non liberet ab earum observatione. Nam Luc. c. 10. Christus sic alloquitur Apostolos, & in Apostolorum persona prælatos ecclesiasticos eorum successores: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*. Et Matth. c. 18. *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* Denique Joan. c. 21. ad Petrum & ejus successores hæc verba dirigit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. Quibus locis Christus Vicario suo in terris, & aliis Ecclesiæ Prælatis concedit potestatem condendi leges, quibus fideles obedire teneantur; ita ut si eas non observent, non solùm hominibus, sed etiam ipsimet Christo inobedientes esse, nec tam Ecclesiæ principes, si eorum mandata spernant, quàm ipsum Christum spernere censeantur. Ergo, &c.

Prob. 2. de legibus civilibus, quòd lex Evangelica ab earum observatione non eximat fideles. Nam Apostolus Rom. c. 13. loquens de civili potestate, sic ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo; ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitas subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Hæc autem verba ad fideles dirigit Apostolus, & disertè asserit subditos teneri in conscientia ad servandas leges Principum sæcularium, easque transgrediendo, in re scilicet gravi, damnationem sibi acquirere, hoc est, incurrere reatum damnationis æternæ, qui reatus non potest esse sine reatu culpæ gravis, sicut nec reatus culpæ gravis sine gravi obligatione in conscientia, qua, qui legem superioris transgreditur, tenetur eam servare. Idem docet Petrus Apostolus epist. 1. c. 2.

Ratio pro utraque parte est, quia lex Evangelica neque prælatos ecclesiasticos, neque principes sæculares privat jurisdictione sua. Imò institutio jurisdictionis ecclesiasticæ, & potestatis ferendi leges ecclesiasticas, est pars legis Evangelicæ; & quamvis jurisdictionis civilis, & potestatis ferendi leges civiles institutio non pertineat ad legem Evangelicam, per illam tamen commendatur, & laudatur, ut divina saltem in radice, in quantum est saltem mediatè à Deo, qui communitatibus præfectis, quibus ipse per se non dedit Principes, jus dedit in unum vel plures conferendi authoritatem publicam, & potestatem condendi leges civiles, sinè quibus nec utiliter administrari, nec stabiliter conservari potest communitas perfecta.

Obj. 1. Christus Luc. cap. 22. ait: *Reges gentium dominantur eorum... vos autem non sic*. Et Matth. cap. 17. *Ergo liberi sunt filii. Resp. ad* 1. Christus ibi tantùm monet discipulos suos ne dominatum ambiant; & si cogantur præesse, ne præsint tanquam domini, sed potiùs tanquam ministri, & eorum quibus præsunt, servi; nimirùm ut subditos suos mansuetudine sua sibi devinciant, eisque humilitatis, modestiæ, subjectionis animi, charitatis, aliarumque virtutum christianarum exempla præbeant, sicut præbuit ipse Christus, qui unus omnium Dominus & Magister est. *R. ad* 2. Christus his verbis tantùm significat se, utpotè Filium naturalem Dei, qui Rex regnum est, & Dominus dominantium, liberum esse à solvendo tributo quod tunc exigebatur.

Obj. 2. Apostolus dicit Rom. c. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia*. Et Gal. cap. 2. *Subintroierunt* (falsi fratres) *explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent*. Et 2. Cor. c. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Et 1. ad Timoth. c. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis*, Et illud 1. Cor. c. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*.

R. ad 1. Apostolus loquitur de lege Mosaica, quam dicit abolitam esse per legem Evangelicam, quam vocat gratiam, hoc est, legem gratiæ, propter gratiarum abundantiam quam habet, & quam non habuit lex Mosaica. *R. ad* 2. Apostolus loquitur de servitute legis Mosaicæ, in quam Galatas redigere

volebant aliqui falsi fratres, prædicantes illis circumcisionem ad salutem necessariam esse, & ita inducentes illos ad circumcidendum se, & circumcidendo se, totum in se Mosaicæ legis onus suscipiendum. *R. ad* 3. Apostolus loquitur de libertate à mentis ebetudine, ignorantia & cœcitate. *R. ad* 4. Sensus Apostoli est, quòd lex posita sit ad coercendos, & pœnis terrendos injustos, non verò justos, qui sponte & ex amore justitiæ legem observant. *R. ad* 5. Fideles hortatur Apostolus, ne se ita hominibus mancipent, ut eis serviendo, obsequium Dei negligant.

ARTICULUS V.

Utrùm leges divinæ positivæ cadere possint sub dispensationem divinam, vel humanam.

Responsio I.

Leges divinæ positivæ cadere possunt sub dispensationem divinam.

Prob. Nam Deus potuit neque Mosaicam, neque Evangelicam legem ferre: fuit enim in utraque ferenda liberrimus, & potuit esse contentus sola lege naturali. Item legem Mosaicam pro tota gente Judaica latam potuit postea restringere ad unam vel alteram tribum: imò potuit totam abrogare, & pro omnibus Judæis, & re vera abrogavit. Item legem Evangelicam, pro universo terrarum orbe latam, posset ad unam vel alteram orbis partem restringere; cùm potuerit illam pro una tantùm vel altera orbis parte, aut etiam pro paucioribus hominibus statuere. Item posset, si vellet, illam totam abrogare: tam enim liberè vult illam permanere, quàm liberè voluit esse. Ergo à fortiori potuit in lege Mosaica, & nunc potest in lege Evangelica propriè dispensare: cùm propriè dispensare, nihil aliud sit, quàm legem restringere & abrogare ex parte.

Obj. Si Deus potest propriè dispensare in lege Evangelica, potest hominem absolvere ab obligatione amandi Deum, Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam non potest hominem absolvere ab obligatione amandi Deum, orta ex lege divina naturali, & fundata in ipsa rerum natura, & exigentia: lex enim divina naturalis, qua amor Dei præcipitur, omninò necessaria est ex hypothesi creaturæ rationalis existentis, & tam necessaria, quàm ipsa rerum natura & exigentia.

Nota. Præcepta legis Evangelicæ duplicis generis sunt, ut jam constat ex dictis superiùs, videlicet præcepta formaliter quidem positiva, sed naturalia materialiter, quibus nempe statuuntur & confirmantur ea quæ sunt juris naturalis; & præcepta non solùm formaliter, sed etiam materialiter positiva, quibus nempe statuuntur aliqua, quæ non sunt juris naturalis, hoc est, jure naturali præcepta, vel prohibita. Deus autem dispensando in præceptis primi generis, tolleret quidem obligationem ortam ex lege Evangelica, at non tolleret omnem: maneret enim adhuc, & necessariò maneret obligatio orta ex lege naturali. At dispensando in præceptis secundi generis, Deus tolleret omnem obligationem, quia ex illis solis oritur obligatio, aut si etiam aliunde oriretur, certè ex aliqua lege humana, cui derogaret dispensatio à Deo facta.

Responsio II.

Lex positiva divina, putà Evangelica, non cadit sub dispensationem humanam.

Prob. Nam nulla humana potestas est, sive ecclesiastica, sive civilis, quæ obligationem lege Evangelica impositam relaxare possit. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Hoc non potest authoritate propria, quia authoritas inferior superiori prævalere non potest. 2. Hoc non potest ex commissione, quia commissio hujusmodi nulli potestati creatæ data est, ut patebit ex objectionum solutione, & nunc sic ostenditur. In lege Evangelica præter præcepta moralia, præceptorum naturalium confirmativa, sunt tantùm alia pauca, purè positiva. At 1. nemo dicet, quòd facultas aliquibus hominibus data sit dispensandi in præceptis moralibus. 2. Dici non potest, quod aliquibus hominibus data sit facultas dispensandi in præceptis purè positivis: nam præcepta puræ positiva legis Evangelicæ pertinent ad fidem, sacramenta & sacrificium, quæ sunt religionis nostræ fundamenta. Unde præcepta illa sunt fundamentalia, proindeque debent esse prorsus invariabilia, & ab hominibus indispensabilia.

Obj 1. Illud Matth. c. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Quæ verba generaliter dicta Petro & aliis Apostolis, nihil excipiunt. *R.* Hæc verba sunt quidem generaliter dicta, attamen cum aliqua restrictione necessariò intelligenda sunt: alioquin Apostolorum Successores possent omnia solvere, sacramentorum substantiam mutare vel tollere, mutare vel tollere sacrificium, matrimonium ratum & consummatum dissolvere, &c. quæ omnia sunt falsa & absurda.

Quantam autem latitudinem verba illa habere debeant, ex perpetuo usu Ecclesiæ colligi debet, & ex constanti fidelium sensu, ea quæ à Christo circa obligationem credendi, sacramenta, & sacrificium determinata fuerunt, perpetua & invariabilia esse debere existimantium; quia ipsa Ecclesia perpetua esse debet, & eadem substantialiter usque ad finem mundi ubique permanere.

Obj. 2. Pontifex dispensat in votis & juramentis, & tamen obligatio votorum & juramentorum est juris divini positivi. Ergo Pontifex dispensat in jure positivo divino. *R.* neg. Pontificem dispensare propriè in lege positiva divina, dispensando in votis & juramentis: nam propriè dispensare in lege, est eximere aliquem ab obligatione legis, manentibus omnibus circumstantiis in quibus lex obligat. At hoc non facit Pontifex, dispensando in votis & juramentis. Eatenùs enim in votis & juramentis dispensat, quatenùs vel authenticè declarat votum aut juramentum non obligare in talibus circumstantiis, quia non est gratum Deo, aut, omnibus expensis, non est de meliori: vel quatenùs vice Dei cujus est Vicarius, relaxat promissionem Deo factam, & relaxat in eo casu, in quo sine hac relaxatione votum aut juramentum obligaret.

In neutro autem hoc modo dispensandi in votis & juramentis, Pontifex eximit hominem ab obligatione legis, manentibus circumstantiis in quibus lex positiva divina obligat. Non in primo: nam in eo tantùm declarat legem positivam divinam ad nihil obligare in talibus circumstantiis, declarando votum aut juramentum in talibus circumstantiis non valere. Non etiam in secundo: nam in eo tantùm subtrahit materiam obligationi legis positivæ divinæ, quæ non obligat ad reddendum Deo quod ei promissum est, nisi quandiu vel per se, vel per Vicarium suum, promissioni non renunciavit. Unde Pontifex vice Dei renunciando promissioni, non relaxat obligationem legis positivæ divinæ in ea circumstantia in qua obligat, sed solùm hanc circumstantiam tollit, & aliam ponit, in qua nunquam obligavit lex positiva divina.

Obj. 3. Pontifex dissolvit matrimonium ratum, non consummatum, quod tamen jure positivo divino indissolubile est, juxta illud Christi: *Quod Deus conjunxit homo non separet*, Matth. c. 19. Ergo, &c. *R.* Neg. matrimonium ratum, non consummatum, esse planè indissolubile jure positivo divino; & dico verba Christi laudata, intelligenda esse de matrimonio consummato, per quod conjuges fiunt una caro, & quod proinde Christus voluit esse planè indissolubile in lege Evangelica. Unde in eo dispensare nulla potest authoritas humana.

Obj. 4. Juris positivi divini est, ut solus Episcopus administrare possit Sacramentum Confirmationis. Atqui tamen aliquando summi Pontifices cum simplici sacerdote dispensarunt, ut Sacramentum illud ministrare posset, ut patet ex Conc. Flor. in decreto

Euge-

Eugenii, §. *Secundum sacramentum*, ubi Eugenius, postquam declaravit ordinarium confirmationis ministrum esse Episcopum, sic prosequitur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*. Ergo, &c.

R. neg. min. Nempe quòd summi Pontifices aliquando propriè dispensarint cum simplici sacerdote ut ministrare posset Sacramentum Confirmationis, propriè dispensando cum illo in lege & institutione Christi; sed solùm hanc legem & institutionem interpretari sunt authenticè, & authenticè judicarunt Christum sic voluisse, ut ordinarius minister Confirmationis esset Episcopus, ut extraordinarius posset esse simplex sacerdos ex commissione summi Pontificis, & ex rationabili ac urgente admodum causa. Hanc autem authenticam legis & institutionis Christi interpretationem Eugenius dispensationem nominat, impropriè sumpto nomine dispensationis.

Obj. 5. Possunt contingere casus, in quibus legis alicujus positivæ divinæ observatio majus nocumentum afferret, vel impediret majus bonum. Ergo necessaria est potestas dispensandi in legibus positivis divinis pro aliquibus casibus, ac proinde credendum est à Christo Ecclesiæ concessam esse potestatem, ut ad eam fideles recurrere possent.

R. si qui sunt casus, in quibus lex positiva divina, si observaretur, impediret majus bonum, aut majus nocumentum afferret, in iis casibus legem illam non obligare; quia Deus illam ferendo, nolluit in illa casus illos comprehendere, sed contraria voluit illos excipere. Unde necesse non fuit ut Christus Ecclesiæ daret facultatem dispensandi propriè in lege quam tulit, sed sufficit ut ei facultatem illam interpretandi, & germanum ejus sensum authenticè assignandi dederit, & dedisse non negamus, sed asserimus. Hanc autem facultatem latè & impropriè potestatem dispensandi in lege positiva divina nominari, nihil vetat.

ARTICULUS VI.

Utrùm legum positivarum divinarum interpretatio cadat sub potestatem humanam.

Responsio.

LEgum divinarum positivarum interpretatio cadit sub potestatem humanam.

Prob. 1. de lege veteri. Nam 1. David lib. 1. Regum cap. 23. legem divinam de non edendis panibus propositionis, nisi à sacerdotibus, interpretatus est non obligare in casu necessitatis, in quo versabatur. 2. Discipuli Christi Matth. c. 12. legem divinam de non providendis sibi cibis in die Sabbati interpretati sunt non obligare ad non vellendum spicas, quibus famem suam levarent. Utramque autem interpretationem, & utrumque factum approbat Christus ipse, loco Matthæi laudato. Ergo, &c.

Prob. 2. de lege nova. Nam 1. Doctores passim illam interpretantur, nec tamen dicuntur arrogare sibi aliquid, quod non possint. 2. Ecclesia illam interpretatur, ut patet ex dictis superius. At quis dixerit Ecclesiam sibi arrogare potestatem aliquam, quam non habet? Hoc autem discrimen inter Doctorum & Ecclesiæ interpretationem interest, quòd hæc authentica, illa verò doctrinalis tantùm sit.

Ratio à priori pro utraque parte est, quòd Deus in ferendis legibus positivis, ut se hominibus accommodet, loquatur generaliter, ne leges extendantur in immensum, ac verborum multitudine importunæ sint; & ita non exprimat multos casus excipiendos, & quos revera vult excipi. Atqui leges sic latæ per verba generalia, non expressis multis casibus excipiendis, & quos re ipsa legislator vult excipi, in multis casibus interpretatione indigent. Ergo leges positivæ divinæ multoties indigent interpretatione, proindeque Deum illas interpretandi facultatem hominibus dedisse, pro certo statuendum est.

Obj. 1. Si ita est, leges positivæ divinæ indigent epykia. Falsum cons. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam contra legum divinarum perfectionem est, quòd indigeant moderatione & correctione. *R.* Interpretatio legum positivarum divinarum, quæ scilicet fit ex æquitate & benignitate, potest vocari epykia, non quòd sit exceptio casus, quem Deus non prævidit, aut restrictio legum divinarum contra sensum quem Deus expressè intenderit: nulli enim in legibus divinis excipi possunt casus, quos non prævidit Deus; nec metuendum est, ne aliquando leges divinæ injustæ sint, si semper retineatur sensus quem Deus in illis ferendis intendit: sed quia est moderatio & correctio legum divinarum præcisè secundùm verba generalia, quibus latæ sunt.

Hæc autem moderatio, seu correctio, necessaria in legibus omnibus quæ feruntur per verba generalia, non officit perfectioni legum divinarum magis, quàm quòd per verba generalia ferantur. At non est contra legum divinarum perfectionem, quòd ferantur per verba generalia. Deus enim in ferendis legibus suis convenienter verbis generalibus utitur, ut humano loquendi modo se accommodet, & alia vitet incommoda, ut nimiam verborum multitudinem, & importunam legum prolixitatem. Cùm igitur legum divinarum perfectioni non repugnet, quòd Deus illas ferendo non exprimat multos casus excipiendos, quos ipse prævidit, & vult excipi; legum divinarum perfectioni non repugnat, quòd sic ferantur, ut indigeant aliqua moderatione & correctione, & pati possint aliquam restrictionem & exceptionem, quàm Deus prævidit, & vult fieri.

Obj. 2. Dici non potest, quandonam ad Ecclesiæ interpretationem recurrendum sit, vel non sit. *R.* neg. Nam non est opus ad Ecclesiam recurrere, quando una lex sufficienter explicatur, vel restringitur per aliam legem; item quando evidentia facti vel necessitatis ostendit Deum nolle obligare in tali casu, ut patet ex Davidis & Apostolorum exemplo supra allegato. Nam, ut dicit S. Thomas 2.2. q. 120. a 1. ad 3. *in manifestis non est opus interpretatione, sed executione.*

DISPUTATIO V.

De Lege humana.

ARTICULUS I.

Utrùm Prælati Ecclesiastici leges Ecclesiasticas, & Principes sæculares leges civiles condendi potestatem habeant.

Responsio I.

PRælati Ecclesiastici potestatem habent condendi leges ecclesiasticas. Est contra multos hæreticos.

Prob. 1. Prælati Ecclesiæ à Christo acceperunt potestatem regendi subditos. Ergo ab eo acceperunt potestatem condendi leges, quibus eos regere possint, & quibus eorum subditi, ut regantur, tenentur obedire. Conseq. patet. *Prob. ant.* 1. pro Summo Pontifice. Nam Christus Matth. c. 16. dicit Petro successoribus ejus: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et Joannis c. 21. quod loco Matth. laudato, Petro & successoribus ejus promiserat, concedit his verbis: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.*

Prob. ant. 2. pro reliquis Apostolis, & eorum successoribus Episcopis. Nam Christus Matth. c. 18. ad illos hæc verba dirigit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et quod his verbis promittit Apostolis & successoribus eorum, dat, Joan. c. 20. cùm ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hinc Paulus Episcopos Asiæ, qui, eo jubente, Ephesi convenerant, sic alloquitur: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus*

posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

Obj. 1. Deus in veteri testamento prohibuit, ne quid ad præcepta sua adderetur, juxta illud Deut. c. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Idem prohibet in novo testamento, juxta illud Matth. c. ult. *Docete omnes gentes . . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Præterea, Christus Marc. 7. damnat humana præcepta. *In vanum*, inquit, *me colunt, docentes præcepta hominum.*

R. ad 1. neg. Nam loco citato Deus loquitur de præceptis cœremonialibus, & Judæis prohibet, ne ad ea aliquid ex gentilium ritibus superaddant. *R. ad* 2. etiam neg. Locus autem citatus pro nobis est. Cùm enim Christus antea Luc. c. 10. dicendo Apostolis suis, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, significaverit velle se ut fideles Prælatis Ecclesiasticis obtemperent, postea quando Apostolis præcipit ut gentes doceant servare omnia quæcumque ipse mandavit, præcipit, ut gentes doceant, obtemperandum esse Prælatis Ecclesiasticis, & hanc esse voluntatem ejus, ut quicumque fidei jugum subeunt, Prælatorum Ecclesiasticorum legibus sese subjiciant. *R. ad* 3. Christus damnat præcepta quædam hominum injusta, vel inutilia, quæ tamen Pharisæi legi divinæ anteponebant.

Obj. 2. Augustinus epist. 119. ad Januarium, damnat leges Ecclesiasticas. *R.* neg. Itaque hoc loco S. Augustinus damnat, non leges Ecclesiasticas, sed abusus quosdam, qui contra communem Ecclesiæ consuetudinem irrepserant. Postquam enim de his abusibus conquestus est, sic ait: *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in consiliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo.*

Vides S. Doctorem hìc solùm damnare praxes quasdam inutiles, superstitionem redolentes, in quibusdam tantùm locis usitatas, sine sufficienti authoritate introductas, quarum rationabilis causa vix aut nunquam inveniri potest, & quæ tamen à certis hominibus tanti fiunt, ut *multa, quæ in divinis libris saluberrimè præcepta sunt, minus curentur, & gravius corripiantur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerint, quam qui mentem vinolentia sepelierint.* Leges autem ab Episcoporum conciliis latas, non modò non rejicit, sed ab omnibus servandas esse expressè asserit, ut patet ex loco laudato.

Obj. 3. Lex Evangelica sufficit ad salutem. Ergo frustrà conderentur aliæ leges ab hominibus. *R.* neg. conseq. Nam lex Evangelica ad salutem sufficit in eo sensu, quòd ut quis salutem consequatur, satis sit, si servet totam legem Evangelicam. At totam legem Evangelicam non servat, qui non obedit legibus Prælatorum Ecclesiasticorum: nam lex Evangelica commendat illorum authoritatem, & subditos jubet illis obtemperare.

Obj. 4. Si Christiani tenerentur legibus Ecclesiasticis, conditio Christianorum durior esset, quàm fuerit conditio Judæorum: nam multò plures & difficiliores sunt leges Ecclesiasticæ, quàm fuerint leges Mosaicæ. Consequens contradicit Christo dicenti: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. *Ad prob. R.* 1. Leges Ecclesiasticæ, quibus obligantur omnes Christiani, sunt numero paucæ: vix enim sunt quatuor, aut quinque, de servandis scilicèt jejuniis, festis, Confessione annua, & Communione paschali: cùm è contra leges Mosaicæ, quæ Judæos omnes obligabant, plurimæ fuerint. 2. Paucæ illæ leges Ecclesiasticæ, quæ Christianos omnes obligant, sunt tantùm quædam determinationes legum divinarum, quibus nullam difficultatem superaddunt: nam legibus divinis tenemur ad aliquando jejunandum, confitendum, communicandum, & abstinendum ab operibus servilibus; & dictæ leges Ecclesiasticæ tantùm determinant tempus quo hæc sunt præstanda.

Christus autem cùm ait: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; per hæc verba intendit potissimùm significare magnam gratiæ abundantiam, quam Christiani ad servandam legem Evangelicam accipiunt, & qua Judæi caruerunt, saltem communiter. Melior igitur est Christianorum conditio, quàm fuit conditio Judæorum: quantùmvis Prælati Ecclesiastici potestatem acceperint à Christo condendi leges, quibus fideles obligentur, & hac potestate hactenùs usi fuerint. Sed

Nota obiter. Triplex est potestas in Prælatis Ecclesiasticis; potestas ordinis, potestas jurisdictionis interioris, & potestas jurisdictionis exterioris. Prima est potestas conficiendi & ministrandi Sacramenta. Secunda est potestas regendi Christianos in foro conscientiæ, absolvendo scilicèt, vel ligando. Tertia denique est potestas regendi eosdem Christianos in foro externo, leges condendo, cognoscendo causas, & lites dirimendo, &c.

Responsio II.

Principes sæculares potestatem habent condendi leges civiles. Est contra Valdenses, Anabaptistas, &c.

Prob. 1. ex Scriptura: nam expressè præcipit Christianis, ut legibus Principum sæcularium obsequantur. Atqui hoc non faceret, si Principes sæculares potestatem non haberent condendi leges, nec legibus suis obligare subditos suos possent, ut per se manifestum est. Ergo, &c. *Prob. maj.* 1. ex epist. ad Rom. c. 13. ubi sic loquitur Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit . . Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* 2. Ex epist. 1. Petri c. 2. ubi dicitur: *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam à Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Ergo, &c.

Prob. 2. Quia Principes sæculares potestatem habent regendi subditos suos in rebus civilibus, & eos coercendi, ac puniendi, si non obediant, ut expressè docet Paulus loco citato. *Dei*, inquit, *minister est tibi in bonum; si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Idem etiam docet Petrus loco citato his verbis: *Sive ducibus tanquam à Deo missis in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Atqui Principes sæculares hanc potestatem utiliter & convenienter exercere non possunt sine legibus civilibus. Ergo, &c.

Prob. min. Quia ad hanc potestatem regendi subditos, & eos coercendi, ac puniendi si non obediant, utiliter & convenienter exercendam, non sufficit, 1. Lex naturalis, ut per se patet. 2. Lex Mosaica, quia jam abrogata est. 3. Lex Evangelica, quia solùm tractat de rebus spiritualibus & divinis. 4. Præcepta tantùm durantia per vitam Principis; quia si per talia tantùm præcepta gubernaretur respublica, cum magno ejus incommodo sæpe mutaretur modus gubernandi. 5. Arbitrium Principis sine lege, quia aliquando contingit Principem malum esse, vel imprudentem, & quoties moreretur Princeps, atque alius ei succederet; cùm non sit idem Principum omnium ingenium, toties modus gubernandi rempublicam mutaretur, ex qua mutatione proculdubio sequerentur multa & magna incommoda.

Confirm. breviter sic. Principes sæculares talem habent potestatem administrandi rempublicam, qualem requirit bonum commune & publica fœlicitas: nam Principes ad hoc instituti sunt, & potestas publica illis concessa est ad procurandum bonum commune, & publicam fœlicitatem. Atqui bonum commune & publica fœlicitas requirunt potestatem administrandi rempublicam per leges constantes & perpetuas, sine quibus non potest esse uniformitas & constantia

in

in gubernando, quæ uniformitas & constantia ad bonum commune & publicam fœlicitatem requiritur. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrùm potestas condendi leges, sive civiles, sive ecclesiasticas, dependeat à fide, aut moribus legislatoris.

Responsio.

POtestas condendi leges, sive civiles, sive ecclesiasticas, non dependet à fide, aut moribus legislatoris.

Est de fide contra Vviclef & Joan. Hus, quorum doctrinam damnavit Synodus Constantiensis sess. 8. & 15. in hac propositione: *Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.* Quibus verbis hæretici docebant per peccatum mortale potestatem legislativam, tam civilem, quàm ecclesiasticam, amitti, vel saltem ita impediri, ut legislator, sive civilis, sive ecclesiasticus, nihil possit validè præcipere, quandiu existit in statu peccati mortalis. Contra illos autem

Prob. Resp. pro potestate civili, ex Apostolo Rom. c. 13. ubi loquens de Principibus sæcularibus, qui tunc temporis imperabant, sic ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ... Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Atqui Principes sæculares, qui tunc temporibus imperabant, erant infideles & improbi. Ergo ex Apostolo etiam, qui fideles sunt, tenentur in conscientia subditi esse, & obedire Principibus sæcularibus, etiam infidelibus & improbis: ita ut qui illis resistunt, leges eorum transgrediendo, Dei ordinationi resistant, & resistendo damnationis reatum incurrant: unde illis obtemperare necesse est, non solùm ad vitandas pœnas, legum transgressoribus impositas, sed etiam ne lædatur conscientia, quia quantùmvis infideles & improbi, spectandi sunt ut ministri Dei, volentis per illos, & leges ab illis latas, communitatem regere in temporalibus. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia homines in perfectam communitatem convenientes, ex natura rei, & ita necessariò conferunt in illam communem & supremam potestatem regendi, & leges ferendi talem, qualis requiritur ad utilem & convenientem administrationem, seu qualis requiritur ad publicam fœlicitatem procurandam. Ad hunc autem finem requiritur communis & suprema potestas regendi, & leges ferendi, in esse & in operari prorsus independens à fide & probitate hominum.

Prob. 2. pro potestate Ecclesiastica, ex epist. ad Hebr. cap. 13. ubi Apostolus loquens de Prælatis Ecclesiasticis, dicit: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*, nulla distinctoinem proborum ab improbis facta. Nec dic verba Apostoli intelligenda esse cum restrictione ad probos præpositos: nam hæc restrictio nullum planè fundamentum habet aut in alia Scriptura, aut in traditione, aut in rei natura: neque enim jurisdictio Ecclesiastica talis est ex se, ut aut non possit esse in homine improbo, aut non possit ab illo validè exerceri, quandiu improbus est.

Ratio à priori est, quia potestas spiritualis ad hoc Deo instituta est, ut utiliter & convenienter administretur communitas Ecclesiastica, ejusque bonum commune procuretur. Ergo residere potest in subjecto, & ab eo validè exerceri, per quod communitas Ecclesiastica potest utiliter & convenienter administrati, ejusque commune bonum procurari. Atqui homo etiam improbus potest utiliter & convenienter administrare communitatem Ecclesiasticam, ejusque bonum commune procurare, justa præcipiendo. Ergo, &c.

Potestas igitur condendi leges Ecclesiasticas non pendet à moribus Prælati Ecclesiastici. Idem propter eandem rationem dic de illius fide: nam Episcopus v. g. cum hæresi interna potest utiliter & convenienter per justas leges administrare suam diœcesim in ordine ad bonum commune Ecclesiæ, & aliunde propter illam non est excommunicatus, aut alio modo extra Ecclesiam. Sed ex occasione data,

Quæres, utrùm jurisdictio ecclesiastica pendeat saltem ab externa veræ fidei professione Prælati Ecclesiastici.

R. affirmativè. Nam v. gr. Episcopus publicè & notoriè hæreticus, hoc ipso quòd publicè & notoriè hæreticus est, amittit omnem jurisdictionem Ecclesiasticam. Ratio est, quia non est amplius in Ecclesia; quia per notoriam hæresim ipse se separat. Ergo jure divino, tum positivo, tum etiam naturali, privatur & spoliatur omni jurisdictione ecclesiastica: positivo quidem, quia Christus jurisdictionem ecclesiasticam instituit, ut exercendam per membra Ecclesiæ; non est autem membrum Ecclesiæ, qui est extra Ecclesiam: naturali verò, quia ex natura rei repugnat illum habere jurisdictionem, qui non habet subditos: jurisdictio enim est potestas superioris, & superior esse non potest sine subditis. Sed qui non est amplius in Ecclesia, nec habet, nec habere potest fideles sibi subditos in spiritualibus: nam si haberet, simul esset in Ecclesia, & extra Ecclesiam: esset extra Ecclesiam, ut supponitur; esset etiam in Ecclesia, quia adhuc cum fidelibus sibi subjectis in spiritualibus unum corpus morale efficeret, quod profectò esset Ecclesia, & cujus ipse esset caput.

Accedit consensus Patrum & Summorum Pontificum, apud Bellarminum lib. 4. de Eccles. militante c. 10. quorum aliqua hìc referemus testimonia. 1. itaque S. Cyprianus lib. 1. epist. 6. ad Magnum sic ait: *Didicimus omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis ac juris.*

2. S. Augustinus in Enchiridio cap. 65. ita loquitur: *Rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur*, defectu scilicet, non potestatis ordinis, sed jurisdictionis in foro interno. At si ii qui sunt extra Ecclesiam, carent jurisdictione in foro interno, carent etiam jurisdictione in foro externo: non enim potior est ratio pro una quàm pro altera.

3. Celestinus in epist. ad Orientales Episcopos hæc habet: *Si quis ab Episcopo Nestorio, aut ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est seu antistitis, seu clerici dignitate, hunc in nostra communione & duraße, & durare manifestum est, nec judicamus eum remotum; quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum.* Ex Celestino igitur, sententiæ excommunicationis & depositionis, latæ à Nestorio, postquam hæresim suam prædicare cœpit, ac proinde postquam factus est notorius hæreticus, nullæ fuerunt, non nisi defectu jurisdictionis ecclesiasticæ in foro externo, cujus sunt actus; & consequenter, ex Celestino, Nestorius jurisdictione Ecclesiastica in foro externo spoliatus est per notorietatem suæ hæreseos, per quam scilicet desiit esse membrum Ecclesiæ, ac proinde & esse Episcopus talis Ecclesiæ particularis, à qua idcircò, etiam implorato sæculari brachio, removendum se ipse præbuit.

4. Nicolaus I. in epist. 7. ad Michaelem Augustum hæc scribit: *Apertè Sedis nostræ sanxit authoritas, nullum, sive Episcopum, sive Clericum, seu professione aliqua christianum, qui à Nestorio, vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo, vel communione dejecti sunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri: sed hi omnes in nostra communione & fuerunt, & hucusque perdurant: quia neminem vel dejicere, vel removere poterat, qui prædicans talia tubabat.* Sedes igitur Apostolica per Celestinum Pontificem, hanc regulam sanxit & confirmavit, quòd

nullus

posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

Obj. 1. Deus in veteri testamento prohibuit, ne quid ad præcepta sua adderetur, juxta illud Deut. c. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Idem prohibet in novo testamento, juxta illud Matth. c. ult. *Docete omnes gentes . . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Præterea, Christus Marc. 7. damnat humana præcepta. *In vanum*, inquit, *me colunt, docentes præcepta hominum.*

R. ad 1. neg. Nam loco citato Deus loquitur de præceptis cœremonialibus, & Judæis prohibet, ne ad ea aliquid ex gentilium ritibus superaddant. *R. ad* 2. etiam neg. Locus autem citatus pro nobis est. Cùm enim Christus antea Luc. c. 10. dicendo Apostolis suis, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, significaverit velle se ut fideles Prælatis Ecclesiasticis obtemperent, postea quando Apostolis præcipit ut gentes doceant servare omnia quæcumque ipse mandavit, præcipit, ut gentes doceant, obtemperandum esse Prælatis Ecclesiasticis, & hanc esse voluntatem ejus, ut quicumque fidei jugum subeunt, Prælatorum Ecclesiasticorum legibus sese subjiciant. *R. ad* 3. Christus damnat præcepta quædam hominum injusta, vel inutilia, quæ tamen Pharisæi legi divinæ anteponebant.

Obj. 2. Augustinus epist. 119. ad Januarium, damnat leges Ecclesiasticas. *R.* neg. Itaque hoc loco S. Augustinus damnat, non leges Ecclesiasticas, sed abusus quosdam, qui contra communem Ecclesiæ consuetudinem irrepserant. Postquam enim de his abusibus conquestus est, sic ait: *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in consiliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo.*

Vides S. Doctorem hìc solùm damnare praxes quasdam inutiles, superstitionem redolentes, in quibusdam tantùm locis usitatas, sine sufficienti authoritate introductas, quarum rationabilis causa vix aut nunquam inveniri potest, & quæ tamen à certis hominibus tanti fiunt, ut *multa, quæ in divinis libris saluberrimè præcepta sunt, minus curentur, & gravius corripiantur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerint, quam qui mentem vinolentia sepelierint.* Leges autem ab Episcoporum conciliis latas, non modò non rejicit, sed ab omnibus servandas esse expressè asserit, ut patet ex loco laudato.

Obj. 3. Lex Evangelica sufficit ad salutem. Ergo frustrà conderentur aliæ leges ab hominibus. *R.* neg. conseq. Nam lex Evangelica ad salutem sufficit in eo sensu, quòd ut quis salutem consequatur, satis sit, si servet totam legem Evangelicam. At totam legem Evangelicam non servat, qui non obedit legibus Prælatorum Ecclesiasticorum: nam lex Evangelica commendat illorum authoritatem, & subditos jubet illis obtemperare.

Obj. 4. Si Christiani tenerentur legibus Ecclesiasticis, conditio Christianorum durior esset, quàm fuerit conditio Judæorum: nam multò plures & difficiliores sunt leges Ecclesiasticæ, quàm fuerint leges Mosaicæ. Consequens contradicit Christo dicenti: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. *Ad prob. R.* 1. Leges Ecclesiasticæ, quibus obligantur omnes Christiani, sunt numero paucæ: vix enim sunt quatuor, aut quinque, de servandis scilicèt jejuniis, festis, Confessione annua, & Communione paschali: cùm è contra leges Mosaicæ, quæ Judæos omnes obligabant, plurimæ fuerint. 2. Paucæ illæ leges Ecclesiasticæ, quæ Christianos omnes obligant, sunt tantùm quædam determinationes legum divinarum, quibus nullam difficultatem superaddunt: nam legibus divinis tenemur ad aliquando jejunandum, confitendum, communicandum, & abstinendum ab operibus servilibus; & dictæ leges Ecclesiasticæ tantùm determinant tempus quo hæc sunt præstanda.

Christus autem cùm ait: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; per hæc verba intendit potissimùm significare magnam gratiæ abundantiam, quam Christiani ad servandam legem Evangelicam accipiunt, & qua Judæi caruerunt, saltem communiter. Melior igitur est Christianorum conditio, quàm fuit conditio Judæorum: quantùmvis Prælati Ecclesiastici potestatem acceperint à Christo condendi leges, quibus fideles obligentur, & hac potestate hactenùs usi fuerint. Sed

Nota obiter. Triplex est potestas in Prælatis Ecclesiasticis; potestas ordinis, potestas jurisdictionis interioris, & potestas jurisdictionis exterioris. Prima est potestas conficiendi & ministrandi Sacramenta. Secunda est potestas regendi Christianos in foro conscientiæ, absolvendo scilicèt, vel ligando. Tertia denique est potestas regendi eosdem Christianos in foro externo, leges condendo, cognoscendo causas, & lites dirimendo, &c.

Responsio II.

Principes sæculares potestatem habent condendi leges civiles. Est contra Valdenses, Anabaptistas, &c.

Prob. 1. ex Scriptura: nam expressè præcipit Christianis, ut legibus Principum sæcularium obsequantur. Atqui hoc non faceret, si Principes sæculares potestatem non haberent condendi leges, nec legibus suis obligare subditos suos possent, ut per se manifestum est. Ergo, &c. *Prob. maj.* 1. ex epist. ad Rom. c. 13. ubi sic loquitur Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit . . Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* 2. Ex epist. 1. Petri c. 2. ubi dicitur: *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam à Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Ergo, &c.

Prob. 2. Quia Principes sæculares potestatem habent regendi subditos suos in rebus civilibus, & eos coercendi, ac puniendi, si non obediant, ut expressè docet Paulus loco citato. *Dei*, inquit, *minister est tibi in bonum; si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Idem etiam docet Petrus loco citato his verbis: *Sive ducibus tanquam à Deo missis in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Atqui Principes sæculares hanc potestatem utiliter & convenienter exercere non possunt sine legibus civilibus. Ergo, &c.

Prob. min. Quia ad hanc potestatem regendi subditos, & eos coercendi, ac puniendi si non obediant, utiliter & convenienter exercendam, non sufficit, 1. Lex naturalis, ut per se patet. 2. Lex Mosaica, quia jam abrogata est. 3. Lex Evangelica, quia solùm tractat de rebus spiritualibus & divinis. 4. Præcepta tantùm durantia per vitam Principis; quia si per talia tantùm præcepta gubernaretur respublica, cum magno ejus incommodo sæpe mutaretur modus gubernandi. 5. Arbitrium Principis sine lege, quia aliquando contingit Principem malum esse, vel imprudentem, & quoties moreretur Princeps, atque alius ei succederet; cùm non sit idem Principum omnium ingenium, toties modus gubernandi rempublicam mutaretur, ex qua mutatione proculdubio sequerentur multa & magna incommoda.

Confirm. breviter sic. Principes sæculares talem habent potestatem administrandi rempublicam, qualem requirit bonum commune & publica fœlicitas: nam Principes ad hoc instituti sunt, & potestas publica illis concessa est ad procurandum bonum commune, & publicam fœlicitatem. Atqui bonum commune & publica fœlicitas requirunt potestatem administrandi rempublicam per leges constantes & perpetuas, sine quibus non potest esse uniformitas & constantia

in

in gubernando, quæ uniformitas & constantia ad bonum commune & publicam fœlicitatem requiritur. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrùm potestas condendi leges, sive civiles, sive ecclesiasticas, dependeat à fide, aut moribus legislatoris.

Responsio.

POtestas condendi leges, sive civiles, sive ecclesiasticas, non dependet à fide, aut moribus legislatoris.

Est de fide contra Vviclef & Joan. Hus, quorum doctrinam damnavit Synodus Constantiensis sess. 8. & 15. in hac propositione: *Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.* Quibus verbis hæretici docebant per peccatum mortale potestatem legislativam, tam civilem, quàm ecclesiasticam, amitti, vel saltem ita impediri, ut legislator, sive civilis, sive ecclesiasticus, nihil possit validè præcipere, quandiu existit in statu peccati mortalis. Contra illos autem

Prob. Resp. pro potestate civili, ex Apostolo Rom. c. 13. ubi loquens de Principibus sæcularibus, qui tunc temporis imperabant, sic ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ... Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Atqui Principes sæculares, qui tunc temporibus imperabant, erant infideles & improbi. Ergo ex Apostolo etiam, qui fideles sunt, tenentur in conscientia subditi esse, & obedire Principibus sæcularibus, etiam infidelibus & improbis: ita ut qui illis resistunt, leges eorum transgrediendo, Dei ordinationi resistant, & resistendo damnationis reatum incurrant: unde illis obtemperare necesse est, non solùm ad vitandas pœnas, legum transgressoribus impositas, sed etiam ne lædatur conscientia, quia quantùmvis infideles & improbi, spectandi sunt ut ministri Dei, volentis per illos, & leges ab illis latas, communitatem regere in temporalibus. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia homines in perfectam communitatem convenientes, ex natura rei, & ita necessariò conferunt in illam communem & supremam potestatem regendi, & leges ferendi talem, qualis requiritur ad utilem & convenientem administrationem, seu qualis requiritur ad publicam fœlicitatem procurandam. Ad hunc autem finem requiritur communis & suprema potestas regendi, & leges ferendi, in esse & in operari prorsus independens à fide & probitate hominum.

Prob. 2. pro potestate Ecclesiastica, ex epist. ad Hebr. cap. 13. ubi Apostolus loquens de Prælatis Ecclesiasticis, dicit: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*, nulla distinctoinem proborum ab improbis facta. Nec dic verba Apostoli intelligenda esse cum restrictione ad probos præpositos: nam hæc restrictio nullum planè fundamentum habet aut in alia Scriptura, aut in traditione, aut in rei natura: neque enim jurisdictio Ecclesiastica talis est ex se, ut aut non possit esse in homine improbo, aut non possit ab illo validè exerceri, quandiu improbus est.

Ratio à priori est, quia potestas spiritualis ad hoc Deo instituta est, ut utiliter & convenienter administretur communitas Ecclesiastica, ejusque bonum commune procuretur. Ergo residere potest in subjecto, & ab eo validè exerceri, per quod communitas Ecclesiastica potest utiliter & convenienter administrati, ejusque commune bonum procurari. Atqui homo etiam improbus potest utiliter & convenienter administrare communitatem Ecclesiasticam, ejusque bonum commune procurare, justa præcipiendo. Ergo, &c.

Potestas igitur condendi leges Ecclesiasticas non pendet à moribus Prælati Ecclesiastici. Idem propter eandem rationem dic de illius fide: nam Episcopus v. g. cum hæresi interna potest utiliter & convenienter per justas leges administrare suam diœcesim in ordine ad bonum commune Ecclesiæ, & aliunde propter illam non est excommunicatus, aut alio modo extra Ecclesiam. Sed ex occasione data,

Quæres, utrùm jurisdictio ecclesiastica pendeat saltem ab externa veræ fidei professione Prælati Ecclesiastici.

R. affirmativè. Nam v. gr. Episcopus publicè & notoriè hæreticus, hoc ipso quòd publicè & notoriè hæreticus est, amittit omnem jurisdictionem Ecclesiasticam. Ratio est, quia non est amplius in Ecclesia; quia per notoriam hæresim ipse se separat. Ergo jure divino, tum positivo, tum etiam naturali, privatur & spoliatur omni jurisdictione ecclesiastica: positivo quidem, quia Christus jurisdictionem ecclesiasticam instituit, ut exercendam per membra Ecclesiæ; non est autem membrum Ecclesiæ, qui est extra Ecclesiam: naturali verò, quia ex natura rei repugnat illum habere jurisdictionem, qui non habet subditos: jurisdictio enim est potestas superioris, & superior esse non potest sine subditis. Sed qui non est amplius in Ecclesia, nec habet, nec habere potest fideles sibi subditos in spiritualibus: nam si haberet, simul esset in Ecclesia, & extra Ecclesiam: esset extra Ecclesiam, ut supponitur; esset etiam in Ecclesia, quia adhuc cum fidelibus sibi subjectis in spiritualibus unum corpus morale efficeret, quod profectò esset Ecclesia, & cujus ipse esset caput.

Accedit consensus Patrum & Summorum Pontificum, apud Bellarminum lib. 4. de Eccles. militante c. 10. quorum aliqua hìc referemus testimonia. 1. itaque S. Cyprianus lib. 1. epist. 6. ad Magnum sic ait: *Didicimus omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis ac juris.*

2. S. Augustinus in Enchiridio cap. 65. ita loquitur: *Rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur*, defectu scilicet, non potestatis ordinis, sed jurisdictionis in foro interno. At si ii qui sunt extra Ecclesiam, carent jurisdictione in foro interno, carent etiam jurisdictione in foro externo: non enim potior est ratio pro una quàm pro altera.

3. Celestinus in epist. ad Orientales Episcopos hæc habet: *Si quis ab Episcopo Nestorio, aut ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est seu antistitis, seu clerici dignitate, hunc in nostra communione & duraße, & durare manifestum est, nec judicamus eum remotum; quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum.* Ex Celestino igitur, sententiæ excommunicationis & depositionis, latæ à Nestorio, postquam hæresim suam prædicare cœpit, ac proinde postquam factus est notorius hæreticus, nullæ fuerunt, non nisi defectu jurisdictionis ecclesiasticæ in foro externo, cujus sunt actus; & consequenter, ex Celestino, Nestorius jurisdictione Ecclesiastica in foro externo spoliatus est per notorietatem suæ hæreseos, per quam scilicet desiit esse membrum Ecclesiæ, ac proinde & esse Episcopus talis Ecclesiæ particularis, à qua idcircò, etiam implorato sæculari brachio, removendum se ipse præbuit.

4. Nicolaus I. in epist. 7. ad Michaelem Augustum hæc scribit: *Apertè Sedis nostræ sanxit authoritas, nullum, sive Episcopum, sive Clericum, seu professione aliqua christianum, qui à Nestorio, vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo, vel communione dejecti sunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri: sed hi omnes in nostra communione & fuerunt, & hucusque perdurant: quia neminem vel dejicere, vel removere poterat, qui prædicans talia tubabat.* Sedes igitur Apostolica per Celestinum Pontificem, hanc regulam sanxit & confirmavit, quòd

nullus

nullus hæreticus, post notorietatem hæresis, possit excommunicare, vel deponere, aut alios quoslibet jurisdictionis ecclesiasticæ actus validè exercere; quia videlicet omnis hæreticus, cujuscumque dignitatis sit vel gradus, per notorietatem hæresis desinens esse membrum Ecclesiæ, hoc ipso excidit omni authoritate & jurisdictione ecclesiastica.

5. In decreto ad cap. Audivimus 24. q. 1. dicitur: *Sin autem ex corde suo novam hæresim confinxerit, 'ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit; quia nec potest deficere quenquam jam prostratus: ligandi namque vel solvendi potestas, veris, non falsis sacerdotibus à Domino tradita est.* Christus igitur ligandi atque solvendi potestatem, hoc est, jurisdictionem ecclesiasticam instituit exercendam à veris sacerdotibus, id est, à sacerdotibus, qui fideles veræ doctrinæ pabulo nutrirent, non à falsis sacerdotibus, id est, à sacerdotibus qui illos falsæ doctrinæ veneno inficerent, exercendam ab ovibus, quæ agnos suos pascerent, non à lupis rapacibus, quales sunt notorii hæretici, à quibus discerperentur.

Quod autem de externa veræ fidei professione dictum est, intelligi debet de externa communione cum membris Ecclesiæ, & imprimis supremo illius in terris capite, Romano Pontifice. Nam notorii schismatici, qui cum Romano Pontifice communicare recusant, seu ab obedientia Romani Pontificis se subtrahunt, privantur hoc ipso omni jurisdictione ecclesiastica. Ratio est, quia non sunt amplius de Ecclesia, propter notorietatem schismatis, quo se ipsi separant.

Confirmatur ex cap. Nulli, distinct. 19. ubi hæc inter alia de schismatico dicuntur: *Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris à sancto ministerio fiat* (hoc est, sit, ut patet ex verbis subsequentibus) *nec de ejus judicio quisquam postea curam habeat.* Certè si v. g. Episcopi notoriè schismatici judicia contemni possunt & debent, manifestum est illum, per notorium schisma, authoritatem & jurisdictionem ecclesiasticam omnem omisisse: judicia enim superioris impunè contemni non possunt ab inferioribus, & Episcopus tandiu superior est, quandiu retinet authoritatem & jurisdictionem in foro externo.

Quæres. Utrùm Prælatus ecclesiasticus, etiam per hæresim externam occultam amittat authoritatem & jurisdictionem ecclesiasticam in foro externo?

Ad hanc quæstionem satis communiter respondetur, amittere, non quidem præcisè propter hæresim externam, sed propter excommunicationem majorem, quam incurrit hoc ipso præcisè, quod signo aliquo externo internam hæresim exprimit, quamvis hoc faciat occultissimè. Additur tamen, validos esse actus jurisdictionis quos exercet, Ecclesia ad singulos actus defectum jurisdictionis supplente, vel etiam illi ad singulos actus, quando illos exercet, jurisdictionem necessariam transeunter conferente.

Malim ego simpliciter dicere, Prælatum ecclesiasticum non amittere jurisdictionem ecclesiasticam in foro externo per hæresim externam occultam, quandiu manet occulta. Ratio est, quia 1. cum hæresi externa, quandiu manet occulta, tam potest utiliter & convenienter administrare communitatem ecclesiasticam, quàm potest cum moribus improbis. Unde ex hac parte hæresis externa, quandiu manet occulta, non magis repugnat jurisdictioni & auctoritati publicæ, quam morum improbitas.

2. Per hæresim externam, quandiu manet occulta, non separatur Prælatus ab Ecclesia: tandiu enim est membrum Ecclesiæ, quandiu exteriùs & publicè veram fidem profitetur.

3. Quandiu hæresis ejus externa manet occulta, tandiu etiam occulta manet excommunicatio, quam propter externam hæresim incurrit. At quandiu excommunicatio major occulta manet, tandiu suspenditur effectus ejus, quoad absolutionem excommunicati, & privationem jurisdictionis Ecclesiasticæ: hoc enim postulat commune bonum Ecclesiæ, quæ multis & magnis perturbationibus esset obnoxia, si res aliter se haberet: omnes enim actus jurisdictionis essent incerti, si Prælatus ecclesiasticus per majorem excommunicationem, etiam occultam, abscinderetur, aut ecclesiastica jurisdictione spoliaretur.

Veritas hujus responsionis confirmatur authoritate Summorum Pontificum, Celestini & Nicolai I. locis supra laudatis, ubi, cùm dicunt Nestorium non potuisse validè exercere actus jurisdictionis episcopalis, postquam hæresim suam prædicare cœpit, hoc est, postquam prædicatione sua notorius hæreticus factus est, manifestè significant potuisse, antequam notorius hæreticus esset. Ratio est, quia quandiu Nestorius fuit hæreticus occultus, tandiu fuit membrum Ecclesiæ, & quandiu fuit membrum Ecclesiæ; tandiu fuit caput morale seu Episcopus Ecclesiæ particularis sibi commissæ, & quandiu fuit caput morale seu Episcopus Ecclesiæ particularis sibi commissæ, tandiu habuit jurisdictionem episcopalem, quantumcumque propter hæresim externam occultam excommunicatus esset excommunicatione majore: tandiu enim occultè excommunicatus, ex natura rei, non quidem de jure, sed de facto, non merito, sed numero est de Ecclesia, & membrum illius, quandiu exteriùs veram fidem profitetur, & communicat cum aliis Ecclesiæ membris, & ejus capite Romano Pontifice; & quandiu sic est de Ecclesia, tandiu retinet jurisdictionem suam, & usum ejus, quamvis illicitum.

ARTICULUS III.

Utrùm ad valorem legum humanarum, requiratur acceptatio majoris partis communitatis.

Responsio.

Ad valorem legum humanarum, sive civilium, sive ecclesiasticarum, quæ feruntur absolutè, non requiritur acceptatio majoris partis communitatis.

Prob. Nam ex natura rei legitimi superioris præceptum, absolutè impositum, subditum obligat independenter ab ejus acceptatione. Ergo similiter lex à legislatore legitimo absolutè lata, obligat communitatem independenter ab ejus acceptatione: sicut enim præceptum superioris se habet ad inferiorem, quantùm ad vim obligandi; ita & quantùm ad vim obligandi lex Principis se habet ad communitatem, ut per se patet.

Dixi autem, absolutè lata, hoc est, lata cum intentione statim obligandi. Nam legislator, etiam supremus, ferendo legem, posset nolle illam obligare ante consensum majoris partis communitatis; & si reipsa nollet, ante consensum illum non obligaret. Jam verò quandonam legislator non intendat legem suam obligare subditos ante consensum majoris partis communitatis, certò colligi potest ex verbis quibus utitur in lege sua, & verisimiliter ex modo quo se gerit cum subditis ejus legem non observantibus.

Quòd si communitas aliqua, aliquem sibi constituendo principem, sibi, quod revera potuit, facultatem reservavit acceptandi vel rejiciendi leges ab eo latas, leges ab eo latæ non obligant communitatem, nisi post acceptationem partis saltem majoris. At 1. de tali legislatore non agitur hic. 2. Talem esse aliquem legislatorem, nec nisi diminutam, & à populi arbitrio pendentem accepisse legis condendi potestatem, nisi id ex communi usu, aut aliunde constet evidenter, dici non debet. Ratio est, quia, si nihil evidenter obstet, semper præsumendum est legislatores à communitate accepisse talem leges condendi potestatem, qualis moraliter requiritur ad publicam fœlicitatem efficaciter procurandam. Atqui ad hunc finem moraliter requiritur potestas condendi leges absoluta, & independens ab acceptatione populi. Ergo, &c.

Ex his autem facilè resolvitur hæc quæstio, utrùm lex absolutè lata, debeat servari à minori parte, quando non servatur à majori parte, licet deteriore.

Nam

Nam quòd servari debeat, videtur manifestum; quia ut lex absolutè lata, obliget omnes, non requirit consensum majoris partis. Præterea, quòd justi & timorati non teneantur multis legibus, quas major & deterior pars non servat, admitti non potest nec debet, nisi in duobus casibus. 1. Cùm legislator expressè vel tacitè consentit, ut lex non servetur à minori parte, quando à majori parte non servatur. 2. Quando lex, quæ non servatur à majori parte, non potest servari à minori sine gravi damno, vel incommodo reipublicæ.

Obj. 1. Gratianus dist. 4. ad can. 6. sic ait: *Leges instituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* *R.* Leges firmantur per usum, non quia per usum valorem suum accipiunt, sed quia per usum à periculo abrogationis removentur: nam si populus legem à Principe latam non servaret, tandem, vel principe nimiæ populi resistentiæ cedente, vel contraria consuetudine præscribente, aboleretur.

Obj. 2. Consuetudo potest abrogare legem jam obligantem. Ergo multò magis prævenire illam potest, ne obliget ante acceptationem majoris partis communitatis. *R.* neg. conseq. Nam consuetudo nihil potest contra legem, nisi sit legitimè præscripta, nec est legitimè præscripta, quandiu legislator ejus præscriptioni resistit. Consuetudo autem non servandi leges, nisi postquam à majori parte communitatis fuerunt acceptatæ, aut nulla est, aut non est legitimè præscripta: cùm legislatores ejus præscriptioni resistant, subditos suos ad legum suarum acceptationem & observationem cogendo statim post sufficientem illarum promulgationem.

Quæres. Utrùm ad valorem legum humanarum, tam civilium quàm ecclesiasticarum, requiratur promulgatio, & qualis requiratur?

R. 1. requiri promulgationem. Nam vel, ut nos dicimus, promulgatio est intrinsecum & essentiale complementum legis cujuscumque: sine tali autem complemento nullam legem valorem suum habere posse per se clarum est, cùm per se clarum sit nullam legem obligare posse, antequam sit in suo esse completa & perfecta: vel saltem est applicatio legis cujuscumque ad subditos; lex autem, cum sit regula & mensura, nullum habere potest effectum, nisi applicetur.

R. 2. Requiri promulgationem solemnem & publicam, & quidem talem, ut lex per divulgationem, quæ est extensio promulgationis: humano modo innotescere possit omnibus subditis. Ratio est, quia lex humana est instrumentum publicum, quo reguntur subditi, vel si vis, regula & mensura publica, qua regulantur actus subditorum. At instrumentum publicum, regula & mensura publica, applicari debet publicè: applicatio enim privatim facta singulis membris communitatis, nec expediret, nec moraliter possibilis esset legislatori humano.

Addidi autem, & quidem talem, ut lex, &c. quia lex humana, quæ sic promulgarerur, ut non nisi divinitùs & per miraculum devenire posset in notitiam omnium subditorum, non esset sufficienter proposita & intimata communitati, cujus bonum commune, per leges ad hunc finem latas, humanitùs procurari non potest, nisi leges illæ humanitùs innotescere possint omnibus membris communitatis. Lex autem nullius esse potest valoris, quandiu non est communitati sufficienter proposita & intimata.

ARTICULUS IV.

Quantam habeat efficaciam potestas legislativa Principum, tum Ecclesiasticorum, tum Sæcularium.

Responsio I.

PRincipes, sive Ecclesiastici, sive, Sæculares, leges ferre non possunt nisi subditis suis.

Prob. Nam, ut lumine naturali notum est, nullum agens agere potest extra sphæram activitatis suæ. Atqui non subditi sunt extra sphæram potestatis legislativæ. Ergo, &c. Hinc 1. Ecclesia leges ferre non potest iis qui non sunt baptizati, quia nemo ante baptismum subjicitur Ecclesiæ. Unde infideles non baptizati, & cathecumeni non tenentur legibus ecclesiasticis. 2. Summus Pontifex non potest ferre leges civiles, nisi terris sibi Regum & Imperatorum dono subjectis in temporalibus, quia reliquæ orbis partes subjiciuntur illi in spiritualibus tantùm. 3. Imperator legitimè electus, & ita imperatoriam authoritatem habens, non potest ferre leges, nisi pro provinciis & regnis subjectis ipsi, vel quia illorum immediatus dominus est, vel quia agnoscunt illum ut dominum supremum, ratione feudi, aut quocumque alio titulo. Unde regnum Galliæ v. g. non tenetur legibus Imperatoris. 4. Quicumque alii Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, & Concilia, & communitates habentes jurisdictionem, leges ferre possunt intra limites jurisdictionis suæ tantùm. Unde v. g. Episcopi leges ferre tantùm possunt pro suis diœcesibus.

Responsio II.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non possunt leges ferre, nisi de rebus regimini suo subjectis.

Prob. Quia, ut jam dictum est, nullum agens, sive in physicis, sive in moralibus, potest agere extra sphæram activitatis suæ. Hinc 1. Principes Sæculares non possunt ferre leges de rebus ecclesiasticis, nec Ecclesiastici de rebus civilibus. 2. Episcopi statuere non possunt de causis majoribus, quæ reservatæ sunt Summo Pontifici. 3. Prælati Religiosi subditis suis præcipere tantùm possunt ea quæ regulis continentur formaliter, aut saltem virtualiter, in quantum moraliter necessaria sunt ad observationem regularum.

Responsio III.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non possunt ferre leges contrarias legibus superiorum.

Prob. Nam, ut lumine naturali notum est, potestas inferior non prævalet superiori, sed ab ea superatur. Propter eandem rationem, Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, abrogare nequeunt leges superiorum, aut à Superioribus confirmatas. Hinc v. g. Episcopus non potest ferre leges contra jus commune, nec abrogare leges quas ipse, aut aliquis ex ejus prædecessoribus tulit, & Summus Pontifex confirmavit: potest tamen, per epykiam, aliquid decernere contra jus commune in aliquo casu particulari, pro quo superior nec aditi, nec consuli potest.

Responsio IV.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, per leges suas præceptivas, aut prohibitivas, non obligant ad aliquid agendum, aut omittendum, nisi subditos usum rationis habentes.

Prob. Nam Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, legibus suis præceptivis aut prohibitivis eos tantùm obligare possunt, qui capaces sunt directionis: leges enim præceptivæ & prohibitivæ sunt regulæ, quibus legislatores actus subditorum suorum dirigunt ad bonum commune. Sed qui usum rationis non habent, non sunt capaces directionis: non enim magis propriè actus eorum regulari & dirigi possunt, quàm actus brutorum animantium. Ergo, &c. Hinc infantes, qui nondum ad usum rationis pervenerunt, nullis legibus præceptivis aut prohibitivis tenentur. Idem dic de perpetuò amentibus. Qui verò ad tempus tantùm insaniunt, sicut & dormientes & ebrii, obligantur tam præceptivis quàm prohibitivis legibus, quia non actu quidem, sed, quod sufficit, habitu usum rationis habent. Unde omittendo aliquid quod præceptum est, aut aliquid faciendo quod est prohibitum, peccant, quamvis materialiter tantùm.

Dixi autem, infantes qui nondum pervenerunt ad annos

annos discretionis, non teneri legibus præceptivis, aut prohibitivis: nam teneri possunt, & tenentur legibus simpliciter constitutivis, qualis est v. g. lex qua statuitur, ut illegitimi sint irregulares, & lex qua statuitur, ut non baptizati sint incapaces aliorum Sacramentorum. Ratio disparitatis est, quia qui usu rationis carent, licet non sint capaces obligationis moralis, quia sunt incapaces directionis, nihilominus capaces sunt impedimenti, quasi naturalis, quod lex propter bonum commune inducere potest, nulla supposita culpa, & consequenter nullo libero voluntatis exercitio supposito ex parte eorum quibus impedimentum illud imponitur.

Responsio V.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non tenentur legibus, à prædecessoribus suis, vel à se latis.

Prob. Et 1. quidem non obligantur legibus prædecessorum suorum; cum enim parem habeant cum illis authoritatem, non sunt illorum subditi. Legislatores autem non possunt nisi subditos suos obligare. Ergo, &c. 2. Non obligantur legibus à se latis. Nam legibus à se latis non obligant nisi subditos sibi. At ipsi non sunt sibi subditi: nemo enim in se ipsum superioritatem & jurisdictionem habere potest. Ergo, &c.

Confirm. Quia, secundùm omnes, legislator non tenetur legibus suis quoad vim coactivam & punitivam. Ergo nec tenetur quoad vim directivam. *Prob. conseq.* Legislator non obligat se legibus suis quoad vim coactivam & punitivam, quia ad sic obligandum aliquem, requiritur superioritas & jurisdictio. Atqui pariter requiritur superioritas & jurisdictio ad obligandum lege quoad vim directivam. Ergo, &c.

Porrò quamvis Princeps, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis, obligari non possit legibus à prædecessoribus, aut à se latis, ad illas tamen servandas tenetur jure naturali, cui subjectus est; tenetur, inquam, quando materia universalis est, & Principi æquè ac subditis conveniens. Jus enim naturale postulat, ut Princeps vita & moribus concordet cum subditis in iis omnibus, quæ ipsi æquè ac subditis conveniunt; tum quia hoc ad utilem & convenientem communitatis gubernationem necessarium est, tum quia Princeps subditis suis exemplo præesse debet. Hinc illud: *Patere legem quam tuleris*. Et illud: *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo*. Et illud: *Digna vos majestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri*.

Dixi autem, quando materia universalis est, & Principi æquè ac subditis conveniens: nam quando materia legum non est talis, tunc ad illas servandas nullo jure tenetur Princeps. Caput enim non tenetur se conformare membris, in iis quæ ipsi non sunt accommodata. Porrò non est silentio prætermittendum, cùm dicimus leges non obligare etiam quoad vim directivam Principes à quibus feruntur, id intelligi debere de legibus quas Principes ferunt sola authoritate propria, non de legibus quas ferunt cum communitate: quando enim inferiores sunt, & subditi communitati, licet sint illius pars præcipua, possint his legibus, non solùm quoad vim directivam, sed etiam quoad vim coactivam obligari. Sic duces rerum publicarum tenentur legibus quas cum illis tulerunt. Sic etiam Generales Ordinum religiosorum tenentur legibus latis in Capitulo generali, & subjacent pœnis decretis in transgressores. Ratio pro utrisque est, quia subditi sunt communitati, à qua feruntur leges.

Obj. illud Juris axioma: *Justum est Principem legibus suis obtemperare*. *R.* Huic axiomati satisfit, si dicatur Principes jure naturali teneri ad servandas leges suas, quando materia de se universalis est, & Principi æquè ac subditis convenit: tunc enim legem suam transgrediendo, Princeps idem specie peccatum cum subditis legem illam transgredientibus committit, puta peccatum injustitiæ, si v. g. vendat tritici cum ultra pretium à se texatum, quia jus naturale obligat illum ad servandam legem ex affectu virtutis, quam lex præscribit.

Dices. Si Princeps solùm jure naturali tenetur ad servandam legem suam, quando materia legis membris omnibus communitatis communis est, & æquè conveniens, tenetur tantùm legem suam servare ad vitandum scandalum, & ita sublato scandali periculo, non tenetur ampliùs. Absurdum conseq. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. Nam Princeps jure naturali tenetur ad servandam, &c. non solùm propter scandalum vitandum, sed etiam propter utilem & convenientem reipublicæ administrationem, quæ postulat ut omnia communitatis membra vivant uniformiter in iis quorum materia communis est, & æquè conveniens omnibus. Hinc Princeps cum aliquo dispensans in lege sua sine justa causa, peccat; & qui sine justa causa petit dispensationem, peccat; & si dispensatione utatur, peccat, non quidem contra legem humanam, cujus vinculum pro illo relaxatum est, sed contra jus naturale, quo præscribitur uniformitas in servanda lege, quando difformitas non habet rationabile fundamentum: non habet autem, quando materia legis communis est omnibus, & omnibus æquè convenit: unde tunc est jure naturali prohibita, quia vergit in detrimentum communitatis.

Responsio VI.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, legibus suis non obligant exemptos à sua jurisdictione.

Prob. Nam Princeps, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis, non potest legibus obligare nisi sibi subditos. Atqui hoc ipso quòd aliquis eximitur à jurisdictione Principis, desinit esse subditus illi, secundùm id, secundùm quod eximitur. Ergo, &c. Hinc Religiosi exempti non obligantur legibus episcopalibus, aut synodalibus, cùm sint exempti à jurisdictione episcopali: tenentur tamen, juxta decretum Concilii Triedentini sess. 25. c. 12. servare censuras, & interdicta ab Episcopis emanata, & dies festos ab illis præscriptos.

Porrò Clerici non ita sunt à Principum Sæcularium jurisdictione exempti, ut non obligentur, etiam in conscientia, legibus civilibus communitatis in qua vivunt, quando materia illarum nihil habet repugnans statui clericali, sacris canonibus, aut immunitati ecclesiasticæ, qualis est v. g. lex qua pretium rerum taxatur. Ratio est, quia verè sunt membra communitatis in qua vivunt, & commodis ejus fruuntur. Unde æquitas & recta ratio postulat, ut se cæteris omnibus membris conforment, in iis quæ illis communia sunt cum laicis, & æquè illis ac laicis conveniunt: hoc enim ad bonam reipublicæ administrationem omninò requiritur.

Responsio VII.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non obligant legibus suis extra proprium territorium.

Prob. Quia potestas legislativa agere non potest extra sphæram activitatis suæ. Atqui sphæra activitatis ejus non extenditur extra proprium territorium. Ergo, &c. Hinc c. 2. *de constitutionibus* in 6. dicitur, pœnam per statutum Episcopi latam, non incurri ab eo qui statutum illud non servat extra territorium Episcopi; quia scilicet *extra territorium jus dicenti non paretur impune*. Hinc etiam in jure civili lex dicitur *Jus proprium civitatis*.

Itaque legibus proprii territorii non tenentur, qui in alieno territorio, sive immorando, sive transeundo tantùm, versantur; quia legibus proprii territorii non tenetur subditus, statim atque ex illo egreditur, nec peccat aliter agendo quàm legibus proprii territorii præscriptum est, modò tamen res circa quam agere censetur non sit intra territorium: nam si intra territorium est res illa circa quam censetur agere, tenetur legibus territorii, & pœnis per leges illas statutis subjacet, quia tunc censetur agere in territorio, & delictum quod committit, censetur committi intra,

tra, non extra territorium. Sic Beneficiarius, qui abest a territorio in quo beneficium habet, incurrit censuras contra non residentes latas ab Episcopo territorii illius; quia in illo peccatum non residentiæ committi jure merito censetur.

Responsio VIII.

Peregrini & advenæ tenentur legibus loci in quo inveniuntur, sive diutiùs ibi morentur, sive breviùs.

Prob. Nam Pincipes, tam Ecclesiastici quàm Seculares, legibus suis obligant eos omnes qui eorum jurisdictioni subjacent, quandiu subjacent. Atqui peregrini & advenæ, hoc ipso quòd ingrediuntur territorium aliquod, subjacent jurisdictioni Principis illius territorii, & tandiu subjacent, quandiu in illo morantur. Hoc enim recta gubernatio & bonum commune postulant, & Principes Sæculares habent ex natura rei, Principes verò Ecclesiastici, ex concessione Christi, vel Ecclesiæ, jurisdictionem necessariam ad utilem & convenientem administrationem communitatis, & commune bonum procurandum.

Hinc, nemine reclamante, Principes sæculares, quando expedit bono communi, multa statuunt, etiam in ordine ad peregrinos, ut quòd frumentum non exportetur; quòd triticum ultra tale pretium non vendatur, &c. Imò statuunt aliqua, quæ solos peregrinos obligant, ut quòd ultra certum tempus non morentur in civitate, vel provincia, aut regno; & si non obediunt, puniuntur. Item Principes Ecclesiastici puniunt peregrinos non servantes festa localia.

Quando igitur in Jure civili dicitur, peregrinos non fortiri forum loci per quem transeunt, hoc de illis intelligendum est, postquam inde excesserunt. Quòd autem fortiantur forum loci per quem transeunt, quandiu in eo sunt, constat ex praxi, & fortiri debere recta ratio docet, si nimirùm ibi delictum aliquod committant. Hìc tamen obiter observamus, hoc, quod dicimus, peregrinum subjacere jurisdictioni Principis territorii in quo invenitur, intelligendum esse cum aliqua restrictione, videlicèt modo persona non sit talis, ut propter eminentem dignitatem, nec possit, nec debeat subjacere.

DISPUTATIO VI.

De materia & obligatione Legum humanarum, tam civilium quàm ecclesiasticarum.

ARTICULUS I.

Utrùm legislator humanus possit præcipere vel prohibere actus internos.

Responsio I.

Legislator humanus non potest præcipere aut prohibere actus merè internos.

Prob. Legislator humanus non potest præcipere aut prohibere actus, & quorum positione aut omissione non potest cogere subditos. Atqui legislator humanus non potest cogere subditos ad positionem actuum merè internorum. Ergo, &c. Minor per se patet: cùm enim actus merè interni, nec per aliud sufficienter cadere possint sub cognitionem humanam, de illorum omissione vel positione legislator humanus judicare non potest, & ita non posset punire subditos omittentes actus merè internos qui præciperentur, aut ponentes actus merè internos qui prohiberentur; non posset inquam, punire pena, non solùm per ipsam legem præcipientem aut prohibentem, sed etiam per sententiam ab homine latam inflicta: quod tamen ad vim coactivam propriè dictam requiritur.

Prob. ergo maj. Nam in legislatore civili ex natura rei, & in legislatore ecclesiastico ex institutione Christi, non est potestas præcipiendi aut prohibendi, sine potestate cogendi. Ergo, &c. *Prob. ant.* In communitate perfecta, & consequenter in legislatore civili, non est ex natura rei; similiter in legislatore ecclesiastico non est ex institutione Christi potestas præcipiendi aut prohibendi, nisi quæ conveniter exerceri potest, & conducibiliter ad commune bonum. Atqui hoc modo exerceri non potest potestas præcipiendi aut prohibendi, nisi quæ cum potestate cogendi conjuncta est, ut consideranti facilè patet.

Et verò cùm leges non tam statuantur pro justis, quàm pro injustis, juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. c. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis;* certè leges non statuuntur, & ita potentia legislativa non exercetur convenienter, & conducibiliter ad bonum commune, sine potestate cogendi ad ea quæ legibus statuuntur. Mali enim, qui in quavis republica bonos numero facilè superant, parùm solliciti de conscientia, & de impunitate certi, & leges sine potestate cogendi latas, & ipsum legislatorem facilè contemnerent.

Hoc argumentum suggerit S. Thomas hic q. 91. a. 4. in o. ubi sic loquitur: *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: Judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent . . . & ideò lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus: sed necessarium fuit, quòd ad hoc supervenerit lex divina.*

Secundùm principia igitur sancti Doctoris, neque legislator civilis ex natura rei, neque ecclesiasticus ex institutione Christi, potestatem habet statuendi de actibus merè internis, sed hæc potestas secundùm sapientem providentiæ dispositionem, reservata est soli Deo legislatori, in cujus oculis omnia nuda sunt & aperta. Unde tam de internis quàm de externis judicare potest, proindeque tam ad internorum quam externorum actuum positionem vel omissionem cogere potest creaturam rationalem.

Porrò dixi in responsione, actus merè internos: potest enim legislator humanus præcipere vel prohibere actus internos, necessarios ad positionem vel omissionem actuum externorum, quos præcipere vel prohibere potest. Sic v. g. legislator humanus præcipiens actum externum recitandi officium, præcipit voluntatem efficacem recitandi, sine qua actus externus recitandi poni non potest. Similiter legislator humanus prohibens actum externum furandi, prohibet voluntatem efficacem furandi, qua posita, actus externus furandi non potest omitti, cùm adest furandi opportunitas.

Ratio est, quia 1. tales actus interni sufficienter innotescunt per externos, quibuscum unum totalem actum constituunt. Unde legislator humanus potest de illis judicare, & ad illorum positionem vel omissionem sufficienter cogere. 2. Legislator humanus potestatem habens præcipiendi vel prohibendi aliquem actum externum, hoc ipso non potest non habere potestatem præcipiendi vel prohibendi id omne quod necessarium est ad illius positionem vel omissionem.

Hoc tamen discrimen interest inter actum externum & actum internum, ad ejus positionem vel omissionem necessarium, quòd externus per se primò præcipiatur vel prohibeatur, internus verò præcipiatur vel prohibeatur secundariò tantùm, & ratione externi, quatenùs ad illum ponendum vel omittendum necessarius est. Ratio autem est, quia potestas legislativa, sive civilis, sive ecclesiastica, per se primò ordinatur ad regimen externum communitatis, sive civilis, sive ecclesiasticæ, & ita per se primò versatur circa actus externos, & ita circa internos non versatur, nisi propter externos.

Obj. Christus dare potuit Ecclesiæ potestatem præcipiendi vel prohibendi actus merè internos, Deo relinquendo cognitionem & punitionem trasgressionum merè internarum. *R.* Christum absolutè potuisse potestatem hanc dare Ecclesiæ: nam illam habet, nec illam communicari Ecclesiæ repugnat; de facto tamen

men non communicavit, quia, ut probatum est, Ecclesia non posset illam convenienter exercere, & conducitur ad bonum commune, ob defectum potestatis condendi. Quod confirmatur ex eo quòd, 1. talis potestatis Ecclesiæ concessæ nullum exter indicium in Scriptura, vel Traditione. 2. Tali potestate hactenùs Ecclesia nunquam usa sit. 3. Summi Pontifices, qui totam suam jurisdictionem sæpe explicant & tuentur, hanc potestatem sibi nunquam attribuant, sed potiùs expresè significent actus merè internos extra forum suum existere. Sic Innocentius III. cap. *Tua nos*, tit. de Simonia dicit: *Nobis datum est, de manifestis tantummodò judicare.*

Obj. Potestas ecclesiastica spiritualis est, & ordinatur ad finem supernaturalem, & bonum internum animarum. Ergo valet etiam ad præcipiendos vel prohibendos actus merè internos. Ad ejus difficultatis solutionem *nota* cum Suare. Potestas ecclesiastica, secundùm totam latitudinem suam, duplex est, nempe potestas fori interni, & potestas fori externi. Potestas fori interni data est immediatè & maximè propter internam animæ salutem, & consequenter versari potest, ac potissimùm versatur circa actus internos, in quibus consistit interna salus animæ; atque propter rationem eandem, actus hujus potestatis pertinent ad jurisdictionem, quam Juristæ vocant voluntariam; quia exercetur in commodum subditi ad petitionem vel consensum ejus: nam interna salus, & peccatoris reconciliatio cum Deo, debet esse voluntaria. Hujus autem potestatis actus sunt absolutio à peccatis, dispensatio in votis, votorum commutatio, relaxatio pœnarum apud Deum per indulgentias: hæc enim omnia sunt propter internum animæ bonum.

Potestas fori externi est potestas totius communitatis gubernativa, & à Christo data est immediatè & proximè propter externam Ecclesiæ gubernationem: unde immediatè & proximè versatur circa actiones humanas externas, ex quarum directione pendet bonum externum totius communitatis ecclesiasticæ. Hujus autem potestatis actus sunt, præcipere, prohibere, statuere, punire, &c. qui proinde per se primò versatur circa actiones humanas externas, ad quarum directionem potestas, cujus sunt actus, immediatè & proximè ordinatur; nec proinde versantur circa actiones internas, nisi propter externas, & quantùm necessariæ sunt ad aliquod esse, sive physicum, sive morale externarum. Hæc igitur potestas fori externi cum suis actibus non ordinatur ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum, nisi mediatè & remotè, mediante scilicet honestate externarum actionum, circa quas immediatè & proximè occupatur; nihilominis tamen dicitur, & est potestas spiritualis, quia & à Christo data est, & mediatè ac ultimatè refertur ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum. His præsuppositis.

Ad obj. R. neg. consèq. Nam 1. potestas ecclesiastica spiritualis est; non quia potest præcipere vel prohibere actus merè internos, sed quia à Christo instituta est, & ordinata ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum, immediatè quidem & proximè, quà potestas est fori interni; unde quà talis, versatur etiam circa actus merè internos, absolvendo, retinendo, dispensando in votis, &c. Mediatè verò & ultimatè tantùm, quà potestas est fori externi: nam quà talis, est potestas gubernativa, & occupatur immediatè ac proximè circa regimen externum communitatis ecclesiasticæ, proindeque immediatè ac proximè versatur circa actiones humanas externas, præcipiendo, prohibendo, &c. nec nisi propter illas versatur circa internas, quantùm necessariæ sunt ad aliquod illarum esse morale, ut dicetur infra: unde non ordinatur ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum, nisi mediante honestate actionum externarum, quas per præcepta sua dirigit.

Dices. Matth. c. 16. Christus sine restrictione Petro & successoribus ejus dixit: *Quæcumque ligaveris, &c.* Ergo Summi Pontifices à Christo acceperunt potestatem præcipiendi vel prohibendi etiam actus merè internos. *R.* neg. consèq. Itaque per hæc Christi verba, Petro & successoribus ejus promissa fuit, & postea data per ista alia. *Pasce oves meas*, amplissima potestas, tum in foro interno, tum in foro externo, vi cujus potestatis Romani Pontifices possunt in foro interno absolvere à peccatis, reservare peccata, pœnitentias imponere, dispensare in votis, vota commutare, concedere indulgentias, &c. & in foro externo ferre leges pro universa Ecclesia, præcipiendo vel prohibendo immediatè & proximè actiones externas, & consequenter internas, quantùm necessariæ sunt ad externarum positionem vel omissionem, aut etiam illas præcipiendo, quantùm necessariæ sunt ad aliquod esse morale, seu quasi artificiale externarum, ut explicabitur.

Attamen verba Christi laudata, necessariò intelligi debent cum aliqua restrictione subintellecta; quia Romani Pontifices non acceperunt à Christo potestatem in foro externo, quæ non posset convenienter exerceri. Potestas autem præcipiendi vel prohibendi actus merè internos, convenienter ab hominibus exerceri non potest; cùm homines non possint de illis judicare, & ita non possint transgressores punire, sicque non possint ad summum habere, nisi vim directivam circa actus merè internos. Ad quidem autem sola vis directiva sine vi coactiva valere posset apud homines, maxima saltem ex parte ad inobedientiam adeò proclives?

Ex dictis hactenus patet quid respondendum sit huic quæstioni, utrùm lex humana prohibeat desideria inefficacia, & simplices complacentias internas circa actus externos, ipsa lege humana prohibitos, retenta prohibitione, hoc est, non præscindendo à prohibitione; v. g. utrùm lex ecclesiastica prohibens esum carnium die Veneris, prohibeat desiderium inefficax comedendi carnes hoc die, retenta prohibitione; quod desiderium sic exprimitur: Vellem comedere carnes die Veneris: qui enim hoc dicit, non præscindit à prohibitione, sicut præscindit, qui dicit: Vellem comedere carnes die Veneris, si non esset prohibitum.

Itaque cùm desideria illa inefficacia, & simplices illæ complacentiæ sint actus merè interni, proindeque cùm legislator humanus non possit de illis judicare, nec punire transgressores, non potest illa prohibere lege sua: sunt tamen peccata, quia sunt lege naturali prohibita, propter intrinsecam indecentiam, seu intrinsecam difformitatem quam habent cum natura rationali. Hinc qui ex animo dicit: Vellem comedere carnes die Veneris, peccat, venialiter scilicet, vel mortaliter, pro levitate vel gravitate materiæ; peccat, inquam, contra virtutem, nempe temperantiam, ex cujus affectu lex ecclesiastica prohibet ne die Veneris comedantur carnes, & prohibendo facit, ut non solùm desideria efficacia, quæ naturali necessitate sequitur esus carnium, sed etiam inefficacia, retenta prohibitione, concepta, repugnent virtuti temperantiæ, & ita specialem turpitudinem, seu cum natura rationali difformitatem habeant, propter quam lege naturali prohibentur.

ARTICULUS II.

Utrùm legislator humanus possit præcipere actus internos, sine quibus quidem possunt existere actus externi quos præcipit, sed sine quibus non possunt habere quoddam esse morale quod intendit.

Responsio I.

Legislator humanus præcipere potest actus internos, ad hoc necessarios, ut actus externi habeant quoddam esse quasi artificiale, ut esse contractus, sacramenti, orationis, &c.

Prob. Nam legislator humanus potest præcipere actus externos, non solùm quoad esse physicum, sed etiam

etiam quoad esse quasi artificiale contractus, sacramenti, orationis, sacrificii, &c. Ergo consequenter præcipere potest non solùm actus internos, necessarios ad esse physicum actuum externorum, sed etiam internos actus, necessarios ad hoc, ut actus externi habeant esse quasi artificiale contractus sacramenti, orationis, &c. Conseq. patet.

Prob. ergo ant. Nam legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus, cum præcipit subditis, ut contrahant, præcipit contractum non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus; præcipit enim non solùm ut exteriùs, sed etiam ut verè & ex animo contrahant. Legislator ecclesiasticus præcipiens sacrificium Missæ, non solùm præcipit illud quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale Sacrificii: præcipit enim sacerdotibus non præcisè ut exteriùs, sed ut verè sacrificent. Item præcipiens beneficiatis ut recitent horas canonicas, præcipit illis orationem non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale orationis. Item can. *Omnes utriusque sexus*, præcipiens fidelibus omnibus, qui ad annos discretionis pervenerunt, ut singulis annis confiteantur, præcipit illis confessionem annuam, non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale Sacramenti: præcipit enim illis, ut singulis annis Sacramentum Pœnitentiæ percipiant. Atqui quòd legislator humanus in his casibus, & aliis similibus, tentet id quod non potest, perperam diceretur. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia 1. tales actus externi possunt à legislatore humano convenienter præcipi non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus, sacrificii, sacramenti, orationis, &c. Quia non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus, sacrificii, &c. sufficienter cadere possunt sub cognitionem humanam, ad hoc ut legislator humanus de illis judicare possit. 2. Ad rectam gubernationem requiritur, ut cùm legislator tales actus præcipit, possit illos præcipere, & re ipsa præcipiat non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus, sacrificii, sacramenti, &c. igitur quando legislator humanus præcipit contractum, præcipit consensum internum, sine quo non potest esse verus contractus: quando præcipit sacrificium, præcipit intentionem sacrificandi; quando præcipit recitationem horarum canonicarum, præcipit intentionem orandi, & internam attentionem: quando præcipit annuam confessionem, præcipit internum animi dolorem, sine quo Pœnitentiæ sacramentum suscipi non potest, &c.

Hinc 1. Rectè damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Nam nequidem per confessionem inculpabiliter nullam satisfit præcepto ecclesiastico annuæ confessionis. 2. Graviter peccari potest contra legem humanam, sive civilem, sive ecclesiasticam, ob solùm defectum actus interni, licèt nullus appareat defectus in actu externo, quando scilicet actus internus necessarius est ad aliquod actus externi esse morale, quod præceptum est.

3. Et ita potest aliquis, licèt nullus appareat defectus in actu externo, incurrere pœnas ipso jure impositas transgressionibus legis humanæ, omittendo actum internum, necessarium ad aliquod esse morale actus externi præceptum. Tunc autem transgressor pœnas illas incurrit, non ob transgressionem merè internam, sed ob externam transgressionem, v. g. ob omissionem orationis vocalis, ob omissionem susceptionis sacramenti sensibilis, &c. quanquam hæc omissio occultetur per fictionem orationis, susceptionis sacramenti, & ita fortasse occulterur, ut possit humanitùs detegi, quia humanitùs fictio detegi non potest: quod tunc se habet per accidens.

4. Beneficiatus cum debita devotione externa, quæ sita est in compositione reverenti, absque externa occupatione, naturaliter incompossibili cum attentione interna, recitans horas canonicas, sed sine intentione orandi, & interna devotione seu attentione, nisi iterùm recitet modo debito intra tempus habile, incurrit pœnas ipso jure impositas non servantibus præceptum ecclesiasticum de recitandis horis canonicis. Incurrit autem, non quia præcisè habet intentionem orandi, & devotionem seu attentionem internam, sed quia omittit orationem, præceptam sub illis pœnis, ipso facto incurrendis: non enim verè orat vocaliter, quod tamen præceptum est, sed solùm exteriùs profert verba orationis vocalis, & proferendo fingit se orare. Omittit ergo actionem externam, & de se sensibilem, propter quam certè puniri potest, & jure meritò punitur per legem ecclesiasticam. Excusatur tamen, si habeat intentionem orandi, & sit involuntariè distractus.

Obj. Legislator humanus non potest præcipere actus, qui nullo modo se produnt externùs. Atqui tales sunt actus interni, necessarii ad esse quasi artificiale actuum externorum. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam actus illi interni, qui requiruntur ad esse quasi artificiale actuum externorum constituunt cum illis unum & eundem actum totalem, & consequenter per illos humano modo innotescunt sufficienter. Nam 1. ex omissione externorum evidenter arguitur internorum omissio. 2. Ex positione actuum externorum quoad esse physicum, morali quadam certitudine, in rationabili præsumptione consistit, colligitur eorum positio quoad esse quasi artificiale, proindeque positio internorum actuum qui ad tale esse requiruntur, quod sufficit; quanquam hæc præsumptio sit fallibilis, quia homo mentiri potest, & fingere.

Responsio II.

Ecclesia potest etiam præcipere actus internos, necessarios ad esse morale honestatis, seu ad esse moralis integritatis actuum externorum.

Prob. Nam Ecclesia potest præcipere actus humanos non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse moralis integritatis. Ergo potest præcipere actus internos, ad hoc esse necessarios. Conseq. patet. *Prob. ant.* Ecclesia potest præcipere id quod re vera præcipit: non enim dici potest sibi attribuere potestatem aliquam, quam tamen à Christo non acceperit. Atqui præcipit actus externos etiam quoad esse moralis integritatis: nam v. g. per præceptum communionis paschalis præcipit fidelibus sumptionem corporis Christi, etiam ut honestam & bonam moraliter, ut patet ex hac propositione ab Innocentio II. damnata: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Ergo, &c.

Ratio à priori nostræ responsionis est, quia 1. potestas præcipiendi actus externos, etiam quoad esse morale honestatis, ac proinde & præcipiendi actus internos, qui ad hoc esse requiruntur, potest convenienter exerceri ab hominibus, quippe qui possunt sufficienter judicare in foro externo de actibus externis etiam quantum ad esse moralis integritatis, & ita possunt sufficienter judicare in foro externo non solùm de actibus externis quoad esse physicum, sed etiam de internis, à quibus esse moralis integritatis accipiunt externi, quique cùm externis unum & eundem actum totalem honestum & moraliter integrum constituunt.

2. Hæc potestas bono communi Ecclesiæ aut necessaria esse, aut saltem plurimùm expedire potest, ut si Ecclesia versetur in gravi periculo, vel necessitate, & velit Deum placare, vel sibi conciliare per pias fidelium actiones, cum morali integritate factas, putà per eleemosynas, jejunia, &c. Item hæc potestas requiritur ad ordinandum cultum religionis externum, ad quem pertinent actiones humanæ externæ, non solùm quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale honestatis, sicut pertinent ad illum etiam quoad esse quasi artificiale sacramenti, orationis, sacrificii. Denique hanc potestatem in Ecclesia exigit finis supernaturalis, & interna salus animarum, ad quam externum reipublicæ christianæ regimen ordinatur.

AR-

ARTICULUS III.

Quid legislator humanus præcipere, prohibere, vel ſtatuere poſſit circa actus externos.

Responsio I.

Legislator humanus non poteſt quidquam ſtatuere contra jus divinum, ſive naturale, ſive poſitivum.

Prob. Si Legislator humanus poſſet aliquid ſtatuere contra jus divinum, inferior poſſet derogare juri ſuperioris ut patet ex terminis. Sed inferior juri ſuperiori derogare non poteſt. Ergo, &c. Poteſt tamen legislator humanus legibus ſuis munire jus divinum tam naturale quàm poſitivum: poteſt enim præcipere vel prohibere multa, quæ ſunt præcepta vel prohibita jure divino, tam naturali quàm poſitivo. Item poteſt à fortiori authenticè declarare quid ſit jure divino, naturali aut poſitivo præceptum vel prohibitum, & quid ſequatur ex principiis juris divini, ſive naturalis, ſive poſitivi.

Responsio II.

Legislator humanus poteſt multa præcipere, vel prohibere, aut ſtatuere, quæ jure divino, ſive naturali, ſive poſitivo, non ſunt præcepta, vel prohibita, aut ſtatuta.

Prob. Quia legislator humanus, ſive civilis, ſive eccleſiaſticus, poteſt præcipere vel prohibere, aut circa res vel perſonas ſtatuere ea omnia, quæ præcipi vel prohiberi, aut circa res vel perſonas ſtatui ad bonum commune, & rectam communitatis ſive civilis, ſive eccleſiaſticæ gubernationem expedit. Atqui ad hoc expedit multa præcipi vel prohiberi, aut circa res vel perſonas ſtatui, quæ nullo jure divino præcepta, vel prohibita, aut circa res, vel perſonas ſtatuta ſunt.

Præterea, jus divinum multa præſcribit, quorum majorem fieri determinationem poſtulat bonum commune, & recta gubernatio communitatis. Atqui legislator humanus poteſt quidquid poſtulat bonum commune, & recta communitatis gubernatio. Ergo legislator humanus legibus ſuis magis determinate poteſt, quæ jus divinum indeterminatè præſcribit, & conſequenter legibus ſuis poteſt multa præcipere, vel prohibere, aut ſtatuere quæ non ſunt jure divino præcepta, vel prohibita, aut ſtatuta. Min. patet. *Prob. maj.* Nam v.g. jus divinum præſcribit in genere, ut Deus colatur, ut fideles aliquando confiteantur, & ſumant Euchariſtiam, ut peccata pœnis coerceantur. Bonum autem commune, & recta gubernatio communitatis poſtulat, ut quibus modis colendus ſit Deus, quo tempore & quoties peccata ſint confitenda, & ſumenda Euchariſtia, quibus pœnis peccata coercenda ſint, à legislatore determinetur, Ergo, &c.

Responsio III.

Legislator humanus nihil poteſt ſtatuere, quod non ſit utile ad bonum commune.

Prob. Nam poteſtas ferendi leges non eſt data hominibus, niſi propter bonum commune procurandum. Ergo poteſtas ferendi leges non eſt ad quidlibet, ſed ſolùm ad ſtatuenda ea, quæ bono communi expedire poſſunt. Ergo legislator humanus non poteſt præſcribere, niſi ad bonum commune utilia, & multò minùs poteſt præſcribere nociva, vel majoris boni impeditiva. Ad quod pertinet id quod Apoſtolus dicit Cor. c. 10. poteſtatem eccleſiaſticam à Chriſto datam non eſſe ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Poteſt tamen legislator humanus ad libitum ex multis æqualibus & indifferentibus unum præ alio eligere, & præſcribere in ordine ad bonum commune, quoties bono communi expedit unum ex eis præſcribi, ſunt enim, ut ſupponitur, utilia ad bonum commune, nec eſt ratio unum præ alio eligendi, & potiùs præſcribendi quàm aliud. Sic v.g. legislator, ex multis cæremoniis, has præ illis ad colendum Deum, & ex variis veſtium generibus, hoc præ illo ad proſcribendum luxum eligere & præſcribere.

Responsio IV.

Legislator humanus poteſt præcipere honeſta, non ſolùm in materia juſtitiæ, & prohibere vitia huic virtuti oppoſita, ſed etiam in materia virtutum aliarum.

Prob. Nam poteſtas ferendi leges, hominibus data, tantam habet latitudinem, quantam poſtulat bonum commune propter quod inſtituta eſt. Atqui bonum commune poſtulat, ut poteſtas ferendi leges, hominibus data valeat ad præcipienda honeſta non ſolùm in materia juſtitiæ, ſed etiam in materia aliarum virtutum, putà fortitudinis, temperantiæ, &c. Ergo, &c. Porrò, quia poteſtas ferendi leges alia civilis eſt, alia eccleſiaſtica, nec eſt idem finis utriuſque, non ad utramque pertinet præſcribere actus omnium virtutum, ſed ſolùm unaquæque præcipere poteſt actus virtutum illarum, quæ fini ſuo ſunt accommodatæ.

Responsio V.

Nullus legislator humanus præcipere poteſt actus virtutum omnium, aut prohibere omnia vitia. Ita S. Thomas hic q. 96. a. 3. in O.

Prob. Quia omnis lex humana, ſive civilis, ſive eccleſiaſtica, debet eſſe accommodata conditioni hominum, ita ut ſit de re moraliter poſſibili toti communitati, aut ſaltem majori parti communitatis. Atqui exercere actus virtutum omnium, & fugere vitia omnia, non eſt moraliter totius communitatis, aut etiam majoris partis illius, ſed perfectorum, qui pauci ſunt in qualibet communitate perfecta. Ergo, &c.

Minorem demonſtrat experientia. Major patet ex fine legis omnis, quod eſt bonum commune procurandum, & quod certè procurari non poteſt, niſi per leges hominum conditioni accomodatas, & quarum obſervatio moraliter poſſibilis eſt majori ſaltem parti communitatis: leges enim non accommodatæ conditioni hominum, & quarum obſervatio non eſſet moraliter poſſibilis, niſi paucis & perfectis, magnis perturbationibus occaſionem præberent, & in ſubditorum, ac proinde & communitatis ruinam vergerent.

Hinc legislator humanns non poteſt præcipere virginitatem perpetuam, jejunia frequentiſſima, &c. Item non poteſt prohibere vitia quædam contra juſtitiam, caſtitatem, & alias virtutes, quæ non niſi difficillimè à majori parte communitatis vitari poſſunt. At poteſt præcipere actus illos virtutum, qui ad bonum commune, ſi à ſubditis exerceantur, multùm conducere poſſunt, & aliundè accommodati ſunt ordinariæ hominum facultati. Item prohibere poteſt actus illos vitiorum, qui noxii ſunt bono communi, & cum morali communitatis utilitate coerceri & puniri poſſunt. Quando verò vitia non ſunt communitati noxia, aut majora mala timentur ex eorum caſtigatione, tolerari debent à legislatore.

Porrò reſponſio noſtra intelligi debet de legibus communibus, quæ etiam nolentibus imponuntur, non de Religioſorum regulis, quæ ſponte ſuſcipiuntur ex amore perfectionis chriſtianæ, quamvis & illarum obſervatio debeat eſſe moraliter poſſibilis majoris ſaltem parti communitatis religioſæ. 2. De legibus præceptivis & prohibitivis; leges enim declarativæ juris divini verſari poſſunt circa omnes actus virtutum, vel vitiorum, declarando ſcilicèt illos bonos, vel malos eſſe. 3. De legibus præceptivis & prohibitivis abſolutè: poteſt enim legislator humanus, ex aliqua hypotheſi voluntaria, ſubditis præcipere v.g. perpetuam caſtitatem, ut re ipſa ſuſcipientibus ſacros ordines præcipit Eccleſia. Item ex hypotheſi gravis delicti liberè commiſſi, graviſſimas

vissimas pœnas potest imponere, ut docet usus Ecclesiæ.

ARTICULUS IV.

Utrùm, & quando leges humanæ obligent in conscientia.

Responsio I.

Lex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest obligare in conscientia.

Prob. 1. de lege civili. Nam lex dicitur obligare in conscientia, quando is qui transgreditur legem, offendit Deum: tunc enim transgressor legis lædit conscientiam suam. Atqui fieri potest, ut qui transgreditur legem civilem, Deum offendat; & re vera Deum offendit, quoties legislator civilis subditos obligare vult. Ergo, &c.

Prob. min. ex Apostolo Rom. cap. 13. ubi loquens de potestate civili, sic ait: *Non est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Unde sic argumentor breviter. Qui Deo resistit, Deum offendit. Undè, ut subjicit Apostolus, resistendo sibi damnationem acquirit. Sed qui resistit potestati civili, transgrediendo legem ab ea latam, Deo resistit. Ergo Deum offendit. Hinc Apostolus subjicit: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Prob. 2. de lege ecclesiastica. Transgressio legis ecclesiasticæ potest esse offensa Dei. Ergo potest lædere conscientiam transgredientis. Ergo lex ecclesiastica potest obligare in conscientia. Patet utraque conseq. ex dictis. *Prob. ant.* ex verbis Christi, Principes ecclesiasticos sic alloquentis Luc. c. 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Undè sic argumentor breviter. Qui spernit Deum, Deum offendit. Sed qui spernit Principes Ecclesiasticos, leges ab illis latas transgrediendo, spernit Deum. Ergo qui spernit Principes Ecclesiasticos, seu, quod idem est, qui transgreditur leges ecclesiasticas, Deum offendit.

Ratio à priori pro utraque parte est, quia qui violat jus alterius, Deum offendit: Deus enim vult ut suum unicuique tribuatur, & violare jus alterius, est intrinsecè malum, unde prohibitum est lege divina naturali; & ita qui violat jus alterius, peccat contra legem divinam naturalem, proindèque offendit Deum. At non obtemperans præcepto legislatoris, sive civilis, sive ecclesiastici, violat jus ejus: omnis enim legislator, sive civilis, sive ecclesiasticus, jus habet præcipiendi, & consequenter jus habet, ut sibi præcipienti obtemperetur. Ergo non obtemperans præcepto legislatoris, sive civilis, sive ecclesiastici, offendit Deum. Sed offendendo Deum, lædit conscientiam suam. Ergo, &c.

Responsio II.

Lex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest inducere obligationem in conscientia, sufficientem ad peccatum mortale.

Prob. Lex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest inducere obligationem in conscientia gravem. Ergo potest inducere obligationem in conscientia, quæ ad mortale peccatum sufficiat.

Prob. 1. *ant.* Nam legislator humanus, tam civilis quàm ecclesiasticus, potest pro suo jure per legem suam exigere aliquid grave, illudque graviter exigere à subditis, quoties id necessarium est, aut saltem expedit ad bonum commune. Ergo quoties id necessarium est, aut saltem expedit ad bonum commune, potest pro jure suo imponere obligationem in conscientia subditis suis reddendi sibi aliquid grave, quod graviter exigit: nam si potest pro jure suo aliquid à subditis per legem suam exigere, hoc ipso quòd exiget, subditi tenebuntur in conscientia illud reddere. Atqui obligatio in conscientia reddendi aliquid grave, quod graviter quis exigit pro jure suo, gravis est: obligatio enim in conscientia reddendi debitum, non potest non esse gravis, quando id quod debetur, grave est, & graviter, hoc est, ex integro jure exigitur. Ergo, &c.

Prob. 2. *conseq.* Nam omnis obligatio in conscientia sufficit ad aliquam Dei offensam. Imò eatenùs aliquis dicitur obligari in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum, quatenùs illud omittere vel facere non potest, quin Deum offendat, & ita illud omittendo vel faciendo, conscientiam suam lædat. Ergo omnis obligatio in conscientia gravis sufficit ad gravem Dei offensam. Atqui omnis offensa Dei gravis est peccatum mortale: affert enim mortem spiritualem animæ, & inducit reatum æternæ damnationis. Ergo omnis obligatio in conscientia gravis sufficit ad peccatum mortale, & consequenter si lex humana potest inducere obligationem in conscientia gravem, quando id necessarium est, vel expedit ad bonum commune, potest, quando id necessarium est, vel expedit ad bonum commune, inducere obligationem in conscientia, sufficientem ad peccatum mortale.

Obj. 1. Inferior non potest ligare in foro superioris, Ergo homo non potest ligare in foro conscientiæ, quòd est forum Dei. 2. Nemo ligare potest in eo foro, in quo non potest solvere. Sed legislator humanus non potest solvere in foro conscientiæ. Ergo, &c. Nulla lex humana obligat ad pœnam aliquam, nisi per ipsam legem expressè imponatur. Atqui nulla lex civilis expressè imponit pœnam peccati mortalis, seu damnationis æternæ. Ergo nulla lex civilis obligat ad pœnam peccati mortalis, & consequenter nulla lex humana imponit obligationem in conscientia, sufficientem ad peccatum mortale.

R. ad 1. ant. falsum esse, quando inferioris præceptum violari non potest sine offensa superioris: tunc enim præceptum ab inferiore impositum obligat in foro superioris, cujus est offensam suam vindicare. Propter eandem rationem. R. *ad* 2. neg. maj. cujus falsitas ostenditur etiam ex eo, quòd quilibet hominum, v. gr. per votum, possit se ipsum ligare in foro conscientiæ, licèt non possit in illo se ipsum solvere. *R. ad* 3. majorem veram esse de pœnis, pro culpa determinandis, non de pœnis ex natura rei cum culpa connexis, qualis est pœna damnationis æternæ; nam ex natura rei connexa est cum culpa mortali. Unde fit, ut lex humana, quælibet, gravem in conscientia obligationem, ac proinde ad mortale peccatum sufficientem imponens, hoc ipso quòd talem imponit obligationem, obliget transgressores ad damnationem æternam.

Responsio III.

Ad hoc ut lex humana, sive civilis, sive ecclesiastica, gravem in conscientia, ac proinde sufficientem ad mortale peccatum imponat obligationem, requiritur materia gravis, graviter præcepta, vel prohibita.

Prob. 1. Quòd requiratur materia gravis. Nam legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus, habet potestatem obligandi limitatam, & proportionatam exigentiæ & capacitati materiæ: illimitatam enim potestatem obligandi in legislatore humano, ita ut possit pro arbitrio circa res levissimas graves obligationes imponere, nec exigit nec patitur bonum commune, propter quod hominibus data est potestas per leges obligandi. Atqui materia levis, quantùm est ex se, nec exigit, nec potest esse subjectum gravis obligationis, sed levis tantùm. Ergo, &c. Dixi autem, quantùm est ex se; quia Deus pro supremo suo dominio, & propter justas causas quas habere potest, ad rem aliquam levem faciendam, vel omittendam, potest graviter obligare, ut patet ex præcepto primis parentibus in statu innocentiæ imposito.

Porrò ad gravitatem materiæ duo requiruntur. Et 1. quidem, ut finis proximus legis, ratione cujus materia præcepta constituitur in tali vel tali specie virtutis,

tutis, sit magni momenti in ordine ad bonum commune. 2. Ut id quod præcipitur, multùm ad finem illum conferat. Sic v. g. quia finis justitiæ est magni momenti in ordine ad bonum commune, & ad illud procurandum necessarius est, si finis proximus legis sit ut unusquisque, quod suum est habeat, & id quod præcipitur multùm conferat ad hunc finem, ita ut per transgressionem præcepti, multùm lædatur æqualitas servanda, materia præcepta gravis est.

Prob. 2. quòd requiratur materia graviter præcepta, vel prohibita. Obligatio in conscientia, quàm imponit lex, est effectus moralis, quem facit legislator per applicationem juris quod habet ad obligandum. Ergo lex imponit obligationem in conscientia gravem vel levem, prout legislator jus obligandi quod habet, applicat ad obligandum sub gravi, vel sub levi. Atqui legislator humanus etiam in materia gravi potest pro arbitrio jus obligandi quod habet applicare ad obligandum sub gravi, vel sub levi: nam exercitium juris obligandi, quod habet legislator humanus, est in ejus libera potestate, & potest, si velit, hoc jure uti moderatè, nec tantam imponere obligationem, quantam posset imponere: quod etiam interdùm conducere potest ad rectam gubernationem. Ergo lex humana imponit obligationem in conscientia gravem, vel levem, etiam in materia gravi, prout legislator vult jus obligandi quod habet, applicare ad obligandum sub gravi, vel sub levi. Ergo ut lex humana etiam in materia gravi imponat obligationem in conscientia gravem, requiritur, ut legislator humanus jus obligandi quod habet, applicet ad obligandum sub gravi, volendo tantam obligationem imponere, quantam potest, remque ex toto jure suo præcipiendo, vel prohibendo, quod est rem graviter præcipere vel prohibere. Ergo, &c.

Obj. 1. Legislator humanus non potest rem levem præcipere vel prohibere sub gravi. Ergo nec potest rem gravem præcipere prohibere sub levi. *R.* neg. conseq. Itaque legislator humanus non potest præcipere vel prohibere rem levem sub gravi, quia hoc excedit limites potestatis ejus, & solus Deus, propter supremum quod habet in creaturas suas dominium, hoc potest. At legislator humanus potest rem gravem præcipere vel prohibere sub levi; quia sicut rem gravem liberè præcipit vel prohibet, ita rem gravem præcipiendo vel prohibendo, jus obligandi quod habet, liberè applicat ad obligandum, & ita, si vult, applicat ad obligandum sub levi tantùm, potestque sic applicandi justas & rationabiles causas habere, ut patet ex multis legibus & constitutionibus religiosis, approbatis à Summis Pontificibus, quæ licèt sint de rebus gravibus, & ad mortale peccatum sufficientibus, sub mortali tamen non obligant, quia expressè declarant se nolle tantam obligationem imponere.

Quæres, quandonam legislator humanus aliquid graviter præcipiat vel prohibeat.

R. Legislator humanus aliquid graviter præcipit vel prohibet, 1. Quando per legem suam explicat se velle obligare sub mortali, ut quandoque faciunt legislatores Ecclesiastici; aut se velle obligare, quantùm potest.

2. Quando legislator fert legem cum interminatione, vel impositione gravis pœnæ, sive temporalis, sive spiritualis, nisi tamen constet ex tenore legis, eam esse purè pœnalem, qualem esse contingere potest legem, qua pœna purè temporalis imponitur.

3. Quando legislator absolutè præcipit vel prohibet, & materia quæ præcipitur vel prohibetur, gravis est. Tunc enim verbum præcipiendi vel prohibendi, absolutè prolatum sufficiens indicium est voluntatis obligandi graviter: nam tunc legislator censetur se accommodare gravitati materiæ.

Porrò ad hoc ut legislator præcipiendo vel prohibendo aliquid grave, graviter obliget, necesse non est ut id verbis exprimat, vel præcipiat, aut prohibeat cum interminatione, vel impositione gravis pœnæ: nam v. g. Deus per legem suam, sive naturalem, sive positivam, absolutè præcipiens vel prohibens aliquid grave, censetur ab omnibus illud graviter præcipere vel prohibere: sicut absolutè præcipiens vel prohibens aliquid leve, censetur ab omnibus illud præcipere vel prohibere leviter, quia censetur ab omnibus absolutè præcipiendo vel prohibendo, accommodare se gravitati aut levitati materiæ. Similiter, qui simpliciter vovet aliquid, censetur se accommodare gravitati vel levitati materiæ quàm vovet, & se obligare graviter, si materia gravis, leviter verò, si levis est. Quidni ergo idem censebitur de legislatore humano, simpliciter & absolutè aliquid præcipiente vel prohibente?

4. Denique, quòd legislator humanus aliquid præcipiat vel prohibeat graviter, cognosci potest ex alia lege, istam explicante, aut ex communi hominum consensu existimantium legem graviter obligare; non enim præsumi potest, omnes errare: vel ex usu & consuetudine aliqua; nam consuetuetudo est optima legum interpres.

ARTICULUS V.

Utrùm lex humana obliget sub mortali, ne violetur ex contemptu, etiam in minimis.

NOta 1. Contemptus alius est rectus & ordinatus, alius verò vitiosus & inordinatus. Ordinatus est ille, quo res aliqua, vel persona parvi æstimatur, quia parva est, & parvi facienda. Inordinatus est ille, quo res vel persona aliqua minoris æstimatur, quàm debet, & ejus dignitas postulat. Duplex autem distinguitur, nempe formalis & virtualis, seu interpretativus. Res vel persona contemnitur virtualiter & interpretativè, quando fit aliquid quo res persona aliis immeritò postponitur, quamvis id non intendatur directè, Sic. v. gr. peccator quilibet per quodlibet peccatum mortale contemnit Deum virtualiter & interpretativè, quia per quodlibet peccatum mortale, licèt non hoc directè intendat, creaturam anteponit Deo, volendo creatum aliquid, incompossibile cum possessione Dei.

Contemptus formalis est, quando aliquid fit ex intentione directa & expressa, ut res vel persona ostendatur contemni: aut etiam ut contemnatur ab aliis: qui modus contemnendi altero longè deterior est, & consistere potest modò in tribus actibus, modò in duobus tantùm.

Nam qui rem vel personam contemnit formaliter, aliquando minùs rectè, aliquando verò rectè sentit de re vel persona quam contemnit. In primo casu, contemptus formalis dicit intrinsecè tres actus, actum scilicet intellectus, minùs quàm par est, de re vel persona existimantis; actum voluntatis, hanc justo minorem existimationem exteriùs manifestare, & aliis ingenerare volentis, & effectum externum, seu id quod exteriùs fit vel omittitur, ex intentione manifestandi, & aliis ingenerandi existimationem illam justo minorem.

In secundo verò casu, in quo contemnens, propter evidentiam qua convincitur, non potest non habere rectam de re vel persona existimationem, contemptus formalis duos tantùm dicit actus, nempè affectum rem vel personam contemnendi, & effectum externum, seu id quod ex affectu contemnendi rem vel personam, exteriùs fit vel omittitur à contemnente, ut ostendat se rem vel personam contemnere interiùs, aut etiam ut ab aliis contemni procuret.

Nota 2. Contemptus formalis, ut dictum est, versari potest circa rem vel personam. Quando versatur circa rem præceptam, pertinet ad vitium, quod opponitur virtuti præceptæ. Sic v. g. contemptus formalis jejunii pertinet ad speciem intemperantiæ, quia intemperantia opponitur virtuti, cujus actum præcipit lex jejunii; & formalis contemptus orationis pertinet ad speciem irreligionis; quia irreligio opponitur virtuti, cujus actum imperat præceptum orationis. Quando verò versatur circa personam, vel versatur circa personam indifferentem, vel circa superiorem,

vel

vel circa parentes, vel circa Deum. Si primum, est injustitia. Si secundum, est irreverentia. Si tertium, est impietas. Si denique quartum, est irreligio.

Nota 3. Lex humana potest dupliciter contemni, formaliter scilicet, & virtualiter seu interpretativè. Contemnitur formaliter, cùm aliquid exteriùs fit vel omittitur contra illam, ex intentione directa & expressa, ut ostendatur contemni, aut etiam ab aliis contemnatur, sive id quod exteriùs fit vel omittitur contra illam, intentionem talem præ se ferat ex natura sua, sive non. Contemnitur virtualiter & interpretativè, cùm affectivè minoris fit quàm debet, seu, quod idem est, cùm subditus minùs quàm par est, ad illam afficitur. Unde semper contemnitur virtualiter & interpretativè, quotiescumque violatur; quia quotiescumque subditus transgreditur legem, minùs quàm par est, ad illam afficitur, & ita affectivè minoris illam quàm par est, facit. Sic autem legem humanam contemnere in re levi, non est peccatum mortale; cùm nequidem sit peccatum mortale, sic legem divinam in re levi contemnere; alioquin leges divinæ nunquam violarentur sine peccato mortali, quando quidem nulla planè lex violari potest sine virtuali & interpretativo contemptu in sensu explicato.

Nota 4. Quando lex humana contemnitur contemptu formali, vel contemnitur ex parte rei præceptæ, vel ex parte legislatoris, vel ex parte utriusque. Contemnitur ex parte rei præceptæ, cùm aliquid exteriùs fit vel omittitur ex directa intentione, ut res præcepta ostendatur parvi fieri, aut etiam ut ab aliis parvi fiat. Contemnitur ex parte legislatoris, cùm aliquid exteriùs fit vel omittitur ex directa intentione, ut ostendatur parvi fieri, vel etiam ut ab aliis parvi fiat authoritas vel persona legislatoris. Contemnitur ex parte utriusque, cùm aliquid exteriùs fit vel omittitur ex intentione expressa, ut ostendatur parvi fieri, aut etiam ab aliis parvi fiat tum res præcepta, tum authoritas, vel persona legislatoris, sive interiùs, quod semper supplendum est, re ipsa parvi fiant per existimationem justo minorem, sive non.

Dixi autem, authoritas, vel persona legislatoris: potest enim legislator dupliciter considerari, nimirùm formaliter, ut legislator est & superior, & materialiter, ut est hic homo. Unde cùm lex humana formaliter contemnitur ex parte legislatoris, contemni potest vel ex parte legislatoris formaliter sumpti, ut est legislator & superior; vel ex parte legislatoris materialiter sumpti, ut est hic homo; vel denique ex parte legislatoris utroque modo sumpti, & ut est superior, & ut est hic homo. Si lex humana primo modo contemnitur, contemnitur authoritas legislatoris: si secundo modo, contemnitur persona legislatoris: si tertio, seu utroque modo contemnitur, contemnitur & authoritas & persona legislatoris.

Nota 5. Certum est, non semper esse peccatum mortale, quòd lex humana contemnatur etiam formaliter ex parte rei præceptæ. Ratio est, quia res præcepta potest esse parvi momenti. Non est autem gravis inordinatio in eo, quòd res parvi momenti etiam formaliter contemnatur. Item certum est, non semper esse peccatum mortale, quòd lex humana contemnatur formaliter ex parte legislatoris, materialiter sumpti, ut est hic homo, & habet defectum aliquem: nam potest esse veniale ex levitate materiæ, & modo contemnendi. Tota ergo difficultas est de contemptu formali legis humanæ ex parte legislatoris formaliter sumpti, ut legislator & superior est. Sed pro resolutione sit

Responsio.

Transgredi legem humanam ex' formali contemptu legislatoris humani formaliter sumpti, semper est peccatum mortale.

Prob. Transgredi legem humanam ex contemptu formali legislatoris humani formaliter sumpti, est eam transgredi ex contemptu formali legislatoris humani, sumpti ut est minister Dei, & vicem ejus gerit. Nam legislator humanus, formaliter sumptus, est legislator humanus, quà legislator & superior; & legislator humanus, quà legislator & superior, est legislator humanus, quà minister Dei, & Dei vicem gerens, juxta illud Apostoli Rom. c. 13. de legislatoribus humanis, quà talibus loquentis: *Ministri Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* videlicet ut malos legibus suis coerceant. Atqui transgredi legem humanam ex formali contemptu legislatoris humani, sumpti ut est minister Dei, & vicem ejus gerit, semper est peccatum mortale. Ergo, &c.

Prob. min. Nam transgredi legem humanam ex formali contemptu ipsius Dei, semper est peccatum mortale: aliquid enim exteriùs facere vel omittere ex directa intentione ostendendi; vel aliis ingenerandi minorem de Deo existimationem, etiamsi illud quod exteriùs fit vel omittitur, quid minimum sit, gravem continet inordinationem, quia sic contemni graviter disconvenit infinitæ Dei majestati. Atqui transgredi legem humanam ex formali contemptu legislatoris humani, sumpti ut minister est Dei, & Dei vicem gerit, est illam transgredi ex formali contemptu ipsiusmet Dei: nam ex natura rei injuria ministri, ut talis, est simul & indivisibiliter injuria Domini. Unde illud Christi Luc. c.10. *Qui vos spernit, me spernit*: & illud Apostoli Rom. c. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ergo, &c.

Obj. Formalis contemptus legislatoris humani, etiam formaliter sumpti, non est gravius peccatum, quàm furtum, inobedientia, sacrilegium, &c. quæ tamen interdùm sunt tantùm peccata venialia, ob materiæ levitatem. Ergo, &c. *R.* neg. ant. & dico formalem contemptum legislatoris humani, formaliter sumpti, fieri non posse levem per levitatem materiæ, quia formalis contemptus legislatoris humani, formaliter sumpti, est simul & indivisibiliter formalis contemptus Dei. Omnis autem formalis contemptus Dei est mortalis, quia propter excellentiam infinitam divinæ majestatis, gravem deordinationem, proindeque gravem malitiam continet, quantumvis in re minimi momenti contemnatur, Deus.

ARTICULUS VI.

Utrùm lex humana obliget cum periculo cujuscumque nocumenti temporalis, etiam mortis.

Responsio I.

Legislator, tam civilis quàm ecclesiasticus, potest quandoque suis legibus obligare cum mortis periculo.

Prob. Legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus, potest id totum, quod ad bonum commune procurandum necessarium est. Est enim in quavis communitate perfecta, sive civili, sive ecclesiastica, tota potestas necessaria ad sui conservationem & bonum commune procurandum. Nam Deus, ut author naturæ, cujuslibet communitatis civilis, & Christus Ecclesiæ gubernationi, & communi bono sufficientissimè providit. Atqui quandoque ad reipublicæ conservationem & commune bonum procurandum necessaria est lex, obligans ad aliquid agendum, vel in aliquo loco perieverandum cum periculo vitæ. Ergo, &c.

Obj. Quando communitatis conservatio & bonum commune postulat, ut subditi aliquid agant cum vitæ periculo, tunc sola lex naturalis obligat ad subeundum mortis periculum, & lex humana solùm cogit subditos ad satisfaciendum obligationi naturali. Ergo, &c. *R.* tunc legem naturalem obligare subditos in communi ad subeundum periculum. Unde adhuc necessaria est lex humana, quæ hanc obligationem ad has vel illas personas applicet, quæ applicatio esse non potest sine præcepto propriè dicto, & propriè obligante has vel illas personas determinatè; proindeque supponit in legislatore humano potestatem non solùm cogendi ad servandum obligationem naturalem, sed etiam imponendi veram obligationem.

Præterea, quando communitatis conservatio & bonum commune non postulat, ut hoc potiùs fiat quàm illud cum vitæ discrimine, certè lex naturalis non obligat subditos etiam in communi ad hoc potiùs faciendum quàm illud. Necesse igitur est ut interveniat legislatoris humani præceptum, ut subditi ad hoc potius quàm illud faciendum obligentur, quæ certè obligatio non est legis naturalis, sed humanæ.

Item quando certum non est, quòd communitatis conservatio & bonum commune postulet, ut hoc vel illud fiat cum mortis periculo, tunc certum non est, quòd lex naturalis obliget subditos etiam in communi. At ubi primùm intervenit judicium & præceptum legislatoris, præcipientis ut hoc vel illud fiat, tunc est certa obligatio hoc vel illud faciendi etiam cum vitæ discrimine. Hæc autem obligatio non per legem naturalem, sed per humanam inducitur.

Responsio II.

Lex humana tunc maximè, & quasi per se obligat cum periculo vitæ, quando tale periculum per se conjunctum est actui præcepto, modò tamen lex justa sit, quod semper præsumi debet, nisi contrarium constet evidenter.

Prob. Nam si tunc lex humana non obligat cum periculo vitæ, vel quia legislator humanus nunquam potest obligare cum tali periculo; vel quia tale periculum censeri potest esse præter scientiam legislatoris, & ita censeri potest legislator noluisse cum tanto periculo obligare; vel denique quia lex justa non est. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex Resp. I. Non secundùm: nam periculum per se connexum cum actu præcepto, censeri non potest ignoratum esse à legislatore, & ita censeri non potest legislator non habuisse intentionem obligandi cum tali periculo. Non denique tertium, quia supponitur legem justam esse, ad quod requiritur in præsenti casu, ut lex præcipiat aliquid grave, & valdè necessarium ad bonum statum, vel conservationem reipublicæ; nam respublica non habet dominium vitæ civium, sed solùm convenientem usum, & ita non potest propter leves & ordinarias causas cives obligare & cogere ad vitam perdendam, sed solùm propter graves, & non ordinarias, & quandoid absolutè, aut saltem valdè necessarium est ad ejus bonum statum, vel conservationem. Ergo, &c.

Porrò semper præsumendum est pro justitia legis, quando injustam esse non apparet manifestè, & ita lex servanda est etiam in præsenti casu, nisi manifestè appareat injustam esse; quia in dubio tutior pars semper tenenda est, & in dubio semper prævalet jus superioris juri inferiori, & quamvis quilibet homo jus habeat in vitam suam, tamen in eam majus habet jus respublica, quia civis magis est reipublicæ, quàm sui ipsius.

Obj. 1. Dare vitam propter opus quod non est per se necessarium ad salutem vel honestatem, est opus supererogationis. Atqui lex humana non potest ejusmodi opera præcipere. Ergo, &c. *R.* per opus supererogationis vel intelligi opus quod lege divina, sive naturali, sive positiva, præceptum non est, sed est utroque jure divino indifferens; vel opus, quod non habet necessariam connexionem neque cum fine ultimo, neque cum temporali vel spirituali bono communi reipublicæ: Si primum, falsum est quòd lex humana non possit præcipere opera supererogationis; potest enim præcipere multa, quæ nullo jure divino præcepta sunt: cum talis potestas ad rectam reipublicæ gubernationem requiratur. Si secundum, fateor legem humanam non posse præcipere opera supererogationis, præsertim cum periculo vitæ. At nego quòd dare vitam pro republica sit semper tale opus; nam quandoque habere potest connexionem necessariam cum bono statu reipublicæ, vel ejus conservatione.

Obj. 2. Homo quilibet lege naturali tenetur vitam conservare. Ergo, nulla lex humana obligare potest ad illam perdendam. *R.* Duplex est naturale præceptum conservandi vitam, unum negativum, & alterum affirmativum. Negativum est illud, quo lex naturalis prohibet ne quis se ipsum occidat, & quod obligat semper & pro semper. Affirmativum est illud, quo lex naturalis præcipit, ut aliquid fiat ad conservandam vitam, & mortem vitandam. Hoc autem præceptum non obligat pro semper, Nam recta ratio dictat, vitam exponi posse periculo pro bono communi, quando id postulat bonum commune, imò & propter multas alias causas rationabiles & honestas.

Responsio III.

Quando mortis periculum non est per se, sed solùm contingenter connexum cum actu præcepto, tunc lex humana per se non obligat cum periculo vitæ.

Prob. 1. à pari. Lex positiva divina, quæ humana longè gravior est, non solet obligare cum periculo vitæ, quando tale periculum non est nisi contingenter connexum cum actu præcepto. Ergo multò minùs obligat lex humana. Probari potest ant. multis exemplis, ut exemplo Davidis, qui propter necessitatem comedit panes propositionis, quos tamen comedere, lege divina prohibitum erat laicis. Exemplo Machabæorum, qui licitè contra hostes pugnaverunt die sabbati, &c. Ostendi etiam potest ex lege Christi, qua materialis integritas confessionis præcipitur, & quæ aliquando non obligat propter grave aliquod periculum.

Prob. 2. Idem judicium esto de omni alia lege humana, ac de lege jejunii. Atqui lex jejunii non obligat cum periculo vitæ. Ergo, &c. Ratio à priori, & omnibus humanis legibus communis est, quia legislator humanus potestatem non habet obligandi ad actum quem præcipit, non obstante quacumque necessitate, accidentaliter adveniente; quia talis potestas non requiritur ad bonum commune procurandum, imò bono communi potiùs obesset, quàm prodesset: vel certè, si habuit potestatem obligandi pro tali casu, rectè censetur noluisse obligare: nam prudens legislator, qualis semper præsumi debet is qui legem tulit, non obligat quantùm potest, sed cum moderatione & benignitate, nisi aliud bonum commune evidenter exigat. Hinc si obligatio aliqua gravior sit & durior, licèt non sit manifestè injusta, & supra legislatoris potestatem, meritò censetur esse præter ejus intentionem. Quod etiam in lege positiva divina interpretanda observant communiter Doctores.

Porrò ratio allata non solùm probat legem humanam non obligare cum periculo vitæ, contingenter conjuncto cum actu præcepto, sed nec obligare cum alio periculo gravis nocumenti, qualis est gravis infamia, vel magna bonorum temporalium jactura, quando similiter grave illud nocumentum cum actu præcepto connexum est contingenter tantùm.

Dixi autem in Resp. Per se non obligat: nam in quibusdam casibus lex humana per accidens obligat, etiam cum periculo vitæ, vel alterius cujuscumque gravissimi nocumenti, contingenter tantùm legis observationi adjuncto, ut quoties legis non observatio cederet in scandalum pusillorum, vel in contemptum religionis, aut legislatoris: item si legem non observans, fidem non profiteretur debito tempore, vel ad aliquid intrinsecè malum cooperaretur. Quandonam autem lex humana per accidens obliget ad sui observationem cum periculo vitæ, aut alterius cujuslibet nocumenti gravissimi, quod observationi legis non est nisi contingenter adjunctum, prudentum judicio relinquitur id definire ex circumstantiis.

Obj. 1. Bonum commune præferendum est bono privato, & homo tenetur vitam perdere pro bono communi. Ergo cùm lex humana propter bonum commune feratur, semper servari debet, nam obstante quocumque periculo accidentario. *R.* n. conseq. Itaque bonum commune privato præferri debet, & ita homo tenetur vitam perdere pro bono communi, quando id necessarium est. At licèt propter bonum commune feratur lex, eam tamen observari non semper necessarium

est

est ad bonum commune, cui sufficientissimè providetur, si regulariter, & extra casus extraordinarios de quibus agitur, observetur lex, quæ proinde sic finem suum consequitur sufficienter.

Obj. 2. Subditus licitè potest servare legem humanam, non obstante periculo mortis, quod actui præcepto accidentarium est. Ergo revera obligatur ad servandam legem humanam, non obstante, &c. *R.* neg. conseq. Aliud enim est obligari ad servandam legem cùm periculo mortis, & aliud licitè posse illam observare cum tali periculo. Plus enim ad primum requiritur quàm ad secundum; & quamvis ad utrumque gravis & justa causa requiratur, quia homo vitam suam prodigere non potest pro quacumque etiam levi causa; gravior tamen ratio necessaria est, ut subditus ad id obligari possit, quàm ut id propria sponte facere possit licitè & honestè: honesta enim, quando valdè ardua sunt & difficilia, non possunt nobis ab hominibus præcipi sine magna aliqua & speciali necessitate, qua non indigemus ad ea propria sponte facienda licitè & honestè. Hinc subditus potest licitè & honestè, vitam exponere pro bono communi, quoties hoc bono communi magnopere profuturum esse speratur. At non potest ad id obligari à legislatore humano, nisi hoc postulet extrema, vel saltem gravis aliqua necessitas boni communis.

Obj. 3. Non potest quis propter periculum mortis contrahere cum consanguinea in gradu prohibito per legem humanam. *R.* inde nihil sequi pro legibus merè præceptivis, vel prohibitivis, de quibus tantùm hic agitur, & quas negamus per se obligare cum periculo mortis accidentario. Lex enim prohibens matrimonium cum consanguinea in certo gradu, non purè prohibet, sed etiam irritat tale matrimonium, & quidem absolutè, non obstante quocumque periculo, quod non contrahendo incurri potest, ut constat ex communi sensu Doctorum, & praxi Ecclesiæ. Unde qui contrahit propter mortis periculum cum consanguinea in gradu prohibito per legem, peccat graviter: nam sic contrahendo vel tentat facere sacramentum, vel non tentat. Si primum sacrilegium admittit: qui enim tentat sacramentum facere; cùm non potest, sacrilegus est. Si secundum, saltem fictè agit in re gravi, quod esse non potest sine peccato mortali.

Dices. Lex humana irritans matrimonium cum consanguinea in certo gradu, irritat, non obstante periculo mortis accidentario. Ergo similiter lex humana purè præcipiens vel prohibens aliquem actum non obstante periculo mortis accidentario, obligat.

R. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia ad bonum statum & rectam gubernationem reipublicæ requiritur, ut lex irritans matrimonium cum consanguinea intra certos gradus, irritet illud absolutè & pro quocumque casu; nam si non irritaret absolutè & pro quocumque casu, innumera ejusmodi matrimonia fierent ob metum mortis, unde plurima & gravissima incommoda orirentur contra commune bonum reipublicæ, cui proinde non esset satis provisum. At verò ad bonum statum & rectam gubernationem reipublicæ sufficit, quòd lex purè præcipiens vel prohibens aliquem actum, ad illum faciendum vel omittendum regulariter, & extra casus extraordinarios, hoc est, extra periculum mortis, vel alterius gravis nocumenti, obliget; & sic tantùm obligando satis providet bono communi, proindeque satis consequitur finem suum, quod est bonum commune: non ergo debet majorem obligationem imponere.

Obj. 4. Regula Carthusianorum non vescendi carnibus, obligat ægrotos etiam cum vitæ discrimine. Ergo, &c. *R.* Carthusianos 1. posse licitè & laudabiliter abstinere ab esu carnium etiam cum periculo mortis, quia licitum est & laudabile, atque sanctorum usu confirmatum aliquid facere, unde vita brevior futura sit, modo id fiat ob gravem aliquam & honestam causam. 2. revera obligari ad abstinendum ab esu carnium cum mortis periculo quia lex non vescendi carnibus etiam cum vitæ periculo, in sancta illa religione lata, nec injusta est, nec durior censeri potest; nam lata propter magnam utilitatem, seu magnum bonum communitatis, nec obligat nisi homines illi se per vota liberè omissa voluntariè submittentes, & potest legislator humanus ad aliquem actum, etiam cum periculo mortis contingenter adjuncto, obligare homines legi voluntariè se submittentes, modò ad ferendam legem moveri possit magna aliqua utilitate, seu magno aliquo bono communitatis; neque tunc ad legem ferendam requiritur extrema vel gravis necessitas communitatis. Inde autem nihil sequitur contra assertionem nostram, in qua non agitur, nisi de lege humana aliquem actum præcipiente vel prohibente subditis, quibus liberum non est se submittere, vel non submittere obligationi legis, quales sunt subditi communitatis civilis, vel ecclesiasticæ.

Quæres, utrùm leges præsumptivæ obligent in conscientia.

R. Leges præsumptivæ non obligant in conscientia, quando fundantur in falsa præsumptione. Nam in foro conscientiæ non habetur ratio falsæ præsumptionis, sed solius veritatis. Sublato autem legis fundamento, lex non subsistit, nec obligat.

Porrò duplex est præsumptio, una periculi, seu potentiæ, quæ frequenter ad actum reducitur; altera vero facti. Quando lex fundatur in præsumptione periculi, licet non existat, nec extiturum sit factum quod timetur, nihilominùs manet legis obligatio. Sic v. g. lex irritans & prohibens testamenta, legata, & alios similes contractus, sine certa solemnitate facta, quamvis nulla fraus interceserit, habet tamen omnem effectum suum quia non in fraude facta, sed in periculo fraudis faciendæ fundatur. Idem dic de lege Conc. Trid. irritante & prohibente matrimonium clandestinum; quia fundantur in periculo variorum scelerum, quæ ex ejusmodi matrimoniis oriri possunt. Idem etiam dic de lege ejusd. Conc. irritante & prohibente votorum professionem factam ante decimum-sextum ætatis annum expletum; quia non in defectu judicii ad hanc professionem necessarii, fundatur, sed in periculo ut desit. Idem denique dic de lege irritante & prohibente bonorum Ecclesiæ alienationem, factam sine certa solemnitate; quia fundatur in periculo, ne in detrimentum Ecclesiæ fiat hæc alienatio.

Quando autem lex fundatur in præsumptione facti, quod supponitur in re existere, si factum non existit, & ita falsò præsumitur, lex non obligat, quia legislator non intendit obligare, nisi præsumptio cum veritate concordet, & factum re ipsa existat, quale præsumitur. Sic v. g. lex præcipiens ut obediatur sententiæ quia præsumit eam esse justam, non obligat, si sententia sit injusta. Sic etiam cùm Ecclesia præcipit aliquibus ut cohabitent, quia præsumit eos esse valido matrimonio conjunctos, nec obligat, nec obligare potest, si propter occultum aliquod impedimentum, matrimonium invalidum est; & illi quibus præcipit ut cohabitent, cohabitando peccant mortaliter. Porrò quandonam leges præsumptivæ fundentur in præsumptione periculi, quandonam in præsumptione facti, cognoscitur ex tenore & materia legis adjuncto usu, & interpretatione Doctorum.

DISPUTATIO VII.

De Lege pœnali.

ARTICULUS I.

Utrum possit dari lex pœnalis mixta, & an re ipsa detur.

Responsio I.

DAri potest lex pœnalis mixta.

Prob. Lex pœnalis mixta est ea, quæ obligat in conscientia ad faciendum vel omittendum aliquid, & simul pœnam imponit transgressoribus: unde con-

tinet præcepta duo, quæ in conscientia obligant, unum faciendi vel omittendi aliquid, alterum verò subeundi certam pœnam, si actus præceptus vel prohibitus, omittatur vel ponatur. Atqui dari potest hujusmodi lex. Nam lex hujusmodi non superat potestatem legislatoris humani, sive civilis, sive ecclesiastici; imò recta gubernatio & bonum commune postulant, ut hanc potestatem habeat legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus: lex enim ad aliquid faciendum, vel omittendum obligans, & simul pœnam transgressoribus imponens, nullam continet injustitiam, & potest esse valdè conveniens, imò & moraliter necessaria communitati, quia obligatio in conscientia ad faciendum vel omittendum actum cum obligatione ad pœnam, magis urget, quàm alterutra tantùm, & potest sæpè contingere, ut una tantùm obligatio sit parum efficax. Ergo, &c.

Responsio II.

Reverà dantur leges pœnales mixtæ.

Prob. Lex præcipiens sub aliqua pœna, ut aliquid fiat vel non fiat, simul obligat in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, & pœnam imponit transgressoribus. Atqui dantur legis hujusmodi, tum civiles, tum ecclesiasticæ, ut constat ex utroque jure, civili & canonico. Ergo, &c. *Prob. maj.* Et 1. quidem clarum est, quòd talis lex transgressoribus pœnam imponat; hoc enim expressè dicunt verba legis. 2. Quòd talis lex obliget in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, patet ex eo quòd præcipit ut aliquid fiat vel non fiat: legitimum enim superioris præceptum necessariò & ex natura rei inducit obligationem in conscientia.

Præterea, pœnæ temporalis adjectio, 1. non est incompossibilis cum obligatione in conscientia, ad faciendum vel non faciendum aliquem actum, ut ostensum est. 2. Non est sufficiens indicium, quòd superior nolit præcipere, & consequenter nolit obligare in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, quia superiores non solent pœnas adjicere, ut præceptum suum destruant, sed è contra ut illud muniant, atque ad illud implendum subditi efficaciùs inducantur. Ergo, &c.

Obj. Qui unum è duobus exprimit, & alterum tacet censetur illud excludere quod tacet. Atqui in legibus de quibus agitur, legislator unum exprimit, nempe pœnam temporalem, & alterum tacet, nempe obligationem in conscientia ad faciendum vel non faciendum aliquid. Ergo censetur hanc obligationem excludere. *R.* eum qui unum exprimit, & aliud tacet, excludere illud quod tacet, quando aut unum est incompossibile cum alio, aut alterutrum è duobus eligendum est, aut expressa utriusque mentio facienda est, nec sufficit implicita. At 1. obligatio ad pœnam temporalem non est incompossibilis cum obligatione in conscientia, ad faciendum vel non faciendum aliquem actum, sed è contra utiliter & convenienter conjungi possunt. 2. Propter hanc rationem cùm legislator ferit legem, non tenetur alterutram obligationem eligere. 3. Non est necessaria expressa mentio obligationis in conscienita, faciendi vel non faciendi aliquem actum, sed omninò sufficit implicita, contenta in præcepto, quo legislator sufficienter significat se obligare in conscientia sub mortali vel veniali, prout materia quæ præcipitur, gravis est vel levis: nam obligatio in conscientia essentialiter adnexa est præcepto, nec solet aliter significari quàm præcipiendo.

Itaque ut legislator, etiam ea lege qua pœnam transgressoribus expressè imponit, obliget in conscientia ad aliquid faciendum vel non faciendum, sufficit, si velit præcipere, & præcipiat ut fiat vel non fiat aliquid, sive cogitet de obligatione in conscientia, sive non; sive expressè intendat obligare in conscientia, sive non; sive sciat quid sit obligatio in conscientia, sive non: tunc enim vis naturalis præcepti inducit obligationem in conscientia faciendi vel non faciendi actum, quem fieri vel non fieri lex præcipit, sive purè præcipiat, sive præcepto certam pœnam temporalem apponat. Hinc Principes infideles, qui leges suas ferendo aut ignorant quid sit obligatio in conscientia, aut saltem de ea non cogitant, hoc ipso quòd volunt præcipere, & præcipiunt aliquem actum, ad illum obligant in conscientia, ut probant verba Apostoli Rom. c. 13. aliàs jam non semel citata.

ARTICULUS II.

Utrùm possint dari, & re vera dentur leges purè pœnales.

Responsio I.

DAri possunt leges purè pœnales.

Prob. Lex purè pœnalis est ea, quæ unum tantùm continet præceptum, illudque disjunctivum, scilicet vel faciendi aut non faciendi actum aliquem, vel subeundi aut exequendi pœnam aliquam, si fiat aut non fiat actus. Atqui dari possunt leges hujusmodi: nam sicut legislator potest non præcipere, ut actus fiat aut non fiat, ita potest vel absolutè præcipere ut fiat aut non fiat; vel præcipere disjunctivè, ut vel fiat, aut non fiat; vel si non fiat, aut fiat, subeatur pœna quam apponit: potest enim habere causas rationabiles præcipiendi disjunctivè tantùm, modo explicato, putà ut magis vitetur periculum peccandi, & quia subditi ad actum præceptum vel prohibitum faciendum vel omittendum, sufficienter impelluntur timore pœnæ: imò hic modus præcipiendi quandoque magis expedit saluti & bono communi subditorum. Ergo, &c.

Obj. 1. Lex non potest obligare ad actum sub pœna, quin obliget sub culpa. Atqui lex pœnalis obligat ad actum sub pœna. Ergo etiam obligat sub culpa, & consequenter nulla purè pœnalis esse potest. *Probabis major.* Nam lex debet esse juxta. Lex autem obligans ad actum sub pœna, & non obligans sub culpa, non esset justa, sed injusta: infligeret enim pœnam, nulla supposita culpa, quod injustum est, quia, ut ait S. Augustinus lib. 1. retract. c. 9. *omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.*

R. dist. maj. Lex non potest obligare ad actum sub pœna propriè & strictè dicta, quin obliget sub culpa, C. maj. nam pœna propriè & strictè sumpta, est malum aliquod propter culpam inflictum, unde supponit culpam aliquam, propter quam infligatur: de pœna autem hoc modo sumpta loquitur S. Augustinus loco citato. Lex non potest obligare ad actum sub pœna impropriè & latè dicta, quin obliget sub culpa. N. maj. nam pœna impropriè & latè dicta, est onus quoddam, seu incommodum, quod imponitur, non propter culpam aliquam, sed aliam ob causam, putà ut subditi metu illius inducantur ad faciendum, vel non faciendum aliquem actum; unde culpam non supponit, sed solùm v. g. omissionem vel positionem alicujus actus, licet nullo jure sit præceptus vel prohibitus.

Ad min. autem dico, legem pœnalem mixtam obligare sub pœna propriè & strictè sumpta: unde ad actum aliquem faciendum vel omittendum, non solùm obligat sub pœna, sed etiam sub culpa. Lex verò purè pœnalis obligat tantùm sub pœna impropriè & latè sumpta; unde ad aliquem faciendum vel omittendum obligat sub pœna tantùm. In hoc ergo lex pœnalis mixta, & purè pœnalis differunt, quòd prima duplicem imponat obligationem in conscientia, unam ad aliquid faciendum vel omittendum, & alteram, si illud omittatur vel fiat, ad subeundum malum aliquod, quod est propriè pœna, quia culpam supponit, & propter culpam imponitur; secunda verò, nempe lex purè pœnalis, unam tantùm imponat obligationem in conscientia, subeundi videlicè aliquod onus vel incommodum, ex hypothesi quòd fiat vel non fiat aliquis actus: quod onus seu incommodum non est nisi impropriè pœna, quia nec supponit culpam, nec propter culpam imponitur. Unde fit, subditus, qui

facit

facit vel non facit aliquid quod lex non fieri vel fieri exigit sub tali onere, nullatenùs peccet, modò onus illud subeat.

Obj.2. Lex est ordinatio superioris, directiva actuum humanorum. Ergo subditus hoc ipso peccat, quòd non facit actum, quem illa fieri intendit: hoc ipso enim deficit à rectitudine legis. Ergo omnis lex, sive pœnalis sit, sive non, obligat sub culpa ad actum quem intendit fieri, & consequenter nulla ad actum quem intendit fieri, obligat sub pœna tantùm, ac proinde nulla potest esse purè pœnalis.

R. legem omnem esse superioris ordinationem, actuum humanorum directivam, vel absolutè præcipiendo ut aliquid fiat vel non fiat, & tunc subditus omittendo vel faciendo illud, peccat, & deficit à rectitudine legis; vel disjunctivè præcipiendo, ut aut aliquid fiat vel non fiat, aut pœna subeatur, & tunc subditus, modò alterutrum præstet, non peccat, nec deficit à rectitudine legis, & ita non peccat, nec deficit à rectitudine legis, actum, cujus positionem vel omissionem intendit lex, omittendo vel faciendo, modò pœnam subeat.

Responsio II.

Dantur leges purè pœnales.

Prob. ex Constitutionibus Prædicatorum, teste S. Thoma, qui sic ait 2.2. q.186. a.9. & 1. *In aliquare ligione, scilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, transgressio talis, vel omissio* (circa ea quæ ad observantiam regularem spectant) *in suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam.* Ergo, &c. Et verò quidni darentur leges hujusmodi; cùm sæpe aptiores esse possint ad convenientem subditorum gubernationem; quia sæpe majorem adhiberi coactionem nec necesse est, nec expedit, & hoc pacto subditi ad facienda vel omittenda aliqua, quæ ad exteriorem observantiam regularem pertinent, cum minori animarum periculo, & minori gravamine moventur sufficienter, sicque lex finem à se intentum sufficienter assequitur cum minori gravamine, & periculo salutis subditorum.

Quæres, quandonam lex, quæ certam pœnam apponit, sit purè pœnalis?

R. Purè pœnalis est, 1. quando legislator apertè declarat, se nolle aliter obligare, quàm sub pœna. 2. Quando verba legis, actum aliquem fieri vel non fieri exigentis, non exprimunt præceptum cadens in actum illum, & aliunde ex circumstantiis, vel materia, aut pœna apposita verisimiliùs apparet, intentionem legislatoris non esse obligandi sub culpa, ad faciendum vel non faciendum actum; tunc lex meritò censetur obligare tantùm sub pœna ad actum vel omissionem ejus, proindeque esse purè pœnalis. Talis v. gr. esset lex, qua diceretur: Qui rixatur perdat arma; vel. Qui venatur, tali pecuniæ summa mulctetur.

Aliter sentiendum est de lege, quæ imponit pœnam, quæ supponit culpam, ut de lege, qua dicitur: Qui hoc fecerit, excommunicetur. Quamvis enim non fiat per verbum præceptivum, sufficienter ex pœna apposita innotescit legislatoris intentionem esse obligandi, & quidem sub culpa gravi, ad aliquid omittendum, quia nemo excommunicari potest, nisi propter gravem culpam.

Idem dic de lege, quæ imponit aliam gravissimam pœnam. Sic lex, qua dicitur: Si quis hoc fecerit, capite plectatur; vel: Si quis hoc fecerit, bonis omnibus mulctetur; licèt non exprimatur verbo actum prohibente, censeri tamen debet actum prohibere sub culpa gravi, & ad omissionem illius sub gravi culpa obligare, quia propter pœnam appositam, sufficienter apparet legislatorem voluisse hanc obligationem imponere; nec sine gravi ipsius injuria, & legis ejus, præsumi potest tantam apposuisse pœnam omissioni actus, quæ aut nullo modo, aut non nisi leviter sit culpabilis.

Idem denique dicendum de lege quæ versatur circa bonos mores, vel vitia: quamvis enim non feratur per verba præceptiva vel prohibitiva, imò nec gravem adeò pœnam imponat, tamen propter materiam circa quam versatur, censenda est sub culpa obligare ad actum, vel ejus omissionem, quia legislator censendus est semper obligare modo magis conveniente. Magis autem convenit tunc ad actum vel omissionem ejus obligare in conscientia, quia, ut supponitur, lex multùm valere potest, imò & valdè necessaria est ad bonos mores promovendos, & vitia cohibenda.

Porrò si dubium est, utrùm legislator voluerit obligare sub pœna tantùm, an etiam sub culpa, cùm tutior pars semper tenenda sit, perinde subditi se gerere debent, ac si lex expresè obligaret non solùm sub pœna, sed etiam sub culpa, ad actum, vel ejus omissionem.

Articulus III.

Utrùm lex pœnalis obligare possit in conscientia, ad subeundam pœnam ante sententiam judicis.

Responsio I.

Lex pœnalis potest obligare in conscientia ad subeundam ante sententiam judicis pœnam merè passivam, seu pœnam privativam, ad cujus executionem ministerium delinquentis non requiritur.

Prob. Nam v. g. irregularitas & excommunicatio minor, non solùm possunt incurri, sed etiam re ipsa incurruntur ipso facto, & ante sententiam judicis. Item excommunicatio major, suspensio, & interdictum possunt etiam incurri ipso facto, & ante judicis sententiam, & sæpe incurruntur. Atqui pœnæ illæ omnes sunt pœnæ merè passivæ. Ergo, &c. Ratio à priori est, quia legislator per legem suam potest infligere & exequi pœnas merè passivas, quoties hic modus infligendi & exequendi pœnas illas necessarius est, aut saltem valdè conveniens ad bonum commune. Atqui hic modus infligendi & exequendi pœnas illas potest esse, & sæpe necessarius est, aut saltem valdè conveniens ad bonum commune, ut docet experientia. Ergo, &c.

Responsio II.

Lex pœnalis obligare potest in conscientia ad subeundam ante sententiam judicis pœnam passivam, seu privativam, ad quam requiritur ministerium delinquentis.

Prob. Nam 1. potest ipso facto, & ante sententiam judicis, induci privatio beneficii, etiam antea justè possessi, & obligatio in conscientia illud relinquendi. 2. Potest ipso facto, & ante judicis sententiam, induci privatio fructuum beneficii, & obligatio in conscientia eos restituendi. Atqui pœnæ illæ, & aliæ similes, sunt privativæ, sic tamen ut ad earum executionem necessarium sit delinquentis ministerium. Ergo, &c. Ratio à priori est quia ad rectam gubernationem & bonum commune, sæpe necessarium, aut saltem valdè conveniens est, ut legislator per leges suas certas, pœnas privativas imponat, ipso facto & ante sententiam judicis incurrendas, cum obligatione sub culpa in reo eas exequendi, quoties scilicet, ut semper supponitur, per modum imponendi tales pœnas cùm obligatione in conscientia illas exequendi etiam ante judicis sententiam, non excedit limites æquitatis, & justæ moderationis. Ergo, &c.

Responsio III.

Lex pœnalis potest obligare in conscientia, ad subeundum ante sententiam judicis pœnam activam, hoc est pœnam quæ in actione delinquentis consistit.

Prob. Nam lex pœnalis potest v.g. in conscientia obligare ipso facto & ante judicis sententiam, ad precum aliquarum recitationem, ad moderatam corporis castigationem voluntariam, ad mulctam pecuniariam, &c. Atqui pœnæ hujusmodi in actione delin-

quentis consistunt. Ergo, &c. Ratio à priori est, quia legislator in pœnis per legem suam imponendis potest eo uti modo imponendi, qui non repugnat æquitati & justæ moderationi, & aliunde ad bonum commune & rectam gubernationem potest expedire. Atqui modus imponendi pœnas illas, & alias similes, cùm obligatione sub culpa in delinquente ad eas exequendas, non expectata judicis sententia, nec æquitatis, nec justæ moderationi repugnat, & aliunde multùm expedire potest ad rectam gubernationem & bonum commune. Ergo, &c.

Responsio IV.

Lex pœnalis non potest obligare ipso facto, & ante omnem sententiam judicis, ad quamcumque pœnam, ad cujus executionem delinquentis actio requiratur.

Prob. Nam 1. aliquæ pœnæ tales sunt, ut reus non possit illas licitè exequi in se ipso, sive ante, sive etiam post judicis sententiam, ut occisio, vel mutilatio sui ipsius. 2. Multæ aliæ sunt pœnæ tam graves & acerbæ, ut ad illas exequendas non possit reus ante sententiam judicis obligari in conscientia, servata æquitate & justa moderatione; ut si quis ipso facto & ante sententiam judicis obligaretur ad spoliandum se bonis omnibus, aut ad abstinendum ab omni cibo, etiam oblato, & sic ad sponte pereundum fame. Atqui quod legislator non potest, nisi violando æquitatem, & justæ moderationis limites excedendo, omninò non potest: talis enim potestas bono communi & rectæ gubernationi adversaretur. Ergo, &c.

Propter eandem rationem fieri potest, ut lex pœnalis, quæ, quia humana & moderata est, per se obligat ipso facto, & ante sententiam judicis, reum ad pœnam aliquam subeundam & exequendam, per accidens desinat sic obligare quando reus pœnam illam subire & exequi non potest sine gravi scandalo, vel gravi infamia, aut gravi alio incommodo: tunc enim legislator non modò censendus est nolle obligare pro tali casu, sed nec posse; quia pro tali casu quamvis ex accidenti, pœna, ut exequenda ante sententiam judicis, excedit rationem justæ pœnæ; & ad bonum commune, ac rectam gubernationem, quæ mensura est potestatis legislativè, satis est, si reus ante sententiam judicis pœnam subeat & exequatur extra talem casum; in quo proinde, si quando contingat, potest reus ad subeundam & exequendam pœnam expectare sententiam judicis.

Obj. Pœna excommunicationis majoris gravissima est, & tamen incurri potest ipso facto, & ante sententiam judicis. Ergo quævis alia pœna potest similiter incurri, quantumcumque gravis sit. *R.* neg. conseq. Ratio negandi est, quia pœna excommunicationis facilè reparari potest, & privat tantùm bonis communibus spiritualibus, quibus non adeò tanguntur homines carnales, & quorum proinde privatio non adeò gravatè sustineri solet. Unde quod excommunicationis pœna ipso facto & ante sententiam judicis incurratur, non est supra justam moderationem, & humanam conditionem, seu possibilitatem. At sunt aliæ pœnæ, quæ attingunt bona sensibilia, eaque magna, quibus carere molestissimum esset hominibus, & quæ amissa reparari aut omninò non possunt, aut non possunt nisi difficillimè: unde, quòd ejusmodi pœnæ ipso facto, & ante sententiam judicis incurrantur, justam moderationem, quæ ad justitiam legis requiritur, & moralem conditionem & possibilitatem humanæ naturæ superat, proindeque repugnat bono communi, & rectæ gubernationi.

Articulus IV.

Utrùm lex pœnalis obliget judicem ad pœnam imponendam, & reum ad illam exequendam post sententiam judicis.

Responsio I.

SI lex pœnam imponit, tenetur judex, facta sufficienti probatione, crimen declarare, & procurare executionem pœnæ per legem impositæ. Si verò lex minatur tantùm pœnam, debet judex illam imponere, & illius executioni incumbere.

Prob. Nam judici ex officio & ex justitia incumbit custodia & executio legum publicarum: est enim ad hunc finem à republica, vel à Principe constitutus justitiæ minister, & veluti lex animata: unde ex officio & justitia tenetur procurare ut leges publicæ, quas supponimus justas esse, & ad bonum commune necessarias, aut saltem utiles, serventur & vigeant. Ad hoc autem procurandum manifestè requiritur, ut, si lex pœnam imponit, ipse post sufficientem probationem crimen declaret, & pœnæ per legem impositæ executionem procuret: vel si lex pœnam tantùm minatur, illam ipse imponat, & impositam executioni mandari curet. Ergo, &c.

Responsio II.

Lex pœnalis, post latam à judice sententiam, reum obligat in conscientia ad pœnam physicam patienter, & sine positiva resistentia sustinendam.

Prob. Nam judex post latam à se justè & secundùm leges sententiam, jus habet exequendi pœnam: nam si non haberet, ad quid valeret ejus sententia? Ergo reus non habet jus resistendi. Certè jus in judice ad pœnam exequendam, & obligatio in reo ad illam patienter & absque positiva resistentia tolerandam, sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse non potest, ut patet ex terminis.

At inquies. Quid si sententia à judice lata, careat veritatis fundamento, sed justa sit in foro exteriori, quia secundùm allegata & probata judicatum est? Tuncne damnatus pœnam physicam tenetur in conscientia patienter & absque positiva resistentia sustinere? *R.* damnatum in casu proposito obligari in conscientia ad pœnam patienter tolerandam, si non potest illam vitare sine resistentia publica, & scandalo. Talis enim resistentia semper est illicita, quando sententia justa est secundùm allegata & probata, quia tunc judex utitur legitima potestate, cui subditus parere tenetur in conscientia. Quòd si damnatus pœnam vitare potest absque scandalo & violenta resistentia, non obligatur ad illam sustinendam.

Responsio III.

Quando lex pœnalis imponit pœnam ipso facto, si ad executionem pœnæ aliqua delinquentis actio, vel cooperatio necessaria est, ad eam statim delinquens præstandam obligatur in conscientia, postquam à judice lata est sententia criminis declaratoria; modò tamen pœna ipso facta imposita, talis non sit, ut propter hunc modum imponendi pœnam, æquitatem & justam moderationem excedat.

Prob. Nam cùm lex justa sit, & ipso facto imponat pœnam, quam reus licitè & convenienter exequi, potest, ut supponitur; certè ut reum ad exequendam pœnam obliget in conscientia, nihil aliud expectare potest, quàm sententiam criminis declaratoriam: cùm ipsa jam tulerit sententiam condemnatoriam.

Dixi autem, modò tamen, &c. Nam lex v. gr. ipso facto imponens pœnam confiscationis omnium bonorum, videtur non obligare in conscientia reum ad pœnam exequendam, etiam post sententiam criminis declaratoriam; & licitè expectare posse, ut judex ipse pœnam illam exequatur, proindeque reum obligari in conscientia tantùm ad non impediendam illam executionem, eamque patienter & absque positiva resistentia tolerandam. Ratio est, quia pœna confiscationis omnium bonorum gravissima est, & talis,

talis, ut moderationem humanam excedere videatur, quòd reus ipse teneatur ad illam exequendam, sive ante, sive post sententiam declaratoriam criminis; & aliunde additioni hujus vocis, ipso facto, quæ in lege facta est à legislatore, sufficit, quòd condemnatio possit retrotrahi, & retrotrahatur usque ad diem commissi criminis, quod gravissimum est.

Responsio IV.

Reus damnatus ad pœnam corporalem, quæ sit contra vitam, vel integritatem, ut mors & mutilatio, vel gravem dolorem & ignominiam afferat, ut acerba & publica ac ignominiosa flagellatio, non obligatur in conscientia ad eam exequendam, sed judex per ministros suos debet illam exequi.

Prob. Nam in pœnis hujusmodi, nimis acerbum & inhumanum est, quòd idem sit agens & patiens. Reus tamen ad pœnam corporalem, putà ad pœnam mortis damnatus, tenetur aliquas actiones exercere, quæ non sunt nimis acerbæ, & convenienter ab eo possunt exerceri ad juvandam executionem, per justitiæ ministros faciendam, ut sunt v. gr. ambulare, patibulum ascendere, &c. Unde actiones illas præcipere potest judex, & reipsa præcipere per sententiam suam censendus est.

Responsio V.

Reus damnatus ad pœnam corporalem, quæ in corpore, vel per corpus exerceri potest sine nimia acerbitate, ut sunt exilium, detentio in carcere non valdè incommodo, moderata & honesta flagellatio, ad illam exequendam obligatur in conscientia.

Prob. Nam sententia judicis condemnatoria, vel saltem lex post illam sententiam obligat in conscientia ad exequendam pœnam corporalem, quando pœna illa, ut per ipsum reum exequenda, non involvit injustitiam, vel inhumanitatem, ut fert communis hominum sensus. Atqui talis est pœna corporalis, de qua loquimur, & patet in exemplis allatis. Ergo, &c. Nisi tamen sententiæ judicis verba non actionem, sed solùm passionem respectu rei significent: tunc enim reus non obligatur in conscientia ad agendum, sed solùm ad patiendum, & non resistendum.

Responsio VI.

Reus damnatus ad solvendam aliquam pecuniæ summam, si ordinaria est & moderata, obligatur in conscientia ad hujus pœnæ executionem.

Prob. Quia talis pœna, ut ab ipso reo post sententiam condemnatoriam exequenda, nec injustitiam involvit, nec nimiam habet difficultatem; cùm, ut supponitur, sit moderata & ordinaria. Porrò si reus post sententiam condemnatoriam moriatur ante solutam pecuniam, quam solvere tenebatur in conscientia, ad eam solvendam tenetur hæres: succedit enim in eodem onere. Cùm autem jura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna quæ nondùm fuit debita, vivente reo: tunc enim nequidem pœna pecuniaria transit ad hæredem, juxta hanc regulam: Morte finiuntur delicta quoad humanum forum.

Articulus V.

Utrùm ignorantia excuset à pœna quam lex imponit vel jubet imponi, aut propter actum quem prohibet, aut propter omissionem actus quem præcipit.

Responsio I.

Omnis ignorantia, quæ excusat legis transgressionem, ne sit culpabilis, excusat etiam pœnam in utroque foro.

Prob. Nam hìc agitur de lege pœnali mixta, quæ præcipit vel prohibet aliquem actum, & transgressoribus pœnam imponit, vel jubet imponi. Ergo hìc agitur de pœna propriè dicta, quæ supponit culpam, seu transgressionem culpabilem legis, obligantis in conscientia ad aliquem actum, vel omissionem ejus. Ergo pœnam, de qua hìc agitur, non incurrit, qui culpam non admittit, hoc est, qui legem non transgreditur culpabiliter. Ergo si propter aliquam ignorantiam non transgreditur culpabiliter legem, propter eandem ignorantiam non incurrit pœnam.

Hinc, quia omnis ignorantia inculpabilis excusat legis transgressionem, ne culpabilis sit; qui ex inculpabili ignorantia legem transgreditur, non obligatur in conscientia ad pœnam exequendam, etiamsi lex pœnam imponat ipsofacto, & ante omnem declarationem: quòd si condemnatur à judice, quia deficit in probationibus, modò certus sit de sua inculpabili ignorantia, potest licitè pœnam vitare, modò id fiat sine publica resistentia & scandalo.

Obj. 1. Ignorantia excusans culpam, non excusat pœnam irregularitatis, & aliarum similium inhabilitatum. Ergo, &c. *Resp.* dist. ant. Non excusat pœnam irregularitatis, quando irregularitas non imponitur sub ratione pœnæ propriè & strictè dictæ, seu quando non imponitur propter culpam, sed propter aliquam indecentiam, C. ant. tunc enim irregularitas non præsupponit culpam aliquam, sed tantùm factum aliquod, quod cùm non impediat ignorantia, non potest impedire irregularitatem. Non excusat pœnam irregularitatis, quando irregularitas imponitur sub ratione pœnæ propriè & strictè dictæ. N. ant. tunc enim irregularitas supponit culpam, quam impediendo, ignorantia impedit irregularitatem.

Obj. 2. Aliquando incurritur pœna propter factum alienum, non obstante ignorantia illius qui pœnam sustinet, ut constat in simonia: nam si quis det pecuniam alteri, ut det beneficium tertio, licèt tertius hoc inculpabiliter ignoret, tamen irritatur ejus electio, & fit inhabilis ad habendum illud beneficium. Ergo, &c. *Resp.* neg. conseq. Nam in casu proposito, electionis irritatio & inhabilitas ad beneficium, quam incurrit tertius, respectu illius non habet rationem pœnæ propriè & strictè dictæ, sed solùm alicujus incommodi, quod patienter tolerandum est propter bonum commune, propter quod imponitur. Ex eo autem sequitur tantùm, quòd ignorantia excusans culpam, non excuset pœnam impropriè dictam: quod non negamus, & verum est; quia pœna impropriè dicta est onus seu incommodum quoddam, quod culpam non præsupponit in eo qui illud incurrit, & ita incurri potest ab aliquo, sine aliqua ipsius culpa propter culpabile factum alterius, vel etiam proprium inculpabile, aut inculpabilem illius omissionem.

Obj. 3. Si quis ponat actum aliquem, prohibitum non tantùm lege humana, sed etiam divina, sciens, aut saltem nonnisi culpabiliter ignorans esse lege divina prohibitum, non excusatur à pœna quam imponit lex humana, quamvis legem humanam ignoret inculpabiliter. Ergo, &c.

Resp. ant. Regulariter loquendo, verum esse, quia regulariter loquendo, lex humana pœnalis prohibens aliquem actum lege divina prohibitum, pœnam apponendo, non solùm suam, sed etiam legis divinæ transgressionem culpabilem punire intendit, & aliunde ad pœnam aliquam incurrendam non requiritur ex natura rei, ac proinde necessarium non est ut sciatur, vel nonnisi culpabiliter ignoretur impositam esse transgressoribus. Hinc qui non ignorat inculpabiliter rebaptizationem esse lege divina prohibitam, & rebaptizat, incurrit pœnam irregularitatis rebaptizantibus impositam à lege ecclesiastica, rebaptizationem sub hac pœna prohibente; quantumcumque inculpabiliter ignoret hanc legem, & pœnam irregularitatis ab ea transgressoribus impositam.

Dixi autem, regulariter loquendo; quia pœnæ quæ non incurruntur sine contumacia, non incurruntur ab inculpabiliter ignorante leges quibus imponuntur: ut enim delinquens censeatur contumax,

requiri-

requiritur ut sciat, aut saltem nonnisi culpabiliter ignoret, actum quem ponit vel omittit, prohibitum vel præceptum esse ea lege humana, quæ transgressoribus talem pœnam imponit. Hinc censuræ ecclesiasticæ non incurruntur ab eo, qui inculpabiliter ignorat legem ecclesiasticam, per quam imponuntur, quia in delinquente contumaciam requirunt, juxta communem Doctorum sententiam.

Responsio II.

Quando ignorantia legis non excusat transgressionem ejus, ne sit graviter culpabilis, non excusat à reatu pœnæ, quæ propter gravem illam legis transgressionem imposita est, modò lex non addat verbum, quod scientiam & dolum requirat.

Prob. Ignorantia quæ non tollit causam pœnæ, non tollit pœnam: nam manente causa, manet effectus. Sed ignorantia quæ non impedit gravem culpam, propter quam pœna imposita est, non tollit causam pœnæ, ut per se patet. Ergo non tollit pœnam. Hinc 1. ignorantia affectata nunquam excusat à pœna, quia nunquam excusat à culpa gravi, propter quam pœna imposita est. Hinc 2. ignorantia non affectata quandoque excusat à pœna, quandoque non, quia quandoque excusat à culpa gravi, propter quam pœna imposita est, quandoque non excusat: excusat enim à culpa gravi, quando leviter culpabilis est, utpotè orta ex negligentia levi; non excusat, quando graviter culpabilis est, utpotè orta ex negligentia gravi.

Dixi 1. à pœna, quæ propter gravem legis transgressionem imposita est: nam fieri potest, ut ignorantia, quæ non excusat à gravi culpa, excuset tamen à pœna, quia nimirùm excusat ab aliqua speciali malitia, quam lex intendit punire. Sic v. gr. accedens ad non suam, quam quidem scit non esse suam, sed inculpabiliter ignorat esse conjugatam, quamvis mortaliter peccet, non incurrit pœnas latas contra adulteros, quia per inculpabilem ignorantiam excusatur à speciali illa peccati gravitate, quam lex contra adulteros lata, punire intendit, & ita per inculpabilem ignorantiam causa pœnæ tollitur.

Dixi 2. Modò lex non addat verbum, quod scientiam & dolum requirat: nam aliquæ leges addunt verbum, scienter, vel, præsumpserit, vel, qui temerè hoc fecerit, aut aliud æquivalens, quod, ut loquuntur Juristæ, requirit dolum. Tunc autem ignorantia graviter culpabilis, non quidem affectata, sed supina, licèt non excuset à gravi transgressione legis, & ita non excuset à gravi culpa, excusat tamen à pœna, quia lex addens hoc verbum, scienter, aut aliud æquivalens, significat se nolle, ut pœna quam imponit, incurratur à transgressore, nisi transgressio habeat talem circumstantiam, nempe quòd fiat ex certa scientia, quam circumstantiam excludit ignorantia, quamvis graviter culpabilis, modò sit supina, non affectata: nam affectata, in æstimatione morali, æquivalet certæ scientiæ.

Obj. Ignorantia in jure æquiparatur scientiæ. *R.* 1. Ignorantiam affectatam in jure æquiparari scientiæ, & dolo, quia includit scientiam periculi; tum quia sufficit ad temeritatem, præsumptionem, & directam intentionem faciendi id quod à lege prohibitum est; tum denique quia legem & legislatorem contemnit.

Resp. 2. Similiter ignorantiam supinam in jure æquiparari scientiæ & dolo in duplici casu. 1. Quando damnum aliquod alteriùs subsecutum est. Sic v. grat. qui officium suum exercet cum ignorantia supina, perinde obligatur in conscientia ad resarcienda damna inde secuta, ac si ea ex certa scientia intulisset. 2. Quando per legem pœna imponitur simpliciter, & sine additione verborum scientiam & dolum requirentium: tunc enim pœna imponitur præcisè propter gravem legis transgressionem. Unde cùm ignorantia supina non excuset à gravi legis transgressione, non potest excusare à debito pœnæ.

Responsio III.

Quando ignorantia excusat transgressionem legis, ne sit culpa gravis, licèt non excuset ne sit venialis culpa, excusat tamen à pœna gravi per legem imposita.

Prob. Nam gravis pœna non imponitur, nisi propter gravem culpam. Ergo ubi non est culpa gravis, gravis pœna locum habere non potest. Ergo hoc ipso quòd ignorantia excuset à gravi culpa, excusat quoque à gravi pœna. Dico autem, gravi pœna: nam si pœna quam imponit lex, sit levis, & talis, ut in levem culpam cadere possit, tunc ignorantia, cùm, ut supponitur, non excuset à culpa levi, non excusat à pœna, & servanda sunt verba legis, & per pœnam appositam velle etiam levem culpam punire, censenda est.

Responsio IV.

Inculpabilis ignorantia solius pœnæ præcisè non excusat ab ejus reatu.

Prob. Nam inculpabilis ignorantia solius pœnæ non excusat transgressionem legis, ne sit graviter culpabilis: potest enim cum inculpabili ignorantia solius pœnæ cognosci, aut nonnisi culpabiliter ignorari gravis obligatio legis, quia sicut ad hoc, ut lex graviter obliget in conscientia, & se graviter obligare sufficienter significet, non requiritur ut pœnam apponat, ita, nec ad hoc, ut delinquens cognoscat, aut non nisi culpabiliter ignoret gravem obligationem legis quam transgreditur, requiritur ut cognoscat, aut nonnisi culpabiliter ignoret pœnam appositam. Ergo, &c.

Obj. 1. Pœna nullo modo voluntaria est ei, qui transgreditur legem cum inculpabili ignorantia pœnæ per legem appositæ. Ergo excusatur à pœna per legem apposita. *Resp.* neg. conseq. Ut quis enim transgrediendo legem, incurrat pœnam lege impositam, necesse non est ut hæc pœna sit ei voluntaria: imò potiùs oportet pœnam esse involuntariam, quàm voluntariam, & ad incurrendam illam, omninò sufficit quòd delinquens ea dignus sit, ponendo causam, propter quam imposita est, sive impositam esse sciat, sive non sciat. Hinc Deus pœna æterna puniet infideles propter peccata mortalia, quamvis etiam inculpabiliter ignorent talem pœnam peccatis mortalibus deberi. Hinc etiam homines reis infligunt pœnam, putà mortis furibus, etiamsi ignoraverint furtum suspendii supplicio mulctari.

Obj. 2. Saltem inculpabilis ignorantia solius pœnæ excusat ab illa, quando non incurritur absque contumacia, & ita qui legem ecclesiasticam transgreditur cum inculpabili ignorantia solius censuræ transgressoribus per legem impositæ, excusatur ab incurrenda censura, putà excommunicatione; cùm nulla censura ecclesiastica incurratur sine contumacia.

Resp. neg. Nam verum quidem est, nullam censuram ecclesiasticam incurri absque contumacia: at malè supponitur ad contumaciam requiri, ut qui legem ecclesiasticam transgreditur, sciat, aut saltem nonnisi culpabiliter ignoret censuram à lege appositam. Ad hoc enim ut quis censeatur contumax aliquid faciendo, vel omittendo, quod lege ecclesiastica graviter prohibitum vel præceptum est, requiritur tantùm, ut sciat vel scire possit & debeat, hoc reipsa graviter prohibitum vel præceptum esse lege ecclesiastica.

At inquies. Quid, si id quod lege ecclesiastica graviter prohibetur vel præcipitur sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ, sit etiam graviter prohibitum, vel præceptum lege divina, & delinquens sciat legem divinam, ecclesiasticam verò inculpabiliter ignoret? *Resp.* In casu proposito delinquentem peccare graviter, nec tamen censuram incurrere, quia non est contumax contra legem ecclesiasticam. Non est autem contumax, quia legem ecclesiasticam, quam etiam transgreditur, ignorat inculpabiliter, proindeque nec eam scit, nec scire potest; vel si potest, non

debet.

debet. Cùm ergo contra solam legem divinam peccet imputabiliter, peccat contra legem ecclesiasticam sine contumacia, sine qua tamen censuræ per leges ecclesiasticas impositæ, non incurruntur.

Dices. Censura ecclesiastica est pœna valdè dura. Ergo non debet incurri, nisi propter absolutam contumaciam. Atqui delinquens non censetur absolutè contumax, si inculpabiliter ignoret censuram impositam à lege ecclesiastica, quam etiam graviter transgreditur, & quam proinde cognoscit, vel nonnisi culpabiliter ignorat. Ergo ad incurrendam censuram lege ecclesiastica impositam, non sufficit in delinquente scientia, vel ignorantia culpabilis legis, sed etiam requiritur scientia, vel saltem culpabilis ignorantia ipsiusmet censuræ.

Resp. neg. subs. Nam contumacia contra legem, nihil aliud est quàm formalis inobedientia contra legem; & consequenter absoluta & perfecta contumacia contra legem, nihil aliud est quàm formalis inobedientia contra legem aliquid graviter prohibentem vel præcipientem, sive transgressoribus imponat pœnam aliquam, sive non imponat. Ad hoc autem ut aliquis sit formaliter inobediens legi aliquid graviter prohibenti vel præcipienti, sufficit, quòd ponat vel omittat aliquem actum, sciens, aut saltem nonnisi culpabiliter ignorans illum esse lege graviter prohibitum, vel præceptum. Ergo ut aliquis sit perfectè contumax contra legem, sufficit, quòd ponat vel omittat aliquem actum, quem lege graviter prohibitum vel præceptum esse scit, vel saltem non ignorat nisi culpabiliter, supple semper, ignorantia vel affectata, vel saltem supina, qua scilicet ignorat ex gravi negligentia, id quod scire tenetur.

Dices. Nemo excommunicari potest ipso facto per legem, quin ab ea prænonitus fuerit cum excommunicationis interminatione. Atqui transgrediens legem ecclesiasticam cum inculpabili ignorantia excommunicationis ipsofacto impositæ per illam, quantumvis sciat actum quem ponit vel omittit, ab illa prohibitum vel præceptum esse, non fuit ab illa prænonitus cum excommunicationis interminatione. Ergo, &c.

Resp. neg. maj. Et dico quòd delinquens per legem, aliquid graviter prohibentem vel præcipientem sub pœna excommunicationis ipsofacto incurrendæ, sufficienter ad hoc, ut delinquendo censeretur perfectè contumax, prænonitus fuerit, hoc ipso præcisè quòd scivit, aut ignoravit ignorantia graviter culpabili, actum lege graviter prohibitum vel præceptum esse, & consequenter quòd sufficienter prænonitus fuerit, ad incurrendam ipsofacto excommunicationem propter gravem legis transgressionem.

Dices. Censuræ feruntur & ipsofacto imponuntur ad puniendum contemptum legum ecclesiasticarum. Ergo non incurruntur ipsofacto, nisi ab iis qui aut sciunt, aut nonnisi ignorantia affectata vel supina ignorant illas ipso facto impositas esse transgressoribus. *Resp.* neg. conseq. Nam pœnæ purè vindicativæ feruntur etiam, & ipso facto imponuntur ad puniendum contemptum legum ecclesiasticarum, & tamen incurruntur ipso facto ab iis qui imputabiliter leges ecclesiasticas, à quibus ipso facto pœnæ illæ imponuntur, violant, sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorent pœnas illas esse ipso facto impositas. Ergo, &c.

Dices. Censuræ sunt pœnæ medicinales. Ergo ea intentione imponuntur ipso facto per legem ecclesiasticam, ut ipso facto incurrantur ab iis tantùm, qui legem transgrediuntur cum scientia, aut ignorantia vel affectata, vel supina censurarum illarum. *Resp.* neg. Itaque, quia censuræ sunt pœnæ medicinales, ea intentione feruntur, non solùm ut cognitæ deterreant à violatione legis, sed etiam, ut ii qui illas, legem culpabiliter transgrediendo, ipso facto incurrunt etiam ignoranter, illis ad resarcienda damna & scandala, & ad resipiscendum inducantur, postquam se illas incurrisse resciverint. Facta autem emendatione, statim debent tolli.

Dices. C. *Ut animarum periculis*, de constitut. in 6. generatim dicitur ignorantes probabiliter non teneri sententiis per statuta Ordinariorum prolatis. Ergo omninò generatim intelligendum videtur, tam de ignorantibus sententias solas, seu censuras per statuta latas, ut eas non incurrant, quàm de ignorantibus statuta ipsa, ut illis non obligentur. Nam hæc decisio animabus favorabilis est; cùm facta sit, ut vitentur earum pericula, adeòque latè extendenda est, quantùm patitur verborum proprietas: favores enim ampliandi sunt, ut dicitur reg. 15. de reg. in 6. Hanc autem verborum ampliationem non solùm patitur, sed etiam videtur requirere proprietas verborum.

Resp. Esto conseq. Adhuc saltem graviter delinquentes contra leges Pontificias, ipso facto incurrunt censuras legibus illis ipsofacto impositas, quantumvis impositas esse probabiliter ignorent. Quod enim hìc singulare statuitur pro statutis Ordinariorum, extendi nec debet, nec potest ad statuta Pontificia, quia Pontifex non est Ordinarius, sed supremus & universalis pastor. Imò ex hoc quòd hìc statuitur ne censuræ, statutis Ordinariorum prolatæ, ipso facto incurrantur ab iis qui illas probabiliter ignorant, infertur non solùm, quòd antea censuras statutis Ordinariorum prolatas, ipsofacto incurrebant etiam ii qui illas probabiliter ignorabant, sed etiam quòd nunc censuras ipso facto latas à legibus pontificiis, ipso facto incurrant, qui contra leges illas graviter peccant, sive latas ab illis ipso facto censuras sciant, sive non. Nam exceptio firmat regulam, ut vulgò dicitur. Ex his autem sequitur tantùm, assertionem nostram propter Caput citatum pati exceptionem in censuris ipso facto per statuta Ordinariorum prolatis.

Porrò pro adversariorum sententia nihil efficitur ex eo quòd ratio, qua in dicto cap. motus est Pontifex, nempe *ut animarum periculis obvietur*, extendi posse videatur etiam ad statuta pontificia; nam quod nobis sufficit, re ipsa non extenditur à Pontifice, & potuit Pontifex ea specialiter moveri ad statuendum potiùs de censuris per statuta Ordinariorum ipso facto prolatis, quàm de censuris ipsofacto prolatis per statuta Pontificia, ne incurrantur nisi ab iis qui eas sciunt, aut non ignorant nisi ignorantia crassa, vel supina, ut loquitur Pontifex: neque ad id defuerunt rationabiles causæ, puta ne per statuta particularia Ordinariorum, statutis communibus superaddita, nimiùm graventur fideles, & legum multiplicatione crescat animarum periculum.

Addi potest Pontificem nolle ut censuris per statuta Ordinariorum latis, in foro interno ligentur ii qui statuta illa violant cum illorum ignorantia, modò hæc ignorantia non sit crassa, vel supina, per ignorantiam crassam vel supinam intelligendo non quamlibet ignorantiam etiam gravem, utpotè ortam ex gravi negligentia, & sufficiente ad peccatum mortale, sed ignorantiam gravissimam ortam ex gravissima negligentia, qualis est ea propter quam ab aliquo ignorantur ea quæ ab omnibus saltem regulariter sciuntur: cùm tamen ad incurrendas ipsofacto censuras, legibus Pontificiis ipso facto latas, sufficiat legum illarum transgressio facta ex qualibet ignorantia illarum graviter culpabili, & sufficiente ad peccatum mortale, sicut ante prælens Pontificis decretum; talis etiam transgressio statutorum particularium Ordinariorum sufficiebat ad incurrendas ipso facto censuras, latas ipso facto per illa statuta; at nunc sufficere non potest, ita in dicto Cap. statuente Pontifice, ut animarum periculis obvietur.

Dices denique. Cognitio censuræ, per legem ecclesiasticam ipso facto impositæ, necessaria est ad cognoscendam gravem legis obligationem, quam tamen qui non cognoscit, nisi illam ignorantia graviter culpabili ignoret, censuram ipsofacto impositam incurrere non potest. Ergo qui legem ecclesiasticam transgreditur, non incurrit censuram, nisi illam cognoscat, aut ignoret illam ignorantia graviter culpabili.

Resp.

Resp. neg. ant. Nam gravis obligatio in conscientia, quam lex intendit imponere, sufficienter cognosci potest vel ex verbis legis, vel ex materia, vel ex aliis circumstantiis.

DISPUTATIO VIII.

De Lege irritante.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm dari possint leges irritantes, & an sint pœnales.

Responsio I.

DAri possunt leges humanæ irritantes. *Prob.* Valet ab actu ad potentiam. Atqui in utroque jure civili & canonico, dantur leges irritantes, seu requirentes in multis contractibus certas conditiones, sine quibus, vi legum illarum, invalidi sunt quoad morales effectus, qui per illos fieri possunt, & re ipsa fierent, si validi essent.

Ratio à priori est, quia 1. Potestas irritandi contractus non est contraria juri naturali. 2. Ad bonum commune, & rectam gubernationem requiritur; cùm sine tali potestate, fraudes aliaque gravia incommoda, & reipublicæ multùm nociva, impediri sæpè nequeant. Sed pro sequentibus propositionibus.

Nota. Legislator potest aliquem actum irritare dupliciter, directè scilicet & indirectè. Irritat indirectè, cùm aliquid per legem primariò constituit, & ita consequenter tantùm prohibet & irritat. Talis est lex dans formam actui, & consequenter irritans talem actum factum sine tali forma, ut lex requirens ad valorem testamenti certum numerum testium. Legislator irritat directè, quando per legem prohibet aliquem actum cum verbis sufficientibus ad irritandum. Talis est lex prohibens matrimonium Religiosi professi, aut Clerici in sacris constituti. Hujusmodi autem prohibitio cum irritatione conjuncta, fieri potest ob finem triplicem. 1. Propter bonum commune, quia scilicet ad cultum divinum, vel religionis decentiam, cui provideri bonum commune postulat, ita expedit. 2. In favorem aliquarum personarum, putà ut earum fragilitati subveniatur. 3. In odium personæ, seu actionis ejus.

Porrò actus irritatio separari non potest ab inhabilitate personæ; & quoties legislator irritat aliquem actum, sive directè, sive indirectè, toties inhabilitat personam: quoties enim aliquem actum irritat, toties reddit voluntatem subditi inefficacem & impotentem ad aliquid, nempe ad contrahendum, vel ad acquirendum, aut transferendum dominium, &c. quæ voluntatis subditi inefficacia & impotentia est personæ inhabilitas. Hinc efficitur personas aliquando inhabilitari simpliciter ad aliquem actum in specie, quando aliquis actus in specie simpliciter irritatur, ut patet in lege irritante matrimonium clerici in sacris constituti; aliquando inhabilitari respectivè tantùm, quando actus irritatur tantùm respectivè ad tales personas, v. gr. ut patet in lege irritante matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum: aliquando denique inhabilitari ad aliquem actum tali modo faciendum, quando irritatur actus tali modo factus, ut patet in lege irritante matrimonia clandestina.

Responsio II.

Lex irritans actum indirectè tantùm, & consequenter ad institutionem formæ servandæ in contractu, non est pœnalis.

Prob. Lex enim hoc modo irritans aliquem actum, nullam supponit culpam, sive propriè, sive latè dictam, propter quam actum irritet; & neminem intendit punire, sed solùm providere bono communi, instituendo formam actui quasi substantialem, & sine qua proinde valere non possit actus ad præstandos effectus morales, qui per illum intenduntur. Lex igitur hoc modo irritans aliquem actum, moralis est, non pœnalis.

Responsio III.

Lex prohibens actum, & irritans illum intuitu boni communis, vel privatorum, quod in bonum commune aliquo modo redundat, non est pœnalis.

Prob. Quia talis lex actus irritationem neque intendit in odium personæ, neque in vindictam culpæ propriè dictæ, neque tanquam onus vel incommodum, quod imponat omittenti vel ponenti aliquem actum, quem fieri vel non fieri exigit, licèt sine absoluto præcepto illum faciendi vel non faciendi. Quòd si hujusmodi irritationes aliquando cedant in detrimentum alicujus personæ, hoc est præter intentionem legislatoris, qui tale detrimentum non intendit, & multò minùs intendit ut puniat.

Responsio IV.

Lex prohibens & irritans actum in odium personæ, seu in vindictam culpæ propriè dictæ, etiam qua irritans, pœnalis est.

Prob. Lex enim irritans, etiam quà irritans, pœnalis est, quando intendit irritationem sub ratione pœnæ, ut patet ex terminis. Atqui lex prohibens & irritans actum in odium personæ, seu in vindictam alicujus culpæ, intendit irritationem sub ratione pœnæ, quod convenientissimè facere potest. Nam irritatio est magnum incommodum, & sæpè valdè accommodatum delicto vindicando. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrùm, quando, & ad quid obligent leges irritantes.

Responsio I.

LEx dans formam actui, & ita indirectè & consequenter tantùm irritans ipsofacto actum carentem tali forma, non obligat quidem ad exercitium actus, sed obligare potest ad non exercendum actum sine tali forma; & reipsa ita obligat, quando vel se obligare velle significat sufficienter, vel id materia legis ex natura sua postulat.

Prob. 1. *pars.* Quia talis lex nullum actum absolutè præcipit. Sic lex dans formam matrimonio, vel testamento, non præcipit ut matrimonium contrahatur, aut condatur testamentum. Ergo, &c.

Prob. 2. *pars.* Potestas enim obligandi in conscientia ad non faciendum actum sine tali forma, non est injusta, & pertinere potest ad convenientem & utilem reipublicæ administrationem. Ergo negari non potest legislatori, lege sua danti formam actui propter bonum commune, aut propter aliud bonum, in bonum commune aliquo modo redundans. Ergo revera obligat, si satis exprimit se velle obligare; in quo non est difficultas. Ergo etiamsi non exprimat se velle obligare, adhuc obligat, si materia circa quam versatur lex, hoc est, si actus cui lex dat formam, talis sit ex natura sua, ut inhonestum sit velle illum facere, quando non potest fieri validè: tunc enim lex dans formam actui, sine qua validè fieri non potest, censenda est velle obligare in conscientia ad non faciendum illum sine tali forma. Sic v. gr. lex dans formam matrimonio, hoc ipso censenda est graviter obligare in conscientia ad non contrahendum matrimonium sine tali forma, quia matrimonium contractum sine tali forma, invalidum est, & est inhonestum velle contrahere matrimonium invalidum. Ex his manet probata pars tertia responsionis.

Res-

Responsio II.

Lex prohibens directè aliquem actum, & huic prohibitioni irritationem addens ipso facto, obligat in conscientia ad vitandum illum actum.

Prob. Nam talis lex est justa. Ergo prohibendo actum, obligat ad illum vitandum: irritatio enim addita prohibitioni, non impedit effectum ejus, qui est obligare, sed è contra obligationem auget; tum quia legislator actum non solùm prohibendo, sed etiam irritando, graviùs prohibet, & significat se velle prohibere, & obligare quantùm potest; tum quia ex natura rei graviùs est, & rationi magis adversatur facere actum non solùm prohibitum, sed etiam irritum, quàm facere actum prohibitum tantùm. Ergo, &c.

Responsio III.

Lex purè irritans, etiamsi ipso facto irritet, non obligat in conscientia ad vitandum actum quem irritat.

Prob. Hoc ipso enim quòd lex purè irritat, non continet præceptum vitandi actum quem irritat, ut patet ex terminis. Atqui obligatio in conscientia vitandi aliquem actum, non potest esse sine præcepto illum vitandi. Ergo, &c.

Talis est v. gr: lex irritans renunciationem paternæ hæreditatis, quam filia, dote contenta, facit, cùm nuptui traditur: tunc enim filia non peccat; tum quia potest renunciare juri suo, quantùm potest, tum quia lex non continet prohibitionem renunciandi; & si contineret, videretur nimis dura & injusta respectu filiæ, cui tamen favere intendit.

Responsio IV.

Lex ipso facto irritans, obligat in conscientia ad ea omnia, quæ intrinsecè ex irritatione consequuntur, nisi tamen effectus legis seu irritatio impediatur.

Prob. Nam lex ipso facto irritans actum, privat illum omni utilitate morali: ad hoc enim à lege ipso facto irritatur, ut omni utilitate morali careat. Ergo omnis moralis usus illius illicitus est, vi legis illum ipso facto irritantis; non enim potest per legem privari omni utilitate morali, quin simul & indivisibiliter omnis moralis usus illius per legem reddatur illicitus. Hinc vi legis actum ipso facto irritantis obligamur in conscientia ad ea omnia, ad quæ tenemur ex natura rei, & consequenter lege naturali, ex hypothesi nullitatis actus, seu, quod idem est, ad ea omnia quæ intrinsecè consequuntur ex actus irritatione. Hinc v. gr: lex ipso facto irritans acquisitionem fructuum beneficii, in conscientia obligat, ne subditus ea utatur, propter illam fructus beneficii retinendo, qui proinde non solùm vi legis naturalis, supposita nullitate actus, sed etiam vi legis humanæ, actum ipso facto annullantis, tenetur in conscientia ad fructuum illorum restitutionem. Dixi autem, nisi tamen, &c. quia sublato obligationis fundamento, quod est actus irritatio, necessariò tolleretur ipsa obligatio.

Responsio V.

Lex non irritans actum ipso facto, sed solùm præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas personas ante sententiam judicis.

Prob. Nam si privatas personas obligat, vel obligat ad actus irritationem, vel ad ea quæ intrinsecè consequuntur ex irritatione actus. Neutrum dici potest. Non primum: nam irritatio est actus proprius potestatis publicæ, & ita si non fit per legem, per judicem fieri debet. Non etiam secundùm: nam lex non obligat, nec obligare potest ad ea quæ intrinsecè consequuntur ex actus irritatione, si non est hæc irritatio: in præsenti autem casu non est ante judicis sententiam.

Articulus III.

Utrùm & quomodo impediri possit irritatio actus, quando lex irritat actum ipso facto, & ante sententiam judicis.

Responsio I.

Quando lex irritat aliquem actum in vindictam culpæ, licèt ipso facto irritet, irritatio actus impeditur per ignorantiam, vel aliam similem causam, quæ culpam illam excusat.

Prob. Nam sublata causa adæquata, tollitur effectus. Sed culpa, in cujus solius vindictam imponitur irritatio actus ipso facto, est causa adæquata irritationis actus. Ergo impedita culpa, in cujus solius vindictam actus irritatur ipso facto, impeditur actus irritatio. Ergo, &c. Hinc v. gr: qui omninò inculpabiliter, putà ex oblivione merè naturali, omittit officium divinum, facit fructus suos, non obstante lege pœnali, fructuum acquisitionem ipso facto irritante, & contra non recitantes officium divinum lata.

Obj. Collatio beneficii simoniacè facta, est ipso facto irrita, quamvis beneficium collatum sit ignoranti inculpabiliter simoniam. Atqui tamen irritatio illa est pœnalis, & facta in vindictam culpæ, nempe simoniæ. Ergo, &c. *Resp.* Nos hic tantùm dicere, quòd inculpabilis ignorantia impediat irritationem actus, qui in vindictam alicujus culpæ irritatur, quando impedit culpam, cui actus irritatio imposita est. In casu proposito, inculpabilis ignorantia quam habet is, cui beneficium confertur, non impedit culpam, in cujus vindictam irritatur collatio beneficii; non enim impedit, ne ei beneficium conferatur simoniacè, & ita non impedit crimen simoniæ, propter quod irritatur beneficii collatio. Mirum igitur non est, quòd nec impediat, nec impedire possit irritationem collationis.

Præterea, in casu proposito, irritatio non est purè pœnalis, nec habet pro causa adæquata culpam aliquam: non enim solùm inducta est ad vindicandum crimen simoniæ, sive is cui confertur beneficium, sit conscius illius, sive non; sed etiam ad vitandam rerum sacrarum indecentiam, quæ ex simonia oritur, & amovendam ab iis qui ecclesiastica beneficia validè consequuntur, omnem simoniæ notam & infamiam.

Responsio II.

Quando lex irritat actum ipso facto, quamvis irritet tantùm in vindictam alicujus culpæ, irritatio actus non impeditur per ignorantiam, etiam inculpabilem solius irritationis.

Prob. Nam ignorantia non impedit irritationem actus, quam lex imponit ipsofacto in vindictam alicujus culpæ, nisi impediendo ipsam: non enim potest impedire effectum, nisi impediendo causam ejus. Causa autem irritationis ipso facto impositæ in culpæ vindictam, est ipsa culpa. Atqui ignorantia etiam inculpabilis irritationis solius, non impedit culpam propter quam ipso facto per legem imponitur. Ergo, &c. Hinc beneficiarius peccans non recitando officium divinum, non facit fructus suos, & obligatur in conscientia ad eorum restitutionem, etiamsi inculpabiliter ignoret pœnam irritationis contra non recitantes statutam.

Responsio III.

Quando lex absolutè & simpliciter prohibet & irritat actum ipso facto propter bonum commune, irritatio actus nunquam impeditur, lege stante in suo vigore, nec interveniente Principis dispensatione.

Prob. Nam cùm legislator absolutè & simpliciter prohibet & irritat aliquem actum ipso facto propter bonum commune, vult illum irritare pro quolibet casu morali; leges enim hujusmodi non feruntur,

nisi

nisi propter gravissimam causam, & quæ proinde postulat ut semper effectum suum habeant, & pro quocumque casu irritet. Ergo, &c. Porrò potestas irritandi actum ipso facto pro quocumque casu morali, propter gravissimam & urgentissimam causam ad bonum commune pertinentem, non repugnat juri naturali, imò juri naturali maximè consentanea est, utpotè ad bonum commune & rectam gubernationem vel necessaria, vel saltem maximè utilis.

Obj. 1. Metus gravis impedit irritationem actus, quamvis lex absolutè & simpliciter prohibeat & irritet actum propter bonum commune. Ergo, &c. Nam lex humana non potest obligare cum tanto rigore, ut si gravis metus mortis immineat nisi fiat actus, adhuc tamen obliget ad non faciendum actum, & impediat ne validè fiat. *Resp.* neg. & dico, legem humanam id posse, cùm ad bonum commune necessarium est, aut saltem valdè expedit. Necessarium autem est, aut saltem valdè expedit ad bonum commune, ut lex absolutè & simpliciter prohibens & irritans actum aliquem propter commune bonum, habeat effectum suum, etiam in gravi periculo mortis, saltem quantùm est actus irritationem.

Dico autem, quantùm est ad actus irritationem: nam si actus talis est, ut licitè fieri possit, etiam cùm invalidè fit, tunc propter grave mortis periculum lex fortasse non obligabit in conscientia ad omittendum actum, & solùm irritabit illum, quod fortasse bono communi sufficit in tali casu. Bonitas autem nostræ responsionis ex eo validè confirmatur, quòd si propter gravem mortis metum, leges absolutè & simpliciter prohibentes & irritantes actus aliquos propter bonum commune, non haberent effectum suum, saltem quoad actuum irritationem, homines inde sumerent occasionem incutiendi metum hujusmodi ad eludendas leges illas, & ut validè fierent actus, qui alioquin invalidi essent; quod bono communi maximè obesset, & in gravissimum reipublicæ detrimentum redundaret.

Obj. 2. Quamvis lex absolutè & simpliciter prohibeat & irritet actum propter bonum commune, cessat tamen irritatio, quando is cujus interest, juri suo renunciat. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. Nam talis lex respicit bonum commune in actus irritatione, cujus boni communis consideratio non cessat, quantumvis privatum personæ alicujus incommodum cessare videatur per voluntariam juris renunciationem; nec potest quis derogare bono communi, cedendo bono proprio. Hinc lex v. gr. irritans matrimonium meu contractum, habet effectum suum, & matrimonium invalidum est, quamvis ille qui metum patitur, velit renunciare juri suo, & validè contrahere.

Dices. Lex ad professionis validitatem postulans integrum probationis annum, generalis erat ante Concilium Tridentinum, & tamen cessabat irritatio, si is cujus intererat, cedebat jure suo. Ergo etiam in legibus de quibus agitur, cessare potest, & cessat irritatio, eo, cujus interest, cedente jure suo. *Resp.* neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia lex illa antiqua, non absolutè & simpliciter prohibebat & irritabat professionem religiosam, factam ante annum probationis expletum, sed solùm sub hac conditione, nisi utraque pars, cujus intererat, hoc est, nisi novitius & conventus cederent jure suo, seu liberè consentirent in professionem factam ante integrum probationis annum.

Prætereà, lex illa non fuit lata primariò & immediatè propter bonum commune status religiosi, sed propter bonum privatum contrahentium, & dependenter ab eorum renunciatione, ut patet ex cap. *Ad apostolicam* de Regularibus, ubi de anno probationis, olim requisito ad professionis validitatem, dicitur: *Qui in subsidium fragilitatis humanæ noscitur institutus*. E contra verò lex qua Trident. Conc. sess. 25. in decreto cap. 15. prohibet & irritat professionem religiosam factam ante annum ætatis 16. expletum, & ante annum integrum probationis, primariò & immediatè intendit bonum commune status religiosi, & propter illud absolutè & simpliciter prohibet & irritat: unde semper habet effectum suum, & professio facta ante annum ætatis 16. expletum, & integrum probationis annum, semper est nulla, quantumcumque contrahentes, hoc est, novitius & conventus, juri suo renunciare intendant.

Obj. 3. Leges aliquæ, absolutè & simpliciter prohibentes & irritantes, fundantur in præsumptione. Atqui sæpè contingit præsumptionem non esse conformem veritati. Ergo sæpè contingit leges illas non habere effectum suum: cessante enim fundamento irritationis, irritationem ipsam cessare necesse est. Ergo, &c. *Resp.* leges illas, absolutè & simpliciter prohibentes & irritantes, quæ fundantur in præsumptione, fundari non in præsumptione facti, sed in præsumptione, vel potius in certa scientia periculi. Sic lex absolutè & simpliciter prohibens & irritans professionem religiosam factam ante annum ætatis 16. expletum, & annum probationis integrum, non prohibet & irritat professionem sic factam, quia professio sic facta, fit sine sufficienti judicio, & deliberatione, & vitæ religiosæ experientia; sed quia morale & certum periculum est, ne fiat. Semper igitur leges hujusmodi habent effectum suum, & semper irritant, sive factum quod timetur, existat, sive non; quia sive existat, sive non, semper existit periculum, semperque illius amovendi consideratio, qua sola movetur legislator, subsistit.

Obj. 4. Saltem leges civiles, quamvis absolutè & simpliciter irritent, non irritant pro quocumque casu morali: nam jus utrumque, canonicum & civile, docet contra leges illas juramenta sustinenda esse, quando sine animæ dispendio impleri possunt. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. De legibus civilibus, non solùm irritantibus, sed etiam prohibentibus absolutè & simpliciter. *Ad prob. Resp.* Jus utrumque loqui de legibus civilibus, purè irritantibus. Magnum autem discrimen est inter leges purè irritantes, & leges non solùm irritantes, sed etiam prohibentes absolutè & simpliciter: hæ enim feruntur primariò & immediatè, saltem regulariter, propter bonum commune, cui derogare non potest renunciatio proprii juris, & quod proinde, non obstante qualibet juris proprii renunciatione, postulat ut actus prohibitus, sit irritus. Leges verò purè irritantes feruntur in favorem privatorum, cui favori renunciare possunt, & renunciando fortasse impedire actus irritationem, quia fortasse leges illæ non irritant actum absolutè, sed tantùm sub tacita conditione, nisi is cujus in favorem lata est lex, juri suo renunciaverit.

Dico, fortasse: nam multùm verisimile est leges illas, quamvis purè irritantes, absolutè irritare, & ita actum, non obstante qualibet juris proprii renunciatione facta, irritum esse. Nec negotium facessit, quod utroque jure dicitur, juramenta sustinenda esse contra leges civiles irritantes, quando sine dispendio animæ sustineri possunt: hoc enim dicitur, non quia juramentum actus irritationem impedit, sed quia per illud, actus qui per legem non erat prohibitus, perinde sustinetur, ac si per legem irritatus non esset.

Responsio IV.

Quando lex constituit formam substantialem, servandam in actu, & sic indirectè irritat ipso facto actum, sine tali solemnitate factum, tunc actus sine tali solemnitate facti irritatio impediri nullatenùs potest, lege stante in suo vigore, nec interveniente Principis dispensatione.

Prob. Cùm enim forma, lege constituta, ut in responsione dicitur, sit substantialis actui, sub ratione talis contractus, professionis, testamenti, &c. & res nulla subsistere, & suum esse habere possit sine forma sua substantiali; alioquin hæc forma simul esset substantialis, & non esset; manifestum est sine forma per legem constituta actum nullatenùs subsistere posse, & ha-

& habere suum esse in tali vel tali ratione contractus, professionis, testamenti, &c. Hinc matrimonium semper invalidum est, si celebretur sine solemnitate requisita à Concil. Trident. in iis locis, in quibus lex Concilii promulgata fuit, quamvis contrahatur ex inculpabili ignorantia hujus legis, vel ex gravi metu mortis, aut alterius nocumenti gravissimi.

ARTICULUS IV.

Utrùm & quomodo impediri possit irritatio actus, quando lex non irritat illum, nisi dependenter à sententia judicis.

Responsio.

QUando lex irritat actum dependenter à sententia judicis, potest actus irritatio impediri multis modis; & quandiu per sententiam judicis non irritatur, manet validus.

Prob. Nam 1. irritatio actus impediri potest, & quidem licitè, quando actus ita occultus est, ut in judicio probari nequeat: nemo enim ex vi talis legis tenetur actum suum irritare, aut ejus irritationem procurare, sed potest expectare legitimam judicis inquisitionem, quæ tamen legitima esse non potest, quandiu res est occulta. Si quæ autem in actu irritabili injuria illata est, is qui intulit, tenetur illam, & damna ex illa secuta resarcire, non expectata judicis sententia. Sic v. gr. qui rem emit infra dimidium justi pretii, tenetur in conscientia, & non expectata sententia judicis, supplere id quod justi prerii deest, & damna secuta reparare, quamvis non teneatur emptionem, quantumcumque irritabilem, rescindere.

2. Etiamsi actus sit publicus, & probari possit in judicio, potest tamen & quidem licitè impediri ejus irritatio ex consensu partium, modò consensus ille non imperet partibus, ut actum irritent, aut ejus irritationem apud judicem prosequantur, sed solùm judici præcipit, ut, cùm res ei constiterit, sententiam ferat.

3. Item etiamsi actus sit publicus, ejus irritatio impediri potest etiam licitè per legitimam præscriptionem contra actionem, seu actorem: cùm enim irritatio fieri nequeat sine actione judiciali, & hæc actio excludatur per legitimam præscriptionem, per legitimam præscriptionem irritatio impeditur, & actus firmatur: in hoc autem casu, qui contra actionem legitimè præscripsit, nihilominùs tenetur resarcire damnum, si quod intulit.

4. Licèt actus sit publicus, probabilis, & ad judicem delatus, potest adhuc irritatio actus efficaciter impediri: potest enim judex non ferre sententiam, vel ferre injustam, & sic potest non rescindere actum, qui tamen manet validus, quandiu non rescinditur. At qui injustè impedit irritationem, si damnum intulit impediendo, tenetur illud reparare, sive ille judex fuerit, sive falsus testis, sive alia tertia persona, sive ipsemet reus, injustè seipsum defendendo. Imò si reus ipse injustè impedivit irritationem actus, per quem actoris bona injustè adeptus est, tenetur damnum resarcire in specie, & consequenter actum rescindere.

ARTICULUS V.

Utrùm lex omnis purè ac simpliciter prohibens actum aliquem, hoc ipso irritet illum; ita ut omnis actus, contra legem prohibentem factus, irritus sit.

Responsio I.

EX sola rei natura lex purè ac simpliciter prohibens actum aliquem, non irritat illum.

Prob. Ut lex ipso facto irritet, necesse est, ut id per ejus verba sufficienter exprimatur: ea enim est legis natura, ut nihil possit operari, nisi quod sufficienter exprimit, quia ea est humanæ voluntatis potestas, ut non sit ad extra efficax, quantumcumque id velit, nisi exprimatur sufficienter, proindeque voluntas legislatoris, quantumcumque intendentis obligare, vel etiam irritare, neutrum habere potest effectum, nisi exteriùs expressa sufficienter, & intimata. Atqui per solùm verbum præcipiendi, vel prohibendi, non exprimitur sufficienter actus irritandi.

Responsio II.

Leges civiles, purè ac simpliciter prohibentes actum, irritant illum in terris Imperio subjectis, & irritant ipso facto, & in conscientia, ante judicis sententiam.

Prob. Ex lege *Non dubium*, cod. lib. 1. tit. 14. in qua Imperator sic loquitur: *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres quàm novellas trahi generaliter imperamus: ut legislatori, quod fieri non vult, tantùm prohibuisse sufficiat; cæteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere: hoc est, ut ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licèt legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere quod factum est. Sed & si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse præcipimus. Secundùm itaque prædictam regulam, qua ubicumque non servari factum lege prohibente censuimus, certum est, nec stipulationem hujusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti, nec sacramentum admitti.* Ex quibus sic argumentor. Potest legislator, si velit, contractus factos contra legem purè prohibentem, irritare ipso facto, & in conscientia, ante sententiam judicis, & hoc se velle, per verba legis citatæ, sufficientissimè videtur exprimere. Ergo, &c.

Responsio III.

Leges civiles, purè ac simpliciter prohibentes actum, non irritant illum in terris non subjectis Imperio.

Prob. Nam si irritant, vel irritant ex natura rei, & vi puræ ac simplicis prohibitionis, vel vi legis *Non dubium*, vel vi denique alterius legis, vigentis in terris pro quibus latæ sunt. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex Resp. I. Non secundum: nam lex *Non dubium* non extenditur ad terras quæ non sunt Imperio subjectæ, quia nullam in illas jurisdictionem habet Imperator: non enim habet, aut habere potest jurisdictionem aliquam, nisi in subditos Imperio. Non denique tertium; quia nulla talis lex assignari potest. Hinc in Gallia v. gr. & Hispania, leges civiles purè ac simpliciter prohibentes actum, non irritant illum.

Obj. 1. Voluntas inferioris non potest esse efficax contra voluntatem superioris. Sed quando lex etiam purè ac simpliciter prohibet aliquem actum, voluntas superioris resistit voluntati inferioris quoad actum illum. Ergo voluntas inferioris quoad actum illum non potest esse efficax, & consequenter non potest illum validè efficere.

Resp. Voluntatem inferioris non posse efficacem esse contra voluntatem superioris, in eo, in quo voluntas superioris resistit actui ejus. Unde si voluntas superioris resistit valori actus, actus non potest esse validus: si verò tantùm resistit honestati, & libertati morali actus, actus non potest quidem esse honestus & licitus, at potest esse validus. Quando autem lex purè ac simpliciter prohibet aliquem actum, voluntas superioris resistit tantùm honestati, ac libertati morali actus: unde tunc inferioris voluntas non

potest quidem nisi malum moraliter actum facere; at si fac t, validum facit, nisi lex alia in subsidium legis purè prohibentis veniat, & actus valori resistat.

Obj. 2. Actus non sunt validi sine adminiculo juris. At jus non cooperatur actibus, qui fiunt contra legem prohibentem. Ergo, &c. *Resp.* Ad hoc ut actus sint validi, eos per se loquendo non indigere adminiculo juris, seu non indigere, ut jus illis positivè assistat, sed satis esse, quòd illis non resistat irritando: quandiu enim voluntati humanæ per voluntatem superioris facultas non adimitur, vel impeditur quoad potestatem & valorem actus, tandiu ex natura rei validè contrahit, donat, & alia similia facit.

Responsio IV.

Leges ecclesiasticæ non irritant actum, quem purè & simpliciter prohibent.

Prob. Nam si irritant, vel irritant ex natura rei, vel propter legem *Non dubium*, vel denique propter legem aliam ecclesiasticam, irritantem actus factos contra leges ecclesiasticas, purè & simpliciter prohibentes. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex dictis superiùs. Non secundum; quia lex *Non dubium*, cùm sit civilis, non interpretatur leges ecclesiasticas. Præterea, dici non potest, quòd fuerit canonizata, ut mox ostendetur. Non denique certium, quia nulla lex hujusmodi assignari potest. Ergo, &c.

Obj. Gregorius Papa lib. 1. Regiſtri indict. 2. ep. 7. canonizavit legem *Non dubium*: nam ita loquitur: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* Et cap. *Quæ contra*, de regulis juris in 6. dicitur: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

R. ad 1. Gregorium loco laudato declarare testamentum cujusdam Abbatissæ invalidum esse, quia factum erat contra legem Justiniani, prohibentem monachos testari, cujus effectum ostendit per verba laudata. At non acceptat legem *Non dubium*, ut vim habeat in jure canonico. *Resp. ad* 2. Regulam allegatam, vel tantùm instruere judicem, ut rescindat ea quæ contra leges prohibentes facta sunt, si poterunt & merebuntur rescindi; vel intelligendam esse de iis quæ fiunt contra leges statuentes formam substantialem actui, & sine qua proinde actus validus esse non potest.

DISPUTATIO IX.

De interpretatione, dispensatione, abrogatione, & cessatione legum humanarum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quotuplex sit legum humanarum interpretatio.

1. Interpretatio legum humanarum triplex est, authentica, usualis, & doctrinalis. Authentica est ea, quæ fit authoritate illius, qui legem potest ferre. Usualis est ea, quæ fit per usum & consuetudinem, quæ est optima legum interpres. Doctrinalis denique est ea, quæ fit per doctrinam & explicationem peritorum. Hæc autem postrema interpretatio à duabus prioribus differt in eo, quòd non habeat vim legis, quia non procedit ab habente potestatem jurisdictionis: unde detegit tantùm obligationem, non eam facit. Quòd si obligationem detegit evidenter, aut certò moraliter, quia omnes aut penè omnes Doctores in eundem legis sensum consentiunt, tunc lex servari debet juxta sensum illum: Si verò Doctores inter se dissentiunt circa sensum legis, tunc quilibet, tuta conscientia, sequitur interpretationem, sibi, omnibus maturè ponderatis, verisimiliorem, quamvis libertati faveat.

Porrò ad faciendam interpretationem doctrinalem, diligenter considerare oportet proprietatem verborum legis, rationem seu causam legis, præsertim si in lege expressa est; materiam legis, & circumstantias, aliaque adjuncta, quæ aliquid possunt conferre ad detegendam legislatoris mentem & intentionem, quæ etiam conjici potest ex aliis legibus, in quibus eadem verba, vel similia, in tali sensu accipiuntur; vel ex eo, quòd alioquin verba legis continerent injustitiam, vel absurditatem: nam correctio legum odiosa est, & quantum potest, vitari debet; vel denique ex eo, quòd alteri legi repugnarent: leges enim debent inter se conciliari, & aliæ per alias explicari.

2. Interpretatio legis iterùm duplex est, una simplex, qua interpretamur verborum ambiguitatem, & altera per æquitatem, qua interpretamur casum aliquem particularem non comprehendi in lege, quamvis verba legis clara sint, & ad casum illum extendi videantur, quia generalia sunt; & hæc interpretatio vocatur Epykia, quæ à Doctoribus cum Aristotele communiter definitur, Emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale, hoc est, æqua & rationalis interpretatio legis, quod non obligat in aliquo casu particulari, quamvis generalibus verbis lata sit à legislatore. Unde Epykia est restrictio quædam legis in certis casibus, quos rationabiliter præsumitur non comprehendere, licèt ejus verba id præseferant, quia generalia sunt.

Porrò quandoque necessarium est & obligatorium uti Epykia, quando qui legem observaret, contra rectam rationem ageret; quandoque verò licitum est, sed sine necessitate & obligatione morali, quando lex observari potest absque peccato, imò & laudabiliter per actum heroicum; tamen non obligat cum tanta necessitate ad sui observationem.

ARTICULUS II.

Penes quos sit potestas dispensandi in legibus humanis.

Nota. Dispensatio propriè dicta, de qua hìc agitur, est legis relaxatio circa personas aliquas, vel aliquos actus, aut effectus legis in iis casibus, in quibus alioquin lex obligaret, aut talem effectum haberet. Unde potestas hoc modo dispensandi, est potestas jurisdictionis, & est duplex, ordinaria scilicet, & delegata. Ordinaria est ea, quæ competit alicui, ratione sui officii, seu ex vi sui muneris: delegata verò est ea, quam quis habet ex concessione illius qui ordinariam habet. Hæc autem potestas delegata concedi potest duplici modo, nempe, ut loquuntur, ab homine, vel à jure. Quòd si à jure datur, transit in ordinariam, vel ei æquiparatur. Si datur ab homine per privilegium, non expirat per mortem concedentis: si verò datur per simplicem commissionem, mortuo vel amoto delegante, cessat, si res est integra. Quocumque autem modo detur, est favorabiliter & amplè interpretanda, salva proprietate verborum, quia est beneficium Principis, & ad bonum commune valdè utilis, si prudenter & moderatè ea utatur delegatus.

Responsio I.

Potestatem dispensandi in lege humana ordinariam habet Princeps, vel alius superior, qui eam tulit; item successor illius cum pari potestate; item, qui potestatem habet superiorem circa eosdem subditos.

Prob. 1. *pars.* Nam ad eandem potestatem pertinet ferre legem, & in ea dispensare. *Prob.* 2. *pars.* Nam qui succedit cum pari potestate, reipsa potest id totum, quod potuit is cui succedit. *Prob.* 3. *pars.* Nam superior potest abrogare legem inferioris. Ergo à fortiori ordinariam habet potestatem in ea dispensandi.

Ris-

Responsio II.

Inferior non habet potestatem ordinariam dispensandi in lege superioris, at potest habere delegatam.

Prob. 1. *pars*. Nam officium inferiùs & subordinatum, non dat nec dare potest potestatem ordinariam dispensandi in lege superioris. At inferioris officium inferiùs est & subordinatum. Ergo, &c.

Prob. 2. *pars*. Quia ex natura rei non requiritur ad dispensationem, ut ipse legislator per se ipsum illam exerceat, sed potest illam exercere per alium. Ergo potest inferiori delegare potestatem dispensandi, exceptis tamen casibus, in quibus hoc jure aliquo speciali prohibitum est.

Responsio III.

Qui potestatem habet ordinariam, & à fortiori qui non habet nisi delegatam dispensandi in lege, peccat dispensando sine justa & rationabili causa.

Prob. Nam, quod est vitium acceptionis personarum, & justitiæ distributivæ oppositum, imprudenter & irrationabiliter liberat ab onere communi eum, qui non est liberandus, aut eo modo, quo non est liberandus. Unde potiùs dissipat, quàm dispensat. Itaque peccat graviter, si materia in qua dispensat, gravis est; & tandiu peccat, quandiu non revocat dispensationem, quoad usum futurum. Item peccat subditus, petendo dispensationem sine justa causa, quia superiorem inducit ad actum illicitum: sicut peccat etiam, utendo tali dispensatione. Sed ex occasione data.

Nota 1. Duplex est causa dispensandi in lege humana; una intrinseca, quæ observationi legis directè opponitur, afferendo aliquod impedimentum legi, aut ejus observationem reddendo nimis gravem. Talis est infirmitas aliqua respectu legis qua præcipitur jejunium. Altera verò extrinseca, quæ à circumstantiis extrinsecis sumitur, ut à nobilitate, dignitate, honoribus, meritis erga rempublicam, &c.

2. Quid sufficiat, ut causa dispensandi sit justa, generaliter definiri non potest, sed in casibus particularibus prudenti judicio decernendum est pro loco, tempore, persona, & aliis circumstantiis occurrentibus.

3. Necesse non est, tantam esse causæ justitiam, ut vi illius solius cesset obligatio legis: nam tali causa existente, non esset opus dispensatione, sed ad summum interpretatione, quando scilicet tanta causæ justitia non esset satis nota.

4. Quamvis non debeat causæ justitia esse tanta, ut tollat legis obligationem, talis tamen debet esse, ut idonea sit ad movendum rationabiliter superiorem ad hoc ut relaxet vinculum legis, quod alioquin maneret.

5. Licèt inferior dubitet utrùm ratio petendi dispensationem sit sufficiens, non tamen peccat, illam sincerè proponendo superiori, aut utendo dispensatione, si detur, si modò deponat dubium, conformando judicium suum judicio superioris, qui prudenter judicasse causam dispensandi sufficientem fuisse, præsumendus est, nisi ratio gravis in oppositum obstet.

6. Necessarium non est causam dispensandi talem esse, ut ea existente, superior dispensare teneatur; sed satis est, quòd possit licitè cum subditis benignius agere dispensando, & tunc dispensatio data vocatur in jure, Gratia.

7. Quando causa dispensandi talis est, ut superior teneatur dispensare, quia vel bonum commune aut privatum petentis dispensationem id postulat, vel superior potestas præcipit ut dispensetur; non idcircò subditus liber est ab obligatione legis, si negetur dispensatio. Unde tunc vel ad superiorem potestatem recurrendum est, vel servanda est lex.

Responsio IV.

Dispensatio data etiam sine justa causa, valida est, si detur ab eo qui ordinariam habet potestatem dispensandi; secùs, si ab eo qui tantùm delegatam habet.

Prob. 1. *pars*. Nam obligatio legis pendet non solùm in fieri, sed etiam in conservari à voluntate legislatoris, & consequenter ab eo qui succedit cum pari potestate; & à fortiori, ab eo qui superior est. Ergo si legislator, vel æqualis, aut superior, nolit eam obligare in aliquibus circumstantiis, aut aliquas personas, quacumque de causa nolit, reverà non obligat. Unde tunc subditus utendo dispensatione, non peccat contra legem humanam, nec pœnam incurrit, quam imponit lex illa; peccat tamen contra legem naturalem, qua prohibetur, ne pars toti discordet sine rationabili causa, & peccat contra virtutem illam, ex cujus affectu lex humana præcipit vel prohibet actum, perinde ac si non esset cum illo dispensatum; quia nimirùm lex naturalis ex affectu ejusdem virtutis præcipit subdito ut omittat vel faciat actum prohibitum vel præceptum lege humana, quandiu lex humana viget, aut ipse non habet rationabilem causam utendi dispensatione obtenta.

Prob. 2. *pars*. Nam 1. obligatio legis non pendet in conservari ab inferiore, sicut nec ab eo pendet in fieri. 2. Superior censendus est inferiori non concessisse potestatem dispensandi nisi ex rationabili causa. Ergo, &c.

Dices. Homines non acceperunt à Deo potestatem dispensandi in votis, nisi ex justa causa. Unde dispensationes in votis, sine justa causa datæ, sunt invalidæ. Ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia in dispensatione votorum, legislator est purus dispensator & œconomus. At in dispensatione legis suæ dominus est: tunc enim non vult uti jure quod habet ad obligandum, & potest nolle etiam irrationabiliter; cùm planè liberum ei sit velle non velle. Nolendo autem non obligat, licèt peccet; proindeque dispensat, etiam sine justa causa relaxando vinculum obligationis, quæ continuò pendet ab ejus libera voluntate obligandi.

Articulus III.

Utrùm & quot modis abrogari possint leges humanæ.

Responsio I.

Legislator potest quacumque de causa validè abrogare legem à se latam. Idem potest successor cum pari potestate, & à fortiori utriusque superior.

Prob. 1. *pars*. Nam, ut jam dictum est, obligatio legis non solùm in fieri, sed etiam in conservari pendet à libera voluntate legislatoris; & ita sicut tandiu perseverat, quandiu perseverat moraliter voluntas obligandi legislatoris, ita desinit penitùs, cùm penitùs desinit voluntas obligandi legislatoris. Atqui voluntas obligandi, quam legislator habet, penitùs desinere potest pro legislatoris arbitrio. Ergo pro legislatoris arbitrio potest penitùs desinere obligatio legis, & consequenter quacumque de causa potest legislator abrogare legem suam, quamvis peccet, hoc faciendo sine justa & rationabili causa: hoc enim, quod grave est, bono communi adversatur.

Responsio II.

Inferior non potest abrogare legem superioris sine ejus licentia.

Prob. Nam voluntas & jus inferioris non potest prævalere contra voluntatem & jus superioris. Hinc Episcopi non possunt abrogare leges Pontificias, aut quidquam statuere contra jus canonicum, vel leges suorum superiorum, ut Concilii provincialis, vel nationalis. Hinc laici derogare non possunt legibus ecclesiasticis, &c.

Responsio III.

Abrogatio legis fieri potest tribus modis.

Prob. Nam fieri potest, 1. per simplicem revocationem. 2. Per contrariam consuetudinem non scriptam, à superiore expresse vel tacitè approbatam. 3. Per aliam legem, qua vel constet de abrogatione simpliciter facta, vel contrarium priori legi statuatur, quod fit interdùm addita particula derogante in generali, vel in particulari, non obstante, &c. Interdùm verò sine tali particula, & sine ulla mentione prioris legis: nam si lex posterior stare non potest cum priore lege, illam revocat: posterior enim voluntas priori contraria, priorem revocat. Tunc tamen abrogatio, quantùm fieri potest, restringi debet, quia communiter odiosa est, & de se, nisi necessaria sit reipublicæ nociva. Unde quantùm potest fieri, leges sunt inter se conciliandæ, & legum concordia anteponenda est abrogationi, nisi tamen prioris legis abrogatio, & successio posterioris, favorabilior sit. Sed

Observa 1. Leges speciales non abrogari per posteriores generales, sine expressa mentione, sed è contra has per illas limitari. Ratio est, quia, ut docent Canonistæ communiter, Princeps censetur ignorare legem specialem, cujus expressam mentionem non facit: unde quia voluntas non fertur in incognitum, non censetur velle illam abrogare per legem generalem posteriorem, non habentem clausulam derogatoriam.

Observa 2. Triplici modo supra dicto legem abrogari posse validè, sive justa sit causa abrogandi, sive non. Justæ autem abrogationis causæ sunt, si lex alia contraria, utilior futura sit; si propter rerum mutationem, expediat leges alias condi; si legum multitudo sit magna, & aliquas vel multas revocari expediat.

Quæres. Quandonam cesset lex? *Resp.* Ipsofacto cessare, quando cessat tota & integra ratio, propter quam lata est: quia lex non obligat, nisi quandiu legislator vult, ut obliget. Atqui tota & integra causa, propter quam lex lata fuit, cessante, legislator non vult ampliùs legem obligare. Ergo, &c.

TRACTATUS NONUS.

DE

REGULIS FIDEI.

Regula fidei dicitur id quod continet vel proponit infallibiliter veritates à Deo revelatas, pertinentes ad fidem catholicam. Dividitur in animatam & inanimatam. Inanimata duplex est, Scriptura scilicet & Traditio: animata verò, quæ duplex, universitas fidelium, seu pastorum & ovium, universitas pastorum, seu corpus pastorale capiti suo Romano Pontifici conjunctum; Concilium generale à Romano Pontifice approbatum, & Sedes Apostolica.

DISPUTATIO PRIMA.

DE SCRIPTURA SACRA.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm dentur aliquæ Scripturæ Sacræ, seu divinæ.

RESPONSIO I.

DAri sacras aliquas scripturas evidenter credibile est evidentia absoluta & perfecta, adeòque respectu omnium sufficientissima.

Prob. Scriptura sacra dicitur ea, quæ continet verbum Dei, seu divinas revelationes. Atqui dari hujusmodi scripturas evidens est saltem evidentia credibilitatis absoluta & perfecta. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam habemus motiva, quæ si non separatim, saltem conjunctim sumpta, ostendunt evidenter evidentia absoluta & perfecta non posse nisi imprudentissimè negari, quòd dentur aliquæ scripturæ, quæ verbum Dei, seu revelationes à Deo factas continent, sive, quod idem est, quòd aliquæ scripturæ, eæ nimirum, de quibus infra, verè contineant verbum Dei, seu revelationes à Deo factas. Ergo, &c.

Motiva autem illa sunt, illarum scripturarum antiquitas; illarum mirabilis conservatio inter tot & tantas persecutionum & hæresum procellas, quibus hactenùs exagitata est christiana religio; puritas, sublimitas & sanctitas doctrinæ quam continent; illarum planè divina in hominum animis ad amorem Dei, & virtutum omnium exercitium convertendis energia; summa veneratio, qua illas prosecuti sunt à septemdecim sæculis innumeri penè viri in religione christiana, doctrina, sanctitate & sapientia insignes; prophetiarum, quas habent, veritas eventu comprobata; authorum, à quibus conscriptæ fuerunt diversis temporibus, locis & linguis, summa inter se consensio & concordia. Ex his autem argumentis saltem collectivè sumptis, quis non evidenter colliget, sine temeritate maxima negari non posse scripturarum illarum divinitatem?

RESPONSIO II.

Imò dari aliquas scripturas divinas, simpliciter evidens est evidentia magna morali.

Prob. Tam certum & evidens est dari divinas aliquas scripturas, quàm certum & evidens est religionem christianam esse veram religionem: unum enim è præcipuis religionis christianæ dogmatibus est, quòd dentur aliquæ scripturæ, verè continentes verbum Dei, seu revelationes à Deo factas. Atqui, ut suo loco probatum est, certum & evidens est simpliciter evidentia magna morali, religionem christianam esse veram religionem. Ergo, &c.

Porrò scripturæ illæ, quarum divinitatem nonnisi imprudentissimè negari posse, imò simpliciter evidentem esse probavimus, dividuntur, velut totum in partes, in eas quæ ante adventum Christi exaratæ fuerunt, & componunt vetus testamentum; & eas, quæ conscriptæ fuerunt post Christi adventum, & in illis novum testamentum consistit. Hæ itaque in lege gratiæ, illæ verò in lege Mosaica ab authoribus à Deo inspiratis, qui idcircò Authores sacri nominantur, conditæ fuerunt. Sed

Nota. Pro sequentibus articulis. Hæc vox Canon, duplicem habet significationem. 1. Enim significat idem ac Regula. Hinc Conciliorum decreta de fide vel moribus, vocantur Canones, quia sunt fidelibus credendorum vel agendorum regulæ; sed hæc vocis acceptio non est hujus loci. 2. Significat idem ac Catalogus, & in hac significatione hìc sumitur, cùm scripturis sacris attribuitur. Cùm itaque quæritur, quis sit canon librorum sacrorum, sensus est, quis sit librorum sacrorum catalogus; & cùm quæritur, quinam libri sint canonici, sensus est, quinam libri in librorum sacrorum catalogum sint relati. Canon hìc est librorum sacrorum catalogus, & libri canonici sunt libri sacri.

ARTICULUS II.

Quot & quos in suo Canone libros habuerint Hebræi.

Resp. In canone Hebræorum fuerunt libri viginti duo, nempe Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. (Hos quinque libros à Mose conscriptos Legem nuncuparunt Hebræi.) Liber Josue, liber Judicum, in quem compingunt librum Ruth; liber Samuelis, quem nos primum & secundum Regum dicimus; liber Regum, qui apud nos tertio & quarto Regum continetur; Isaias, Jeremias, Ezechiel; liber duodecim Prophetarum; Job, Psalterium Davidis, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Daniel, Verba dierum, qui apud nos Paralippomenon primus & secundus inscribitur; Esdras, qui apud Latinos & Græcos in duos libros divisus est, & Esther.

Prob. Ex Josepho lib. 1. contra Appionem Alexandrinum, num. 27. & 28. ubi tamen non enumerat, sed solùm indicat præfatos libros, quos, ut hìc obiter observare operæ pretium est, monet omnes ante Artaxerxis obitum fuisse conscriptos. Ex Origene apud Eusebium, lib. 6. Histor. Eccles. cap. 18. nisi quòd non habet expressam libri Ruth mentionem. Ex S. Hilario in Prologo in libr. Psalmorum num. 15. Ex S. Cyrillo Hierosolymitano catechesi 4. Ex S. Epiphanio in libro de mensuris & ponderibus. Ex S. Hieronymo in Prologo Galeato, cujus ordinem secuti verba ferè exscripsimus. Ex S. Isidoro Hispalensi lib. 6. originum cap. 1. Ex S. Damasceno lib. 4. orthodox. fidei cap. 18.

Quæres. Utrùm apud Hebræos fuerint plures librorum sacrorum canones editi?

Resp. Triplex est hac de re sententia. Prima docet tres fuisse librorum sacrorum canones editos; primum ab Esdra Sacerdote & Sriba sub Artaxerxe Persarum rege; secundum à Synagoga magna, antequam LXX. Interpretes ad interpretandas sacras Scripturas ad Ptolomæum Philopatorem in Ægyptum mitterentur; tertium item à Synagoga magna post bella Machabæorum. Secunda sententia docet duos tantùm librorum sacrorum canones fuisse apud Hebræos; primum ab Esdra, secundum à Synagoga magna, vel antequam in Ægyptum mitterentur LXX. Interpretes cum sacro codice, vel saltem cùm Pharisæos inter & Saducæos exorta est controversia, concinnatum. Tertia sententia docet unicum apud Judæos fuisse librorum sacrorum canonem, ab Esdra confectum.

Quæres 2. Quis fuerit author præfati Hebræorum canonis?

Resp. Plane dicendus est præfatus Hebræorum canon ab Esdra confectus. Nam 1. sententiæ omnes Esdram unius canonis authorem, & duæ priores in probando duplici vel triplici canone deficiunt, & meris conjecturis nituntur: neque primam juvant hæc verba lib. 2. Machab. cap. 2. *Construens* (Nehemias) *bibliothecam, congregavit de regionibus libros, & prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis. Similiter autem & Judas ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos.* Ex his enim ad summum colligi potest, canonem ab Esdra primò contextum, sub Nehemia & Juda recognitum fuisse, & exemplaria à librariorum mendis expurgata.

2. Rabbinis præfatum canonem, non Esdræ, sed Synagogæ attribuentibus satisfit, si dicatur Esdras canonem à se compositum, Judæorum concilio, quod Sanedrin vocabatur, obtulisse, conciliumque canonem à se recognitum comprobasse, & authoritate sua, quæ in libris confecrandis suprema erat, sanciviſſe.

3. Præfatum canonem Esdrinum esse, disertis verbis docet S. Isidorus Hispal. lib. 6. originum c. 1. *Hebræi*, inquit, *vetus testamentum, Esdra authore, juxta numerum litterarum suarum, viginti duobus libris accipiunt.* Hanc suam sententiam profectò hauserat ex antiquioribus Patribus, ex quibus satis apertè colligitur. Nam sic ait S. Irenæus lib. 3. cap. 25. *Inspiravit* (Deus) *Esdræ sacerdoti tribus Levi, præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem, quæ data esset per Moysem.* Et Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. *Omne instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum.* S. Hilarius prologo in Psalmos scribit, *Esdram, ut antiquæ traditiones ferunt, incompositos* (Psalmos) *& pro authorum ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum collegisse & retulisse.* S. Basilius *Esdram omnes divinos libros ex mandato Dei eructavisse*, dicit in epistola ad Chilonem. S. Hieronymus *Esdram Pentateuchi restauratorem* appellat in lib. contra Helvidium. Theodoretus denique argumento in Psalmos asserit, *Esdram edidisse in lucem libros cœlestis gratiæ plenos, qui cùm propter Judæorum incuriam, tum verò ob impietatem Babyloniorum, diutiùs depravati permanserunt.* Certè cùm Patres restauratorem librorum sacrorum Esdram faciunt, & nullum alium præter illum faciunt, hoc ipso satis apertè videntur ei canonem Hebræorum attribuere. Sed

Quæres 3. Quomodo libros sacros restauravit Esdras? Utrùm scilicet illos omnes & integros de novo ex inspiratione divina dictando, an verò dispersos colligendo, & in unum corpus ordinando?

Resp. Duplex est hac de re sententia. Prima sententia docet, libros omnes sacros tempore captivitatis Babylonicæ, quando Hierosolymitana civitas diruta, & templum flammis absumptum est, periisse, adeòque Esdram illos non aliter posteà restaurare potuisse, quàm eos de novo ex inspiratione divina scribendo, vel dictando. Secunda sententia docet, universam quidem Scripturam, quæ publicè servabatur in templo, cùm ipso templo conflagrasse, & ita periisse; sed apud privatos, putà apud Ezechielem, Danielem, Hieremiam, Aggæum, Zachariam, Mardochæum, & ipsum Esdram, aliqua exempla integra, vel eorum saltem partes alias apud alios, servatas fuisse; quòd enim nulli privati sacram apud se Scripturam haberent, prorsus incredibile est; adeòque Esdram non aliter restauraſſe libros sacros, quam eos variis in locis inventos colligendo, & collectos in unum corpus redigendo, atque menda, si quæ scribarum incuria irrepserant, corrigendo.

Hanc secundam sententiam facilè anteponimus priori, quam tamen videtur esse secutus S. Basilius loco citato, ob testimonium libri quarti Esdræ, qui quia apocryphus est, & passim fabulas Judaicas redolet, nullam planè meretur fidem: in hoc autem libro, cap. 14. expressis verbis narratur, Esdram inspiratum divinitùs, Scripturam, quæ omninò interierat, reparaſſe, quinque viris dictando totis quadraginta diebus, cujus facti nullum vestigium extat in Scripturis canonicis, & ab Ecclesia receptis, nec ex traditione probari potest. Nam Basilio plures alios opponimus; nempè Irenæum, Tertullianum, Hilarium, Hieronymum, & Theodoretum, qui simpliciter dicunt Esdram libros sacros restituisse, instauraſſe, collegisse, in lucem edidisse, nec addunt hoc feciſſe dictando memoriter, quod factum, si verum esset, non fuisset silentio prætermittendum, utpotè miraculosum, & ad conciliandam Scripturis authoritatem aptissimum.

Adde quòd Theodoretus loco citato expressè testatur libros sacros post Urbis Hierosolymitanæ devastationem permansisse, quamvis partim ob Judæorum incuriam, partim ob Babyloniorum impietatem depravatos. Theodoreto planè consonat sanct. Chrysostomus homil. 8. in epistol. ad Hebræos, ubi asserit, Esdram à Deo inspiratum, ut ex librorum sacrorum reliquiis Scripturam componeret, & componendo repararet.

Quæres 4. Utrùm præter libros Hebræorum canone contentos, fuerint etiam alii libri sacri in lege Mosaica conscripti.

Resp. Præter libros Esdrino canone contentos, fuerunt etiam alii libri sacri & divini, nempè libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum primus & secundus. Nam 1. quòd hi libri in lege Mosaica conscripti fuerint; nemini dubium est. 2. Quòd sint sacri & divini, constat ex testimonio Ecclesiæ, quæ illos ut sacros & divinos adoptavit, & in canone suo posuit, ut infra videbitur. Præter hos autem libros, fuisse adhuc alios in lege veteri, etiam à Prophetis conscriptos, habemus ex libris 1. & 2. Paralippomenon, in quibus citantur. Utrùm autem fuerint sacri, seu ex divina inspiratione conscripti, an non, controvertitur. Alii enim divinos omnes fuisse asserunt, nec tamen in Hebræorum canonem relatos, quia exciderant, cùm Esdras canonem suum composuit: alii asserunt aliquos fuisse divinos, sed non omnes: alii denique nullos divina inspiratione, sed humana diligentia exaratos fuisse volunt, in qua videtur esse sententia S. Augustinus lib. 18. de Civ. cap. 38. Res videtur nobis planè dubia. Nam sicut Prophetæ poterant non loqui, & quandoque non loquebantur ut Prophetæ, sed ut homines; ita poterant scribere non ut Prophetæ, sed ut homines, humanæ industriæ relicti. Quo autem ex his duobus modo prophetæ conscripserint libros illos, quorum meminit Scriptura canonica, & qui injuria temporum perierunt, nec in librorum sacrorum catalogo fuerunt, quis definiet?

Quæres 5. Quare libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum primus & secundus, nunquam ab Hebræis, libris sacris ac divinis accensiti fuerint?

Resp. 1. Non potuerunt libris sacris accenseri ab Esdra, quia nondùm extabant, nec exarati fuerunt, nisi post mortem Artaxerxis, quod manifestum est de primo & secundo Machabæorum, & de reliquis facilè ostenditur: cùm enim sint verè sacri & divini,

Esdras,

Esdras, qui erat propheta, & à Deo ad reparandam scripturam suscitatus, atque in eadem illa scriptura versatissimus, ut significatur lib. 1. Esdræ, cap. 7. non prætermisisset illos, cùm canonem suum conderet, si tunc temporis jam extitissent.

2. Post Esdræ tempora, libri illi quamvis in pretio fuerint apud Hebræos, ab eis tamen in librorum divinorum canonem non fuerunt relati, quia apud eos Prophetarum successio incerta fuit post mortem Artaxerxis, hoc est, quia apud eos incertum fuit, utrùm post mortem Artaxerxis fuerint aliqui homines ad scribendum inspirati, adeòque utrùm præfati libri qui post Artaxerxis tempora fuerunt conscripti, ex inspiratione divina conscripti fuerint. Hanc rationem suggerit Josephus, lib. 1. contra Appionem num. 29. ubi ita loquitur: *Ab Artaxerxe verò usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita, eò quòd non fuerit certa successio Prophetarum.*

Quæres 6. Utrùm præfati libri Tobiæ, Judith, &c. ut sacri & divini recepti fuerint ab Helleniſtis?

Resp. Hac de re duplex est sententia. Prima docet præfatos libros ut sacros & divinos receptos esse ab Helleniſtis, hoc est, à Judæis qui græca utebantur lingua, licèt ut tales non reciperentur ab Hebræis, hoc est à Judæis, qui hebraica lingua utebantur. Secunda verò sententia negat. Hanc sententiam priori facilè anteponimus.

Ratio est, quia 1. Prophetarum & hominum à Deo inspiratorum post Artaxerxis tempora successio non magis certa fuit apud Helleniſtas, quàm ap. Hebræos. 2. Helleniſtæ non minùs religiosi fuerunt, nec minori reverentia Esdrinum canonem prosecuti sunt, quàm Hebræi, qui tamen pro sua in canonem ab Esdra confectum reverentia, nihil ei addere, aut ex eo demere unquam ausi sunt, parati potiùs tormenta quælibet pati, & mori, quàm alterutrum attentare, teste Josepho lib. 1. contra Appionem num. 29. & 30. *Tanto*, inquit, *sæculo jam præterito*, hoc est, libris sacris quos Moses, & alii deinceps homines divino spiritu afflati usque ad Artaxerxis mortem conscripsere, & ex quibus Esdras canonem suum composuit, *neque adjicere quidquam aliquis, nec auferre, nec transformare præsumpsit. Omnibus enim insertum est mox ex prima generatione Judæis, hæc divina dogmata nominare, & in his utique permanere: & propter ea, si oporteat, libenter mori*, &c. 3. Hebræi habuerunt apud se synagogam magnam, cujus erat, ut docent ipsimet prioris sententiæ defensores, controversias de librorum divinitate exortas dirimere; adeòque priùs apud Hebræos præfati libri ut sacri & divini recipiendi fuerunt & in canonem referendi, quàm ut canonici reciperentur, aut etiam possent recipi ab Helleniſtis.

Dices. Præfati libri partim græcè primùm conscripti, partim chaldæo vel hebræo in græcum sermonem conversi, versioni LXX. Interpretum, qua utebantur Helleniſtæ, inserti fuerunt. *Resp.* Esto. Sed quid inde? Certè in nostro canonicarum scripturarum codice habemus orationem Manasses regis Juda, cum libris tertio & quarto Esdræ, nec tamen idcircò sunt scriptura canonica, sed à nobis ut apocrypha rejiciuntur.

Dices. Præfati libri legebantur in synagogis Helleniſtarum. *Resp.* Si legebantur, non ut sacri & divini, sed ut pii, & ad animarum ædificationem idonei legebantur. Unde enim Helleniſtæ potiùs habere potuerunt, quàm Hebræi, libros illos ut sacros & divinos recipiendos esse? Quare S. Hieronymus, cùm in præfationibus in libros Tobiæ & Judith ait eos ab Hebræis inter Hagiographa recenseri, non addit etiam ut sacro divinos receptos esse, & lectos ab Helleniſtis? Denique Helleniſtarum & Hebræorum unus & idem fuit canon: quis enim Helleniſtarum canonem ab Hebræorum canone distinxit unquam? Ergo apud Helleniſtas non plures libri ut canonici susceptі & lecti sunt, quàm apud Hebræos.

Dices. Præfatos libros Ecclesia accepit ab Helleniſtis. *Resp.* Esto. Dico, esto: nam quare Ecclesia dicitur libros illos ab Helleniſtis potiùs quàm ab Hebræis accepisse; cùm non solùm Helleniſtæ, sed etiam Hebræi eos apud se habuerint, etiam græco sermone editos? Sed esto: at saltem Ecclesia libros illos ab Helleniſtis accepit tantùm ut hagiographos, ab Apostolis verò ut sacros & divinos. Et verò etiam suppositò, quòd præfati libri ut sacri & divini susceptі fuerint ab Helleniſtis, ad hoc ut Ecclesia libros illos velut sacros & divinos prudenter susciperet, opus habuit Apostolorum authoritate: ad hoc enim sufficere non poterat authoritas Helleniſtarum, libros illos velut sacros & divinos susciplentium, contradicentibus Hebræis, & libros illos solùm ut hagiographos susciplentibus.

ARTICULUS III.

Quinam libri, tam ex veteri quàm ex novo Testamento, sint in canone Ecclesiæ Catholicæ.

Responsio I.

IN Canone Ecclesiæ, 1. sunt ex Testamento veteri quinque libri Moysi, idest, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralippomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechias, Daniel, duodecim Prophetæ minores, idest, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus.

2. Sunt etiam ex novo Testamento quatuor Euangelia secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses; duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum; ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Ita Synodus Tridentina, quæ huic sacrorum librorum catalogo hæc verba subjicit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit .... anathema sit.*

Quæres. Utrùm hic librorum sacrorum canon primùm editus sit à Synodo Tridentina?

Resp. Negativè. Nam eundem illum canonem habent sæculo septimo Isidorus Hisp. lib. 6. originum, cap. 1. Sæculo quinto Innocentius I. in epist. ad Exuperium, cap. 7. quod his verbis incipit: *Qui verò libri recipiantur in canone sanctarum scripturarum, brevis annexus ostendit.* Ex quibus colligitur Ecclesiam Romanam canonem hunc semper habuisse; neque enim Innocentius primùm condit canonem, quem mittit ad Exuperium, sed canonem in Ecclesia sua receptum mittit. Quando autem receptum, nisi ab initio ex traditione apostolica, cùm ab initio traditiones Apostolicas omnes habuerit, omnesque semper custodierit, & custoditura sit fideliter?

Eodem sæculo quinto eundem canonem habent Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. & Gelasius in Concil. Rom. 70. Episcoporum; quarto denique sæculo Concilium Carthagin. III. cap. 47. Porrò quòd Ecclesia Africana etiam antea ab initio habuerit, suaderi potest ex Tertulliano & Cypriano, qui libros omnes hoc canone contentos citant ut scripturam divinam, excepto fortasse uno aut altero ex veteri testamento. Sed

Nota. Pro sequentibus articulis. Libri canone nostro comprehensi, in duplici sunt classe: prima est eorum, qui ut sacri & divini semper ab universa Ecclesia recepti fuerunt, unde proto-canonici nuncupantur: secunda eorum est, quorum divinitas non ita semper explorata fuit in universa Ecclesia, & ita ab aliquibus catholicis aliquando in dubium revocata, aut etiam negata est, unde vocantur Deutero-canonici.

ARTICULUS IV.

Quinam ex libris veteris Testamenti, canone nostro comprehensis, sint proto-canonici, quinam verò deutero canonici.

Responsio I.

Libri proto-canonici ex veteri Testamento, sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, liber Josue, Judicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralippomenon duo, Esdræ primus & secundus, Job, Psalterium 150. Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores.

Prob. Nam de his libris nulla unquam fuit controversia inter Christianos, sed in universa Ecclesia semper recepti fuerunt ut sacri & divini. Patet 1. ex omnibus Patribus, Conciliis & Pontificibus, qui sacrorum librorum Testamenti veteris catalogum texuerunt, & in eum retulerunt libros omnes modò recensitos: hos etenim in catalogum illum retulerunt secundo sæculo Melito Sardensium episcopus apud Eusebium, lib. 4. histor. Eccles. cap. 26. Tertio Origenes apud eundem Eusebium, lib. 6. histor. Eccles. cap. 18. Quarto, Concilium Laodicenum, Hilarius præf. in lib. Psalmorum num. 15. Gregorius Nazianzenus, in carmine de veris ac genuinis scripturis, Cyrillus Hieros. cateches. 4. Concilium Carthaginense III. cap. 47. Hieronymus in Prologo Galeato. Quinto, Innocentius I. in epist. ad Exup. cap. ult. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. Gelasius in Concil. Rom. Septimo, Isidorus Hisp. lib. 6. originum seu etymologiarum cap. 1. Octavo, Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. Decimosexto denique Oecumenica Synodus Tridentina. Patet 2. ex eo quòd omnes alii Patres tam græci quàm latini, hos libros ut sacros & divinos passim citent in suis operibus.

Responsio II.

Libri deutero-canonici ex veteri Testamento sunt, Esther, Baruc, Danielis pars, nempe Hymnus trium puerorum, Susannæ historia & historia, draconis, quem Daniel interfecit; Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, libri Machabæorum duo; primus & secundus.

Prob. Nam horum divinitas non ita fuit semper explorata in universa Ecclesia, ut unanimi omnium fidelium consensu recepta fuerit & credita, sed tandem universalis Ecclesiæ definitione sancita est. Ergo, &c. Prima pars ant. ostenditur, 1. de libro Esther. Nam Melito Sardensis apud Eusebium illum prætermittit. Item omittit illum Gregorius Nazianzenus, cùm hac clausula: *Si quid extra hæc* (hoc est, extra catalogum modò ex veteris testamenti libris concinnatum) *invenitur, inter adulterinos libros numerandum est.* Item Synopsis Athanasiana disertis verbis eum à canonicis scripturis amandat. Item Hieronymus hujus libri capita 11. 12. 13. 14. 15. 16. cum majore parte decimi, saltem ut suspecta habuisse colligi potest ex præfatione & annotationibus in hunc librum.

2. De Baruc; quia apud Hebræos nec legebatur, nec habebatur, ut testatur Hieronymus in præfat. in Hieremiam, & idcircò illum in sua veteris testamenti interpretatione prætermisit, ut ibidem refert. Prætereà, in librorum sacrorum catalogis, quos Patres, Concilia, & Pontifices olim texuerunt, expressa illius mentio non invenitur, exceptis tribus, Concilii scilicet Laodiceni, Hilarii, & Cyrilli Hierosolymitani, in quibus post Hieremiam Baruc ponitur.

3. De enumeratis Danielis partibus: nam Hieronymus in præfatione in Danielem sic de illo loquitur: *Apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconisque fabulas: quas nos, quia in toto Orbe dispersæ sunt, vero antepositio, easque jugulante subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Quibus verbis apertè significat, se illas Danielis partes ut spurias & suppositritias habuisse. Prætereà, Julius Africanus in epistola ad Origenem scripta, ut refert Eusebius lib. 6. histor. Eccles. c. 23. asserebat historiam Susannæ *fictam videri, & alienam à scriptura prophetica.* Denique in Synopsi Athan. dicitur, historiæ Susannæ contradici.

4. De reliquis: nam 1. Melito, Origenes, Concilium Laodicenum, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus Hierosolymitanus non habent illos in suis Catalogis. 2. Synopsis Athanasii eos expressis verbis excludit. 3. Damascenus expresse excludit librum Sapientiæ & Ecclesiastici, reliquorum verò non meminit. 4. Denique libros illos omnes extra Hebræorum canonem esse docet Hieronymus in Prologo Galeato.

Secunda pars ant. patet ex sessione 4. Synodi Tridentinæ in decreto de canonicis scripturis, in quo libri illi omnes cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, inter sacras & canonicas scripturas numerantur, & anathematizantur ii, qui eos pro sacris & canonicis scripturis non susceperint.

Porrò libri illi omnes, etiam ante Tridentinam Synodum, magnam semper in Ecclesia habuerunt authoritatem, ut ostenditur, 1. de libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, & Machabæorum primo & secundo. Hos enim libros in librorum sacrorum canone collocant Synodus Carthaginens. III. Innocentius I. Augustinus, Gelasius, & Isidorus Hispan. Prætereà, à Patribus græcis & latinis citantur ut scriptura divina. Denique Ecclesia Romana eos ut canonicos semper habuit: nam habebat eos in suo canone tempore Innocentii I. Ergo antea semper habuerat; alioqui dicatur sub quo Pontifice, & ex qua occasione cœperit habere.

2. De libro Esther, etiam quoad septem postrema capita, & de libro Danielis, etiam quoad illas partes, quibus contradictum est. Nam sic argumentor. Hos libros canonicis scripturis annumerant Concilium Laodicenum, Concilium Carthaginense III. Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Innocentius I. Augustinus, Gelasius, Isidorus Hisp. & Damascenus, atque canonicis scripturis annumerant libros illos, quales habebantur in vulgata editione, qua utebatur universa Ecclesia, & quæ græcorum lingua & litteris continebatur, ut testatur Hieronymus in annotatione ad c. 10. libri Esther. Sed liber Esther cum septem postremis capitibus, & liber Danielis cum illis partibus, quibus aliquando contradictum est, habebantur in vulgata illa editione, qua utebatur universa Ecclesia, ut de libro Esther expresse asserit Hieronymus in suis annotationibus ad ejus septem postrema capita, & de libro Danielis colligitur ex eodem Hieronymo præfatione in Danielem, ubi ait, se prædictas Danielis partes ausum non esse prætermittere, quia toto Orbe dispersæ erant, & ne videretur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Quare autem hoc, nisi quia partes illæ Danielis legebantur in vulgata editione, quæ terebatur manibus omnium?

Confirm. De utroque libro: nam vulgata illa editio, quæ in tota Ecclesia erat recepta, & græcè κοινὴ dicebatur, teste Hieronymo præfatione in lib. 6. in Isaiam, teste eod. Hieronymo in sua ad Augustinum epistola,

epistola, quæ inter Augustinianas undecima est, fuit ea quam Origenes concinnavit ex interpretatione LXX. Seniorum, & Theodocionis versione, & in eam multa quæ apud Hebræos non inveniebantur, transtulit, quæ scilicet vel utraque versio, vel alterutra habebat. At 1. utraque versio habebat septem postrema capita libri Esther, ut colligitur ex Origenis ad Africanum epistola. 2. Patres Danielis aliquando controversias, & ab Hebræis rejectas habebat saltem Theodocionis versio, ut ex eadem Origenis epistola colligitur. 3. Et has Danielis partes, & illa libri Esther capita editioni suæ inseruisse Origenem, probat eadem illius epistola, in qua illa omnia ut sacram & canonicam scripturam defendit. Ergo vulgata editio, quam sequebantur Concilia & Patres, qui texuerunt canones, & in illos retulerunt libros Esther & Daniel, habuit septem postrema capita libri Esther, & Danielis partes, quibus aliquando contradictum est, adeòque hæ partes Danielis, & illa Esther capita à dictis Patribus & Conciliis inter sacras & canonicas scripturas computata fuerunt.

3. De Baruc ostenditur breviter, quia à multis Patribus, Cypriano scilicet, Ambrosio, Clemente Alexandrino, Theodoreto, Eusebio, &c. ut Scriptura Sacra laudatur locis citatis apud Bellarminum lib. 1. de verbo Dei cap. 8. Præterea, libris sacris ac canonicis accensetur à Concilio Laodiceno & Cyrillo Hieros. & ab Hilario sub nomine Epistolæ. Denique quòd Concilium Carthaginense III. & alii Patres ac Pontifices antiqui, qui librorum sacrorum canonem composuerunt, nomine Hieremiæ, Baruc velut illius partem vel appendicem comprehenderint, satis probatur ex eo quòd Baruc notarius ac discipulus fuerit Hieremiæ, & sub Hieremiæ nomine à multis ex veteribus Patribus citatus fuerit. Consule Bellarminum cap. citato.

ARTICULUS V.

Proponuntur aliquæ difficultates contra Scripturas deutero-canonicas veteris testamenti, & solvuntur.

Obj. 1. Septem postrema capita libri Esther non cohærent cum prioribus. Nam cap. 2. dicitur duos Eunuchos Assueri regis vitæ insidiatos esse anno regni ejus septimo; tum cap. 6. additur Mardochæum nullam pro patefactis insidiis mercedem accepisse. At eædem insidiæ iterùm narrantur c. 11. 12. & dicitur factas esse anno secundo Assueri, & Mardochæum pro delatione remuneratum.

Nota. Initium capitis 1. pertinet ad finem libri; reliquum verò, ab inserta scilicet Hieronymi annotatione, cum 11. & 12. capite ad Initium, & ad medium caput 13. cum subsequentibus omnibus, ut manifestum est ex græcis codicibus. Omnia tamen ad finem libri amandavit Hieronymus; quia, ut ipse testatur in suis annotationibus, ea non in hebræo codice, sed in vulgata editione græca reperit, & ex illa transtulit: ea autem sic manere propter eandem fortasse rationem, hactenùs passa est Ecclesia. His prænotatis,

R. 1. Eunuchorum insidiæ per anticipationem narrantur cap. 12. quod ad initium libri pertinet, & posteà suo loco narrantur cap. 2. Item eod. cap. 12. per anticipationem dicitur Mardochæus pro dilatione mercedem accepisse, quod non adversatur c. 6. ubi tantùm dicitur, eo tempore quo Rex jussit sibi regni sui annales relegi, nihil planè mercedis Mardochæo catenùs retributum esse, & statim subjicitur amplissimam esse datam. 2. Dato quòd c. 2. dicatur, ab Eunuchis Regi factas esse insidias anno regni ejus septimo, hoc non repugnat c. 12. ubi, ut jam observatum est, per anticipationem narrantur Eunuchorum insidiæ: illud enim c. 11. *Anno 2. regnante Artaxerxe maximo*, pertinet tantùm ad Mardochæi somnium, quod ibi narratur, nec extendi debet ad ea quæ narrantur c. 12.

Dices. Tota illa historia Esther est mera fabula: non enim dici potest, quis fuerit ille Assuerus Persarum rex, sub quo contigisse narratur. *Resp.* nego inst. *Ad prob. Resp.* Cum Josepho lib. 11. antiquitatum Judaicarum c. 6. Regem illum Persarum, quem hebræus textus Assuerum appellat, & LXX. Interpretes Artaxerxem nominant, fuisse Artaxerxem cognomento Longimanum, qui quintus à Cyro Babylone imperavit, & septimo imperii sui anno uxorem duxit Esther hebræam, neptem Mardochæi, quem secundum à rege Assuero in Persarum & Medorum regno fuisse dicitur lib. Esther c. 10.

At inquies. Quod Mardochæus ad septimum Artaxerxis annum pervenerit, prorsùs incredibile est: ut enim dicitur lib. Esther cap. 2. cum Jechonia rege à Nabuchodonosore magno Babylonem translatus fuit, & ita cùm Jechonias captivus abductus est, jam aliquot saltem annos natus erat, adeòque si superstes adhuc erat anno Artaxerxis septimo, supra centum & sexaginta annos vixit, quod omnem superat fidem.

Ad hanc difficultatem, quæ non levis est, responderi potest, Mardochæum cum Jechonia Babylonem translatum fuisse, non in se, sed in parentibus; cujus responsionis bonitas suaderi potest ex eo quòd, Genes. cap. 46. dicitur, septuaginta scilicet animas domus Jacob ingressas esse in Ægyptum, in quo numero comprehenduntur duo filii Joseph, Manasses & Ephraim, qui tamen nati sunt in terra Ægypti, proindeque non in se, sed in parente Ægyptum sunt ingressi.

Obj. 2. Contra librum Danielis. Caput 14. in quo narratur historia draconis à Daniele interfecti, pugnat cum cap. 6. Nam cap. 6. Daniel dicitur una solùm nocte fuisse in lacu leonum; & cap. 14. dicitur fuisse sex diebus. *Resp.* neg. 1. Itaque Daniel bis missus fuit in lacum leonum, semel Babylone, seditione à Babyloniis mota, eò quòd idolum Bel destruxisset, & interfecisset draconem, quem ut Deum colebant Babylonii, ut narratur cap. 14. semel verò non Babylone, sed in Media, quò eum Darius Medus secum abduxerat, Babylone capta ut scribit Josephus lib. 10. antiq. Jud. c. 12. Hac autem vice, ut narratur cap. 6. Danielem in leonum lacum mittendi causa fuit, quòd contra edictum, quo prohibebatur ne quis usque ad triginta dies aliquem, sive Deum, sive hominem, nisi solum Regem oraret, inventus esset *orans & obsecrans Deum suum*.

2. Prima vice qua Daniel in lacum leonum missus est, in eo mansit dies sex, quod dicitur capite 14. Hoc autem sub Evilmerodacho, filio Nabuchodonosoris magni, circa regni ejus initia contigisse tradit Salianus noster in Epitome ad annum mundi 3473. Altera verò vice qua in lacum leonum missus est Daniel, in eo una tantùm nocte relictus est, quod dicitur cap. 6. Ex quo etiam liquet, id contigisse sub Dario Medo, posteaquam scilicet Daniel expugnata Babylone, in ejus potestatem venerat, & unus è tribus primariis regni administris ab eo constitutus fuerat.

At inquies. Gratis dicitur historia, quæ narratur cap. 14. contigisse sub Evilmerodacho, qui Nabuchodonosori magno proximè successit. *Resp.* neg. Nam hæc historia contigit vel sub Nabuchodonosore magno, vel sub Evilmerodacho, vel sub Baltassare Evilmerodachi successore, vel denique sub Cyro post Darii Medi obitum; quo tempore ad unum Cyrum Medorum ac Persarum dominatio devoluta est: nulla enim alia tolerabilis sententia afferri potest.

1. Autem dici non potest, quòd hæc historia contigerit sub Nabuchodonosore, Daniele adhuc puero, & sub idem tempus, quo Susannam liberavit, ut fert prima sententia: nam, ut dicitur c. 14. *Erat Daniel conviva Regis, & honoratus super omnes amicos ejus*, quando propter demolitionem idoli Bel, & draconis interfectionem, in lacum leonum conjectus est. Danielem autem, cùm adhuc esset puer, fuisse convivam Nabuchodonosoris, & honoratum

super omnes amicos ejus, quis crediderit? Nec dici potest hanc historiam contigisse quidem sub Nabuchodonosore, sed posteà, quando Daniel grandior factus, & primum Regis somnium interpretatus, in sublime ab eo elatus, & princeps super omnes provincias Babylonis constitutus est, ut dicitur cap. 2. Tunc enim temporis Babylonios adversùs magnum Nabuchodonosorem seditionem movere ausos, quis facilè in animum induceret?

2. Dici non potest, quòd hæc historia contigerit sub Baltasare: quòd enim Daniel ab eo neglectus, imò vix ei notus fuerit habetur ex cap. 5. ubi Baltasar ea nocte, qua & regno & lucis usura privatus est, Danielem ad se introductum his affatur verbis: *Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ?* 3. Denique dici non potest, quòd hæc historia contigerit sub Cyro: nam si sub Cyro contigit, certè primo anno quo post obitum Darii cœpit solus imperare: Danielem enim non ultra hunc annum in vivis fuisse colligitur ex cap. 1. ubi dicitur: *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.* At quòd Babylonii recens contriti, contra Cyrum mussitare ausi sint, nedum in eum irruere vehementer, eique minas intentare, dicendum: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam*, credibile non est. Superest igitur ut dicatur hæc historia contigisse sub Evilmerodacho.

At inquies. Postrema verba capitis 13. pertinent ad caput 14. ut manifestum est ex græcis codicibus, juxta quos sic legendum est: *Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus, & erat Daniel convivia regis, & honoratus super omnes amicos ejus*, *Resp.* Ita esse: unde, ut nobis videtur, scriptura apertè significat Danielem, propter destructum Bel, & draconem interfectum, Babylone in lacum leonum conjectum fuisse sub idem tempus quo Cyrus, Astyage deturbato, adeòque civiliter mortuo, in Persidè rerum potiri cœpit, Dario Astyagis filio adoptivo in Media regnare permisso, hoc est, sub finem regni Evilmerodachi, quo tempore Astyages justo prælio superatus, & regno spoliatus est à Cyro.

Rex igitur, cujus Daniel erat conviva, & apud quem præ cæteris omnibus aulicis gratia valebat, sub id tempus quo Cyrus suscepit regnum Astyagis, non fuit Cyrus ipse, qui Babylonios sub jugum non misit, adeòque Judæos Babylone captivos in potestate sua non habuit, nisi post annos à victoria de Astyage reportata plurimos; sed Evilmerodachus, cujus regno ad finem vergente, Astyagis ruina contigit. Daniel igitur sub Evilmerodacho, non primo aut secundo, ut vult Salianus, sed penultimo aut ultimo regni ejus anno, missus est in lacum leonum, quia Bel destruxerat, & draconem interfecerat.

At inquies. Si ita est, quomodo vix notus fuit Baltasari, qui Evilmerodacho patri suo proximè successit? *Resp.* Id factum esse, vel quia Baltasar amicos parentis à se rejecit, aliosque regni administros habere voluit, vel quia Daniel se ipse sponte subduxit ex impii Principis aula, & deinceps vitam egit privatam: unde minimè mirum est, quòd Baltasar Danielis post annos viginti & ampliùs vix meminerit, presertim cùm principes tam facilè eorum obliviscantur, quorum non utuntur consuetudine.

Obj. 3. Contra eundem librum Danielis, Caput 13. quo continetur historia Susannæ, pugnat cum capite 1. Nam c. 13. dicitur Daniel fuisse puer, cum Susannæ judicium exercuit; & cap. 1. dicitur Danielem puerum cum Joachino rege à Nabuchodonosore Babylonem translatum fuisse. *Resp.* neg. obj. *Ad prob. Resp.* 1. Caput 13. pertinere ad initium libri, exceptis postremis verbis: *Et rex Astyages appositus est, &c.* ut manifestum est ex codicibus græcis. Hanc tamen Susannæ historiam ad finem libri amandavit Hieronymus; quia, ut patet ex ejus ad c. 13. annotatione, non eam legit in hebræo volumine, sed ex Theodotionis editione transtulit. 2. Susannam anno transmigrationis tertio fuisse liberatam à Daniele puero, utpotè duodecim tantùm annos nato. Vide Salianum in epitome ad annum Mundi 3438.

Obj. 4. Contra librum Tobiæ. Caput 3. & 9. pugnant inter se: nam cap. 3. dicitur Sara Tobiæ junioris futura uxor, habitasse in Rages Medorum, ubi etiam habitasse Gabelum cap. 4. narratur; & tamen cap. 9. Tobias junior, cùm in locum ubi habitabat Sara, pervenisset, Angelum misit in Rages ad Gabelum. *Resp.* neg. obj. *Ad prob. R. breviter*, vel fuisse duas Rages in Media, vel potiùs, cùm dicitur Sara in Rages habitasse, per Rages non ipsam civitatem, sed civitatis agrum intelligi.

Obj. 5. Contra librum Judith. Tota hæc historia Judith est mera fabula: non enim dici potest quo tempore contigerit. *Resp.* neg. obj. *Ad prob. Resp.* plures esse de tempore quo contigit hæc historia, sententias, quas omnes hìc examinare superfluum esset. Nobis omninò videtur tenenda esse sententia eorum qui dicunt eam contigisse sub Manasse rege Juda, & Merodacho Babyloniorum rege, qui etiam cap. 2. Nabuchodonosor vocitatur, non quidem ille, qui cognomento Magnus, Hierosolymam expugnavit, & Judæos in Babyloniam transtulit, sed ejus proavus, & Babyloniorum seu Chaldæorum imperii fundator, qui tamen c. 1. appellatur Assyriorum Rex, eò quòd maximam eorum regni partem occupasset.

Itaque, ut quæ ad plenam præsentis difficultatis solutionem conducere possunt, faciliùs intelligas, brevem hanc rerum ac temporum rationem accipe. Anno Ezechiæ regis Juda sexto, Samaria à Salmanazare Assyriorum rege capitur, regnum Israeliticum funditùs evertitur & Israelitæ, inter quos erat Tobias, vir sanctitate insignis, in Mediam captivi abducuntur.

Anno Ezechiæ decimo sexto, Sennacherib, Salmanasaris successor, exercitu quo Hierosolymam obsidebat, ab angelo ad internecionem deleto, Ninivem fugit, & à duobus filiis natu majoribus in templo Nesroch interficitur, eò quòd Assaraddonem filium natu minimum, regni successorem designasset.

Eodem anno, ex tantæ cladis, cædis Sennacheribi, parricidarum fugæ, & Assaraddonis infirmæ ætatis occasione, Merodach Babyloniorum prorex, contra Assyrios rebellat, & Babylone regem agit. Porrò vel tunc temporis, vel saltem aliquantò post, Medi Babylonios imitati, ab Assyriis quoque defecerunt, & Arphaxad sibi regem constituerunt.

Anno Ezechiæ vigesimo quinto, Assaraddon, inito cum Merodacho certamine, vincitur, & regno simul ac vita privatur, sicque maxima tandem regni Assyriorum pars cedit in Merodachi dominationem, quam ob rem multis hic annus imperii Babylonici initium est.

Anno regni sui vigesimo nono, moritur Ezechias, & regni hæredem relinquit Manassem, natum annos duodecim. Anno autem Manassis septimo, in eum, eò quòd tributum negaret, movet arma Merodach, captumque Babylonem transfert, & in carcerem conjicit: at non multò post à Deo ad clementiam inclinatus, juvenem principem, regis, quocum amicitiæ vinculo conjunctus fuerat, filium, & fidem cum vectigali promittentem, anno sequenti liberum dimittit.

Anno igitur regni sui octavo, Hierosolymam redit Manasses. Hoc eodem anno Merodach pugnat contra Arphaxad Medorum regem, & victoriam obtinet, cæso Medorum rege, eorumque dominatione eversa; nec integro Assyriorum imperio contentus, ad imperium totius terrarum Orbis animum adjicit.

Anno itaque Manassis nono, Merodach Olophernem cum ingenti exercitu mittit. Hic obviis regionibus omnibus latè vastatis, Bethuliam obsidet; Manasse, ne fidem recens datam violasse videretur, nolente sese huic bello immiscere, Pontifex Eliakim, qui & Joakim appellatur, rem solus administrat, à Juditha tertium & trigesimum annum vix agente, Olopherni caput abscinditur; Bethulia ad extremas angustias redacta liberatur; Babyloniorum exercitus profligatur;

fligatur ; Merodachi ambitio per mulierem repressa quiescit, & diuturna pace Judaica respublica fruitur. nam ut dicitur cap. ultim. Judith, *in omni spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem ejus annis multis*. Vixit autem Judith annos centum quinque, ut ibidem dicitur, adeòque annos septuaginta duos à truncato Olopherne; quibus si decem alios addideris, aderit Nobolassaris Babyloniorum regis ultimus, & Joachim regis Juda tertius, quo anno à Nabucodonosore magno Nobolassaris filio, primùm obsessa & capta est Hierosolyma. Hanc cladem post annos octo, Judæorum in Babylonem transmigratio; & transmigrationem hanc post alios duodecim, civitatis & templi deflagratio subsecuta est.

Obj. 6. contra librum Sapientiæ. Hic liber non fuit ab authore sacro conscriptus. Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis*. Si fuit ab authore canonico conscriptus, certè à Salomone. Atqui hoc dici non potest: nam, ut ait Hieronymus præfat. in libros Salomonis, *hic liber apud Hebræos nusquam est, quin & ipse stylus græcam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant*. Hinc Hieronymus hoc loco librum hunc *pseudepigraphum*, hoc est, falsò inscriptum nominat. Ergo, &c.

R. neg. min. Nam 1. omnes ecclesiastici scriptores, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis floruerunt, Salomonem hujus libri authorem agnoverunt. Hujus facti testis est Eusebius lib. 4. hist. eccl. c. 23. ubi de Egesippo, qui secundo sæculo floruit, sermonem habet. Sic autem loquitur: *Verum & hic ipse* (Egesippus), *& Irenæus, & omnis antiquorum chorus, librum qui adtitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt*. Quod confirmatur testimonio Tertulliani lib. de prescrip. c. 7. ubi sic ait: *Nostra institutio de porticu Salomonis est, & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse quærendam*; quod legitur c. 1. l. Sap. Et S. Cypriani lib. de mortalitate, ubi hæc habet: *Sed & per Salomonem docet Spiritus sanctus, qui Deo placeant, maturius istinc eximi*: tum citat hæc cap. 4. lib. Sap. verba: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, &c.*

2. Eundem Sapientiæ librum Salomoni attribuunt sæculo quarto S. Hilarius tract. in Psal. 127. ubi hæc habet: *Salomon itaque ait: Quæsivi sapientiam sponsam adducere mihi ipsi*. Quæ verba sunt c. 8. Et Concilium Charthaginense III. c. 47. Quinto verò sæculo idem facit Innocentius I. in epist. ad Exup. cap. 7.

3. Hujus libri cap. 9. legitur: *Tu elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum, & filiarum: & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo*. Quæ verba soli Salomoni convenire possunt. Sed ut aliquid Hieronymo concedamus, dicimus saltem sententias libri Sapientiæ esse Salomonis, ut manifestum est ex verbis modò laudatis, easque fuisse græco termone collectas ab aliquo alio ex inspiratione divina, qui fortasse fuit Philo, non ille qui post Christum vixit, & Judæorum legatione functus est apud Cainum imperatorem, sed alius longè antiquior.

Obj. 7. contra lib. 1. Machabæorum. Cap. 1. dicitur Alexander primus regnasse in Græcia, & tamen ante illum in Græcia multi fuerunt reges. Item eodem cap. dicitur Antiochus illustris regnasse anno 137. regni Græcorum, & tamen regnavit anno 155. Item cap. 8. dicit Romanos magistratum suum committere uni homini, & tamen tunc temporis creabantur duo Consules.

R. ad 1. Scripturam intelligere, non quodvis regnum, sed Græcorum monarchiam, quam primus obtinuit Alexander. *Ad* 2. Antiochum Epiphanem regnasse anno 156. si ab Alexandro qui novemdecim annis imperavit, annos imperii Græcorum numeres; si verò numeres à Seleuco, regnasse anno 137. Judæi autem, Asianorum consuetudinem secuti, non ab Alexandro, sed à Seleuco, qui primus imperavit in Asia, imperii Græcorum initium duxerunt. *Ad* 3. sic loqui scripturam, vel quia alternis diebus imperabant consules, quia penes unum erat præcipua authoritas.

Obj. 8. contra librum 2. Machabæorum. Cap. 2. dicitur Jeremias occultasse tabernaculum & arcam fœderis, quòd certè contingere non potuit, nisi circa finem regni Sedeciæ, & aliquantò antequam spoliaretur & diriueretur templum, quo tamen tempore fuit in carcere Hieremias. Item c. 1. dicitur Antiochus Epiphanes cecidisse in templo Naneæ; cùm tamen lib. 1. c. 6. dicatur Babylone mortuum esse in lecto suo. Item eod. cap. 1. dicitur Judas scripsisse epistolam anno 188. cùm tamen lib. 1. cap. 9. dicatur occisus esse anno 152.

R. ad 1. anno Sedeciæ ultimo Hieremiam, cùm esset futurorum præscius, aliquos ex primariis sacerdotibus viros religiosos de imminenti desolatione admonuisse, atque hortatum esse, ut tabernaculum & arcam fœderis clàm auferrent, & in subterraneo aliquo loco absconderent, quod ipsi, Deo protegente, præstiterunt ea fortassis nocte, qua Chaldæi muros civitatis occuparunt, & ex urbe fugit Sedecias. Postea verò Hieremias, cùm à Nabusardan Chaldæorum duce jussu Nabuchodonosoris in libertatem assertus, & sui juris factus fuisset, divinitùs de loco, in quo tabernaculum & arca fœderis absconsa fuerant, admonitus, facilè potuit illa trans Jordanem ad montem; ex quo Moyses morti proximus Chanaanitidem contemplatus fuerat, transferre.

R. ad 2. Scripturam lib. 2. c. 1. loqui de Antiocho, quem Eusebius Siderem, Soterem Josephus cognominat, Demetrii Soteris filio natu minore, qui fratre natu majore Demetrio Nicanore apud Parthos fugitivo, regnare cœpit imperii Græcorum anno 174. & cùm multis Judæos malis affecisset, anno ejusdem imperii 181. lapidibus obrutus est in fano Naneæ, quod cum paucis imprudens ingressus fuerat, sperans se deam in uxorem, & ingentes pecunias dotis nomine accepturum. At lib. 1. c. 6. scriptura loquitur de Antiocho Epiphane, quem dicit mortuum esse anno ejusdem imperii 149. non Babylone, sed cùm in Babylonem, cæso à Persepolitanis ejus exercitu, reverteretur: neque enim eò usque pervenire potuit, sed *peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est*, ut dicitur l. 2. c. 9.

R. ad 3. Scripturam lib. 2. cap. 1. loqui de Judeo quodam, cujus nomen erat Judas, quem Josephus lib. 13. antiq. Jud. cap. 19. scribit fuisse prædictionibus celebrem, & Antigoni filii Hyrcani mortis diem & locum prænunciasse, quique cum magna apud Judæos valeret authoritate, cum senatu scripsit epistolam, quam Judæi, qui erant Hierosolymis, anno 188. scripserunt Judæis, qui erant in Ægypto. At lib. 1. cap. 9. scriptura loquitur de Juda Machabæo, qui anno 152. prælio cum Bacchide commisso, cùm fortiter pugnaret, occisus est.

ARTICULUS VI.

Quinam ex libris novi Testamenti canone nostro contentis, sint proto canonici, quinam verò deutero canonici.

Resp. 1. Libri ex novo Testamento proto canonici sunt Evangeliorum libri quatuor, Matthæi scilicet, Marci, Lucæ, & Joannis; Actus Apostolorum ab eodem Luca evangelista conscripti; Epistolæ Pauli tredecim, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una; Epistolæ canonicæ duæ, prima scilicet Petri, & prima Joannis.

Prob. Nam hæ scripturæ omnes ut sacræ & divinæ semper ab universa Ecclesia absque ulla inter fideles controversia recepta fuerunt. Patet 1. ex eo quòd Patres omnes, omnia Concilia, Pontifices omnes, à quibus librorum sacrorum novi Testamenti catalogus conscriptus est eas omnes in canonem retulerint:

Sæcu-

Sæculo tertio Origenes apud Euseb. l. 6. hoc eccl. c. 18. Sæculo quarto Athanasius in synopsi, Cyrillus Hierosol. cateches. 4. Gregor. Nazianz. carmine de genuinis scripturis, Concilium Laodicense can. ult. & Concilium Carthag. III. c. 47. Sæculo quinto S. Augustinus lib. 2. de doctrina christ. c. 18. Innocentius I. in epist. ad Exuperium cap. 7. & Gelasius in Conc. Rom. Sæculo septimo S. Isidorus lib. 6. etymol. cap. 1. Sæculo octavo S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. Sæculo decimo sexto Synodus Tridentina sessione 4. Patet 2. ex eò quòd Patres alii, tam Græci quàm Latini, libros illos ut divinos laudent, & ex illis testimonia expromant.

R. 2. Libri ex novo Testamento deutero-canonici sunt, epistola ad Hebræos, epistola Jacobi, secunda Petri, secunda & tertia Joannis, epistola Judæ, & Apocalypsis, cui, Marci capite ultimo; historia sudoris sanguinis Christi, apparitionis, & consolationis angelicæ in Evangelio Lucæ, accedit.

Prob. Nam harum scripturarum divinitas, quæ per expressam Ecclesiæ definitionem declarata & confirmata, nunc est extra omnem controversiam posita, non fuit semper explorata & indubitata in universa Ecclesia, ut de singulis ostenditur.

1. De epistola ad Hebræos: nam sæculo quarto apud Latinos aliquos dubia erat ejus authoritas, teste Eusebio, lib. 3. hist. eccl. c. 3. *Pauli*, inquit, *manifestæ quatuordecim sunt epistolæ, quæ in authoritate habentur, licèt sciam apud Latinos de epistola, quæ ad Hebræos scribitur, haberi dubitationem:* imò & ante sæculum quartum de ea dubitatum esse, testis est Origenes apud Eusebium lib. 6. histor. eccl. cap. 18. ubi sic loquitur: *Quamvis nonnulli de ea, quæ ad Hebræos scripta est, dubitaverint, pro eo quod non videatur in ea servari ejus* (Pauli) *illa sententia, quem de se ipse pronunciat, dicens se imperitum esse sermone.* Denique hanc epistolam non à Paulo, sed à Barnaba conscriptam fuisse sensit Tertullianus, ut refert S. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum in Paulo. At Barnabas non fuit scriptor canonicus: nam ut dicit idem Hieronymus in Barnaba, *Barnabas .... unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter apocryphas scripturas legitur.*

Porrò hæc Pauli ad Hebræos epistola semper habuit gravissima divinitatis suæ argumenta: nam tribus prioribus Ecclesiæ sæculis in Ecclesia Alexandrina, quæ fuit una ex apostolicis, indubitanter recepta fuit ut canonica, & Pauli epistola. Hujus facti testem habemus locupletissimum Origenem apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. c. 18. ubi sic ait post verba superiùs laudata. *Sed ego dico, sicut mihi à majoribus traditum est, quia manifestissimè Pauli est, & semper omnes antiqui majores nostri ita eam in Pauli epistolam susceperunt.* Origenis authoritatem confirmat synopsis Athanasii, si tamen verè Athanasii est.

Hanc Pauli epistolam tribus prioribus Ecclesiæ sæculis non solùm ab Ecclesia Alexandrina, sed etiam ab omnibus omninò Ecclesiis ut canonicam receptam fuisse, probari potest authoritate S. Hieronymi in epistola ad Dardanum, ubi etiam testatur ab omnibus scriptoribus Græcis, qui ab Ecclesiæ exordio eatenùs floruerunt, susceptam esse quasi Pauli Apostoli. *Illud nostris*, inquit, *dicendum est, hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed omnibus retrò Ecclesiis, & græci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi.* Unde Latinos illos, qui suæ ætate eam inter scripturas canonicas non recipiebant, improbat, illorumque authoritati veterum authoritatem anteponens, eam sicut & Apocalypsim, quam tamen tunc temporis non recipiebant Græcorum Ecclesiæ, ut scripturam divinitùs inspiratam intrepidè suscipit. Nam sic prosequitur: *Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt: & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum authoritatem sequentes.*

Ex his S. Hieronymi verbis habetur hanc epistolam ab aliquibus quidem, imò fortasse à multis Latinorum Ecclesiis inter canonicas scripturas non fuisse receptam quarto sæculo ad finem vergente, sed simul tunc temporis magno consensu susceptam fuisse ut scripturam canonicam ab Ecclesiis Orientalibus. Denique in librorum sacrorum catalogo ponunt eam Origenes, Concilium Laodicense, Synopsis Athanasii, Cyrillus Hierosol. Gregorius Nazianz. Concilium Carth. III. Augustinus, Innocentius I. Galasius, Isidorus Hisp. & Damascenus.

2. De epistola Jacobi: nam aliquando à nonnullis assertum est eam non à Jacobo, sed ab alio sub ejus nomine scriptam fuisse, adeòque à nonnullis assertum est aliquando eam non esse canonici scriptoris. Testatur hoc Hieronymus catalogo script. eccl. in Jacobo, ubi sic ait: *Unam tantùm scripsit epistolam, quæ de septem catholicis est: quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur; licèt paulatim, tempore procedente, obtinuerit authoritatem.* Præterea, de hac epistola ab aliquibus dubitatum esse in Ecclesia catholica, scribit Eusebius lib. 3. histor. eccl. cap. 25.

3. De epistola Judæ: nam à multis rejecta fuit olim in Ecclesia catholica, ut testatur Hieronymus eodem catalogo in Juda. *Judas*, inquit, *frater Jacobi, parvam quidem, quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur: tamen authoritatem vetustate jam & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.*

4. De secunda Petri, nam de ea ab aliquibus catholicis dubitatum esse, constat ex Origene apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. c. 18. *Petrus*, inquit, *super quem Christi fundatur Ecclesia, duas tantummodo epistolas scribit, è quibus à nonnullis & de secunda dubitatur.* Et ex Hieronymo eod. catal. in Petro ubi hæc habet: *Scripsit duas epistolas, quæ catholicæ nominantur; quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter stili cum priore dissonantiam.*

5. De secunda & tertia Joannis: nam quòd verè sint Joannis, olim inter fideles controversum fuisse constat ex Origene apud Eusebium loco proximè citato, ubi sic ait de Joanne Evangelista: *Scripsit autem & tres epistolas, è quibus duæ per breves, de quibus & apud quosdam dubia sententia est.* Ex ipso Eusebio lib. 3. cap. 25. ubi hæc scribit: *Joannis autem extant præterea epistolæ, de quarum prima neque ab antiquis unquam, neque à posteris dubitatum est. De reliquis verò duabus, & de revelatione etiam nunc anceps sententia habetur.* Et ex Hieronymo eod. catal. in Joanne, ubi hæc scribit: *Scripsit autem & unam epistolam, cujus exordium est.* Quod fuit ab initio... *quæ ab universis ecclesiasticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ... Joannis presbyteri* (adeòque scriptoris non canonici) *asseruntur, cujus & hodie alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur.*

De his porrò epistolis sic aliquando inter fideles extitit controversia, ut semper pro se majora habuerint momenta, ut manifestum est ex eo quòd inter divinas scripturas computatæ fuerint à Concilio Laod. ab Athanasio in Synopsi, à Cyrillo Hieron. à Gregorio Nazianz. ab Hieronymo locis laudatis, à Concilio Carth. III. ab Augustino, ab Innocentio I. à Gelasio, ab Isidoro, & à Damasceno.

6. De Apocalypsi: nam 1. Gajus, qui post sæculi tertii initium floruit, contra Cerinthum disputans, videtur eam inter apocryphas scripturas computasse, eamque non ab Apostolo conscriptam existimasse: sic enim apud Eusebium lib. 3. hist. eccl. cap. 28. loquitur: *Sed & Cerinthus per revelationes quasdam, quas velut à magno Apostolo conscriptas, & per Angelos ei revelatas putaret, talia quædam portenta nobis introducit.* 2. Tota sæculo quarto dubia fuit ejus authoritas in plerisque Orientis Ecclesiis, ut colligitur ex Concilio Laodiceno & Cyrillo Hierosol. à quibus in li-

brorum

brorum sacrorum canone prætermissa est. Ex Gregorio Nazianz. à quo similiter est prætermissa, cum clausula generali, libros omnes prætermissos adulterinis scripturis adnumerante. Ex Eusebio lib.3. histor. eccl. cap. 25. ubi expressè testatur, de ea etiam suo tempore ancipitem sententiam haberi; & ex S. Hieronymo in epist. ad Dardanum, in qua scribit Græcorum Ecclesias eam non suscipere.

Porrò sic Apocalypseos authoritas aut rejecta, aut saltem in dubium revocata est, ut semper graviora pro se momenta habuerit. Nam Dionysius Corinthius & Irenæus Lugdunensis, ætate & authoritate Gajo superiores, eam ut germanam Joannis Apostoli conscriptionem agnoscunt; hìc quidem lib.5. adversus hæreses c.26. quod his exorditur verbis: *Manifestiùs adhuc etiam de novissimo tempore ... significavit Joannes Domini discipulus in Apocalypsi:* ille verò apud Eusebium lib.3. hist. eccl. cap. 28. ubi refertur Dionysius ille, cùm de Joannis revelatione dissereret, Cerinthi mentionem fecisse his verbis: *Cerinthus ... figmentis suis authoritatem magni nominis acquirere, secundum scripturæ hujus* (Apocalypseos) *pravam intelligentiam gestiebat.* Cerinthum reprehendebat Dionysius, quòd hæresim suam de terreno Christi regno futuro ex Apocalypsi Joannis Apostoli probare, & sic hæresi suæ magni nominis authoritatem conciliare conaretur.

Dionysium & Irenæum sequitur Origenes apud Eusebium lib.6. hist. eccl. cap. 18. ubi sic ait: *Joannes quoque qui supra pectus Domini recubuit, post Evangelium scripsit & Apocalypsim.* Quarto sæculo Apocalypsim ut divinam scripturam suscipiunt Concilium Carth. III. in canone, & Hieronymus in epistola ad Dardanum, ex qua unum apertè colligimus, nempe quòd tunc temporis magno & unanimi consensu ab Occidentalibus Ecclesiis susciperetur Apocalypsis; alterum verò expressè habemus, scilicet quòd scriptores Ecclesiastici, quarto sæculo superiores, Apocalypsim ut canonicam scripturam plerumque laudarint. Audiamus S. Hieronymum. *Quòd si eam* (epistolam ad Hebræos) *Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas; nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum authoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis ... quasi canonicis & ecclesiasticis.* Denique inter libros sacros Apocalypsim recensent Augustinus, Innocentius II. Gelasius, Isidorus, & Damascenus.

7. De ultimo capite Marci: nam Hieronymi tempore in paucis admodùm exemplaribus reperiebatur, quia deerat in omnibus ferè exemplaribus græcis: unde: ut significat idem Hieronymus, poterat tunc temporis impunè repudiari. Patent hæc omnia ex S. Doctoris ad Hedibiam epistola q.3. ubi hæc leguntur de capite ultimo Marci: *Aut non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur evangeliis, omnibus Græcis penè hoc capitulum in fine non habentibus; præsertim cum diversa atque contraria Evangelistis cæteris narrare videatur. Aut hoc respondendum, &c.*

8. De historia sanguinei sudoris Christi, & consolationis angelicæ; nam tempore S. Hilarii in quamplurimis exemplaribus tum græcis tum latinis non legebatur; unde ambigebat Hilarius, utrùm esset vera scripturæ sacræ pars; an non. Patet ex l.10. de Trin.n.41. ubi sic loquitur S. Doctor. *Nec sanè ignorandum à nobis est, & in græcis & in latinis codicibus conplurimis, vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris variis aut desit, aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diversitate librorum) certè si quid libri, &c.*

Porrò Erasmus de initio capitis 8. Joannis quo continetur historia mulieris adulteræ, olim dubitatum esse colligit ex Eusebio lib. 3. hist. eccl. cap. ult. ubi de Papia loquens, ait: *Historiam quandam subjungit de muliere adultera, quæ accusata est à Judæis apud Dominum. Habetur autem in Evangelio, quod dicitur secundùm Hebræos, scripta ista parabola,* de quo Evangelio hæc habet: *Quidam his sociant etiam Evangelium, quod dicitur secundùm Hebræos, quo præcipuè utuntur illi Hebræi, qui Christum suscipere videntur, sed in Ecclesia ei contradicitur.* Erasmo breviter respondetur, dubium esse utrùm Eusebius intelligat mulierem illam, in adulterio deprehensam, de qua loquitur Joannes Evangelista initio capitis octavi: græcum enim Eusebii non habet, *de muliere adultera*, sed, *de muliere multis peccatis diffamata.*

Quòd si supponatur Eusebius intelligere mulierem illam de qua Joannes loquitur initio capitis octavi, cùm non in suo codice, sed in solo evangelio secundùm Hebræos hanc historiam legeret, eam ab illo inter scripturas canonicas non fuisse computatam, ingenuè confitendum est: nec diffitemur historiam hanc in aliquibus exemplaribus defuisse: quòd enim defuerit patet ex S. Augustino lib.2. de adulterinis conjugiis cap.7. ubi de aliquibus, qui eam è codicibus suis eraserant, sic conqueritur: *Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicæ, vel potiùs inimici veræ fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis.* Sed eam in suis codicibus habuerunt præter S. Augustinum, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, &c. qui eam ut scripturam canonicam agnoscunt locis apud Bellarminum indicatis lib.1. de verbo Dei cap.16.

Porrò quòd saltem post Synodi Tridentinæ decretum canonica sint caput ultimum Marci, historia de sudore sanguineo Christi, & consolatione evangelica, historia mulieris adulteræ, cum versiculo 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt* cap.5. epist.1. Joannis, quem versiculum non esse canonicum contendit Erasmus, patet 1. ex eo quòd hæc omnia habentur in veteri vulgata editione. 2. Ex eo quod hæc omnia in Ecclesia leguntur, caput quidem ultimum Marci in festo die resurrectionis & ascensionis; historia de sudore, &c. feria quarta majoris hebdomadæ; historia mulieris adulteræ sabbato ante dominicam quartam quadragesimæ; & versiculus 7. cap.5. epist. Joannis, die dominica in albis. Quòd hic versiculus in aliquibus codicibus olim defuerit, & aliqua de ejus authoritate dubitatio extiterit, conjici potest ex eò quòd Patres contra Arianos disputantes, eum non adhibuerint, cùm tamen ad asserendam verbi divinitatem esset aptissimus.

*Obj.*1. contra epistolam ad Hebræos. Huic epistolæ nomen suum non addidit Apostolus; cum tamen omnibus, quæ semper ut illius receptæ fuerunt, addiderit. Item hujus epistolæ stylus diversus est à stylo aliarum omnium, quæ certò sunt Pauli. *R. ad* 1. cum Hieronymo in catal. script. eccl. in Paulo, *Quia Paulus scribebat ad hebræos, propter invidiam sui apud eos, nominis titulum in principio salutationis* amputavit. Itaque quia sciebat nomen suum ingratum esse Hebræis, ad quos scribebat, prudenter illud contra morem suum suppressit, & salutationis formulam, qua uti solebat in principio suarum epistolarum, ne Hebræos offenderet, prætermisit.

R. ad 2. 1. cum Origene apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. c. 18. hujus epistolæ stylum ab aliarum epistolarum stylo diversum esse, quia sententiæ sunt Pauli, stylus verò alterius, putà Lucæ, qui evangelium & actus apostolorum scripsit, vel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi, qui Pauli sententias græco sermone reddidit, ac proprio stylo ordinavit & ornavit. *Si verò*, inquit Origenes, *requiras à me, per quem sit ejus sermo compositus, pro certo quidem Deus viderit. Opinio tamen, quæ ad nos usque pervenit, hujusmodi est: A quibusdam dicebatur, quod Clemens Apostolorum Discipulus, & Episcopus urbis Romæ, græco eam sermone, non tamen sensibus expoliverit: alii, quòd Lucas, qui Evangelium scripserit, & Actus Apostolorum.*

R. 2. cum Hieronymo loco laudato, & quidem, ut nobis videtur, melius, hanc styli dissonantiam

ortam

ortam esse ex eò quòd Paulus, græcæ linguæ satis imperitus, ad alios græcè adeòque ineleganter, ad Hebræos verò hebræo sermone, quem apprimè callebat, adeòque eleganter scripserit, & epistolam sic eleganter à Paulo ad Hebræos scriptam, alius in græcum sermonem elegantiùs converterit. *Scripserat*, inquit Hieronymus, *ut hebræus hebræis hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, ut ea, quæ eloquenter scripta fuerant in hebræo, eloquentius verterentur in græcum, & hanc causam esse, quòd à cæteris Pauli discrepare videatur* ad Hebræos scripta epistola.

*Obj.*2. Contra epistolam Jacobi. Duo fuerunt apostoli nomine Jacobi, quorum unus fuit filius Alphæi, primus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus, & minor cognominatus: alter verò fuit filius Zebedæi, & frater Joannis Apostoli, quique major cognominatus est. Atqui dici non potest cujus sit hæc epistola. *R.* neg. & dico cum Hieronymo in catal. script. eccl. in Jacobo, esse primi Jacobi, qui quia Christi consanguineus erat, à Paulo cap.1. epist. ad Gal. vocatur frater Domini. Ex occasione data,

Quæres, utrùm certum sit libros sacros esse eorum authorum, quibus vulgò attribuuntur?

R. 1. Certum est certitudine fidei, libros omnes sacros conscriptos fuisse ab authoribus canonicis, quicumque tandem illi sint. 2. Quòd reipsa sint eorum authorum, quibus vulgò attribuuntur, certum est certitudine morali, tanta saltem, quanta certum est v.g. orationes Ciceronis re vera Ciceronis esse, & Æneidem Virgilii esse re vera Virgilii. Unde quòd libri sacri sint eorum authorum, quibus vulgò attribuuntur, negari non potest sine maxima temeritate & imprudentia.

ARTICULUS VII.

Utrùm libri omnes tam deutero-canonici, quàm proto-canonici, canone nostro contenti, sint certò canonici, seu divini.

Responsio I.

Libri tam veteris quàm novi testamenti, qui canone nostro continentur, & proto-canonici vocantur, sunt certò divini certitudine magna morali.

Prob. Certum est certitudine magna morali, religionem christianam esse veram religionem. Hæc propositio suo loco accuratè demonstrata est, ubi ostensum est religionis christianæ veritatem simpliciter evidentem esse evidentia magna morali ex motivis credibilitatis saltem collectivè sumptis. Ergo, quod idem est, certum est certitudine magna morali, omnia religionis christianæ dogmata esse vera dogmata. Atqui quòd libri tam veteris quàm novi testamenti, qui canone nostro continentur, & proto-canonici vocantur, sint divini, est dogma religionis christianæ, & quidem unum è præcipuis & fundamentalibus. Ergo quòd hi libri sint re vera divini, certum est certitudine magna morali, & quæ certitudini physicæ æquivalet; quia evidentiæ, quæ facit unam certitudinem, non magis potest subesse falsum, quàm evidentiæ, quæ facit certitudinem alteram.

Confirm. Quia libri illi sunt certò divini certitudine magna morali, quos à tempore Apostolorum hactenùs universa Ecclesia absque ulla controversia ut divino suscepit. Atqui à tempore Apostolorum hactenùs universa Ecclesia ut divinos suscepit libros, de quibus agitur. Ergo, &c. Minor patet: nam idcircò hi libri proto-canonici vocantur. *Prob. maj.* Nam unanimis & constans fidelium omnium ætatum in aliquibus libris ut divinis suscipiendis conjuratio, est evidenter evidentia magna morali aliquid verè divinum, & supernaturalis, quàm falso patrocinari prorsus impossibile est, providentiæ affectus, adeòque est motivum ad certitudinem magnam moralem de librorum illorum divinitate faciendam sufficiens.

Dices. Esto quòd unanimis ille & constans fidelium omnium ætatum in libris proto-canonicis suscipiendis ut divinis consensus, supposito quòd existat, sit evidenter evidentia magna morali opus supernaturalis providentiæ adeòque motivum prorsus infallibile: at non sufficit ut librorum proto-canonicorum divinitas sit evidens evidentia magna morali, & sic habeat certitudinem magnam moralem; sed præterea ad hoc requiritur evidentia magna moralis de talis consensus existentia. Atqui hanc evidentiam non habemus. *R.* neg. subs. Nam argumenta consensus illius existentiam probantia talia sunt, saltem conjunctim sumpta, qualibus falsum nunquam subest, ut illa debitè expendenti facilè patebit.

Responsio II.

Libri tam veteris quàm novi testamenti, qui continentur canone nostro, & vocantur deutero-canonici, sunt certò divini certitudine magna morali.

*Prob.*1. Nam quòd hi libri sint divini, unum est è præcipuis & fundamentalibus dogmatibus Ecclesiæ Romanæ, ut manifestum est ex Tridentina Synodo, sess. 4. in decreto de canonicis scripturis in fine. Atqui evidens est evidentia magna morali Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam: evidenter enim evidentia magna morali conveniunt ei notæ omnes veræ Christi Ecclesiæ, ut suo loco ostendetur, independenter à scripturis deutero-canonicis. Ergo quòd hi libri sint divini, evidenter est evidentia magna morali, unum è præcipuis & fundamentalibus dogmatibus veræ Christi Ecclesiæ, cujus aliqua dogmata, præsertim ex iis quæ præcipua & fundamentalia sunt, esse falsa, evidenter repugnat scripturis proto canonicis, & sapientiæ Christi, qui hanc Ecclesiam fundavit, & per Apostolos suos instituit. Ergo evidens est evidentia magna morali, adeòque certum certitudine magna morali, quòd hi libri sint re ipsa divini.

Prob. 2. Hos libros esse divinos definitum est ab Ecclesia Romana in Tridentina synodo, ut patet ex sess. 4. in decreto de canonicis scripturis. Atqui certum est certitudine magna morali Ecclesiam Romanam in hac sua definitione nec errasse, nec errare potuisse: cùm certum sit certitudine magna morali Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, cui summam seu absolutam in decidendis fidei controversiis infallibilitatem attribuunt scripturæ proto-canonicæ. Ergo hos libros esse re ipsa divinos, certum est certitudine magna morali.

Corollarium I.

Libros omnes tam veteris quàm novi testamenti, canone nostro contentos, divinos esse, non nisi stultissimè & imprudentissimè negari potest.

Prob. Quòd est certum certitudine tali, quali falsum nunquam subest, non nisi stultissimè & imprudentissimè negari potest, ut patet ex terminis. Atqui quòd hi libri omnes sint divini certum est certitudine tali, quali falsum subesse non potest: cùm hoc sit certum certitudine magna morali, & æquivalente certitudini physicæ, quia simpliciter evidens est evidentia magna morali, & æquivalente evidentiæ physicæ. Ergo, &c.

Corollarium II.

Quòd libri omnes tam veteris, quàm novi testamenti, contenti nostro canone, sint divini, evidens est evidentia etiam absoluta & metaphysica, adeòque certum certitudine etiam absoluta & metaphysica.

Prob. Quòd liber non divinus ita tamen appareat divinus, ut talis esse negari non possit, nisi stultè & imprudenter, ab hominibus, quantamcumque in investiganda veritate diligentiam adhibentibus, evidenter repugnat providentiæ divinæ circa homines: evidenter enim repugnat, ut sinat homines in rebus ad fidem & salutem pertinentibus, inevitabiliter errare; ita ut quantamcumque diligentiam adhibeant, non possint, nisi stultè & imprudenter, falso dissentire, & verum amplecti. Ergo ex hypothesi quòd liber aliquis

quis ita appareat divinus, ut talis esse negari non possit, nisi stultè & imprudenter, ab hominibus, quantumcumque in investiganda veritate diligentiam adhibentibus, liber ille non potest non esse divinus. Hæc conclusio, quæ ex antecedente evidenter sequitur, eandem habet evidentiam, quam habet antecedens. Antecedens autem habet evidentiam etiam absolutam & metaphysicam. Atqui libri omnes canone nostro contenti, sic apparent divini, ut tales esse negari non possit, nisi stultè, &c. ut probatum est. Ergo sunt re ipsa divini; & quòd sint divini evidens est evidentia etiam absoluta & metaphysica, adeòque certum certitudine etiam absoluta & metaphysica.

Corollarium III.

Quòd libri omnes, canone nostro contenti, sint divini, certum est certitudine etiam divina, adeòque appretiativè summa.

Prob. Illud est certum certitudine divina & appretiativè summa, quod potest & debet credi fide divina. Atqui quòd libri omnes, canone nostro contenti, sint divini, potest & debet credi fide divina. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam libros aliquos esse divinos potest & debet credi fide divina, hoc ipso quòd eorum divinitas non nisi imprudenter negari potest, ac proinde hoc ipso quòd eorum divinitas habet evidentiam credibilitatis, & à fortiori cùm habet simplicem evidentiam magnam moralem. Atqui librorum omnium canone nostro contentorum divinitas hanc habet evidentiam, ut probatum est. Ergo, &c.

Dices. Deus non revelavit libros canone nostro contentos, divinos esse. Ergo divinos esse credi non potest fide divina. *R.* 1. Deum per Apostolos viva voce revelasse primis fidelibus divinos esse libros omnes veteris testamenti, qui canone nostro continentur: quòd enim apostoli primos fideles docuerint, quinam ex libris in veteri lege scriptis, ut divini suscipiendi essent, quinam verò non, in dubium revocari non potest. Hæc autem apostolica de libris divinis, in lege veteri scriptis, traditio ad nos usque absque ulla inter fideles controversia continuata est quoad libros illos, qui proto-canonici dicuntur: quoad alios verò qui idcircò vocantur deutero-canonici, & longè pauciores sunt, non est ad nos usque continuata sine aliqua inter fideles controversia, quæ tandem infallibili Ecclesiæ judicio decisa est.

2. Circa libros sacros in lege nova exaratos, aliqua distinctio adhibenda est. Nam quantùm ad Evangelium Matthæi, Evangelium & Apocalypsim Joannis, & epistolas canonicas, non opus fuit distincta revelatione, qua expressè revelaretur hos libros ex inspiratione divina conscriptos fuisse: hoc enim constitit primis fidelibus, hoc ipso quòd eis constitit fuisse conscriptos ab apostolis; atque ita hoc ipso quòd primis fidelibus constitit hos libros fuisse conscriptos ab apostolis, potuerunt & debuerunt hi libri à primis fidelibus suscipi ut verbum Dei scriptum, & ut tale per se immediatè credi fide divina. Idem planè dicendum de epistolis Pauli: nam sine revelatione nova, qua expressè revelaretur eas à Paulo ex instinctu Spiritus sancti dictatas fuisse, aliunde primis fidelibus sufficienter constare potuit, & constitit Paulum epistolas suas, Deo inspirante, dictasse, & sic epistolas Pauli esse verbum Dei scriptum, quod deinde ut tale susceperunt, & per se immediatè fide divina crediderunt.

Aliud est de Evangelio Marci, de Evangelio Lucæ, & de Actis Apostolorum ab eodem Luca conscriptis: nam Marcus & Lucas fuerunt tantùm discipuli apostolorum, non apostoli, atque ita, ut eos esse de scriptorum sacrorum numero, & ad scribendum à Spiritu sancto inspiratos, sufficienter constaret primis fidelibus, authoritate apostolorum opus fuit. Itaque quòd Marcus Evangelium suum ex inspiratione divina scripserit, & sic Marci Evangelium esse verbum Dei scriptum, Deus primis fidelibus expressè revelavit per Petrum apostolum, ut probatur ex Hieronymo in catal. script. eccl. ubi hæc scribit: *Marcus discipulus & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendum sua authoritate dedit*; quod factum probat Hieronymus ex Clemente Alexandrino, & ex Papia Hieropolitano Episcopo, qui fuit auditor Joannis Apostoli.

Similiter quòd Lucas Evangelium & Apostolorum Acta ex Spiritus sancti instinctu conscripserit, Deus primis fidelibus expressè revelavit, ut nobis videtur, per Paulum Apostolum, cujus discipulus fuit Lucas, & itinerum ejus comes; & cùm Paulus ait 2. ad Timoth. cap. 2. *Memor esto Dominum Jesum-Christum resurrexisse à mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum*, non improbabiliter creditur intelligere Evangelium à Luca conscriptum, quod suum vocat, quia recognitum probavit, & ut verbum divinum Ecclesiis legendum sua authoritate dedit. Præterea, cùm Lucas non solùm à Paulo, sed etiam ab aliis Apostolis, qui Dominum viderant, ea quæ in Evangelio suo narrat, sese accepisse testatur cap. 1. nihil vetat quominùs dicatur, si quidem se, Deo inspirante, scripsisse ignorabat, opus suum illis etiam aliis Apostolis recognoscendum tradidisse, à quibus deinde, ut scriptura divina, opus illud fidelibus propositum est.

Porrò quod libris in veteri lege, idem libris in lege nova scriptis contigit: nam ex his libris aliquos divinitùs inspiratos, seu, quod idem est, à canonicis authoribus conscriptos fuisse, aliquando in aliquibus Ecclesiis particularibus dubitatum est; quia successu temporis, propter oblivionem, vel pastorum negligentiam, aut aliam aliquam ob causam circa illorum authores, in particulares aliquas Ecclesias irrepsit ignorantia & dubitatio; sic tamen ut semper pro se plura & majora habuerint testimonia, quàm contra, & nunc nulla de illis controversia inter fideles supereresse possit, postquam Ecclesia illos divinitùs inspiratos, & à canonicis authoribus conscriptos fuisse, infallibili suo judicio declaravit.

3. Igitur sicut primi fideles libros canone nostro contentos, ut sacros fide divina credere poterant, alios quidem propter traditionem apostolicam, qua eorum divinitas expressè fuerat revelata, alios verò, quorum divinitas non fuerat expressè revelata per novam revelationem, per se immediatè, quatenùs erant virtualis & implicita sui ipsorum ut divinorum revelatio, sub motivorum evidentia morali eorum divinitatem ostendente: ita nunc fideles libros illos omnes canone nostro contentos, fide divina credere possunt ut sacros, eos quidem, quorum Deus divinitatem expressè revelavit per Apostolos, propter hanc traditionem apostolicam, quia de ea etiam nunc sufficientissimè constat; eos verò, quorum divinitas non per distinctam & novam revelationem, sed aliunde innotuit, per se immediatè, quia etiam nunc sufficientissima divinitatis eorum extant argumenta.

At inquies. Liber divinus quà divinus, non est aliquid per se evidens, sed obscurum. Ergo non potest per se immediatè credi ut divinus, sine motivo distincto ejus divinitatem suadente, & intrinseco actui quo creditur esse divinus.

R. neg. conseq. Nam librum esse divinum, & librum esse verbum Dei scriptum, sunt unum & idem, adeòque librum credi esse divinum, nihil aliud est, quàm credi librum esse verbum Dei scriptum; atque ita librum per se immediatè credi esse divinum, nihil aliud est, quàm librum per se immediatè credi esse verbum Dei scriptum, quod nihil aliud est, quàm verbum Dei scriptum per se immediatè credi. At verbum Dei scriptum, quamvis non sit aliquid per se evidens, sed obscurum, potest per se immediatè credi actu fidei divinæ, modò, ut supponitur, per alium actum prævium intellectui sufficienter propter motiva credibilitatis constet de illius existentia.

Confirm. Quando fidelis librum aliquem credit esse divinum propter traditionem apostolicam, qua olim expressè revelata fuit libri illius divinitas, tradi-

ditionem hanc per se immediatè credit eodem illo actu, quo credit propter illam librum esse divinum, seu ex inspiratione divina conscriptum. Atqui traditio hæc est verbum Dei non scriptum. Ergo verbum Dei non scriptum, quamvis per se obscurum, potest per se immediatè credi fide divina, modò sufficienter de illius existentia constet per motiva credibilitatis. Ergo similiter verbum Dei scriptum, licèt per se obscurum, potest per se immediatè credi fide divina, modò per motiva aliqua credibilitatis sufficienter constet de illius existentia.

Ratio paritatis est, quia sicut verbum Dei non scriptum, per se quidem obscurum, sed relucens sub evidentia motivorum credibilitatis, se ipsum dicit virtualiter implicitè, & sic dicendo se ipsum, meretur assensum super omnia firmum: tantùm enim meretur assensum, se ipsum virtualiter & implicitè dicendo, quantùm meretur dicendo formaliter & explicitè illud, cujus est expressio: ita verbum Dei scriptum, quamvis per se obscurum, cum sub motivorum credibilitatis evidentia ut divinum relucet, se ipsum virtualiter & implicitè dicit, & sic se ipsum dicendo, meretur assensum appretiativè summum; sicut meretur assensum appretiativè summum, formaliter & explicitè dicendo id quod exprimit.

Itaque verbum Dei scriptum, ut tale per motiva credibilitatis sufficienter propositum, potest per se immediatè credi fide divina. Ergo, quod idem est, liber divinus, per motiva credibilitatis propositus sufficienter ut divinus, potest ut divinus per se immediatè credi fide divina. Atqui libri omnes canone nostro contenti, sub evidentia motivorum credibilitatis sufficientissimè apparent ut divini. Ergo possunt omnes ut divini per se immediatè credi fide divina. Ergo ut libros illos esse divinos fide divina credamus, non opus est revelatione distincta, qua eorum divinitas expressè revelata fuerit, sed possumus omnes per se immediatè credere ut divinos, quanquam etiam possumus ex illis aliquos ut divinos mediatè credere propter distinctam ab illis revelationem, eos scilicet, quorum divinitatem Deus expressè revelavit per Apostolos.

ARTICULUS VIII.

Proponuntur aliquæ difficultates contra secundam responsionem, & resolvuntur.

Obj. 1. De libris, quos deutero-canonico nominamus, adhuc incertum est, utrùm sint divini, an non. *R.* neg. *Prob.* De illis olim inter fideles, ut nos ipsi fatemur, extitit aliqua dubitatio. Sed hæc dubitatio nondùm sublata est. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam hæc dubitatio sublata est per infallibile judicium Ecclesiæ, quæ per summos Pontifices & Concilium generale Tridentinum libros illos esse divinos expressè definivit. Præterea, tota Ecclesia Romana, adeòque tota vera Ecclesia, libros illos inter divinas scripturas computat. Unde libri illi sunt divini, vel Ecclesia vera tota errat in fide, quod evidenter adversatur promissionibus ei factis, & clarè expressis in scripturis proto-canonicis. Quare tam certum est libros illos esse divinos, quàm certum est Ecclesiam veram totam non posse errare in fide.

Dices. Controversiam illam de scripturis deutero-canonicis inter fideles exortam, non potuit Ecclesia dirimere. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam ad Ecclesiam pertinet libros divinos à non divinis discernere. Item pertinet ad Ecclesiam dirimere controversias fidei. Hanc autem olim de librorum aliquorum divinitate exortam inter fideles controversiam, ad fidem attinere manifestum est.

Probabis tamen ant. Non potuit hanc controversiam Ecclesia dirimere, nisi ferendo judicium de scripturis. Atqui Ecclesia non potest ferre judicium de scripturis divinis: nullus enim de alio ferre judicium potest, nisi sit eo superior. Ecclesia autem non est superior scripturis divinis. Ergo, &c.

Ad solutionem nota. Duplex est judicium, unum discretionis, quo unum ab altero discernitur; & alterum authoritatis, quo aliquis damnatur, vel absolvitur, aut aliquid alicui injungitur cum obligatione submittendi se sententiæ judicis. Ad secundum quidem judicium requiritur superioritas; ad primum verò sufficiunt jus & virtus discernendi. Hoc præsuppositio,

R. Ad dirimendam illam controversiam olim inter fideles de librorum aliquorum divinitate exortam, sufficere judicium discretionis circa divinas scripturas. Hoc autem judicium ferre potest Ecclesia. Nam 1. jus habet discernendi scripturas veras à falsis & adulterinis. 2. Habet virtutem ad discernendum necessariam, eamque infallibilem, Spiritu sancto ei ad discernendum specialiter assistente, ne erret.

Porrò cùm exortam circa libri alicujus divinitatem controversiam dirimit, declarando librum illum esse divinum, non solùm fert judicium discretionis circa librum illum, sed etiam fert, aut saltem ferre potest judicium authoritatis, sed circa fideles, illos expressè obligando ad suscipiendum librum ut divinum, & non suscipientes damnando. Hoc utrumque judicium tulit Ecclesia in Tridentina synodo sess. 4. ubi postquam divinorum librorum canonem texuit, hæc subjicit verba: *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit ... anathema sit.* Quòd autem tale judicium authoritatis circa fideles ferre possit Ecclesia, planum est; cùm sit fidelibus superior, & jus habeat illos circa ea quæ ad fidem attinent, docendi.

Dices. Si Ecclesia potest exercere judicium discretionis circa scripturam Sacram, Ecclesia est regula scripturæ Sacræ, non scriptura Sacra Ecclesiæ. Absurdum conseq. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam ex majore sequitur tantùm, quòd Ecclesia sit nobis regula ad veram scripturam certò cognoscendam, sicut est nobis regula ad certò cognoscendum germanum veræ scripturæ sensum. Hoc autem non impedit, quominùs scriptura Sacra cum vero ac germano sensu suo per infallibilem Spiritus sancti assistentiam certò cognita, sit Ecclesiæ regula, quà Ecclesia dirigitur, & quam sequi debet in dirimendis fidei controversiis.

Instabis. Si Ecclesia potest exercere judicium discretionis circa scripturam divinam, potest etiam sine illa controversias fidei dirimere. Ergo si potest exercere, &c. scriptura divina non est ejus regula. *R.* neg. seq. ant. Nam Ecclesia non potest infallibiliter dirimere fidei controversias, nisi doceatur à Spiritu sancto, nec docetur à Spiritu sancto per novas revelationes, sed per scripturas divinas, & traditiones non scriptas, adeòque non potest infallibiliter dirimere controversias fidei sine scripturis divinis, & non scriptis traditionibus. Sacra igitur scriptura, cum non scriptis traditionibus, est Ecclesiæ regula, quà in dirimendis fidei controversiis uti debet Ecclesia.

Ex his porrò non sequitur ab Ecclesia exerceri non posse judicium discretionis circa scripturas divinas, & traditiones non scriptas; imò contrarium evidenter sequitur: nam si scripturæ divinæ cum traditionibus non scriptis, sunt regula, sine qua Ecclesia non potest decidere controversias fidei, & qua proinde in decidendis fidei controversiis Ecclesiam uti necesse est, debet scripturas & traditiones veras à falsis & suppositiis, earumque germanum sensum posse discernere, & infallibiliter discernere, adeòque circa scripturas & traditiones, earumque sensum, judicium discretionis ferre posse, atque in eo ferendo ita à Spiritu sancto dirigi & adjuvari, ut nullatenùs possit errare, statuendo quænam sint veræ scripturæ & veræ traditiones, & quis sit germanus illarum sensus.

Instabis. Ex hac doctrina sequitur saltem, quòd Eccle-

Ecclesia statuant ipsa sibi regulam, qua in decidendis fidei controversiis utitur, quod certè scripturarum & traditionum divinarum dignitati non parùm derogat. *R.* neg. Falsum igitur est in nostra doctrina, quòd Ecclesia propria sibi authoritate constituat regulam, qua utitur in decidendis fidei controversiis, sed eam sibi à Spiritu sancto constitutam habet, & ab eodem Spiritu sancto dirigitur & adjuvatur ad eam infallibiliter discernendam: hoc enim ad infallibilem controversiarum fidei decisionem requiritur; cùm eatenùs Ecclesia in decidendis fidei controversiis, sit infallibilis, quatenùs in decidendis fidei controversiis nec scripturas & traditiones non divinas pro divinis, nec scripturarum & traditionum divinarum sensum falsum pro vero assumere potest.

Obj. 2. Hic manifestè admittimus circulum vitiosum: nam dicimus nos certò cognoscere scripturam divinam per infallibile judicium Ecclesiæ, quod judicium Ecclesiæ esse infallibile non cognoscimus, nisi per scripturam divinam. *R.* neg. obj. Circulus enim vitiosus in eo consistit, quòd ad probandum aliquid assumatur medium, quod non est aliunde cognitum, quàm per illud, ad quod probandum assumitur. Hoc autem non facimus: cùm enim scripturam aliquam esse divinam probamus per infallibile judicium Ecclesiæ; hoc Ecclesiæ judicium esse infallibile non probamus per eandem illam scripturam, sed vel probamus independenter ab omni scriptura divina, vel probamus per aliam scripturam, quam esse divinam aliunde sufficientissimè notum est.

Rem exponimus in exemplo. Quæris à me, unde certus sim v. g. quòd epistola Jacobi sit scriptura divina? Respondeo me certum esse ex judicio Ecclesiæ, quæ, putà in Synodo Tridentina, ut omnibus notum est, hanc epistolam inter divinas scripturas computandam esse definivit, & hoc definiendo errare non potuit. Quæris à me unde habeam quòd Ecclesia hoc definiendo errare non potuerit? Respondeo me habere ex eo quòd Ecclesia sit infallibilis in qualibet materia ad fidem pertinente. Quæris à me, unde cognoscam quòd Ecclesia hanc infallibilitatem habeat? Respondeo me cognoscere ex scriptura aliqua proto-canonica, putà ex ista Matth. cap. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quæris à me, unde notum mihi sit hanc scripturam, quam proto-canonicam nomino, esse scripturam verè divinam? Respondeo mihi sufficientissimè notum esse ex unanimi & perpetua fidelium omnium consensione in hac scriptura inter divinas computanda, quæ consensio mihi manifesta est, partim ex canonibus librorum sacrorum diverso tempore in Ecclesia conditis diversis in regionibus, partim ex Patrum omnium tam Græcorum quàm Latinorum scriptis, in quibus Evangelium Matthæi ut scriptura divina in testimonium adducitur, imò & ipsa illa verba; quæ modò à nobis laudata sunt, persæpe citata reperiuntur ut divina; partim denique ex eo quòd à nullis, nisi à quibusdam hæreticis, inveniatur hoc evangelium esse repudiatum.

Portò quærenti à me, unde cognoscam quòd Ecclesia in qualibet materia ad fidem pertinente sit infallibilis, potui etiam respondere, me hoc cognoscere ex eo quòd ipsa se talem profiteatur, & talem esse, qualem se profitetur, evidens sit etiam simpliciter evidentia magna morali, per motiva credibilitatis, ex quibus evidenter apparet evidentia magna morali esse opus divinum. Sed ex occasione data,

Instabis adhuc. Secundùm nos, multa cognoscuntur de Ecclesia per scripturam divinam, cognitam per ipsam Ecclesiam. Atqui in hoc est circulus vitiosus. *R.* re ipsa secundùm nos, multa distinctè & explicitè cognosci de Ecclesia per scripturam divinam, ut talem priùs confusè cognitam per ipsam Ecclesiam, evidenter apparentem ut opus divinum per motiva credibilitatis, quibus veluti quibusdam characteribus in oculis omnium divinam suam institutionem exscribit. Quod fit sine vitioso circulo; sicut sine vitioso circulo multa distinctè de legato, & potestate illi à rege concessa cognoscimus per diploma regium, nobis ab ipso legato oblatum, & tale ab eo sufficienter probatum per ea signa, quibus se legatum regium sufficienter probavit.

Motiva credibilitatis Ecclesiæ sunt nobis ratio cognoscendi scripturam ut divinam, quam nobis ut divinam proponit Ecclesia. Scriptura verò divina, ut evidenter evidentia magna morali per illa motiva credibilitatis cognita, est nobis distinctè cognoscendi de Ecclesia ea omnia, quæ de illa distinctè cognoscimus legendo scripturam. Ecclesia libros divinos nobis exhibet, protestans illos esse divinos, & testimonium suum confirmans per omnia illa argumenta, quibus saltem conjunctim sumptis evidenter evidentia magna morali se divinitùs institutam, adeòque veram & divinam Ecclesiam esse probat. Libros illos nobis evidenter evidentia magna morali apparentes ut divinos, tales esse fide divina credimus. Credentes aperimus illos, & in illis multa de dotibus Ecclesiæ distinctè scripta legimus. Denique multa illa de dotibus Ecclesiæ distinctè scripta & lecta, distinctè credimus ut à Deo revelata in libris illis, quos esse verbum Dei scriptum credimus vel per se immediatè, vel mediatè propter aliud verbum Dei non scriptum, quo Deus per Apostolos libros illos ex inspiratione divina conscriptos fuisse expresè revelavit. Ubi circulus vitiosus?

Dices. Saltem ex hac doctrina sequitur, scripturas divinas ut tales nobis certò non innotescere sine testimonio Ecclesiæ, & motivis credibilitatis, quibus se veram & divinam esse ostendit; atque ita scripturas divinas ut tales certitudinem suam sumere ab Ecclesia. Atqui hoc dici non potest: cùm enim Ecclesia fundetur supra doctrinam Prophetarum & Apostolorum, & hæc doctrina in divinis scripturis contineatur, debent scripturæ divinæ suam certitudinem habere independenter ab Ecclesia, & priùs quàm sit Ecclesia.

R. Re ipsa Ecclesiam fundatam esse supra doctrinam Prophetarum & Apostolorum, quæ partim scripturis divinis, partim traditionibus non scriptis continetur: nam per hujus doctrinæ prædicationem instituta est, & conservatur Ecclesia: unde sequitur tantùm, doctrinam illam priùs veram & infallibiliter veram esse, quàm sit Ecclesia, cujus veritas sine veritate illius doctrinæ subsistere non potest. Suam igitur veritatem sumit Ecclesia à veritate illius doctrinæ. At vicissim doctrina illa certitudinem sumit ab Ecclesia, suis instructa motivis credibilitatis, quia de illius divinitate certò nobis non constat sine Ecclesiæ testimonio, ut vero nobis evidenter evidentia vel simplici, vel saltem credibilitatis apparente per argumenta illa, quibus divina Ecclesiæ institutio, adeòque Ecclesiæ veritas & divinitas ostenditur.

Obj. 3. Libri Tobiæ, Judith, Esther, Machabæorum, Sapientiæ & Ecclesiastici, nunquam fuerunt in Hebræorum canone. *R.* inde nihil sequi: nam regula primorum fidelium ad discernendos veteris Testamenti libros divinos à non divinis, non fuit Hebræorum de divinis scripturis sensus, sed traditio apostolica, quæ proinde nobis per testimonium vel judicium Ecclesiæ proposita, nostra quoque debet esse regula; quam regulam in scripturis sive repudiandis, sive recipiendis sequendo, errare non possumus.

Obj. 4. S. Hieronymum in præfat. in libros Salomonis, ubi sic loquitur: *Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina* (Sapientiam & Ecclesiasticum) *legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* *R.* Sanctum Hieronymum hæc scripsisse, cùm adhuc aliqua de horum librorum inspiratione inter fideles existeret controversia, quæ tandem decisa est per infallibile judicium Ecclesiæ. Unde hi libri nunc tam valent ad confirmandam ecclesiasticorum dogmatum authoritatem,

tem, quàm alii libri de quibus nulla unquam fuit dubitatio in Ecclesia.

ARTICULUS IX.

Utrùm libri sacri fuerint Deo inspirante conscripti.

Nota. In libris sacris tria distinguenda sunt, nempe sensus, seu res quæ verbis exprimuntur; verba ipsa, & stilus seu phrasis, hoc est, verborum constructio. Quæritur ergo utrùm libri sacri fuerint inspirati à Deo quoad hæc omnia, ita ut non solùm sensus, sed etiam verba & verborum constructio fuerint à Deo inspirata, an verò Deus solum sensum inspiraverit authoribus sacris, verborum verò delectum & compositionem eorum industriæ permiserit.

Responsio.

Deus res saltem & sententias, in libris sacris expressas, authoribus sacris inspiravit.

Prob. 1. ex Scriptura: nam dicitur Luc. c. 1. *Sicut locutus est per os Sanctorum, Prophetarum ejus.* Et Act. c. 1. *Oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.* Et ibidem c. 3. *Deus autem quæ prænunciavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic implevit.* Et Hebr. cap. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis.* Ex quibus locis, & aliis similibus, jam habemus res & sententias aliquas ex his quæ in libris sacris expressæ sunt, inspiratas à Deo fuisse.

Præterea, quòd omnes à Deo fuerint inspiratæ, ostendi potest ex 2. Petri cap. 1. ubi dicitur: *Omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quorum verborum hic sensus est: Nulla scriptura sacra proprio marte facta est: quia nulla scriptura sacra humanum inventum est: sed sancti Dei homines, qui scripturam sacram condiderunt, ex inspiratione & afflatu Spiritus Sancti locuti sunt & scripserunt. Sed

Nota. Petrus hanc secundam epistolam, ut patet ex c. 3. scribit ad eosdem, ad quos primam scripserat; primam autem, ut patet ex c. 1. scripserat ad Judæos conversos ad fidem Christi. At Judæi, ut constat ex Josepho lib. 1. contra Appionem num. 29. nomine prophetæ hominem à Deo afflatum, sive futura prænunciaret, sive futura præterita aut etiam præsentia narraret, intelligebant, & consequenter nomine prophetiæ intelligebant omnem scripturam, adeòque & eam in qua futura prædicebantur, & eam in qua præterita aut etiam præsentia narrabantur, ex afflatu Dei scriptam. Cùm igitur Petrus ipse Judæus ad Judæos scriberet, prophetiæ nomen non restringebat ad significandam eam tantùm scripturam sacram in qua futura prænunciantur, sed per omnem prophetiam scripturæ intelligebat omnem omninò scripturam sacram, hoc est, non solùm eam, in qua prænunciantur futura, sed etiam eam omnem in qua narrantur præterita vel præsentia; adeòque scribebat omnem omninò scripturam sacram à sanctis Dei hominibus ex inspiratione divina fuisse conscriptam.

Veritatem hanc clariùs adhuc exprimit Paulus Apostolus 2. ad Timoth. c. 3. ubi sic ait: *Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Igitur ex Apostolo, sacræ litteræ, quas ab infantia sua legerat Timotheus, possunt instruere ad salutem. At Timotheus ab infantia sua legerat non solùm sacras litteras, in quibus prædictiones, sed etiam & potissimùm eas, in quibus historiæ, morum præcepta, piæ exhortationes, & pia consilia continentur; harum enim lectio ætati illi erat accommodatior. Ergo ex Apostolo, omnes omninò sacræ litteræ possunt instruere ad salutem. Hujus autem veritatis rationem hanc reddit Apostolus, quia omnis scriptura divinitùs inspirata (supple saltem quoad sensum & sententias) utilis est ad docendum, ad arguendum, &c. adeòque ad salutem instruere potest. Ergo ex Apostolo, omnes omninò litteræ, veteris scilicet testamenti, de illis enim loquitur Apostolus, ad salutem instruere possunt, quia divinitùs inspiratæ fuerunt, quod etiam procul dubio verum est de novi testamenti scripturis: neque enim in novo testamento Apostoli & alii scriptores sacri minùs à Spiritu sancto afflati fuerunt, quàm prophetæ in testamento veteri: neque Apostoli, & alii authores sacri, minùs adjuti fuerunt ad conscribendos novi testamenti libros, quàm olim ad componendas testamenti veteris scripturas prophetæ adjuti fuerint. Unde scriptura nova non minorem habet authoritatem, nec minori veneratione digna est, quàm vetus scriptura.

Prob. 2. ex Traditione, cujus magno inter se consensu testes sunt Patres, ex quibus omnibus hìc nobis sufficient S. Irenæus lib. 2. adversùs hæreses cap. 47. ubi sic ait: *Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & spiritu ejus dictæ.* Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. ubi dicit: *Legimus omnem scripturam ædificationi habilem, divinitus inspirari.* S. Athanasius epistola ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum: *Omnis quidem*, inquit, *apud nos, sive nova, sive vetus scriptura, numinis afflatu prodiit, & idonea est ad erudiendum.* S. Basilius in procœmio in Psalmos, quod his exorditur verbis: *Scriptura omnis divinitus inspirata & utilis, hac una ratione à Spiritu sancto conscripta afruitur, ut ex ea haud secùs atque è communi quapiam curandarum animarum officina, medelam suo quisque morbo salutarem & accommodam queat seligere.* S. Chrysostomus homil. 21. in cap. 5. Genes. ubi de sacris scripturis sic loquitur: *Nihil hìc scriptum est, quòd non multas habeat sensuum divitias; quando quidem divino Spiritu afflati prophetæ locuti sunt, ideò uti à Spiritu scriptæ, ingentem in se continent thesaurum.* Et S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. *Per Spiritum sanctum*, inquit, *& lex, & prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli, & Pastores, & Doctores verba fecerunt. Ex quo fit, ut tota divinitus inspirata scriptura procul dubio utilis sit.*

Obj. 1. Dici non potest in quo constiterit inspiratio illa, qua Deus dicitur scriptoribus sacris inspirasse res & sententias in divinis scripturis expressas. *Resp.* neg. Itaque inspiratio illa consistebat in duplici actione divina, quarum una voluntas, & altera mens scriptoris sacri afficiebatur. Prima erat interna & specialis motio, qua scriptor sacer impellebatur ad scribendum. Secunda verò erat interna illustratio, qua Deus vel scriptori sacro manifestabat veritates ei antea ignotas; vel oblita, aut etiam non oblita in memoriam ei revocabat; vel illi ostendebat, quid ex multis, quæ actu memoriæ occurrebant naturaliter, scribendum, quid prætermittendum esset, & memoriam ejus ita regebat, ut ne in levissimis quidem, quod humanas vires superat, factorum circumstantiis enarrandis, laberetur, aut etiam labi posset; vel denique exhortationes pias & pia consilia suggerebat. Ex his autem duplici actione divina fiebat, ut Deus res & sententias in sacris litteris expressas, per scriptores sacros veluti amanuenses, & moralia quædam organa, scriberet, ut per se manifestum est.

Dices. Gratis asseritur illustratio illa pro historicis sacris: nam scripserunt ea, quæ aut propriis oculis viderunt, aut à testibus fide dignis didicerunt, aut per certam traditionem acceperunt, adeòque ea quæ scripserunt, cum ordinario Dei concursu, & sine speciali illustratione scribere potuerunt.

Resp. 1. Dato quòd historici sacri ea tantùm scripserint, quæ ipsi aut viderunt suis oculis, vel suis auribus audiverunt, aut à testibus fide dignis didicerunt, aut per certam traditionem acceperunt; nego tamen

cos,

eos, quæ reipsa scripserunt, sine speciali illustratione scribere potuisse: sed illa indiguerunt, 1. ad eorum recordationem, quæ exciderant è memoria: quis enim hominum non aliqua, imò multa ex iis quæ vel ab aliis didicit, vel etiam ipse vidit, aut audivit, non obliviscitur? 2. Ad eorum delectum, quæ Deus volebat scripto mandari: non enim ab historicis sacris omnia quæ occurrebant illorum memoriæ, promiscuè & absque delectu scripto tradi, voluit Deus, sed juxta fines à se intentos voluit tantùm certa quædam scribi, & cætera omnia prætermitti. 3. Ad memoriæ directionem, ut ne vel in minimis circumstantiis laberentur, quod non erat illis possibile humanitùs, ut satis docet experientia; quilibet enim scriptores, etiam diligentissimi, licèt nulli ad assequendam veritatem labori pepercerint, & ab omni partium studio, alióve affectu pravo liberi fuerint, in variis à vero aberrasse circumstantiis deprehenduntur, non solùm cùm præteritorum temporum historias, sed etiam cùm res suo tempore gestas scripserunt.

R. 2. Dato etiam quòd historici sacri ea quæ scripserunt, absolutè potuerint scribere, absque speciali & indebito Spiritus Sancti adjutorio, adhuc illis divina inspiratio ad conciliandam eorum scriptis authoritatem divinam necessaria fuit; nam si historici sacri, cum scriberent relicti fuerunt propriæ diligentiæ & probitati, quantamcumque in investiganda veritate diligentiam adhibuisse supponantur quantacumque supponantur in eis fuisse probitas & veritatis amor, non potest eorum scriptio nisi authoritatem humanam habere. E contra verò si dicantur historici sacri scripsisse sub Deo, non solùm ad scribendum impellente, sed etiam circa scribenda specialiter illustrante, tunc scriptioni eorum conciliatur authoritas divina: hoc enim supposito, eorum narratio est verè ac propriè verbum Dei, quia hoc supposito narrarunt, ut moralia Dei organa, quibus Deus usus est ad loquendum hominibus, seu ad ea quæ habet in mente, hominibus manifestanda: quare hoc supposito, narratio eorum summam habet authoritatem.

Dices. Historici sacri authoritatem narrationi suæ arcessunt, non ab inspiratione divina, sed vel à labore & diligentia sua, atque à testibus oculatis fide dignis, ut Lucas, cum ait c. 1. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere*: vel à sensuum suorum, aurium scilicet & oculorum experientia, ut Joannes, cùm dicit c. 1. epist. 1. *Quod fuit ab initio, quod audimus, quod vidimus oculis nostris ... testamur & annunciamus vobis vitam æternam*: Ergo gratis dicuntur ex inspiratione divina scripsisse.

R. Scriptores sacri duplici modo potuerunt à Deo inspirari. 1. Ita ut scribendo sibi conscii essent inspirationis divinæ. 2. Ita ut ignorarent se ex inspiratione divina scribere. Primo modo inspirati fuerunt à Deo prophetæ, qui prænunciarunt: unde narrationi suæ authoritatem solent accersere ab inspiratione divina, his verbis; aut aliis æquivalentibus: *Factus est sermo Domini ad me*. Secundo modo à Deo inspiratos fuisse aliquos saltem historicos, aut Lucam, & authorem libri secundi Machabæorum, non dubitamus. Unde mirum non est, quòd Lucas Evangelio suo authoritatem quærat à proprio labore ac diligentia, & à testibus oculatis fide dignissimis. Item mirum non est, quòd author libri secundi Machabæorum, in fine libri sui sic loquatur: *In his faciam finem sermonis. Et si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim. Si autem minus dignè, concedendum est mihi.*

Quantùm autem attinet ad Joannem Apostolum, quamvis se non sine Dei afflatu prædicare & scribere probè sciret, & præ oculis haberet illa Christi verba, quæ ipse refert Evangelii c. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; potuit convenienter & utiliter prædicationi scriptioni suæ authoritatem aliquam à sensuum suorum experientia conciliare. Dico aliquam: nam quòd etiam narrationi suæ authoritatem conciliare voluerit ab inspirione divina, satis apparet ex cap. ult. Evang. ubi sic ait. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium ejus*. Quibus verbis sufficienter significat, se in scribendo Evangelio errare non potuisse, quia videlicèt non scripsit illud sine speciali Spiritus Sancti intrinsecus afflantis & illustrantis, assistentia.

Dices. Saltem gratis dicitur, quòd sacri scriptores omnes à Deo per internam specialem motionem ad scribendum impulsi fuerint. Nam 1. de Marco hæc scribit Hieronymus in catal. *Juxta quoad Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium*. Idem dicit Eusebius lib. 2. hist. Eccl. c. 15. post Clementem Alexandrinum lib. 2. dispositionum. 2. De Joan. hæc etiam habet Hieronymus in catal. *Novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ episcopis, adversus Cerinthum, adversus hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens; qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse*. Aliam etiam Joanni Evangelium suum scribendi occasionem fuisse, nempè quòd lectis Matthæi, Marci & Lucæ Evangeliis, quæ probavit, & vera esse firmavit, in eis non pauca, relatu valdè utilia, prætermissa esse animadverterat, scribit Eusebius, lib. 3. hist. eccl. c. 44. & post eum Hieronimus in Joan. 3. De Luca hæc scribit Eusebius loco proximè citato: *In initio Evangelii sui causam cur scriberet, indicavit: videlicet quoniam multi alii temerè præsumpserant enarrare, quæ sibi magis erant ad liquidum comperta: volens ergo nos abstrahere à cæterorum narrationibus, fidem facit per se conscriptæ veritati: certus quòd eam vel Paulo exponente, vel aliis Apostolis, qui ab initio ipsi viderant, ac sibi tradiderant, consecutus sit*. De cæteris porrò scriptoribus sacris similem scribendi causam vel occasionem conjectari, quid vetat? Ergo, &c.

R. n. ant. *Ad prob. R.* causas illas seu occasiones, quibus Evangelistæ ad historiam Christi conscribendam inducti fuisse dicuntur, non excludere internum & specialem Spiritus sancti impulsum, sed Spiritum Sactum per causas illas seu occasiones, ad hunc finem specialiter procuratas, vel permissas, simul & per internam & congruam motionem Evangelistas ad scribendum impulisse. Sic cùm fideles Romani Marcum, & Asiæ episcopi Joannem rogabant ut scriberent, Spiritus sanctus ineffabili modo operabatur in eorum cordibus, ut præcibus ipsius instinctu factis obsequerentur, & scribere vellent.

Dices. Diligentia, probitas, aliæque dotes scriptorum sacrorum sufficientem tribuunt authoritatem scripturis sacris. Ergo ad id gratis dicitur esse necessaria inspiratio divina. *R.* neg. ant. Nam quantæcumque supponantur fuisse scriptorum sacrorum dotes, non possunt aliam eorum narrationi authoritatem tribuere, quàm humanam, quæ sufficere non potest: iis enim quæ narrantur à scriptoribus sacris debemus, vel saltem possumus assentiri assensu appretiativè summo propter eorum narrationem. Ad hoc autem manifestè requiritur, ut eorum narratio summam ac divinam habeat authoritatem, & ad hoc requiritur, ut sit verbum Dei, ad quod requiritur, ut narrarint & scripserint sub Deo non solùm ad narrandum & scribendum impellente, sed etiam circa narranda & scribenda illustrante, atque hoc pacto dictante ea, quæ narrari & scribi volebat.

Dices. Diligentia, probitas, & aliæ dotes scriptorum sacrorum sufficiunt ad convincendos infideles, & ad id inutilis est inspiratio divina, utpote per se obscura & incredibilis. Ergo inspiratio divina superflua est.

R. 1. neg. conseq. Nam dato quòd inspiratio divina sit inutilis ad convincendos infideles, non idcircò est superflua: est enim adhuc utilis, imò & necessaria ad fideles confirmandos; quia fideles habere non possunt summam certitudinem de iis, quæ narrantur in sacris scripturis, nisi sacræ scripturæ summam & divinam habeant authoritatem, neque summam

& divinam authoritatem habere possunt sacræ scripturæ, nisi fuerit à Deo inspiratæ: nam si non fuerunt à Deo inspiratæ, non sunt verbum Dei, quod solùm summam & divinam athoritatem habet.

R. 2. neg. alteram partem ant. nempe quod inspiratio divina sit inutilis ad convincendos infideles: est enim per se quidem abscura, sed infidelibus potest sufficienter probari; & sufficienter probata infidelibus, erit ad illos convincendos sufficientissima: nam convicti de inspiratione divina, hoc ipso convincentur non solùm de veritate, sed etiam de summa infallibilitate sacrarum scripturarum suppósito enim quòd scriptores sacri fuerint à Deo inspirati, per se clarum est eos scribendo non magis errare potuisse, quàm potest Deus falli aut fallere, quod utrumque evidenter repugnat enti, quo nihil meliùs cogitari potest.

Porrò infideles convincentur de inspiratione divina, hoc ipso quòd convincentur scripturam sacram esse verbum Dei; cùm non possit esse verbum Dei, quin à Deo saltem quoad res & sententias scriptoribus sacris velut amanuensibus dictata, adeòque inspirata fuerit; & convincentur scripturam esse verbum Dei, hoc ipso quòd per motiva credibilitatis convincentur de veritate & divinitate Ecclesiæ, scripturam sacram ut verbum Dei proponentis. Quòd autem motiva credibilitatis, quæ habet Ecclesia, sufficiant ad convincendos iufideles de veritate & divinate Ecclesiæ, quis ambigit? Motiva igitur credibilitatis Ecclesiæ omninò sufficiunt ad probandum infidelibus, quòd scriptura sacra sit verbum Dei adeòque quòd sit divinitùs inspirata saltem quoad res & sententias.

Obj. Si res & sententiæ omnes, litteris sacris expressæ, scriptoribus sacris à Deo inspiratæ fuerunt, scriptores sacri nulla diligentia, nullo conatu, nulla meditatione aut inquisitione indiguerunt ad scribendum. Falsum cons. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. Lucas, ipsomet teste, c. 1. Evangelii, ut omnia assequerentur à principio, & ex ordine scriberet, magnam adhibuit diligentiam. 2. Author libri 2. Machab. in quinque historiarum libris, à Jasone Cyreneo compositis, uno volumine breviandis, desudavit multùm, ut ipse testatur cap. 2. *Et nobis quidem ipsis*, inquit, *qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus.*

R. Inspirationem divinam non eandem in omnibus scriptoribus sacris fuisse, sed aliam excluisse omnem humanam industriam, aliam verò non. Itaque Deus aliquos scriptores sacros ita inspiravit, ut non librum exarare, sed librum exscribere viderentur, quia videlicet, Deo in eis operante, sese illis inter scribendum ultrò offerebant res, verba & verborum compositio: unde nulla acquisitione, nullo conatu, nulla meditatione ad scribendum egebant. Alios verò inspiravit, non quasi ex ore dictando, sed eos ad rerum scribendarum investigationem ad meditationem, & omnem quam poterant industriam adhibendam impellendo, atque simul, quæ antea non norant revelando, quæ obliti erant, in memoriam revocando, quid ex multis quæ sua diligentia & industria invenerant, vel meminerant, scribendum, quidve prætermittendum esset ostendendo; eorum denique memoriam & intellectum ita illustratione sua regendo, ut ne levissima circumstantia labi possent.

Primo modo inspiratum fuisse Hieremiam, patet ex ejusdem Hieremiæ cap. 36. ubi Baruch ejus scriba, à principibus populi interrogatus, quomodo prophetiarum ejus scripsisset, respondet in hunc modum: *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: & ego scribebam in volumine atramento.* Secundo autem modo fuisse inspiratum authorem libri 2. Machab. testantur ejus verba à nobis laudata. Unde quòd ignoraret, se ex inspitatione divina scribere, mirum videri non debet; cùm è contra Hieremiam, quòd Deo inspirante scriberet, vel dictaret, non posset latere.

Dices. Rerum scribendarum investigatio & meditatio stare non potest cum inspiratione divina. Ergo esse non potuerunt in scrptoribus à Deo inspiratis. Nego ant. *Probabis.* Rerum scribendarum investigatio & meditatio exigunt animum peccatum tranquillum. Atqui pax & tranquillitas animi manere non possunt cum inspiratione divina. Ergo, &c. Nego min. *Probabis.* Nam inspiratio divina, homines qui inspirantur rapit extra se eosque rationis & libertatis usu privat, ut probat exemplum Balaam benedicentis populo, cui maledicturus advenerat, Num. cap. 23. & 24. & Saulis coram Samuele prophetantis lib. 1. Reg. c. 1.

R. neg. ant. saltem sumptum universaliter: dato enim quòd aliqui ita à Deo inspirati fuerint, ut sui compotes esse desinerent, putà Balaam, Saul, & ii qui cum Saule coram Samuele prophetabant, nego quòd Deus sic inspiraverit eos qui libros sacros conscripserunt; quamvis non omnes eodem modo inspiraverit, sed alios leniùs, nempe historiarum & moralium sententiarum authores, ut eorum oratio esset tranquillior, qualem postulant historia, & instruendi methodus; alios verò vehementius, nempe prophetas, ut ardentior & concitatior esset eorum sermo, adeòque aptior ad varios spei, timoris, amoris reverentiæ erga Deum, &c. motus in legentium animis excitando, quò potissimùm spectant libri prophetici: at sic inspiravit omnes, ut eis expeditum rationis & libertatis usum relinqueret, & ex eis nullus insaniret. Sic Hieremias, non quasi furens, sed quasi legens, vaticinationes suas Baruch amanuensi suo dictabat.

Obj. 3. Multa in scripturis sacris leguntur Deo indigna, quales sunt diræ imprecationes, quas habent aliqui psalmi, & quæ proinde Deo inspiranti attribui non possunt sine impietate. *R.* has imprecationes Deo inspiranti sine impietate attribui posse. Ratio est, quia propheticum habent sensum, nec sunt hominis optantis, aut postulantis vindictam, sed simpliciter prænunciantis supplicia, à Deo justo judicè repetenda. Ita expresè sentit S. Augustinus in psal. 78. ubi hæc verba, *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*, sic interpretatur: *Etiam ista prophetatio est, non optatio: non malevolentiæ voto ista dicuntur, sed spiritu prævisa prædicuntur: sicut de Juda traditore, quæ mala illi fuerant pro suis meritis eventura, ita prophetata sunt, quasi optata sint.* Et inferiùs hæc verba, *Redde vicinis nostris septies tantùm in sinus eorum*, sic exponit: *Non mala optat, sed justa prænunciat, & futura prophetat.*

Dices. Scriptura sacra habet aliqua, imò multa, quæ à Deo inspirari non potuerunt. Tale est v. gr. grande convicium, quo Paulus invehitur contra summum sacerdotem, Act. cap. 23. ubi summum Pontificem, cùm illius jussu percutitur, parietem dealbatum vocat, ignorans quis esset; unde monitus quòd esset summus Pontifex, dictum excusat. *R.* Paulum, cùm summum sacerdotem vocavit parietem dealbatum, non ex instinctu. Spiritus sancti, sed ex merè humana determinatione locutum esse; quod non obest librorum sacrorum inspirationi, ad hoc enim sufficit, quòd Lucas ex inspiratione divina scripserit id, quod Paulus non ex Spiritus sancti, sed ex proprio instinctu tunc dixit.

Nota. Aliud est factum, vel dictum aliquod narrari ex inspiratione divina, & aliud factum vel dictum illud ex inspiratione divina profectum esse. Unde ex inspiratione divina narrari potest id, quod factum vel dictum est ex instinctu merè humano: sicut ex instinctu merè humano narrari potest id, quod factum vel dictum est ex inspiratione divina. Dicimus autem ea omnia, quæ in scripturis sacris narrantur, ex inspiratione divina narrari, sive etiam facta vel dicta fuerint ex inspiratione divina, sive non, & eatenùs dicimus scripturas sacras fuisse divinitùs inspiratas.

Nota iterùm. Non dicimus scriptura sacras fuisse divinitùs inspiratas eo sensu, quòd omnia quæ illis continentur, facta vel dicta fuerint ex inspiratione divina: hoc enim est manifestè falsum & absurdum; neque necessarium est ad hoc, ut scripturæ sacræ divinam habeant authoritatem, & sint verbum Dei.

Sed

Sed eo sensu divinitùs inspiratas fuisse dicimus, quòd omnia quæ illis continentur, ab authoribus sacris scripta fuerint sub Deo illos specialiter impellente ad scribendum, & circa scribenda illustrante modo superiùs explicato. Unde sequitur authores sacros scripsisse ut amanuenses Dei, & moralia ejus organa, adeòque scripturam eorum esse verè divinam, & verbum Dei formaliter.

Dices. In scripturis sacris aliquæ circumstantiæ sunt inutiles, aliquæ incertæ, & aliquæ invicem contrariæ. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam 1. circumstantiæ illæ, quæ dicuntur esse innutiles, aliquo modo conferunt vel ad nostram instructionem, vel ad providentiæ divinæ aut alterius attributi divini commendationem, vel ad ornatum & integritatem orationis, denique ad narrationis ingenuitatem, qua excellunt scripturæ sacræ, earumque veritas mirum in modum elucet. 2. Circumstantiæ illæ, quæ dicuntur esse incertæ, sunt tantùm minùs præcisæ & determinatæ. Noluit autem Spiritus sanctus eas per scriptorem sacrum magis determinari; quia hoc alienum est à recepta inter homines narrandi ratione, cui sese accommodare voluit. 3. Circumstantiæ illæ, quæ videntur inter se pugnare, non nisi specietenùs inter se pugnant, easque inter se conciliari, pro certo tenere debemus, quamvis fortasse ignoremus modum, quo conciliantur. De hujusmodi difficultatibus consulendi sunt Interpretes.

At inquies. Si scriptores sacri à Deo inspirati fuerunt etiam in minimis & levissimis circumstantiis, ita ut nequidem in re minimi momenti à vero aberrare potuerint, nullum quantùm ad inspirationem divinam discrimen fuit Christum inter & sacros scriptores. *R.* neg. seq. Itaque quantùm ad divinam inspirationem inter Christum & scriptores sacros discrimen fuit, 1. in eo quòd Christus semper fuerit inspiratus, ita ut à vero nec aberrarit, nec aberrare potuerit unquam, sacri verò scriptores non fuerint semper inspirati, sed tunc tantùm fuerint, cùm libros sacros conscriberent, & tanquam Dei legati loquerentur hominibus. Unde aliàs à vero aberrare poterant, & quandoque aberrabant, vel ex levi aliqua inconsideratione, aut in inquirenda veritate negligentia, vel ex inculpabili memoriæ lapsu. 2. In eo quòd Christus fuerit ex proprio jure inspiratus: nam humanitas Christi propter hypostaticam unionem infrustabiliter exigebat auxilia, quibuseum semper & in omnibus assequebatur veritatem: sacri verò scriptores, utpotè puri homines, nullam per se inspirationis divinæ exigentiam habuerint, & sic inspirati fuerint ex mero Dei beneplacito, qui illis ad condendas scripturas sacras uti voluit, & per illos quasi amanuenses suos hominibus loqui.

Obj. 4. Si Deus librum aliquem, industria merè humana conscriptum, ex omni parte verum esse revelaret credibiliter, liber ille esset verbum Dei, & scripturis divinis annumerari non solùm posset, sed etiam deberet. Ergo ad hoc ut scriptura sacra esset verbum Dei, & scriptura divina, necessaria non fuit divina inspiratio, adeòque gratis dicitur, omnes omninò scripturas sacras fuisse divinitùs inspiratas.

R. In suppositione facta, liber, industria purè humana conscriptus, non esset verbum Dei propriè & simpliciter, sed ad summum esset verbum Dei, latè & cum addito diminuente, per adoptionem; nec scripturis, quas divinitùs inspiratas fuisse probavimus, alio modo annumerari posset, quàm filii adoptivi filiis naturalibus possunt annumerari: unde per se dignus non esset ea veneratione, quam per se merentur scripturæ divinitùs inspiratæ.

At inquies. Summam & divinam authoritatem haberet. Ergo esset propriè & simpliciter verbum Dei. *R.* dist. ant. Summam & divinam authoritatem haberet per se, N. ant. Per aliud & propter revelationem divinam, qua illum nihil nisi verum continere, credibiliter revelatum esset, C. ant. & neg. conseq. Nam illud tantùm verbum dici potest propriè & simpliciter verbum Dei, quod summam & divinam authoritatem habet per se, & ita per se dignus est assensu appretiativè summo: ita ut præsuppositâ illius qua verbum Dei est, propositione, possimus, quam exprimit, veritatem actu appretiativè certissimo credere propter ipsum, eodem illo actu cum eadem appretiatione natura priùs per se immediatè creditum, ibi sistendo.

ARTICULUS X.

Utrùm scripturæ sacræ fuerint etiam divinitùs inspiratæ quoad omnia & singula verba.

Responsio.

Scripturæ sacræ videntur non fuisse à Deo inspiratæ quoad omnia & singula verba.

Prob. 1. ex Origene: nam apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. cap. 18. postquam dixit se ex majorum traditione didicisse epistolam ad Heb. esse Pauli, dubium proponit, utrùm scilicet sententiæ tantùm, an etiam verba & verborum compositio ipsius sint, & respondet verba & verborum compositionem ab aliis Lucæ Evangelistæ, ab aliis verò Clementi Romano, apostolorum discipulo attribui, ibique hæret, nullatenùs sollicitus non solùm de sententiis, sed etiam de verbis & verborum compositione Paulo vindicandis. At si verba & verborum compositio fuerunt Clementis, profectò non fuerunt inspirata divinitùs; cum Clemens non fuerit author canonicus; & nihilominùs, secundùm Origenem, epistola ad Hebr. est scriptura divina. Ergo, secundùm Origenem, ut aliqua scriptura sit divina, non requiritur ut verba & verborum compositio fuerint divinitùs inspirata, sed sufficit inspiratio sententiarum. Ergo, secundùm Origenem, nulla necessitas est asserendi, quòd scripturæ sacræ omnes fuerint divinitùs inspiratæ, non solùm quoad sententias, sed etiam quoad verba & verborum compositionem. Porrò si id asserendi nulla est necessitas, qua ratione probabitur omnia singula verba in sacris scripturis omnibus divinitùs inspirata fuisse? Præterea, idem Origenes in Philocalia c. 4. probat scripturas sacras solecismis identidem sordescere. At quin solecismos Deo inspiranti impingere non verebitur?

Prob. 2. ex S. Hieronymo: nam pluribus locis apertè supponit nec verba, nec verborum constructionem à Deo inspirata fuisse scriptoribus sacris, ut v. g. in epistola ad Algasiam quæst. 10. ubi de Paulo Apostolo sic loquitur: *Illud quòd crebrò diximus*: Et si imperitus sermone, non tamen scientia; *nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus: profundos enim & reconditos sensus lingua non explicat; in alienas aures puro non potest tranferre sermone, quem cum in vernacula lingua habeant disertissimum ... se ipsum interpretari cupiens involvitur.* Sic enim loquendo. Hieronymus manifestè significat, Paulum apostolum quoad voces & phrasim propriæ industriæ derelictum fuisse.

Prob. 3. ex S. Agobardo Lugdunensi episcopo in libro contra Fredegisum tom. 14. Bibl. Patr. edit. Lugd. ubi hæc habet: *Apparet etiam in his verbis vestris quòd ita sentiatis de prophetis & apostolis, ut non solum sensum prædicationis, & modos vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in illorum ipse formaverit. Quòd si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit?* Tum quòd omnia & singula verba scriptoribus sacris à Spiritu sancto dictata non fuerint, probat multis argumentis, & præsertim ex styli diversitate.

Prob. 4. ratione. Quia ad hoc ut scripturæ sacræ essent verè & propriè verbum Dei, adeòque summam & divinam haberent authoritatem, necessaria non fuit omnium & singularum vocum inspiratio, & aliunde hanc inspirationem asserendi nulla sufficiens ratio afferri potest. Ergo, &c. Secunda pars ant. patebit ex objectionum solutione. *Prob. prima pars.* Ad hoc ut scripturæ sacræ essent verbum Dei, necessarium tantùm fuit, ut authores sacri, tanquam

amanuenses Dei, seu moralia quædam illius organa, scriberent. Atqui ad hoc necessaria non fuit omnium & singularum vocum inspiratio; sed satis fuit, si authores illis scriberent sub Deo eos impellente ad scribendum, eisque sensus omnes conscribendos inspirante, ex intentione mentem suam manifestandi hominibus, ut ex terminis manifestum apparet præsertim si Deus ipsis scriptoribus relinquendo delectum verborum, eorumque constructionem, specialiter invigilabat, ne voces adhiberent, quibus sensus ab inspiratis sensibus diversi, aut etiam illis contrarii redderentur; atque cùm opus erat, voces ipse suggerebat, vel germanam earum significationem edocebat, necnon ad diligenter & sincerè scribendum movebat efficaciter. Ergo, &c.

Confirm. 1. Vulgata nostra editio latina est verbum Dei, & summam ac divinam habet authoritatem, & quidem præcisè, quia continet sensus olim à Deo scriptoribus sacris inspiratos: non enim editionis nostræ latinæ vocabula divinitùs inspirata fuisse dici potest. Ergo scriptorum sacrorum autographa hoc ipso potuerunt esse & fuerunt verbum Dei, quòd sensus divinitùs inspiratos exprimerent; nec necesse fuit, ut constarent vocibus à Deo inspiratis. Ergo, &c.

2. Liber secundus Machabæorum est scriptura divina, & tamen non omnia & singula verba fuisse divinitùs inspirata, manifestè colligitur ex cap. 2. ubi author asserit, se in componendo libro suo, *non facilem laborem, non imò verò negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsisse*. Manifestum enim est authorem illum, scribentem sub Deo, non solùm sensus omnes conscribendos, sed etiam omnia & singula verba, quibus sensus illi exprimendi essent, inspirante, aut nullum, aut certè levem tantùm in scribendo laborem experturum fuisse,

3. Epistola secunda ad Timoth. tota est scriptura sacra; & tamen qua ratione probari poterit, Apostolum hæc, *Penulam quam reliqui Troade, apud Carpum veniens, affer tecum, & libros, maximè autem membranas*, scripsisse, Deo non solùm impellente ad scribendum, sed etiam omnes & singulas voces, earumque inter se dispositionem inspirante? Possunt autem alia quamplurima scripturæ sacræ loca proferri, in quibus necessaria magis non fuit vocabulorum eorumque compositionis inspiratio, nec magis potest probari.

4. denique, Moyses duobus locis, nempe Exodi c. 20. & Deuteronomii c. 5. Decalogum scripsit, & scribendo diversis vocabulis, & diversa vocabulorum constructione usus est; adeòque Moysi tunc accidit, quod accidere solet aliis hominibus, qui rem eandem diversis temporibus scribentes, iisdem vocabulis & eadem vocabulorum ordinatione nunquam ferè utuntur. Ergo Moyses in scribendo Decalogo, quoad vocabulorum delectum & ordinationem, propriæ industriæ relictus est: neque enim probabiliter dici potest, Spiritum sanctum volentem in Exodo & Deuteronomio scribi Decalogum, noluisse iisdem vocabulis & eodem vocabulorum ordine in utroque loco scribi, atque ita non eadem vocabula, nec eundem vocabulorum ordinem in utroque loco inspirasse.

Obj. 1. Patres videntur in ea fuisse sententia, quòd scripturæ sacræ non solùm quoad sensus omnes, sed etiam quoad omnia & singula verba, divinitùs fuerint inspiratæ. Nam 1. S. Basilius in proœmio libri de Spiritu sancto sic Amphilochium alloquitur: *Supra modum delector ista instantia vigilantiaque mentis tuæ, qui putas nullam vocem ex his quæ per universam scripturam de Deo prædicantur, oportere indiscussam relinquere .... Nam haud oscitanter audire sermonem de rebus divinis differentem, sed conari quid in quaque dilectione, quid in quaque syllaba reconditi sensus lateat perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui intelligunt scopum nostræ vocationis ... Si ex lege nec unum iota, nec apex unus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit vel minutissima transiliisse?*

2. S. Chrysostomus homil. 18. in cap. 4. Genes. sic loquitur: *Auscultemus diligenter dictis, & videamus quid de Cain narret scripturæ, & quid de Abel ... nihil enim temerè vel fortuitò loquitur divina scriptura, sed & syllaba & apiculus unicus reconditum habet thesaurum: nam in hunc modum se habent spiritualia omnia.*

3. S. Augustinus in tract. 120. de cap. 19. Joannis, ad hæc verba, *Unus militum lancea latus ejus aperuit*, sic disserit: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud: sed aperuit; ut illic quodam modo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam: quæ vera vita est, non intratur.*

4. S. Gregorius in præfat. in expositionem libri Job c. 1. propositis circa hujus libri authorem diversis sententiis, sic prosequitur: *Sed quis hæc scripserit, valdè supervacuè quæritur: cum tamen author libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & illius inspirator extitit, & perscribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit.*

5. S. Bernardus serm. 72. super Cantica, in hæc verba, *Donec aspiret dies*, hæc habet: *Ego enim, ut verum fatear, jam olim mihi persuasi in sacri pretiosique eloquii textu, nec modicam vacare particulam, Solemus autem hac voce (aspirare) uti, cùm vehementer aliquid desideramus ... Designatus itaque per hoc verbum (aspiret) mira affutura affluentia vehementiaque spiritus die illo, &c.*

R. neg. obj. *Ad* 1. *prob. R.* S. Basilium loqui non de omnibus vocibus, quibus scripturæ divinæ constant, sed de iis tantùm, quibus aliquid de Deo prædicatur, easque diligenter ac maturè ponderandas asserere. Has autem voces inspiratas divinitùs fuisse, concedere possumus: nec inde sequetur, omnes & singulas voces, quibus constant scripturæ divinæ, à Deo fuisse inspiratas. Addo nihil cogere nos, ut concedamus voces illas omnes, quibus aliquid de Deo prædicatur; inspiratas fuisse divinitùs: nam Basilio satisfit, si dicatur Spiritum sanctum invigilasse, ne scriptores sacri, voces quibus sensus circa Deum inspirati non integrè exprimerentur, usurparent, & quandoque voces idoneas, cùm opus fuit inspirasse.

Ad 2. *prob. R.* ad hoc ut scripturæ sacræ nihil temerè fortuitò loquerentur, necesse non fuisse ut omnia & singula verba sacris scriptoribus inspirarentur, sed fuisse satis, si scriptores sacri inspirarentur quoad omnes sententias conscribendas, & specialiter illis Spiritus sanctus assisteret, nec quid præter sententias illas conscriberent, easque accuratè verbis suis omnes exprimerent. Cùm addit S. Chrysostomus, unam syllabam, & apiculum unicum reconditum habere thesaurum, restrictè loquitur, & sensus ejus est, quòd syllaba una, & apiculus unicus, habere possit, & habeat quandoque sensum reconditum, adeòque omnia scripturæ verba diligenter esse expendenda.

Ad 3. *prob. R.* Cùm S. Augustinus dicit Evangelistam vigilanti verbo usum esse, non inspirationem divinam, sed diligentiam ac industriam scriptoris laudare videtur, præsertim cùm ad scribendum *aperuit*, potiùs quàm *percussit aut vulneravit*, scriptor sacer non eguerit vocis illius inspiratione, sed ei sufficerit mysterii per aperitionem lateris Christi significari revelatio. Præterea, esto quòd S. Doctor senserit verbum *aperuit*, à Deo scriptori sacro inspiratum fuisse, hoc tamen nobis non obest. Nam aliqua, imò multa vocabula à Deo sacris scriptoribus inspirata fuisse, facilè concedimus, & solùm, quòd omnia & singula divinitùs inspirata fuerint, negamus. Ab hac autem omnium & singulorum vocabulorum inspiratione alienum se satis probat S. Augustinus, cùm de nimium scrupulosis vocum observatoribus sic loquitur lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 28. *Neque miseri aucupes vocum, apicibus quodam modo litterarum putent ligandam esse veritatem; cum utique non in verbis tantùm, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum non sit nisi ipse animus requirendus.*

Ad 4.

Ad 4. prob. R. ad hoc ut libri Job, sicut aliarum scripturarum divinarum, author verè sit Spiritus sanctus, & id fideliter credamus, sufficere quòd Spiritus sanctus omnes omninò sensus conscribendos inspiraverit, & ad conscribendos specialiter moverit, ad hoc invigilando ut scriptores non nisi idoneis vocibus uterentur, & cùm opus erat, ipsa vocabula suggerendo; his enim præcisè positis, Spiritus sanctus librum Job per authorem sacrum, quicumque ille fuerit, velut morale instrumentum & amanuensem suum conscripsit.

Ad 5. prob. R. ex S. Bernardi verbis ad summum sequi, quòd aliqua vocabula scriptoribus sacris inspirata fuisse senserit; & cùm dicit in scripturæ sacræ textu nec modicam vacare particulam, non in rigore mathematico, sed in sensu morali loquitur, nec aliud vult, quàm nullas in divinis scripturis voces inutiles esse; ad cujus rei veritatem satis est, si scriptores sacri à Deo quoad omnes sensus conscribendos inspirati, scripserunt sub Deo invigilante ne voces superfluas minúsve ad sensuum inspiratorum expressionem idoneas adhiberent, & voces ipsas, cùm opus esset inspirante.

Obj. 2. Illi etiam quoad omnia & singula verba inspirati fuerunt, qui sic inter scribendum agebantur à Spiritu sancto, ut eis liberum non esset aliis verbis scribere. Atqui scriptores sacri omnes inter scribendum sic agebantur à spiritu Sancto, ut liberum eis non esset aliis verbis scribere. Ergo, &c. Neg. min. *Probabis*. Nam Spiritus sanctus ad condendas scripturas sacras scriptoribus usus est tanquam calamo. Nam dicitur Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Tanquam organo seu instrumento, ut Patres docent communiter; tanquam amanuensibus, qui verba ex ore dictantis excipiunt, ut verba Davidis modò laudata apertè significant. Ergo, &c.

R. neg. conseq. Nam scriptores sacri fuerunt quidem organa & instrumenta, quibus Spiritus sanctus ad sacras litteras conscribendas usus est; at non fuerunt organa & instrumenta merè passiva & mortua, sed fuerunt organa & instrumenta viva, & propriæ industriæ propriæque libertatis usum habentia. Item fuerunt quidem amanuenses Spiritus sancti, at non quales omnia & singula verba ex ore dictantis excepta scribunt, sed quales sententias ex ore loquentis exceptas, delectu compositione verborum sibi relictis, exprimunt proprio ingenio, & liberè. Hinc factum est, ut Evangelistæ v.g. eadem Christi dicta vel facta, non iisdem planè verbis; sed ex parte diversis, quibus tamen idem sensus redditur, expresserint. Sic Marcus & Mattheus scribunt Christum, cùm calicem discipulis porrigeret, dixisse: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*: Lucas verò scribit Christum tunc dixisse: *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo*. Christus autem non utroque modo locutus est, sed alterutro: at quia uterque modus loquendi eundem sensum reddit, alteruttum, ad referendum id quod Christus dixerat, pro arbitrio adhibere potuerunt scriptores sacri.

Porrò Patres dicunt quidem scriptores sacros in conscribendis sacris litteris fuisse instrumenta & organa Spiritus sancti; at non volunt eo modo fuisse, quo dicuntur in objectione; ita ut nullum propriæ industriæ & libertatis in scribendo usum habuerint. Eatenùs igitur fuerunt instrumenta & organa Spiritus sancti, quatenùs scripserunt sub Spiritu sancto impellente ad scribendum, inspirante sensus omnes conscribendos, quandoque suggerente ipsa vocabula, sed ut plurimùm, illorum delectum compositionem scriptoribus relinquente; simul tamen specialiter invigilante, ne circa delectum illum, aut compositionem illam, sensus inspiratos minùs rectè exprimendo delinquerent.

Obj. 3. Philonem Judæum in libro qui inscribitur: *Qui rerum divinarum hæres sit*, ubi hæc habet: *Propheta nihil ex se proloquitur, sed omnia submonente alio . . . Quando quidem hic solus est instrumentum Dei resonans, ab eo contactum, & pulsatum invisibiliter*. *R. 1.* Philonem intelligi posse de sola inspiratione rerum & sententiarum. *R. 2.* parvi hic referre, quid Philo, & alii cum eo Judæi, post Christi tempora senserint.

ARTICULUS XI.

Quotuplex sit Scripturæ sacræ sensus.

Resp. Scripturæ sacræ sensus alius est litteralis, seu historicus, & alius spiritualis, seu mysticus. Sensus litteralis est ille, quem verba proximè significant, sive sint verba propria, sive metaphorica. Sensus mysticus est ille qui significatur proximè, non per verba, sed per rem quam verba significant. Sensus mysticus subdividitur in allegoricum, anagogicum & tropologicum. Sensus allegoricus est is qui est de re pertinente ad fidem, vel Ecclesiam millitantem. Anagogicus is est qui est de re pertinente ad vitam æternam, seu Ecclesiam triumphantem. Tropologicus denique est de re ad mores pertinente. Quatuor igitur sunt Scripturæ sacræ sensus, litteralis scilicet, allegoricus, anagogicus & tropologicus, qui omnes in hac una voce *Hierusalem* ostendi possunt: nam hæc vox litteraliter urbem Palestinæ, allegoricè Ecclesiam militantem, anagogicè patriam cœlestem, seu Ecclesiam triumphantem, tropologicè animam hominis in sacra Scriptura significat.

Porrò præter sensus illos, à Spiritu sancto intentos, alius est qui accommodatitius dicitur, & describitur sic: Sensus qui Scripturæ sacræ verbis neque immediatè, neque mediatè significatur tamen illis attribuitur, ea ad aliquid præter authoris sacri mentem applicando & accommodando, propter quandam analogiam & similitudinem. Ut autem sensus ille licitè usurpetur, requiruntur aliquæ conditiones.

1. Requiritur ut sensus accommodatitius sit pius, seu ut verba scripturæ non nisi ad res pias & religiosas accommodentur. Patet ex Synodo Tridentina sess. 4. ubi sic loquitur: *Post hæc temeritatem illam reprimere volens* (Synodus) *qua ad prophana quæque convertuntur & torquentur verba & sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare; ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur*.

2. Requiritur ut non tradatur sensus accommodatitius pro litterali, nec vicissim sensus litteralis traducatur tanquam accomodatitius.

Requiritur denique, ut sensus accommodatitius sit verus: sensum enim falsum verbis Scripturæ sacræ etiam per accommodationem attribuere, nefas est. Sed

Quæres 1. utrùm unus & idem sacræ Scripturæ locus plures sensus litterales admittat?

R. admittere; quod probatur uno vel altero exemplo. Nam 1. illud Psal. 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, de æterna Christi generatione intelligitur, Hebr. cap. 1. his verbis: *Cui dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu; hodie genui te;* & de resurrectione Christi Act. c. 13. his verbis: *Hanc Deus* (promissionem) *adimplevit filiis nostris: resuscitans Jesum, sicut in Psal. 2. scriptum est: Filius meus es tu, &c.* 2. Illud Isaiæ c. 55. *Generationem ejus quis enarrabit?* duplicem habet sensum litteralem, unum de æterna, alterum de temporanea Christi generatione, ut docet S. Leo serm. 3. de nativitate Domini. *Non enim*, inquit, *ad illud tantummodò sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere, quod dictum est*, Generationem ejus quia enarrabit.

Quæres 2. utrùm quilibet scripturæ locus admittat sensum litteralem?

R. Admittere: nam si non admittit, certè, ut volunt aliqui, in metaphoris & parabolis. Atqui hoc est falsum. Pro quo *nota* 1. Sensus litteralis est ille, quem proximè significant verba propriè vel metaphoricè sumpta. Unde si verba non propriè, sed metaphoricè sumuntur, sensus litteralis est ille qui proximè significatur per verba sumpta metaphoricè. Sic in hac Christi sententia: *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam*, to *dextra manus* non sumitur propriè pro certo corporis membro; alioqui sententiæ sensus esset falsus & absurdus, sed metaphoricè pro amico, vel proximo: quare sententiæ sensus litteralis est: Si amicus, vel proximus tuus scandalizat te, consortium ejus devita.

Nota 2. In parabolis duæ sunt partes, una videlicet quæ continet rem quæ in similitudinem affertur, & altera quæ applicationem continet. Exemplum sit parabola qua Christus utitur Matth. cap. 13. ad prædicendam Evangelii propagationem. *Simile est*, inquit, *regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*. Hæc parabola duplicem habet partem. Prima continet mulieris factum, quod adducitur in similitudinem, & habet sensum litteralem, mulieris factum exprimentem; secunda verò applicationem, & habet quoque litteralem sensum qui hic est: Sicut modicum fermentum, in magnam farinæ massam immissum, eam multò, quàm erat, reddit majorem: ita Evangelium in Palæstina prædicatum, brevi tempore totum pervadet orbem, & sic Ecclesia in Palæstina primùm instituta, & principio parva, atque angustis terminis contenta, brevi tempore magna sumet incrementa, ac longè latèque propagabitur.

Nota 3. In scriptura Sacra triplicis generis sunt parabolæ: quædam enim rem gestam, quædam non rem gestam, sed possibilem, quædam non rem gestam, aut possibilem, sed impossibilem afferunt in similitudinem. Primi generis est parabola fermenti in farinæ massam immissi, Matth. c. 13. Secundi generis est parabola Patrisfamilias, *qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam*. Matth. cap. 20. Tertii generis est parabola lignorum, quæ *ierunt, ut ungerent super se regem*, Judic. cap. 9. Omnes autem habent sensum litteralem & verum: nam ad veritatem parabolæ sufficit, si similitudo & applicatio bona est; res enim quæ in parabola adducitur in similitudinem, non adducitur, quasi re ipsa gesta sit, aut geri potuerit, sed ut res aliqua explicetur per talem similitudinem.

ARTICULUS XII.

Utrùm sensus litteralis scripturæ Sacræ sit obscurus.

Responsio.

SEnsus litteralis scripturæ Sactæ obscurus est.

Prob. 1. ex Scriptura ipsa. Nam Psal. 118. dicitur: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Et Luc. c. ult. *Tunc aperuit* (Christus) *illis* (discipulis) *sensum, ut intelligerent scripturas*. Unde sic argumentor. Illud non est intellectu facile, sed difficile, ad quod intelligendum necessaria est illustratio divina. Atqui illustratio divina necessaria est ad intelligendas scripturas Sacras. Ergo, &c. Falsum igitur est quod dicunt hæretici, Sacras Scripturas omnes intellectu facillimas esse, adeòque in Ecclesia necessarium non esse vivum Scripturæ Sacræ interpretum infallibilem.

Prob. 2. Ex unanimi Patrum consensu, apud Bellarminum, & alios. Unus erit hìc pro omnibus S. Augustinus in epistola ad Januarium cap. ult. ubi sic ait: *Tantum abusum ab eo quod putasti, nihil me latere, ut nihil in epistola tua legerim tristius, quia & apertissimè falsum est, & miror quia hoc te latet, quod non solùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multò nesciam plura, quàm sciam*. Discant à tanto Doctore novatores non superbire, & suam in scripturis sanctis ignorantiam fideliter confiteri.

Prob. 3. experientia tot doctorum & piorum hominum, qui tot commentarios divinarum scripturarum ediderunt, & in illis interpretandis tantoperè desudarunt. Præterea, si Sacræ Scripturæ omnes sunt facillimæ & clarissimæ, ut volunt hæretici, quid opus fuit tot interpretibus totque commentariis? Quare Novatores ipsi à commentariis Scripturæ Sacræ elucubrandis non abstinuerunt?

Denique, novatoribus obstruit os B. Petrus Apostolus epist. 2. c. 1. cùm ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*. Certè si scriptura divina se habet ad modum lucernæ lucentis in caliginoso loco, non potest non habere multa obscura, & intellectu valdè difficilia. Quod confirmatur ex eodem Apostolo eadem epist. cap. 3. ubi hæc scribit de Paulo Apostolo: *Charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis* (epistolas,) *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem*, ut videre est in novatoribus, contra quos hìc pugnamus.

Respondent 1. Scripturam esse quidem obscuram impiis, incredulis, & voluntariè cœcutientibus, at per se claram esse piis ac fidelibus. Sed contra est, quia Augustinus non fuit impius, nec incredulus, aut voluntariè cœcus, & tamen scriptura fuit illi obscura, & intellectu difficilis; neque ita sensum scripturæ etiam cum gratiæ adjutorio assecutus est, ut multa non ignoraverit, ut ipse ingenuè confitetur disertis verbis. Quod autem dico de Augustino, de aliis quoque Patribus possum asserere. Adde Eunuchum, qui nec impius, nec incredulus, nec voluntariè cœcus erat, & tamen Philippo interroganti, utrùm intelligeret Isaiam prophetam, quem legebat, respondit, Act. c. 8. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*

Respondent 2. sensum scripturæ ex se clarissimum esse, sed obscurum quandoque apparere iis, qui ignorant linguæ originalis idiotismos, hebraicæ scilicet, vel græcæ. Sed contra est, quia David proprios loquendi modos linguæ hebraicæ non ignorabat, & tamen indigebat Spiritus sancti illustratione ad intelligendam Scripturam Sacram: unde orando dicebat: *Revela oculos meos, &c.*

Respondent 3. Scripturam alicui obscuram esse, sed alibi clarè se ipsam explicare. Sed contra est, quia 1. Patres, & alii scripturæ interpretes, non ignorarunt loca scripturæ inter se conferenda esse, ut alia ex aliis, obscuriora videlicet ex clarioribus lucem accipiunt: nec dubitare fas est, hanc ab eis collationem esse factam; & tamen cum hac collatione, ut contendunt ipsimet hæretici, verum scripturæ sensum ubique assequi minimè potuerunt. 2. Controversiæ circa scripturæ sensum exortæ, sive inter Catholicos, sive inter ipsos hæreticos, perseverant, quantùmvis fiat ejusmodi collatio, quæ proinde non sufficit ad dirimendas controversias circa sensum scripturæ exortas. Ad hoc autem non sufficit, quia non sufficit ad tollendam obscuritatem locorum, de quibus controvertitur.

Respondent denique 4. saltem nihil esse ad salutem necessarium, quod non contineatur clarè in scriptura, nec possit ab unoquoque facilè intelligi. Sed contra est, quia Eunuchus Reginæ Æthiopum legebat aliquid ad salutem necessarium, nec tamen potuit illud intelligere, nisi ab aliquo alio edoceretur. Adde quòd multa sunt necessaria necessitate præcepti, quæ in scriptura non continentur clarè.

Obj. Deut. c. 30. dicitur: *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est*. Et Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Et Matth. c. 5. *Vos estis lux mundi*. Et 2. Cor. cap. 4. *Quòd si oper-*

opertum est evangelium nostrum, in iis qui pereunt: est opertum. R. ad 1. ibi significari facilitatem intelligendi & implendi præcepta cum auxilio gratiæ. *Ad* 1. Sensum non esse, quòd scriptura facilè intelligatur, sed quòd intellecta mentem illuminet. *Ad* 3. Apostolos à Christo vocari lucem mundi, non quòd scripturæ ab illis conscribendæ, futuræ essent clarissimæ, sed quòd ipsi essent futuri præclara virtutum omnium exempla, omnibus ad imitandum proposita, eorumque doctrina, probè intellecta, de mysteriis altissimis eruditura esset homines, & errorum omnium, in quibus à tot sæculis versabatur mundus, tenebras dissipatura. *Ad* 4. Apostolum non universam scripturam, sed solam incarnationis, passionis & resurrectionis Christi doctrinam intelligere.

DISPUTATIO II.

De Editionibus & Versionibus Scripturæ.

ARTICULUS I.

Utrùm editio hebraica, à Mose & aliis prophetis condita, atque ab Esdra reparata, fuerit postea studiosè depravata à Judæis.

Nota. Omnes libri proto-canonici veteris testamenti, quibus solis constat Hebræorum canon, hebraicè conscripti fuere à suis authoribus, exceptis tamen libris Esdræ & Danielis; de quibus sic loquitur S. Hieronymus præfat. in Danielem: *Sciendum quippe est, Danielem maximè & Esdram hebraicis quidem litteris, sed chaldæo sermone conscriptos.* Hebraicam porrò editionem ex libris illis veteris testamenti proto-canonicis constantem, & partim à Mose, partim ab aliis sanctis viris, divino Spiritu afflatis, exaratam, sed in excidio Hierosolymæ dissipatam, reparavit postea Esdras, partes illius variis in locis à se repertas colligendo, & in unum corpus redigendo, atque emendando ea, quæ depravata fuerant scribarum oscitantia, vel imperitia, ut aliàs jam dictum & probatum est. Sed quæritur utrùm hæc editio, ab Esdra sic reparata, fuerit iterùm, data opera à Judæis, sive ante sive post Christum & Apostolos corrupta?

Responsio.

Editio hebraica non fuit à Judæis studiosè adulterata.

Prob. 1. ex S. Hieronymo, qui caput sextum Isaiæ exponens, hæc scribit: *Si aliquis dixerit, hebræos libros postea à Judæis esse falsos, audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ: quòd nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in scribis & pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum, libros hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant.*

Sic igitur pro sententia nostra argumentatur S. Hieronymus. Si Judæi hebræos scripturæ Sacræ libros falsarunt, vel falsarunt ante adventum Christi & Apostolorum ejus, vel post. Neutrum dici potest. Non primum: nam si Judæi ante adventum Christi & Apostolorum ejus, scripturas hebræas adulterassent, procul dubio à Christo & Apostolis ejus de maximo illo crimine reprehensi fuissent; cùm ab illis de aliis levioribus criminibus fuerint reprehensi: prorsus enim incredibile est, Christum & Apostolos in Judæis leviora crimina arguisse, & reticuisse gravissima, qualis profectò fuisset studiosa Scripturarum divinarum depravatio. Non etiam secundum: nam testimonia Scripturæ à Christo & Apostolis ejus citata, tunc leguntur in hebræo textu, ut ab illis citantur. Quare si Judæi post adventum Christi & Apostolorum ejus, falsarunt Scripturas hebræas, necesse est Christum & ejus Apostolos scripturas illas citasse, quomodo prævidebant eas postea à judæis esse falsandas; quòd sine manifesta absurditate dici non potest, & risu dignum est.

Prob. 2. ex S. Augustino lib. 15. de civ. cap. 13. ubi asserit dissonantiam textus hebræi, & versionis septuaginta interpretum circa dinumerationem annorum quibus vixerunt homines primorum temporum, neque hebræis, quasi textum hebraicum consultò corruperint, neque septuaginta interpretibus, quasi ad textum illum falsò interpretandum inter se conspirarint, attribui posse, sed esse attribuendam errori v. gr. scriptoris illius, qui primus ex Ptolomæi bibliotheca versionem LXX. interpretum exscripsit, & publici juris fecit.

Absit, inquit, *ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse credat* (textum scilicet hebræum corrumpere) *in codicibus tam multis & tam longè lateque dispersis, vel septuaginta illos memorabiles viros hoc de invidenda gentibus veritate* (mentiendo, & falsò textum interpretando) *unum communicasse consilium. Credibilius ergo quis dixerit, cùm primùm de bibliotheca Ptolomæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice uno, scilicet primitus inde descripto, unde jam latiùs emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris error.*

Juxta S. Doctorem igitur, utriusque textus dissonantia attribuenda est uni alicui codici versionis græcæ, ex bibliotheca regia primitùs descriptio, unde deinceps error emanavit latiùs. Quòd si tamen alterutrum contingere oportuit, nempe quòd aut LXX. interpretes falsò interpretati sint textum hebræum, aut textum hunc adulterarint Hebræi, primum potiùs, quàm alterum esse credendum, apertè significat S. Doctor.

Ubi si quæram, inquit, *quid sit credibilius, Judæorum gentem tam longè lateque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse: & dum alius invideant authoritatem, sibi abstulisse veritatem: an septuaginta homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos quoniam rex Ægypti Ptolomæus eos ad hoc opus asciverat, ipsam veritatem gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud tunc fecisse consilio, quis non videat quid proclivius faciliusque credatur?* Supple septuaginta interpretes textum hebræum falsò interpretatos esse; potiùs enim contingere potuit, ut septuaginta homines in uno loco positi, communicato, quod facilè potuerunt, consilio, in falsam textus hebræi interpretationem consentirent, quàm ut Judæorum gens tam longè lateque diffusa, quantæcumque perversitatis atque malitiæ supponatur fuisse, in textum hebræum falsandum uno consilio conspirat, aut saltem inito tali consilio, in codicibus tam multis, & tam longè lateque dispersis id exequi potuerit.

Prob. 3. ex Josepho & Philone Judæis, quorum uterque de scriptura sacra asserit, quòd in summa veneratione fuerit apud Judæos: ita ut pro ea servanda parati fuerint vitam profundere: imò expresè affirmant, nihil unquam ei addere, vel ex ea auferre, aut in ea transformare Judæorum quemquam præsumpsisse, & ne verbum quidem in ea unquam esse immutatum. Nam sic loquitur Josephus lib. 1. contra Appionem num. 29. & 30. *Tanto namque sæculo jam præterito neque adjicere quicquam aliquis, nec auferre nec transformare præsumpsit: omnibus enim insertum est mox ex primæ generatione Judæis, hæc divina dogmata nominare, & in his utique permanere: & propterea si oporteat, mori libenter.* Et Philo apud Eusebium, lib. 8. de præparatione evangelica cap. 2. *Mirabile mihi videtur, duorum annorum millibus, imò majore tempore jam ferè transacto .... nec verbum unum in lege esse immuta-*

tum: sed centies unusquisque Judæorum morietur, quàm legi mosaicæ derogabit.

Porrò moderni Judæi non minori observantia & religione prosequuntur scripturam divinam, cui ferè divinos deferunt honores, & jejunium publicum indicunt, si eam cadere in terram contigerit. Unde si veteres Judæi, testibus Josepho & Philone, pro sua in scripturam divinam observantia & religione nihil ei addere, vel ex ea detrahere, aut in ea transmutare unquam præsumpserunt, eam à Judæis recentioribus de industria depravatam fuisse generaliter, verisimile non est.

Prob. 4. Si Judæi studiosè textum hebræum adulterarunt, vel ante tempora Josephi & Philonis Judæorum, vel ante tempora Hieronymi & Augustini, vel post Hieronymi & Augustini tempora. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex prob. 3. Non secundum, ut patet ex prob. 1. & 2. Non denique tertium, ut multiplici argumento suaderi potest.

1. Ut dicit S. Augustinus loco laudato, quòd Judæi, ut nobis eriperent authoritatem, sibi veritatem auferre voluerint, credibile non est.

2. Quòd scripturam, quam religione summa semper coluerunt, aliquando temerare præsumpserint, admitti non debet sine gravissimo ità judicandi fundamento, quale non habet opposita sententia.

3. Si Judæi studiosè falsarunt textum hebræum, certè hoc fecerunt in odium Christianorum. Atqui hoc dici non potest, Nam si in odium Christianorum scripturam suam falsavissent, præcipuas in ea de Christo & ejus Ecclesia factas prædictiones sustulissent. At hoc non fecerunt: ut enim testantur Bellarminus, & alii linguæ hebraicæ periti, ea, in quibus textus hebræus à græco & latino dissonat, sæpè nullius momenti sunt, quantùm ad fidem & religionem attinet, & sæpè textus hebræus Judæos magis urget, quàm græcus & latinus.

4. Teste Bellarmino, interpretatio Psalmorum facta à S. Hieronymo, in omnibus consonat cum textu hebræo. Unde vel dicendum est S. Hieronymum Psalmos interpretatum esse, quomodo Judæi illos postea erant falsaturi, quod dictu absurdum est; vel fatendum Psalmos, de quorum tamen depravatione præcipuè queruntur adversarii, à Judæis post Hieronymi tempora non fuisse depravatos.

5. Denique, si Judæi studiosè depravarunt textum hebræum, vel à tota Judæorum gente, vel ab aliquibus tantùm è Judæis hoc factum est. Neutrum dici potest. Non primum: nam quòd Judæorum gens, tam longè latèque diffusa, in talem depravationem uno consilio conspiraverit, moraliter saltem impossibile est. Non etiam secundum: nam si aliqui è Judæis hanc depravationem moliti essent, cæteri procul dubio Judæi reclamassent; vel saltem si non ab aliis Judæis, saltem à multis Christianis linguæ hebraicæ peritis, quales nunquam in Ecclesia defuerunt, esset procul dubio reclamatum. Talis autem reclamationis nullum extat vestigium. Ergo, &c.

Confirm. Quia generalis veterum scripturarum depravatio à Judæis ex condicto facta, repugnat consilio Dei, & speciali ejus circa veram Christi Ecclesiam providentiæ. Ergo credibile non est, quòd Deus eam permiserit; imò quòd eam permittere noluerit, pro certo statuendum est. *Prob. ant.* Deus enim voluit Judæos per totum orbem terrarum dispergi, ut Judæis secum per totum terrarum orbem scripturas suas circumferentibus, Ecclesia ubique terrarum diffusa, veritatis suæ & dogmatum suorum testimonium accipere posset etiam ab infensissimis Christiani nominis hostibus, ad illos remittendo paganos, qui prædictiones de ipsa & ejus institutore Christo factas credere nollent, easque à Christianis confictas fuisse causarentur; quique prædictiones illas apud Judæos Christianis inexorabiles ubique legere possent, & sic vel inviti de illarum realitate tam luculento testimonio convinci. Atqui tam mirabilem providentiæ divinæ circa Ecclesiam Christi dispositionem prorsus inutilem redderet generalis sacrarum scripturarum depravatio à Judæis studiosè facta. Ergo, &c. Minor patet.

Prob. maj. ex S. Augustino lib. 18. de Civit. c. 46. ubi hæc scribit: *Nobis quidem illæ sufficiunt* (prophetiæ) *quæ de nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus, propter hoc testimonium, quod nobis inviti perhibent eosdem codices habendo atque servando, per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos, quaquaversum Christi Ecclesia dilatatur. Nam prophetia in Psalmis, quos etiam legunt, de hac re præmissa est, ubi scriptum est.... Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam, disperge illos in virtute tua..... parum fuit ut diceret:* Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam: *nisi etiam adderet:* Disperge illos: *quoniam si cum isto testimonio scripturarum in sua tantummodò terra, non ubique essent; Ecclesia, quæ ubique est, eos prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.*

Obj. 1. Hebræum textum à Judæis consultò adulteratum fuisse docent Patres multi, ut Justinus apud Eusebium lib. 4. hist. Eccles. c. 18. Chrysostomus homil. 5. in Matth. Origenes homil. 12. in Hieremiam, & Hieronymus epist. 89. ad Augustinum, & comment. in cap. 5. Michææ.

R. ad 1. Justinum non de hebræi textus, sed de interpretationis LXX. Seniorum depravatione loqui in dialogo illo cum Tryphone, quem citat Eusebius, & in quo sic ait S. Martyr: *Quòd illi* (Judæi) *multos & integros prorsus locos illarum* (scripturarum) *ex translatione eorum, qui cum Ptolomæo fuere Seniorum sustulerint, in quibus clarè hunc ipsum crucifixum, Deum & hominem esse, eumque in cruce pendere & mori prænunciatum esse ostenditur, scire vos volo.*

R. ad 2. S. Chrysostomum loqui de Aquila, Simmacho & Theodotione, quos ait in suis de hebræo in græcum versionibus, in odium religionis Christianæ multa interpolasse, adeòque eorum versionibus longè anteponendam esse versionem LXX. Interpretum, qui, cùm interpretationem annis plusquàm centum ante adventum Christi concinnarint, carent omni suspicione. *Primo quidem dicemus*, inquit, *illud; quoniam ad faciendam veræ translationis fidem, omnibus aliis jure Septuaginta interpretes sint digniores. Siquidem alii post adventum Domini interpretati sunt, Judæi quidem permanentes, meritoque suspecti: quippe qui inimicè & subdolè multa corruperint, & data prorsus opera à prophetis mysteria prædicta celaverint. Septuaginta verò ante centum & aliquantò amplius Dominici adventus annos, ad interpretandum tot ac pariter accedentes, ab omni suspicione hujusmodi vindicantur.*

R. ad 3. Origenem loqui de aliquo versionis LXX. interpretum nævo, sive hic nævus ipsis LXX. interpretibus, sive quibusdam aliis, qui versionem illam corrumpere præsumpserint, sit attribuendus. Hæc sunt verba Origenis: *Quod ait primum, sive non intelligentes quidam quod scriptum est, abstulerunt, sive septuaginta Interpretes sicut & cætera, secundum dispensationem suam auferre voluerunt, Dominus viderit.*

R. ad 4. 1. S. Hieronymum in sua ad S. Augustinum epistola loqui de Aquila, Simmacho & Theodotione, eosque reos agere violati in suis interpretationibus textus hebræi, cujus puritatem & integritatem expresè commendat. *Ego enim*, inquit, *non tam vetera abolere conatus sum, quæ linguæ meæ hominibus emendata de græco in latinum transtuli, quàm ea testimonia, quæ à Judæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium: ut scirent nostri quid hebraica veritas contineret.*

2. In comment. in cap. 5. Michææ S. Hieronymus dubius est. *Legimus*, inquit, *juxta* LXX. *duntaxat Interpretes, in Jesunave.... quod nec in hebraico, nec apud alium invenitur interpretem: & sive de veteribus libris erasum sit malitia Judæorum, ne Christus de tribu Juda ortus videretur, sive à* LXX. *additum, nequaquam liquidò cognoscentes, certum quid novimus.* At dubium suum postea deposuit S. Doctor: nam in

suis

suis in Isaiam commentariis, quos posteriùs scripsit, ut ipse admonet initio præfationis, irridet eos, qui dicerent textum hebræum à Judæis esse falsatum, ut patet ex prob. 1.

Obj. 2. In omnibus editionibus hebraicis desunt in Psalmo decimo tertio hi octo versiculi: *Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant: venenum aspidum sub labiis eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio & infœlicitas in viis eorum: & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.* Atqui hoc non potuit fieri, nisi ex pura malitia Judæorum, qui hos versiculos è textu hebræo eraserunt, ut persuaderent, Apostolum scripturam divinam non citasse fideliter, cùm Rom. c. 3. post hæc verba Psalmi 13. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, sic prosecutus est: *Sepulcrum patens est, &c.* citare pergens eundem illum Psalmum. Ergo, &c.

R. 1. S. Hieronymus, ut patet ex præfatione libri 16. in Isaiam, circa hos octo versiculos qui leguntur in Ecclesia tanquam partes Psalmi 13. & usurpantur ab Apostolo Rom. c. 3. nec tamen in hebræo habentur, aliquandiu laboravit, sollicitus, non de textus hebræi integritate, quod notandum est, sed de Apostoli scientia & probitate defendenda. *Cœpi*, inquit, *tacitus æstuare* (proposita difficultate) *& stuporem mentis vultus pallore signare. Hebræus, inquam, ex hebræis, secundùm legem pharisæus, eruditusque ad pedes Gamalielis, aut ignoravit hæc, aut eorum qui lecturi erant abusus est ignorantia. Quorum alterum ineruditi, alterum callidi est ad malitiam, nec ejus qui dixerit:* Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. *Et iterum:* In simplicitate & sinceritate annunciavi vobis verbum.

2. Omni scriptura mente perlustrata, animadvertit hos octo versiculos ab Apostolo de psalmis & Isaia esse contextos, & duos primos ad psalmum 5. tertium ad psal. 139. quartum ad psal. 9. quintum, sextum & septimum ad Isaiam, octavum denique ad psal. 35. pertinere. Addit *eos, qui artem contexendarum inter se scripturarum Apostoli nesciebant, quæsisse aptum locum, ubi assumptum ab eo ponerent testimonium, quod absque authoritate in scriptura positum non putabant. Denique omnes græciæ tractatores, qui eruditionis suæ in psalmos commentarios reliquerunt, hos versiculos veru annotare atque præterire; liquidò confitentes in hebraico non haberi, nec esse in Septuaginta Interpretibus, sed in editione vulgata, quæ græcè κοινὴ dicitur, & in toto orbe dispersa est.*

Vides non solùm Hieronymo, cùm suos in Isaiam commentarios elucubraret, verùm etiam omnibus græcis scripturæ sacræ interpretibus, qui ante ipsum scripserant, textus hebraici puritatem exploratam fuisse, neque de Judæis tanquam reis adulteratæ veteris Scripturæ hebraicæ postulandis cogitasse; sed illos pro certo habuisse, præfatos octo articulos psalmo 13. in vulgata editione græca à quibusdam parum peritis fuisse perperam insertos, ratis eos ad psalmum 13. pertinere, eò quòd cùm verbis hujus psalmi ab Apostolo citatis, aptè connecterentur, & aliunde eos scripturæ sacræ partes esse, indubitatum esset propter authoritatem Apostoli, à quo ut sacra scriptura citantur.

Obj. 3. Judæi ipsi passim affirmant, multa à quibusdam Doctoribus suis mutata esse in libris sacris, quas mutationes vocant correctiones scribarum. Atqui hæ mutationes, seu prætensæ correctiones, sunt veræ depravationes. Ergo ex Judæorum ipsorum confessione habemus, à scribis eorum scripturas hebræas veteratoriè fuisse depravatas.

R. Cum Bellarmino lib. 2. de verbo Dei c. 2. hanc de librorum sacrorum correctione à scribis facta sententiam originem ducere ex Talmud libro fabulosissimo, adeòque ut falsam, vel saltem nullo sufficienti fundamento nixam explodi posse. Quòd si tamen hæc sententia ut vera supponitur, dico correctionem illam scribarum non fuisse depravationem, sed veram emendationem, factam post reditum è Babylonica captivitate, ab Esdra & Synagoga magna, hoc est, concilio illo, quod Sanedrin appellabatur, quodque emendationem ab Esdra factam approbavit, & authoritate sua sancivit; vel Doctoribus aliis, qui sese Esdræ operis socios adjunxerunt, eumque adjuverunt ad colligendos, & suæ integritati restituendos libros sacros, qui tempore captivitatis dispersi & adulterati fuerant.

Porrò correctionem illam scribarum non esse textus corruptionem, sed veram emendationem demonstrat Bellarminus loco citato, per inductionem ostendendo loca illa, quæ dicuntur à scribis esse correcta, in vulgata nostra editione ita haberi, ut ea correxisse dicantur scribæ. Unde si correctiones illæ sunt textus hebraici corruptiones, sequitur vulgatam nostram editionem esse corruptissimam, quam tamen ut authenticam versionem ab omnibus fidelibus susci pi vult Ecclesia. Ex dictis hactenùs habemus editionem hebraicam à Judæis studiosè depravatam non fuisse. Sed

Quæres, utrùm editio hebraica sit omninò pura & integra?

R. Cum Bellarmino loco citato, non esse omninò puram & integram, sed errores aliquos habere, qui irrepserunt partim imperitia vel negligentia librariorum, præsertim cùm ob magnam characterum similitudinem facile sit in hebræo errare; partim Rabbinorum ignorantia, à quibus addita sunt puncta, quique in illis notandis facilè à vero aberrare potuerunt; cùm verba hebræa, detractis punctis, variè legi possint, eaque proinde ante punctorum additionem variè potuerint legere; quin etiam potuerunt pro suo in Christianos odio interdùm eam lectionem magis probare, quæ minùs faveret Christianis.

Observat ibidem Bellarminus errores illos, quos habet textus hebræus, non esse magni momenti, & nihilominùs textum illum purum & integrum esse in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, ac plerumque totam discrepantiam variarum lectionum in quibusdam dictionibus, quæ aut parum, aut nihil sensum mutant, positam esse. Addit denique, errores, qui additione punctorum acciderunt, nihil omninò veritati officere; cùm extrinsecùs addita sint, & ita non mutent textum. Unde possumus si volumus, illa detrahere, & aliter legere.

ARTICULUS II.

De Editionibus græcis veteris Testamenti.

QUæritur 1. quot fuerint editiones græcæ veteris testamenti.

R. Novem numerantur communiter. Prima est ea, quam in Ægypto ediderunt septuaginta seniores Judæi. Secunda est Aquilæ, Adriano regnante. Fuit autem Aquila primùm Gentilis, deinde Christianus, demùm Judæus. Tertia est Theodotionis, imperante Commodo. Hic Theodotio ex hæretico Marcionita factus est Judæus. Quartam edidit Symmachus sub Severo imperatore. Symmachus autem fuit primùm Ebionita, secundùm aliquos; secundùm alios, Samaritanus, deinde Judæus. Quinta est innominati authoris, in doliis apud urbem Palestinæ reperta sub Imperatore Antonino Caracalla. Sexta est etiam authoris innominati, inventa quoque in doliis apud Nicopolim, regnante Alexandro Severo. Septima Origenis est, qui versionem LXX. Seniorum emendavit, multis ex Theodotionis versione admixtis, & stellæ radiantis signo notatis, multis etiam obelo seu veru fixis. Hanc Origenis editionem in Ecclesia valdè probatam fuisse colligitur ex Hieronymo, qui in epist. 89. ad Augustinum, omnes Christianorum bibliothecas repleviſse, & in præfat. in lib. 16. Isaiæ eam toto orbe dispersam esse, ac κοινὴν, hoc est, communem vocari solitam testatur. Octavam magno labore exaravit S. Lucianus presbyter, in Diocletiani & Maximiani persecutione coronatus martyrio. Hanc editionem propria martyris manu scriptam, Nicomediæ sub Constantino Magno apud Judæos in pariete inventam esse testatur Synopsis Athanasiana. Nona denique authorem habet Hesychium, à quo versio LXX. interpretum iterùm emendata est, & tradita Ecclesiis Ægypti.

Quæ-

Quæritur 2. quo tempore versionem suam ediderint septuaginta Interpretes.

R. Duplex est hac de re sententia. Prima sententia docet edidisse sub Ptolomæo Lagi filio, & est S. Irenæi lib. 3. adversus hæreses c. 25. & Clementis Alexandrini lib. 1. stromat. ad finem vergente. Secunda sententia docet edidisse sub Ptolomæo Philadelpho, qui Ptolomæo Lagi filio proximè successit. Hanc alteri sententiam facilè anteponimus, quia plures habet pro se patronos, Josephum scilicet lib. 12. antiquit. Jud. c. 2. Philonem lib. 2. de vita Mosis, Tertullianum in apol. c. 18. Epiphanium lib. de mens. & pond. &c. imò & testem oculatum, nempe Aristæum, qui hujus translationis historiam conscripsit. Hanc translationem anno Philadelphi tertio factam scribit Eusebius in chronico.

Quæritur 3. quos libros interpretati fuerint septuaginta seniores.

R. Septuaginta seniores interpretati sunt non solùm quinque libros Mosis, sed etiam reliquos omnes, quos hebræorum canon comprehendebat. *Prob. respons.* ex eo quòd Apostoli in citandis propheratum testimoniis usi sunt græca versione. Atqui tum temporis alia non erat sacrarum scripturarum græca versio præter versionem LXX. Seniorum. Ergo, &c.

Dices. Aristæus, Josephus & Philo solùm dicunt legem translatam fuisse à LXX. Senioribus. *R.* illos nomine legis intellexisse omnes libros sacros, hebræorum canone contentos; sicut postea intellexere Christus & Apostoli.

Dices. S. Hieronymus pluribus locis docet LXX. Seniores solùm Pentateuchum vertisse: nam sic loquitur in proemio quæstionum hebraicarum: *Josephus qui septuaginta Interpretum proponit historiam, quinque tantùm ab eis libros Moysi translatos refert.* Et in cap. 5. Ezechiel. *Quanquam & Aristæus, & Josephus, & omnis schola Judæorum quinque tantùm libros Moysi à* LXX. *translatos asserant.* Et in cap. 2. Michææ: *Interpretatio* LXX. *si tamen* LXX. *est: Josephus enim scribit, & Hebræi tradunt, quinque tantùm libros Moysi ab eis esse translatos . . . tantùm discordat, &c.*

R. 1. S. Hieronymum his locis non asserendo, sed subdubitando loqui, & hanc LXX. Seniorum versionem in suis in Prophetas commentariis passim interpretari, eam ut genuinum eorum opus supponendo. 2. Aristæum & Josephum, ut jam dictum est, nomine legis intellexisse omnem scripturam sacram. 3. Parvi faciendam esse hac in re Hebræorum sententiam, propter pravum eorum erga Christianos affectum. 4. In nostra esse sententia S. Justinum martyrem in dialogo cum Triphone, ubi Judæos insimulat, quòd de versione LXX. interpretum textus Esdræ, Hieremiæ, & Psalmorum eraserint; & S. Irenæum lib. 3. adversùs hæreses c. 25. ubi apertè significat LXX. Seniores eas omnes scripturas interpretatos esse, quas antea post captivitatem Babylonicam reparaverat Esdras; & S. Clementem Alex. lib. 1. stromatum, ubi scribit Ægypti Regem voluisse, *ut Hierosolymitani eas, quæ apud se erant, prophetias in sermonem græcum interpretarentur.* & S. Epiphanium lib. de mens. & pond. ubi expresè asserit, à LXX. Senioribus *libros viginti-duos, juxta alphabeti apud Hebræos ordinem numeratos, conversos esse.*

Quæritur 4. quomodo facta sit LXX. Seniorum interpretatio.

R. Pro certo habetur LXX. Seniores hebræos, utriusque linguæ, hebraicæ scilicet & græcæ peritissimos, ab Eleazaro pontifice ad Regem Ægypti Alexandriam missos, in Pharo insula, è regione Alexandriæ sita, septuaginta duorum dierum spatio scripturas sacras ex hebræo sermone in græcum transtulisse mirabili prorsus inter se consensione. At verò utrùm singuli in singulis cellulis inclusi fuerint, & sic utrùm singuli seorsim totam scripturam sacram iisdem planè verbis verterint, controvertitur inter veteres & recentiores.

Partem affirmantem docet S. Justinus martyr, qui in sua ad Græcos cohortatione narrat, Regem Ægypti *pari cum interpretibus numero domunculas extrui præcepisse, ut sigillatim pro se quisque interpretationem perficeret: illam quoque curam, qui operam eis dare jussi fuerant, mandatam, ut omnibus quidem modis ipsis inservirent, à congressu autem illos mutuò prohiberent; quo exquisita interpretationis veritas ex ipsorum etiam consensu cognosci posset; & cognito, septuaginta istos viros non solùm eadem sententia, verùm etiam eisdem esse verbis in translatione usos, ac ne una quidem dictione alium ab alio dissensisse... admiratione attonitum* (Ptolomæum) ..... *libros, ut par erat, exosculatum esse, &c.*

Hac facta narratione, sic statim prosequitur: *Hæc vobis, viri Græci, non ut fabulam, neque ut confictam historiam renunciamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domunculorum apud Pharum adhuc reliqua viderimus: ab incolis, qui res patrias à majoribus per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus.* Justinum sequuntur Irenæus libr. 3. adversus hæreses c. 25. Clemens Alex. lib. 1. stromatum; & Cyrillus Hieros. catech. 4. nec ab illis dissentit Epiphanius, lib. de mens. & pond. nisi quòd vult binos in singulis cellulis inclusos fuisse. Porrò verisimilitudine non caret, quod à Justino dicitur, Ptolomæum, quò certior esset de sinceritate interpretationis, vel etiam, ut dicitur ab Irenæo, veritum ne interpretes communi consilio veritatem occultarent, voluisse ut singuli seorsim opus molirentur.

Parti neganti præit S. Hieronymus in sua præfatione in Pentateuchum, ubi sic loquitur: *Nescio quis primus author septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi, eadem scriptitarint: cum Aristæas... & multò post tempore Josephus, nihil tale retulerint: sed in una basilica congregatos, contuliss scribant, non prophetasse: aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem: ibi spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit, transfert.* Hieronymi sententiæ ut probabiliori suffragatur Bellarminus, cum aliis recentioribus eruditis.

Huic sententiæ pondus magnum tribuit, 1. authoritas Aristæi, qui negotio interfuit, illiusque LXX. interpretum translationis historiam conscripsit, quem virum probum & doctum Eleazarus Pontifex in sua ad Ptolomæum epistola nominat, & ob modestiam Regi acceptissimum fuisse asserit Josephus, quemque verisimile non est circumstantiam cellularum reticere, imò & mentiri voluisse; cùm mendacio suo videret multùm elevari translationem illam, quam tamen inter alios maximè promoverat, ut idem Josephus testatur.

2. Authoritas Josephi: cellularum enim non meminit, sed potiùs contrarium scribit: nam ita narrat *Illi verò non parcentes labori, quàm poterant accuratissimè interpretabantur, usque horam nonam assidentes operi... manè autem regiam ingressi, salutato Rege, in eundem locum ad institutum negotium se referebant.* Quibus verbis apertè significat Josephus, interpretes in uno & eodem loco sedentes, simul interpretationi operam dedisse. Etenim, juxta Josephum, interpretes manè singulis diebus simul Alexandriam veniebant, & salutato Rege, simul redibant in eundem locum, ut ibi considentes ad nonam usque horam operi incumberent.

Confirmatur ex verbis subsequentibus. *Versione autem legis*, pergit Josephus, *intra septuaginta duos dies absoluta, Demetrius advocatis omnibus Judæis in locum, ubi versa fuerat, præsentibus etiam interpretibus, perlegit codicem, concio verò Seniorum interpretationem approbavit.* Juxta Josephum itaque, absoluta versione, Demetrius regiæ bibliothecæ præfectus, Judæos Alexandriæ degentes, & in librorum sacrorum lectione versatos, convocavit in basilicam illam, in qua facta fuerat translatio, & coram græcum codicem interpretum perlegit, quo audito, tota concio interpretationem comprobavit ut sinceram.

Nota. Unicus fuit, juxta Josephum, græcus codex Interpretum: at totidem fuissent quot erant interpretes,

pretes, si singuli in singulis cellulis seorsim interpretati fuissent. Item, juxta Josephum, Demetrius, versione absoluta, Judæos Alexandrinos convocavit, non ut cum illis conferret translationes à senioribus seorsim factas, sed ut coram eis legeret, & eorum examini subjiceret translationem à senioribus communiter factam.

3. Authoritas Eusebii lib. 8. de præparatione Evangelica cap. 1. ubi ex professo agens de LXX. seniorum translatione, nullam cellularum mentionem facit, nec Aristæi circa cellulas silentium arguit, sed hæc illius, quibus cellulæ referuntur, verba laudat: *Lectitata igitur, examinataque tractione* (omnes qui tunc aderant) *magna voce dixerunt: Quoniam probè ac sanctè divina scriptura traducta est, decens est, &c.* Cùm autem dicitur, *Lecta, examinataque tractione*, non verò, lectis & inter se collatis tractionibus, manifestè supponitur unicam fuisse, & omnibus interpretibus communem interpretationem.

4. Authoritas S. Hieronymi; quia omnia, quæ aliquatenùs ad scripturas divinas attinent, diligentissimè perscrutatus est. Ad ejus authoritatem accedit ratio, qua motus est, nec immeritò: nam LXX. seniores, Deo specialiter adjuvante, interpretatos esse negari non potest: quòd enim tanta tum in easdem sententias, tum in eadem verba contentione tam brevi tempore scripturas divinas ex hebræo in græcum transtulerint, sine speciali Dei adjutorio fieri non potuisse manifestum est. At quòd etiam Deo inspirante interpretati fuerint, videtur dici non posse: nam fuerunt interpretes, non prophetæ, seu scriptores sacri & inspirati. Atqui si vera est cellularum historia, necesse est LXX. seniores inspiratos fuisse etiam quoad omnia & singula verba, verborumque compositionem. Ergo, &c.

Pro hac etiam sententia citant Philonem recentiores: sed videtur nobis potiùs favere oppositæ sententiæ: Sic enim loquitur in lib. 2. de vita Mosis: *In eo secessu* (LXX. seniores) *cùm consedissent solitarii, nemine interveniente arbitro... tanquam numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter.* Quibus verbis Philo videtur non obscurè significare, LXX. Seniores fuisse etiam quoad singula verba à Deo inspiratos, & ita singulos, Deo inspirante, seorsim eandem & quoad sententias & quoad verba interpretationem scripsisse.

Denique Justino respondent, eum à Judæis, cellularum fabulæ fabricatoribus, deceptum, eique ruinas quasdam pro cellulis ostentatas: Irenæum verò, & veteres alios, qui Justinum secuti sunt, Justini bona fide errantis authoritate ac testimonio persuasos, cùm eo bona pariter fide errasse dicunt. Quantùm autem attinet ad Epiphanium, qui in sua sententia singularis est, cùm cæteri omnes vel nullas, vel septuaginta duas cellulas ponant; respondent eum vel non legisse Aristæum, sed aliis falsò referentibus credidisse; vel cùm librum de mens. & pond. scriberet, Aristæum præ manibus non habuisse, & memoria lapsum esse; demùm ut ut sit, cùm solus sit, fidem non mereri, sed aut nullas, aut septuaginta duas cellulas esse ponendas.

Non omittam hic S. Augustinum in primam sententiam valdè propendere lib. 2. de doctrin. Christ. c. 15. ubi sic loquitur: *Septuaginta interpretum, quod ad vetus testamentum attinet, excellit authoritas: qui jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui si, ut fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cùm interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris: quis huic authoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?* Sed lite sub judice relicta, ad aliam properamus quæstionem.

Quæritur ergo 5. utrùm LXX. seniores in textu hebræo in græcum transferendo, aliqua in re erraverint?

R. LXX. Seniorum interpretatio fuit numeris omnibus absoluta, neque eos in re aliqua lapsos esse, certissimè tenendum est.

Prob. Nam ita sentiunt Aristæus apud Eusebium lib. 8. de præp. Evang. c. 1. Philo lib. 2. de vita Mosis, Josephus lib. 12. antiq. jud. c. 2. Justinus in cohortatione ad Græcos, Irenæus lib. 3. cap. 25. Clemens Alex. lib. 1. strom. Epiphanius lib. de mens. & pond. Cyrillus Hieros. catech. 4. quibus adjungi possunt Hilarius prologo in Psalmos num. 8. Chrysostomus hom. 5. in Matth. & potissimùm Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. c. 15. ubi post verba proximè laudata, sic prosequitur: *Si autem contulerunt* (LXX. Seniores) *ut una omnium communi tractatu judicioque vox fieret, nec sic quidem quenquam unum hominem qualibet peritia ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet.* Ergo, &c.

Confirmatur. Quia tantum opus à tot hominibus tanta consensione tam brevi tempore perfici non potuit sine aliquo miraculo, & specialissima Spiritus sancti assistentia. Unde in memoriam tanti prodigii, in loco in quo interpretatio facta est, per multa sæcula festus dies singulis annis actus est; cùm adhuc ageretur tempore Philonis, ut ipse testatur lib. 2. vitæ Mosis. *Quamobrem* inquit, *hodieque solemnis celebritas renovatur in Pharo insula, ad quam non tantùm Judæi, sed & alii plurimi trajiciunt, locum veneraturi in quo primùm visa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recente, acturi Deo gratias.* Atqui LXX. seniores cum tali Spiritus sancti assistentia, quam etiam in eis omnes quos citavimus agnoscunt, non potuisse non rectè ex omni parte transferre, manifestum est. Ergo, &c.

Obj. S. Hieronymus, cujus utpotè in scripturis, earumque versionibus omnibus versatissimi, authoritas & testimonium omni exceptione majora sunt, videtur esse in oppositæ sententia, atque sensisse quòd LXX. Seniorum interpretatio, etiam qualis ab eis edita est, in multis textui hebræo discors fuerit, ut

Prob. Nam 1. dicit LXX. Seniores, cùm transferrent, propriæ industriæ & eruditioni relictos fuisse. *Nescio quis primus auctor*, inquit præfat. in Pentateuchum, *septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit: quibus divisi eadem scriptitarint: cùm Aristæus... & multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint: sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem: ibi spiritus ventura prædicit; hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit transfert.*

2. Et ita LXX. Seniores humanitùs labi potuisse, & re ipsa identidem lapsos esse; nisi malimus dicere, quod absit, Apostolos aliquando mentitos esse, aliqua citando testimonia ut Scripturam sacram, quæ non erant scriptura sacra. *Aut aliter*, inquit ibidem, *de eisdem libris per septuaginta interpretes, aliter per Apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit: ut quæ illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint:* nam in Evangelistarum & Apostolorum libris *multa de veteri testamento legimus, quæ in nostris codicibus* (quibus LXX. seniorum interpretatio continetur) *non habentur, ut est illud:* Ex Ægypto vocavi filium meum: &, Quoniam Nazaræus vocabitur: &, Videbunt in quem compunxerunt, &c. Præterea, *ubicumque sacratum aliquid scriptura testatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omninò tacuerunt.* Adde quòd, cùm interpretati sint ante adventum Christi, *quod nesciebant, dubiis protulere sententiis.*

Verum quidem est S. Hieronymum prudenti LXX. seniorum œconomiæ attribuere, quòd aliqua prætermiserint. *Neque verò*, inquit procem. in quæst. hebr. lib. Genes. *septuaginta interpretum... errores arguimus... cùm illi Ptolomæo Regi Alexandriæ mystica quædam in scripturis sanctis prodere noluerint, & maximè ea, quæ Christi adventum pollicebantur; ne viderentur Judæi & alterum Deum colere.* At hoc non

tam

tam ex propria, quàm Judæorum LXX. seniores excusantium mente dicit, ut patet ex præfat. in Pantateuchum, ubi sic loquitur: *Causas erroris non est meum exponere. Judæi prudenti factum dicunt esse consilio: ne Ptolomæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet, &c.* Quare inferiùs dicit, eos fuisse puros interpretes, adeòque errori obnoxios, & *quòd nesciebant dubiis protulisse sententiis.* Præterea, cum hac prudenti œconomi manet semper LXX. seniorum interpetrationis dissonantia cum textu hebræo.

R. 1. Opponendo Hieronymo Aristæum, Philonem, Josephum, Justinum martyrem, Iræneum, &c. Unius Philonis verba hic exscribam. *Sive Chaldæus* (Chaldæum ponit pro Hebræo, propter idiomatum affinitatem, nisi tamen hic sit error librariorum) *græcam linguam, sive Græcus chaldæam didicerit, in utraque scriptura tum chaldaica, tum ejus interpretatione, miratur germanitatem, imò rerum verborumque consonantiam adorat, non interpretes illos, sed initiatores & prophetas appellans, quibus datum est sincerissimas Mosis* (& aliorum scriptorum sacrorum) *cogitationes assequi spiritu purissimo.*

R. 2. Opponendo Hieronymum Hieronymo: nam sic ait præfat. 1. in lib. Paralipp. *Si septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in græcum versa est, editio permaneret, superflue me chromati . . . impelleres, ut hebræa volumina latino sermone transferrem . . . . Nunc verò cùm pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria* (LXX. interpretum) *& germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata; nostri arbitrii putas, &c.* Ecce S. Doctor agnoscit LXX. Seniorum interpretationem non puram, & ut ab eis in græcum versa fuerat, sed corruptam atque violatam suo tempore extitisse: Quare ergo errores, quos tunc habebat illa translatio, non corruptoribus atque violatoribus, sed illius authoribus impingit? An non corruptores & violatores hujus interpretationis eam corrumpere & violare potuerunt, eradendo alia, alia verò supperaddendo?

Præfat. 2. in eundem librum loquens de hæbræis nominibus, quæ novem primis capitibus continentur, hæc habet: *Liberè vobis loquor: ita in græcis & latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam hebræa, quàm barbara quædam, & sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit. Nec hoc septuaginta interpretibus, qui Spiritu sancto pleni, ea quæ vera fuerunt* (nomina) *transtulerant, sed scriptorum culpæ ascribendum.* At si LXX. interpretes fuerunt Spiritu sancto pleni ad hoc ut hebræa nomina, quod parùm vel non multùm intererat, rectè transferrent, qua verisimilitudine dici possunt non fuisse Spiritu sancto pleni ad alia, quæ majoris, imò maximi erant momenti, rectè fideliterque trasferenda? E si supponuntur ad hoc etiam fuisse pleni Spiritu sancto, quo pacto factum est, ut nominibus hebræis rectè translatis, alia non rectè fideliterque transtulerint?

Præfat. 1. S. Doctor asserit LXX. interpretum translationem *nascentis Ecclesiæ roborasse fidem*, adeòque ad id idoneam fuisse. At quomodo ad id idonea fuit, si interpretes ea quæ ad Christi adventum & divinarum Personarum trinitatem attinent, & in hebræo habentur, consultò suppresserant? Sed ex occasione data, sic adhuc argumentor. Hebræarum scripturarum translatio a LXX. interpretibus ante adventum Christi facta est divino consilio, nimirum ut per eam nascentis Ecclesiæ fides roborari posset. Ergo si LXX. interpretes pleni fuerunt Spiritu sancto maximè ad rectè fideliterque ttansferenda ea quæ attinebant ad divinarum Personarum trinitatem, & Christi adventum, divinitatem, aliaque ejus mysteria, & quorum suppressio consilio divino repugnabat. Hinc

R. 3. Septuaginta seniores fuisse quidem interpretes, non vates, adeòque non fuisse inspiratos quomodo inspirati fuerunt omnes sacri scriptores: alioqui non puram scripturæ sacræ interpretationem, sed scripturam sacram condidissent, quod est falsum. At habuerunt specialem, imò specialissimam Spiritus sancti ad rectè fideliterque interpretandum assistentiam; cùm pleni Spiritu sancto interpretari fuerint, ut dicit ipsemet Hieronymus. Cum tali autem Spiritus sancti assistentia rectè fideliterque omnia interpretatos esse negari non potest, propter authoritatem Hieronymi, quæ certè nec evidenti rationi, nec longè antiquiorum scriptorum, Aristæi scilicet, Philonis, Josephi, Justini, Irenæi, Clementis Alex. &c. authoritati prævalere non debet.

Neque verò ex eo quòd LXX. seniores dicuntur rectè fideliterque interpretati esse omnia, sequitur Apostolos mentitos esse, cùm aliqua testimonia citarunt ut scripturam sacram, quæ tamen non legebantur in editione LXX. seniorum tempore Hieronymi: nam testimonia illa habentur in hebræo, ut ostendit S. Hieronymus in sua in Pentateuchum præfatione; nec mirum est quòd non legerentur in editione LXX. seniorum, qualis tempore Hieronymi extabat; cùm tunc non esset pura, & ut ab eis in græcum versa est, sed corrupta atque violata, ut diserte Hieronymus asserit in prima præfat. in lib. Paralip. & præfat. in Esdram, ubi sic loquitur: *Si quis septuaginta vobis opposuerit interpretes, quorum exemplaria veritas ipsa lacerata & universa demonstrat; nec potest utique verum asseri, quod diversum est; mittite eum ad Evangelia, in quibus multa ponuntur quasi de veteri testamento, qua apud septuaginta interpretes non habentur.* Quis autem hoc justè mirabitur, vel ipsis imputabit interpretibus; cùm exemplaria omnia tunc temporis lacerata essent & inversa, ut ipsa varietas illorum exemplarium demonstrabat?

At inquies. Testimonia illa, de quibus loquitur Hieronymus, in nullis exemplaribus LXX. interpretum legebantur Hieronymi tempore. Ergo quod abfuerint, ipsis interpretibus, non eorum editionis corruptoribus ascribendum est. *R.* 1. Quòd testimonia illa in nullis exemplaribus LXX. interpretum legerentur, quis scit? Certè hoc nescivit, nec scire potuit Hieronymus; cùm omnium quæ tunc extabant exemplarium, copiam nec habuerit, nec habere potuerit. 2. Supposito quòd in omnibus tunc temporis exemplaribus editionis LXX. interpretum deessent illa testimonia, dico id factum esse vel negligentia aut imperitia exscriptorum, vel potiùs malitia Judæorum, qui in odium Christi & religionis christianæ jam ante medium secundi sæculi ex LXX. interpretum versione multa, quibus Christi divinitas aliaque ejus mysteria probari poterant, loca eraserant, ut testis est omni exceptione major Justinus martyr in suo cum Tryphone dialogo; vel denique partim oscitantia aut ignorantia exscriptorum, partim Judæorum malitia.

Quæritur 6. utrùm etiam nunc habeamus germanam LXX interpretum translationem,

R. Triplex est hac de re sententia. Prima est eorum qui tenent versionem LXX. interpretum penitùs interiisse. Sed hæc sententia est omninò improbabilis: nam prorsùs incredibile est quòd versio quæ ab exordio christianæ religionis ad usque tempora Hieronymi & Augustini & celeberrima communissima fuit in tota Ecclesia, tota exciderit, & alia ejus loco conservata sit: imò hæc sententia est evidenter falsa; cùm multa testimomia ex LXX. interpretum versione a veteribus citata, eadem in nostris codicibus græcis inveniantur.

Secunda sententia extrema est, & contendit versionem LXX. interpretum etiam nunc puram esse atque integram, si tamen excipias primorum Patriarcharum chronologiam, & aliqua alia quæ parvi momenti sunt. Duplici autem potissimùm ratione ducitur. 1. Ecclesia græca ab Apostolorum tempore hactenùs hac versione utitur, eamque semper summa cura summoque studio ut germanam scripturam conservavit. Ergo vel etiam nunc versio LXX. interpretum pura est & integra, vel celeberrima Ecclesia, quæ tot doctissimos Ecclesiæ Patres peperit, sanam & integram scripturam non habet amplius. 2. Sixtus V. versionem LXX. interpretum studio Cardinalis Carafæ Apostolici Bibliothecarii anno 1582. ex antiquissimo Bibliothecæ

Vati-

Vaticanæ codice editam, solemniter approbavit. Ergo, &c.

Tertia sententia media est, quam tenet Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 6. ubi docet versionem LXX. interpretum adhuc extare, sed valdè vitiatam in pluribus locis: ita ut jam tutum non sit hebraicos vel latinos textus emendare ex codicibus græcis. Hoc autem potissimùm probat, 1. ex eo quòd hæc versio, cujus absolutissima fuit cum textu hebræo consonantia, ut testantur Aristæus, Philo, & alii antiquissimi scriptores fide digni, nunc pluribus locis ab hebræo dissentiat, multa non habeat quæ sunt in textu hebræo, multa habeat quæ non habet textus hebræus; quod norunt omnes utriusque linguæ, hebraicæ & græcæ periti, & in utriusque textus lectione versati; alii verò discere possunt à Hieronymo. 2. Ex eo quòd hæc versio multas habeat sententias quæ cum veritate cohærere non possunt, ut ostendit inductione.

Ad 1. autem secundæ sententiæ argumentum respondetur, si Ecclesia græca nunc puram & integram habet scripturæ interpretationem, Ecclesiam latinam non habere, nisi valdè corruptam: nam si versio LXX. interpretum, qualis nunc extat, pura & integra est, paucis exceptis, quæ parvi sunt momenti, textus hebræus corruptissimus est, & ita corruptissima est vulgata nostra editio, quæ, excepto Psalterio, cum hebræo magis convenit, quàm cum græco. Videant igitur, utrùm malint apud Ecclesiam græcam, quæ tota ferè in schisma & hæresim prolapsa est, an apud Ecclesiam latinam quæ apud se habet summum Pontificem, & longè maxima pars est veræ Ecclesiæ, esse puram & integram scripturæ sacræ interpretationem?

Præterea, cum illo Ecclesiæ græcæ in versione LXX. interpretum servanda studio, hæc versio etiam in rebus magni momenti depravata fuit primis Ecclesiæ sæculis, ut constat ex Justino martyre, & ex eo quòd tunc sæpiùs emendata fuit: non enim emendatione indiget, nisi quod depravatum est. Item ad usque Hieronymi ætatem pervenire non potuit, nisi corrupta, violata, lacerata, inversa, ut testatur ipse Hieronymus; quis scit illam pristinæ puritati & integritati restitutam esse? Quis credet illam ab eo tempore per mille & trecentos annos puram & integram permanere potuisse, quantacumque in ea servanda Ecclesiæ græcæ cura fuisse supponatur?

Ad secundum argumentum respondetur, falsum esse, quòd Sixtus V. hanc versionem ut puram & integram sanctione sua approbarit: solùm enim editionem Cardinalis Carafæ cura factam approbavit, ut utilem ad latinæ vulgatæ editionis & veterum Patrum intelligentiam, simulque prohibuit, ne quis privata authoritate eam ulterius corrigere præsumeret. *Volumus*, inquit *& sancimus ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem, ut vetus græcum testamentum juxta Septuaginta, ita recognitum & expolitum, ab omnibus recipiatur, ac retineatur, quo potissimum ad latinæ vulgatæ editionis, & veterum sanctorum Patrum intelligentiam utantur; prohibentes ne quis de hac nova editione audeat in posterum vel addendo, vel demendo, quicquam immutare.* Potest autem hæc editio quam procuravit Cardinalis Carafa, ad vulgatæ nostræ editionis & veterum Patrum intelligentiam utilis esse, & simul pluribus in locis vitiosa.

Veritas hujus nostræ responsionis confirmatur ex dedicatoria Cardinalis Carafæ ad Sixtum V. epistola, in qua editionem promittit, non quæ pura sit & integra LXX. seniorum interpretatio, sed solùm quæ *ad Septuaginta interpretationem, si non toto libro, majori certè ex parte, quàm proximè accedat.* Talis autem editio potest adhuc à puritate & integritate versionis LXX. interpretum multùm abesse; neque eam approbare Sixtus V. dici potest, nisi ut *ad septuaginta interpretationem* juxta correctorum judicium, *si non toto libro, majori certè ex parte quàm proximè accedentem*, atque hoc pacto ad intelligentiam vulgatæ nostræ editionis latinæ & veterum sanctorum Patrum utilem futuram.

Quæritur 7. quo primùm sermone conscripti fuerint libri deutero-canonici veteris testamenti.

R. 1. Probabile est Ecclesiasticum hebraico, & librum Sapientiæ græco sermone à scriptore sacro conscriptos fuisse: de illis enim sic loquitur Hieronymus præfat. in libros Salomonis: *Fertur & Panæretos Jesu filii Sirach liber, & alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem hebraicum reperi . . . secundus apud hebræos nusquam est, quin & ipse stylus græcam eloquentiam redolet.* 2. Libri Tobiæ & Judith conscripti fuerunt caldæo sermone, ut expressè Hieronymus affirmat de primo in sua præfat. in librum Tobiæ, & de secundo in præfat. in librum Judith. 3. Probabile est librum primum Machabæorum conscriptum fuisse hebraicè: secundus verò græcè conscriptus fuit: de utroque enim sic loquitur Hieronymus in Prologo galeato: *Machabæorum primum librum hebraicum reperi. Secundus græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.*

ARTICULUS III.

De Editione græca novi Testamenti.

QUæritur 1. qua lingua libri novi Testamenti à suis authoribus conscripti fuerint?

R. 1. Matthæus Apostolus hebraicè composuit Evangelium suum pro Hebræis, ut tradit S. Irenæus lib. 3. adversùs hæreses c. 1. *Matthæus*, inquit, *in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam.* Et post eum Hieronymus in catal. script. eccl. in Matthæo, ubi hæc habet: *Matthæus qui & Levi ex Publicano Apostolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit, quod quis postea in græcum transtulerit, non satis certum est.* Translatum fuisse à Jacobo Apostolo qui frater Domini dictus, & primus Hierololymorum Episcopus ab Apostolis constitutus, dicitur in synopsi Athanasiana.

2. Reliquas novi Testamenti partes ab Apostolis Evangelistis quorum nomina in fronte gerunt, græco sermone conscriptas fuisse exploratum est, exceptis tamen Evangelio Marci, & Epistola ad Hebræos. Nam 1. aliquo moderni scripserunt Evangelium Marci à Marco primùm Romæ scriptum esse latino sermone, & postea ab eodem Aquilejæ in græcum esse translatum. 2. Epistolam ad Hebræos hebraicè à Paulo scriptam fuisse, ut probabilius, insinuat Hieronymus in catal. in Paulo: *Scripserat autem*, inquit, *ut Hebræus Hebræis hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, ut ea quæ eloquenter scripta fuerant in hebræo, eloquentiùs verterentur in græcum, & hanc causam esse quòd à cæteris Pauli Epistolis discrepare videatur.*

Quæritur 2. utrùm editio græca novi Testamenti sit pura & integra.

R. Non est omninò pura, sed in eam errores aliqui saltem librariorum negligentia irrepserunt: ita ut tutum non sit semper latina ex græcis corrigere. Ita tenet Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 7. & aliquot exemplorum inductione probat. Addit plurimis græcis codicibus multas veræ scripturæ partes deesse, ut initium capitis 8. Evangelii Joannis, ultimum caput Marci, versiculum 7. cap. 5. Epist. 1. Joannis, *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* Item quædam esse in omnibus codicibus græcis, quæ non sunt partes veræ scripturæ; ut illud, *Quia tuum est regnum & potentia, & gloria in sæcula*, quod additur orationi Dominicæ Matth. cap. 6.

ARTICULUS IV.

De latinis Editionibus Scripturæ sacræ, & Vulgatæ nostræ authore.

QUæritur 1. quot olim fuerint latinæ editiones scripturæ sacræ.

R. Ver-

R. Versiones scripturæ sacræ è græco in latinum penè innumerabiles olim fuerunt. *Prob.* 1. ex S. Hieronymo præfat. in Josue. *Cum apud Latinos*, inquit, *tot sint exemplaria, quot codices: & unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel substraxerit, quòd ei visum est.* 2. Ex S. Augustino lib. 2. de doctrina christian. c. 11. ubi hæc habent: *Qui scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt linguam, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utrinsque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*

Porrò inter illas penè innumerabiles editiones latinas, fuit una communior, quia & cæteris omnibus præstantior, quam S. Hieronymus nominat *Vulgatam editionem* in comment. in cap. 14. Isaiæ; S. Augustinus *Italam* lib. 2. de doctrina christ. cap. 15. ubi sic de ea loquitur: *In ipsis autem interpretationibus, Itala cæteris præferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ;* & Gregorius magnus *veterem translationem* in sua ad Leandrum Episcopum epistola in expositionem libri Job.

Quæritur 2. utrùm S. Hieronymus libros proto-canonicos veteris Testamenti in latinum sermonem converterit, & quoties.

R. S. Hieronymus bis in latinum convertit libros proto-canonicos veteris Testamenti, primùm scilicet ex græco LXX. interpretum, & iterum ex hebræo.

Prob. 1. *pars* ex apolog. 2. Hieronymi adversùs Ruffinum, ubi sic ait: *Translationem* (LXX. interpretum) *diligentissimè emendatam, olim meæ linguæ hominibus dedi* (utique latino sermone, ut significant hæc verba, *meæ linguæ.*) Et ex prima ejusdem præfatione in Job, in fine, ubi hæc habet: *Utraque autem editio, & septuaginta juxta græcos, & mea juxta hebræos, in latinum meo labore translata est, eligat unusquisque quod vult.* Et ex prima ejusd. præfat. in lib. Paralip. *Cæterùm*, inquit, *memini editionem septuaginta translatorum olim de græco emendatam tribuisse me nostris* (Latinis, adeoque latino sermone.) 2. *Pars prob.* ex Hieronymi catalogo script. eccl. extremo, ubi ita de se ipso loquitur: *Novum Testamentum græcæ fidei reddidi; vetus juxta hebraicam transtuli.* Et ex omnibus illius in libros illos præfationibus.

Quæritur 3. utrùm S. Hieronymus etiam in latinum verterit libros deutero-canonicos veteris Testamenti.

R. S. Hieronymus libros Tobiæ & Judith è chaldæo in latinum vertit sermonem, ut patet ex ejus in libros illos præfatiunculis. Quod reliquos spectat, librum scilicet Sapientiæ, Ecclesiasticum, & Machabæorum primum & secundum, omninò dicendum videtur, eos ab Hieronymo in latinum nunquam fuisse translatos. Nam 1. nullibi asserit, aut etiam innuit se libros illos transtulisse. 2. Nullæ illius in libros illos extant præfationes, & tamen libris omnibus quos transtulit, præposuit præfatiunculas, ut ipse testatur in epistola 89. ad Augustinum, quæ est inter Augustinianas undecima, & in qua sic loquitur: *Quod genus interpretationis in scripturis sanctis sequendum sit ... omnes præfatiunculæ divinorum voluminum quas editioni nostræ præposuimus, explicant.*

Confirmari potest responsio nostra ex præfatiunculis in libros Tobiæ & Judith, ex quibus constat Hieronymum penè invitum, nec nisi ut duorum Episcoporum à quibus enixè rogatus fuerat, desiderio satisfaceret, primum librum transtulisse; neque ad secundum transferendum adduci potuisse, nisi *quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse.* Alios igitur, cùm translationis eorum tanquam ab eo factæ nullum extet vestigium, velut apocryphos, & quorum proinde, ut verbis ejus utar præfat. in lib. Judith, *authoritas ad roboranda illa quæ* (circa fidem) *in contentionem veniunt, minùs idonea* judicabatur, prætermisisse credendus est. Quod adhuc

Confirmatur ex eo quòd libros illos Cyprianus Hieronymo longè antiquior, tantùm non de verbo ad verbum citet, quales nunc habemus in vulgata nostra editione, librum quidem Sapientiæ in lib. de exhortatione martyrii, & alibi; Ecclesiasticum in lib. de mortalitate, & alibi; primum & secundum Machab. in libro tertio ad Quirinum. Non ergo librorum illorum translationem, qualis extat in vulgata nostra editione, Hieronymo attribuere possumus. Sed nec quòd liberos illos ipse quoque transtulerit, ejusque translatio exciderit, unde possimus conjicere, non habemus. Ergo, &c.

Quæritur 4. utrùm S. Hieronymus è græco in latinum verterit novum Testamentum.

R. 1. Hieronymus quatuor Evangelia latina codicum græcorum collatione emendavit. Patet ex ejus in Evangelistas ad Damasum præfatione, in qua hæc scribit: *Hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantùm Evangelia, quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, codicum græcorum emendata collatione, sed veterum; quæ ne multùm à lectionis latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantùm, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant.*

2. Hieronymus præter quatuor Evangelia, reliquam etiam omnem scripturam novam, tam deutero-canonicam, quàm proto-canonicam, quæ canone nostro continetur, græcorum codicum collatione emendasse dicendus est. Nam reliquam omnem illam scripturam novam tanquam sacram & divinam suscepit, ut patet ex catalogo script. eccl. & in eod. catal. de se ipso dicit: *Novum Testamentum græcæ fidei reddidi*; & epist. 89. ad Augustinum, eum sic alloquitur: *Si me, ut dicis, in novi Testamenti emendatione suscipis, quia plurimi, &c.* Unde sic argumentor. Novi testamenti nomine comprehenduntur non solùm quatuor Evangelia, sed etiam omnes aliæ scripturæ novæ partes canonicæ. Ergo Hieronymus non solùm quatuor Evangelia emendavit, sed etiam omnem reliquam scripturam novam quam ipse ut canonicam suscipiebat. Atqui ut canonicam suscipiebat omnem illam scripturam novam quæ canone nostro continetur. Ergo, &c.

3. Emendatio novi Testamenti facta ab Hieronymo, talis & tanta fuit, ut pro nova translatione habita fuerit. Patet ex Augustino, qui in sua ad Hieronymum epistola numero decima, sic eum alloquitur: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quòd Evangelium ex græco interpretatus es, quia penè in omnibus nulla offensio est, cùm scripturam græcam contulerimus.*

Porrò quanta emendatione indigeret novum Testamentum latinum, cùm illud emendandum suscepit Hieronymus, certò conjicere licet ex ejus ad Damasum in Evangelistas præfatione, in qua sic ait: *Tot sunt exemplaria penè, quot codices ... Cur non ad græcam originem revertentes, ea quæ vel à vitiosis interpretibus malè reddita, vel à præsumptoribus imperitis emendata perversius, vel à librariis dormitantibus aut addita sunt, aut mutata, corrigimus?* Et inferiùs: *Magnus hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio quia minùs putaverint, addiderunt; vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille qui unum è quatuor primum legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque existimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos mixtæ sint omnia, & in Marco plura Lucæ & Matthæi; rursùm in Matthæo plura Joannis & Marci, & in cæteris reliquorum quæ aliis propria sunt, inveniantur.*

ARTICULUS V.

Quis sit author vulgatæ nostræ editionis latinæ.

Responsio prima. In nostra Vulgata habemus omnes novi Testamenti partes ex versione quam emendavit S. Hieronymus.

Prob. Nam S. Hieronymus jussu Damasi Pontificis emendavit latinam novi Testamenti versionem anti-

antiquam, Italam profectò, quæ cæteris communior & præstantior erat, sed quam librariorum oscitantia, & sciolorum temeritas variis in locis corruperat. Patet ex S. Doctoris in Evangelistas ad Damasum præfatione. *Novum opus*, inquit, *me facere cogis ex veteri: ut post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam: & quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum græca consentiant veritate decernam.*

Prætera hæc Hieronymiana emendatio, ubi primùm in lucem prodiit, ab utriusque linguæ, græcæ & latinæ peritis, facta illius cum græcis collatione, comprobata est, & à Catholicis cum plausu suscepta, ut colligitur ex Augustini epistola decima quæ est ad Hieronymum, & cujus verba jam superiùs citavimus. Ergo dubium esse non potest latinam novi Testamenti versionem, qualis emendata est ab Hieronymo, tunc temporis, promotore Damaso Pontifice, obtinuisse in tota Ecclesia latina. Quòd autem postea rejecta fuerit, & alia ejus loco substituta, nec apparet, nec credibile est. Ergo, &c.

Confirm. Quia multa loca, quæ variis locis reprehendit S. Hieronymus, nunc in nostra vulgata editione habemus ita correcta, ut ipse dicit esse corrigenda, ut facta inductione probat Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 9. Ergo signum est, nos in vulgata nostra editione latinam novi Testamenti versionem habere, quam & qualem correxit Hieronymus.

Dices. At sunt etiam multa alia loco, quæ in Vulgata nostra non sunt correcta, ut Hieronymus affirmat esse corrigenda. *R.* Hieronymum in latina novi testamenti versione non correxisse omnia, quæ judicavit esse corrigenda. Patet ex præfatione ad Damasum. *Ita*, inquit, *calamo temperavimus, ut his tantùm quæ sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant.* Addi potest Hieronymum ex locis illis, quæ, antequam latinæ novi testamenti versionis emendationem aggrederetur, judicaverat esse mutanda, aliqua mutanda non esse postea judicasse, cùm huic emendationi operam dedit.

R. secunda. Libros Sapientiæ, Ecclesiasticì, & primum ac secundum Machabæorum in vulgata nostra editione habemus non ex Hieronymi, sed ex antiquissima ignoti authoris versione. Patet ex Cypriano, qui versionem hanc citat locis a nobis supra indicatis. Præterea, libros illos ab Hieronymo non fuisse translatos probavimus.

Nota pro sequenti responsione. Circa Psalterium multoties laboravit Hieronymus. 1. enim stranstulit illud ex pura versione LXX. Interpretum, qualis scilicèt extabat in Hexaplis Origenis. Patet ex ejus ad Suniam & Fretellam epistola, ubi loquens de LXX. Interpretum editione, qualis in Hexaplis reperiebatur, sic ait: *A nobis in latinum sermonem fideliter versa est.* 2. Transtulit illud ex hebræo. Patet ex ejus epistola ad Sophronium, qui cum ad Psalterii ex hebræo translationem invitat, & cui sic respondet: *Impulsus à te, cui & quæ possum debeo, & quæ non possum, rursum me obtrectatorum latratibus tradidi, maluique te vires potius meas, quàm voluntatem in amicitia requirere.* 3. Illud ab antiquo authore ex communi & vulgata editione græca translatum, bis emendavit, semel quidem Romæ, & semel in Palestina. Patet ejus in Psalterium ad Paulam & Eustochium præfatione, ubi sic loquitur: *Psalterium Romæ dudum positus emendaram .... quod quia rursum videtis .... scriptorum vitio depravatum, pluspque antiquum errorem, quàm novam emendationem valere: me cogitis, &c.* Tum iterius hanc Psalterii translationem, quam bis emendavit, non esse ex pura LXX. interpretum editione, adeoque ex communi & vulgata editione græca esse, apertè significat, cùm ait, eam aliqua habere, quæ non habentur, & aliqua non habere quæ habentur apud LXX. interpretes. Pro quò.

Nota iterum. Confundenda non est editio græca, quæ communis & vulgata, & Luciana vocabatur, cum editione LXX. interpretum, quæ reperiebatur in Hexaplis Origenis. *Sciatis*, inquit Hieronymus, epist. ad Sun. & Fratell. *aliam esse editionem, quam Origenes, & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ tractatores κοινὴν, id est, communem appellant, atque vulgatam, & à plerisque nunc Λουκιανὴν dicitur*, (sane quia à S. Luciano martyre emendata fuerat) *aliam septuaginta interpretum, quæ & in ἑξαπλοῖς reperitur, & à nobis in latinum sermonem versa est, & Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur.*

Utriusque autem editionis discrimen exponit paulò inferiùs his verbis: *κοινὴ autem ista, hoc est, communis editio, ipsa est, quæ & septuaginta. Sed hoc interest inter utramque, quòd κοινὴ pro locis, & temporibus, & pro voluntate scriptorum veterum corrupta editio est. Ea autem quæ habetur in ἑξαπλοῖς, & quam nos vertimus, ipsa est, quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata, septuaginta interpretum translatio reservatur.* Cum igitur Hieronymus in sua ad Paulam & Eustochium præfatione dicit, in Psalterio, quod bis emendavit, aliquando plùs, aliquando verò minùs haberi, quàm in septuaginta translatoribus, illud non ex septuaginta translatorum, sed ex communi & vulgata græca editione esse translatum, apertè dicit. His suppositis sit

R. tertia. In vulgata nostra editione habemus Psalterium ex antiqua translatione, cujus author ignoratur, & quam emendavit S. Hieronymus.

Prob. ex epistola ad Suniam & Fratellam. Nam in hac epistola, 1. agitur de Psalterio, quod commune erat in omnibus Ecclesiis latinis, & in toto Occidente decantabatur, ut apertè colligitur ex his verbis: *Quæritis à me rem magni operis, & majoris invidiæ: in qua scribentis non ingenium, sed eruditio comprobetur: ut dum ipse cupio de cæteris judicare, judicandum me omnibus præbeam: & in opere Psalterii ... ubicumque inter latinos, Græcosque contentio est, quid magis Hebræis conveniant, significem.* Certè Psalterium, cujus causa latinos omnes attingebat, non poterat non esse psalterium apud omnes latinos receptum & usitatum.

2. Agitur de Psalterio non recens, sed antiquitus translato, & ab Hieronymo emendato: nam v. g. ad hunc versiculum psalmi 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*; pro quo in græco scribitur ... *Glorificabit me*: sic ait S. Doctor: *Noluimus immutare, quod ab antiquis legebatur: quia idem sensus erat.* Et ad istum psalmi 104. *Edidit terra eorum ranas*, ubi juxta græcum dicendum esset: *Ebullivit terra eorum ranas*, hæc habet: *In hoc nulla est in sensu mutatio: & nos antiquam interpretationem sequentes, quod non nocebat, mutare noluimus.*

3. Agitur de Psalterio non ex LXX. interpretum, sed ex communi & vulgata editione græca translato: agitur enim de antiqua psalterii translatione, quam emendavit Hieronymus. Atqui antiqua psalterii translatio, quam emendavit Hieronymus, facta est non ex pura LXX. interpretum, sed ex communi & vulgata editione græca, quam sub finem tertii sæculi emendavit Lucianus martyr, & idcircò quarto sæculo Luciana cœpit nuncupari, ut colligimus ex ejus in Psalterium ad Paulam & Eustochium præfatione. Ergo, &c. Ex his autem

Sic argumentor breviter. In epistola Hieronymi ad Suniam, & Fratell. agitur de antiqua Psalterii translatione, quam Hieronymus emendaverat. Atqui in vulgata nostra editione habemus illam psalterii translationem, de qua agitur in dicta epistola: nam in ea citantur ex omnibus psallmis, paucis exceptis, versiculi translationis illius, qui in vulgata nostra editione sunt omnes, aut ferè omnes, ut citantur, vel emendantur a S. Hieronymo. Ergo, &c. Habemus igitur in vulgata nostra editione psalterium, non illud quod ex hebræo, aut illud, quod ex græco LXX. interpretum transtulit Hieronymus, sed illud, quod olim ex communi & vulgata editione græca ab ignoto authore translatum, bis à se emendatum testatur in sua ad Paulam & Eustochium in psalteriun præfatiuncula. Porrò psalterium, quod ex græco LXX. interpretum Hieronymus verterat, excidit: illud verò, quod vertit ex hebræo, extat adhuc inter ejus o-

pera,

peta, & quidem ferè ubique, saltem quoad verba, a vulgatæ nostræ psalterio diversum.

R. quarto. Reliquas omnes veteris testamenti partes in vulgata nostra editione latina habemus ex translatione ab Hieronymo ex hebræo facta.

Prob. Ex S. Gregorio, qui lib. 22. expositionis moralis in Job c. 23. interpretans hæc verba, *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi*, hæc scribit: *Longè ab hac sententia vetusta translatio dissonat, quia quod in ea de Deo dicitur, hoc in illa de adversariis ac persecutoribus memoratur. Sed tamen quia hæc nova translatio ex hebræo nobis arabicoque eloquio cuncta veriùs transfudisse perhibetur, credendum est quidquid in ea dicitur: & oportet, ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur*. De hac utraque translatione sic locutus fuerat in sua ad Leandrum episcopum præfatione c. 5. *Novam translationem differo, sed ut comprobationis causa exigit: nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo: ut quia sedes Apostolica, cui authore Deo præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur*.

Magni igitur Gregorii tempore, Ecclesia Romana duplici veteris testamenti translatione utebatur, quarum una erat ex hæbræo, & vocabatur nova: altera verò erat ex græco, & vetus, ex eo quòd alia longè antiquior esset, nuncupabatur. Utraque autem sic utebatur Ecclesia Romana, ut novam veteri longè anteponeret, eò quòd cuncta veriùs transfudisse constanter perhiberetur. Ergo prorsus incredibile est, quòd nova post Gregorii tempora neglecta fuerit, & vetus hactenùs servata; sed firmissimè tenendum est, veterem neglectam fuisse, & tandem excidisse; novam verò retentam & servatam. Unde

Sic breviter argumentor. In vulgata nostra editione habemus novam illam veteris testamenti ex hebræo translationem, qua Gregorii Magni tempore utebatur Ecclesia Romana, & quæ alteri quæ dicebatur vetus, longè anteponebatur, eo quòd perhiberetur cuncta veriùs transfudisse. Atqui nova illa veteris Testamenti ex hebræo translatio alia esse non potest, quàm Hieronymiana. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. S. Hieronymus vetus Testamentum transtulit ex hebræo in latinum. 2. Nullum id post eum tentasse, in confesso est apud omnes. 3. Quòd etiam nullus ante eum id fecerit, apertè colligitur ex ejus in veteris Testamenti libros præfationibus, ex quibus liquet ei ab æmulis crimini datum esse, quòd vetus Testamentum ex hebraico in latinum sermonem vertendum suscepisset: quod facere ausi profectò non essent, si alius ei in scripturis ex hebræo in latinum transferendis præivisset.

Præterea contra obtrectatores suos, cum publicè lacerantes, quasi LXX. interpretes damnaret, ejusque interpretationem ut illorum reprehensionem criminantes, numquam se defendit facto alteriùs, qui hebræum textum latinum reddiderit, sed exemplo Origenis, præf. in libros regum, qui *in editione Septuaginta, Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans, quæ minùs fuerant, & virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita*. Sic enim statim prosequitur: *Si igitur aliis licuit non tenere quod semel susceperunt, & post septuaginta cellulas, quæ vulgo sine auctore jactantur, singulas cellulas aperuere, hocque in Ecclesiis legitur, quod Septuaginta nescierunt; cur me non suscipiant latini mei, qui inviolata editione veteri, ita novam condidi ut laborem meum Hebræis, quod his majus est, Apostolis authoribus comprobem?*

Item defendit se exemplo Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, qui hebræum textum græcum fecerunt, nec tamen idcircò reprehenduntur, sed è contra recipiuntur, & leguntur à Græcis. *Quòd si apud Græcos*, inquit præfat. 1. in lib. Job. *post Septuaginta editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, & Symmachus ac Theodotio judaizantes hæretici, sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, & tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud Ecclesias, & explanantur ab ecclesiasticis viris: quanto magis ergo christianus, & de parentibus christianis natus, & vexillum crucis in mea fronte portans... vel à fastidiosis, vel à malignis lectoribus non debeo reprobari*. Cùm autem sic semper ad Græcos, nunquam ad Latinos recurrit, ut excusset quòd post græcam LXX. interpretum versionem, ipse latinam ausus sit aggredi, manifestè significat ante ipsum ex Latinis neminem fuisse, qui idem molitus fuerit. Sed

Confirmatur resp. 1. In codicibus nostris habemus præfationes omnes, ab Hieronymo libris, quos ex hebræo in latinum vertit, præfixas. Ergo habemus etiam ipsos libros ex hebræo in latinum ab Hieronymo versos: quò enim hactenùs permanserint præfatiunculæ, quas editioni suæ ex hebræo præfixit Hieronymus; ipsa verò editio exciderit; adeòque quòd negleto opere, præfatiunculæ studiosè hactenùs conservatæ fuerint, credibile non est.

2. Hieronymus in sua ad Pammachium de optimo genere interpretandi epistola, loca multa affert a se aliter, quàm à septuaginta interpretibus translata, quæ in nostra vulgata habemus, ut ille transtulit. Item in traditionibus hebraicis in Genesim loca quæ aliter, quàm à LXX. interpretibus translata fuerunt, transferri debuisse notat, in vulgata nostra editione sunt, ut ea docet esse transferenda. Item loca multa, quæ præf. in Pentateuchum dicit esse in hebræo, & à se in editione sua translata, sed in LXX. interpretum editione, & ejus latina versione non haberi, vulgata nostra legimus iis in libris, in quibus ea ponit. Item in libris Hester & Danielis, quos habemus in vulgata nostra, sunt annotatiunculæ Hieronymi asserentis se plena fide expressisse eaquæ in hebræo habentur; & admonentis modò, reliqua se scripta reperisse in editione vulgata, quæ græcum lingua & litteris continetur; modò, reliqua se Theodotionis editione transtulisse.

3. In vulgata nostra editione habemus libros omnium Prophetarum ex hebræo, quos exposuit S. Hieronymus, adeòque quos ipse ex hebræo vertit: quòd enim versionem alteriùs, quàm propriam, maluerit exponere, dici non potest. Præterea satis superque constat, neminem ante eum scripturas ex hebræo transtulisse. Item in vulgata nostra habemus Hieronymianam Ecclesiastis versionem ex hebræo: habemus enim Ecclesiastis versionem, quam Hieronymus in suo in librum hunc commentario in sinistra columna descripsit. Hanc autem interpretationem à Septuaginta diversam, ex hebræo & ab Hieronymo factam esse apertè colligitur ex eo quòd eam in commentario suo descripserit, & in præfatiuncula commentario præfixa, Ecclesiastis librum à se ex hebræo admoneat esse translatum. At si in vulgata nostra habemus libros illos omnes ex editione ab Hieronymo facta ex hebræo, alios quoque ex eadem editione nos habere, cui dubium esse potest?

ARTICULUS VI.

Utrùm aliquid ex iis quæ ad rectè interpretandas scripturas, earumve interpretationes emendandas, necessaria sunt, desideratum sit in S. Hieronymo.

Responsio.

IN S. Hieronymo eximio fuere ea omnia, quæ ad scripturas in rectè interpretandas, earumve interpretationes emendandas necessaria sunt.

Prob. Nam 1. habuit exemplaria tum hebraica tum græca emendatissima. 2. Peritissimus fuit trium linguarum, hebraicæ, græcæ & latinæ. 3. Maximam tum in vertendo, tum in emendando diligentiam, maximumque laborem adhibuit. 4. Tanta, quanta desiderari poterat, tum in vertendo, tum in emendando, fidelitate usus est. 5. Ingenio præstantissimus, & scientiis tam divinis, quàm humanis, instructissimus fuit. Ergo, &c.

Prob. 1. *pars ant.* authoritate S. Augustini, & ipsiusmet S. Hieronymi. Sic enim loquitur S. Augustinus

lib. 2.

lib. 2. de doctrin. christ. c. 15. *Libros novi Testamenti, si quid in latinis varietatibus titubat, græcis cedere oportere non dubium est, & maximè qui apud Ecclesias doctiores & diligentiores reperiuntur.* Et c. 11. *Latinæ quidem linguæ homines... duabus aliis ad scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebræa scilicet & græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas.*

Similia scribit S. Hieronymus in sua ad Suniam & Fretellam epistola. *Sicut autem*, inquit; *in novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum: ita in veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad hebraicam recurrimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* Cùm autem Hieronymus & Augustinus simpliciter dicunt, in dubiis consulendos esse ipsos fontes hebræos & græcos, manifestè supponunt & significant tunc temporis copiam fuisse exemplarium hebræorum veteris, & græcorum novi Testamenti, quæ pura essent atque integra: non enim dicerent esse recurrendum ad exemplaria, quæ vel leviter suspicarentur esse corrupta & adulterata.

Prob. 2. pars ant. ex S. Augustino lib. 18. de civ. c. 43. ubi sic ait: *Quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex græco, sed ex hebræo in latinum eloquium easdem scripturas converterit. Sed ejus tantum litterarum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem; septuaginta verò interpretes in multis errasse contendant: tamen, &c.* Et ex S. Isidoro, lib. 6. originum, cap. 4. *Presbyter quoque Hieronymus*, inquit, *trium linguarum peritus, ex hebræo in latinum eloquium easdem scripturas convertit, eloquenterque transfudit, cujus interpretatio merito cæteris antefertur: nam est & verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior.*

Præterea quanta fuerit in Hieronymo peritia linguæ hebraicæ, probat coævorum ipsi Judæorum judicium, qui illius, quamvis hominis christiani, interpretationem ex hebræo, lxx. interpretum versioni unanimiter antepositerunt, ut patet ex Augustino loco citato. Quanta fuerit in Hieronymo peritia linguæ græcæ, probat plausus, quo statim in Ecclesia latina recepta fuit correctio novi Testamenti, ab eo facta ex fontium græcorum collatione. Quanta denique in Hieronymo peritia fuerit linguæ latinæ, probat in scriptis ejus omnibus eloquii puritas & elegantia. Unde singularis admodùm modestiæ est, quod de se ipso ait præfat. in Esdram: *Hebræa linguæ saltem parvam habemus scientiam, & latinus nobis utcumque sermo non deest.*

Prob. 3. pars ant. 1. ex S. Augustino epist. 19. ad Hieronymum, ubi sic eum alloquitur: *Majus aliquid expeto à benignitate virium tuarum prudentiaque tam docta, & otiosa, annosa, studiosa, ingeniosa diligentia.* Quibus verbis mirum in modum commendat Hieronymi, non modò prudentiam & doctrinam, sed etiam diligentiam, & laboris tolerantiam. Voeat autem diligentiam ejus otiosam, hoc est, minimè impeditam per curas, quibus solent distrahi in sæculo, qui rebus temporalibus addicti sunt, aut in Ecclesia, qui aliis præsunt.

2. Ex ipsomet Hieronymo epist. 4. quæ est ad Rusticum monachum, & in qua quantis sudoribus linguam hebraicam didicerit, eleganter describit his verbis: *Cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi; ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, & contentione discendi rursus incœperim; testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quàm eorum qui mecum duxerunt vitam.* At si tantùm laboris ac diligentiæ tam constanter insumpsit in addiscenda lingua hebraica, quis ambiget eum fuisse diligentissimum, nullique labori pepercisse in interpretandis scripturis hebraicis, præsertim cùm ad summam diligentiam eum exstimularent rei gravitas, verbi divini reverentia, christianæ religionis utilitas, & æmulorum atque invidorum caninis eum, ut ipse ait, dentibus rodentium rabies? Solent enim invidorum dicteria hominis studium accendere, eumque ad ea quæ facit, attentiùs diligentiùsque facienda urgere atque compellere.

Prob. 4. pars ant. Nam maximam ejus in interpretando, interpretationeve emendando fidem & probitatem probat sanctitas eximia, ob quam ab Ecclesia universa in Beatorum, quibus cultum publicum exhibet, catalogum relatus est; veritatis ac religionis amor, quem spirant ejus opera; doctrinæ sinceritas, cùm nullius unquam erroris suspicione laboraverit, sed semper hæreticorum capitalis extiterit hostis; & securitas quædam, qua in versionis suæ ex hebræo veritate probanda, non semel ad Rabbinos, Christiani nominis hostes infensissimos, provocavit, quod certum fuit bonæ conscientiæ testimonium. Adde, quod magnum est non modò diligentiæ, sed etiam sinceritatis argumentum, aliqua quæ in versione sua posuerat, reprehendit postea, atque emendavit.

Quintam denique partem ant. evidenter probant sancti Doctoris opera, in quibus & eximia vis ingenii, & summa eruditio, atque rerum pene omnium, tum prophanarum, tum divinarum notitia elucent. Sed Erasmum, in S. Hieronymi operibus versatissimum, cujus testimonium novatoribus suspectum esse non debet, audiamus de S. Doctoris laudibus differentem in sua ad Guillelmum Cantuariensem nuncupatoria epistola.

Cæterorum quidem, inquit, *alios alia commendant dotes. In hoc uno eximium fuit, quidquid in aliis per partes miramur. Et cùm in singulis egregium esse, magnum sit & rarum; sic excelluit in omnibus, ut longè præcurrat in singulis, si illum cum cæteris conferas; sin ipsum secum componas, in nullo præemineat: tanta est rerum omnium summarum temperatura! Etenim si naturæ fœlicitatem expendas, quid illius ingenio, vel ardentius ad discendum, vel acrius ad judicandum, vel fœcundius ad inveniendum?*

Sin doctrinam exigas, quæso te, quem habet eruditissima Græcia sic absolutum in omni doctrinæ genere, ut cum Hieronymo sit committendus? Quis unquam pari fœlicitate omnes toties eruditionis partes conjunxit & absolvit? Quis unquam in tot linguis antecelluit unus? Cui tanta historiarum, tanta Geographiæ, tanta Antiquitatis notitia contigit unquam? Quis unquam sacrarum ac prophanarum omnium litterarum & parem & absolutam scientiam est assecutus.

Sin memoriam examines, quis author seu vetus seu novus, quem ille non in promptu habuerit? Quis angulus divinæ scripturæ, quid tam abditum, quid tam varium, quod ille non velut in momento habuerit?

Sin industriam, quis unquam tantum aut evolvit, aut scripsit voluminum? Quis sic universam divinam scripturam edidicit, imbibit, concoxit, versavit, meditatus est? Quis æquè sudavit in omni doctrinæ genere?

Jam si morum sanctimoniam spectes, quis Christum spirat vividiùs? Quis docuit ardentiùs? Denique quis eum vita magis expressit? Poterat hic unus pro cunctis sufficere Latinis, vel ad vitæ pietatem, vel ad theologicæ rei cognitionem, si modo integer & incolumis extaret. Hoc autem B. Hieronymi encomio, quod ex Erasmi calamo expressit veritas, dotes ad absolutissimum interpretem sufficientissimas, comprehendi nemo non videt.

Obj. 1. Si tantam trium linguarum, hebraicæ, græcæ, & latinæ peritiam habuit Hieronymus, quare tot solœca, barbara, impolita, illatina reperiuntur in vulgata nostra editione, cujus Hieronymus partim author, partim emendator fuit? Quòd plurima ejusmodi menda sint in vulgata nostra editione, observarunt & probarunt novatores multi.

R. 1. Novatores imitari gentiles, qui, ut Patres testantur, libros nostros sacros irridebant, eò quòd in illis sermo incultus esset & impolitus, imò & solœcismis atque barbarismis inquinatus esset, eoque nomine christianos contemnebant.

R. 2. Multa in vulgata nostra editione tanquam solœcismos & barbarismos perperam reprehendi ab aliquibus novatoribus; cùm sint optima & maximè latina. Quòd si qui tamen in vulgata nostra editione sunt solœcismi & barbarismi, immeritò imputantur B. Hieronymo: sed vel irrepserunt negligentia, aut imperitia librariorum: vel in libris quos emendavit B. Hieronymus, ab eo manere permissi sunt graves ob causas, ob quas etiam post B. Hieronymi tempora illos manere permisit Ecclesia.

Addo solœcismos & barbarismos illos, si qui reperiuntur in vulgata nostra editione, non obstare, quin summa in suo genere eloquentia polleat, & mirabilem ad permovendos animos habeat energiam. Comptam atque calamistratam sermonis novitatem præoptent novatores, sectentur dictionum flores & lenocinia: orationis gravitas, perspicuitas, simplicitas, & quadam cum majestate conjuncta antiquitas, inculta licèt, ut videtur novatoribus, & impolita, quas dotes in vulgata nostra editione agnoscit, quisquis æquus rerum æstimator est, nobis sufficiunt.

Obj. 2. Si tantam hebraicæ linguæ peritiam habuit, quare vulgata nostra editio tam sæpe dissentit ab hebræo textu?

R. 1. Vulgatam nostram editionem in aliquibus speciatenùs dissentire, hoc est, quibusdam videri quòd dissentiat ab hebræo; vel quia, ut observat Serrarius noster, sæpe hebræarum vocum significatio multiplex est, & unus unam significationem eligit, alius verò aliam; vel quia interdùm unius vocis hebraicæ significationes omnes unus aliquis locus admittit, vel quia vis & usus vocis latinæ non sunt satis perspecta, & ita malè putatur vocem latinam non satis assequi & exprimere vim vocis hebraicæ; vel quia hebraicarum vocum vis non est satis cognita, eò quòd de illa consuluntur recentiores hebræi, seu hebræoli, eorumque judicio, dictionariis, & commentariis fides habetur. Hebræis autem recentioribus plurimarum vocum hebraicarum significationem obscuram aut etiam ignotam esse docent eruditi multi. Multis igitur & variis de causis fieri potest, ut quibusdam Hieronymi translatio videatur ab hebræo discrepare in aliquibus, in quibus re ipsa non discrepat, sed cum illo consentit.

R. 2. Cum utriusque linguæ peritis, vulgatam nostram editionem in aliquibus ab hebræo dissentire, nec inde sequi, quòd Hieronymus aliquando malè verterit. Ratio est, quia textus hebræus, qualis nunc extat, non est purus & integer: quare dico textum hebræum iis in locis, in quibus ab eo dissentit vulgata nostra corruptum esse, & Hieronymum habuisse meliora & correctiora exemplaria, quibus planè consona fuit ejus interpretatio, quæ proinde iis etiam in locis, in quibus à textu hebræo, qualem nunc habemus, discrepat, originali scripturæ concors est.

Porrò textus hebræus in aliquibus locis vitiatus est, vel oscitantia aut inscitia librariorum: quod facilè contingere potuit propter maximam plurimarum litterarum hebraicarum in figura similitudinem; unde maximè pronum est unam litteram pro altera, & ita unam vocem pro altera voce exscribere; nec in libris hebraicis exscribendis errata omnia vitari possunt sine magna diligentia & linguæ peritia: vel imperitia, aut malitia Massoretharum; si verum est, quod multi docent eruditi, Massorethas textui hebræo puncta & interpunctiones non nisi post Hieronymi mortem addidisse: nam sine absolutissima linguæ hebraicæ scientia, facilè potuerunt aliquando in punctis & interpunctionibus addendis errare, non bene legendo; & cum absolutissima linguæ hebraicæ scientia, potuerunt ex pluribus ejusdem loci lectionibus eam anteponere, quæ falsis eorum præjudiciis magis faveret.

DISPUTATIO III.

De authentia veteris & vulgatæ editionis latinæ.

Nota, Authentia græcè idem est, quod authoritas latinè. Unde editionem aliquam authenticam esse, & authoritatem habere, unum & idem sunt; & quia editio aliqua eatenùs authoritatem habet, quatenùs fidem meretur; unum & idem sunt editionem aliquam authenticam esse, & fidem mereri.

Nota iterùm. Authentia editionis seu versionis (editionis enim nomine hìc versionem alicujus scripturæ originalis intelligimus) duplex distinguenda est, intrinseca scilicet & extrinseca. Authentia intrinseca est versionis conformitas cum scriptura originali quoad res & sententias ab hujus scripturæ authore expressas. Authentia extrinseca, qualem hìc intelligimus, est legitima & infallibilis declaratio conformitatis, quam habet versio cum scriptura originali.

Nota 3. Authentia intrinseca potest esse sine extrinseca, & non vicissim; nam versio aliqua potest esse conformis scripturæ originali, nec tamen ut talis declarari per legitimam & infallibilem authoritatem. At declaratio conformitatis cum scriptura originali, facta per authoritatem infallibilem, cadere non potest nisi in versionem verè conformem cum originali scriptura, cujus est interpretatio.

Nota 4. Authentia intrinseca est ab interprete, qui rectè & fideliter scripturam originalem transfert: extrinseca verò non potest esse nisi ab Ecclesia, quæ sola legitimam simul & infallibilem habet authoritatem declarandi versionum conformitatem vel difformitatem cum scriptura originali. Denique per authentiam intrinsecam versio est authentica quoad se, vel, si vis, simpliciter authentica est, seu apta ad fidem faciendam: per extrinsecam verò est authentica quoad nos, hoc est, certò & infallibiliter nobis innotescit ut scripturæ originali conformis, adeòque fide digna, & authentica.

Nota 5. Vulgatam nostram editionem latinam pro authentica habendam non esse, in eaque innumerabiles errore deprehendi, magno consensu tenent novatores, Lutherani scilicet, Zuingliani, Anabaptistæ & Calvinistæ, cum aliquo tamen inter se dissensu: nam Lutherani volunt Lutheri versionem, & quidem solam, habendam esse pro authentica: reliqui verò nullam esse versionem authenticam, nec ad unam aliquam versionem Ecclesiam esse alligandam contendunt. Sed contra illos vulgatam nostram editionem ut infallibiliter authenticam defendunt Doctores catholici omnes; quamvis de ejus authentiæ latitudine non omninò inter se consentiant.

ARTICULUS I.

Utrùm vulgata nostra editio latina habeat authentiam, tum intrinsecam, tum extrinsecam.

Responsio I.

Vulgata nostra editio latina habet authentiam intrinsecam.

Prob. Illa versio est intrinsecè authentica, quæ scripturæ originali conformis est quoad res & sententias à scriptore sacro expressas. Atqui vulgata nostra editio scripturæ originali, cujus est interpretatio, conformis est quoad res & sententias à scriptoribus sacris expressas. Ergo, &c. Major patet ex 2. notabili.

Prob. min. 1. De libris veteris Testamenti, ex hebræo translatis ab Hieronymo, authoritate Gregorii magni, lib. 20. expos. mor. in Job, c. 23. ubi Hieronymi ex hebræo translationem, quam novam vocat, veteri seu Italæ translationi anteponit, eò quòd tunc temporis eam cuncta meliùs transfudisse, constans

esset

esset omnium sententia, disertisque verbis asserit *credendum esse quidquid in ea dicitur*.

Authoritate S. Isidori, lib. 6. originum, cap. 4. ubi scribit Hieronymi ex hebræo translationem cæteris omnibus, adeòque etiam illi, quæ tunc vetus & Vulgata vocabatur, anteferri, eò quòd longè excellat cæteris omnibus: quanti tamen versio Itala, antequam suam ex hebræo edidisset Hieronymus, fieret in Ecclesia latina, facilè colligitur ex verbis Augustini, lib. 2. de doct. christ. cap. 15. ubi affirmat eum cæteris omnibus, quæ tunc temporis infinito penè numero circumferebantur, anteponendam esse quòd præstaret illis omnibus.

Suffragio Judæorum, qui eadem ætate qua Hieronymus, vixerunt, & suo calculo comprobarunt ejus ex hebræo translationem, confitendo illam esse veracem, hoc est, archetypo consonam; cùm simul, quod observandum est, ipsos lxx. interpretes, in multis erraſse contenderent; ut patet ex Augustino, lib. 18. de civit. cap. 43. Quare Judæi illi Hieronymianam versionem lxx. interpretum versione meliorem esse ingenuè agnoscebant.

Conscientia ipsius interpretis, qui non semel in suis præfatiunculis ad ipsos Hebræos, infensissimos Christiani nominis hostes, provocare non veretur. Nam sic ait in præfat. in Pentat. *Quid livore torqueris? Quid imperitorum animos contra me concitas? sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos; diversarum urbium magistros consule.* Et in præfat. in lib. Reg. *Si incredulus es, lege græcos codices & latinos, & confer cum his opusculis quæ nuper emendavimus, & ubicumque inter se discrepare videris, interroga quemlibet Hebræorum, cui magis accommodare debeas fidem.* Et præfat. in lib. Paralip. *Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos ..... & tunc nostro labori, si potuerit, adhæreat.* At quis tantæ sanctitatis ac modestiæ visum nimiæ confidentiæ reum postulavit. Quis credet hominem singulari prudentia præditum, sese incertæ Judæorum fidei commissurum fuisse, nisi veritatem translationis suæ exploratissimam habuisset? Judæi interpretationem Hieronymi examinarunt diligenter, & cum textu hebræo collatam fassi sunt veracem esse, imò & lxx. seniorum interpretatione meliorem. Dicemusne Hieronymi famæ plus studuisse, quàm veritati, & homini extraneo, atque vel ob solum Christiani nomen sibi invisо maximè, plus quàm suis, prodita veritate indulsisse?

Ex cassis obtrectatorum Hieronymi conatibus: nam ad detrahendum ejus interpretationi, eamque apud omnes infamandam, nihil non moliti sunt; & tamen statim cum plausu excepta fuit in Ecclesia latina, atque primùm Italæ, quæ tunc sub nomine veteris vulgatæ circumferebatur, & manibus omnium terebatur, æquiparata; tum postea ita prælata, ut sola incolumis permanserit, æmula prorsus neglecta, & vermibus tradita.

Ex dotibus denique interpretis: nam concurrerunt in Hieronymo omnia ad puram & veram translationem necessaria, ut apertè colligitur ex dictis disp. 2. art. ultim. & adhuc breviter ostenditur. Ad puram & veram translationem tria sufficiunt, nempe incorrupta exemplaria scripturæ interpretandæ, utriusque linguæ, hoc est, & illius ex qua, & alterius, in quam fit translatio, perfectissima notitia; & industria atque studium, quantis opus fuit, posita. Atqui Hieronymus 1. habuit integerrima textus hebræi exemplaria, ut ex eodem Hieronymo & Augustino aliàs ostendimus, & facilè concedunt eruditi, qui magno inter se consensu tenent, non nisi post Hieronymi & Augustini tempora depravatum fuisse textum hebræum. 2. Habuit absolutissimam utriusque linguæ, hebraicæ scilicet & latinæ notitiam, ut à nobis suo loco probatum est, & adhuc probari posset ex catholicorum Doctorum unanimi consensu. Pro omnibus hìc unus sit Salmero proleg. 3. de can. script. ubi sic de Hieronymo loquitur: *Quem Deus singulari rerum divinarum atque humanarum doctrina instruxit, & linguarum trium* (hebraicæ, græcæ & latinæ) *peritia ad miraculum usque ornavit.* Addo ex heterodoxorum castris Davidem Chytræum in onomastico hæc de Hieronymo scribentem: *Hieronymus hebræo simul, & graio latioque venustus eloquio, morum exemplar, mundique magister.* 3. Denique ab Hieronymo tantum industriæ, tantumque studii in transferendo positum esse, quantum poni humanitùs ambigere non sinunt ejus religio eximia, summa verbi divini reverentia, tanta ad studium & meditationem, quanta non fuit major unquam, propensio, & nunquam exhausta laboris patientia.

Prob. min. 2. De libris novi Testamenti, ab Hieronymo emendatis, ex facto Damasi summi Pontificis, doctrina pariter & sanctitate celebris, qui Hieronymo latinæ novi Testamenti editionis emendandæ onus imposuit: non enim tantum Pontificem tanti momenti provinciam, nisi viro ad id exequendum maximè idoneo demandaturum fuisse, omninò credendum est.

Ex Augustini testimonio: nam epist. 10. ad Hieronymum sic eum alloquitur: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quòd Evangelium ex græco interpretatus es, quia pene in omnibus nulla offensio est, cum scripturam græcam contulerimus.* Illud autem, *pene in omnibus nulla offensio est*, innuit, non Hieronymum aliquando in emendatione sua à vero aberrasse, sed, quod aliud est, aliquid Augustino circa emendationis illius veritatem superfuisse difficultatis, quod hominis veteris, qualis eatenùs extiterat, editionis lectioni assueto contigisse, quis mirabitur?

Ex omnibus ad bonam emendationem in eo qui illud in se onus suscipit, requisitis, quorum nihil Hieronymo defuit. Nam 1. Hieronymus habuit integra græci textus exemplaria. 2. Utriusque linguæ, græcæ scilicet & latinæ peritissimus fuit. 3. Tantam ab eo diligentiam, quanta ad rectam emendationem opus fuit, adhibitam fuisse, probant ejus probitas, fides, religio. Ergo, &c.

Prob. min. 3. De tota Vulgata. Translatio illa scripturæ originali conformis est, quam ut talem universa recipit Ecclesia: nam si in re tanti momenti errare potest Ecclesia, malè dicitur ab Apostolo 1. ad Timoth. cap. 3. *Columna & firmamentum veritatis*; & falsa est illa Christi promissio, Matth. cap. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Atqui universa Ecclesia, solis heterodoxis reclamantibus, vulgatam nostram editionem ut germanam originalis scripturæ interpretationem recipit, de quo nemo dubitat. Ergo, &c.

Ampliùs. Ecclesia à Gregorii magni tempore hactenùs vulgatam nostram editionem, rejectis aut saltem neglectis omnibus aliis versionibus, ut germanam scripturæ originalis interpretationem habuit. Ergo vel vulgata nostra editio scripturæ originali conformis est, vel Ecclesia hactenùs per mille annos & ampliùs caruit germanæ scripturæ originalis translatione, gravissimèque erravit, spuriam & falsam scripturæ originalis interpretationem pro vera & germana habendo. Secundum repugnat evidenter Apostolo, Ecclesiam vocanti *columnam & firmamentum veritatis*, atque ipsimet Christo promittenti portas inferi adversùs eam nunquam esse prævalituras, seque ei defuturum nunquam, cùm ait Matth. cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Ergo, &c.

Prob. ant. hujus argumenti ex Patribus & Doctoribus, qui à Gregorii magni tempore floruerunt in Ecclesia, Isidoro scilicet, Beda, Rabano Mauro, Anselmo, Bernardo, Hugone Victorino, Thoma Aquinate, &c. Nam Beda sæculo octavo, Rabanus nono, Anselmus undecimo, Bernardus & Hugo duodecimo, & Thomas decimo tertio, aliquos vel omnes vulgatæ nostræ libros expositerunt. Ante illos autem sæculo septimo scripserat Isidorus lib. 1. de officiis c. 12. Hieronymi ex hebræo editione, quam certè vulgata nostra editio ut majorem sui partem complectitur, *generaliter omnes Ecclesias usquequaque uti.*

Responsio II.

Vulgata noſtra editio habet etiam authentiam extrinſecam.

Prob. Editio illa habet authentiam extrinſecam, cujus conformitas cum ſcriptura originali declarata eſt per legitimam & infallibilem authoritatem, ut patet ex ſecundo not. Atqui vulgatæ noſtræ editionis conformitas cum Scriptura originali per legitimam & infallibilem authoritatem declarata eſt, ut patet ex ſeſſ. 4. Synodi Tridentinæ, ubi dicitur: *Inſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam reiicere, quovis prætextu, audeat vel præſumat.* Ergo, &c.

Porrò contra hoc Synodi Tridentinæ decretum ferociter grunniunt Kemnitius pro Lutheranis, & pro Zuvinglianis Calvinus, quia nimirùm ſi valet hoc decretum, de Lutheranis & Zuvinglianis actum eſt; cùm eos apertè damnet vulgata noſtra; quod agnoſcit Kemnitius, cùm ait, Tridentinum Concilium ideò voluiſſe vulgatam editionem eſſe authenticam, quia tota transformata eſt ad dogmata pontificia. Sed ut illis obſtruatur os, ſit

ARTICULUS II.

Reſpondetur iis quæ contra ſecundam noſtram aſſertionem objiciuntur.

Objicies cum hæreticis. Hoc Tridentini Concilii decretum nullius eſt authoritatis. Ergo, &c. *R.* neg. ant. quod intolerabilem continet errorem. Nam 1. hoc decretum legitimum eſt: ſicut enim veras ſcripturæ originalis interpretationes à falſis diſcernere, ita & quænam pro veris & germanis habendæ ſint ſtatuere, pertinet ad Eccleſiam. 2. Hoc decretum errori obnoxium eſſe non poteſt: alioquin Eccleſia non eſt columna & firmamentum veritatis, & portæ inferri adversùs eam prævalere poſſunt.

Prob. tamen *ant.* 1. Hoc decretum eſt inutile: quid enim utilitatis ſperari potuit ex eo, quòd vulgata editio cæteris omnibus anteponeretur, & præ cæteris omnibus authentica declararetur? 2. Eſt imprudens: nam nulla potuit eſſe ratio ſufficiens vulgatam editionem cæteris omnibus anteponendi, illamque præ cæteris omnibus authenticam declarandi; cùm innumerabiles errores habeat, ſæpiſſimè à primigenio textu diſſideat, multa obſcurè interpretur, quædam prætermittat, quædam adjiciat. 3. Eſt abſurdum: cùm enim approbat vulgatam editionem, ſimul infinita, quibus ſcatet, menda probat. 4. Eſt iniquum: nam meram interpretationem ipſis fontibus hebræis & græcis anteponit. Ergo, &c. *R.* neg. ant. quoad omnes partes.

Ad primam autem dico, quòd una aliqua verſio præ cæteris omnibus certam habeat authoritatem in Eccleſia, perutile eſſe, imò & neceſſarium, ad quietandos animos, & lites quibus fides in periculum adducitur, impediendas, aut ſaltem dirimendas: nam ex multitudine verſionum æqualis aut penè æqualis authoritatis, facilè orirentur controverſiæ fidei periculoſæ; & cum illa verſionum æqualis aut penè æqualis authoritatis multitudine, ortæ controverſiæ dirimi non poſſent, unis unam, & aliis aliam verſionem obtendentibus; aut certè non poſſent, niſi ad fontes hebræos vel græcos recurrendo, quod moleſtiſſimum eſſet, imò & vix poſſibile; cùm ii, quorum eſt fidei controverſias decidere, nulli aut ferè nulli ſint, qui linguam hebraicam, & pauci qui græcam calleant.

Hac in re ſuffragantur nobis etiam inter novatores plurimi, qui verſionum multitudinem improbant, & ab illa fidei periculum imminere agnoſcunt, atque fateri coguntur è re Eccleſiæ eſſe, unam aliquam verſionem præ cæteris authoritatem habere, cui omnes acquieſcere teneantur. Unum pro omnibus audiamus Bezam in præfat. novi Teſtamenti. *Quàm neceſſe ſit*, inquit, *in Eccleſia Dei extra emendatam ſacrarum noſtrarum tabularum latinam interpretationem* (quæ ſcilicet ab omnibus recipiatur, & authoritatem ſola obtineat) *non eſt, quod pluribus conemur oſtendere, cum de eo nemo poſſit dubitare, quin ſeſe pietati ac religioni chriſtianæ inimicum eſſe profiteatur.* Hinc in eadem præfat. vult Reges ac Principes *nihil habere antiquius, quàm ut utriuſque Teſtamenti interpretatio ſemel ederetur, cujus, quoad fieri poſſet, ſacra & inviolata eſſet authoritas.*

Porrò quod Beza volebat à Regibus & Principibus fieri, nec tamen ab eis factum eſt, imò nec fieri potuit, cùm negotium hoc, non ſæculari, ſed ſoli eccleſiaſtico foro obnoxium eſſe poſſit; legitima & ſuprema, velint nolint heterodoxi, authoritate præſtitit Synodus Tridentina, non quidem novam verſionem, quali minimè opus fuit, procudendo, ſed antiquiſſimam ab authore præſtantiſſimo elaboratam partim, partim emendatam, à Patribus, aliiſque doctis ac ſanctis viris, quotquot poſt Gregorii magni tempora floruerunt, expoſitam vel laudatam, à Conciliis generalibus in rebus fidei citatam, longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia Dei probatam, novatoribus, eo tantùm nomine, quòd eorum errores apertè damnaret, inviſam, pro authentica habendam eſſe; irretractabili judicio decernendo, ſimulque præcipiendo, ut à librariorum mendis accuratiſſimè expurgaretur, quod procurantibus ſummis Pontificibus, executioni mandatum eſt à viris omni eruditionis genere inſtructiſſimis, in urbem accitis.

Ad ſecundam partem dico, Tridentinæ Synodo vulgatam noſtram editionem cæteris omnibus anteponendi, eamque præ cæteris omnibus authenticam declarandi rationem ſufficientiſſimam fuiſſe eam quam affert in ſuo decreto, nempe quòd hæc editio longo plurimorum ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſſet, ut germana originalis ſcripturæ interpretatio, quod ejus cum originali ſcriptura conformitatis certiſſimum erat argumentum.

Ad id quod ibidem ex heterodoxis additur, vulgatam noſtram editionem innumerabilibus ſcatere erroribus, adeòque immeritò declaratam eſſe authenticam, dico hoc eſſe putidiſſimum mendacium Calvini, & aliquorum aliorum ejuſdem farinæ hominum, quorum adversùs hanc noſtram editionem calumnias omnes planè diluunt Doctores catholici, ut Bellarminus, lib. 2. de verbo Dei, cap. 12. 13. 14. & Gretzerus in horum Bellarmini capitum defenſione, ubi omnia quæ vulgatæ noſtræ per fas & nefas objectant novatores, accuratè diſſolvit, eamque ab omnibus, quos ei partim ex imperitia, partim ex malitia impingunt, erroribus vindicat.

Ad tertiam partem dico, Synodum ita authenticam declaraſſe vulgatam noſtram editionem, ut ſimul errata particularium exemplarium, quàm fieri poſſet accuratiſſimè, emendari juſſerit. Sic enim eadem, ſeſſ. 4. loquitur: *Decernit & ſtatuit* (Synodus) *ut poſthac ſacra ſcriptura, potiſſimum vero hæc ipſa vetus & vulgata editio quam emendatiſſimè imprimatur.* Synodus igitur errata, quæ in particularibus exemplaribus habebat vulgata noſtra, non approbavit, ſed improbavit, & ab illis vulgatam noſtram expurgari voluit.

At inquies. Synodus authenticam ſimpliciter declarando, & ita ſimpliciter approbando vulgatam editionem, particularia illius, qualia tunc extabant, exemplaria ſimpliciter approbavit. Atqui particularia exemplaria vulgatæ editionis, qualia tunc extabant, variis in locis mendoſa erant & vitioſa. Ergo Synodus authenticam ſimpliciter declarando, & ita ſimpliciter approbando vulgatam editionem, ſimul & indiviſibiliter menda & vitia, quibus hæc editio ſcatebat in ſuis exemplaribus, approbavit. Ad ſolutionem

Nota. Menda ſunt duplicis generis: alia enim poſ-

ſunt

sunt esse menda interpretis; & alia menda librariorum. Menda interpretis in eo consistunt, quòd interpres sermonis quem in alium sermonem transfert, sensum non bene reddat, vel ex imperitia, vel ex negligentia, vel ex malitia, vel alia quacumque de causa. Menda librarii in eo consistunt, quòd similiter vel ex negligentia, vel ex imperitia, vel ex malitia, interpretis autographum, vel aliud correctum exemplar non accuratè exscribat. Menda interpretis in omnibus exemplaribus eadem sunt: menda verò librariorum non eadem sunt in omnibus exemplaribus; sed in aliis pauciora, in aliis plura, & varia in variis, saltem regulariter. Menda interpretis sunt intrinseca versioni; menda verò librariorum extrinseca & adventitia. Menda interpretis possunt esse sine mendis librariorum; & vicissim menda librariorum possunt esse sine mendis interpretis. Ex his

Nota iterum. Versio aliqua potest esse mendosa dupliciter. Nam 1. potest esse mendosa in se, & secundùm se. 2. Potest esse mendosa in exemplaribus tantùm. Est mendosa primo modo, cùm habet menda interpretis. Est mendosa secundo modo, cùm habet menda librariorum tantùm. Nostra autem vulgata editio non est mendosa primo modo; quia ut infra probabitur, nulla habet menda interpretis; adeòque in se & secundùm se pura est & integra. Sed fuit mendosa secundo modo tempore Concilii Tridentini: tunc enim habebat multa menda librariorum, & depravata erat in suis exemplaribus: quanquam hæc depravatio non esset eadem & æqualis in omnibus, sed in aliis major, in aliis minor, & diversa in diversis.

Nota 3. Versio aliqua potest simpliciter approbari duplici modo. 1. Præcisè ut est in se & secundùm se, 2. Non solùm ut est in se, sed etiam ut est in exemplaribus. Qui primo modo versionem simpliciter approbat, declarat tantùm interpretem bene vertisse. Qui secundo modo simpliciter approbat versionem, declarat non solùm interpretem bene vertisse, sed etiam correcta esse versionis exemplaria. Qui primo modo versionem simpliciter approbat, nulla menda approbat, si versio sit in se pura & integra, licèt sit corrupta, ut est in exemplaribus. Nam 1. non approbat menda interpretis, quia nulla sunt. 2. Non approbat menda librariorum, quia non approbat versionem, ut est in exemplaribus, seu, quod idem est, non approbat exemplaria. His præsuppositis.

Ad instantiam R. falsùm esse, quòd Synodus exemplaria vulgatæ nostræ, qualia tunc extabant, approbarit. potuit enim vulgatam nostram approbare, ut est in se & secundùm se, non approbando eam, ut tunc temporis erat in exemplaribus suis; cùm aliud sit, versionem aliquam, ut est in se & secundùm se, & aliud, ut etiam est in suis exemplaribus approbare. Præterea quòd vulgatam nostram sic approbarit, hoc est, ut est in se & secundùm se, nullatenùs verò ut erat tunc temporis in suis exemplaribus, patet ex eo quòd eam simpliciter declarando authenticam, simul jubeat, ut *quàm emendatissimè imprimatur*: hoc enim jubendo, manifestè illius, quæ tunc temporis circumferebantur, exemplaria reprobat quatenùs erant mendosa, vultque, illis suppressis, alia nova exemplaria, à mendis expurgata, excudi, quibus versionis authentia affigi possit.

Synodus igitur authenticam simpliciter declarando, & ita simpliciter approbando vulgatam nostram, nulla menda approbavit. 1. Enim non approbavit menda interpretis, quia ejusmodi menda non habet vulgata nostra: unde in se & secundùm se pura est & integra. 2. Non approbavit menda librariorum, quia vulgatam nostram approbavit præcisè ut est in se & secundùm se. Vulgatæ autem nostræ sic consideratæ menda librariorum extranea sunt: unde cùm vulgata nostra sub hac tantùm consideratione approbata est, librariorum menda minimè censeri possunt fuisse approbata. Præterea cùm expressè statuerit, ut vulgata nostra quàm emendatissimè imprimeretur, menda librariorum non modò non approbavit: sed è contra positivè reprobavit, ut jam observatum est.

Ad quartam denique partem dico, Synodum in suo decreto nullam fontium hebræorum vel græcorum mentionem facere, neque vulgatam nostram cum fontibus hebræis vel græcis, sed cum solis versionibus latinis, quæ tunc temporis circumferebantur, comparare, atque illis solis anteponere, ut patet ex tenore decreti, in quo dicitur: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, &c.* Tunc igitur in Synodo quæstio fuit de solis versionibus latinis, quæ magno numero circumferebantur, quænam scilicet pro authentica habenda esset; & pro vulgata nostra, cæteris omnibus posthabitis, concluſum est.

Hoc expressè Alphonsus Salmero, qui sessioni interfuit, testatur in prolegomeno tertio de canonica scriptura, ubi sic loquitur: *Nihil ibi* (in Synodo) *de exemplaribus, aut græcis, aut hæbraicis agebatur; tantùm inter tot editiones latinas, quot nostra sæcula parturierant, quænam ex illis præstaret, sermo erat: & rejectis reliquis latinis, unam hanc vulgatam reliquis tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac suis fontibus: unde orta est, magis consentientem pronunciavit; atque huic soli, ut commentariis & scholiis illustretur, contulit, ut illam ad conciones, lectiones, & publicas disputationes adhibeamus: atque adeò ut nullus sibi tantum arroget, aut tantum audeat, ut eam rejiciat, aut contemnat.*

Hoc etiam suadet Synodi scopus: scopus enim Synodi fuit, ut patet ex verbis decreti, paci & utilitati Ecclesiæ consulere, impediendo scilicet, ne ex tot editionibus latinis, quot tunc circumferebantur, in publicis concionibus lectionibus, disputationibus, unus unam, alius aliam citaret: unde non potuissent non oriri jurgia, perturbationes & scandala inter fideles, quorum sic plurimi in subversionis discrimen adducti fuissent. Ut autem his malis occurreretur, omninò sufficiebat vulgatam nostram editionem omnium latinarum editionum quæ tunc extabant, declarari optimam, & in omnibus, sed præsertim in iis quæ ad fidei dogmata & mores pertinent, quoad sententias & res expressas consonam ipsis fontibus, ex quibus orta est, adeòque pro authentica habendam, & solam in concionibus, lectionibus & disputationibus usurpandam.

Igitur post Synodi decretum, fontes hebræi & græci eundem authoritatis gradum obtinent, quem obtinebant antea: unde postea plurimùm prodesse potuerunt ad corrigendos errores qui vulgatæ nostræ exemplaria librariorum imperitia vel oscitantia irrepserant; & etiamnum possunt plurimùm prodesse ad sensum ambiguorum verborum investigandum, meliùsque assequendam verborum quorumcumque vim & energiam. Hoc dicit Salmero loco citato: nam post verba laudata sic statim prosequitur: *Liberum reliquit* (Synodus) *omnibus qui scripturas profundiùs meditantur, fontes græcos aut hebræos, quatenùs opus sit, consulere, quo nostram* (vulgatam) *vitio librariorum, vel temporum injuria corruptam emendare valeant* (hæc scribebat ante absolutam vulgatæ nostræ à librariorum mendis expurgationem;) *quo etiam eam dilucidiùs explicare, atque illustrare possint: non tamen ut eam falsò interpretatam, præsertim in rebus ad fidem, vel bonos mores spectantibus, vel errorem intolerabilem continentem condemnent, ut hæretici frequenter impudentissimè faciunt.*

Dices. Concilium in decreto suo videtur hoc ipso fontibus hebræis & græcis anteponere vulgatam nostram quòd de ea dicit: *Nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, præsumat:* nisi enim majorem authoritatem habeat, quàm ipsi fontes, quales nunc extant, poterit interdùm aliquo prætextu rejici, quia interdùm probari poterit eam aut nullatenùs assequi, aut minùs bene assequi scripturam originalem.

R. Synodum prohibendo ne quovis prætextu vulgata nostra rejiciatur, vulgatam nostram ut est in se & secundùm se indirectè & consecutivè anteponere

fontibus quatenùs corrupti sunt & violati; quod faciendo Synodus, vulgatam nostram anteponit, non ipsis fontibus propriè loquendo, sed mendis qui in fontes illos irrepserunt vitio librariorum, vel etiam Massorethorum, cùm de hebræo textu agitur: neque fontes Synodus lædit ullatenùs, vel authoritatem eorum minuit: cùm enim constet eos variis in locis esse depravatos, ante decretum Synodi, tantæ non erant authoritatis, ut eorum lectio retinenda esset ubique, adeòque etiam ubi evidenter pugnat cum lectione vulgatæ nostræ, & lectio vulgatæ nostræ melior est, aut saltem bona, atque cum antecedentibus & consequentibus consentiens, nec aliunde sufficiens adest ratio judicandi locum esse mendosum vitio librariorum.

Nota. Vulgata nostra, ut est in se & secundùm se, ad fontes, quales extant in suis exemplaribus, se habet ut excedens & excessum: exceditur enim à fontibus, quia non habet omnem claritatem, omnem vim & energiam, omnes alludendi concinnitates, omnem sensuum fœcunditatem, quas habent fontes; & excedit, quia ubique essentialem habet perfectionem interpretationis, ubique verax est, ubique quoad sententias & res expressas conformis scripturæ originali, spectatæ secundùm se: unde fontes, quales extant in suis exemplaribus, non habent eam puritatem & integritatem quam habet vulgata nostra, ut est in se & secundùm se. Quare sicut fontes, etiam quales extant in suis exemplaribus, ad menda quæ in vulgatam nostram irrepserant, corrigenda, plurimùm prodesse potuerunt: ita & vulgata nostra plurimùm prodesse potest ad corrigenda menda quæ irrepserant in exemplaria fontium.

Nota. Ad hoc, quod prohibet Synodus, ne quis scilicet quovis prætextu vulgatam nostram rejicere audeat vel præsumat, requiritur & sufficit ut vulgata nostra ut est in se & secundùm se, ubique essentialem habeat perfectionem interpretationis, hoc est, ut ubique sit verax: nam, hoc posito, nullo prætextu rejici potest, ubi non apparet sufficienter eam vitio librariorum mendosam esse: ubicumque enim à librariis vitiata non est, ibi sincera est scripturæ originalis expressio: adeòque nec rejici potest sive prætextu obscuritatis; nam si obscura est, fons clarior, per fontem explicanda est, non propter illum rejicienda: sive prætextu diversitatis, quia scilicet alium vulgata, alium verò fons præ se fert sensum; nam tunc, si fons ibi corruptus non est, duplicem sensum intendit Spiritus Sanctus, & sufficit quòd unum è duobus reddiderit interpres noster: sive prætextu contradictionis; nam cum lectio vulgatæ, fontis videtur contradicere lectioni, vel lectiones illæ conciliari possunt, vel non possunt. Si possunt, concilientur; si non possunt, fons ibi depravatus est, adeòque lectio vulgatæ nostræ retinenda.

Quæres 1. quibus editionibus latinis vulgatam nostram antepositerit Synodus?

R. antepositisse illis tantùm, quæ tunc existebant, ut patet ex his decreti verbis, *quæ circumferuntur*. Unde 1. Synodus vulgatam nostram non antepositit aliis versionibus latinis, quæ jam existebant ante S. Hieronymum, & à multis sæculis exciderant tempore Synodi: quia hoc necessarium non fuit. 2. Nec antepositit aliis versionibus latinis quæ in posterum fieri possent; quia si aliquæ futuræ essent, divinare nec potuit, nec debuit. Præterea cùm editio nostra non sit omnium editionum possibilium optima, posset, Deo volente & procurante, in posterum fieri alia melior, cui proinde Ecclesia tunc temporis posset æqualem aut etiam majorem authoritatem attribuere, propter majorem ejus cum originali scriptura conformitatem, vel claritatem, aliasve dotes quibus una versio alteri præstare potest.

Quæres 2. quot præter vulgatam nostram editionem fuerint aliæ editiones latinæ tempore Synodi Tridentinæ.

R. Iis, quæ ex hæreticorum officinis certò prodierant, prætermissis, fuerunt potissimùm quatuor. Prima est Sanctis Pagnini è Dominicana familia. Secunda Isidori Clarii Brixiani. Tertia Arriæ Montani. Quarta præfert nomen Vatabli professoris Parisini. De prima, quæ Doctorum judicio omnium post vulgatam editionem optima est, sic loquitur Genebrardus in epistola ad Carolum IX. nuncupatoria operum Origenis: *Sanctis Pagnini secundum eam* (vulgatam editionem) *omnium optima: sed, ut liberè dicam, minùs diligens, nimis ambitiosa, nimis curiosa, nimis grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum subtilitate, noxam sinceritati & sententiarum & rerum sapiusculè afferat: undè nec satis interdum cohæret cum veterum Hebræorum doctrina, nec cum fidei catholicæ mysteriis, &c.*

Quartam non esse Vatabli, sed alterius, vel aliorum sub ejus nomine, ibidem testatur his verbis: *Nec opus est commemorare Vatabli, quæ circumfertur, interpretationem. Nam illa ..... Vatabli non est, viri, uti accepimus ... doctissimi, & quod multi pluris faciendum est, christianissimi ... quod mihi ex eo fit probatum, quia à bonis & doctis ejus discipulis ... intellexi illum ea supposititia editione sin fuisse offensum, ut protinùs Robertum Stephanum typographum, jam apostasiam illam suam meditantem & accelerantem ad se accersitum gravissimè objurgaret, & falsi criminis, quod non nisi fuga diluere poterat, postularet.* Hujus autem editionis authorem asserit, *vel ignarissimum fuisse hebraicæ linguæ, vel malitiosissimum: quippe quam pessimè potuit, maximam partem & potiorem scripturæ convertit, velut de industria litteræ & sensu discedens, & data opera aberrationem à veritate hebraica appetens.*

De cæteris quæ tempore illo ex hæreticorum tabernis prodierant, hæc ibidem scribit vir doctissimus, & peritissimus linguarum: *Cæteræ versiones quas nobis novatores pepererunt, ineptæ sunt, indoctæ, barbaræ, factiosæ, fidei sæpè & pietati noxiæ, corruptæ multis additionibus, detractionibus, distortionibus ... Genevensis* (editio) *est rapsodia assuta è variis Sanctis, Munsteri, Vatabli, & reliquorum centonibus & pannis.*

Longè aliter sensit de vulgata editione: nam de ea hæc superiùs scripserat: *Ferè mentem & sententiam assequitur, etiam illis locis quibus videtur ab hebraica vel græca veritate discedere, & minùs sæpè aberrat à suo archetypo, & cum id facit, res momenti est levioris, quam ut inde hæresis, vel absurda opinio efformari possit.* Porrò sic loquebatur de vulgata nostra, qualis tunc temporis extabat in suis exemplaribus, adeòque de vulgata nostra plurimis librariorum mendis inquinata. Quid igitur de ea postquam emendatissimè impressa est, nunc diceret?

ARTICULUS III.

In quo sensu vulgata editio sit intrinsecè authentica.

NOta, vulgatam editionem intrinsecè authenticam esse saltem eo sensu, quòd scripturæ originali quoad sententias & res expressas vel semper conformis sit, vel si quando difformis est, non sit nisi in rebus levioris momenti, & quæ ad fidei dogmata ac bonos mores non pertinent, tanquam certum & catholicis omnibus exploratum supponimus: omni enim homini benè catholico indubitandum est, hanc saltem originali scriptura conformitatem non posse non habere versionem illam, qua Ecclesia universa latina, omnibus aliis rejectis vel neglectis, tanquam germana verbi divini interpretatione usa est per mille annos & ampliùs in instruendis fidelibus, & fidei dogmatibus confirmandis, tam in Conciliis, quàm extra Concilia. Solùm ergo hìc quæritur, an vulgata editio authentiam intrinsecam habeat in sensu ampliore. Huic quæstioni ut satisfiat, sit

Responsio.

Vulgata editio est intrinsecè authentica, etiam in eo sensu, quod scriptorum sacrorum authographis ubique consentiat quoad sententias & res expressas; atque ita ne in levissima quidem circumstantia à

verita-

veritate scripturæ originalis aberret : licèt omnem claritatem, omnem vim, omnem elegantiam, omnes sensus originalis scripturæ non assequatur.

Prob. 1. Deus non minùs liberalis, nec minùs providus fuit erga Ecclesiam latinam, quàm erga græcam, quæ præter ipsos fontes puros novi Testamenti, habuit etiam puram & integram interpretationem veteris, nempe versionem lxx. interpretum. Ergo Deus providit Ecclesiæ latinæ sua lingua puram & integram librorum sacrorum translationem. Consequentia patet: ant. verò, nempe quòd Deus non minùs erga Ecclesiam latinam, quàm erga græcam providus fuerit, evidenter suadetur ex eo quòd Ecclesia latina apud se supremam habeat sedem, & perpetuò sanam fidem, Ecclesia græca tota, vel saltem ex maxima parte, in apostasiam lapsa, conservatura erat.

Prob. 2. Quia error vel levissimus circa sensum scripturæ originalis imputari non potest vulgatæ nostræ sine gravi & urgente aliqua causa; alioqui gratis & temerè elevaretur vulgatæ nostræ authoritas. Atqui nulla est hujusmodi causa; quia nihil contra vulgatæ nostræ veracitatem objici potest, quod resolvi non possit, etiam plausibiliter. Ergo, &c.

Confirmatur 1. quia convenientissimum fuit, ut in Ecclesia, in qua fides pura & integra perpetuò mansura erat, verbum quoque à Deo olim scriptoribus sacris inspiratum, perpetuò maneret purum & integrum. Ergo convenientissimum fuit, ut Deus, qui prævidebat sacros fontes partim malitia aut falsis præjudiciis christianæ religionis inimicorum, partim negligentia & inscitia librariorum, partim injuria temporum depravatum iri; ita ut illis nunc in omnibus fidem habere minimè tutum sit; ante hanc depravationem procuraret Ecclesiæ latinæ sua lingua interpretationem veracem, & ubique conformem originali scripturæ saltem quoad sententias & res expressas: ita ut ne vel in aliqua levissima circumstantia scripturæ originali discors esset: quamvis noluerit ei procurare talem, quæ omnem claritatem, vim, elegantiam, &c. scripturæ originalis assequeretur: quod nec necessarium fuit, nec fortasse, suppositâ tali idiomatum indole ac diversitate, fieri potuit.

Confirmatur 2. ex dotibus S. Hieronymi, qui vulgatæ nostræ partim author, partim emendator fuit: tales enim ac tantæ fuerunt, ut prudentissimum & fundatissimum præjudicium ferant pro sententia nostra. Nam omnia ad scripturas divinas bene interpretandas necessaria, ingenium scilicet, eruditionem, linguarum peritiam, probitatem, diligentiam, cum exemplaribus integris, in eximio quodam gradu concurrisse in Hieronymo, à nobis suo loco demonstratum est.

Confirmatur 3. quia B. Hieronymus, scripturas sacras interpretando, aut earum interpretationem emendando, non magis dici potest identidem errasse in rebus levissimis, quàm nunquam errasse in rebus alicujus momenti. Ergo si dicitur identidem errasse in rebus levissimis, dici quoque debet identidem errasse in rebus alicujus momenti. Dici autem non potest errasse aliquando in rebus alicujus momenti. Ergo nec dici potest errasse aliquando in rebus levissimis.

Prob. ant. Quia si B. Hieronymus dicitur identidem errasse in rebus levissimis, nulla videtur ratio probabilis afferri posse, cur dicatur nunquam errasse in rebus alicujus momenti. Nam si identidem erravit in rebus levissimis; sic tamen ut in rebus alicujus momenti nunquam erravit, vel quia quamlibet vir pius, quamlibet eruditus, homo fuit, & ita falli potuit & fallere; vel quia accepit à Spiritu sancto auxilium speciale ad vitanda errata quæ essent alicujus momenti, non verò ad vitanda levissima, quorum immunitatem reliquit hominis industriæ; vel quia paulò negligentior, & labori pepercit in iis quæ parvi erant momenti; vel quia sufficientem non habuit peritiam ad omnes omninò lapsus etiam in rebus levissimis cavendos; vel quia majori opus fuit diligentia ad evitanda omnia errata, quàm ad evitanda aliqua tantùm; unde factum est, ut diligentiam adhibuerit ad vitanda multa sufficientem, insufficientem verò ad vitanda omnia; vel denique, quia humanum non fuit, in tanto & tam arduo opere nunquam offendere, & omnes omninò lapsus etiam levissimos effugere. Atqui nihil horum dici potest probabiliter.

Non primum: nam quòd Hieronymus fuerit homo, & omnis homo falli possit & fallere, est ratio generalis, & tam valet pro gravioribus, quàm pro levioribus erratis: unde hac ratione conantur probare novatores, Hieronymum aliquando, imò sæpe lapsum esse etiam graviter.

Non secundum: nam quare Spiritus sanctus dicitur, Hieronymum specialiter adjuvisse, ne erraret in rebus alicujus momenti, & non adjuvisse specialiter, ne unquam erraret, & ut ubique sensum scripturæ originalis bene redderet? An Spiritui sancto arduum fuit, sic adjuvare S. Hieronymum? Inviditne Spiritus Sanctus Ecclesiæ latinæ verbi divini interpretationem sua lingua talem, hoc est, ubique etiam in levissimis circumstantiis veram & germanam, qualem Ecclesiæ græcæ sua lingua non inviderat, sed procuraverat? Num aliquid utilitatis Ecclesia latina perceptura erat ex eo quòd interpres ejus in rebus saltem levibus identidem impegisset, in reddendo scripturæ divinæ sensu, & sic ejus interpretatio minorem & diminutam haberet authoritatem?

Non tertium, aut quartum, quorum neutrum nisi improbabiliter, imò & injustè asseri potest de S. Hieronymo, ut patet ex dictis hactenùs de dotibus ejus.

Non quintum: nam ex eo quòd majori diligentia opus sit ad vitanda omnia errata, quàm ad aliqua tantùm vitanda, facilè quidem intelligitur B. Hieronymum diligentiam adhibere potuisse ad aliqua, imò & multa errata vitanda sufficientem, quæ sufficiens non esset ad vitanda omnia: at non probatur, ea præcisè usum esse diligentia, quacum nunquam labi posset, nisi in rebus levissimis.

Non denique sextum: nam ex illa morali incompossibilitate vitandi errores omnes in tanto & tam arduo opere, quæ asseritur, sequitur quidem quòd Hieronymus morali quadam necessitate identidem lapsus sit, modò in uno loco, modò in alio, modò in rebus majoris, modò in rebus levioris momenti, quamvis fortasse frequentiùs in istis, & rariùs in illis: at quòd sæpe in rebus levioris, & nunquam in rebus gravioris momenti lapsus sit, certè non probatur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Hieronymus, sive in interpretandis Scripturis, sive in emendandis Scripturarum interpretationibus non fuit infallibilis, adeòque errare potuit. Ergo gratis negaretur identidem errasse saltem in rebus levioris momenti.

R. 1. inter Doctores Catholicos non deesse, qui negent Hieronymum, sive in interpretandis Scripturis, sive in Scripturarum interpretationibus emendandis, errare potuisse. Vide Melchiorem Cano lib. 2. de locis Theologicis c. 14.

R. 2. Admisso ant. neg. conseq. Nam non magis fuit infallibilis circa res gravioris, quàm circa res levioris momenti. Unde si ex eo quòd non fuerit infallibilis, rectè concluditur eum identidem errasse in rebus levioris momenti, rectè pariter concludetur, eum identidem errasse in rebus gravioris momenti, quod certè non concedent ii, contra quos hic disputamus, & multum elevaret, aut etiam tolleret authentiam vulgatæ nostræ, valdèque injuriosum esset Ecclesiæ, quæ à tot sæculis editionem hanc, cæteris omnibus neglectis, vel etiam rejectis, tanti facit, & ut veram ac germanam scripturæ divinæ interpretationem consulit.

Itaque quamvis S. Hieronymus non fuerit infallibilis, sive in interpretandis Sacris Scripturis, sive in earum interpretationibus emendandis; nullum tamen in opere suo, postquam ei manum extremam imposuit,

posuit, relinquit errorem contra sensum Scripturæ originalis quàm partim transtulit, partim ab aliis translatam emendavit: ad quod, si opus fuit, præter dotes naturales eximias, partim innatas, partim proprio labore paratas, accepit speciale Spiritus Sancti auxilium, quocum adhuc errare poterat, sed tamen infallibiliter non erat erraturus: sicut qui habet gratiam efficacem ad non peccandum, potest adhuc peccare, sed infallibiliter non peccat.

Porrò quòd S. Hieronymus, cùm Scripturas sacras interpretatus est, aut earum interpretationem emendavit, non fuerit humanæ industriæ relictus, sed à Spiritu sancto specialiter adjutus fuerit, sufficienter suadetur ex eo quòd à Spiritu sancto ad id operis specialiter excitatus fuerit, ut dicitur in præfat. ad Biblia jussu Clementis VIII. impressa. *Non immeritò Catholica Ecclesia S. Hieronymum Doctorem maximum, atque ad Scripturas sacras interpretandas divinitùs excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non sit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certè paria præstare se posse confidunt.* Præterea, quòd S. Hieronymus ad id operis specialiter excitatus fuerit à Spiritu sancto, ambigere non finit eventus, ex quo manifestè apparet Deum voluisse per Hieronymum Ecclesiæ suæ divinarum Scripturarum editionem procurare, quæ una ei sufficere posset, quam ut veram & germanam verbi olim à Deo inspirati interpretationem adoptaret, & tandem solam, cæteris vel neglectis vel rejectis, pro authentica haberet.

Dices. S. Augustinus S. Hieronymum divinitùs excitatum, & à Spiritu sancto specialiter adjutum fuisse ad Scripturas ex hebræo interpretandas, minimè agnovit, ut patet ex ejus ad eundem epistola numero decima, ubi eum erroris in translatione libri Job ex hebræo admissi non obscurè insimulat, & ab aliis veteris testamenti libris ex hebræo transferendis, quantùm potest, deterret.

R. nihil inde sequi: nam facilè potuit S. Augustinus aliqua circa S. Hieronymum, & ejus ex hebræo interpretationem ignorare, quæ nos nunc post tot sæcula certò scimus, aut saltem probabilissimè conjicimus; non enim vidit unanimem omnium Ecclesiarum particularium in Hieronymiana interpretatione suscipienda conspirationem: non vidit authoritatem, qua interpretatio illa pollet ab annis mille & amplius in tota Ecclesia latina: non vidit propter illam interpretationem omnes alias antiquiores repudiatas aut neglectas, penitùs exidisse; illamque solam, post Gregorii Magni tempora, à Patribus laudatam, commentariis illustratam, in publicis concionibus adhibitam, & à Conciliis generalibus citatam; denique non vidit decretum œcumenicæ synodi, quo hæc interpretatio sola ex omnibus latinis editionibus pro authentica habenda esse declaratur. Ex quibus omnibus nos, quia ea videmus, B. Hieronymum ad Scripturas ex hebræo interpretandas & divinitùs excitatum, & speciali Spiritus sancti auxilio adjutum fuisse, certò conjici non dubitamus.

Ad id quod dictum est, S. Augustinus in citata epistola S. Hieronymum erroris in translatione libri Job ex hebræo admissi non obscurè insimulare, consilium ejus de Scripturis ex hebræo interpretandis improbare, eumque à tali proposito pro viribus avocare. *R.* S. Augustinum postea mutasse sententiam, & longè aliud sensisse lib. 18. de civ. c. 43. ubi sic ait: *Quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex græco, sed ex hebræo in latinum eloquium easdem Scripturas converterit: Sed ejus tantum litterarum laborem, quamvis Judæi fateantur esse veracem, Septuaginta verò interpretes in multis errasse contendant, &c.* Hic autem interpretationi LXX. Seniorum, quam defendit, Hieronymi ex hebræo interpretationem anteponendam negat, non quia hanc non ubique veracem, & originali Scripturæ concordem esse credit, aut suspicatur, sed quia putat LXX. interpretes fuisse prophetas, seu ex divina inspiratione interpretatos esse, adeòque quæ hebræo addiderunt, addidisse; quæ ex eo detraxerunt, detraxisse; & si quando diversum, quamvis non oppositum, sensum reddiderunt, reddidisse ex inspiratione divina.

Audiamus S. Doctorem: *Cùm verò tantum in eis* (LXX. interpretibus) *signum divinitatis apparuit, profectò quisquis alius illarum Scripturarum ex hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax* (qualis esse perhibetur Hieronymus etiam ab ipsis Judæis, utriusque linguæ, hebraicæ scilicet & latinæ peritis) *aut congruit illis septuaginta interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est* (& non idcircò damnandi sunt LXX. interpretes, & uni illi alteri interpreti postponendi) *Spiritus enim qui in prophetis erat, quando illa dixerunt* (& hebræam Scripturam condiderunt) *idem ipse erat etiam in septuaginta viris, quando illa* (seu hebræam scripturam) *interpretati sunt. Qui profectò authoritate divina & aliud dicere potuit tanquam Propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret ... & aliquid prætermittere, & aliquid addere, &c.*

Ex verbis S. Doctoris observa, quòd cùm illa scriberet, nec multò post Hieronymi mortem, jam multi ipsius Hieronymi versionem versioni LXX. interpretum præferrent, tanquam hebræo textui magis consentientem. Augustinus autem ut LXX. interpretum defendat editionem, non impugnat puritatem & integritatem versionis Hieronymi; quippe quæ tunc temporis jam ita esset explorata, ut non posset prudenter impugnari: sed recurrit ad spiritum propheticum, quo vult afflatos fuisse septuaginta interpretes, eosque proinde quæ addiderunt, detraxerunt, aliter verterunt, addidisse, detraxisse, aliter vertisse authoritate divina.

Dices. Hieronymus ipse nunquam agnovit, se à Deo specialiter adjutum fuisse ad Scripturas interpretandas: imò contrarium de se & aliis sensit. *R.* omninò fieri posse, ut aliquis specialiter adjuvetur à Spiritu sancto ad aliquid, & hoc tamen ignoret. Sic author libri 2. Mach. libros Jasonis Cyrenæi, Deo specialiter adjuvante, imò & inspirante, breviavit, nesciens se ad id à Deo specialiter adjuvari & inspirari. Quòd si inter Scriptores sacros aliqui ignorarunt, se ex impulsu Spiritus sancti & ejus inspiratione scribere, quidni potuit Hieronymus divinas Scripturas, Spiritu sancto ipsi ad id specialiter assistente, interpretari, & tamen sibi specialis hujus Spiritus sancti assistentiæ conscius non esse?

Dices. Hieronymus ipse, cùm interpretationem suam relegeret, aliquos in ea errrores deprehendit, & ingenuè confessus est, ut patet ex ejus commentario in cap. 19. Isaiæ, ubi sic ait: *Melius reor etiam proprium errorem reprehendere, quàm dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere*. *R.* inde tantùm sequi, quòd Hieronymus tam copiosum, & tam efficax Spiritus sancti adjutorium non habuerit, ut statim omnia bene interpretaretur, & ita necesse fuerit eum verba sua expendere, lituras quandoque facere, & opus absolutum recognoscere; atque adeò interpretatio ejus non fuerit erroris omnis expers, nisi postquam illi manum extremam imposuit, illam sive cum commentariis, sive absque commentariis accuratissimè examinando & recensendo.

Dices. Aliquos errores in sua versione agnovit Hieronymus, qui adhuc in ea supersunt. Sic in capite 19. Isaiæ vers. 15. primùm verterat: *Et incurvantem, & refrænantem*; sed postea, cùm hoc caput exponeret, advertit vertendum esse. *Incurvum & lascivientem. In eo quoque*, inquit, *quod nos transtulimus* incurvantem & refrænantem; *possumus dicere*, incurvum & lascivientem, *ut intelligamus senem & puerum*. Primum tamen habemus in vulgata nostra, non secundum. *R.* Ecclesiam Hieronymi correctiones quandoque admisisse, quandoque non admisisse. Sic in præfato cap. Isaiæ v. 17. primùm verterat: *Et erit terra Juda Ægypto in festivitatem*; sed postea in

hujus

hujus capitis commentario agnovit vertendum esse: *Et erit terra Juda Ægypto in pavorem*. Hanc autem correctionem admisit Ecclesia: nam vulgata nostra habet *in pavorem*: priorem verò non admisit, quia proculdubio necessariam non esse, & primam versionem retineri posse, non sine causa judicavit.

Dices. Nullum igitur fuit discrimen inter authores, qui libros sacros conscripserunt, & Hieronymum, qui libros illos interpretatus est, contra illud quod ipse Hieronymus dicit in præfat. in Pentat. *Aliud est vatem, aliud est esse interpretem*. Ex quo discrimine colligit, LXX. Interpretes humanæ industriæ relictos fuisse, adeòque mirum non esse, quòd labi potuerint, & re ipsa multoties lapsi sint in Scripturis transferendis.

Resp. neg. inst. Magnum igitur fuit discrimen inter scriptores sacros & Hieronymum: nam scriptores sacri scripserunt, Spiritu Sancto dictante ea, quæ erant scribenda. Unde sicut Spiritus sanctus errare non poterat dictando, ita nec scriptores sacri errare poterant scribendo. At Hieronymus (idem dic de LXX. Interpretibus) interpretatus est, Spiritu sancto non dictante interpretationem, sed solùm specialiter adjuvante, ne malè interpretaretur. Unde Hieronymus errare potuit interpretando; licèt eum ita rexerit & adjuverit Spiritus Sanctus, ut nullum in sua interpretatione absoluta, & perfecta erratum contra originalis Scripturæ sensum reliquerit.

Obj. 2. Ante correctionem Bibliorum, summorum Pontificum jussu factam, errores quamplurimi etiam contra originalis Scripturæ sensum fuerunt in vulgata nostra editione, quos omnes emendatos esse, asserere quis audeat? *Resp.* Plurima quidem fuisse ante Bibliorum correctionem menda in vulgata nostra editione; at quæ non interpretis, sed librariorum vitio irrepserant: unde menda fuerunt, non vulgatæ secundùm se, sed particularium exemplorum; quod manifestè probatur ex eo, quòd non eadem in omnibus exemplis, sed varia in variis fuerint. Quare si supersunt adhuc aliqua contra sensum Scripturæ originalis, quod impunè negari potest, cùm non possit positivè demonstrari; menda sunt, non vulgatæ secundùm se, sed particularium exemplarium; adeòque illis non obstantibus, vulgata, ut est in se & secundùm se, Scripturæ originali quoad sententias & res expressas ubique conformis esse, à nobis meritò asseritur.

Dices. Omnia exemplaria ante Bibliorum correctionem fuerunt corrupta. *Resp.* dist. Omnia exemplaria ante Bibliorum correctionem fuerunt corrupta, sed hæc in his, & illa in illis locis, transeat: nam quòd omnia omninò exemplaria fuerint etiam in hoc tantùm sensu depravata, quis probare potest? quis enim v. gr. tempore Concilii Tridentini vidit omnia exemplaria, quæ tunc extabant, tam typis impressa, quàm manu scripta, & hic dicere possumus cum Valentia lib. 8. analy. c. 5. puncto 4. ad 1. *Libros* (Bibliorum) *aliquos errare posse; sed ut omnes omninò errarent, fieri nequaquam potuisse, divina nimirum providentia propter Ecclesiæ bonum id prohibente*. Omnia exemplaria ante Bibliorum correctionem fuerunt corrupta in iisdem planè locis, N. Unde etiam ante Bibliorum correctionem, vulgata secundùm se, vel, si vis, vulgatæ species, moraliter loquendo, erat pura & integra; quamvis fortasse omnia editionis singularia, hoc est, omnia exemplaria depravationem aliquam haberent, hæc scilicet hanc, & illa illam.

Dices. Bibliorum jussu Clementis VIII. impressorum, correctores in sua præfatione non audent asserere, vulgatam ab omnibus mendis esse expurgatam, adeòque Scripturæ originali ubique conformem esse: *Accipe igitur, christiane lector*, inquit is qui nomine omnium loquitur, *eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana typographia veterem ac vulgatam S. Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam; quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem purioremque esse, minimè dubitandum*.

Resp. Si correctores his verbis pro sua modestia significant, à se fortasse vulgatam nostram mendis omnibus non esse expurgatam, loquuntur tantùm de mendis librariorum: loquuntur enim tantùm de mendis, quæ corrigenda susceperant; & corrigenda susceperant menda librariorum tantùm cum pravis correctionibus: nam sic loquitur præfationis author: *S. Congregationi amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris, ad hoc opus à Sede Apostolica delectis propositum non fuit novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare, sed ipsam veterem ac vulgatam editionem latinam à mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad fieri potuit, restituere*.

Dices. Loca aliqua, ut expressè dicitur in præfatione, immutata relicta sunt; quæ tamen mutanda videbantur correctoribus, quia scilicet fontibus hebræis & græcis non congruebant: *In hac*, inquit author præfationis, *per vulgata lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt: tum quòd ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit; tum quòd facilè fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex hebræis & græcis latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerunt, quàm ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt; qui fortasse tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt: tum denique quia S. Congregationi, &c.* ut superiùs.

Resp. Ex verbis citatis nihil aliud haberi, quàm quòd Correctores nonnulla loca mutarunt, quæ fontibus non consentiebant, quia certò judicarunt illa à librariis vel imperitis correctoribus fuisse depravata: alia verò nonnulla, quæ propter suam cum fontibus, quales nunc extant, dissonantiam, mutanda videbantur, immutata reliquerunt: quia illa ab interprete, ut legebantur, judicarunt esse translata, nec propositum illis fuit, interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare; & aliunde credendum est facilè fieri posse, ut interpres habuerit copiam meliorum & emendatiorum exemplarium. Dicere potuerunt interpretem meliora & emendatiora exemplaria certo certiùs habuisse; cùm fontes post Hieronymi mortem variè corruptos & violatos fuisse certo certius sit. Hinc

Dicimus, intrepidè præsumendum esse in favorem nostri Interpretis contra fontes hebræos & græcos, quales nunc extant, quoties cum illis conciliari non potest; nec est sufficiens ratio judicandi interpretationem ejus à librariis, vel imperitis correctoribus fuisse violatam, firmiterque tenendum esse, quòd iis in lectionibus, in quibus ab hebræis vel græcis fontibus discordat, meliora habuerit & emendatiora exemplaria, & consequenter scriptorum sacrorum autographa bene & fideliter transtulerit: donec contrarium efficaciter probetur, quod tamen nunquam fiet.

Obj. 3. Recentiores Hebræi Hieronymi interpretationem reprehendunt variis in locis, ut hebraico textui discordem.

Resp. 1. Recentiores illi Hebræi Hieronymi interpretationem reprehendunt, vel quia legunt, ut legerunt Massorethæ; & dico Hieronymum meliùs quàm Massorethas legisse: vel quia, supposito quòd legant ut legit Hieronymus, aliam esse vocum significationem putant; & dico Hieronymum meliùs quàm recentiores illos hebræolos significationem vocum calluisse. 2. Hebræolis illis Hieronymi interpretationi oblatrantibus, oppono unum Eliam Rabbinum, qui sæculo XVI. floruit, quo Judæi hactenùs in lingua hebraica doctiorem habuere neminem, quique, teste Coclæo in libello de novis interpretationibus, affirmabat posse se *Hieronymi interpretationem .... contra*

tra omnes illius impugnatores, sive judæi essent, sive christiani, ex hebræo ita defendere, ut à nullo justè impugnata videri possit: quanquam exterorum non indigemus patrocinio, cum contra omnes suos adversarios unus sibi sufficiat Hieronymus, in quo, quod in alio nemine hactenùs, eximia ad rectè & accuratè interpretandum fuere omnia, linguarum peritia, ingenii vis, judicii maturitas, eruditio, memoria, diligentia, probitas, constantia, cum exemplaribus optimis & emendatissimis.

Obj. 4. Non potest verisimiliter dici, quòd omnes & singulas voces aptè verterit; item quòd singularum arborum, plantarum, gemmarum & animantium nomina ita expresserit, ut nihil in eis exprimendis humani lapsus admiserit. Ergo sine sufficienti fundamento asseritur ne in levissima quidem circumstantia ab originalis Scripturæ sensu aberrasse. Neg. ant. quoad omnes partes.

Probabis ant. Quoad omnes partes. 1. Eandem vocem variè vertit in variis locis: quam enim in uno loco vertit dracones, in alio cete, lamias in alio, in alio sirenes transfert. 2. Eandem vocem lectam cum iisdem vocalibus, quibuscum eam legerunt LXX. Interpretes, putà hanc *Mikkeden*, Genes. cap. 2. vers. 8. vertit *A principio;* cùm LXX. Interpretes vertant *Ab oriente*. 3. Eandem vocem cum aliis vocalibus legit, quàm Septuaginta: nam v. g. Genes. cap. 47. vers. ult. legit *mitta*, quod lectum significat, & Septuaginta legerant *matte*, quod significat virgam. 4. Denique, hanc vocem *kikaion*, quæ habetur Jonæ cap. 4. vertit *hederam*, & Septuaginta verterant *cucurbitam*.

Resp. ad 1. Cum Bonfrerio proloq. c. 16. sect. 6. hebræos satis pauca habere plantarum, arborum, gemmarum, & animantium nomina, ad unam aliquam speciem determinata, sed hujusmodi nomina apud illos ut plurimùm generica esse, & multas sub se species complectentia, vel etiam æquivoca. Exemplum sit in hoc vocabulo *tannin*, quod, ut in instantia dicitur, tam variè vertit Hieronymus, & ante Hieronymum tam variè verterant Septuaginta: nam hæc vox instituta fuit, non ad significandum unam tantùm certam speciem animantis, sed ad significandum quidquid in omni genere animalium monstruosum est ad visendum, præsertim à magnitudine: unde in Scriptura usurpatur modò ad significandam belluam terrestrem, deserta loca incolentem; modò ad significandam belluam marinam, modò ad significandum inter aves struthio-camelum, quod intelligitur ex subjecta materia.

Mirum igitur non est, quòd Septuaginta, & S. Hieronymus, variè variis in locis vocem hanc *tannin* pro subjecta materia reddant, illamque modò draconem, modò cete marinum, modò sirenes vel faunos, modò struthionem interpretentur. Ad hanc autem vocem sic variè variis in locis pro subjecta materia rectè interpretandam vel satis fuit humana industria, quam sanè in Hieronymo sufficientissimam fuisse, gratis negaretur: vel præter humanam industriam opus fuit speciali Spiritus sancti assistentia. Sicut autem hanc assistentiam Septuaginta interpretibus non defuisse, tenent Doctores communiter; ita nec Hieronymo defuisse, firmiter tenendum est.

Porrò quod de voce *tannin*, de ista alia *elon* seu *ela*, dicendum est: habet enim significationem valdè generalem & confusam, & secundùm se præcisè significat arborem glandiferam, vel quid glandibus aliquo modo simile proferentem: unde Hieronymus cum Septuaginta, illam modò quercum, modò terebinthum vertit, vel quia ad quercum in uno loco, & terebinthum in alio significandam assumitur, quod ex adjunctis dignosci potest: vel quia assumitur ad significandam arborem, quercui vel terebintho in aliquo affinem, & quæ neque in latina, neque in græca lingua nomen proprium habet: vel denique quia assumitur ad significandam præcisè arborem, glandes, aut quid glandibus aliquo modo simile ferentem; & tunc cùm neque græca, neque latina lingua habeat vocem tam generalem, & tot species sub se comprehendentem, species aliqua ex iis, quæ per vocem illam sæpiùs significantur, pro genere per synecdochen ponitur; quod in tali suppositione, & aliis quamplurimis similibus ab Interpretibus convenientissimè factum est, ne passim aut lacunæ relinquerentur, aut voces barbaræ, & omninò ignotæ, versioni insererentur; quod quam molestum esset & ingratum, quis non videt?

Resp. ad 2. Cum eodem ibidem, vocem hanc *mikkedem*, utramque significationem habere, & utramque à Spiritu sancto intentam fuisse, adeòque & Hieronymum & Septuaginta bene vertisse. Porrò sapienter observat Bonfrerius Spiritum S. ad condendas Scripturas S. elegisse linguam hebraicam, in qua una & eadem vox varias habet significationes, ut unà & eadem voce posset plura significare. Unde fit, ut una versione non possit exhauriri significatio vocis hebraicæ, à Spiritu S. intenta; & ejusdem vocis hebraicæ versiones diversæ, sint bonæ, & originali Scripturæ conformes. In hac autem ejusdem vocis hebraicæ significationum à Spirito S. intentarum veritate consistit magna ex parte profunditas divinarum Scripturarum, quam nemo facilè potest exhaurire.

Resp. ad 3. Cum eodem ibidem, hanc esse proprietatem linguæ hebraicæ, & ad ejus fœcunditatem pertinere, quòd una & eadem dictio cum diversis vocalibus diversè legi possit, & diversè lecta, diversas habeat significationes, quæ certè simul intendi possunt à Spiritu S. & re ipsa intenduntur in casu proposito: unde Hieronymus rectè legit *mitta*, quamvis Septuaginta legissent *matte*.

Resp. ad 4. Cum eodem ibidem, *kikaion* neque cucurbitam esse, neque hederam; sed esse arbusculam quandam, quæ extra Syriam & Judæam non nascitur, unde neque græcum, neque latinum nomen habet proprium; & ita cùm translatio facta est sive in græcam sive in latinam linguam, vel lacuna relinquenda fuit, vel vox barbara, & omninò ignota, versioni fuit inferenda, aut periphrasticè exponenda; vel frutex aliquis cum arbuscula illa affinis, & communem aliquam cum ea proprietatem habens, assumendus; quod ultimum elegerunt Septuaginta & Hieronymus. Porrò cùm Septuaginta non errarint vertendo *cucurbitam*, nec erravit Hieronymus vertendo *hederam*.

Hìc adhuc ad pleniorem difficultatum solutionem observo cum eodem, hanc vocem *schitta*, vel *schittim*, qua significatur arbos, quæ in Arabiæ tantùm solitudine nascitur, unde nec in græca, nec in latina lingua nomen proprium habet; hanc, inquam, vocem ab Hieronymo verti *spinam*, quia arbos illa spinæ albæ colore & foliis similis est: à Septuaginta verò verti *buxum* & *lentiscum*, quia buxi incorruptionem, & lentisci lævitatem imitatur, aut proprietatem aliam cum ea communem habet.

ARTICULUS V.

In quo sensu vulgata editio sit extrinsecè authentica, seu in quo sensu authenticam esse vulgatam editionem declaraverit Synodus Tridentina.

1. SYnodum Tridentinam, cùm vulgatam editionem declarat authenticam, ei omnem claritatem, omnem vim seu energiam, omnem elegantiam, omnem sensuum fœcunditatem, omnes alludendi concinnitates, quæ Scripturæ originali insunt, non attribuere, facilè consentiunt catholici Doctores: dores enim illæ ad absolutissimam quidem versionis perfectionem requiruntur, minimè verò ad ejus authenticam, ad quam sufficit versionis cum Scriptura originali conformitas: nam hac conformitate supposita, versio fidem meretur, quod est eam esse authenticam.

2. Hac

2. Hac voce, *authentica*, cùm Synodus Tridentina Vulgatam declarat authenticam, tria importari, facilè etiam agnoscunt plerique Doctores catholici, & inter alios Bonfrerius proloq. cap. 15. sect. 3. cujus hìc verba exscribimus. Primum est, quòd Vulgata anteponatur *omnibus quæ hactenùs prodierunt versionibus, ut quæ fideliùs, veriùs, peritiùs, majore verborum energia sententiam Scripturæ, mentemque Spiritus S. exprimat, quàm ulla quæ hactenùs prodiit versio latina.*

Secundum est, Vulgatam *non tantùm esse fideliorem & sinceriorem quavis alia versione, facta cum illis comparatione; sed etiam absolutè & simpliciter esse fidelem & sinceram, quantùm moraliter & humano modo fieri potest; hoc est, ut nihil contineat subdole & fraudulenter additum, detractum, immutatum, obscurè vel ambiguè versum ad fidei mysteria occultanda.*

Tertium est, *nihil in ea versione contineri, quod fidei repugnet, vel bonis moribus, vel ex quo perniciosus aliquis error nasci posset.* His autem tribus, quæ ut minimum importantur hac voce, *authentica*, cùm Synodus vulgatam declarat authenticam, quartum addendum esse existimat Bonfrerius: nam sic paulò inferiùs prosequitur: *Addo tamen ego, videri hoc nomen* authenticæ *importare etiam aliquid amplius, quàm ut nihil sit, quod fidei vel bonis moribus repugnet; verùm etiam nihil in ea esse, quod apertè falsitatis vel contradictionis alicujus possit revinci, etiamsi ad fidem vel mores nihil pertineat.*

Bonfrerio apertè suffragatur Palavicinus lib. 6. histor. Concil. Trid. cap. 17. ubi ait Synodum prohibendo, ne quovis prætextu Vulgata rejiciatur, statuere, *ipsi* (Vulgatæ) *errores non inesse ad fidem moresque pertinentes; ac præterea in eadem nec fraudem, nec apertam discrepantiam, ne minimam quidem à divina scriptione, nec ullam secum ipsa repugnantiam contineri; in quibus illa si deficeret, nec authentica esset, nec digna, quæ ab Ecclesia reciperetur.* Sed quæritur, utrùm aliquid adhuc ampliùs Concilium suo decreto Vulgatæ nostræ attribuere censendum sit? Pro quo sit

Responsio.

Videtur Concilium decreto suo Vulgatam declarare authenticam, eo sensu, quòd sit Scripturæ originali ubique quoad sententias & res expressas omninò conformis: ita ut ne vel in levissima aliqua circumstantia ab originali Scripturæ sensu aberret. Ita sentiunt Suarez, Valentia, Serrarius, &c.

Prob. 1. Concilium decreto suo Vulgatam nostram (supple semper, ut est in se & secundùm se: sic enim eam sumit Synodus, & nos cum Synodo sumimus) declarat authenticam simpliciter, & sine addito diminuente vel restringente. Atqui versio simpliciter & sine addito diminuente vel restringente authentica, est versio ubique saltem quoad sententias & res expressas, Scripturæ originali planè conformis. Ergo, &c.

Minor patet ex terminis: & verò versio authentica simpliciter, & sine addito diminuente vel restringente, ea omnis & sola dici potest, quæ ubique fide digna est. Ad hoc autem ut versio aliqua sit ubique fide digna, manifestè requiritur, ut sit ubique germana Scripturæ originalis translatio, adeòque ubique sit originali Scripturæ saltem quoad sententias & res expressas planè conformis.

Prob. maj. Ex verbis decreti, quæ hæc sunt: *Statuit & declarat* (Synodus) *ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Vides, hìc ne litteram quidem apponi, qua videatur minui vel restringi authentia Vulgatæ nostræ.

Dices. Nulla quidem in decreto Synodi expressè apponitur modificatio vel restrictio, sed aliqua necessariò subintelligitur. *Resp.* Hoc dicis, hoc proba.

Dices. Synodus, quando Vulgatam declaravit authenticam, sciebat eam esse mendosam. Ergo nec voluit, nec potuit eam declarare authenticam, nisi cum aliqua restrictione saltem tacita. *Resp.* Synodus tunc sciebat Vulgatam, non ut est in se, sed ut erat in exemplaribus, mendosam esse. Sciebat Vulgatam habere menda librariorum; at simul sciebat illam non habere menda Interpretis contra sensum scil. Scripturæ originalis. Sciebat exemplaria vulgatæ esse mendosa, licèt non omnia in iisdem planè locis & æqualiter: unde jussit vulgatam quàm emendatissimè imprimi: at simul sciebat ipsam Vulgatæ speciem puram & integram esse: unde ipsam Vulgatæ speciem declaravit authenticam simpliciter, & sine addito diminuente vel restringente.

Dices. Certum est authores Vulgatæ nostræ errare potuisse contra sensum Scripturæ originalis. Unde ergo Synodus certò scire potuit, quòd nunquam erraverint? *Resp.* Hoc sufficientissimè colligere potuit ex longo tot sæculorum usu, quo Vulgata nostra in Ecclesia Dei probata fuerat, tanquam vera & germana Scripturæ divinæ interpretatio, aliisque omnibus, quæ ante illam editæ fuerant, etiam ipsi LXX. Interpretum editioni prælata.

Prob. 2. Synodus decreto suo simpliciter statuit, ut Vulgata nostra pro authentica habeatur in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, ut patet ex tenore decreti: unde sic argumentor. Qui simpliciter statuit, ut Vulgata nostra pro authentica habeatur in publicis lectionibus, disputationibus, &c. statuit, ut Vulgata nostra pro authentica habeatur; quotiescumque citabitur in publicis lectionibus, disputationibus, &c. & qui statuit, ut Vulgata nostra pro authentica habeatur, quotiescumque citabitur in publicis lectionibus, disputationibus, &c. statuit, ut Vulgata nostra pro authentica habeatur secundùm omnes partes, secundùm quas citari potest & solet in publicis lectionibus, disputationibus, &c. Atqui Vulgata nostra in publicis lectionibus, disputationibus, &c. citari potest secundùm omnes partes suas, distributivè sumptas, non solùm eas quæ ad fidei dogmata & mores pertinent, sed etiam eas quæ spectant ad res purè historicas: citari, inquam, potest secundùm omnes omninò partes suas, distributivè sumptas, nulla excepta. Ergo Synodus decreto suo statuit, ut Vulgata nostra pro authentica habeatur in omnibus omninò partibus suis, distributivè sumptis, nulla excepta. Ergo declarat Vulgatam nostram esse intrinsecè authenticam in omnibus omninò partibus suis, nulla excepta, adeòque Scripturæ originali, saltem quoad sententias & res expressas, planè conformem ubique.

Prob. 3. Cùm Synodus addit, *& ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat*, (supple, in publicis lectionibus, disputationibus, &c.) manifestè loquitur de Vulgata, non solùm sumpta collectivè, sed etiam distributivè sumpta secundùm omnes partes suas, secundùm quas citari potest in publicis lectionibus, disputationibus: loquitur enim de Vulgata secundùm quod solent homines ejus authoritatem adhibere in publicis lectionibus, disputationibus, &c. & homines in publicis lectionibus, disputationibus, &c. authoritatem ejus adhibent, modò hunc, modò illum, modò alium ejus textum, modò unam, modò aliam ejus partem proferendo; nec solùm partes seu textus dogmaticos vel morales, sed etiam purè historicos proferunt. Ergo Synodus prohibet non solùm ne Vulgata tota, sed etiam ne vel una aliqua illius pars rejiciatur quovis prætextu. Sed id, cujus authoritas nullo prætextu rejici potest, proculdubio fide dignum est. Ergo ex Synodo nulla pars est Vulgatæ nostræ, quæ non sit fide digna. Ergo ex Synodo, nulla pars est Vulgatæ nostræ, quæ ab originalis Scripturæ sensu aberret; quamvis non omnis sensum illum exprimat ea claritate, energia, & elegantia, quam habet Scriptura originalis.

Confir-

Confirmatur. Ex his Synodi verbis: *Decernit & statuit* (Synodus) *ut posthac Sacra Scriptura, potissimùm verò hæc ipsa vetus & vulgata editio quàm emendatissimè imprimatur*. Hoc autem decrevit & statuit Synodus, velut necessarium ad executionem decreti de Vulgatæ authentia, ut constat ex Legatorum Pontificiorum, qui tunc Synodo præsidebant, litteris ad Farnesium Cardinalem, in quibus, ut refert Palavicinus lib. 6. hist. Conc. Trid. cap. 17. n. 16. *Addebant Tridenti quoque animadversa fuisse Vulgatæ menda; se tamen noluisse idcirco illam universè pronunciare mendosam; arbitratos & honorificentius & conducibilius esse, si re ipsa remedium adhiberetur, exemplo, ad exequendum decretum, mendis purgato in lucem edito*. Ex his autem

Sic argumentor. Si concilium decreto suo Vulgatam nostram declaravit authenticam in sensu restricto tantùm, putà in hoc tantùm sensu, quòd nihil habeat fidei dogmatis & bonis moribus contrarium; certè ad executionem decreti de Vulgatæ authentia opus non fuit nova Vulgatæ impressione, & multò minùs opus fuit nova illius impressione, quæ esset emendatissima, & quàm emendatissima: nam in Vulgata nostra, qualis tunc extabat in suis exemplaribus, nihil planè erat fidei dogmatis & bonis moribus adversum. Atqui tamen Synodus novam Vulgatæ nostræ impressionem, eamque emendatissimam, & quàm emendatissimam, ad executionem decreti sui de illius authentia necessariam judicavit. Ergo falsum est, quòd Synodus Vulgatam nostram declaraverit authenticam in sensu restricto, sed authenticam declaravit in sensu quodam amplissimo, authentiæ scilicet intrinseco, hoc est, in eo sensu, quòd ut est in se & secundùm se, sit in omnibus suis partibus pura & germana Scripturæ originalis quoad sententias & res expressas interpretatio; quamvis non sit omnium interpretationum possibilium optima, quod ad authentiam intrinsecam minimè requiritur,

Confirmatur iterùm. Ex eo quod Palavicinus cap. citato num. 15. refert de aulicis degentibus Romæ, quò decretum ante evulgationem missum fuerat à Synodo. Narrat autem aulicos illos, *cum mentem variis oppositionibus, sæpius auditis seu lectis, adversùs varios vulgatæ versionis locos occupatam gererent, hoc decretum acriter initio damnavisse, objicientes multa Vulgatæ menda nec amanuensibus neque typo adscribi posse: ac certè debuisse in decreto denunciari, eam esse recognoscendam & emendandam*. Addit Palavicinus, *tantum ea de re obmurmuratum esse, ut deliberatum fuerit de impressione illius decreti tantisper retardanda, donec nonnulli adjectis reconcinnaretur*.

Aulici igitur illi, rebus nondùm ea qua par erat, maturitate expensis, decretum damnarunt acriter, quia mentem variis oppositionibus adversùs varios Vulgatæ locos occupatam gerebant, & putabant multa Vulgatæ inesse menda, quæ nec amanuensibus nec typographis possent adscribi, adeòque essent ipsius Interpretis. Ergo decretum acriter damnarunt, quia putarunt illud cadere non posse, nisi in versionem, mendorum Interpretis prorsùs expertem, adeòque nonnisi in versionem ubique puram & integram, ubique Scripturæ originali quoad sententias & res expressas omninò conformem. Ergo intellexerunt decretum in eodem planè sensu, in quo nos intelligimus.

Porrò sic decretum intelligendo hallucinati esse, & aliter quàm Synodus ipsa intellexerit, intellexisse, dici minimè possunt: nam Synodi Præsides, ut eorum querimoniis satisfacerent, non rescripserunt decretum tam amplè sumendum non esse, in eo subintelligi restrictionem aliquam; illic nomine versionis authenticæ intelligi versionem, cum Scriptura originali in iis omnibus, quæ ad fidei dogmata & bonos mores attinent, conformem; non versionem, quæ nunquam ab originalis Scripturæ sensu aberret.

Quid igitur responderunt? Videri quidem vulgatam editionem aliquibus in locis *ab hebraica locutione discrepare, humilique serpere stylo, nec extra barbarismum aliquem, aut solecismum. Sed cum satis liqueat, ab hebræis atque hæreticis multa fuisse loca in sacris paginis depravata, haud apparere, quò tutius confugiendum sit, quàm ad observationem illius Ecclesiæ, quæ præterquam quòd caput est Christianæ Reipublicæ, peculiari Dei privilegio ac beneficio semper perstitit absque hæreseos labe, cum perpetua & nunquam interrupta successione Pontificum*, quæque à tot sæculis vulgatam editionem, & quidem solam, ut puram & germanam Scripturæ originalis interpretationem recipit & probat. Quo tam firmo nixa fundamento judicavit Synodus vulgatam editionem declarandam esse authenticam, absque omni addito diminuente vel restringente ejus authentiam, adeòque nulla qualicumque, quæ exemplaribus ejus inerant, mendorum facta mentione; arbitrata *& honorificentius & conducibilius esse, si reipsa remedium adhiberetur, exemplo, ad exequendum decretum, mendis purgato in lucem edito*.

Synodi igitur Præsides cum ipsa Synodo, & aulici Romæ degentes, decretum cum eadem amplitudine intellexerunt: unde & Synodi Præsides cum ipsa Synodo, & aulici Romæ degentes, vulgatam editionem ab omnibus erratis repurgandam esse judicarunt; cum hoc tamen discrimine, quòd aulici Romæ degentes arbitrarentur vulgatæ editioni multa etiam interpretis menda inesse: unde objiciebant *debuisse in decreto denunciari, eam esse recognoscendam & emendandam*. At verò Synodus sensit eam non habere nisi menda librariorum: unde statuit & decrevit, non ut recognosceretur & emendaretur, sed, quod longè aliud est, ut quàm emendatissimè imprimeretur. Quod confirmatur ex eo quòd Bibliorum correctores, qui sanè Synodi sensum probè norant, eique se conformarunt, expresè affirment, sibi propositum non fuisse, *antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare, sed ipsam veterem ac vulgatam editionem latinam à mendis veterum librariorum, necnon prævarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere, eaque restituta, ut quàm emendatissimè imprimeretur, juxta Concilii œcumenici decretum, pro viribus operam dare*. Ex his

Confirmatur adhuc resp. Synodus statuendo ut Vulgata nostra in publicis lectionibus, disputationibus, &c. pro authentica habeatur, illam declaravit authenticam in sensu nostro, si eam, ut est in se & secundùm se, puram omninò & integram Scripturæ originalis versionem esse sensit. Atqui talem esse sensit Synodus: nam sensit eam non habere menda interpretis, ut probatum est, & adhuc probari potest ex eo quòd Synodi Præsides in suis ad aulicos Romæ degentes litteris addebant, nempe *aliam rem esse exemplarium depravationem, aliam codicis in se ipso: hanc ad speciem*, (& eandem in omnibus exemplaribus inveniri,) *illam ad singula particularia pertinere; & in variis exemplaribus esse variam & inæqualem*: nam quò hæc spectant, nisi ad insinuandum, quæ *Tridenti quoque animadversa fuerant Vulgatæ menda*, cùm varia essent & inæqualia in variis exemplaribus, non interpreti, sed librariis jure meritò imputata fuisse, & quantumvis exemplaria essent mendosa, ipsum codicem in se & secundùm se, seu ipsam Vulgatæ speciem puram ac integram in omnibus suis partibus judicatam?

Dices. Synodo minimè exploratum fuit, Vulgatam nulla habere menda Interpretis: nam Synodi Præsides in suis litteris, post verba proximè laudata, subjiciebant: *Utcumque se res haberet, neque necessarium erat, neque conducibile, disertis verbis à Concilio affirmari, inesse quidquam labis, quamvis ex accidente, ac minimum in exemplis omnibus, & universa specie interpretationis Vulgatæ, ne argumentum porrigeretur cavillationibus, quas inde deducerent hæretici, &c. Resp*. Hæc ex abundanti subjecisse Synodi Præsides, ut aulicorum Romæ degentium querelis plenissimè satisfacerent, & perinde esse, ac si dixisset: Dato, non concesso, quòd nonnulla, eaque levissima menda Interpretis Vulgatæ in essent,

sent, neque necessarium fuisse, neque conducibile, &c.

Porrò nonnullorum Interpretis erratorum suspicio moveri potuisset ex eo quòd videbatur Vulgata in aliquibus locis ab hebraica locutione discrepare: sed omnem ejusmodi suspicionem penitùs amovebant duo; nempe quòd satis liqueret *ab hebræis atque hæreticis multa fuisse loca in sacris paginis depravata*, & Ecclesia illa, *quæ caput est Christianæ Reipublicæ, atque peculiari Dei privilegio ac beneficio, semper perstitit absque hæreseos labe, cum perpetua & nunquam interrupta successione Pontificum*. Vulgatam à tot sæculis ut puram & germanam in omnibus suis partibus Scripturæ originalis interpretationem recipiebat & probabat.

Obj. Andreas Vega, qui interfuit huic sessioni quartæ, in qua decretum de Vulgatæ authentia editum est, lib. 15. de justificatione cap. 9. nobis apertè adversatur: nam ibi sic Calvinum alloquitur: *Sed ne erres, ut facis, circa approbationem vulgatæ editionis, factam in sess. 4. nec frustra labores in ostendendis vitiis vulgatæ editionis ..... Synodus non approbavit menda, quæ linguarum periti, & in sacris litteris mediocriter versati, in ea deprehendunt ..... eatenùs voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defœdari errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, & moribus colligi posset, atque ideò adjecit, ne quis illam quovis prætextu rejicere auderet.*

Hanc autem fuisse Synodi sententiam ut probet, sic prosequitur: *Et hanc fuisse mentem Synodi, nec quicpiam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis & ex aliis consuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de his, verissimè possum tibi allegare pro his amplissimum & observantissimum Dominum Sanctæ Crucis Cardinalem, de pietate, & de litteris, & studiosis omnibus optimè meritum, qui illi sessioni, & aliis omnibus præfuit, ac pridie quidem quàm illud decretum firmaretur, & posteà, non opinor semel, mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare.*

Resp. Vegam hìc non esse audiendum: nam ex ejus assertione non pauca sequuntur satis absurda. Etenim si se res ita habet, ut asserit Vega, 1. Synodus non aliter approbavit Vulgatam nostram, quàm Doctores solent approbare libros, de quibus testantur, quòd nihil fidei dogmatis, vel bonis moribus contrarium contineant. Hinc 2. qui nunc auderet asserere, quòd Vulgata nostra innumeris contra originalis Scripturæ sensum erroribus scateat, ex quibus tamen nullùm colligi possit perniciosum dogma in fide vel moribus, quantumvis veritati, at Synodi decreto non contradiceret. 3. Imò quantumvis supponatur Vulgata nostra, innumeris ejusmodi erroribus esse defœdata, adhuc habebit totam authentiam, quam ei Synodus attribuit. Hinc inter Doctores nonnulli Vegam ut inconsideratè hac in re locutum insimulant.

Præterea, quid opus erat decreto, *ut omnibus certum esset, nullo* Vulgatam *defœdari errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset*, cùm hoc in Ecclesia Dei jam esset exploratissimum, & vel sola *autopsia* demonstraret evidenter? Item, si Concilium Vulgatam eo tantùm sensu authenticam declarare voluit, quid opus fuit ad executionem decreti, ut Vulgata emendatissimè & quàm emendatissimè imprimeretur? quandoquidem, qualis tunc extabat in suis exemplaribus, nullo defœdata erat errore, ex quo perniciosum dogma in fide & moribus colligi posset. Item quod dicit Vega, ex verbis decreti colligi posse, quòd Concilium nihil ampliùs statuere voluerit, est evidenter falsum, & contrarium superiùs ostendimus.

At inquies. A Cardinali Sanctæ Crucis, qui præfuit omnibus Synodi sessionibus, Vega non semel audivit, *nihil amplius voluisse Patres firmare*, scilicet quàm Vulgatam *nullo defœdari errore, ex quo perniciosum dogma in fide & moribus colligi posset*.

Resp. 1. Vegæ testimonio evidenter contradicere verba decreti, adeòque testimonium illud nullius esse momenti. *Resp.* 2. Vegam Cardinalis mentem non attigisse: ut enim manifestè colligitur ex his, quæ à nobis ex Palavicino relata sunt, non aliud ab eo audire potuit, quàm Vulgatam, etiam à mendis librariorum repurgatam, approbatam tantùm fuisse à Synodo ut bonam, non verò ut omnium possibilium optimam Scripturæ originalis interpretationem. Unde, ut ibidem observat Vega, Synodus decreto suo *nec cohibuit, nec cohibere voluit, studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent, melius potuisse aliqua verti, & uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum Sanctum sensus, vel certè alios commodiores, quàm è vulgata editione possent haberi.*

Obj. Palavicinum, sic cap. citato, n. 10. loquentem: *Quòd vulgata translatio exemplari primævo per omnes leviores minutasque particulas conformetur, nec ab illo declinaverit, vel in certa arbore, vel in certa animante* (adde, vel in certa gemma) *pro aliis alias exponendo, pia est aliquorum sententia, quam quidem qui respuat, non damnatur ab Ecclesia.* Ergo falsum est, quòd Synodus decreto suo Vulgatam declaraverit intrinsecè authenticam, seu Scripturæ originali conformem in amplo illo sensu, quem nos asserimus. *Resp.* Vulgatam à Synodo authenticam declarari simpliciter, & absque omni addito diminuente vel restringente, adeòque declarari Scripturæ originali, saltem quoad sententias & res expressas, ubique conformem; qualis non esset, si in certa arbore, vel animante, aut gemma, ab exemplari primævo declinaret, aliam pro alia exponendo. Fatemur tamen eos, qui non tam arctè intelligunt decretum Synodi, non damnari ab Ecclesia: unde tantùm sequitur, sententiam nostram non esse de fide, & oppositam aliquam habere verisimilitudinem saltem ab extrinseco, hoc est, ab authoritate Doctorum, qui eam tuentur.

DISPUTATIO IV.

De Traditione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Traditio, & quotuplex sit.

1. TRaditionis nomen dupliciter sumitur, latè scilicet & strictè. Traditio latè & generaliter sumpta, est omnis doctrina, ab uno alteri communicata, sive scripto, sive viva voce communicetur. Patet ex Apostolo ad Thessalonicenses 2. cap. 2. ubi sic loquitur: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Traditio verò strictè sumpta, & prout à Patribus & Theologis communiter accipitur, est doctrina, quæ ab uno alteri communicatur, non scripto, sed viva voce tantùm. De Traditione in hac acceptione agitur in hac Disputatione. Traditio igitur, ut hìc sumitur, est doctrina, non scripto, sed viva voce tradita à primo authore, sive posteà ab aliis scripto mandata fuerit, sive non. Sic v. gr. quòd infantes sint baptizandi, scriptum invenimus in veterum Patrum libris, nihilominùs dicitur, & est Traditio Apostolica; quia parvulos esse baptizandos, primis fidelibus non scripto, sed viva voce tradiderunt Apostoli: in nullo enim libro Apostolico scriptum invenitur, & tamen est de fide, adeòque à Deo revelatum per Apostolos, & per eos primis fidelibus viva voce traditum.

2. Traditiones dividuntur in divinas & humanas. Traditiones divinæ sunt illæ, quæ Deum habent authorem; humanæ verò, quæ authores habent homines. Traditiones divinæ aliæ dicuntur legis naturæ, aliæ legis Mosaicæ, & aliæ legis Evangelicæ. Traditiones

tiones legis naturæ, sunt illæ, quas homines, qui sub illa lege fuerunt, acceperunt à Deo per Adamum, Noe, Abrahamum, aliosve Patriarchas. Traditiones legis Mosaicæ sunt illæ, quas Israelitæ à Deo per Moysem, aliosve Prophetas acceperunt, nec in veteri testamento inveniuntur scriptæ. Traditiones legis Evangelicæ sunt illæ, quas Ecclesia accepit à Deo per Apostolos, nec scriptæ reperiuntur in novo Testamento.

Porrò ex traditionibus legis Evangelicæ alias ex ore Christi exceperunt, alias verò à Spiritu S. revelante acceperunt Apostoli. Primi generis sunt illæ omnes, quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent, nec in libro aliquo canonico scriptæ sunt: solus enim Christus essentiam, adeòque materiam & formam Sacramentorum instituere potuit. Omnes tamen legis Evangelicæ traditiones Apostolicæ dicuntur, quia omnes per Apostolos accepit Ecclesia.

3. Traditiones humanæ aliæ sunt purè humanæ, aliæ verò Ecclesiasticæ. Purè humanæ sunt illæ, quæ authores habent homines sibi relictos: Ecclesiasticæ verò, quæ Ecclesiam à Spiritu S. rectam habent authorem. Primi generis fuerunt olim apud Judæos Traditiones pharisaicæ, sic dictæ, quia à Pharisæis vel inventæ fuerunt, vel saltem plurimùm commendatæ: ut quòd manus lavandæ essent ante cibi sumptionem, & hæc lotio sæpiùs inter comedendum iteranda; quòd rerum etiam minutissimarum decimæ Deo offerendæ essent; quòd filii parentibus suis in necessitate subvenire non tenerentur, & satis esset, si Deo munus aliquod offerrent, &c. Quarum traditionum aliæ erant bonæ ex genere suo, aliæ malæ, aliæ denique indifferentes & inutiles.

4. Traditiones Apostolicæ aliæ sunt speculativæ, & aliæ practicæ. Speculativæ, quæ etiam dicuntur traditiones de fide, sunt illæ, quæ speculativam veritatem continent, ut quòd nec plura sint nec pauciora, quàm septem Sacramenta: practicæ verò, quæ etiam dicuntur traditiones de moribus, sunt illæ, quæ continent aliquam veritatem practicam, & ad mores seu ritus Ecclesiæ pertinentem, ut quòd aqua in Missæ sacrificio sit vino miscenda in calice; quòd Festum Paschæ celebrandum sit die dominica, lunam Martii 14. proximè subsequente, &c.

5. Traditiones practicæ aliæ sunt perpetuæ, & aliæ temporales; item aliæ universales, & aliæ particulares; item aliæ necessariæ, & aliæ liberæ. Perpetuæ sunt illæ, quæ institutæ sunt in perpetuum, hoc est, ut in Ecclesia serventur usque ad finem Mundi, ut mixtio aquæ cum vino in calice; celebratio Paschæ die Dominica, proximè subsequente lunam quartam decimam mensis Martii: temporales verò, quæ ad certum tempus tantùm institutæ fuerunt, ut legalium aliquarum cæremoniarum observatio, nempe abstinentia à suffocato & sanguine, servanda usque ad plenam Evangelii promulgationem.

Traditiones universales sunt, quæ institutæ fuerunt pro universa Ecclesia, ut celebratio Festorum Paschatis & Pentecostes, jejunium quadragesimale, jejunium quatuor temporum: particulares verò, quæ institutæ fuerunt pro una, vel pluribus Ecclesiis particularibus; quale adhuc erat tempore S. Augustini jejunium sabbati, à Petro Apostolo traditum Ecclesiæ Romanæ, quòd cum Ecclesia Romana aliquæ aliæ particulares Ecclesiæ servabant.

Traditiones denique necessariæ sunt illæ, quæ institutæ fuerunt per modum præcepti, adeòque obligant in conscientia; ut jejunium quadragesimale, jejunium quatuor temporum, celebratio Festorum Paschatis & Pentecostes, &c. Traditiones verò liberæ dicuntur, quæ institutæ sunt ad modum concilii tantùm: unde non obligant in conscientia ad sui observationem; ut adorare versùs Orientem, signare se signo Crucis, aqua benedicta aspergere, &c.

6. Similiter traditiones Ecclesiasticæ aliæ sunt speculativæ, & aliæ practicæ. Speculativæ veritatem aliquam speculativam continent, ut quòd Concilium Nicænum fuerit œcumenicum; quòd Gregorius Magnus fuerit legitimus Pontifex, &c. Practicæ verò continent veritatem aliquam practicam, ut quòd celebrandum sit festum Sancti Laurentii martyris; quòd celebranda sit B. Virginis Nativitas, &c. Porrò speculativæ sunt, veritatum speculativarum, & practicæ veritatum practicarum, in Scriptura Sacra vel Apostolicis traditionibus contentarum, ad quædam particularia sub illis contenta, applicationes vel extensiones, ab Ecclesia, à Spiritu sancto acta & gubernata, factæ.

Traditiones ecclesiasticæ practicæ subdividi possunt in perpetuas, & non perpetuas; item in universales, & particulares; item in necessarias, & liberas: nam vel sunt institutæ ut semper serventur, ut sunt perpetuæ, vel sunt institutæ ad certum tempus tantùm, & temporales sunt. Item vel sunt receptæ in universa Ecclesia, & sunt universales, vel sunt usitatæ tantùm in aliquibus Ecclesiis particularibus, & particulares sunt. Denique vel vim habent obligandi in conscientia, & sunt necessariæ; vel se habent per modum consilii tantùm, & liberæ dicuntur.

ARTICULUS II.

Utrùm extiterint aliquæ traditiones divinæ in lege Naturæ & lege Mosaica.

Responsio I.

EXtiterunt aliquæ traditiones divinæ in lege naturæ.

Probatur. Quia in lege naturæ potuit esse, & fuit fides divina. Ergo in lege naturæ fuerunt aliquæ revelationes divinæ. Consequens patet: nam fides divina est actus, quo credimus Deo aliquid revelanti credibiliter. Atqui revelationes illæ non fuerunt à sacro aliquo authore scriptæ: primus enim omnium authorum sanctorum fuit Moses. Ergo revelationes illæ viva tantùm voce traditæ, & conservatæ fuerunt. Ergo, &c.

Porrò quòd in lege naturæ potuerit esse & fuerit fides divina, patet ex eo, quòd, 1. in illa lege aliqui, imò multi justi fuerunt & Deo grati. At nemo potuit unquam justus esse & Deo gratus sine fide divina, juxta illud Apostoli ad Hebr. cap. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* 2. In illa lege potuerunt peccatores ad Deum converti. At nemo unquam ad Deum converti potuit sine fide divina, juxta illud ejusdem Apostoli eodem loco: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* In illa lege homines erant in statu elevationis, adeòque poterant & debebant tendere ad beatitudinem supernaturalem. At ad supernaturalem beatitudinem non tenditur, nisi per actus supernaturales fidei, spei, charitatis, & virtutum moralium, prælucente fide divina, ex imperio charitatis operantium.

Confirmatur. Resp. Nam Deus Adamo multa revelavit ante lapsum ejus, ut existentiam suam, mysterium sanctissimæ Trinitatis, immortalitatem animæ, supplicium æternum impiis, & æternam beatitudinem justis præparatam in altera vita. Item multa etiam ei revelavit post ejus lapsum, ut venturum Messiam Deum in hominem, passionem ejus & resurrectionem, genus humanum ejus morte redimendum, remedium parvulis adhibendum ad delendum peccatum originale. His adde multa alia circa cultum externum, quem sibi exhiberi volebat Deus; circa ritus sacrificiorum Deo offerendorum, atque imprimis per sacrificia illa præfigurandam mortem & passionem Redemptoris. Hæc autem omnia, & alia fortasse plura, sibi à Deo revelata, Adamus non scripto, sed viva voce tradidit filiis & nepotibus suis, qui ea similiter filios ac nepotes suos viva voce docuerunt.

Præterea, non solùm Adamo locutus est Deus, sed etiam Patriarchis aliis, ut Setho, Enos, Enocho,

cho, Noemo & Abrahamo, quibus vel eadem quæ Adamo, vel etiam aliqua alia revelavit. Hi autem veritates sibi à Deo revelatas, non calamo, sed ore tradiderunt filiis suis, qui parentes imitati, quæ ab illis audierant, filiis suis similiter, non calamo, sed ore tradiderunt.

Responsio II.

In lege Mosaica, præter Scripturam sacram, extiterunt aliquæ traditiones divinæ.

Prob. Quia Judæi fide divina credebant explicitè plurimas veritates, quarum tamen in veteri Testamento nullibi reperitur expressa mentio, quales sunt immortalitas animæ, mortuorum omnium resurrectio in fine Mundi; in statu peccati morientium æterna damnatio, & beatitudo æterna morientium in statu gratiæ; pœna temporaria, pro peccatis remissis debita, ab animabus justorum in purgatorio persolvenda; peccati originalis condonatio pro masculis octavo die circumcisis; & pro fœminis, ac masculis ante diem octavum morientibus, certo alio ritu externo adhibito. Ergo Judæi plurimas illas veritates credebant propter traditionem divinam: nam credebant illas propter expressam revelationem divinam. Siquidem credebant illas explicitè; nec expressam illarum revelationem divinam habebant in Scriptura; siquidem illarum mentio expressa nullibi fit in veteri Testamento. Superest igitur ut illas crederent propter expressam illarum revelationem divinam viva voce traditam. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia vera legis scriptæ intelligentia, quam Moses tradidit sacerdotibus, ut ea ad controversias circa sensum legis exortas, quæ ad illos ex ipsius legis præscripto deferendæ erant, dirimendas juvarentur, fuit vera traditio divina: nam fuit nova revelatio, per Mosen à Deo, non scripto, sed oretenùs facta sacerdotibus. Ergo Judæi, præter Scripturam sacram, habuerunt etiam divinam traditionem, Scripturæ S. interpretem.

Obj. 1. Deuteron. cap. 4. damnantur traditiones, cùm dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Resp.* Hoc esse falsum: hoc enim loco Deus tantùm prohibet, ne mandata quæ tradit, falsa interpretatione depraventur, & præcipit ut integrè serventur, qualia imponuntur, nihil addendo vel minuendo, ut patet ex verbis subsequentibus: *Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Unde hoc loco non aliud dicit, quàm quod cap. 12. cum ait: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam nec minuas.*

Obj. 2. Christus Matth. cap. 15. indiscriminatim damnat traditiones Judæorum: ait enim illis: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Ergo Judæi non habuerunt traditiones divinas. *Resp.* neg. ant. Nam Christus hoc loco damnat tantùm traditiones merè humanas, quarum aliæ inutiles erant, aliæ verò etiam malæ, & scripturis repugnantes, ut patet ex verbis subsequentibus: *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Sed

Nota. Apud Judæos traditiones fuerunt duplicis generis, aliæ scilic. antiquæ, quas acceperant à Mose & aliis Prophetis, aliæ verò recentiores, quas acceperant à recentioribus magistris, quos fuisse Rabbinos Akiba, Simeon, & Hille, scribit Hieronymus in sua ad Algasiam epistola quæst. 10. Has damnarunt Christus & Apostoli, non illas. De secundis sic loquitur Hieronymus loco citato: *Quantæ traditiones pharisæorum sint, quas hodie vocant δευτερώσεις & quàm aniles fabulæ, evolvere nequeo: neque enim libri patitur magnitudo; & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere.*

Traditiones Judæorum paulò aliter dividit S. Epiphanius in Prolomaitarum hæresi num. 90. ubi sic loquitur: *Seniorum traditiones δευτερώσεις à Judæis vocantur. Quatuor autem illarum sunt genera. Primum est, quod sub nomine Mosis circumferunt. Secundum est, quod Rabbi Akibæ tribuunt. Tertium Addæ, sive Judæ. Quartum ad Asamonæi filios refertur.* Mosaicas autem traditiones verè divinas fuisse, & à Christo probatas, paulò inferiùs asserit his verbis: *Cæterum quæ à Mose sancita sunt, à Deo minimè sunt aliena, à quo, Moyse sequestre & interprete, tradita sunt: quod & ipsum Salvatoris judicium evidenter approbat.* Scribit idem Epiphanius in Marcionitarum hæresi, traditionem Akibæ paulò ante captivitatem Babylonicam; traditionem, quæ Davidis inscribitur, post reditum è Babylonia, & traditionem Assamonæorum Alexandri & Antiochi temporibus, annis ante Christum 190. initium habuisse.

Articulus III.

Utrùm præter Scripturam veteris & novi Testamenti, existant traditiones divinæ in lege Evangelica.

TRaditiones divinas olim repudiavere antiquissimi hæretici, Basilidiani scilicet, Cerinthiani, Valentiani, & Marcionitæ, de quibus hæc scribit Sanctus Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 2. *Cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem .... Cùm autem ad eam iterùm traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos; adversantur traditioni ..... Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos.* Itaque hæretici illi, cùm urgebantur Scripturarum testimonio, provocabant ad traditiones; & cùm urgebantur traditionibus Apostolicis, illas velut traditiones merè humanas aspernabantur: sic impii in circuitu ambulant.

Veteres illos hæreticos in rejiciendis traditionibus divinis imitati sunt alii posteriores hæretici, Donatistæ scilicet, Ariani, Eunomiani, Nestoriani, Eutychiani, Aeriani, &c. quos sæculo duodecimo Apostolici, decimo quarto Vvicleffus, decimo sexto Lutherus & Calvinus secuti sunt, quorum hic hæc habet lib. 4. instit. cap. 8. §. 8. *Esto igitur hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm & Prophetis, deinde scriptis apostolicis continetur; nec alium esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex ejus verbis* (scripti) *præscripto & norma.* Ille verò ita loquitur in commentar. cap. 1. ad Galatas: *Neque alia doctrina in Ecclesia tradi & audiri debet, quàm purum Verbum Dei, hoc est, sancta Scriptura. Doctores vel auditores alii cum sua doctrina, anathema sunto.* Sed contra illos omnes sit

Responsio.

Præter Scripturam Sacram, existunt etiam traditiones divinæ in lege Evangelica.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam sic loquitur Apostolus 1. Cor. cap. 11. *Laudo vos, fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et 2. Thessal. cap. 2. *Itaque fratres, state* (firmi in fide,) *& tenete traditiones, quas didiciſtis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* In quæ verba sic habet S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 29. *Arbitror apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo, inquit, vos, quòd omnia mea meminiſtis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obtinetis, quas acceptiſtis, sive per sermonem, sive per epistolam.* Et S. Damascenus lib. 4. orthod. fid. cap. 17. *Quòd autem Apostoli quamplurima, nullo Scripturæ Sacræ loco prodita, nobis tradiderint, his verbis testatur ille Gentium Apostolus Paulus: State igitur, &c. Et ad Corinthios scribens:*

Laudo

Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, traditiones tenetis. Vulgata noſtra habet *præcepta mea*, quod diverſum non eſt: loquitur enim Apoſtolus de præceptis, non ſcriptis, ſed viva voce traditis.

Prob. 2. Ex Patribus Græcis, ex quibus hìc ſufficient nobis Ignatius martyr, de quo hæc refert Euſeb. lib. 3. hiſt. Eccl. c. 36. *Cum per Aſiam ſub cuſtodia navigaret, ſingulas quaſque digrediens civitates, Eccleſiæ populos Evangelicis cohortationibus edocebat in fide perſiſtere... & ut diligentiùs ac tenaciùs Apoſtolorum traditionibus inhærerent, quas traditiones cautelæ gratia, & ne quid apud poſteros remaneret incerti, etiam ſcriptas ſe aſſerit reliquiſſe.* Ignatius igitur adhortabatur Eccleſiæ populos, ut inhærerent Apoſtolorum traditionibus, quas ipſi non ſcripſerant; quando quidem illas, ne exciderent, aut in dubium aliquando revocarentur, ipſe ſcripſerat.

Irenæus lib. 3. cap. 2. verbis jam relatis, & cap. 3. ubi ait: *Hac ordinatione & ſucceſſione* (Pontificum) *ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis prædicatio pervenit uſque ad nos.* Et cap. 4. ubi hæc habet: *Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias?* Ecce apertè ſupponit, præter divinas Scripturas, eſſe in Eccleſia traditiones Apoſtolicas, easque per ordinationem & ſucceſſionem Pontificum conſervari aſſerit.

Clemens Alexandrinus, de quo Euſebius lib. 6. hiſtor. Eccl. cap. 11. hæc inter alia narrat: *In libello, quem ſcripſit de Paſcha, confitetur extorqueri ſibi a fratribus, ut ea quæ à presbyteris, ideſt à ſucceſſoribus Apoſtolorum voce ſibi ſola tradita ſunt, deſcriberet in libris, ac poſteris traderet.* Hic manifeſtè loquitur Clemens de traditionibus Apoſtolicis: loquitur enim de iis quæ audiverat à ſucceſſoribus Apoſtolorum, adeòque de iis quæ ipſi Apoſtolorum ſucceſſores audiverant ab Apoſtolis, qui ea non ſcripto, ſed voce ſola tradiderant: unde à fratribus enixè rogatus erat Clemens, ut illa deſcriberet in libris, & poſteris ſcripto traderet.

Origen. hom. 5. in lib. Numeror. ubi multas traditiones apoſtolicas de moribus ſeu ritibus eccleſiaſticis enumerat, & dicit illarum rationem non eſſe notam omnibus: licèt omnes eas ſervare teneantur.

Euſeb. lib. 1. demonſtr. Evang. c. 8. ubi ſic loquitur de Apoſtolis: *Quæcunque iis convenire arbitrabantur qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationiſque indigentes, ea ipſi ad imbecillitatem multorum ſe demittentes, partim litteris, partim ſine litteris, quaſi jure quodam non ſcripto ſervanda, commendarunt.* Non omnia igitur ſcripſerunt Apoſtoli, ſed aliqua ſcripto, & aliqua viva voce tantùm primis fidelibus tradiderunt ſervanda.

Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27. ubi longa inductione probat traditiones apoſtolicas: *Ut ſigno crucis*, inquit, *eos qui ſpem collocaverunt in Chriſtum, ſignemus, quis ſcripto docuit? Ut ad orientem verſi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cùm oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit?* ..... *Conſecramus aquam baptiſmatis, & oleum unctionis, prætereà ipſum qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? Nonne à tacita ſecretaque traditione, &c.*

Prob. 3. Authoritate Patrum Latinorum, pro quibus omnibus ſint Tertullianus & Auguſtinus, quorum ille ſic loquitur in lib. de corona militis cap. 3. *Ergo quæramus an & traditio non ſcripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus.* Tum variis Eccleſiæ obſervationibus enumeratis, ſic proſequitur c. 4. *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, &c.*

Auguſtinus verò hæc habet lib. 5. de bapt. contra Donatiſtas c. 23. *Apoſtoli nihil quidem exinde præceperunt: ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Lib. 4. c. 24. dixerat: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.*

Prob. 4. Authoritate Concilii Tridentini ſeſſ. 4. in decreto de canonicis ſcripturis, ubi dicitur: *Perſpiciens* (Synodus) *hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt, &c.* Et inferiùs: *Si quis..... traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.*

Prob. 5. Ratione: nam multa ſunt de fide, quæ tamen nullibi in Scriptura reperiuntur ſcripta, ut quòd B. Virgo etiam poſt partum virgo perpetuò manſerit; quòd baptiſmus parvulorum valeat, nec expectandus ſit uſus rationis, ut validè baptizentur; quòd baptiſmus collatus ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſit ratus, & quòd hi qui ſic ab hæreticis baptizati ſunt, non ſint rebaptizandi; quòd ſeptem ſint Sacramenta, non plura, nec pauciora, & quòd omnia à Chriſto inſtituta fuerint; quòd Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, characterem imprimant, nec poſſint iterari: hæc, inquam, & alia multa ſunt de fide, & quidem independenter ab omni revelationum divinarum determinatione, extenſione, vel applicatione facta ab Eccleſia. Ergo fuerunt in ſe & ſecundùm ſe revelata. Ergo multa, quæ nullibi in Scriptura reperiuntur ſcripta, fuerunt in ſe & ſecundùm ſe revelata. Ergo plurimæ extant revelationes divinæ, à nullo authore canonico ſcriptæ, ſed ſolùm ab Apoſtolis viva voce traditæ Eccleſiæ, propter quas poſſumus, vel etiam debemus plurimas veritates fide divina credere. Ergo, &c.

Confirm. Quia Apoſtoli epiſcopis, quos particularibus Eccleſiis præfecerunt, multa, putà ad eſſentiam & adminiſtrationem Sacramentorum, atque ad veram Scripturarum intelligentiam pertinentia, commendarunt, & viva voce tradiderunt, non ſcripto, & quidem propter rationem multiplicem: ea enim noluerunt ſcribere, 1. ne libri ſacri in immenſum excreſcerent. 2. Ne ſi ſcripta inciderent in manus gentilium, ab illis irriderentur myſteria religionis noſtræ. 3. Ut eſſent in Eccleſia qui inſtruerent, & qui inſtruerentur, ac ſic arctior eſſet Eccleſiæ membrorum unio. 4. Ut fideles de Scripturarum intelligentia, aliiſve rebus ad fidem pertinentibus, Eccleſiam ejuſque prælatos conſulere cogerentur, & ſic magis commendaretur Eccleſiæ & prælatorum ejus authoritas. 5. Quia expediebat aliqua plebem latere, & innoteſcere ſolis prælatis, ad majorem illis apud plebem conciliandam reverentiam. Ergo in Eccleſia, præter doctrinam ab authoribus ſacris ſcriptam, eſt & alia doctrina ſola voce ab Apoſtolis olim tradita, & commendata prælatis Eccleſiæ, & per continuam prælatorum Eccleſiæ ordinationem & ſucceſſionem hactenùs conſervata, & uſque ad Mundi conſummationem conſervanda.

De hac doctrina ab Apoſtolis ſola voce prælatis Eccleſiæ tradita & commendata, certo certiùs loquitur Paulus 1. ad Timoth. cap. ultim. cùm ait: *O Timothee, depoſitum cuſtodi.* Et 2. ad eund. cap. 1. cùm dicit: *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide & in dilectione in Chriſto Jeſu. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Et cap. 2. cùm ait: Tu ergo, fili mi, *confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu; & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Nam per depoſitum illud, de quo ſervando tantam

ram præsefert sollicitudinem, aliud intelligere non potest, quàm doctrinam viva voce traditam Timotheo, quem ordinaverat episcopum : unde doctrinam illam vult à Timotheo, non in scrinio, sed in pectore diligenter asservari: unde jubet Timotheo, non ut plura illius exemplaria describi curet, sed ut illam, sicut ab ore loquentis excepit, ita oretenùs commendet hominibus ad docendum idoneis: unde denique non dicit : Verba quæ scripsi tibi, sed, verba quæ à me audisti, multis aliis tecum audientibus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Apostolus ad Galatas cap. 1. dicit: *Licèt nos aut angelus de Cœlo evangelizet vobis, præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et Joannes Apocal. cap. 22. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Et iterùm Apostolus Paulus 2. ad Timoth. c. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, &c.*

Resp. ad 1. Ibi Apostolus invehitur adversùs pseudo-apostolos, qui Galatas docebant, eos salutem consequi non posse nisi circumciderentur, aliasque cæremonias Mosaicas servarent, contra quod eos ipse docuerat, Mosaicam legem abrogatam esse, neminemque justificationis gratiam, adeòque nec salutem consequi posse, nisi per fidem Jesu Christi, & hanc fidem, cum aliis operibus salutaribus quæ ex illa fiunt, ad salutem sufficere sine observatione cæremoniarum legalium. Sed quid hoc ad traditiones?

Resp. ad 2. His verbis tantùm prohibetur, ne prophetiæ in Apocalypsi descriptæ corrumpantur, ad illas apponendo aliquid tanquam earum partem, quod tamen non sit earum pars.

Resp. ad 3. Aliud esse, quòd Scriptura sit utilis ad docendum, ad corripiendum, &c. & aliud, quòd sufficiat : sic potus ad nutritionem utilis est, nec tamen sufficit. Dicimus igitur Scripturam utilem esse ad docendum, ad arguendum, &c. At negamus ea sola veritates omnes revelatas contineri.

Obj. 2. Scriptura est regula fidei. Ergo nulla sunt dogmata fidei, præter ea quæ ab authoribus canonicis scripta sunt. Atqui si darentur præter Scripturam traditiones divinæ non scriptæ, essent aliqua fidei dogmata, præter ea quæ scripta sunt ab authoribus canonicis. Ergo, &c. *Resp.* neg. conseq. Ratio negandi est, quia Scriptura non est totalis, sed partialis tantùm regula fidei, etiam in ea linea, in qua est fidei regula : totalis enim regula fidei, in ea linea in qua Scriptura est fidei regula, consistit in Verbo Dei. Verbum autem Dei duplex est, scriptum scil. & non scriptum, quorum illud libris sacris comprehenditur, hoc verò traditionibus apostolicis Ecclesiæ viva voce traditis : unde regula totalis, de qua agitur, nec sola Scriptura, nec solis traditionibus apostolicis, sed scriptura & traditionibus apostolicis continetur. Licèt igitur omnia quæ sunt in Scriptura, sint de fide, non omnia quæ sunt de fide, sunt in Scriptura, sed aliqua sunt in sola traditione apostolica. Falsum igitur est, quòd nulla sint dogmata fidei, præter ea quæ ab authoribus sacris conscripta fuerunt.

Obj. 3. Qui dicit, quòd sint aliqua fidei dogmata, quæ non inveniuntur scripta in libris sacris, portam aperit innumeris erroribus: nam inde sumi potest occasio multa falsa dogmata commiscendi, & in Ecclesiam introducendi sub nomine traditionis apostolicæ. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. Habemus enim in Ecclesia viam infallibilem veras traditiones à falsis discernendi : sicut viam infallibilem habemus discernendi veras Scripturas à falsis. Hæc autem via est judicium Ecclesiæ, quæ ob specialem Spiritus S. assistentiam, in tali discretione errare non potest. Sicut igitur Ecclesia nunquam recepit aut recipiet falsas scripturas pro veris, ita falsas traditiones pro veris nunquam recepit, aut receptura est.

Obj. 4. Dato quòd in primitiva Ecclesia fuerint aliquæ traditiones apostolicæ non scriptæ, impossibile fuit eas per tot sæcula conservari : cùm huic conservationi obstiterint tot impedimenta : oblivio scilic. hominum imperitia, negligentia, & malitia. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. *Ad prob. Resp.* Impedimenta illa, vel etiam majora, facilè superari potuisse per specialem Dei providentiam, Ecclesiæ promissam, eique hactenùs exhibitam, & usque ad finem Mundi exhibendam. Sicut igitur Deus specialiter providendo Ecclesiæ suæ, veras scripturas hactenùs conservavit, & usque ad finem Mundi conservaturus est ; ita hactenùs conservavit, & usque ad finem Mundi conservaturus est veras traditiones.

Quatuor media, quibus divina providentia ad conservandas hactenùs traditiones apostolicas usa est, enumerat Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 2. videlicet scripta Patrum & Doctorum Ecclesiæ, in quibus extant traditiones apostolicæ ; usum continuum, quo pleræque traditiones apostolicæ sunt in continua observatione, ut ritus sacramentorum, dies festi, & jejuniorum tempora; monumenta quædam, quæ ad longissimum tempus durant, ut templa, sacri fontes, memoriæ martyrum ; cruces, & imagines ; hæreses, quibus Deus hactenùs mirabiliter usus est ad conservandam Ecclesiæ doctrinam : nam quia singulis ætatibus exorti sunt novi hæretici, singulis ætatibus extiterunt viri sancti & docti, qui doctrinam Ecclesiæ diligenter investigarunt, eamque defenderunt scriptis, ac posteritati commendarunt.

Quatuor his mediis alia quatuor addi possunt, nempè integram, & continuam successionem Episcoporum ab Apostolis ; quæ pluribus sæculis fuit in tribus primariis Ecclesiis, Romana scilicet, Alexandrina, & Antiochena, & adhuc perseverat, semperque perseveratura est in Ecclesia Romana ; Symbolum ab Apostolis viva voce traditum primis fidelibus, & ab illis ad nos usque viva voce transmissum, atque à prælatis Ecclesiæ eorumve ministris explanatum; acta & decreta Conciliorum, quæ singulis ætatibus celebrata sunt; praxim Ecclesiæ, quæ semper germanum Scripturarum sensum quæsivit in doctrina ab Apostolis viva voce tradita, & ad damnandas hæreses semper ad traditiones apostolicas confugit : cùm enim Scriptura sæpè sit obscura, adeòque in varios sensus apparenter trahi possit, & ex ea errores suos stabilire niterentur hæretici, necesse fuit, ut Ecclesia ad doctrinam ab Apostolis viva voce traditam, utpotè claram & apertam, & sic nullum hæreticis elabendi locum relinquentem, confugeret.

Hæc Ecclesiæ praxis patet ex omnibus Conciliis generalibus : in illis enim priusquam aliquid definiretur, apostolica traditio in sanctorum Patrum libris investigata est, tum ex ea sic planè explorata hæreses damnatæ. His omnibus mediis adde nonum, nempe ipsa scripta eorum, quos Ecclesia olim damnaverat, & extra ejus communionem objerant : nam scripta illa conferebantur cum orthodoxorum scriptis, & illorum cum eis oppositione in materia de qua erat controversia, argumentum sumebatur inferendi apostolicam doctrinam illam esse, quam qui vixerant & obierant in communione Ecclesiæ, scripto reliquerant.

Obj. Patres bene multi, præter Verbum Dei scriptum, nullum verè divinum agnoverunt, ut Irenæus lib. 3. cap. 1. ubi sic ait : *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.*

Tertullianus in lib. adversùs Hermogenem cap. 22. ubi hæc habet : *Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifestat & facta .... An autem*

de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum.

Cyprianus in epist. ad Pompej. adversùs Stephan. ubi ita loquitur: *Unde est ista traditio* (quam nobis opponit Stephanus) *utrùmne de dominica & evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque epistolis veniens? ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur & proponit ..... Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, aut in Actibus continetur .... observetur divina hæc & sancta traditio.*

Basilius epist. 80. ad Eustathium medicum, ubi hæc scribit: *Non putamus æquum esse, ut quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet consuetudo, licèt & nobis omninò hac in re illos imitari. Stemus itaque arbitratu inspiratæ à Deo Scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omninò veritatis adjudicetur sententia.*

Epiphan. qui, ut citat Kemnitius, hær. 61. dicit: *Nos uniuscujusque quæstionis inventionem non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.*

Hieronym. qui sic loquitur in comment. in c. 1. Aggæi: *Quæ absque authoritate & testimoniis scripturarum quasi traditione apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Et in Psal. 86. *Videte quid dicat*, qui fuerunt, *non* qui sunt, *ut exceptis Apostolis, quidquid postea aliud dicetur, abscindatur, & non habeat authoritatem.*

Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas, ubi sic ait: *Necessarium nobis est, divinas sequi litteras, & in nullo ab earum præscripto aberrare.*

August. lib. 2. de doct. Christ. c. 9. ubi dicit: *In his quæ apertè posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi.* Et lib. de bono viduitatis c. 1. *Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quàm oportet.* Et lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 36. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens, in alteram partem declinando.*

Resp. neg. obj. *Ad* 1. *prob. R.* Irenæum hìc tantùm dicere, eosdem Evangelium populis prædicasse primùm, deinde scripto tradidisse, quod ait sine præjudicio apostolicarum traditionum, quas contra hæreticos illas repudiantes, ex professo defendit & commendat c. 2. & seqq. ita ut mirari satis non possimus novatorum impudentiam, qui illum tanquam apostolicis traditionibus adversantem prodere non verentur. Cùm autem ait Irenæus Evangelium scriptum, esse fundamentum & columnam fidei nostræ, hoc ait sine exclusione traditionum apostolicarum: sicut cùm Apostolus dicit Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, hoc dicit sine exclusione Scripturarum.

Ad 2. *prob. Resp.* Hìc Scripturis contentum fuisse Tertullianum, non quòd præter verbum Dei scriptum, aliud nullum agnosceret; hoc enim falsum est; cùm aliis locis traditiones non scriptas commendet, & ad eas contra hæreticos recurrendum esse doceat; sed quia habebat in Scripturis testimonia, quibus Hermogenis mundum ex materia ab æterno præexistente & improducta conditum à Deo fuisse asserentis, error evidenter refellebatur. Unde ad solas Scripturas adversarium provocabat Tertullianus. Hermogeni verò, cùm neque Scripturas pro se citare posset, neque confugere ad traditiones non scriptas, quæ Scripturis contrariæ esse non possunt; nihil aliud superesse poterat, quàm væ illud, quod destinatum est iis, qui de suo capite adjiciunt aliquid Scripturis, quod eis contrarium est.

Ad 3. *Resp.* Hìc S. Cyprianum errare, & pro more errantium malam causam malè defendere, ad solam Scripturam, quam in alienum sensum detorquebat, provocando, & rejiciendo traditionem apostolicam, quam ejus de hæreticis, qui ad Ecclesiam veniunt, rebaptizandis errori opponebat Stephanus Pontifex. Sed hoc causam novatorum minimè juvat: non enim Cyprianus traditionem hanc rejiciebat, quòd nullas traditiones divinas non scriptas agnosceret; sed quia traditionem hanc non veram, sed fictitiam putabat esse traditionem. Quòd autem præter verbum Dei scriptum, aliud non scriptum admittendum esse agnoverit, evidenter ostenditur ex ejus epist. 68. ad Cæcilium, ubi sic loquitur: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit: ut calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.* At ubi in sacris litteris scriptum est, aquam esse vino miscendam in calice? Nullibi sanè. Ergo, &c.

Ad 4. *Resp.* Basilium inter, & eos contra quos scribit, controvertebatur, utrùm dicendum esset, in Deo esse tres hypostases, & unam naturam. Affirmabat Basilius; illi verò negabant, & regionis suæ consuetudine causam suam defendebant: sed & Basilius pro se quoque afferre poterat regionis suæ consuetudinem: quare in concursu duarum consuetudinum particularium, ex quibus nihil certi colligi poterat, cùm essent sibi invicem contrariæ, & ita se mutuò eliderent, sentiebat ad Scripturas recurrendum esse, & standum earum testimonio. Hìc igitur Basilius repudiat, non traditiones apostolicas non scriptas, sed consuetudinem particularem, cui suam quoque consuetudinem particularem opponere poterat, & quam judicabat contrariam esse Scripturis divinis, ad quas proinde adversarios suos traducit.

Ad 5. *Resp.* Hoc loco verba illa satis obscura, quæ objicit Kemnitius, me non legere, sed ista, quibus sycophantia novatoris proditur: *Sed, & traditione opus est, neque enim ex scripturis peti possunt omnia: idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt, quod ipsum ita Paulus affirmat.* Quemadmodum tradidi vobis: *Item alio loco.* Ita doceo, & ita tradidi in Ecclesiis.

Ad 6. *Resp.* Hieronymum in primo loco de illis loqui, non qui traditiones apostolicas præter Scripturam admittunt, sed qui cerebri sui figmenta tanquam apostolicas traditiones venditant: in altero verò nihil aliud dicere, quàm præter veterem Scripturam, & novam ab Apostolis eorumve discipulis conscriptam, nullam aliam tanquam divinam recipiendam esse. Rejicit igitur Hieronymus falsas Scripturas, & Apostolis suppositas, non verò traditiones apostolicas. Porrò objiciuntur nobis & aliqua alia ejusdem Doctoris loca, sed depravata. Vide Bellarmin. lib. 4. de verbo Dei cap. 11.

Ad 7. *Resp.* 1. Illum in omnibus sequi divinas litteras, & in nullo ab earum præscripto aberrare, qui nihil eis contrarium admittit, adeòque falsas, & repugnantes Scripturis traditiones rejicit. Nos autem falsas & Scripturis contrarias traditiones non admittimus, sed rejicimus. *Resp.* 2. Novatores hoc testimonio, quod inconsideratè nobis objiciunt, jugulari: nam sic breviter argumentor. In omnibus sequi debemus sacras litteras, & nunquam ab earum præscripto aberrare. Atqui sacræ litteræ commendant traditiones non scriptas, jubentque eas recipi. Ergo graviter culpandi sunt novatores, quòd traditiones non scriptas rejiciant: eas enim rejiciendo, convincuntur non sequi in omnibus sacras litteras, & ab earum præscripto aberrare.

Ad 8. *R.* Augustinum in primo loco loqui tantùm de iis, quorum fides explicita omnibus simpliciter necessaria est ad salutem consequendam, qualia sunt illa, quæ in Apostolorum Symbolo, & Decalogo continentur. At etiam alia sunt, quæ non sunt sic necessaria omnibus, & quæ Apostoli viva voce tradiderunt prælatis Ecclesiæ, putà de ratione gubernandi

Eccle-

Ecclesiam, de Sacramentorum natura & administratione, de modo profligandi hæreses, de intelligentia Scripturarum, &c.

In secundo loco non aliud dicit S. Doctor, quàm se doceri ab Apostolo, Rom. cap. 12. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Sed quid inde?

At inquies. Ibidem sic loquitur Augustinus: *Quid ergo amplius te doceam, quàm id quod apud Apostolum legimus? ... Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere. Resp.* Augustinum sic loquendo, non magis traditiones Apostolicas rejicere, quàm reliquas partes Scripturæ. Dicentne illum nullam aliam præter epistolas Pauli Scripturam S. agnovisse? Nugæ. Augustinus igitur hìc tantùm dicit in hoc libro de bono viduitatis, se non aliud expositurum esse, quàm verba Apostoli, quia quæ in hac materia scripsit Apostolus, ad viduarum christianarum institutionem abundè sufficiunt. In tertiò denique loco sanctus Doctor loquitur de quæstione, nempe de origine animæ, cujus solutionem aliunde haberi non posse, quàm ex Scriptura divina, cùm existimaret; mirum non est quòd dicat tentandam non esse aliam viam, deficientibus certis clarisque Scripturæ documentis.

ARTICULUS V.

Quantam authoritatem habeant traditiones divinæ.

Responsio.

TRaditiones divinæ summam habent authoritatem.

Prob. 1. Ex Script. Nam Apostolus 2. ad Thess. cap. 2. sic loquitur: *Itaque, fratres, state* (firmi scilic. & constantes in fide,) *& tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Thessalonicenses igitur adhortatur Apostolus, ut stent firmi in fide, & ad hunc finem constanter & æqualiter adhæreant, non solùm scriptis traditionibus, sed etiam non scriptis, nullum planè quoad hoc ponendo discrimen inter Verbum Dei scriptum & non scriptum. Ergo ex Apostolo, traditiones Apostolicæ non scriptæ parem habent authoritatem cum Scriptura Sacra. Atqui Scriptura S. summam habet authoritatem. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Patribus. Nam sic loquitur Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptorum prodita, quædam rursùs ex Apostolorum traditione, in mysterio, ideſt, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem.* At si parem habent vim ad pietatem, pari reverentia suscipienda sunt: & si pari reverentia suscipienda sunt, moriva quibus fides eorum nititur, paris sunt authoritatis. Ergo, &c. Chrysostomus verba Apostoli laudata exponens homil. 4. in epistol. 2. Thes. sic ait: *Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt* (Apostoli) *per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna* (sicut fide digna sunt ea, quæ per epistolam tradiderunt) *est traditio: nihil quæras amplius.* Ubi enim summa est authoritas testificantis, ibi intellectum captivare nolle nefas est. Et Joannes Damascenus in orat. 1. de imaginibus, verba Basilii à nobis citata exscribit & adoptat.

His præmitti potuit Irenæus lib. 3. cap. 4. ubi hæc scribit: *Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt; sine charta & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem Cœli & terræ ..... hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt: quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conversationem, propter fidem, perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni justitia, & castitate, & sapientia.* Ex his autem

Sic argumentor breviter. Ex Irenæo, sine Scriptura Sacra cum solis traditionibus non scriptis potest esse christiana fides, ea scil. fides, quacum actus virtutum omnium christianarum exercere, veram justitiam assequi, & Deo placere possumus. Ergo possumus assentiri prudenter assensu super omnia firmo propter traditiones non scriptas: fides enim christiana est assensus prudens super omnia firmus. Atqui non possumus assentiri prudenter assensu super omnia firmo, nisi propter motivum summæ authoritatis, ut patet ex terminis. Ergo ex Irenæo, traditiones non scriptæ summa pollent authoritate.

Prob. 3. Authoritate Concilii Tridentini sess. 4. in decreto de canonicis Scripturis, ubi hæc habet: *Orthodoxorum Patrum exempla secuta* (Synodus) *omnes libros tam veteris quàm novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit author, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenùs à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit & veneratur.* Quibus verbis Synodus manifestè traditiones non scriptas, utpotè à Christo vel à Spiritu S. dictatas, exæquat libris divinis, adeòque parem illis authoritatem attribuit. Atqui libri divini summam habent authoritatem. Ergo, &c.

Prob. 4. Ratione à priori; quia traditiones apostolicæ tam sunt verbum Dei, quàm Scriptura Sacra, cùm fuerint partim oretenùs à Christo, partim à Spiritu S. dictatæ Apostolis. Atqui verbum Dei, sive scriptum sit ab authore sacro, sive non, æqualem habet authoritatem, summam scilicet & summè infallibilem, & æqualiter dignum est ut ei assentiamur assensu super omnia firmo: non enim authoritatem habet, quia scriptum est, sed quia est verbum Dei, qui summam habet veracitatem. Ergo, &c.

Quæres 1. Utrùm Scriptura Sacra ita sit necessaria, ut sine illa sufficere non possent traditiones divinæ non scriptæ?

Resp. Negativè. Nam 1. tempore B. Irenæi, ut ipse testis est lib. 3. cap. 4. multæ gentes barbaræ, ab Apostolis olim ad Christum conversæ, nullam habebant Scripturam S. & cum solis traditionibus non scriptis, quas diligenter custodiebant, fidem christianam habebant, & placebant Deo, *conversantes in omni justitia, & castitate, & sapientia.* In hac autem pia conversatione perseverantes, proculdubio salutem æternam consequebantur. Ergo, &c.

2. Si Scriptura S. esset absolutè & simpliciter necessaria, Christus præcepisset Apostolis, ut doctrinam Evangelicam scripto traderent populis: at hoc eis non præcipit, sed solùm ut docerent, juxta illud Matth. cap. ultim. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Nec dic Christum his verbis præcepisse Apostolis, ut docerent scripto: ex Apostolis enim plurimi nihil omninò scripserunt, & gentibus ad quas missi fuerant, viva tantùm voce prædicarunt. Eos autem præceptum Domini in re præsertim gravissimi momenti transgressos esse, quis credet?

Item Apostoli doctrinam Evangelicam totam vel singuli pro singulis regionibus sibi commissis, vel saltem simul congregati, pro universo Orbe communiter ante discessum suum ediderunt; sicut communiter ediderunt Symbolum fidei, quod tamen non scripserunt, sed solùm viva voce tradiderunt. Atqui neutrum fecerunt: nam nec scripserunt omnes, & ex iis qui scripserunt, aliqui pauca, nulli omnia scripserunt.

Item Apostoli, & Apostolorum discipuli, qui scripserunt doctrinam Evangelicam, ex primaria intentione scripsissent, & non ex occasione aliqua tantùm.

At non ex primaria intentione, sed solùm ex occasione aliqua scripserunt. Sic Marcus Evangelium scripsit, ad id precibus Romanorum compulsus; Lucas, quia viderat multos, ea quæ non perfectè noverant, ausos esse litteris mandare; Joannes, rogatus ab Asianis Episcopis, ex occasione tunc exorientis Ebionitarum hæresis; & Matthæus, ut aliquod doctrinæ suæ memoriale Hebræis à se ad fidem recens conversis relinqueret.

3. Denique à tempore prædicationis Apostolorum ad tempus usque quo scribebat Irenæus, hoc est, per tria ferè sæcula, ut patet ex loco Irenæi suprà citato fidei puritas & integritas conservata est apud multas gentes barbaras absque omni Scriptura Sacra, & cum solis traditionibus non scriptis. Ergo similiter absque omni Scriptura Sacra hactenùs conservari potuit, & usque ad Mundi consummationem conservari posset in tota Ecclesia: sicut enim Ecclesiæ illæ particulares apud barbaras gentes de quibus loquitur Irenæus, ab Apostolis fundatæ, doctrinam evangelicam totam, licèt non scriptam, diligenter custodierunt per plura sæcula, Deo specialiter ad hoc eis providente: ita & tota Ecclesia eandem doctrinam totam, licèt non scriptam, Deo specialiter ad hoc ei providente, hactenùs custodire potuit, & usque ad Mundi consummationem custodire posset diligenter.

Quæres 2. Utrùm saltem Scriptura Sacra sufficere possit sine traditionibus apostolicis?

Resp. Præter Scripturam sacram, necessarias esse traditiones apostolicas. Nam 1. multa sunt fide tenenda, ut quòd B. Virgo semper fuerit virgo, quòd sit Purgatorium, quòd baptismus parvulorum sit ratus, quòd festum Paschatis celebrandum sit die dominico, quòd septem sint Sacramenta, nec plura nec pauciora, &c. Atqui hæc & alia similia nullibi in Scriptura S. inveniuntur scripta. Ergo supereſt, ut credi possint & debeant propter traditionem apostolicam. Ergo, &c.

2. Quòd omnes libri veteris testamenti, qui sunt in canone nostro, sint verè sacri & divini, nonnisi ex traditione apostolica scire potuit Ecclesia: quòd enim sint omnes sacri & divini, nullibi in novo testamento scriptum est. Propter eandem rationem, multò minùs aliunde quàm ex traditione apostolica, scire potuit Ecclesia libros illos omnes cum omnibus suis partibus sacros esse & divinos. Item quòd Evangelium Marci & Evangelium Lucæ sint Scriptura S., Ecclesia discere non potuit, nisi ex traditione apostolica: nam Marcus & Lucas non fuerunt Apostoli, nec in aliqua alia scriptura apostolica legitur illos, afflante Spiritu S. scripsisse.

3. Et maximè, quia Scriptura S. sine traditionibus apostolicis sufficere non potest ad profligandas omnes hæreses: sæpè enim novatores Scripturam appellant, & ex ea erroribus suis patrocinium quærunt, eam in alienum sensum detorquentes, ac ejus obscuritate sese involventes. Tunc autem in veritatis catholicæ subsidium necessariò vocandæ sunt apostolicæ traditiones, ex eisque investigandus germanus Scripturæ sensus. Sic in Nicæna Synodo cùm Ariani episcopi blasphemiæ suæ Scripturarum authoritatem obtenderent, & Consubstantialis vocabulum tanquam illis contrarium flagellarent, contra illos non solùm Scripturis pugnatum est, sed etiam traditione, cujus inter alios uterque Dionysius, Romanus scilic. & Alexandrinus, testes locupletissimi fuere. Vide Theodoret. lib. 1. hist. Eccl. cap. 8.

Amplius. Scriptura pluribus in locis obscura est, & in varios sensus trahi potest, & aliquando trahitur. Tunc autem ad dirimendam controversiam, & certò assequendam veram Scripturæ intelligentiam, neque recurri potest ad novam revelationem, nam Spiritus S. nihil de novo revelat Ecclesiæ, nec eam regit per novas revelationes, sed per eas, quæ olim per Prophetas & Apostolos factæ sunt: neque saltem semper recurri potest ad alium Scripturæ locum clariorem: rarò enim supperent alia Scripturæ loca ita clara, ut nullum cavillandi locum relinquant præterea. Ergo saltem aliquando, imò sæpè opus est traditione apostolica, clarè Scripturam explicante, & nullum prudens dubium circa germanum illius sensum relinquente.

ARTICULUS VI.

Quibus regulis discerni possint veræ traditiones à falsis.

QUæstionem hanc absolutissimè resolvit Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. ubi ad hunc finem quinque regulas proponit, quas hic cum eo exponimus.

I. regula. Quod Ecclesia universa tenet tanquam dogma fidei, nec tamen reperitur in S. Scriptura, habetur ex traditione apostolica.

Ratio est, quia quidquid Ecclesia universa credit esse de fide, revera tale est: non enim potest Ecclesia universa errare in fide, sive credendo esse de fide quod non est de fide, sive non credendo esse de fide, quod est de fide, ut suo loco probabitur. Atqui nihil est de fide, quod non fuerit olim à Deo per Prophetas vel Apostolos aliquo modo revelatum: nihil enim potest esse de fide sine revelatione aliqua divina, & revelationes divinas alias non habet Ecclesia, præter illas quæ antiquitùs factæ fuerunt per Prophetas & Apostolos: unde Ecclesia Ephes. c. 2. dicitur superædificata *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Ergo quidquid Ecclesia universa credit esse de fide, fuit olim à Deo per Prophetas vel Apostolos aliquo modo revelatum, adeòque vel in Scriptura S. vel in traditionibus apostolicis continetur. Ergo si non habetur ex Scriptura S., habetur ex traditione apostolica. Juxta hanc regulam, quòd B. Virgo semper fuerit virgo, ab Apostolis viva voce traditum esse dicimus.

II. regula. Quod à solo Deo constitui potuit, & tamen servatur ab universa Ecclesia, quamvis nusquam reperiatur scriptum in libris canonicis, à Deo per Apostolos Ecclesiæ viva voce traditum esse, pro certo statuendum est.

Ratio est, quia Ecclesia universa non magis errare potest circa cultum divinum & ritus sacros, quàm circa fidem. Ergo nihil ex iis quæ sine institutione divina observari non possunt, observat, quod re ipsa non fuerit institutum à Deo, proindeque ipsi à Deo per Apostolos, vel scripto, vel viva voce traditum. Ergo si quid hujusmodi observat, nec in libris sacris scriptum est, proculdubio de traditione apostolica venit. Juxta hanc regulam, quia Ecclesia universa baptizat parvulos, & hæreticos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatos non rebaptizat, ab Apostolis Ecclesiæ, quòd baptismus parvulorum sit ratus, & quòd hæretici baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, validè baptizent, viva voce traditum esse certò colligimus.

III. regula. Quod ab universa Ecclesia semper observatum fuit, meritò creditur ab Apostolis institutum, licèt ab ipsamet Ecclesia institui potuerit.

Hanc regulam tradit S. Augustinus lib. 4. de bapt. cap. 24. Juxta hanc regulam, certò tenemus jejunium quadragesimale esse ex traditione apostolica, seu, quod idem est, præceptum jejunandi quadraginta diebus ante festum Paschæ, ab Apostolis impositum, & viva voce traditum fuisse Ecclesiæ: quamvis enim tale præceptum imponere potuisset Ecclesia ipsa, ab ea tamen non esse impositum, sed ab Apostolis, rectè colligimus ex eo quòd jejunium quadragesimale semper in Ecclesia servatum fuerit, ut testis est Irenæus in sua ad Victorem Pontificem epistola, apud Eusebium lib. 5. histor. Eccl. cap. 24. & ante eum Ignatius Martyr in sua ad Philippenses epistola, quam docti ut genuinam recipiunt, licèt in manus Eusebii non venerit, & sic nullam illius faciat mentionem.

Juxta

Juxtà hanc eandem regulam, inter apostolicas traditiones meritò computamus festum Paschæ, festum Nativitatis & Ascensionis Christi, festum Pentecostes, cæremonias in baptismo adhiberi solitas, &c. Licèt enim hæc & alia multa, si non essent instituta ab Apostolis, ab Ecclesia institui potuerint, tamen ex eo quòd semper servata fuerint in universa Ecclesia, ab Apostolis profecta, & viva voce primitivæ Ecclesiæ tradita, rectissimè creduntur.

IV. regula. Si quando Patres omnes, seorsim scribentes, communi consensu docent aliquid de traditione apostolica descendere, velut ab Apostolis viva voce traditum, indubitatè tenendum est.

Ratio est, quia idem sentit universalis Ecclesia, quod sic Patres omnes, etiam seorsim scribentes, communi consensu docent. Sed quod universalis Ecclesia sentit de traditione apostolica descendere, certo certiùs ex ea descendit; alioquin universalis Ecclesia errare potest in materia fidei, quod absque hæresi dici non potest. Ergo, &c.

Porrò rectè addit Bellarminus sufficere, si aliquot ex antiquioribus & magni nominis Patribus asserant aliquid traditum esse ab Apostolis, & cæteri ejusdem rei meminerint, nec contradicant: tunc enim sententia veterum illorum Patrum meritò censetur esse omnium aliorum, adeòque & ipsius universalis Ecclesiæ sententia. Ratio est, quia quando aliquis veterum Patrum graviter erravit in materia fidei, nunquam non fuerunt multi alii, qui contradicerent.

V. regula. Illud certò tenere debemus venire de apostolica traditione, quod pro tali habetur ab Ecclesia apostolica, in qua integra & continuata est successio Episcoporum ab Apostolis, hoc est, in qua ascendendo per Episcopos sibi invicem succedentes, pervenitur ad Apostolum à quo fundata est, nec probari potest quòd ab aliquo ex illis Episcopis nova doctrina introducta fuerit.

Ratio est, quia tunc sufficienter constat, in tali Ecclesia puras & integras conservari traditiones Apostolicas. Hanc regulam tradit S. Irenæus lib. 3. cap. 3. & post eum Tertullianus in libro de præscript. c. 21. ubi hæc scribit: *Quid* (Apostoli) *prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas posteà. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.*

Porrò cùm in nullis Ecclesiis apostolicis, excepta Romana, integra & certò continuata successio ab Apostolis inveniatur jam à multis sæculis, jam à multis sæculis hæc quinta regula quadrat in solam Ecclesiam Romanam, in qua certa est successio, quamque nulla unquam novitatis labes infecit: quapropter ex ea sola certum haberi potest argumentum ad probandas traditiones apostolicas, atque de ea etiam nunc jure meritò cum Irenæo, loco proximè citato, dicimus: *Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquomodo per sui placentiam malam, vel vanamgloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Hactenùs de regulis, quæ assignari possunt præter Concilium generale, & definitiones summorum Pontificum, ab Ecclesia receptas, de quibus aliàs suo loco. Nunc sit

DISPUTATIO V.

De Constitutivo Ecclesiæ.

ECclesia, quæ græcè idem est, ac evocatio vel convocatio latinè, variè in Scriptura accipitur. Et 1. quidem, pro societate impiorum, ut Psal. 25. ubi dicit David: *Odivi Ecclesiam malignantium.* 2. Pro cætu hominum ethnicorum, ut Actor. cap. 19. ubi de populo Ephesino dicitur: *Erat enim Ecclesia confusa.* 3. Pro cætu fidelium, ut Actorum cap. 12. ubi legitur: *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* 4. Pro locis sacris, & templis, in quibus fideles conveniunt, ut 1. Corinth. cap. 11. ubi sic ait Apostolus: *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* 5. Pro iis qui præsunt fidelibus, seu pro Episcopis; ut Matth. cap. 18. ubi sic loquitur Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* 6. Pro cætu fidelium omnium, ut Matth. cap. 16. ubi Christus ait Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 7. Pro cætu aliquorum tantùm fidelium, ut 1. Cor. c. 1. ubi his suam epistolam exorditur verbis Apostolus: *Paulus .... Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, &c.*

Ecclesiam catholici Doctores solent dividere in Ecclesiam triumphantem & militantem. Ecclesia triumphans est cætus beatorum, qui cum Christo regnant, & æternum regnaturi sunt in patria. Ecclesia militans est cætus hominum in via profitentium fidem Christi, & sub vexillis ejus militantium. De Ecclesia militante hìc perpetuò agitur, & subdividitur in universalem & particularem. Ecclesia particularis est cætus hominum fidem Christi profitentium sub uno vel pluribus Episcopis, ut Ecclesia Tullensis, Ecclesia Gallicana, &c. Ecclesia universalis est cætus universus hominum fidem Christi profitentium sub Episcopis, & summo in terris Christi Vicario Romano Pontifice. Hoc secundo sensu semper Ecclesia sumitur, quotiescumque simpliciter nominatur Ecclesia.

Dari veram Christi Ecclesiam fide certum est, & apertè docent Scripturæ, Symbolum Apostolorum, & Symbolum Constantinopolitanum, nec diffitentur hæretici, contra quos hìc disputabimus. Contra ethnicos verò probatur omnibus argumentis, quibus suo loco demonstrata est religionis christianæ veritas. Supposita igitur veræ Christi Ecclesiæ existentia, quæritur quænam sit vera ejus definitio. Sed antequam resolvi possit hæc quæstio, duo alia quærenda sunt, nempe quinam sint, & quinam non sint de Ecclesia?

Non esse in vera Dei Ecclesia infideles non baptizatos, & diversam à christiana religione sectam profitentes, apertè docet Apostolus 1. Corinth. c. 5. cùm ait: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Major est difficultas de catechumenis, schismaticis, hæreticis, apostatis & excommunicatis, de quibus seorsim agendum est sequentibus Articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Catechumeni sint de Ecclesia.

RESPONSIO.

CAtechumeni non sunt in Ecclesia.

Prob. 1. Ex Script. Nam Actor. cap. 2. dicitur: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Ex quibus verbis apparet eos, qui crediderunt, non fuisse in Ecclesia, nisi postquam baptizati fuerunt.

Prob. 2. Ex Patribus. Nam sic loquitur Gregorius

Nazianz. orat. in sanctum baptisma: *Quandiu in catechumenorum es numero, in vestibulo pietatis es: introeundum tibi est, pertranseundum atrium, sancta intuenda, &c.* Et S. Chrysost. hom. 24. in Joan. *Alienus est catechumenus à fideli; non habet idem principium, non eandem civitatem, non eundem parentem, non victum, non vestitum, non mensam, non castrum, non domum, nihil commune.* At si catechumenus est tantùm in vestibulo, si non habet eandem civitatem, eandem domum cum fideli, si nihil est utrique commune, cùm fidelis sit in Ecclesia, ipsum foris esse necesse est.

Prob. 3. Ex Eugenio Papa in instructione Armenorum, ubi sic loquitur: *Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Ergo catechumeni, cùm baptizantur, incipiunt esse membra Christi & de corpore Ecclesiæ, adeòque non sunt de corpore Ecclesiæ ante baptismum.

Obj. Nemo salvari potest, nisi sit in Ecclesia. Atqui catechumeni salvari possunt sine baptismo in re susceptо. Ergo catechumeni ante baptismum in re susceptum sunt in Ecclesia. Minorem disertè asserit S. Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani junioris, qui cùm adhuc esset catechumenus, interfectus est; & ratio convincit, quia catechumenus justificari potest cum voto baptismi. Major verò probatur ex Conc. Lateranen. IV. cap. *Firmiter*, ubi dicitur: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur.* Idem magno consensu docent Patres.

Resp. dist. maj. Nemo salvari potest, nisi in Ecclesia sit vel in re vel saltem in voto, C. maj. In re, N. maj. & concessa min. dist. cons. Ergo catechumeni ante baptismum in re susceptum, in Ecclesia sunt in voto, C. conseq. In re, N. cons. Itaque ex eo quòd catechumeni salvari possunt sine baptismo in re susceptо, non sequitur, quòd sint actu in Ecclesia ante baptismum, quia ad justificationem, adeòque ad salutem, modò aliæ non desint conditiones ad id requisitæ, votum suscipiendi baptismum, proindeque votum ingrediendi Ecclesiam sufficere illis potest.

Dices. S. Augustinus tract. 4. dicit catechumenos esse in Ecclesia. *R.* dist. Dicit catechumenos esse actu in Ecclesia. N. Esse potentia, C. Hujus responsionis bonitas probatur ex lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos, ubi sic eos alloquitur: *Nondùm quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero sanctæ matris Ecclesiæ jam concepti estis. Agat itaque hæc mater congruis alimentis prius pascere quos portat, ut post partum lætetur se tales suscepisse, quos spiritualiter nutriat.* Catechumeni igitur, juxta S. Augustinum, se habent ad Ecclesiam, sicut homines tantùm concepti, & nondùm nati, se habent ad rempublicam. Tales autem non sunt actu, sed potentia tantùm partes & membra reipublicæ; nec incipiunt esse actu partes & membra reipublicæ, nisi cùm nascuntur. Ergo, juxta S. Augustinum, catechumeni sunt potentia tantùm partes & membra Ecclesiæ, nec incipiunt esse actu partes & membra Ecclesiæ, nisi cùm renascuntur per baptismum.

ARTICULUS II.

Utrùm Schismatici sint de Ecclesia.

Responsio.

Schismatici non sunt in Ecclesia.

Prob. 1. Ex praxi universalis Ecclesiæ, quæ in die Parasceves orat pro schismaticis, ut eos Deus ad Ecclesiam catholicam revocare dignetur. At hoc certè non oraret, si non sentiret eos esse extra Ecclesiam.

Prob. 2. Ex Pelagio Pontifice 24. 1. can. *Schisma*, ubi inter alia hæc habet: *Noli ergo, quasi nulla schismaticorum atque Ecclesiæ differentia sit, velle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari ... unam .... quæ Christi corpus est, constat esse Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest. Simul enim cum ab ea quisque recesserit, esse desistit Ecclesia* (apud eum scilicet, ut addit Glossa.)

Prob. 3. Ex Patribus, Cypriano, Hieronymo, Augustino, & Fulgentio. Cyprianus sic loquitur in epistol. 66. ad Florentinum Puppian. *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.* Ratio, juxta S. Doctorem, ibidem est, quia Ecclesia est *plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens.* At certè schismatici non sunt cum Episcopo. Ergo, &c.

Hieronymus in c. 1. Amos hæc scribit: *In filiis Ammon .... schismaticos accipimus: qui separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei, & rudes animas quæ nuper Christi concepere sermonem, abrumpunt & dividunt, tamen hoc non faciunt crudelitate, qua hæretici deceptos quousque trucidant, sed in eadem regula fidei permanentes, dilatare cupiunt terminos suos, & nomen gloriæ in posteros mittere.* Igitur puri schismatici, juxta S. Doctorem, in aliquo differunt ab hæreticis, & in aliquo cum illis conveniunt. Differunt in eo, quòd regulam fidei servent, hæretici verò corrumpant, sicque trucident animas, fidem eis eripiendo. In eo conveniunt, quòd, sicut hæretici ab Ecclesia Dei deceptam multitudinem separent, vanæque gloriæ æstro perciti, terminos suos dilatare cupiant, & augere studeant numerum proselytorum suorum, quos secum abrumpunt & dividunt ab Ecclesia Dei.

Hieronymo planè consonat Augustin. lib. de fide & symbolo c. 10. *Hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam, quæ diligit Deum* & quia diligit Deum, de eo nonnisi vera sentit) *nec schismaticus, quoniam* (Ecclesia) *diligit proximum, & ideo peccatis proximi facilè ignoscit*, quod non faciunt schismatici, qui ex illis occasionem sumunt separandi se, & conventus suos seorsim agendi.

Fulgentius denique lib. de fide ad Petrum diaconum sic ait, cap. 38. *Firmissimè tene ..... hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* Et c. 39. *Firmissimè tene .... quemlibet hæreticum sive schismaticum etiam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus ... nullatenus posse salvari.*

Prob. 3. Schismatici hoc ipso præcisè quòd sunt schismatici, nec habent, nec habere possunt jurisdictionem Ecclesiasticam. Ergo hoc ipso præcisè quòd sunt schismatici, non sunt ampliùs de Ecclesia. Conseq. patet: nam v. gr. quare Episcopus schismaticus per schisma amittit omnem jurisdictionem episcopalem, nisi quia per schisma desinit esse in Ecclesia, & ab eo, qui est extra Ecclesiam, jurisdictio episcopalis exerceri non potest; sive, quod idem est, nisi quia, hoc ipso præcisè quòd schismaticus est, foris est, & ab iis, qui foris sunt, jus Ecclesiasticum sive in Ecclesia, sive etiam extra Ecclesiam dici, etiam jure divino repugnat.

Prob. Itaque *ant.* 1. ex 7. 1. cap. *Novatianus*; ubi dicitur: *Qui ergo nec unitatem spiritus, nec conjunctionem pacis observat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem.* Quæ verba Cypriani sunt in epistol. 58. ad Antonianum. 2. Ex S. Thoma 2. 2. quæst. 39. art. 3. in O. ubi hæc habet: *Potestas* (jurisdictionalis) *non immobiliter adhæret: unde in schismaticis & hæreticis non remanet: unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi; quòd si fecerint, nihil est actum.*

Prob. 4. A priori. Quia Ecclesia est unum corpus, politicum scil. & morale, juxta illud Apostoli Rom. cap. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo*: adeòque sicut corpus physicum est unum totum physicum,

resul-

resultans ex unione physica membrorum physicorum inter se & cum capite physico; ita Ecclesia est unum totum morale, resultans ex unione morali membrorum moralium inter se & cum capite morali. Atqui hæc unio moralis consistit in communicatione membrorum inter se & cum capite. Ergo Ecclesia est unum totum morale, resultans ex communicatione membrorum inter se & cum capite. Ergo Ecclesia est unum totum morale, constans membris inter se & cum capite communicantibus. Ergo qui vel cum capite, vel cum membris cum capite communicantibus communicare renuit, non est de Ecclesia. Sed schismatici vel cum capite, vel cum membris cum capite communicantibus communicare renuunt: nam vel nolunt subesse capiti, & ab eo dependere, vel à membris communicantibus cum capite separant se, in publicis scilic. religionis actibus, hoc est, in divinorum celebratione & participatione sacramentorum. Ergo schismatici non sunt de Ecclesia.

Amplius. Ecclesia est una; est enim unum corpus, juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 10. *Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus*; Item est unum ovile, juxta illud Christi, Joan. cap. 10. *Fiet unum ovile & unus pastor*. Ergo qui non est de unitate Ecclesiæ, non est de Ecclesia: sicut quia corpus humanum unum est, quod non est de unitate corporis humani, seu quod non participat unitatem corporis humani, non est de corpore humano. Atqui schismatici non sunt de unitate Ecclesiæ. Ergo, &c.

Prob. subs. Nam unitas Ecclesiæ consistit indivisibiliter in morali colligatione membrorum Ecclesiæ inter se & cum capite; & hæc moralis colligatio indivisibiliter consistit in tribus, nempe in externa professione ejusdem fidei, externa participatione eorumdem religionis actuum, quorum præcipuus est sacrificii celebratio; & debita subordinatione ac subjectione ad caput Ecclesiæ. Ergo qui vel in aliquo ex his tribus deficit, Ecclesiæ unitatem non participat. Atqui schismatici, licèt exteriùs eandem profiteantur fidem, quàm profitentur membra capiti subjecta, vel capiti subesse, vel publicis religionis actibus cum membris capiti subjectis participare, vel etiam utrumque renuunt. Ergo non sunt de unitate, sed ab illa se ipsi separant, & abscindunt; unde schismatici vocantur; nam schisma græcè idem est ac scissio latinè. Vide S. Thomam 2. 2. qu. 39. art. 1. in O.

Obj. Quandiu quis eandem fidem tenet & profitetur, quam tenet & profitetur universalis Ecclesia, tandiu membrum est universalis Ecclesiæ. Atqui schismaticus eandem fidem tenet & profitetur, quam tenet & profitetur universalis Ecclesia. Ergo, &c. *R.* neg. maj. cujus falsitas patet ex modò dictis. *Prob.* tamen *maj.* Ecclesia est præcisè societas fidelium. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Ex Nicolao Papa de consecrat. dist. 1. can. *Ecclesia*, ubi sic ait: *Ecclesia, idest, Catholicorum collectio, quomodo sine Apostolicæ Sedis instituetur nutu?* 2. Ex Conc. Later. IV. c. *Firmiter*, ubi sic loquitur: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur*.

Resp. neg. ant. *Ad* 1. *prob. Resp.* Nicolaum Papam per to *Catholicorum*, homines intelligere non solùm unam & eandem veram fidem profitentes, sed etiam inter se communione conjunctos, cum debita subjectione & ordine ad caput Ecclesiæ. *R. Ad* 2. *prob.* Concilium posti verbum hoc, *fidelium*, hæc alia subintelligere, inter se communione conjunctorum, & uni capiti Romano Pontifici subjectorum: sumit enim hìc Synodus vocabulum *Fidelis* secundùm vulgarem ejus acceptionem, juxta quam fidelis dicitur is, qui non solùm eandem fidem profitetur, quam profitetur universalis Ecclesia, sed etiam ejus capiti subjectus est, ejusque membris cæteris communicat. Ex dictis hactenùs,

1. Qui subesse Romano Pontifici, vel membris Ecclesiæ illi subjectis communicare renuit, non est de Ecclesia: talis enim schismaticus est: *Schismatici dicuntur*, inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. in O. *qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant*. Ratio est, quia tales abscindunt se ab unitate Ecclesiæ, quæ ut ibidem dicit S. Doctor, in duobus consistit, *scil. in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem seu communicatione, & in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput* ... quod est *ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex*.

Dices. Schismaticus, qui Romano Pontifici subesse renuit, vult subesse Christo, supremo Capiti Ecclesiæ. Ergo adhuc est de Ecclesia. *Resp.* neg. ant. Nam nec vult, nec velle potest subesse Christo, qui contra eum rebellat. At contra Christum rebellat, qui non vult subesse Romano Pontifici: cùm enim Christus suum in terris Vicarium constituerit Romanum Pontificem, sicut qui hunc audit, Christum audit; ita qui hunc spernit, Christum spernit, juxta illud ipsius Christi, Luc. cap. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*.

Dices. Meletius Antiochenus non fuit extra Ecclesiam. Atqui tamen non communicavit cum Romano Pontifice. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam numeratur inter Episcopos, qui Synodo generali Constantinopolitanæ I. interfuerunt, ipsiusque ante Synodi clausulam vita defuncti, exequias celebravere cæteri, qui tunc aderant, Episcopi, S. Gregorio Nyss. illum oratione funebri prosequente, in qua de eo sic loquitur: *Auxit nobis numerum Apostolorum novus Apostolus, qui cooptatus est in ordinem Apostolorum. Traxerunt enim Sancti ad se moribus consimilem: athletam athletæ: coronatum coronati: animo castum, corde purum: præconem sermonis ministri sermonis, &c.* Præterea, ut sanctus ab Ecclesia colitur: quæ certè in hominem, qui ab unitate Ecclesiæ abscissus vixerit & obierit, cadere non possunt.

Resp. Conced. maj. dist. min. Meletius Antiochenus non communicavit cum Romano Pontifice ea communicatione, quæ essentialis est unitati Ecclesiasticæ. Neg. min. Ea communicatione; quæ unitati Ecclesiasticæ accidentalis est, Subdist. Non communicavit affectu & in præparatione animi, N. iterùm min. Non communicavit actu, sed absque ulla sua culpa, C. min.

Nota. Duplex hìc distinguenda est communicatio cum Romano Pontifice; una scil. quæ essentialis est unitati Ecclesiasticæ, quia sine illa unitas Ecclesiæ esse non potest; altera verò, quæ unitati Ecclesiasticæ accidentalis est, quia non ad esse, sed solùm ad bene esse unitatis Ecclesiæ necessaria esse potest.

Primo modo cum Romano Pontifice communicavit Meletius: nam semper Romanum Pontificem ut universalis Ecclesiæ caput agnovit, & ut tali debitam reverentiam & obedientiam exhibere semper paratus fuit. Secundo modo non actu quidem, sed affectu, & in animi præparatione communicavit Meletius cum Romano Pontifice: non enim ut Episcopus litteras pacificas ad Romanum Pontificem scripsit, nec ab eo recepit; sed ejusmodi litteras, quibus inter se communicabant Episcopi, & ad Romanum Pontificem dare, & ab eo vicissim cum debita reverentia recipere, semper paratus fuit: unde si nec dedit, nec recepit, hoc ita factum est, non quia ipse Romani Pontificis communionem aut rejecit, aut neglexit, sed quia Romanus Pontifex cum eo ut Episcopo communicare noluit, eò quòd cum Ariani ab arianæ factionis fautore Constantio postulaverant ad episcopatum Antiochenum; cùm tamen orthodoxi, quotquot aderant, Episcopi in ejus electionem consensissent, eamque nervis omnibus promovissent: quod cùm ignoraret Romanus Pontifex, errore facti episcopalem cum Meletio communionem inire renuit.

Meletius igitur Antiochenus non fuit extra Ecclesiam, quia non recusavit subesse Rom. Pontifici, ut capiti universalis Ecclesiæ; sed nec recusavit communicare cum membris Ecclesiæ Romano Pontifici subjectis. Nam 1. non recusavit communicare cum Ecclesiis orientalibus, cum Rom. Pontifice communione

junctis; adfuit enim secundæ Synodo œcumenicæ, ut jam observatum est, adeòque cùm omnibus Episcopus, à quibus celebrata est, communicavit. 2. Non recusavit communicare cum occidentalibus Ecclesiis, sed cum illis communionem etiam episcopalem habere & fovere, dando & recipiendo litteras pacificas, paratissimus fuit; quominus enim talem communionem cum Occidentalibus Ecclesiis habuerit & foverit, non per ipsum stetit, sed per Occidentales Episcopos, qui, ut ait Basilius epistol. 349. *ex ignorantia veritatis episcopatu abdicabant virum Dei, admirabilem Meletium.*

2. Qui non vult subesse Episcopo suo particulari, nec vult communicare cum Ecclesia particulari, quæ Episcopo illi subest, nisi tamen ab eis separet se, quia in hæresim vel schisma inciderunt, non est amplius de Ecclesia. Hoc expressè docet S. Cyprianus in epist. 66. ad Puppianum: *Scire debes*, inquit, *Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse: & frustrà sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & coharentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.*

Ratio est, quia omnes Episcopi inter se communione conjuncti, & subjecti Romano Pontifici ut capiti, sunt unus moraliter sacerdos, vel, si vis, sunt unum corpus morale; sicut membra humana inter se physicè conjuncta, sunt unum corpus humanum. Unde sicut manus v. g. cùm separatur à brachio, eo ipso separatur à toto corpore humano; ita qui separat se à suo pastore, eo ipso separat se à toto corpore pastorum. Sed qui separat se à toto corpore pastorum, abscindit se ab unitate Ecclesiæ, & ita de Ecclesia esse desinat necesse est. Similiter cùm omnes particulares Ecclesiæ inter se communione conjunctæ, & subjectæ Romano Pontifici, sint una moraliter Ecclesia, unum corpus morale; qui separatur ab una, hoc ipso ab omnibus aliis separatur.

Dices. Qui non vult subesse Episcopo suo particulari, aut non vult communicare cum Ecclesia particulari, huic Episcopo subjecta, non est schismaticus. *Resp.* neg. *Probabis.* Ut supponi potest, & supponitur, vult adhuc subesse Romano Pontifici, ut capiti universalis Ecclesiæ, & vult adhuc communicare cum universali. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. quoad utramque partem. Nam 1. qui separat se à particulari suo Episcopo, separat se à toto corpore pastorum: & qui separat se à toto corpore pastorum, separat se à Romano Pontifice, ut capite corporis illius. At qui separat se à Romano Pontifice, ut capite corporis pastoralis, profectò non vult subesse Romano Pontifici, ut capiti universalis Ecclesiæ; aut certè non tantùm vult, quantùm ad vitandum schisma, & unitatem Ecclesiæ servandam requiritur.

2. Similiter qui non vult communicare cum Ecclesia particulari in casu proposito, separat se ab illa, & ita separat se ab omnibus aliis Ecclesiis particularibus, ex quibus & illa constatur una moraliter Ecclesia, quæ dicitur & est Ecclesia universalis, adeòque separat se ab Ecclesia universali. At qui separat se ab Ecclesia universali, quomodo seriò velle potest cum illa communicare? Aut si aliquo modo potest, certè non potest tantùm, quantùm ad servandam unitatem Ecclesiæ, ac proinde quantùm ad schisma vitandum velle oportet. Pro quo

Nota. Unitas Ecclesiæ resultat ex morali membrorum ejus inter se unione, non qualicumque, sed tali, ut vi illius omnia membra Ecclesiæ non quidem per corporalem, quod fieri non potest, sed per affectivam, ut ita loquar, præsentiam immediatè inter se communicent: unitas enim Ecclesiæ talis est, ut nullam membrorum ejus scissionem compati possit. Ergo qui renuit communicare cum aliquibus membris Ecclesiæ, quantumvis velit communicare cum cæteris, deficit ab illa morali unione, ex qua resultat unitas Ecclesiæ. Ergo quantùm in se est, scindit hanc unitatem, eamque violat. Ergo schismaticus est.

Dices. Si ita est, Meletius Antiochenus, de quo jam supra, fuit schismaticus. *Resp.* neg. *Probabis.* Nam 1. renuit subesse Paulino legitimo Antiochiæ Episcopo. 2. Imò contra illum sedem episcopalem Antiochiæ erexit. 3. Saltem renuit communicare cum Paulino & Antiochenis ei adhærentibus, & cum Pontifice Romano totoque Occidente communicantibus.

Resp. ad 1. *&* 2. Non Paulinum Meletii, sed potiùs Meletium Paulini Episcopum fuisse, nec Meletium contra Paulinum, sed potiùs Paulinum contra Meletium sediisse: Meletius enim ante Paulinum ordinatus fuit Antiochenus Episcopus; cùm Meletius vivente adhuc Constantio, Paulinus verò nonnisi post ejus obitum ordinatus fuerit; & Meletium legitimè ordinatum fuisse constet ex eo quòd orthodoxi Episcopi, qui tunc Antiochiæ aderant, in ejus ordinationem consenserint, eamque pro viribus promoverint, ut testatur Theodoretus lib. 2. histor. Eccl. c. 31. *Apostolicorum*, inquit, *dogmatum defensores, quibus magni Meletii & sanitas doctrinæ, & vitæ sanctitas, & virtutum copia probè cognita erat, consensum præbuerunt; summoque studio curarunt, ut decretum ea de re præscriberetur, & cunctorum subscriptionibus firmaretur.*

Resp. ad 2. Hoc esse falsum, ut patet ex Theodor. lib. 5. hist. Eccl. c. 3. *Meletius*, inquit, *vir omnium mortalium mitissimus, amanter simul ac leniter Paulinum his verbis compellavit: Quandoquidem & mihi harum ovium Dominus ipse curam commisit, & tu aliarum curam suscepisti, oveque inter se in religione consentiunt, jungamus greges, ò amice, & contentionem de primatu deponamus: gregemque in commune pascentes, communem iis curam ex æquo impendamus.* Meletius igitur paratissimus fuit ad communicandum etiam cum Paulino & Antiochenis eum sequentibus.

Dices. Ergo Paulinus fuit schismaticus, sicut fuerunt Novatianus & Meletius Ægyptius. *R.* neg. Tum quia nonnulla fuit contra Meletii ordinationem præsumptio, ex eo quòd ab hæreticis postulatus fuerat ad Episcopatum Antiochenum: unde facilè fieri potuit, ut Paulinus inculpabiliter crederet eum non fuisse legitimè promotum: tum quia Paulinus episcopalem dignitatem non invasit, imò nec ambivit, sed etiam rogatus à Lucifero, Episcopo tunc apprimè catholico, & confessore, pacis orthodoxo inter Antiochenos conciliandæ studio suscepit. At Novatianus contra Cornelium, de cujus legitima ordinatione dubium nullum esse poterat, Romanam Sedem occupavit. Et Meletius Ægyptius, ut testatur S. Athanasius in Apolog. 2. à Petro Alexandrino de variis criminibus in Synodo convictus & damnatus, contra Petrum ipsum, & successores ejus Achyllam & Alexandrum, citra controversiam omnem, legitimos Alexandrinæ Sedis præsules rebellavit.

ARTICULUS III.

Utrùm hæretici sint de Ecclesia.

Responsio.

Notorii hæretici non sunt de Ecclesia.

Prob. 1. Ex Script. Nam Joannes Apostolus de manifestis quibusdam hæreticis sic loquitur ep. 1. cap. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Illi igitur hæretici, de quibus loquitur Joannes, non permanserunt in Ecclesia, sed ex ea foras prodierunt per manifestam hæresim. Atqui eadem ratio est pro omnibus aliis hæreticis, qui ut tales manifesti sunt. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Conc. Later. IV. c. *Firmiter*, ubi dicitur unam esse fidelium universalem Ecclesiam, hoc est, unam esse universalem Ecclesiam constantem

ex fide-

ex fidelibus. Atqui Synodus hìc per fidem intelligit saltem eos, qui exteriùs veram fidem profitentur. Ergo ex Synodo, ii non sunt de Ecclesia, qui non veram fidem, sed falsum aliquod dogma exteriùs profitentur. Tales sunt hæretici omnes manifesti. Ergo, &c.

Prob. 3. ex Patribus. Pro omnibus sit Hieronymus, qui sic ait in dialogo adversùs Luciferianos: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari* (quales sunt omnes, qui hæresim aliquam exteriùs profitentur) *ut pura Marcionitas, Valentinianos, Montenses* (Lutheranos, Calvinistas, Jansenistas) *scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* Et cum Hieronymo Augustinus lib. contra Petilianum de unico bapt. cap. 3. ubi sic ait: *Cùm ad nos venerit schismaticus vel hæreticus ut catholicus fiat, schisma ejus & hæresim* (quibuscum catholicus esse non potest) *dissuadendo & destruendo rescindimus.* Et cap. 6. ubi dicit: *Nihil prodest hæreticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum baptismum per ignorantiam & tradunt & tenent.* Et lib. de unit. Ecclesiæ, cap. 4. hæc habet: *Qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David ....* & manifesti sunt, *etiamsi per omnes terras inveniantur, per quas est Ecclesia, non utique sunt in Ecclesia, quia ipsum caput Ecclesiæ non tenent, quod est Christus Jesus, nec in aliqua divinarum Scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis & apertissimis earum testimoniis contradicunt,* adeòque apertè contradicunt authoritati Dei credibiliter revelantis. Atqui eadem est ratio pro omnibus hæreticis manifestis. Ergo, &c.

Prob. 4. Notorii hæretici per notorietatem hæresis amittunt omnem jurisdictionem ecclesiasticam in utroque foro, interno scilicet & externo. Non nisi quia per notorietatem hæresis separantur ab Ecclesia. Ergo revera hæretici per notoriam hæresim separantur ab Ecclesia, adeòque hæretici notorii de Ecclesia esse non possunt.

Prob. 1. maj. ex 24. q. 1. cap. 31. ubi sic loquitur Cyprianus: *Didicimus* (ex apostolica scilicet traditione) *omnes omninò hæreticos* (manifestos, de talibus enim loquitur) *& schismaticos nihil habere potestatis ac juris.* Et ex c. 36. ibidem, ubi Nicolaus Papa I. dicit: *Apertè Sedis nostræ sanxit authoritas, nullum sive Episcopum, sive clericum, seu professione aliqua christianum, qui à Nestorio vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt* (adeòque hæresim publicè professi sunt) *vel loco suo, vel communione dejecti sunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri: sed hi omnes in nostra communione & fuerunt, & hucusque perdurant: quia neminem vel dejicere vel removere poterat, qui prædicans talia titubabat.*

Prob. 2. min. ex 24. q. 1. c. 31. jam citato, ubi Cyprianus sic ait: *Si foris cuncti hæretici* (manifesti) *& schismatici non habent Spiritum sanctum, & ideo apud nos eis manus imponitur, ut hìc accipiatur, quod ille nec esse nec dari potest: manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constat Spiritum sanctum non habere.* Ex Cypriano igitur hæretici non habent jurisdictionem in foro interno, quia non habent Spiritum sanctum: & non habent Spiritum sanctum, quia foris sunt, hoc est, quia non sunt in Ecclesia. Ergo non habent jurisdictionem in foro interno, quia foris sunt, seu quia non sunt in Ecclesia. Ergo si jurisdictionem Ecclesiasticam amittunt per notorietatem hæresis, amittunt, quia per notorietatem hæresis foras exeunt, & in Ecclesia esse desinunt.

Confirmari potest à pari. Nam schismatici hoc ipso præcisè quòd sunt schismatici, ac proinde per suum schisma, incapaces sunt omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut patet ex C. *Novatianus* 7. qu. 1. verbis jam supra citatis. Eatenùs autem schismatici incapaces fiunt omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ per suum schisma, quatenùs propter illud non sunt ampliùs de Ecclesia, ut probatur ex Cypriano epist. 70. ad Jubajanum, ubi hæc scribit: *Novatianus simiarum more, quæ cum homines non sint, humana tamen imitantur, vult Ecclesiæ catholicæ auctoritatem sibi & veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit.* Juxta Cyprianum, Novatianus schismaticus, quantùm ad jurisdictionem Episcopalem, non magis erat Episcopus, quàm simia est homo, proindeque non magis jurisdictionales actus exercebat, cùm munia episcopalia obire tentabat, quàm simia exerceat actus humanos, cùm humana imitatur. Quare autem hoc? Quia Novatianus schisma fecerat, & schisma faciendo, in Ecclesia esse desierat. Ergo similiter, &c.

Prob. 4. Assertio nostra à priori: quia Ecclesia est corpus morale, constans membris, subjectis Romano Pontifici ut capiti, & inter se connexis per communicationem, seu communionem, quæ consistit ex parte in externa professione veræ fidei. Ergo Ecclesia est corpus morale, constans membris, tenentibus, aut saltem exteriùs profitentibus veram fidem. Ergo qui non tenet, aut non saltem exteriùs profitetur veram fidem, non est membrum Ecclesiæ. Atqui hæretici manifesti non veram fidem, sed unum, aut plura dogmata, veræ fidei contraria profitentur. Ergo hæretici manifesti non sunt membra Ecclesiæ, adeòque non sunt de Ecclesia.

Confirm. ex S. Cypriano lib. de unit. Eccl. paulò ante finem, ubi hæc verba leguntur: *Unus Deus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, fides una* (adeòque externa unius fidei professio) *& plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.* Ecclesia igitur una est, non solùm quia unus est Deus author illius, & Christus unus, supremum illius caput; sed etiam quia in ea est externa professio unius & ejusdem veræ fidei, quam omnes non solùm ore confiteri, sed etiam animo tenere debent. Et ratio, juxta S. Martyrem, est, quia Ecclesia est *plebs* (seu hominum multitudo) *in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata*; quæ concordia esse non potest sine externa unius & ejusdem vera fidei professione; proindeque Ecclesia multitudo hominum est, in solidam corporis unitatem unus & ejusdem veræ fidei professionis externæ glutino copulata. Ergo qui unam & eandem illam veram fidem non profitentur exteriùs, non sunt de illa hominum multitudine, quæ constituit Ecclesiam, adeòque non sunt de Ecclesia. Ergo hæretici manifesti, &c.

Obj. Christus Matth. cap. 13. in parabola zizaniarum, dicit in agro tria inveniri, granum scilicet, paleas, & zizania. At ibi granum bonos christianos, malos christianos paleæ, zizania hæreticos, & ager Ecclesiam significat. Item epist. 2. ad Timoth. cap. 2. Apostolus ait: *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.* Per magnam autem illam domum Ecclesiam, & per vasa lignea & fictilia hæreticos intelligit Apostolus. Item Ecclesia hæreticos punire potest, & non potest punire eos, qui foris sunt. Item hæretici habent characterem baptismalem.

R. ad 1. Per agrum non Ecclesiam, sed mundum à Christo intelligi, ut patet ex eod. cap. ubi Christus hanc parabolam explicans, ait: *Ager autem est mundus.* *R. ad* 2. Apostolum per *vasa lignea & fictilia* intelligere fideles infirmos in fide & charitate. *R. ad* 3. Ecclesiam punire non posse eos, qui foris sunt, nec pertinent ad illam ut oves ad ovile, ex quo exerrant. Hæretici autem sic pertinent ad Ecclesiam, propter characterem baptismalem. *R. ad* 4. etiam damnatos qui baptizati fuerunt, habere characterem, & tamen non esse in Ecclesia. Ex eo quòd hæretici characterem baptismalem habeant, sequitur tantùm quòd ad Ecclesiam pertineant, & in eos Ecclesia vim coactivam exercere possit.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrum excommunicati sint de Ecclesia.

Responsio.

NOminatim excommunicati non sunt de Ecclesia. *Prob.* 1. ex Matth. c. 18. ubi dicitur: *Si Ecclesiam non audierit* (is qui de crimine aliquo apud illam accusatus est) *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, hoc est, propter contumaciam excommunicetur: quòd enim ibi Christus agat de potestate excommunicandi & de excommunicatione; patet ex verbis proximè subsequentibus: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Ergo nominatim excommunicati se habent ad Ecclesiam ut ethnici. Atqui ethnici non sunt de Ecclesia. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Eusebio lib. 5. hist. eccl. c. 24. ubi de S. Irenæo hæc refet: *Victorem tamen arguit, quòd non rectè fecerit, abscindere à corporis unitate tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent.* At Victor illas Asiæ Ecclesias ab unitate corporis non abscidit (si tamen revera abscidit) nisi illas excommunicando, eò quòd pertinaciter renuerent aliarum omnium Ecclesiarum in celebrando Paschate die dominico morem sequi. Ergo qui excommunicatur, ab unitate Ecclesiæ abscinditur. Sed qui ab unitate Ecclesiæ abscinditur, hoc ipso definit esse de Ecclesia. Ergo, &c.

Prob. 3. ex S. Augustino, lib. de unitate Ecclesiæ cap. 20. & ult. *Tunc*, inquit, *quisquæ præciditur* (à corpore Ecclesiæ) *cùm visibiliter excommunicatur.* Et lib. de vera relig. cap. 6. ubi sic ait: *Alios invitat* (Ecclesia Catholica) *alios* (per excommunicationem) *excludit ..... Exclusi autem aut pœnitendo redeunt* (ad Ecclesiam) *aut in nequitiam malè liberi defluunt.*

Prob. 4. ex 11. q. 3. cap. 107. ubi dicitur: *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei & judicio sancti Spiritus à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & consortio totius christianitatis eliminamus.* Quibus verbis continetur formula excommunicationis ferendæ. His omnibus adde, quòd in formula, qua excommunicati absolvuntur, dicitur: *Restituo te unitati Ecclesiæ, & membrum participationi*; quod certè non nisi ludicrè diceretur, si ii qui excommunicantur, non abscinderentur ab Ecclesiæ unitate.

Obj. Excommunicatus salvari potest etiamsi moriatur antequam absolvi possit ab excommunicatione: potest enim perfectè conteri, & sic reconciliari Deo. Ergo excommunicatus est in Ecclesia: nemo enim salvatur, nisi sit in Ecclesia. *R.* excommunicatum perfectè contritum, esse animo & desiderio in Ecclesia, antequam absolvatur, quod ei ad salutem sufficit; sicut snfficit catechumeno Deum perfectè diligenti, & de peccatis personalibus perfectè contrito, si moriatur antequam possit baptizari.

Obj. S. Augustinum lib. contra Donatistas post collationem cap. 20. ubi sic loquitur: *Neque enim à populo Dei separamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus.* *R.* Hunc locum esse corruptum meritò suspicatur Bellarminus lib. 3. de Eccl. militante cap. 6. & legendum esse; *Neque enim à populo Dei non separamus, &c.* imò veram esse hanc conjecturam sufficienter probat contextus: sic enim legitur immediatè ante: *Nec ideò tamen dormit Ecclesiastica disciplina, ut corripiat inquietos.* Quod ut probet, subjicit verba, quæ hìc nobis objiciuntur. Quare planè videtur legendum esse; *Neque enim à populo Dei non separamus, &c.* Quod confirmatur ex verbis subsequentibus: nam sic statim prosequitur: *Et ubi hoc facere pacis & tranquillitatis Ecclesiæ gratia non permittimus,* (hoc est, & ubi magnos peccatores sic à populo Dei separare non possumus, salva pace & tranquillitate Ecclesiæ, atque idcircò non separamus) *non tamen ideò Ecclesiam negligimus, sed toleramus quæ nolumus, ut perveniamus quo volumus, utentes cautela præcepti dominici, ne cum voluerimus ante tempus colligere zizania* (eaque extra Ecclesiæ agrum projicere,) *simul eradicemus & triticum.*

ARTICULUS V.

Utrùm etiam reprobi inveniantur in vera Christi Ecclesia.

Responsio.

NOn solùm prædestinati, sed etiam reprobi inveniuntur in vera Christi Ecclesia.

Prob. 1. ex Script. Nam Matth. cap. 3. dicitur: *Ipse vos baptizabit* (Christus) *in Spiritu sancto; cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hìc proculdùbio per aream vera Christi Ecclesia significatur; per triticum verò electi; & per paleas, quæ comburentur igni inextinguibili, reprobi intelliguntur.

Matth. c. 13. sic loquitur Christus: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cùm impleta esset, educentes, & secùs littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis.* Hìc manifestè Christus per regnum cœlorum intelligit veram suam Ecclesiam, quam comparat sagenæ, quæ in mare mittitur ad capiendos pisces. Sicut ergo ex mari in sagena congregantur pisces boni & mali; ita in vera Christi Ecclesia ex mundo congregantur boni & mali homines. Item sicut ex piscibus in sagena congregatis, boni in vasa, mali verò foras mittuntur; ita ex hominibus in vera Christi Ecclesia congregatis, qui perseveranter boni fuerint, hoc est, electi in cœlum; qui verò perseveranter fuerint mali, hoc est, reprobi in caminum ignis mittentur.

Denique sic ait Apostolus 2. ad Timoth. cap. 2. *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Hìc per magnam domum significat Apostolus veram Christi Ecclesiam, quam meritò vocat magnam domum; cùm jam videret eam tam longè latèque diffusam, & certò præsciret toto terrarum orbe diffundendam. Præterea, per vasa in honorem, electos, & reprobos per vasa in contumeliam certo certiùs intelligit. Ergo, &c.

Prob. 2. ex S. Cypriano in epist. 58. ad Anton. ubi hæc scribit: *Quantus arrogantiæ timor est ... ut quis audeat, aut facere posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre, & aream purgare concessum sit, paleas à tritico conetur separare? Cùmque Apostolus dicat:* In domo autem magna non solùm vasa aurea sunt & argentea, sed & lignea & fictilia: *aurea & argenta vasa videatur eligere, lignea verò & fictilia contemnere, abjicere, damnare? quando non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo, cui data est ferrea virga, frangantur.* Hìc 1. S. Martyr per zizania, paleas, & vasa lignea atque fictilia, manifestè intelligit reprobos, sicut electos intelligit per frumentum, triticum, & vasa aurea atque argentea. 2. Et ita gravissimè reprehendit Novatianum, quòd putaret se posse electos discernere à reprobis, hosque vellet ab Ecclesia separare, & sic in ea solos electos relinquere: cum tamen illam electorum à reprobis discretionem sibi Dominus reservavit, ita ut nequidem Apostolis suis hos ab illis discernendi concesserit virtutem; adeòque stultum sit velle electos à reprobis discernere, & his rejectis ac separatis, ex illis solis

solis veram Dei Ecclesiam componere. Igitur ex S. Martyre, non solùm, electi, etiam reprobi sunt in vera Dei Ecclesia.

Prob. 3. ratione: nam si vera Dei Ecclesia constaret ex solis electis; cùm nemini datum sit, ut rectè ait S. Cyprianus loco proximè citato, electos à reprobis in hac vita certò discernere; nemo posset certò cognoscere veram Dei Ecclesiam. Falsum & absurdum cons. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si nemo posset certò cognoscere veram Dei Ecclesiam, nemo posset certò scire, quænam sint veræ Scripturæ, idem dic de veris Sacramentis & vera fide: quænam enim sint veræ Scripturæ, certò sciri non potest sine testimonio veræ Dei Ecclesiæ certò cognitæ. Unde S. Augustinus alicubi ait, se non crediturum Evangelio, supple tanquam Scripturæ verè divinæ, nisi ad credendum commoveret eum authoritas Ecclesiæ, veræ scilicet; non enim aliam intelligit, aut etiam intelligere potest. Ergo, &c.

Obj. Vera Dei Ecclesia, cùm sit Christi ovile, constare non potest nisi ex Christi ovibus. Atqui soli prædestinati sunt oves Christi. Ergo, &c. *R.* neg. min. *Probabis min.* ex S. Aug. tract. 45. in Joannem, ubi dicit solos prædestinatos esse oves, & reprobos, etiam fideles & justos, oves non esse, sed lupos. Postquam enim dixit: *Secundùm ergo istam præscientiam Dei & prædestinationem, quàm multæ oves foris! multi lupi intus!* sic se ipsum explicat: *Quid est quod dixi quam multæ oves foris! quàm multi modo luxuriantur, casti futuri! quàm multi blasphemant Christum, crediturí in Christum!* ... & hi oves sunt: *veruntamen modò vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intùs laudant, blasphematuri! casti sunt, fornicaturi ... stant, casuri! & non sunt oves (de prædestinatis enim loquimur: de his loquimur, quos novit Dominus, qui sunt ejus) & tamen ipsi quamdiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt.* Ad solutionem.

Nota. Homo dici potest ovis duplici modo, secundùm prædestinationem scilicet, & secundùm præsentem justitiam. Qui ovis est secundùm prædestinationem tantùm, est ovis potentia tantùm, & actu lupus: tales sunt ii omnes, qui inter paganos vel hæreticos nati & educati, aliquando tandem convertentur ad veram fidem, & Ecclesiam ingredientur, in eaque justificari per gratiam Christi, vocem ejus perseveranter audient, adeòque perseverabunt in statu justitiæ. Qui ovis est secundùm præsentem justitiam tantùm, est tantùm potentia lupus, & ovis actu: tales sunt ii omnes, qui actu fideles sunt & justi, atque ita actu Christi vocem audiunt, sed non perseveranter audient, quia aut ex ovili fugient, & deserent Ecclesiam, aut usque in finem in ovili manentes, in statu justitiæ usque in finem non perseverabunt. His præsuppositis,

R. Itaque cùm Augustinus dicit, *Quàm multæ oves foris*, loquitur de iis, qui oves sunt secundùm prædestinationem tantùm; qui oves sunt potentia, non actu; qui nondùm sunt oves, sed erunt; qui nondùm vocem pastoris audiunt, sed audient, & perseveranter audient. Cùm dicit, *Quàm multi lupi intùs*, loquitur de iis, qui sunt oves secundùm præsentem justitiam tantùm; qui non actu, sed potentia sunt lupi; qui nondùm lupi sunt, sed erunt; qui pastorem audiunt & sequuntur, sed desinent audire & sequi, ut audiant & sequantur alienos.

Juxta Augustinum, qui foris sunt per infidelitatem, vel mores corruptos, si prædestinati sunt, sunt oves, quatenùs infrustabiliter pertinent ad numerum eorum, qui vocem pastoris audient, & perseveranter audient: unde infrustrabiliter futurum est, ut vocem pastoris audiant, & perseveranter audiant. Juxta eundem, qui intùs sunt per fidem & charitatem, si prædestinati non sunt, sunt lupi, quatenùs infallibiliter pertinent ad numerum eorum, qui aut omninò non audiunt, aut certè non perseveranter audiunt vocem pastoris: unde infallibiliter futurum est, ut aliquando pastoris vocem audire desinant; ut alienum sequantur, & alienum sequendo, malè vitam finiant.

Juxta Augustinum, prædestinati omnes, etiam ii qui nondùm pastoris vocem audiunt, oves sunt; nulli verò reprobi, etiam ii qui audiunt vocem pastoris, sunt oves, ovium nomine intelligendo eos omnes & solos, qui Christum dicentem, *Qui perseveravit usque in finem; salvus erit*, sic tandem audiunt, ut in accepta justitia perseverent finaliter; adeòque oves sumendo eo sensu, quo sumit Christus ipse, cùm ait Joan. c. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Vide locum Augustini citatum.

Porrò quia præter hanc ovium acceptionem, secundùm quàm dixerit S. Augustinus, est alia etiam propria, pro iis scilicet, qui pastorem audiunt & sequuntur, sive in audiendo & sequendo pastore finaliter perseveraturi sint, sive non, & hoc nullibi negat S. Doctor; nullibi negat reprobos in vero aliquo & proprio sensu esse oves Christi, cùm & quandiu fideles sunt ac justi, adeòque cùm & quamdiu Christum pastorem audiunt & sequuntur. Sic cùm negat reprobos, etiam fideles ac justos, esse verè filios Dei, filium Dei strictissimè sumit pro eo omni & solo, qui in filiorum Dei adoptione perseveraturus est finaliter, proindeque æternam hæreditatem consecuturus: nec diffitetur illos esse Dei filios in alio vero ac proprio sensu, quatenùs scilicet secundùm præsentem statum justitiæ in quo sunt, verum jus habent ad hæreditatem æternam, eam re ipsa consecuturi, si, ut possunt, in justitiæ statu usque in finem permanerent. Vide Bellarm. lib. 3. de Eccl. milit. c. 7.

ARTICULUS VI.

Utrùm etiam imperfecti inveniantur in vera Christi Ecclesia.

Responsio.

NOn solùm perfecti, sed etiam imperfecti, hoc est, qui in venialia labuntur peccata, inveniuntur in vera Christi Ecclesia.

Prob. Nam si tales non possent esse de vera Christi Ecclesia, nulla posset esse in terris vera Christi Ecclesia. Absurdum conseq. Ergo, &c. *Prob. conseq.* Nam præter ipsum Christum sanctissimam ejus Matrem, nulli sunt, vel fuerunt, aut erunt, qui omninò peccato, etiam levi & veniali careant. Ergo, &c.

Prob. ant. 1. Ex Script. Nam dicitur Jacob. cap. 3. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Joan. c. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Hinc Matth. c. 6. omnes nullo excepto, jubentur dicere. *Dimitte nobis debita nostra.* 2. Ex unanimi Patrum consensu; pro quibus omnibus sit S. Augustinus lib. de spir. & litt. c. 36. & ult. ubi postquam allegavit textus à nobis allegatos, sic statim prosequitur: *Sed quoniam hæc falsa esse non possunt, illud esse consequens video, ut quamlibet vel quantamlibet in hac vita potuerimus definire justitiam, nullus in ea sit hominum, qui nullum habeat omninò peccatum; omnique homini sit necessarium ... dimittere, ut dimittatur illi.*

Obj. Ephes. c. 5. dicitur Christus dilexisse Ecclesiam, & se ipsum tradidisse pro ea, *ut exhiberet ipsi sibi gloriam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta & immaculata.* *R.* Ecclesia ab Apostolo talem describi propter justos, qui in ea magno numero semper fuerint, sunt, & erunt. Porrò justi dicuntur hic primò non habere rugam, quæ est signum vetustatis, quia in baptismo veterem hominem exuerunt, & induerunt novum. 2. Non habere maculam, propter quam scilicet sint ingrati Deo & odibiles, quia nullum habent peccatum mortale. 3. Esse glorioſi, tum quia habent gratiam sanctificantem, qua decori sunt, & gra-

& grati Deo ; tum quia exercent opera salutaria , & Deo accepta ; tum quia sunt amici Dei , & filii ejus adoptivi ac hæredes.

ARTICULUS VII.

Utrùm etiam magni peccatores inveniantur in vera Christi Ecclesia.

Responsio.

Etiam magni peccatores inveniuntur in vera Christi Ecclesia.

Prob. 1. ex Script. Nam Matth. cap. 18. sic ait Christus: *Si peccaverit in te frater tuus , vade & corripe eum inter te , & ipsum solum ... Si autem te non audierit , adhibe tecum adhuc unum vel duos ... Quòd si non audierit eos , dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Hìc Christus loquitur de Ecclesia sua , & apertè supponit in ea fore peccatores, privatim primùm , deinde , ni corrigantur , coram testibus corripiendos , adeòque graves peccatores manifestos , qui nequidem Ecclesiæ correptioni obtemperabunt, nec tamen desinent esse de Ecclesia , nisi cùm ipsius Ecclesiæ judicio ob contumaciam abscindentur.

Item 1. Cor. c. 5. legitur: *Omninò auditur inter vos fornicatio , & talis fornicatio , qualis nec inter gentes , ita ut quis uxorem patris sui habeat.* At incestuosus ille Corinthius certè gravissimus erat peccator , & quidem notorius , & tamen adhuc eat in Ecclesia , cùm epistolam suam scribebat Apostolus, ut patet 1. ex verbis subsequentibus: *Et vos inflati estis , & non magis luctum habuistis , ut tollatur de medio vestrum , qui hoc opus fecit.* 2. Ex eo quòd Apostolus jubet incestuosum illum per excommunicationem abscindi. *Judicavi ut præsens , inquit , cum qui sic operatus est , in nomine Domini Jesu Christi , congregatis vobis & meo spiritu , cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi Satanæ , in interitum carnis.* Et inferiùs: *Auferte malum ex vobis ipsis.*

Prob. 2. authoritate Patrum, Cypriani scilicet epist. 30. quæ est ad Maximum , ubi hæc habet : *Et videntur in Ecclesia esse zizania , non tamen impediri debet aut fides , aut charitas nostra , ut quoniam zizania esse in Ecclesia semper cernimus , ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est , ut frumentum esse possimus .... Nos operam demus , & quantùm possumus laboremus , ut vas aureum vel argenteum simus. Cæterùm fictilia vasa confringere Domino soli concessum est , cui virga ferrea data est ... Nec quisquam sibi quod soli filio Pater tribuit , vindicare se putet universa zizania humano judicio segregare. Superba est ista obstinatio , & sacrilega præsumptio , quam sibi furor pravus adsumit.* Atqui per zizania illa, quæ in Ecclesia reperiri, quæque universa velle ab Ecclesia segregare , superbæ obstinationis & sacrilegæ præsumptionis esse dicit S. Martyr, intelligit graves peccatores , & quidem manifestos . Ergo , &c.

Chrysostomi hom. 1. in Psal. 39. ubi hæc Psaltis regii verba , *Quoniam comprehenderunt me mala , quorum non est numerus : Comprehenderunt me iniquitates meæ , & non potui ut viderem: Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei , & cor meum dereliquit me;* ponit in ore Ecclesiæ, & sic loquitur: *Hic quoque Dei Ecclesia vehementibus impiorum* (hæreticorum scilicet, vel gentilium) *fluctibus agitata , non se jactat , & magnificè circumspicit , ut qua decertet: sed quæ fiunt , peccatis & delictis suis attribuit ... alioqui nec ex perfectis quidem universa constat Dei Ecclesia , sed habet eos etiam , qui otio & socordiæ se dedunt , mollemque & dissolutam vitam amplectuntur , & lubenter serviunt voluptatibus: & quoniam est unum corpus , tanquam ex una persona & hæc illa pronuntiat.* Juxta Chrysostomum Ecclesia est moraliter corpus , & quidem constans ex bonis & malis , ex justis & peccatoribus etiam gravissimis, quorum propterea peccata ut sua deplorat , & propter ea justè afflictari se, humiliter confitetur.

Hieronymi in dialogo contra Luciferianos, ubi sic ait: *Arca Noe Ecclesiæ typus fuit ... ut in illa omnium animalium genera , ita & in hac universarum & gentium , & morum homines sunt: ut ibi pardus , & hædi , & lupus , & agni ; ita & hìc justi , & peccatores , id est , vasa aurea & argentea , cum ligneis & fictilibus commorantur.* Et inferiùs: *Non solùm in Ecclesia morantur oves , nec mundæ tantùm aves volitant : sed frumentum in agro seritur , & inter nitentia culta lappæque , & tribuli , & steriles dominantur avenæ ..... Venit ergo dies , quando thezauro Ecclesiæ aperto , proferet Dominus vasa iræ suæ , quibus exeuntibus , Sancti dicent: Ex nobis exierunt , sed non erant ex nobis* (secundùm prædestinationem.) *Si enim* (ita) *fuissent ex nobis , mansissent utique nobiscum ... si jam mundata est Ecclesia , quid Domino reservamus?* Ecce agnoscit Hieronymus, esse in Ecclesia cum justis & sanctis graves peccatores , etiam reprobos, & quidem multò plures numero , quos separabit Christus in die judicii.

Gregorii Magni hom. 38. in Evang. ubi sic ait: *Per has regis nuptias præsens Ecclesia designatur , in qua cum bonis & mali conveniunt : permixta quippe est diversitate filiorum ; quia sic omnes ad fidem generat , ut tamen omnes per immutationem vitæ ad libertatem spiritalis gratiæ , culpis exigentibus , non perducat .... Boni soli nusquam sunt , nisi in cœlo : & mali soli nusquam sunt , nisi in inferno. Hæc autem vita , quæ inter cœlum & infernum sita est , in utrarumque partium cives communiter recipit ; quos tamen Sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit , & postmodùm in egressione discernit .... In hac ergo Ecclesia nec mali sine bonis , nec boni sine malis esse possunt ... Terrere autem vos non debet , quòd in Ecclesia & multi mali , & pauci sunt boni.*

Prob. 3. ratione: quia si mali non possunt esse in Ecclesia, Ecclesiæ prælati, hoc ipso quòd mali fiunt, labendo in aliquod peccatum mortale, de Ecclesia esse desinunt, adeòque desinùnt esse prælati Ecclesiæ. Falsum & absurdum consequens : nam si ita esset , Ecclesiæ prælati in aliquod mortale lapsi, nullum jurisdictionis actum exercere possent ampliùs , & sic non possent ampliùs ligare aut solvere ; neque fideles tenerentur ampliùs illis obedire : unde sæpe orirentur in Ecclesia perturbationes maximæ. Hinc meritò Constantiensis Synodus hanc Joannis Huss propositionem XXX. *Nullus est dominus civilis , nullus est Prælatus , nullus est Episcopus , dum est in peccato mortali*, damnavit sess. 15.

Obj. 1. Ecclesia in Symbolo Apostolico dicitur Sancta . Ergo non nisi ex justis & sanctis constat . *R.* neg. conseq. Itaque Ecclesia dicitur sancta, non quia ex solis justis & sanctis constat , sed quia , 1. baptismus, & alia Ecclesiæ sacramenta omnia sancta sunt. 2. Sancta est fidei christianæ ac morum christianorum professio ; cùm nulla alia professio , ethnicorum scilicet, Judæorum, Mahumetanorum, & hæreticorum, sit sancta. 3. Sancta est membrorum Ecclesiæ inter se & cum capite connexio , non solùm interna , qualis reperitur in omnibus justis, & quam fides , spes, & charitas faciunt , sed etiam externa, quæ reperitur in omnibus Ecclesiæ membris , quæque in ejusdem fidei professione & communicatione eorumdem sacramentorum consistit . 4. Supremum Ecclesiæ caput est Christus, qui Sanctus sanctorum est. 5. Ecclesia habet homines verè justos & sanctos, & extra Ecclesiam nulli planè inveniuntur homines verè sancti ac justi.

Dices. Ergo si non solùm justi & sancti, sed etiam injusti & impii sunt in Ecclesia, Ecclesia pariter poterit dici injusta & impia , ut facilè probatur. Nam si propter minorem partem, quæ justorum & sanctorum est, rectè dicitur justa & sancta, à fortiori rectè dici poterit injusta & impia propter majorem partem , quæ injustorum & impiorum est. *R.* neg. inst. & prob. ejus : quia denominatio Ecclesiæ sumi debet , 1. A me-

meliori & potiori parte illius. Melior autem & potior pars Ecclesiæ, licèt minor numero, sunt justi & sancti. 2. Ex eo quod Ecclesiæ proprium est, non ex eo quod est illi commune cum omnibus aliis societatibus. Injustos autem & impios habere, Ecclesiæ cum aliis societatibus omnibus commune est: è contra Ecclesiæ propriam est quarto modo habere justos & sanctos; cùm nulla alia hominum congregatio justos & sanctos habeat, aut etiam habere possit.

Obj. 2. S. Cyprianus epist. 75. ad Magnum, ubi sic ait: *In Ecclesia Dei ... non nisi concordes atque unanimes habitant, loquente in psalmis Spiritu sancto, & dicente: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo.* Ergo, juxta S. Cyprianum, rixatores, adeòque & alii graves peccatores, non sunt in Ecclesia. *R.* neg. conseq. Verbis enim laudatis Cyprianus eos tantùm excludit ab Ecclesia, qui pacem ecclesiasticam violant, & schisma faciunt, legitimis Ecclesiæ pastoribus subesse nolendo, & contra illos rebellando. Audiamus S. Martyrem: *Pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente) nemini succedens, & à se ipso incipiens, alienus sit & prophanus, dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est, in Ecclesia Dei, in qua non nisi concordes, &c.* ut supra.

Obj. 3. S. Pacianus epist. 3. ad Sympronianum, ubi sic loquitur: *Cæterùm peccator & pœnitens non est Ecclesiæ macula; quia quamdiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est. Ut desinit peccare, jam sanus est.* *R.* hanc epistulam contra Novatianos scriptam fuisse, adeòque Pacianum loco citato, nomine peccatoris, non quemlibet mortalis peccati reum intelligere, sed qualem, etiam pœnitentem, ab Ecclesia absolvi nec debere, nec posse contendebant Novatiani; ac proine solùm intelligere hominem notoriè reum graviorum aliquorum criminum, & propter illa, quoniam annexa illis erat excommunicationis pœna, notoriè excommunicatum.

Quòd autem non solùm justos, sed etiam peccatores esse in Ecclesia Dei senserit S. Pacianus, patet ex eadem epistola, ubi, proximè ante verba quæ nobis objiciuntur, hæc scribit: *Ecclesia est templum Dei, templum certè amplificum, domus magna, habens quidem vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia ... Ecclesia est virgo sancta ... sponsa Christi: virgo, verum est, sed & mater ..... Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, qua totus orbis impletur ... Magna in filios cura matris istius ... Honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti, nullus perit* (quantùm est in illa matre) *nemo despicitur, securi fœtus sub indulgentia matris retinentur.* At in prole illa innumera, qua totus orbis impletur, quot peccatores! Unde inter filios mater Ecclesia habet superbos, quos castiget, ægrotos quos curet, plurimos, quos absque indulgentia in sinu suo retinere non posset.

Obj. 4. S. Chrysostomus hom. 3. in cap. 2. epist. 2. ad Tim. illud Apostoli, *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia*, sed interpretans, nomine domus dicit, non Ecclesiam, sed mundum intelligi debere, quia in Ecclesia non sunt nisi vasa aurea & argentea. *R.* hoc negando. Vult enim S. Chrysostomus, nomine magnæ domus, mundum, non Ecclesiam intelligi, non quòd in Ecclesia cum vasis aureis & argenteis nulla sint lignea & fictilia, sed quia necesse non est, ut sint. Audiamus illum: *Paulus .. dum dicit, in magna domo esse vasa non modo argentea & aurea, sed etiam lignea & fictilia*, perinde est *ac si dicat: Quemadmodum in majori domo necessaria est magna differentia vasorum, ita & in orbe toto. Non enim eam similitudinem ad Ecclesiam refert, verùm ad mundum universum. Quippe in Ecclesia nullum vult* (id est, optat) *esse vas ligneum, aut fictile, sed argentea omnia, & aurea. Ibi enim est corpus Christi, ibi virgo casta, non habens maculam neque rugam;* hoc est, cùm Ecclesia sit corpus Christi, & virgo casta, nec maculam aut rugam habens per se & ex intrinsecis: unde per accidens est, quòd in ea sint mali, quos per vasa lignea & fictilia significat Apostolus.

Obj. 5. S. Hieronymus comment. in cap. 5. epist. ad Ephes. hæc habet: *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neque rugam, aut quid istiusmodi. Qui ergo peccator est, & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici. Possibile autem est, ut ... peccator currat ad medicum ... & curentur vulnera ipsius, & fiat de Ecclesia, quæ corpus est Christi.* *R.* S. Hieronymum hìc quidem negare quòd peccatores de Ecclesia sint; at non negare eo sensu, quo nos asserimus eos esse de Ecclesia: nam alibi disertis verbis affirmat peccatores esse in Ecclesia. Mens S. Doctoris patebit ampliùs ex deinceps dicendis.

ARTICULUS VIII.

Solvitur Objectio petita ab authoritate S. Augustini.

Obj. S. Augustinus negat peccatores esse in Ecclesia. *R.* hoc esse falsum. Nam è contra graves peccatores esse in Ecclesia probat 1. Authoritate Apostoli, lib. 7. de bapt. contra Donatistas, cap. 51. ubi sic ait: *Nam & istos* (graves peccatores) *esse in domo* (id est in Ecclesia) *negare non possumus, Paulo Apostolo dicente: In magna autem domo non solùm aurea vasa sunt, vel argentea, sed & lignea & fictilia.* 2. Authoritate S. Cypriani, lib. contra Donatistas post collat. cap. 8. *Diu contenderunt*, inquit, *dicentes zizania, quæ cum tritico simul crescere usque ad messem permissa sunt, non in Ecclesia, sed in mundo esse, contra intellectum Martyris Cypriani, qui dixit: Et si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* 3. Scripturæ textus, quibus ad excludendos ab Ecclesia peccatores abutebantur Donatistæ, explicando de Ecclesia, non qualis nunc est, sed qualis erit in cœlo. Nam v. g. sic loquitur, lib. proximè citato cap. 9. *Ecce manifestum est quod dicebatur à nobis, distinguenda esse tempora Ecclesiæ; non jam nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est: nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram: ad illam ejus puritatem, non ad hujus temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eam Dominus prædixit ab omni malorum permixtione penitus alienam.* Ex similitudine sagenæ missæ in mare lib. de unitate Ecclesiæ contra Petilianum, c. 13. *Est*, inquit, *alia similitudo apertissima de commistione malorum & bonorum intra eandem Sacramentorum communionem & connexionem, quam Dominus ipse & ponit & exponit. Simile est, inquit, regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, quæ congregat omnia genera piscium, &c.*

Dices. S. Doctor de gravibus peccatoribus sic loquitur, lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 108. *Nec ideò putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt.* Et lib. 3. de bapt. contra Donatistas, cap. 18. *Sicut autem isti, qui intus cum gemitu tolerantur, quamvis ad eandem columbæ unitatem, & illam gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, non pertineant, &c.* Et lib. 6. cap. 3. *Quos non pertinere ad sanctam Ecclesiam Dei, quamvis intus esse videantur, ex hoc apertissimè apparet: quia isti sunt avari, raptores, fœneratores, invidi, malevoli, & cætera hujusmodi: illa autem columba unica, pudica & casta, sponsa sine macula & ruga ... Quod non intelligitur nisi in bonis & sanctis & justis.*

R. dist. Ex S. Doctore, graves peccatores non sunt in corpore Christi, quod est in Ecclesia; non pertinent ad unitatem columbæ, non pertinent ad Ecclesiam, ut partes constituentes, C. Ut partes adhærentes tantùm, N. Ut mentem S. Doctoris plenè attingas,

Nota. In corpore hominis viventis, & habentis mem-

membra aliqua arida, adeòque emortua, distingui possunt & debent partes duplicis generis, partes scilicet constituentes, & partes adhærentes tantùm. Partes constituentes sunt membra viva: viva enim membra omnia ad corporis vivi constitutionem pertinent. Partes verò adhærentes tantùm, sunt membra arida. Nam 1. membra, quantùmvis arida, quamdiu non amputantur, sunt in aliquo vero sensu partes corporis vivi: tamdiu enim in aliquo vero sensu ad corporis vivi substantiam pertinent, propter continuitatem, seu physicam unionem, quam cum aliis membris habent. 2. Sunt partes adhærentes tantùm, quia hoc ipso quòd arida sunt, desinunt pertinere ad constitutionem vivi corporis: nam vivum corpus non nisi ex vivis membris propriè constituitur.

Similiter, juxta mentem S. Augustini; duplicis generis partes distinguendæ sunt in Ecclesia; nempe partes constituentes, & partes adhærentes tantùm. Partes constituentes sunt justi, quia ex justis Ecclesia, vivum scilicet corpus ex vivis membris constituitur. Partes adhærentes tantùm, sunt peccatores. Et 1. quidem peccatores sunt in aliquo vero sensu partes Ecclesiæ, quia in aliquo vero sensu ad ejus substantiam pertinent, propter moralem, ut ita loquar, continuitatem & unionem, quam per externam ejusdem fidei professionem, & eorumdem Sacramentorum participationem, habent cum justis Ecclesiam constituentibus. 2. Sunt partes adhærentes tantùm, quia cùm sint membra mortua & arida, non possunt esse de constitutione Ecclesiæ, quæ est corpus Christi æternùm viventis, adeòque corpus vivum, quod non nisi ex vivis membris propriè constitui potest.

Hinc, juxta S. Doctorem, malus v. gr. Episcopus non pertinet quidem ad Ecclesiam ut pars constituens; at pertinet ut pars adhærens, quamdiu non separatur corporaliter: quare tandiu, juxta S. Doctorem, est organum Ecclesiæ, & tandiu Ecclesia per illum baptizat, absolvit, ligat, &c. ut dicit S. Doctor, lib. 6. de bapt. contra Donat. cap. 4. Præterea, juxta S. Doctorem, lib. 7. de bapt. contra Donat. c. 52. hoc inter malum Episcopum, & schismaticum vel hæreticum discrimen intercst, quòd à malo Episcopo, quandiu non abscinditur, etiam extra necessitatem; a schismatico verò vel hæretico non nisi in urgenti necessitate baptismus utiliter accipi possit. Quare autem hoc; nisi quia malus Episcopus, minister est Ecclesiæ, quandiu non abscinditur; schismaticus verò vel hæreticus non est. Cujus rei ratio ulterior est ex S. Doctore ibidem, quia schismaticus vel hæreticus Episcopus non solùm spiritaliter, sed etiam corporaliter separatus est; unde non magis est in Ecclesia, quàm ex Ecclesia, adeòque neque ut pars constituens, neque ut pars adhærens, pertinet ad substantiam Ecclesiæ, cujus proinde organum esse non potest amplius, malus verò, quandiu non abscinditur, non corporaliter, sed tantùm spiritualiter separatus est; unde est in Ecclesia, quamvis non sit ex Ecclesia, hoc est, non quidem ut pars constituens, sed ut pars adhærens, pertinet ad substantiam Ecclesiæ, cujus adeò potest esse, & est adhuc organum.

At inquies obiter. In corpore humano partes adhærentes tantùm, nec sunt, nec possunt esse organa, ut patet v.g. in manu arida. Ergo malus Episcopus nec est, nec potest esse organum Ecclesiæ, si ad ejus substantiam non pertinet nisi ut pars adhærens: & vel nec est, nec potest esse organum Ecclesiæ, vel ad ejus substantiam ut pars constituens pertinet. *R.* neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia anima vitales actiones exercere non potest, nisi per membra viva & animata: unde solæ partes constituentes possunt esse organa in corpore humano. At Ecclesia functiones suas exequi potest per membra mortua & arida, seu per membra vita spirituali privata: nam ad functiones Ecclesiæ validè exercendas, sufficit potestas ordinis, vel jurisdictio, quarum utraque potest esse sine charitate, in qua spirituali vita consistit. Possunt igitur partes adhærentes tantùm esse organa in Ecclesia. Sed ut ad propositum nostrum redeamus,

Nota iterùm. Non solùm membra viva, sed etiam arida sunt in corpore humano; cum hoc tamen discrimine, quòd membra viva sint non tantùm in, sed etiam ex, seu de corpore humano: membra verò arida ita sint in, ut non sint ex, seu de corpore humano, propriè & strictè loquendo: quia propriè & strictè loquendo, illa tantùm sunt ex, seu de corpore vivo, quæ pertinent ad ejus constitutionem; & sola membra viva ad corporis vivi constitutionem propriè pertinent: membra enim arida & mortua propriè pertinere ad constitutionem corporis vivi repugnat: unde homo habens v.g. manum aridam, dicitur habere corpus mancum, quia nimirùm deest ei aliqua pars, nempe manus viva, ad integram vivi corporis constitutionem necessaria.

Dixi autem, propriè & strictè loquendo: nam membrum aridum, quamdiu non amputatur, & ita quamdiu corpori adhæret, propter physicam continuitatem, quam habet cum aliis ejus membris, pertinet ad ejus substantiam, illudque non quidem in ratione corporis vivi, seu machinæ ex variis organis ad certas operationes vitales exercendas idoneis compactæ constituit, sed in ratione cujusdam præcisè continui physici cum aliis membris suo modo integrat. Unde membrum aridum rectè dici potest, licèt minùs propriè, minùsque strictè loquendo, non solùm esse in, sed etiam esse ex, seu de corpore humano.

Similiter, juxta S. Doctorem, non solùm boni, sed etiam mali sunt in Ecclesia, sed cum hoc discrimine, quòd boni, quia sunt membra viva, sint non tantùm in, sed etiam ex, seu de corpore Ecclesiæ: mali verò, quia sunt membra mortua & arida, ita sint in, ut non sint ex, seu de corpore Ecclesiæ, propriè & strictè loquendo: quia propriè & strictè loquendo, illi tantùm sunt ex, seu de corpore Ecclesiæ, qui pertinent ad constitutionem illius; nec ad illius, cùm sit corpus vivum, constitutionem pertinere possunt, nisi qui sunt membra viva.

Audiamus S. Doctorem, ita loquentem lib. 7. de bapt. cap. 51. *Puto me non temerè dicere alios* (bonos) *ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei ... Alios autem* (malos) *ita dici constat esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque justitiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumentis: nam & istos esse in domo negare non possumus ... Ex hoc* (malorum) *numero innumerabili ... diruptis retibus, hæreses & schismata exiistunt, in eis qui jam non magis ex domo, quàm in domo esse dicendi sunt, de quibus dicitur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: separationes enim sunt, jam corporaliter segregati, quam illi qui in terris carnaliter & animaliter vivunt, & spiritaliter separati sunt.*

Esse domum Dei & corpus Christi, unum & idem hic sunt S. Doctori, qui Ecclesiam modò domum Dei, modò corpus Christi nominat. Quare si boni, juxta S. Doctorem, ita sunt in domo Dei, ut etiam sint ex, seu de domo Dei, & collectivè sumpti, sint ipsa domus Dei, juxta eundem, ita sunt in corpore Christi, quod est Ecclesia, ut sint etiam ex, seu de corpore Christi; & collectivè sumpti, sint ipsum corpus Christi, quod est Ecclesia. Item si mali, juxta S. Doctorem, ita sunt in domo Dei, ut non sint ex, seu de hac domo; juxta eundem, ita sunt in corpore Christi, quod est Ecclesia, ut non sint ex, seu de hoc corpore, propriè & strictè loquendo: quia domus Dei non construitur nisi ex vivis lapidibus, & corpus Christi propriè non nisi ex vivis membris constituitur.

Dixi, propriè & strictè loquendo: nam quòd mali, quandiù non omninò separantur (quod semper suppleri debet) sint non solùm in, sed etiam minùs propriè minùsque strictè loquendo, ex, seu de corpore Ecclesiæ, expressè docet S. Augustinus tract. 61. in Joan. ubi hæc verba, *Unus ex vobis tradet me*, ita differit: *Quid est ergo, Unus ex vobis tradet me:*

nisi

nisi unus ex vobis exiturus est, qui me tradet? quia & ille qui ait, Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum; jam dixerat: Ex nobis exierunt: ac per hoc utrumque verum est, & ex nobis, & non ex nobis: secundùm aliud, ex nobis, secundùm aliud, non ex nobis: secundùm communionem sacramentorum, ex nobis; secundùm suorum proprietatem criminum, non ex nobis.

Itaque, juxta S. Doctorem, mali, quandiu non omninò segregantur per schisma, vel notoriam hæresim, vel quocumque alio modo, sunt & non sunt ex Ecclesia. Non sunt secundùm suorum proprietatem criminum; sunt secundùm communionem sacramentorum: non sunt secundùm suorum proprietatem criminum, quia propter sua crimina sunt membra mortua & arida; sunt secundùm communionem sacramentorum, quia propter eorundem sacramentorum participationem, adde & externam christianæ fidei professionem, moralem habent unionem & continuitatem cum bonis corpus Ecclesiæ constituentibus: non sunt, si propriè & strictè loquimur, quia propriè & strictè loquendo, illa tantùm membra sunt ex corpore Ecclesiæ, quæ ad Ecclesiam in esse vivi corporis, seu in esse corporis Christi constituendam concurrunt; & ad id mali, cùm sint membra mortua & arida, non possunt concurrere: sunt, si minùs propriè minùsque strictè loquimur; quia minùs propriè minùsque strictè loquendo, illud omne est ex corpore Ecclesiæ, quod ei adhæret, eique adhærendo pertinet aliquo modo ad ejus substantiam: mali autem, per communionem sacramentorum & fidei christianæ professionem, adhærent corpori Ecclesiæ, & sic adhærendo, ad ejus substantiam aliquo modo pertinent: unde cum membris vivis, illud in esse corporis vivi constituentibus, illud in esse continui cujusdam seu totius moralis sensibilis suo modo constituunt: nam mali cum bonis, quibuscum sacramentorum communione, & christianæ fidei professione colligati sunt, faciunt unum quoddam continuum, seu totum morale sensibile, quod est Ecclesia adæquatè sumpta, hoc est, Ecclesia sumpta & secundùm partes constituentes, & secundùm partes adhærentes tantùm. Sed

Nota 3. In corpore humano membra duplicem habent unionem, unam ex qua resultat unum corpus, una machina constans certis organis ad vitales actiones exercendas idoneis; & alteram, ex qua præcisè resultat unum continuum physicum. Membrum autem arescens, per ariditatem amittit primam unionem, quia propter ariditatem ad corporis in esse corporis constitutionem desinit concurrere cum reliquis membris, à quibus proinde in vero aliquo sensu, licèt non totaliter, separatur; & quia sic separatur, desinit esse propriè ex corpore. Secundam verò unionem, quantumlibet aridum sit, retinet, quandiu non amputatur, quia quandiu non amputatur, pergit cum reliquis membris facere unum continuum physicum, sicque donec per amputationem totaliter separetur, pergit esse in corpore, & ad illius substantiam aliquo modo pertinere, illud in esse continui physici cum membris reliquis suo modo constituendo.

Quòd si membrum aridum amputetur, secundam unionem, quam eatenùs retinuerat, amittit per amputationem, & ita totaliter separatur à reliquis membris, proindeque desinit esse in corpore, ad cujus substantiam nullatenùs pertinet amplius. Membrum igitur aridum, non amputatum, differt ab amputato, in eo quòd non amputatum, partialiter tantùm; & amputatum, totaliter sit separatum; atque adeò non amputatum sit in corpore, licèt propriè non sit amplius ex corpore; amputatum verò non magis sit in, quàm ex corpore.

Similiter, juxta S. Doctorem, in Ecclesia duplex distinguenda est unio; una quæ consistit in spiritali fidei, spei, & præsertim charitatis vinculo, quo justi inter se conjuncti, iisdem Sacramentis participantes, & eandem fidem profitentes, constituunt corpus Christi, quod est Ecclesia: unde propriè & strictè loquendo, omnes & soli justi sunt ex corpore Ecclesiæ: altera verò, quæ in corporali seu sensibili communionis sacramentorum & christianæ fidei professionis vinculo consistit, quo vinculo peccatores cum justis corpus Ecclesiæ constituentibus, colligati, atque ita adhærentes corpori Ecclesiæ, cum eo faciunt unum continuum morale sensibile, in quo peccatores velut in toto continentur. Quare cum hoc continuum sit domus Dei & corpus Christi, consequens est peccatores esse in domo Dei & corpore Christi: non sunt tamen ex hac domo, & hoc corpore, quia continuum illud, quà domus Dei, constituitur, & qua corpus Christi, constituitur ex solis justis.

Porrò (loquor semper ad mentem S. Doctoris) homo per peccatum mortale amittendo charitatem, desinit participare primam unionem, quæ spiritalis est, & ita spiritaliter separatur à justis, quibuscum proinde ad corporis Christi, quod est Ecclesia, constitutionem concurrere desinit; quare per spiritalem hanc separationem desinit esse ex corpore Ecclesiæ, propriè & strictè loquendo: nihilominùs tamen pergit esse in corpore Christi, sicut & in domo Dei, quandiu non separatur etiam corporaliter; quia quandiu non sic separatur, secundam unionem retinet, vi cujus pergit esse pars, adhærens scilicet, moralis illius & sensibilis continui, quod est Ecclesia, adeòque corpus Christi, sicut & domus Dei.

Quòd si peccator separetur etiam corporaliter, putà per schisma vel hæresim notoriam, secundam unionem, quam eatenùs participaverat, participare desinit, atque ita totaliter separatur à corpore Ecclesiæ, nec ad ejus substantiam ullatenùs pertinet amplius: unde jam non magis est in, quam ex corpore Christi, quod est Ecclesia; sicut non magis est in, quàm ex domo Dei, quæ est Ecclesia. Hinc juxta S. Doctorem, inter peccatorem, & schismaticum vel hæreticum notorium, discrimen hoc intercst, quòd schismaticus vel hæreticus notorius non magis sit in, quàm ex corpore Ecclesiæ, quia neutram Ecclesiæ unionem participat; cùm non solùm spiritaliter, sed etiam corporaliter, adeòque totaliter per schisma suum, vel notoriam suam hæresim, sit separatus; peccator verò non quidem ex, sed in corpore Ecclesiæ sit, quia non primam quidem, sed secundam Ecclesiæ unionem participat; cùm per peccatum mortale spiritaliter tantùm, adeòque tantùm partialiter separetur à corpore Christi, quod est Ecclesia: unde adhuc ad substantiam illius pertinet, non quidem ut pars illud in esse suo cum aliis compartibus constituens, sed ut pars illud suo modo integrans in esse continui cujusdam moralis & sensibilis.

Nota 4. Membrum aridum in corpore humano, quamvis non sit amplius ex illo propriè loquendo, quia non est amplius pars illius constitutiva, tamen deturpat illud, quandiu non amputatur, quia quandiu non amputatur, est in illo, & aliquid illius, utpotè ad ejus substantiam aliquo modo pertinens. Similiter, juxta S. Doctorem, Ecclesia deformatur per malos, quandiu non separantur etiam corporaliter, quia tandiu sunt in illa, & aliquid illius; quamvis strictè loquendo, non sint ex illa, quia non sunt partes illius constitutivæ.

Audiamus S. Doctorem lib. 3. de doctr. christ. cap. 32. ubi de Ecclesia, qualis nunc est, loquens, sic ait: *Ad hoc pertinet in Canticis Canticorum: Fusca sum & speciosa, ut tabernacula Cedar, speciosa sum ut pelles Salomonis. Non enim ait: Fusca fui, ut tabernacula Cedar, & speciosa fui ut pelles Salomonis: sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum.*

Itaque, juxta S. Doctorem, Ecclesia simul est fusca, & speciosa, simul formosa & deformis; formosa propter bonos, deformis propter malos; formosa & deformis, quia in ea non solùm boni, sed etiam mali sunt, propter unitatem moralem quam habent in hac vita mali cum bonis, per communionem sacramentorum, & externam fidei christianæ professionem. Nam mali in hac vita eadem sacramenta participando, & eandem fidem profitendo cum bonis, faciunt cum illis unum totum morale, unum corpus politicum, unam societatem, quæ societas est vera Christi

Eccle-

Ecclesia; unde mali cum bonis communicantes in Sacramentis & professione fidei, sunt suo modo partes societatis, quæ est vera Christi Ecclesia, & sic mali cum bonis in vera Christi Ecclesia sunt, quamvis non eodem modo quo boni; qui boni sunt in Ecclesia Christi, ut partes illam constituentes, mali verò ut partes illi adhærentes, & adhærendo facientes cum illa unum corpus morale, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi, & quatenùs est Ecclesia Christi, & corpus Christi, adeòque corpus vivum vita spirituali, quod proinde non nisi ex membris vita spirituali animatis conflari potest.

Dices. Mali sunt partes constituentes societatem, quam faciunt boni & mali inter se communicantes, & quæ est Christi Ecclesia. Ergo mali sunt partes constituentes Ecclesiam Christi. *R.* neg. ant. ad mentem S. Doctoris. Nam societas illa, quam boni cum malis conflant, est in recto sola Ecclesia Christi, & ita in recto dicit solos bonos, ex quibus Ecclesia Christi constituitur, malos verò in obliquo tantùm; societas enim illa est Ecclesia Christi, sensibiliter & corporaliter cum malis colligata per communionem sacramentorum, & externam fidei christianæ professionem: vel, si vis, quod idem est, societas illa sunt boni inter se spirituali charitatis vinculo connexi, & sensibiliter ac corporaliter per sacramentorum communionem & externam professionem fidei christianæ colligati cum malis.

Mali igitur cum bonis conflant corpus politicum, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi, non componendo cum bonis totum aliquod, quod sit in recto boni & mali; sicut homo v. g. est in recto corpus & anima rationalis; sed purè bonis adhærendo sensibiliter & corporaliter per communionem sacramentorum; sicut in doctrina S. Thomæ, albedo facit album cum pariete, non componendo cum pariete totum, quod sit in recto paries & albedo, sed purè inhærendo parieti, unde album non est paries & albedo, sed paries habens albedinem; & sicut humanitas cum verbo facit Christum, non componendo cum verbo totum aliquod, quod sit verbum & humanitas in recto, sed purè incumbendo, vel, si vis, adhærendo physicè verbo, unde Christus est verbum habens humanitatem, verbùm humanitate homo. Addo etiam, sicut in homine habente manum aridam, manus arida cum corpore facit unum continuum physicum, non componendo cum corpore totum, quod sit corpus & manus arida in recto, sed purè adhærendo corpori, unde continuum illud est corpus habens manum aridam.

Mali igitur non sunt de Ecclesia Christi, etiam sumpta ut est corpus politicum, sensibile & palpabile, nisi minùs propriè, secundùm quid, & cum addito diminuente, ut partes purè adhærentes, in obliquo: boni verò sunt de ea, propriè, simpliciter, ut partes constituentes, in recto, uno verbo, sunt ipsa Ecclesia Christi. Quando S. Augustinus negat malos esse de Ecclesia Christi, sumit Ecclesiam Christi secundùm ea tantùm, quæ dicit in recto. Quando dicit malos esse in, vel etiam esse aliquo modo & secundùm quid de Ecclesia Christi, sumit Ecclesiam Christi secundùm ea, quæ dicit tam in recto, quàm in obliquo. Juxta S. Doctorem, boni non solùm sunt in, sed etiam propriè & simpliciter de societate illa sensibili, quæ est Ecclesia Christi, quia sunt in ea ut partes constituentes: mali verò sic sunt in ea, ut non sint propriè & simpliciter de ea, quia in ea sunt tantùm ut partes partibus constituentibus adhærentes.

Porrò hæc hactenùs paulò fusiùs diximus, ad exponendam mentem Augustini, & aliorum Patrum, quorum authoritate abuti conantur hoc tempore hæretici, & alii novatores. Patribus autem asserentibus solos bonos esse de Ecclesia, non contradicunt Doctores catholici, cùm non solùm bonos, sed etiam malos esse in & de Ecclesia dicunt: sentiunt enim bonos esse in & de Ecclesia, ut membra viva; malos verò esse in & de Ecclesia, quomodo in & de ea esse possunt membra mortua & arida, quod sufficit Augustino & aliis Patribus; sicut Doctoribus catholicis sufficit, quod asserit Augustinus, malos per malam vitam spiritaliter tantùm separatos à bonis, adeòque cum bonis corporaliter colligatos manere, donec omninò segregentur: hoc enim supposito, manifestum est malos cum bonis facere, quocumque tandem modo faciant, unum corpus politicum, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi; unde manifestè sequitur, malos esse aliquo verò modo de Christi Ecclesia.

E dictis hactenùs apparet, quàm malè & perperam contendant novatores, à Clemente XI. in Constitutione, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, doctrinam S. Augustini & aliorum Patrum proscriptam fuisse in Quesnellii propositionibus 72. 73. 74. 75. 76. & 77. Nam cùm S. Augustinus dicit ex bonis componi Ecclesiam Christi, non intendit malos ab ea excludere, quandoquidem malos in Ecclesia Christi esse, disertè asserit, inculcat, & variis argumentis demonstrat contra Donatistas, imò expresè agnoscit malos de Ecclesia esse ex parte, nempe secundùm communionem sacramentorum, & externam, ut subintelligit, fidei christianæ professionem: Quesnellius verò in citatis propositionibus sic ex solis bonis Ecclesiam Christi componit, ut ab ea malos prorsus excludere intendat; ut

Facilè demonstratur ex propositione 78. ad quam aliæ citatæ evidenter relativæ sunt, & quæ sic se habet in latinum fideliter versa: *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Juxta Quesnellium igitur, mali per malam vitam à bonis, qui Ecclesiam Christi, componunt, tam separantur, quàm separantur Pagani. Sed Pagani ita separantur à bonis, qui Ecclesiam Christi componunt, ut non magis in, quàm de Ecclesia Christi sint. Ergo similiter, juxta Quesnellium, mali per malam vitam, à bonis qui Ecclesiam Christi componunt, ita separantur, ut non magis sint in, quàm de Ecclesia Christi. Ergo Quesnellius ita ex bonis & sanctis componit Ecclesiam Christi, ut ab ea malos penitùs excludat, & tam excludat, ut non magis velit illos ad eam pertinere, quàm ad eam pertinent Pagani, & a fortiori quàm ad eam pertinent schismatici & hæretici.

Juxta S. Doctorem, schismatici & hæretici, adeòque & quidem à fortiori, Pagani tam corporaliter quàm spiritaliter separati sunt; mali verò spiritaliter tantùm, proindeque minùs separati sunt, quàm Pagani: juxta Quesnellium mali per malam vitam tam separantur, quàm Pagani. Juxta S. Doctorem, mali, quantùmvis mali, retinent cum bonis aliquam unitatem, vi cujus verè sunt in Ecclesia cum bonis: juxta Quesnellium, nullam ejusmodi unitatem retinent. Juxta S. Doctorem, mali per malam vitam non separantur totaliter: juxta Quesnellium, totaliter separantur. Doctrina igitur S. Augustini, & Quesnellii doctrina, ut affirmatio & negatio pugnant inter se.

ARTICULUS IX.

Utrùm infideles occulti sint in vera Christi Ecclesia.

Responsio.

INfideles occulti sunt in Ecclesia Christi.

Prob. Infideles occulti sunt ii, qui fidem non habent, & ita carent omni virtute christiana, sed tamen exteriùs fidem Christianam profitentur, & eadem sacramenta participant cum fidelibus. Atqui tales sunt in vera Christi Ecclesia. Ergo, &c.

Prob. min. 1. ex Joanne Apostolo epist. 1. c. 2. ubi hæc leguntur: *Et nunc antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Hic Apostolus loquitur in persona totius Ecclesiæ, & per antichristos intelligit eos, qui in apertam hæresim erupe-

eruperunt. Dicit autem eos per notoriam hæresim exiviſſe ab Eccleſia. Ergo ante notoriam hæresim erant in Eccleſia, aliquem enim è loco, in quo non eſt, exire manifeſtam involvit repugnantiam. Ergo infideles, quandiu occulti ſunt, adeòque quandiu fidem chriſtianam exteriùs profitentur, & eadem ſacramenta participant cum veris fidelibus, tandiu ſunt in Eccleſia.

At inquies. Apoſtolus hìc diſertè aſſerit eos non fuiſſe de Eccleſia, etiam antequam in apertum ſchiſma prorumperent. *Non erant*, inquit, *ex nobis*. Ergo etiam antequam prorumperunt in apertum ſchiſma, non fuerunt in Eccleſia, nam qui non eſt de Eccleſia, non eſt in Eccleſia, ſicut qui non eſt in Eccleſia, de Eccleſia eſſe non poteſt.

R. 1. diſt. ant. Apoſtolus hic diſertè aſſerit eos non fuiſſe de Eccleſia, &c. tanquam membra viva, C. ant. Ne quidem tanquam membra mortua & arida, N. ant. & diſt. conſ. Ergo etiam antequam prorumperent in apertum ſchiſma, non fuerunt in Eccleſia ut membra viva, C. conſeq. Ut membra mortua & arida, N. conſeq. Nam cùm Apoſtolus dicit eos per apertum ſchiſma in Eccleſia exiviſſe, hoc ipſo dicit eos ante apertum ſchiſma in Eccleſia fuiſſe: clarum autem eſt non fuiſſe ut membra viva, cùm ſpiritali vita carerent. Ergo hoc ipſo dicit eos ante apertum ſchiſma, in Eccleſia fuiſſe ut membra mortua & arida, adeòque ante apertum ſchiſma, de Eccleſia fuiſſe ut membra mortua & arida.

Juxta Apoſtolum igitur, hìc hæretici, antequam in manifeſtam prorumpant hæresim, ſunt & non ſunt de Eccleſia: non ſunt ut membra viva, ſunt ut membra mortua. Unde juxta eundem, ſunt & non ſunt in Eccleſia; ſunt ut membra mortua, non ſunt membra viva: nam eodem modo ſunt & non ſunt in Eccleſia, quo ſunt & non ſunt de Eccleſia, ſicut viciſſim eodem modo ſunt & non ſunt de Eccleſia, quo ſunt & non ſunt in Eccleſia. Hinc apparet ſenſus Apoſtoli dicentis, Non erant ex nobis & tamen ex nobis prodierunt: perinde enim eſt, ac ſi diceret: Non erant ex nobis ut membra viva, & tamen ex nobis prodierunt, quia in nobis & de nobis erant ut membra mortua: erant autem in nobis & de nobis ut membra mortua tantùm, quia non erant in nobis & de nobis animo & voluntate, & ſic non erant in nobis & de nobis, quia ut non verè, ſed apparenter tantùm fideles erant: nam ſi verè fideles fuiſſent, & non apparenter tantùm, in Eccleſia permanſiſſent, perſeverando ſcilicet in chriſtianæ fidei profeſſione. Ex his

R. 2. diſt. ant. ad mentem S. Auguſtini. Apoſtolus hic aſſerit hæreticos, etiam ante apertum ſchiſma, non fuiſſe de Eccleſia, ut membra corpus Eccleſiæ cum bonis conſtituentia, C. ant. cùm enim occulti hæretici ſint membra mortua, & non poſſunt concurrere ad conſtitutionem corporis vivi, quale eſt corpus Eccleſiæ, quod eſt Chriſti corpus. Apoſtolus hic aſſerit hæreticos etiam ante apertum ſchiſma non fuiſſe de Eccleſia, nequidem ut membra corpori Eccleſiæ purè adhærentia, N. ant. Quandiu enim hæretici ſunt, tandiu cum bonis ſenſibilem & corporalem habent unitatem, per externam fidei Chriſtianæ profeſſionem, adeòque tandiu adhærent corpori Eccleſiæ, quod ex bonis componitur, & adhærent, ut membra in vero aliquo ſenſu; cùm tandiu poſſint habere & exercere juriſdictionem puta epiſcopalem, & ita tandiu eſſe moralia Eccleſiæ organa. Et diſt. conſ. Ergo hæretici, etiam ante apertum ſchiſma, non fuerunt in Eccleſia, ut membra cùm bonis conſtituentia corpus Eccleſiæ, C. conſeq. Ut membra corpori Eccleſiæ purè adhærentia, N. conſeq.

Prob. min. 2. ex Celeſtino I. cujus verba recitat Nicolaus I. in ſua ad Michaelem Imperatorem epiſtola de poteſtate & dignitate Sedis Apoſtolicæ. Nam Celeſtinus ad Orientales Epiſcopos & ad Clerum Conſtantinopolitanum ſcribens, dicit, Neſtorium, poſtquam hæresim ſuam prædicare cœperat, actus juriſdictionis epiſcopalis, quales ſunt excommunicare laicos, & clericos deponere, exercere non potuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana. Atqui hoc dicendo, Celeſtinus manifeſtè ſupponit Neſtorium exercere potuiſſe juriſdictionem epiſcopalem, quandiu non fuit manifeſtus hæreticus. Ergo Neſtorius quandiu non fuit manifeſtus hæreticus, tandiu fuit in Eccleſia: ab eo enim qui non eſt in Eccleſia, in Eccleſia juriſdictionem aliquam exerceri poſſe repugnat. Ergo, &c.

Prob. min. 3. authoritate Patrum, pro quibus omnibus ſit Auguſtinus. Sic autem loquitur lib. 4. de bapt. c. 10. *Si zizania ſola dicenda ſunt, quæ uſque in finem in maligno errore perdurant, & fortis muta frumenta ſunt, & intùs multa zizania* (hoc eſt, multi hæretici manifeſti, qui proinde foris ſeu extra Eccleſiam ſunt ad veram fidem convertentur, & in ea uſque in finem perſeverabunt; & multi infideles occulti, qui proinde intùs ſeu in Eccleſia ſunt nunquam convertentur ad veram fidem, ſed in infidelitate permanebunt uſque in finem) *at enim pejores* (inquient) *ſunt exteriores* (manifeſti hæretici) *quàm interiores mali* (infideles occulti) *magna quidem quæſtio eſt, utrùm pejor fuerit Nicolaus exterior jam, quam Simon adhuc interior, quia ille hæreticus* (manifeſtus) *ſic magnus* (& infideles occultus.)

In lib. de catechizandis rudibus c. 17. ſic ait: *Sunt qui propterea volunt eſſe chriſtiani, ut aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt, quos timent* (certè tales non ſincerè, ſed fictè tantùm chriſtianam fidem amplectuntur, adeòque non verè, ſed apparenter tantùm fideles ſunt.) *Sed iſti reprobi ſunt; & ſi ad tempus eos portat Eccleſia, ſicut area uſque ad tempus ventilationis paleam ſuſtinet: ſi non ſe correxerint ... in fine ſeparabuntur. Nec ſibi blandiantur quòd in area poſſunt eſſe cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt, ſed igni debito deſtinabuntur.*

Juxta S. Doctorem igitur, qui fictè & apparenter tantùm fideles ſunt, ſunt in Eccleſia cum verè fidelibus & juſtis; cùm hoc tamen diſcrimine, quòd hi ſint in ea ut frumentum Dei, quia ſi in fide, quæ per charitatem operatur, perſeveraverint, horreum Dei congregabuntur, hoc eſt, in cœlo potientur vita æterna: illi verò ſint in ea ut paleæ, quia niſi ad veram fidem convertantur, tandem aliquando à ſupremo judice ſeparabuntur, & projicientur ex arca, comburendi igne inextinguibili.

Prob. min. 4. ratione. Qui non eſt in Eccleſia, in Eccleſia nullam juriſdictionem habere poteſt, ut docent ſummi Pontifices, Celeſtinus I. & Nicolaus I. & cum illis SS. Patres communiter. Et verò, ut dicit S. Cyprianus epiſt. 58. ad Antonianum, *quiſquis ille eſt, & qualiſcumque eſt, chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt*. At certè eum, qui chriſtianus non eſt, aliquam in Eccleſia habere juriſdictionem repugnat. Ergo ſi infideles occulti non ſunt in Eccleſia, nullam in Eccleſia juriſdictionem habere poſſunt; & ita hoc ipſo quòd aliquis v. g. Parochus incidit in occultam hæresim, amittit juriſdictionem in foro interno: item hoc ipſo quòd aliquis Epiſcopus incidit in occultam hæresim, amittit dignitatem epiſcopalem, & omnem tam in foro interno quàm in externo juriſdictionem; quamtumlibet exteriùs fidem chriſtianam profiteatur, & in eorumdem ſacramentorum participatione communicet cum fidelibus. Atqui hæ conſequentiæ admitti non poſſunt; tum quia alioquin omnes actus, qui tam in foro interno, quàm in externo ſine juriſdictione exerceri non poſſunt, eſſent incerti; cùm pronum ſit hominibus internam fidem amittere; tum quia, quòd Epiſcopus, quantùmvis animum gerat hæreticum, dignitate & juriſdictione epiſcopali non excidat, niſi aut ſe ipſe, in apertum ſchiſma prorumpendo, ſeparet, aut de hæreſi convictus ſeparetur, communiſſima ſententia eſt.

Obj. 1. S. Auguſtinum lib. 3. de bapt. cap. 19. ubi loquens de occultis hæreticis, ſic ait: *Hujus autem fraternæ charitatis inimici, ſive apertè foris ſint, ſive intùs eſſe videantur, pſeudo-chriſtiani ſunt & antichriſti. Inventis enim occaſionibus, foras*

exeunt ... sed etiamsi occasiones desint, cùm intùs videntur, ab illa invisibili charitatis compage separati sunt. Unde Joannes dicit: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Ergo ex S. Augustino, hæretici occulti non sunt in Ecclesia, sed solùm videntur esse in Ecclesia. Et ratio Doctoris est, quia occulti hæretici non sunt ex Ecclesia, quod probat ex verbis Joannis Apostoli.

R. Doctorem hic intelligere modum essendi intùs, non qualemcumque, sed qui solis bonis convenire potest, nempe modum essendi intùs per internum & spiritale charitatis vinculum, quo boni inter se colligati, corpus Christi, quod est Ecclesia, constituunt: unde sic sunt in Ecclesia, ut sint ipsum corpus Ecclesiæ, & sic sunt in domo Dei, ut sint ipsa domus Dei. Occulti autem hæretici non sic sunt intùs; cùm fraternæ charitatis inimici sint, adeòque separati ab illa invisibili charitatis compage, vi cujus boni sunt unum Christi corpus, una domus Dei, una Ecclesia, quæ quia ex solis bonis constituunt, de illa dictum est, quòd sit *columba unica, pudica & casta sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum, &c. quod non intelligitur nisi in bonis & sanctis & justis*, ut ait S. Doctor lib. 6. de bapt. c. 3.

Occulti igitur hæretici non sunt intùs, sicut sunt boni, sed solùm videntur esse quia fraternam, à qua animo & voluntate alieni sunt, charitatem simulant, quandiu desunt occasiones illam impunè violandi: unde tandiu videntur pertinere ad illam invisibilem charitatis compagem, qua boni eadem sacramenta participantes, & eadem christianam fidem exteriùs profitentes, unam Christi Ecclesiam componant. Quamvis autem occulti hæretici non sint intùs in hoc sensu, in aliquo alio vero sunt, ut apparet ex eo quòd, ut ait S. Doctor, inventis occasionibus, in apertum schisma prorumpunt, & prorumpendo foras exeunt: non possent autem foras exire per apertum schisma, nisi ante apertum schisma intùs essent.

Obj. 2. eundem tract. 3. in epist. Joan. ubi sic loquitur: *Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt: sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis.* *R.* S. Doctorem ibidem expressè asserere, quòd occulti hæretici sint in Ecclesia: sic enim prosequitur: *Si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intùs sunt, non exierunt, & tamen antichristi sunt. Audemus hoc dicere? Ut quid? nisi ut unusquisque, cùm intùs est, non sit antichristus.*

Cùm ergo S. Doctor dicit occultos hæreticos non esse ex nobis, tantùm vult eos non esse in corpore Ecclesiæ ut patres ipsum constituentes, & solùm in eo esse ad eum prope modum, quo mali humores sunt in corpore humano: sic enim ibidem ait: *Qui sunt intùs* (hæretici occulti) *certè sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi ... Sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali ... Dicit, quando eos evomit atque projicit corpus: Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, Non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cùm inessent.* Et inferiùs: *De voluntate sua unusquisque aut antichristus, aut in Christo est; aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est, qui autem in malitia permanet, humor malus est: & quando exierit, revelabuntur qui premebantur.*

Dices. Saltem negat hìc S. Augustinus, occultos hæreticos esse membra Ecclesiæ in ullo vero sensu. *R.* neg. Nam S. Augustinus hìc tantùm negat occultos hæreticos esse membra componentia: loquitur enim hìc non de membris quibuslibet, sed solùm de componentibus & constituentibus corpus Ecclesiæ, ut patet ex his verbis, quæ ibidem leguntur: *Qui non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret* (hoc est, permanet,) *& membrum computatur. Nunquam sibi sunt membra contraria: corporis integritas universis membris constat.* Negat autem S. Doctor occultos hæreticos esse in corpore Ecclesiæ ut membra componentia, quia corpus Ecclesiæ est corpus vivum, quod proinde non nisi membris vivis constare potest. Porrò occulti hæretici non sunt membra viva, sed mortua & arida.

Dices. Juxta S. Augustinum, occulti hæretici in corpore Ecclesiæ tantùm sunt, ut humores mali. *R.* neg. Nam S. Augustinus dicit quidem occultos hæreticos esse in corpore Ecclesiæ ut humores malos, at non dicit esse tantùm ut humores malos. Juxta S. Doctorem, occulti hæretici (idem de aliis peccatoribus quibuslibet) sunt in Ecclesia, 1. ut paleæ in arca, frumento permixtæ, à frumento per ventilabrum separandæ, & in ignem projiciendæ. 2. Ut vasa lignea & fictilia in magna domo, ad usus inglorios destinata. 3. Ut humores mali in corpore humano, quibus corpus humanum premitur, quibusque evomitis sublevatur. 3. Ut membra purè adhærentia: nam juxta S. Doctorem, mali, quandiu eadem sacramenta participant, & eandem fidem profitentur cum bonis corpus Ecclesiæ constituentibus, tandiu cùm illis unitatem habent corporalem, atque ita tandiu adhærent corpori Ecclesiæ; & sic adhærent, ut possint esse moralia illius organa, & sint quandoque, ut patet v. g. ex Parochis, vel Episcopis, qui occultè hæretici sunt, aut aliter mali. Unde juxta S. Doctorem, mali possunt esse, & quandoque sunt instrumenta conjuncta corporis Ecclesiæ. Instrumentum autem conjunctum corporis non potest non esse illius membrum, in aliquo vero sensu. Ergo juxta S. Doctorem, mali per sacramentorum communionem & fidei christianæ professionem corporaliter uniti cum bonis corpus Ecclesiæ componentibus, sunt in aliquo verò sensu membra corporis Ecclesiæ. Non sunt autem membra componentia: superest igitur, ut sint membra purè adhærentia.

Obj. 3. Hæretici non sunt christiani. Ergo, &c. *R.* dist. ant. Hæretici manifesti non sunt christiani, C. ant. Hæretici occulti, N. ant. Nam nomen Christiani nomen est professionis: Christianus enim dicitur, qui veram Christi fidem profitetur: quòd si corde non tenet, quod profitetur ore, malus christianus est, sed tamen christianus. Occulti igitur hæretici christiani sunt, quamvis mali christiani: unde in Ecclesia, & in aliquo vero sensu, de Ecclesia esse possunt, & sunt.

ARTICULUS X.

Quid sit Ecclesia.

Responsio.

Ecclesia sufficienter describitur, Cœtus hominum inter se conjunctorum ejusdem fidei christianæ professione, & eorumdem sacramentorum communione, sub regimine legitimorum pastorum, & præsertim unius in terris Vicarii Christi Pontificis Romani.

Prob. Nam 1. hac descriptione includuntur omnes qui sunt in Ecclesia, & excluduntur omnes qui in Ecclesia non sunt. 2. Hæc descriptio convenit soli Ecclesiæ, eamque ab omni alia societate discernit. 3. Ex hac descriptione Ecclesia non potest non esse visibilis: nam si hoc ipso quòd quis christianam fidem profitetur, & sacramenta participat sub regimine Romani Pontificis, vel, si vis sub regimine pastorum subditorum Romano Pontifici, hoc ipso, inquam, is est in Ecclesia, & de Ecclesia, vel ut membrum vivum, vel ut membrum mortuum seu, quòd eòdem redit, vel ut membrum mortuum, vel ut membrum adhærens; Ecclesia tam sensibilis est & palpabilis, quàm Imperium Romanum & Regnum Galliæ. Ergo, &c.

Exponitur jam hæc descriptio. Ecclesia igitur dicitur, 1. Cœtus hominum inter se conjunctorum: nam Ecclesia Christi est multitudo una, unus populus, corpus unum, morale scilicet & politicum, proinde resultat ex morali conjunctione multorum hominum inter se. Dicitur 2. Ejusdem fidei professio-

fessione; & per hoc excluduntur ab Ecclesia infideles omnes, qui nunquam in ea fuerunt, ut Judæi, Mahumetani, & Pagani, item manifesti hæretici, & apostatæ. Dicitur 3. Communione eorundem sacramentorum; & per hoc excluduntur ab Ecclesia catechumeni & excommunicati publicè ac nominatim: hi enim à sacramentorum participatione repulsi sunt, illi verò ad eam nondùm admissi. Dicitur 4. Sub regimine legitimorum pastorum; & per hoc excluduntur ab Ecclesia schismatici, qui quidem veram fidem profitentur, & vera sacramenta participant, sed non subjiciuntur legitimæ authoritati; unde non in Ecclesia, sed extra Ecclesiam veram fidem profitentur, & vera sacramenta participant.

Obj. Supposita hac descriptione Ecclesiæ ut bona, 1. homo non baptizatus potest esse in Ecclesia. 2. Excommunicatus, qui nimirùm excommunicationem ipso facto incurrit, nec publicè ac nominatim denunciatus est, manet in Ecclesia. 3. Excommunicatus publicè ac nominatim, & manifestus hæreticus, possunt esse de Ecclesia. 4. Possunt etiam esse de Ecclesia Judæi, Mahumetani, & Pagani.

R. ad 1. hominem non baptizatum, de quo non constat quòd non sit baptizatus, si fidem christianam profiteatur, & sacramenta participet cum debita subjectione ad prælatos Ecclesiæ, verè esse in Ecclesia, & de Ecclesia. Quòd probatur ex Innocentio III. c. *Apostolicam*, extra de presbytero non baptizato; ubi interrogatur, qui *sine unda baptismatis extremum diem clauserat*, sic respondet, illum, *quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & christiani nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter.* Et in fine: *In Ecclesia tua juges præces, hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato.* Ergo presbyter ille non baptizatus, in Ecclesia vixerat & decesserat: nemo enim salvari potest extra Ecclesiam, neque pro iis qui extra Ecclesiam moriuntur offerri possunt præces & hostiæ. Ergo, &c.

R. ad 2. eum, qui excommunicatione ipso facto incurrit, quandiu non denunciatur excommunicatus, esse in Ecclesia & de Ecclesia. Quod patet ex eo quòd valide exerceat actus, ad quos jurisdictio requiritur, & quos proinde non posset validè exercere, si non esset in Ecclesia & de Ecclesia; nam qui extra Ecclesiam sunt, nullam in ea authoritatem & jurisdictionem habere possunt, ut probatum est. Excommunicatus igitur, sed non denunciatus, sicut ecclesiasticam jurisdictionem retinet de facto, non de jure: ita de facto, non de jure, in Ecclesia & de Ecclesia esse perseverat.

At inquies. Quem ergo in excommunicato non denunciato effectum habebit hæc excommunicandi formula, quæ habetur 11. q. 3. *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, authoritate Dei & judicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius christianitatis eliminamus, quoadusque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant. R. breviter*, hanc excommunicandi formulam privare excommunicatos non denunciatos, jure manendi in Ecclesia, & sacramenta participandi cum fidelibus, imò & cum illis etiam in civilibus præter casus exceptos communicandi.

R. ad 3. Hæreticum in uno loco manifestum, si alio in loco in quo ignotus est fidem catholicam profiteatur, & participet sacramenta sub regimine legitimorum pastorum, hoc ipso fore in Ecclesia. Idem planè dicendum de homine nominatim excommunicato in uno loco, si in alio in quo notus non est, similiter profiteatur catholicam fidem, &c. tunc enim in uno loco præcisus ab Ecclesia per sententiam excomunicationis, in alio iterùm unitur Ecclesiæ per christianæ fidei professionem, & sacramentorum participationem, &c. & per hanc unionem iterùm restituitur in Ecclesiam facto, non jure: non enim jure potest esse in Ecclesia, nisi à sententia excommunicationis absolvatur: unde sententia excommunicationis in eum lata in eum, quandiu non absolvitur, primarium suum semper sortitur effectum.

R. ad 4. idem quod ad 3. *At inquies.* Si ita est, Ecclesia dici poterit cœtus hypocritarum, paganorum, Turcarum, &c. *R.* neg. Nam ejusmodi homines si sunt in Ecclesia, in ea valdè pauci sunt. 2. In Ecclesia semper magno numero sunt homines verè fideles, pii, sancti, & electi, à quibus denominanda est: cùm denominatio sumenda sit à meliori parte, quando notabilis est. Denique dici potest, ad mentem S. Augustini, Judæos, paganos, &c. si qui sunt in Ecclesia propter fidei christianæ professionem, & communionem sacramentorum, &c. pertinere ad Ecclesiam in obliquo tantùm, seu ut partes purè adhærentes. Ex ejusmodi autem non aliter pertinentibus ad Ecclesiam, Ecclesia denominari non debet, sed ex solis justis, qui ad eam pertinent in recto, & partes ipsam constituentes in esse corporis Christi, adeòque in esse verè Ecclesiæ. Pro quo

Nota. Ecclesia, ad mentem S. Doctoris, rectissimè describi potest, Cœtus justorum, per internum fidei, spei & charitatis vinculum connexorum spiritaliter, atque insuper inter se & cum malis per christianæ fidei professionem & eorumdem sacramentorum participationem, sub legitimorum pastorum regimine corporaliter colligatorum. At pessimè sic describeretur. Cœtus malorum inter se & cum justis, per christianæ fidei professionem, & participationem eorundem sacramentorum, sub legitimorum pastorum regimine corporaliter conjunctorum.

Ratio evidens est: quia Ecclesiæ, secundo modo descriptæ, male convenirent ea omnia, quæ de illa passim dicuntur in Scripturis, ut quòd sit corpus Christi, domus Dei, columba unica, pudica & casta, sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, paradisus cum fructu pomorum; ut etiam illud Cant. c. 2. *Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias;* & illud c. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te, &c.* E contra verò hæc omnia Ecclesiæ, primo modo descriptæ, bene conveniunt.

DISPUTATIO VI.

De Ecclesiæ visibilitate, perpetuitate, & indefectibilitate à vera fide.

ARTICULUS I.

Utrùm Ecclesia sit visibilis.

ECclesiam esse visibilem negat Lutherus lib. de abroganda Missa parte 1. ubi sic loquitur: *Quis Ecclesiam nobis monstrabit? cùm sit occulta in spiritu, & solum credatur: credo Ecclesiam sanctam.* Idem negat Calvinus lib. 4. institut. c. 1. §. 7. *Nobis*, inquit, *invisibilem, solius Dei oculis conspicuam Ecclesiam* (eam scilicet, quæ revera est coram Deo Ecclesia) *credere necesse est.* Magdeburgenses cent. 1. lib. 1. cap. 4. duplicem fingunt Ecclesiam, unam falsam, & alteram veram. Falsam dicunt esse cœtum numerosissimum; & veram, cœtum plerumque exiguum, quia ad hanc illi soli pertinent, qui intrant per angustam portam, hoc est, qui veram pietatem colunt, adeòque Ecclesiam invisibilem constituunt. In hac autem duplici Ecclesiæ, quarum una vera est & invisibilis, distinctione, Magdeburgensibus præivit Calvinus loco citato. Sed contra novatores illos omnes cum omnibus catholicis sit

Responsio.

Vera Christi Ecclesia visibilis est.

Prob. 1. ex Script. Nam legitur Act. c. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et 1. ad Timoth. c. 3. *Hæc tibi scribo... ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari,*

quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Et Hebr. cap. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*. Et Matth. c. 18. *Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Ex quibus textibus sic argumentor. In vera Christi Ecclesia pastores tenentur gubernare oves suas, eas docere, hortari & instruere, eis sacramenta administrare. Item vicissim tenentur oves pastores suos sequi, vocem eorum, audire, eis obtemperare, eos revereri. Item debet homo fratrem in se delinquentem, & à se correptum, atque resipiscere nolentem, deferre prælatis Ecclesiæ, qui tenentur illum corripere, & contumacem à fidelium communione separare: unde delinquens ipse tenetur prælatos Ecclesiæ audire, & illis morem gerere. Atqui manifestum est, nihil horum fieri posse in vera Christi Ecclesia, si non sit visibilis. Ergo, &c.

Et verò si vera Christi Ecclesia invisibilis est, certè quia ii qui in ea & de ea sunt, sunt invisibiles: nam si visibiles sunt, Ecclesiam visibilem esse manifestum est. At si ii qui in de vera Christi Ecclesia sunt, sunt invisibiles, se invicem non possunt agnoscere; atque ita in vera Christi Ecclesia neque pastores oves suas, neque oves pastores suos agnoscere possunt. At si pastores non agnoscunt oves suas, quomodo possunt eas ducere, regere, docere eisque sacramenta administrare? Item si oves non agnoscunt pastores suos, quomodo possunt eos sequi, eorum vocem discernere, eis obtemperare, eis debitam exhibere reverentiam? Clarum igitur est Scripturam locis citatis, veræ Christi Ecclesiæ visibilitatem supponere, & tam apertè supponere, ut nullum relinquat hæreticis tergiversandi locum.

Prob. 2. ex Patribus pro quibus omnibus sit hic unus Augustinus, qui veræ Christi Ecclesiæ visibilitatem contra Donatistas variis locis luculenter defendit, ut epist. 106. sic loquitur, *In sole posuit tabernaculum suum. Ipsa est Ecclesia in Sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ*. Et tract. 1. in epist. Joan. ubi sic ait: *Nonne ille lapis* (Ecclesia Christi) *crevit, & factus est mons magnus, & implevit universum orbem terrarum? Numquid digito ostendimus istum montem? .... Nonne* (Christi Ecclesia) *aperta est? nonne obtinuit omnes gentes? .... Ecce civitas, de qua dictum est: Non potest civitas abscondi super montem constituta.* .... *Erit in novissimis diebus* (inquit Isaias) *manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium. Quid tam manifestum, quam mons? Sed sunt & montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt ... ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terræ ... Mon est super cacumina omnium montium*.

Porrò quòd de Donatistis subjicit, *In tenebris ambulant, & nesciunt quò eunt, quia tenebræ excæcaverunt oculos eorum: montem non vident: nolo mireris; oculos non habent: Unde oculos non habent? Quia tenebræ excæcaverunt eos*, apprimè cadunt in Lutheranos & Calvinistas, qui voluntariè cæcutientes, videre nolunt Ecclesiam quaquaversùm conspicuam, & lucem desiderant sub meridiano sole.

Prob. 3. ratione triplici. Nam 1. exta veram Christi Ecclesiam nemo salutem consequi potest, ut docent Patres, & inter alios Augustinus lib. 4. de bapt. c. 1. *Ecclesia*, inquit, *paradiso comparata, indicat nobis posse quidem ejus baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem, beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere ..... Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur*. Ergo qui non sunt in vera Christi Ecclesia, tenentur ad illam ingredi, & qui in ea sunt, tenentur in ea usque in finem perseverare, membris ejus communicando, & prælatis ejus obediendo: tenentur enim omnes salutem suam procurare. Ergo qui non sunt in vera Christi Ecclesia, possunt in eam ingredi, & qui in ea sunt, possunt in ea perseverare, membris ejus communicando, & obediendo prælatis ejus. Atqui ad hoc utrumque manifestè requiritur visibilitas Ecclesiæ. Ergo, &c.

2. Vera Christi Ecclesia (militans scilicet, de qua hic semper loquimur) est societas humana. Atqui omnis societas humana essentialiter visibilis est: societas enim humana sine sociis non est, & socii nec sunt nec esse possunt, qui se invicem non agnoscunt: unde nulla societas inter homines perfici potest sine signis externis & sensibilibus; &, ut ait S. Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 11. *in nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*: quia nimirùm in nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquam conflando societatem. Ergo vera Christi Ecclesia non potest non esse visibilis; ita ut vel sit aliquid visibile & palpabile, vel non sit Ecclesia.

3. denique vera Christi Ecclesia est collectio hominum inter se colligatorum per externam fidei christianæ professionem, & eorumdem Sacramentorum participationem sub legitimorum pastorum externo regimine. Atqui collectio hominum sic inter se colligatorum non potest non esse visibilis & conspicua; cùm sit collectio hominum inter se colligatorum signis externis & sensibilibus. Ergo, &c.

Obj. 1. Ex S. Augustino; vera Christi Ecclesia est invisibilis: nam juxta illum, vera Christi Ecclesia componitur ex solis justis, Ergo, &c. *R.* neg. ant. quod intolerabiliter falsum est; cùm passim veræ Ecclesiæ visibilitatem contra Donatistas probet & inculcet S. Doctor. *Ad prob. R.* juxta S. Doctorem, Ecclesiam Christi, propriè & strictè loquendo, componi ex solis justis, non solùm per internum charitatis vinculum connexis spiritaliter, sed insuper per ejusdem fidei professionem & eorumdem sacramentorum participationem sub legitimorum pastorum regimine corporaliter conjunctis inter se, & cùm multis malis quibuscum hac corporali conjunctione faciunt unum corpus morale & politicum, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi, quæ proinde sensibilis est & palpabilis; quamvis non omnes moralis illius & politici corporis, quod boni cum malis per corporalem cum illis conjunctionem faciunt, partes non pertineant ad Ecclesiam, ut membra componentia; sed aliæ, nempe boni, ad eam pertineant ut membra componentia; aliæ verò, nempe mali, ut membra puræ adhærentia: atque ita non omnes moralis illius corporis, &c. partes pertineant ad Ecclesiam in recto, sed aliæ, nempe boni, in recto pertineant, aliæ verò, nempe mali, in obliquo tantùm.

Amplius. Juxta S. Doctorem, soli justi propriè componunt Ecclesiam. At simul, juxta eundem, ii omnes sunt in & de Ecclesia, alii quidem, ut membra viva, si sunt boni, alii verò ut membra mortua & arida, si mali sunt, qui per externam ejusdem fidei christianæ professionem, & eorumdem sacramentorum participationem sub externo legitimorum pastorum regimine, inter se colligati sunt. Ergo, juxta S. Doctorem, collectio hominum sic sensibiliter & corporaliter inter se colligatorum, complectitur omnia veræ Ecclesiæ membra, tam viva quàm mortua, tam componentia quàm purè adhærentia. Ergo, quod idem est, juxta S. Doctorem, talis hominum collectio est vera Christi Ecclesia cum suis membris mortuis & purè adhærentibus. Ergo juxta S. Doctorem, vera Christi Ecclesia cum suis membris mortuis & purè adhærentibus, est aliquid sensibile & palpabile; cùm talis hominum collectio sit sensibilis & palpabilis; & qui ingreditur hanc collectionem, ingreditur veram Ecclesiam. Qui manet in hac collectione, manet in vera Ecclesia. Qui separat se, aut separatur ab hac collectione, à vera Ecclesia separat se, aut separatur. Denique qui hanc collectionem digito monstrat, digito monstrat veram Christi Ecclesiam.

At inquies. Qui digito monstrat hanc collectionem, non monstrat justos, ex quibus componitur vera Christi Ecclesia. Ergo non monstrat veram Christi Ecclesiam. *R.* dist. ant. Non monstrat justos distinctè, & separatim à malis, qui etiam sunt in & de vera Christi Ecclesia, C. ant. Non monstrat justos confusè,

& si-

& simul cum malis, &c. N. ant. vel, si vis, dist. sic. Non monstrat justos solos, C. ant. Non monstrat justos simul & malos, cum justis corporaliter colligatos per externam ejusdem fidei professionem, &c. N. ant. & dist. cons. Ergo non monstrat veram Christi Ecclesiam separatim à membris ejus mortuis & purè adhærentibus, C. conseq. Non monstrat veram Christi Ecclesiam conjunctim cum membris ejus mortuis, & purè adhærentibus, N. conseq.

Obj. 2. cùm hæreticis, varios Scripturæ textus, quibus invisibilem esse veram Ecclesiam probare conantur; ut illud Hier. c. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et illud Luc. c. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Et illud Joan. c. 4. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Et illud Hebr. cap. 12. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem .... sed accessistis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, cœlestem Jerusalem.* Et illud 1. Petri c. 2. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini* (lapidi vivo, qui Christus est) *domus spiritualis ... vos autem genus electum* (à Deo) *regale sacerdotium, gens sancta.*

R. ad 1. ibi prænunciari abundantiam gratiarum christianis dandam, & eximiam eorum, licèt non omnium, sanctitatem futuram. *Ad* 2. ibi per regnum Dei intelligi gratiam, vel ipsum Christum auctorem gratiæ; & tunc sensum esse: Christus jam advenit, & præsens est. *Ad* 3. Christum ibi nihil aliud significare velle, quàm christianos Deum esse culturos, non cultu merè externo, ut faciebant Judæi, sed cultu interno, & cum sincero affectu ei placendi.

R. ad 4. ab Apostolo montem Sinai appellari montem tractabilem seu corporeum, Ecclesiam verò Christi montem Sion, seu montem spiritualem; quia in lege Mosaica servantibus illam proposita fuit merces temporalis & terrena; in Ecclesia verò Christi, legem novam servantibus æterna & spiritalis merces proponitur. Item ab Apostolo Ecclesiam Christi vocari civitatem Dei viventis, quia non ab homine mortali, sed à Deo vivo & vero mirabiliter condita, mirabiliter gubernatur & conservatur. Item ab Apostolo Ecclesiam Christi nominari cœlestem Jerusalem, quia non solùm homines viatores, sed etiam comprehensores cum beatis Angelis complectitur, ut patet ex contextu.

R. ad 5. Apostolum alloqui Christianos, supponendo eos & exteriùs & interiùs tales esse, quales exigit christiana professio, adeòque justos esse & sanctos. Justis autem & sanctis convenire ea omnia, quæ hìc christianis attribuit Apostolus clarum est. Sed quid inde? Nam præter eos, qui in Ecclesia Christi velut lapides vivi superædificantur Christo lapidi vivo, & sic quandam domum spiritualem constituunt, cujus fundamentum est Christus; sunt & alii, injusti scilicet & peccatores, cum justi & sancti per ejusdem fidei professionem, & eorumdem sacramentorum participationem corporaliter uniti, qui in Ecclesia Christi sunt, & de ea sunt. Unde cùm ad hoc, ut quis in & de Ecclesia Christi sit, non requiratur justitia & sanctitas, aut quid aliud merè internum & insensibile, sed sufficiant signa quædam externa & sensibilia; Ecclesiam Christi visibilem esse & sensibilem negare stultum est.

Porrò ad duos posteriores textus, in quibus videtur esse major difficultas, & alios similes, si qui sunt, responderi potest breviter, ad mentem S. Augustini, ex illis aliud non posse colligi, quàm solos justos pertinere ad Ecclesiam Christi, ut membra componentia. Unde sequitur tantùm Ecclesiam Christi, sumptam præcisè secundùm membra sua viva & componentia, non esse visibilem: quinam enim sint verè justi & sancti, videre non possumus. At verò, quòd sufficit, si sumitur totaliter, hoc est secundùm membra sua, tam mortua quàm viva, tam purè adhærentia, quàm componentia, planè visibilis est: quia ut quis in ea & de ea, hoc modo sumpta, sit, satis est externa christianæ fidei professio, cum communione sacramentorum sub regimine legitimorum pastorum, quæ omnia sensibilia & visibilia sunt.

Obj. 3. cum Luthero, illud Symboli apostolici, *Credo sanctam Ecclesiam. R.* nos videre & credere. Videmus hanc hominum multitudinem, quæ est sancta Ecclesia, & eam esse sanctam Ecclesiam, 1. cognoscimus evidenter per motiva credibilitatis, saltem collectivè sumpta, quibus totidem, characteribus insignitur, & à quibus, saltem collectivè sumptis, habet evidentiam magnam moralem, imò & evidentiæ physicæ æquivalentem, quòd sit sancta Ecclesia. 2. Eam esse sanctam Ecclesiam, fide divina credimus propter divinam revelationem nobis credibiliter propositam. Sic Deum existere cognoscimur evidenter per creaturas, saltem collectivè sumptas, & credimus fide divina, quia ipse nobis existentiam suam revelavit credibiliter.

ARTICULUS II.

Utrùm Ecclesia visibilis sit perpetua.

SEnsus quæstionis est, utrùm Ecclesia visibilis à tempore Christi & Apostolorum, aliquando defecerit, aut defectura sit. Ecclesiam visibilem deficere posse, & aliquando deficere, docet Calvinus in sua præfat. institut. ad Regem Gall. *Nos contra*, inquit, *asserimus ... Ecclesiam nulla apparente forma consistare posse .... Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur.* Et inferiùs: *Permittamus hoc Domino, ut quando ipse solus novit qui sui sint, interdum etiam Ecclesiæ suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat .... Altis tenebris immergi passus est* (homines,) *ut nulla veræ Ecclesiæ facies extaret.* Quibus verbis apertè significat, sive Ecclesia visibilis deficiat, sive non, manere semper invisibilem Ecclesiam, quam à visibili distinguit, & solam verè esse Ecclesiam Dei vult.

Idem cum Calvino tenent alii ejusdem ætatis hæretici; nec mirare: nam si vera Dei Ecclesia perpetuò visibilis est de illis actum est: hoc ipso enim convincuntur à vera Dei Ecclesia recessisse, adeòque non fideles esse & christiani, sed veri Apostatæ: Ecclesiam enim Dei, quæ à tempore Apostolorum usque ad Lutheri & Calvini tempora visibilis perdurarit, aliam præter Romanam Ecclesiam assignare non possunt.

Hisce posteriorum temporum hæreticis præiverant Donatistæ in Africa, qui, ut refert S. Augustinus lib. de hær. num. 69. contendebant *Ecclesiam Christi* (visibilem scilicet) *propter crimina Cæciliani, seu vera, seu quod magis judicibus apparuit falsa, de toto terrarum orbe periisse, ubi futura promissa est, atque in Africa Donati parte remansisse, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extinctam.* Quo pacto, ut notat ibidem S. Doctor, cùm *primum propter Cæcilianum, contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthaginesis Episcopum schisma* fecissent, *objicientes ei crimina non probata, & maximè quòd à traditoribus divinarum Scripturarum* fuisset *ordinatus*; postea causa cum eo dicta atque finita, *falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissentione firmata, in hæresim schisma verterunt.*

RESPONSIO.

Vera Christi Ecclesia perpetuò visibilis est: ita ut esse visibilis nunquam desierit, aut desitura sit usque ad finem mundi.

Prob. ex veteri testamento. Nam Isaiæ c. 61. legitur: *Fœdus perpetuum feriam eis ... germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* 1. Caput citatum totum est de Ecclesia à Christo instituenda, ut manifestum est ex c. 4. Lucæ, ubi capitis citati initium de adventu suo interpretatur Christus. 2. In capite citato agitur de Ecclesia visibili, ut patet ex his verbis: *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, &c.* quæ verba cadere non possunt in

Ecclesiam invisibilem. 3. Ecclesiæ de qua ibi agitur, promittitur perpetuitas. Ergo in citato Isaiæ capite perpetuitas promittitur Ecclesiæ Christi visibilis. Quod autem Ecclesiæ de qua ibi agitur, perpetuitas promittatur, ex his verbis liquet: *Fœdus perpetuum feriam eis.* Ergo, &c.

Præterea Danielis c. 2. legitur: *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit internum.* Hic autem Daniel loquitur, 1. de regno usque mundi consummationem perduraturo, ut ex ejus verbis manifestum est. 2. Per regnum illud sic perduraturum, intelligit regnum Christi in terris, ut est extra omnem controversiam; & per regnum Christi in terris, Ecclesiam ejus; non enim aliud est in terris Christi regnum præter ejus Ecclesiam. 3. Per regnum illud intelligit Ecclesiam Christi, non invisibilem, sed visibilem: nam Ecclesia invisibilis non est regnum: regnum enim est corpus morale & politicum, sensibile & palpabile; est multitudo hominum se invicem agnoscentium, certis legibus externis inter se sub unius principis externo regimine colligatorum; & dicere quòd ex aliquot hominibus dispersis, & sibi invicem ignotis, conflari possit regnum, insanire est. Ergo loco Danielis citato, Ecclesiæ Christi visibilis perpetua usque ad mundi consummationem duratio prænunciatur.

Prob. ex novo testamento. Nam Matth. c. 16. dicit Christus Apostolorum Principi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ibi Christus loquitur. 1. de Ecclesia sua: *Ædificabo Ecclesiam meam.* 2. Loquitur de Ecclesia sua visibili; loquitur enim de Ecclesia, cujus caput visibile à se constitutum iri Petrum promittit. 3. Expresè asserit adversùs hanc suam Ecclesiam, portas inferi nunquam esse prævalituras. At prævalerent, si aliquando deficeret. Ergo nec defecit, nec defectura est unquam. Eodem pertinet illud ejusdem Matth. c. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quibus verbis Christus promittit se absque ulla intermissione usque ad finem mundi adfuturum Ecclesiæ visibili. Ergo Ecclesia visibilis subsistet absque ulla intermissione usque ad finem mundi: hoc enim vel promittunt, vel saltem apertè supponitur verba Christi.

Nec dic, verba illa Christi dirigi ad Ecclesiam invisibilem, non ad visibilem: nam verbis illis Christus alloquitur Apostolos, & alios discipulos suos, qui visibilem constituebant Ecclesiam; & quia non erant permansuri usque ad finem mundi, in eorum quoque persona alloquitur successores eorum, qui visibiliter eis succedentes usque ad finem visibilem Ecclesiam erant continuaturi.

Præterea sic loquitur Apostolus Ephes. c. 4. *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* Hic Apostolus dicit à Christo instituta esse ministeria pastorum & doctorum, in Ecclesia permansura, donec electorum numerus impleatur. At ministeria pastorum & doctorum manere non possunt, nisi maneat Ecclesia visibilis: non enim ejusmodi ministeria permanenter esse possunt, nisi semper sint pastores & oves, se invicem agnoscentes, nec possunt esse pastores, & oves se invicem agnoscentes, nisi in Ecclesia visibili; adeòque ut semper sint pastores & oves, & semper se invicem agnoscant, necesse est ut semper maneat Ecclesia visibilis. Ergo Ecclesia visibilis permansura est, donec impleatur numerus electorum, proindeque usque ad mundi consummationem.

Prob. authoritate S. Augustini enarratione 2. in psal. 101. ubi contra Donatistas sic loquitur: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis: Hanc vocem abominabilem & detestabilem . . . . prævidet spiritus Dei, & tanquam contra illos cum annunciaret unitatem, in conveniendo* (inquit) *populos in unum & regna, ut serviant Domino.* His autem postremis verbis, *In conveniendo, &c.* Scripturam prænunciare Ecclesiam visibilem, manifestum est: hæc enim postrema verba in Ecclesiam invisibilem cadere non posse, quis non videt: Unde manifestum est, S. Augustinum hic pro perpetuitate Ecclesiæ visibilis pugnare contra Donatistas, qui impudenter asserebant eam de toto terrarum orbe periisse excepta Africa in parte Donati.

Ibidem, ad hæc psalmi verba, *Exiguitatem dierum meorum annuncia mihi*, sic Ecclesiam contra Donatistas loquentem inducit: *Quid est quòd perditi me periisse contendunt; Certè hoc dicunt, quia fui, & non sum, annuncia mihi exiguitatem dierum meorum . . . . quandiu ero in isto sæculo annuncia mihi, propter illos qui dicunt, Fuit, & jam non est . . . Quid est hoc, Exiguitatem dierum meorum annuncia mihi? Et annunciavit, nec vacua fuit vox ista. Quis annunciavit mihi nisi ipsa via? Quomodo annunciavit? Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi.* Tum post multa, sic concludit S. Doctor: *Ego usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus, & ipsa est exiguitas dierum, quia exiguum est omne quod finitur, ut jam in æternitatem ab ista exiguitate transeatur.*

Nec dic iterùm, S. Doctorem hic pugnare pro Ecclesia invisibili. Nam 1. pugnat pro Ecclesia, cui dictum est: *Ecce ego vobiscum sum, &c.* At hoc dictum est Ecclesiæ visibili, non invisibili, ut supra ostendimus.

2. Pugnat pro Ecclesia, quæ congregavit populos in unum, & regna, ut serviant Domino: hæc enim ibidem habet S. Doctor: *Audite* (Donatistæ) *quid dicat Ecclesia. Quæ Ecclesia? Quæ congregavit populos in unum. Quæ Ecclesia? Quæ congregavit regna ut serviant Domino. Mota vocibus vestris, & falsis opinionibus vestris, quærit à Deo, ut exiguitatem dierum suorum annunciet sibi & invenit Dominum dixisse: Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi.* At non invisibilis, sed visibilis Ecclesia congregavit populos in unum, & regna ut serviant Domino.

3. Pugnat pro Ecclesia, quam epist. 146. contra Donatistas dicit esse *Ecclesiam in sole positam, hoc est, in manifestatione omnibus notam usque ad terminos terræ.* Item tract. 1. in epist. Joannis, esse montem illum magnum, qui implevit universum orbem terrarum; montem quem digito ostendimus montem paratum in cacumine montium; montem super cacumina omnium montium existentem; montem quem non vident Donatistæ, quia videre nolunt; civitatem, quæ non potest abscondi, quia supra montem constituta est. Pugnat ergo S. Doctor pro Ecclesia maximè visibili.

4. denique pugnat pro Ecclesia, quam Donatistæ ajebant de toto terrarum orbe periisse contagione communionis cum Cæciliano initiæ & retentæ, seu quia Cæcilianum, quamvis, ut ipsi volebant, gravissimorum criminum reum innocentem pronunciarat. At non invisibilis, sed visibilis Ecclesia absolvit Cæcilianum: Pontifex enim & Episcopi, qui Cæcilianum absolverunt, cùm reliquis fidelibus eis adhærentibus, eorumque judicio acquiescentibus, profectò non invisibilem, sed visibilem, constituebant Ecclesiam. Ergo Sanctus Doctor pugnat hic pro perpetuitate visibilis Ecclesiæ, & hanc perpetuitatem negantium vocem appellat *impudentem, abominabilem, detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam*, addere potuit, & hæreticam: nam ut ipse ait in lib. de hær. Donatistæ schisma in hæresim verterunt, asserendo Ecclesiam visibilem de toto terrarum orbe periisse.

Prob.

Prob. ratione, visibilis Ecclesia Christi perire potest, certè quia potest deficere à vera fide: quandiu enim in veræ fidei professione perseverabit, tandiu non poterit non esse vera Christi Ecclesia. Unde multò ante Lutheri & Calvini tempora, Ecclesiam Christi visibilem desiisse volunt, quia volunt eam multò ante tempora illa à vera fide aberrasse. Atqui visibilis Ecclesia Christi non potest à vera fide deficere, neque ex toto, neque ex parte aliquod falsum dogma tenendo ut verum, aut verum aliquod dogma rejiciendo ut falsum. Ergo, &c. Minor probabitur duobus sequentibus articulis, pro quibus

Nota. Cùm quæritur, utrùm Ecclesia visibilis errare possit in fide, quæstio non proponitur de aliqua parte Ecclesiæ: Certum enim est aliquam Ecclesiæ partem errare non posse in fide, ut patet ex Ario, Macedonio, Nestorio, & aliis tum anterioribus, tum posterioribus hæresiarchis, iisque omnibus, qui cum illis defecerunt. Proponitur itaque quæstio de universa Ecclesia visibili, quo nomine universæ Ecclesiæ intelligi potest duplex universitas nempe universitas fidelium, hoc est, tota christianorum collectio, ex pastoribus & ovibus constans, & universitas pastorum, hoc est, tota episcoporum multitudo, quæ dicitur universa Ecclesia repræsentativè. De hac igitur utraque universitate duobus sequentibus articulis quæremus, utrùm possit errare in rebus ad fidem pertinentibus.

ARTICULUS III.

Utrùm universitas fidelium errare possit in rebus ad fidem pertinentibus.

Responsio.

UNiversitas fidelium errare non potest in rebus ad fidem pertinentibus, sive earum fides sit absolutè ad salutem necessaria, sive non; sive in Scripturis expressè contineantur, sive non: ita ut quidquid fideles tanquam de fide tenent, non possit non esse verum, & de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam Isaiæ cap. 54. legitur: *Noli timere, quia non confunderis, neque erubescas .... Dominabitur tui, qui fecit te.* Et Matth. c. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et ejusd. cap. ultim. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Et Ephes. cap. 1. *Ipsum* (Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et eadem epist. c. 4. *Unum corpus & unus spiritus.* Et 1. ad Timoth. c. 3. *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

In his omnibus textibus agitur de Ecclesia visibili. Nam 1. Isaias manifestè loquitur de Ecclesia à Messia Christo instituenda. At Christus non invisibilem, sed visibilem Ecclesiam instituit. Item loquitur de Ecclesia, ad quam convertendi erant gentiles: sic enim ibidem Ecclesiam alloquitur Propheta: *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende .... Ad dexteram enim ad sinistram penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit.* Et inferiùs: *Ecce accola veniet, quia non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi.* At gentiles conversi sunt non ad visibilem Ecclesiam, sed ad invisibilem. 2. Christum apud Matthæum primo loco de Ecclesia visibili loqui, & secundo eam alloqui, supra ostensum est. 3. Quòd Apostolus Ecclesiam visibilem intelligat locis citatis, satis liquet ex ultimo: de eadem enim illa Ecclesia ubique loquitur, in qua conversari poterat Timotheus. Timotheus autem conversari non poterat nisi in Ecclesia visibili: non enim poterat conversari in Ecclesia, nisi eam nosset, nec eam nosse poterat, nisi esset visibilis & conspicua. His præsuppositis,

Jam sic argumentor. In laudatis Scripturæ textibus agitur de Ecclesia visibili. Ergo, quod negari non potest, de Ecclesia visibili, sumpta saltem pro universitate fidelium. Ergo Ecclesia visibilis, sumpta pro universitate fidelium, nunquam potest errare in fide. Nam si quando in fide erraret, vel falsum dogma ut verum amplectendo, vel verum dogma ut falsum repudiando, confunderetur & erubesceret, nec Deus semper ei specialiter assisteret, quod est contra primum textum. Item portæ inferi prævalerent adversùs eam, nec Christus esset cum ea omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, quod est contra secundum & tertium. Item, quod est contra quartum & quintum, erga illam nec Christus officio capitis, nec Spiritus officio rectoris fungeretur: ad hoc enim utrumque officium ritè fungendum requiritur, ut saltem Ecclesiam non permittatur Deum falso cultu colere: at Deum falso cultu coleret, si coleret eum falsa fide. Item, quod est contra ultimum, non esset columna & firmamentum veritatis: nam è contra ipsa in errorem lapsa, in errorem induceret: imò cùm ejus authoritate superior, aut etiam par in terris nulla alia possit esse authoritas, cum ea errante non posset non errare, quicumque prudenter sese gerere vellet.

Prob. 2. authoritate S. Augustini lib. 1. de Symbolo c. 5. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans: pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vicent eam.* Hic S. Doctor loquitur, 1. de Ecclesia visibili: loquitur enim de Ecclesia, ex qua exierunt omnes hæreses. Omnes autem hæreses exierunt de Ecclesia visibili, non de visibili, ut docent ipsimet novatores. 2. de Ecclesia visibili, sumpta pro universitate fidelium: nam loquitur de Ecclesia catholica, adeòque de tota multitudine Christianorum, ex pastoribus & ovibus coalescente.

Dicit igitur S. Doctor, Ecclesiam visibilem, sumptam pro universitate fidelium, esse Ecclesiam sanctam; contra omnes hæreses pugnare expugnari non posse; immobiliter manere in radice sua, & portas inferorum non posse eam vincere. Ergo juxta S. Doctorem, Ecclesia visibilis, sumpta universitate fidelium, non potest errare in fide.

Prob. conseq. Nam si posset errare in fide, posset non esse sancta: hæc enim sanctitas potissimùm consistit in professione dogmatum, quæ nihil non sanctum continet, hoc est, nihil non verum quoad doctrinam, sicut & nihil non justum quoad præcepta: unde Symbola dicendo Ecclesiam sanctam, dicunt eam à recta fide nullatenùs deficere posse. Item posset non pugnare contra omnes hæreses, quia posset non pugnare contra omnes errores. Item expugnari posset, quia posset in errorem induci. Item posset divelli à radice sua, hæc enim radix est fides recta. Item possent eam vincere inferorum portæ, ut per se patet. Ergo, &c.

Libro 1. contra Cresconium c. 33. sic ait S. Doctor: *Proinde quamvis hujus rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universa jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quàm sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Hic S. Doctor manifestè loquitur de Ecclesia visibili: nam loquitur de Ecclesia, quam consulere possumus, & Ecclesia illa, quam consulere possumus, visibilis est & conspicua. Præterea loquitur de Ecclesia visibili, sumpta saltem pro universitate fidelium: ut patet ex his verbis: *Cum hoc facimus quod universa jam placuit Ecclesiæ.* Ergo, juxta S. Doctorem, Ecclesia visibilis, sumpta saltem pro universitate fidelium, errare non potest in rebus ad fidem pertinentibus.

Prob. conseq. Nam sensus verborum Sancti Doctoris est: Quamvis hæreticos baptizatos ab hæreticis,

cùm ad Ecclesiam veniunt, non esset rebaptizandos, probare non possimus ex Scripturis sacris; nihilominùs Scripturarum sacrarum tenemus veritatem, eos non rebaptizando; quia in hoc sequimur sensum & praxim universæ Ecclesiæ, cujus authoritatem commendant Scripturæ sacræ, expressè asserendo eam in rebus ejusmodi errare non posse. Quoniam igitur Scriptura sacra fallere non potest, qui hujus de baptismo ab hæreticis collato quæstionis ambiguitate falli metuit, consulat hanc Ecclesiam, quam sine ulla ambiguitate demonstrat, & cujus proinde authoritatem commendat sacra Scriptura: hujus enim Ecclesiæ sensum & praxim sequendo, falli non poterit, quia in rebus ad fidem pertinentibus falli non potest hæc Ecclesia, quam clarè demonstrat, & cujus authoritatem commendat Scriptura, quæ fallere non potest.

Libro contra epist. fundamenti c. 5. dicit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret authoritas.* Ibi loquitur Augustinus de Ecclesia visibili; cùm loquatur de Ecclesia, cujus authoritate commovebatur. Nemo autem commoveri potest authoritate Ecclesiæ, quàm non videt. Item loquitur de Ecclesia visibili, sumpta saltem pro universitate fidelium, ut patet ex terminis. Augustinus igitur firmissimè quidem & absque ulla planè hæsitatione credebat vera esse omnia, quæ in Evangelio continentur; & sic credebat, quia ad sic credendum promovebatur authoritate universalis Ecclesiæ, tenentis tot libros cum tot capitibus & versiculis, esse verbum Dei scriptum. Ergo firmissimè credebat, hac in re, utpotè ad fidem pertinente, errare non posse universam Ecclesiam, seu universam fidelium multitudinem, cujus alioquin authoritate minimè permoveri potuisse.

Epist. 118. ad Januarium, Januario ipsum consulenti duplici sacrificio, feria quinta majoris hebdomadæ offerendo, his respondet verbis: *Ad hæc itaque ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit authoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus . . . Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia* (hoc est, universa fidelium multitudo) *nam hoc quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est.* Si quid hac in re, de qua me interrogas, inquit S. Doctor, divina Scriptura præscribit, quin ita faciendum sit, ut legimus, dubitandum non est. Similiter si quid in hac eadem re frequentat universitas fidelium quin ita faciendum sit, ut videmus ab ea frequentari, dubitandum non est: quia contra sensum & praxim universitatis fidelium disputare velle insolentissimæ insaniæ est. Sicut enim divina Scriptura fallere non potest, ita nec falli potest universitas fidelium in re ad fidem pertinente. Hic manifestè S. Doctor universitatis fidelium in rebus ad fidem pertinentibus authoritatem æquiparat authoritati divinæ Scripturæ, & rectè quidem quia utraque divina est, vel, si vis, quia authoritas universitatis fidelium fundatur in authoritate divinæ Scripturæ, à qua ut à vera fide indefectibilis fidelium universitas commendatur.

Denique sic loquitur S. Doctor lib. de utilitate credendi c. 17. *Dubitamus nos ejus Ecclesiæ condere gremio quæ . . . frustra hæreticis circumlatrantibus . . . culmen authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Hæc autem Ecclesia, cujus gremio nos condere debemus, proculdubio universalis Ecclesia, seu universitas fidelium, quæ visibilis & conspicua est, quam cùm dicit Augustinus culmen authoritatis obtinere, & nolle primas ei dare, vel summæ impietatis esse, vel præcipitis arrogantiæ, manifestè significat eam talem esse, ut in materia fidei & morum, falli non possit, adeòque nec fallere.

Prob. 3. ratione. Si universitas fidelium posset errare in fide, fieri posset ut sensim fides ejus omninò corrumperetur; & sic fieri posset, ut tandem aliquando falsam ex omni parte fidem profiteretur, adeòque falso ex omni parte cultu Deum coleret. Atqui hoc manifestè repugnat Symbolis, Ecclesiam, seu fidelium universitatem vocantibus Sanctam: cùm enim eam vocant Sanctam, sanctitatem ei attribuunt non qualicumque modo, sed attribuunt ut proprietatem ab ea prorsus inseparabilem. Ergo, &c.

Nec die cum Calvino, universitatem fidelium non posse quidem errare in rebus, quarum fides necessaria est ad salutem, sed posse in aliis omnibus, quarum fides ad salutem non requiritur. Nam cùm ex rebus à Deo revelatis paucæ sint, quarum fides explicita ad salutem necessaria sit, saltem fieri posset, ut sensim Ecclesiæ fides maxima ex parte corrumperetur, quod sanctitati ejus manifestè repugnat. Præterea, hæc responsio evidenter contradicit Scripturis à nobis supra allegatis, quæ universitatem fidelium nulla in re ad fidem pertinenter, errare posse, apertè significant. Contradicit etiàm Augustino: nam dicit v. g. universitatem fidelium errare posse circa validitatem baptismi ab hæreticis collati, & tamen explicitè credere validum esse baptismum ab hæreticis collatum necessarium non est ad salutem, ut patet B. Cypriano, qui non credidit esse validum, imò validum non esse, positivè asseruit.

Præterea, sic argumentor contra Calvinum. Positivè credere, quòd extent aliquæ Scripturæ divinæ, adeòque positivè credere, quòd libri veteris & novi testamenti sint Scriptura divina, non est absolutè necessarium ad salutem: nam etiam tempore S. Irenæi apud barbaras nationes multæ particulares Ecclesiæ Scripturas divinas ignorabant, solisque traditionibus utebantur, & tamen quòd idcircò in illis Ecclesiis nemo salvari potuerit dicere absurdissimum esset. Ergo si universitas fidelium errare potest in rebus, quarum positiva fides ad salutem necessaria non est, errare potest circa existentiam Scripturarum divinarum, credendo aliquas extare, etiam dato, quòd nullæ extent; credendo libros veteris & novi testamenti esse Scripturam divinam, etiam dato quòd non sint Scriptura divina. Ergo si universitas fidelium errare potest in rebus, quarum positiva fides ad salutem necessaria non est, incerti sumus utrùm extent aliquæ Scripturæ divinæ, utrùm libri veteris & novi testamenti sint Scriptura divina, non enim habemus aliam authoritatem universitatis fidelium authoritate majorem, quà certificari possimus de existentia Scripturarum divinarum, & divinitate librorum veteris & novi testamenti. At incertum esse, quòd extent aliquæ Scripturæ divinæ, quòd libri veteris & novi testamenti sint Scriptura divina, ne Calvinus ipse admittet. Ergo, &c.

Obj. Synagoga Judæorum sæpe defecit à fide. Ergo etiam ipsa Christi Ecclesia visibilis deficere potest. *R.* 1. Esto ant. neg. conseq. Nam à synagoga Judæorum non valet ad Ecclesiam Christi visibilem: Judæorum enim synagoga non erat universalis Ecclesia, sed solùm illius pars: unde errante & deficiente Judæorum synagoga, non idcircò errasset & defecisset universalis Ecclesia. At Christi Ecclesia visibilis est universalis Ecclesia: unde ea errante & deficiente, erraret & deficeret Ecclesia universalis, & nulla ampliùs esset in terris Ecclesia Dei, quod saltem, suppositis Dei promissionibus, contingere nullatenùs potest. Præterea, Christi Ecclesia visibilis habet expressas de sua infallibilitate & stabilitate promissiones, quales nunquam habuit synagoga Judæorum: ubi enim de synagoga Judæorum dictum est v. g. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi?* Sed ad abundantiam, *R.* 2. neg. ant.

Probabis. Tota Synagoga ante adventum Messiæ defecit, 1. Tempore Moysis, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum aureum. 2. Tempore Eliæ, quando præter eum nullus alius remansit fidelis, ut ipse testatur lib. 3. Reg. c. 19. ubi ait: *Derelictus sum ego solus.* 3. Tempore Isaiæ, ut ipse apertè significat cap. 1. v. 4. 5. & 6. Idem dic de tempore Hieremiæ, ut colligitur ex c. 2. v. 13. Ergo, &c.

R. neg. ant. quoad omnes partes. 1. itaque non defecit tota synagoga tempore Mosis, quando Israelitæ,

litæ, Aarone duce, vitulum conflatilem adoraverunt; tunc enim synagoga nec in capite, nec in toto populo defecit: nam non defecit Moses, qui tunc solus erat caput synagogæ, qui Aaron frater ejus nondùm ad summum sacerdotium evectus erat: neque defecerunt Levitæ, ut patet ex cap. 32. Exodi, ubi hæc leguntur: *Stans* (Moses) *in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* Nullus igitur ex Levitis, qui erant vigintiduo millia, vitulum adoraverat.

2. Falsum etiam est, quòd tota synagoga defecerit tempore Eliæ: cùm enim Elias dicit: *Derelinquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetæ tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus;* loquitur de decem tribubus, quæ superant Regi Samariæ, & vocabuntur Israel; præter quas erant aliæ duæ, quæ parebant Regi Hierusalem, & vocabantur Juda. In his autem duabus tribubus, tempore Eliæ, veram religionem stetisse dubium esse non potest: cùm tempore Eliæ regnarint in Hierusalem Asa & filius ejus Josaphat, ambo religiosi principes, ut liquet ex lib. 3. Reg. cap. 22. ubi de Josaphat dicitur, *Et ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini.*

Præterea, quod dicit Elias, *Derelictus sum ego solus*, non in rigore metaphysico, sed moraliter accipiendum est, ut patet ex eodem cap. ubi dicitur: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum osculans manus.* Non exigua ergo pars decem tribuum Israel cum duabus aliis tribubus veram religionem profitebatur tempore Eliæ. Similiter, quæ ab Isaia & Juda dicuntur locis citatis, moraliter sumi debent, nec aliud significare volunt, quàm suo tempore mores hominum valdè depravatos fuisse, & magnam tunc in synagoga pravorum hominum multitudinem. Ex his patet falsitas tertiæ partis.

Dices. Lib. 2. Paralip. c. 15. dicitur: *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, absque sacerdote, doctore, & absque lege.* *R.* verba intelligenda esse, vel de regno Israel, non de regno Juda; vel potiùs de tempore post Messiæ adventum futuro: jam enim à multis sæculis Judæi sunt sine Deo, sine sacerdote, sine doctore, & sine lege. Nam à multis sæculis Deum non colunt nisi falso & superstitioso cultu; sacerdotium Aaronicum abolitum est, & abrogata lex Mosaica; nec doctores habent, sed impostores.

Dices. Saltem post adventum Messiæ tota synagoga defecit: nam tota cum suis cæremoniis expiravit. *R.* totam quidem post sufficientem Evangelii promulgationem & evulgationem defeciisse, at non ita defeciisse, quòd veram fidem, quam antea profitebatur, deseruerit, sed quia cum omnibus suis cæremoniis & sacrificiis repudiata est ut ancilla, & in ejus locum successit Christi Ecclesia ut sponsa, nunquam dimittenda, juxta illud Osee c. 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Hæc enim verba ad Christi Ecclesiam dirigi, patet ex contextu, & docent Concilia.

At inquies. Tota synagoga à fide defecit in passione Christi, quando judicavit esse reum mortis, & clamavit, *Crucifige eum.* *R.* falsum esse, quòd tota synagoga Christum esse mortis reum judicarit, & clamaverit: *Crucifige eum;* non enim Judæi omnes sacerdotibus & senioribus populi consenserunt. Nam 1. multis Judæis, qui tunc versabantur Hierosolymis, graviter displicuit factum sacerdotum & seniorum populi. 2. Longè plures alii Judæi, tum in tota Judæa, tum in variis aliis orbis partibus degentes, quid tunc temporis circa Christum Hierosolymis ageretur, prorsus ignorabant, quique proinde cum sacerdotibus & senioribus populi de Christo interficiendo conjurare non poterant, & sic proculdubio permanebant in vera fide & religione.

Obj. 2. Tota Ecclesia visibilis à vera fide deficiet tempore Antichristi, juxta illud Danielis cap. 9. *Deficiet hostia in sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Et illud Christi Luc. cap. 18. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Et illud Apostoli 2. ad Thessal. cap. 2. *Nisi venerit discessio primum: & revelatus fuerit homo peccati, &c.* Ergo, &c.

R. neg. ant. Nam tempore Antichristi multi quidem deficient à recta fide, at non omnes deficient. *Ad* 1. *autem prob. R.* Danielem loqui de cessatione sacrificii Judæorum, & desolatione templi Hierosolymitani. *Ad* 2. *R.* vel Christum loqui non de fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, qualis in paucis reperitur, & invenietur in paucissimis tempore Antichristi; vel solùm velle paucos fore fideles Antichristi tempore; non tamen ita paucos, ut non sufficiant ad conflandam Ecclesiam. *Ad* 3. *R.* Apostolum ad summum intelligere defectionem plurimorum à fide non defectionem omnium.

Obj. 3. cum Calvino in præfat. Instit. Concilium Basileense generale deposuit Eugenium Papam IV. tanquam hæreticum, qui post solutionem Concilii iterùm irrepsit in Sedem Romanam sine canonica electione; & ab hoc Eugenio nati sunt, quotquot postea fuerunt Papæ Cardinales, & Episcopi. Ergo saltem ab hoc tempore Ecclesia Romana desiit esse vera Ecclesia; atque ita cùm nulla alia fuerit Ecclesia visibilis, saltem ab eo tempore desiit vera Ecclesia visibilis.

R. Calvino hìc pro suo more naviter mentienti, Concilium Basileense, cùm ausu nefario sententiam depositionis contra Eugenium protulit non fuisse generalem Synodum, sed particularem. Nam tunc temporis, 1. nullus aderat Basileæ Legatus Pontificius: cùm tamen Eugenius esset unicus & legitimus Pontifex, & ut talis receptus ab universa Ecclesia. 2. Aderant tantùm Episcopi septem, quorum unus erat Cardinalis Ludovicus Arelatensis Archiepiscopus. At legitimum Pontificem, & ut talem ab universa Ecclesia receptum, deponi non potuisse à particulari Synodo, ea præsertim quæ septem tantùm Episcopis constaret, extra omnem controversiam est. Certè, juxta canonem *Si quis* 15. q. 7. particularis Episcopus damnari non potest nisi in Concilio duodecim Episcoporum; & potuit summus Pontifex in septem Episcoporum Concilio? Nugæ.

Præterea: quòd Concilium Basileense tunc temporis nec fuit, nec potuerit esse generale Concilium, demonstratur ex eo quòd Concilium generale celebrari non possit sine authoritate summi Pontificis ut patet v. g. ex Chalcedonensi Synodo act. 1. ubi Dioscorus Alexandrinus Patriarcha inter Episcopos sedere prohibitus est, *quia*, ut ibidem ait Lucentius unus è legatis Apostolicæ Sedis, *cum personam judicandi non haberet præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Quare in medio residere jussus est Dioscorus. Eugenius autem de Cardinalium, qui magno numero ei assistebant, consilio: antequam Basileenses ipsius depositionem molirentur, Basileensem conventum dissolvit, & Synodum Basilea Ferrariam transtulit de plenitudine potestatis, legitimas ob causas, quarum una, eaque per se sola ad id sufficientissima, fuit Ecclesiæ latinæ cum Græca unio procuranda. Hac ergo translatione legitimè facta, & quàm legitimè factum declaravit Ferrariensis Synodus sess. 1. non potuit postea Ludovicus Arelatensis cùm suis sex Episcopis nisi illegitimam & schismaticam Basileæ agitare particularem Synodum.

Confirmatur. Anno 1439. quo Basileenses, adversùs Eugenium rebelles, suam in eum meditati sunt & protulerunt sententiam, Synodus Ferrariensis ob pestem Ferrariæ grassantem translata est Florentiam, & ibi continuata atque absoluta, unde Florentinæ Synodi nomen accepit. Jam verò sic dico. Vel Synodus Florentina fuit generalis, vel non. Si Florentina Synodus fuit Concilium generale, Basileensis conventus nec fuit, nec potuit esse generale Concilium: alioqui possunt in Ecclesia simul esse duo Concilia generalia, locis dissita, & sibi invicem contraria, quod est absurdum.

Quòd

Quòd si dicitur Synodus Florentina non fuisse Concilium generale, multò minùs fuit, aut potuit esse conventus Basileensis. Nam si Florentina Synodus etiam in puncto unionis non fuit generale Concilium, quamvis in ea præsederit summus Pontifex, & adfuerint ex parte Latinorum Cardinales octo, Gradensis Patriarcha, Hierosolymitanus Patriarcha latinus, Archiepiscopi sex, cum aliis supra quadraginta novem Episcopis; ex parte verò Græcorum septemdecim Metropolitæ, quorum tres trium sedium Patriarchalium, Alexandrinæ scilicet, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ vices agebant, & Constantinopolitanus Patriarcha, quanquam ante Synodi exitum defunctus est; quomodo unus Cardinalis cum aliis sex Episcopis, reluctante legitimas ob causas summo Pontifice, generale Concilium constare potuit?

Porrò hic prætermittendum non est, Amedæum Sabaudiæ Ducem, quem Basileenses Antipapam sub Felicis V. nomine creaverant, aliquot post annis, adhortante Carolo Francorum rege, abdicato prætenso pontificatu, se submisisse Nicolao V. qui Eugenio successerat. Habemus igitur etiam hic certam legitimorum Pontificum successionem: Nam Eugenius IV. Martino V. Eugenio verò Nicolaus V. canonicè suffectus est.

ARTICULUS IV.

Utrùm Ecclesia visibilis, repræsentativè sumpta, hoc est, universitas Pastorum seu Episcoporum, errare possit in fide.

Responsio.

UNiversitas Pastorum seu Episcoporum non potest errare in fide: ita ut quidquid universitas Episcoporum tenet ut pertinens ad fidem, non possit non esse verum & de fide.

Prob. 1. Matth. c. ult. legitur: *Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hæc autem verba Christus, ut ex terminis manifestum est, dirigit ad Apostolos, & in eorum persona ad Episcopos, qui eis in Ecclesia visibili usque ad mundi consummationem successuri sunt. His igitur verbis Christus Episcopis Apostolorum successoribus imponit munus docendi fideles in Ecclesia visibili usque ad mundi consummationem; & ut semper bene doceant, promittit se eis semper specialiter ad futurum usque ad consummationem mundi.

Jam verò hæc specialis Christi ad semper rectè docendum assistentia, vel Episcopis sumptis singillatim, vel saltem omnibus simul & collectim sumptis, sive: quod idem, vel omnibus Episcopis distributivè, vel omnibus Episcopis saltem collectivè sumptis promittitur. Quidlibet autem horum dicatur, cùm Christus promissis suis deesse non possit, semper sequitur universitati Episcoporum specialem Christi ad rectè docendum assistentiam nunquam esse defuturam: nam si singulis Episcopis promissa est hæc assistentia, à fortiori promissa est toti Episcoporum collectioni; quòd si, ut verum esse toties hactenùs demonstravit experientia, hæc assistentia promissa est singulis Episcopis, saltem promissa est omnibus Episcopis collectim sumptis: cùm enim promissa fuerit Episcopis, vel singulis singillatim sumptis, vel omnibus sumptis collectim promissa fuit, ut patet ex terminis. Ergo vel Christus ipse fallitur assistendo universitati Episcoporum, quod repugnat; vel universitas Episcoporum nunquam potest malè docere. Ergo universitas Episcoporum nunquam potest errare in fide: nam si erraret in fide, malè doceret.

Dices. Hæc verba, *Et ecce ego vobiscum sum, &c.* ad eos diriguntur, ad quos diriguntur illa, *Euntes ergo docete, &c.* At qui verba illa, *Euntes ergo docete, &c.* diriguntur ad Episcopos singulos, singillatim sumptos. Ergo & alia, *Ecce ego vobiscum sum, &c.* ad Episcopos singulos, singillatim sumptos, diriguntur. Ergo gratis Christus dicitur, per illa specialem ad semper rectè docendum, & nunquam in fide errandum, assistentiam promittere; cùm multi Episcopi, ut Paulus Samosatenus, Photinus, Macedonius, Nestorius, &c. in fide erraverint, & malè docuerint.

R. Verba illa, *Euntes ergo, &c. Docete, &c.* diriguntur tum ad Episcopos singulos, singillatim sumptos, tum ad omnes Episcopos, sumptos simul & collectim: non enim tantùm singulis & singillatim sumptis, sed etiam omnibus simul & collectim sumptis Episcopis munus docendi impositum est. Quare verba ista, *Ecce ergo vobiscum sum, &c.* diriguntur tum ad singulos & singillatim sumptos Episcopos, tum ad omnes sumptos simul, & collectim, sed magno cum discrimine: nam per illa, singulis Episcopis singillatim sumptis promittitur assistentia, qua cum poterunt non errare in fide, nec malè docere, non quacum in fide nunquam erraturi sunt, & malè docturi: Episcopis verò omnibus, simul & collectim sumptis, promittitur assistentia, quacum non modò poterunt non errare in fide, nec malè docere, sed etiam re ipsa in fide nunquam erraturi, & malè docturi sunt.

Ratio disparitatis est, quia errante Episcopo particulari & malè docente, 1. necesse non est universam Ecclesiam errare, ut per se patet. 2. Nequidem necesse est errare particularem illam Ecclesiam, cui præest Episcopus ille: nam Ecclesia illa particularis adhuc habet corpus pastorum, cui potest & tenetur adhærere; & cui adhærendo, etiam deviante Episcopo suo particulari, in recta fide permanebit. At si Episcoporum universitas erraret, & malè doceret, necesse esset universos fideles errare: nam præter universitatem Episcoporum non sunt alii pastores, quos audire & sequi possint fideles. Errante igitur Episcoporum universitate, necessariò erraret universa Ecclesia visibilis, & sic universa Ecclesia visibilis deficeret, quod est contra expressam Christi promissionem, his contentam verbis: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Prob. 2. Joan. c. 14. Christus sic loquitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Et inferiùs: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus... vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Hic autem Christus non solùm Apostolis suis, sed etiam Episcopis, eorum successoribus, ut patet ex his verbis, *ut maneat vobiscum in æternum*, promittit Spiritum sanctum, atque ita Spiritum sanctum promittit Episcopis saltem simul & collectim sumptis, ut maneat cum eis in æternum, hoc est, usque ad consummationem mundi, & usque ad consummationem mundi doceat illos omnia, & suggerat illis omnia quæ ad veram fidem pertinent, sicque eos ab omni contra fidem errore defendat usque ad mundi consummationem. Ergo nunquam universitas Episcoporum erratura est in fide: nam si quando erraret, vel quia non maneret cum ea Spiritus sanctus, vel quia aliqua ei non suggereret, quod utrumque adversatur promissioni Christi; vel denique quia ei etiam falsum quid suggereret, quod est impossibile: nam Spiritus Sanctus spiritus veritatis est, & spiritum veritatis docere falsum, manifestam involvit repugnantiam.

Prob. 3. 1. ad Timoth. c. 6. sic ait Apostolus: *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates.* Et 2. ad eundem c. 1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti... Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Ergo Christus Episcopos instituit custodes depositi fidei, adeoque eatenùs integrum manet illud depositum, quatenùs custodiunt illud Episcopi. Illud autem Episcopi custodiunt rectè docendo, ut patet ex Apostolo. Ergo si omnes Episcopi errarent in fide, & malè docerent, hoc ipso periret illud depositum. Ergo si Episcoporum universitas à vera fide deficeret, & malè doceret, hoc ipso deficeret vera Christi Ecclesia: cùm enim vera Christi Ecclesia sine vera

fide

fide ejusque professione subsistere non possit, dissipato veræ fidei depositо, hoc ipso veram Christi Ecclesiam deficere necesse esset. Stat igitur vera Christi Ecclesia, quia depositum fidei fideliter custodit universitas pastorum; & stabit vera Christi Ecclesia usque in finem, juxta illud Christi: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; quia usque in finem depositum fidei fideliter custodiet universitas pastorum: illud autem custodiet fideliter usque in finem, quia usque in finem, ad illud fideliter custodiendum, specialem habitura est sancti Spiritus, in ea perpetuò, ut apertè significat Apostolus, habitantis, omnemque veritatem docentis, assistentiam.

Prob. 4. Universalis Ecclesia non potest malè docere, cùm sit *columna & firmamentum veritatis*, ut dicit Apostolus. Atqui universalis Ecclesia non docet, nisi per universitatem Episcoporum, sicut non nisi per eam decernit. Ergo universitas Episcoporum non potest malè docere. Atqui si deficeret à recta fide, malè doceret. Ergo universitas Episcoporum non potest à recta fide deficere. Vel sic: Fides universalis Ecclesiæ non potest non esse recta fides, alioquin universalis Ecclesia non esset columna & firmamentum veritatis. Atqui fides universitatis Episcoporum est fides universalis Ecclesiæ: cùm enim Episcopi sint Ecclesiæ pastores & doctores, fides universorum Episcoporum non potest non censeri universalis Ecclesiæ fides. Ergo fides universitatis Episcoporum non potest non esse recta fides, adeoque universitatem Episcoporum à recta fide deficere, possibile non est.

Prob. 5. Concilium generale confirmatum a Romano Pontifice, potest errare in fide. Ergo multò minùs potest universitas Episcoporum. *Prob. conseq.* Nam non potest generale Concilium errare in fide, vel quia repræsentat universitatem pastorum, vel quia repræsentat universalem Ecclesiam. Si primum, universitas Episcoporum Concilio generali, quia ipsam repræsentat, tribuit infallibilitatem, & sic juxta vulgatum illud axioma, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, à fortiori eadem infallibilitatis prærogativa gaudere Episcoporum universitatem necesse est.

Si secundum, sic argumentor. Concilium generale non potest errare in fide, vel quia repræsentat Pastorum universitatem, vel quia repræsentat universalem Ecclesiam, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, proindeque in fide errare non potest. Si primum: multò minus errare potest in fide ipsa Pastorum universitas. Si secundum: cùm ipsa universitas Episcoporum multò melius & perfectius universalem Ecclesiam præsentet: sicut enim quilibet Episcopus particularem Ecclesiam, cui præest, repræsentat, ita omnes simul Episcopi perfectissimè repræsentant omnes simul Ecclesias particulares, ex quibus coalescit universalis Ecclesia. Ergo in fide errare multò minùs potest Episcoporum universitas.

Breviter. Si plenarii Concilii sententia est totius Ecclesiæ consensio, ut dicit S. Augustinus lib. 1. de bapt. c. 18. & quia est totus Ecclesiæ consensus, errori obnoxia esse non potest, & idcircò finalis est, eique reluctari nefas est, ut ibidem apertè supponit S. Doctor; quantò magis universitatis pastorum sententia consensio est totius Ecclesiæ, & sic quantò minus potest esse errori obnoxia!

Prob. denique 6. Si universitas pastorum errare potest in fide, supponatur re ipsa errare in aliquo articulo. In hac suppositione, universitas ovium vel sequetur universitatem pastorum, ei consentiendo; vel non sequetur, ei dissentiendo. Si primum, universa Ecclesia errabit in aliquo articulo. Si secundum, universa Ecclesia secabitur in duas partes. Ergo si universitas pastorum errare potest in fide, vera Christi Ecclesia potest deficere: quia universitate pastorum errante in aliquo articulo, universa Ecclesia vel in aliquo articulo erraret, vel in duas partes scinderetur, & in utroque casu desineret esse vera Christi Ecclesia: Cùm vera Christi Ecclesia sit collectio pastorum & ovium inter se per ejusdem & veræ fidei professionem conjunctorum. Atqui vera Christi Ecclesia deficere non potest, ut superius demonstratum est. Ergo nec potest universitas pastorum errare in fide.

Obj. In passione Domini summus sacerdos cum omnibus aliis sacerdotibus & senioribus populi defecit à vera fide. Item eodem tempore omnes Apostoli fidem amiserunt. *R. ad* 1. in lege scripta summum sacerdotem cum aliis sacerdotibus non habuisse privilegium non errandi circa fidem, nisi usque ad prædicationem Christi. Nam Christo præsente & docente, illos in docendo populo errare non posse, necesse non fuit, parumque tunc obesse poterant illorum errores in fide. At quòd in lege nova universitas pastorum nunquam in fide errandi, & semper bene docendi prærogativam acceperit, satis superque demonstratum est ex verbis ipsius Christi, & adhuc demonstrari potest ex discrimine Synagogæ & Ecclesiæ: nam illa ut ancilla repudianda erat: hæc verò ut sponsa nunquam est dimittenda, adeoque usque ad mundi consummationem permansura est; ad quod requiritur in universitate pastorum privilegium infallibilitatis usque ad mundi consummationem.

R. ad 2. 1. tempore passionis Domini Apostolos fuisse episcopos non re, sed designatione tantùm, & ita fuisse tantùm partes materiales Ecclesiæ, quæ errare possunt. Præterea non soli constituebant universalem Ecclesiam, sed solùm erant pars illius exigua: unde etiamsi omnes fidem amisissent, nihilominus stetisset universalis Ecclesia, sicut adhuc stetisset, tota contra fidem errante synagoga; quia synagoga non erat illa tota, sed tantùm pars illius: tunc enim adhuc vigebat lex naturæ cum lege scripta, & utraque lex viguit usque ad diem Pentecostes; quo die, peractis omnibus humanæ redemptionis mysteriis, Apostoli legem novam promulgarunt: Unde eò usque ex utriusque legis, Naturæ scilicet & Mosaicæ, cultoribus constitit universalis Ecclesia, quæ in die Pentecostes, abolitis & repudiatis illis legibus, constare cœpit ex solis cultoribus legis gratiæ, hoc est, ex iis solis, qui veram Christi fidem profitentur, & Sacramenta ab eo instituta participant sub regimine legitimorum pastorum. Hinc

Collige discrimen inter Apostolos pro tempore passionis Christi, & Episcopos eorum successores pro tempore promulgatæ legis Evangelicæ. Pro tempore passionis Christi potuerunt Apostoli omnes errare contra fidem, stante nihilominus universali Ecclesia, quæ tunc in eorum, qui veram fidem tam in lege naturæ, quàm in lege scripta profitebantur, multitudine consistebat; à quibus Apostoli separando se per infidelitatem, sese ipsi abscidissent ab universali Ecclesia, non eam dissolvissent. At pro tempore promulgatæ legis Evangelicæ non possunt episcopi omnes à vera fide deficere, quin pereat universalis Ecclesia, ut à nobis demonstratum est. Quare cùm Deus nunquam permissurus sit, ut pereat universalis Ecclesia, velitque absolutè, usque ad mundi consummationem universalem Ecclesiam permanere, juxta illud Christi, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: nunquam permissurus est, ut Episcoporum universitas à vera fide deficiat, sed cum ea usque ad consummationem mundi permansurus est, eique astiturus specialiter, ut semper rectè sentiat & doceat, juxta illud Christi: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*.

R. 2. gratis dici, quòd omnes Apostoli fidem amiserint in passione Domini: hoc enim nullibi invenitur, & solùm in Scriptura reprehenduntur circa fidem resurrectionis Christi, quam tempore passionis ejus amittere non potuerunt, quia eam nondùm habebant, ut patet ex Luc. c. 18. ubi postquam Christus Apostolis dixit, se à Judæis occidendum, & tertia die resurrecturum, statim subjicitur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur*. Et ex Jo: c. 20. ubi dicitur quòd Joannes ipse cum Petro crediderit, corpus Christi, quod in monumento non invenerunt, ab aliquo fuisse sublatum, ut

ante eos crediderat Maria Magdalena. Et ratio cur sic crediderint, subjicitur his verbis: *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Crediderunt igitur Corpus Christi ab aliquo sublatum, quia nondum habuerant fidem resurrectionis ejus, quam fidem revera nonnisi aliquantò post habuerunt. Hinc Christus Marci cap. ult. jamjam in cœlum ascensurus, non reprehendit Thomam, quòd ante passionem ejus non credidisset eum esse resurrecturum, sed quòd, aliis Apostolis ipsum a se visum testantibus, non credidisset eum resurrexisse. *Exprobavit*, inquit Marcus, utens numero plurali pro singulari, *incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.*

ARTICULUS V.

Utrùm Romana Ecclesia particularis errare possit in fide.

Responsio.

Romana Ecclesia particularis non potest errare in fide.

Prob. 1. ex Patribus S.Irenæus lib.3. c. 3. sic loquitur: *Quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt.* Juxta S.Martyrem, maximæ illius & antiquissimæ Ecclesiæ, quam Romæ fundarunt Petrus & Paulus, fides & traditio sufficit sola ad confundendas omnes hæreses; ad quod manifestè requiritur, ut hæc fides & traditio sit vera infallibiliter.

Prosequitur S. Martyr: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Certè si necesse est omnes alias Ecclesias particulares ea credere, quæ credit particularis Ecclesia Romana, vel particularis Ecclesia Romana nunquam potest à recta fide deficere, vel aliquando à recta fide deficere potest Ecclesia universa, quod apertè repugnat Christo dicenti: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Juxta S.Martyrem, fideles omnes ea omnia & sola tenere debent, quæ tenet particularis Ecclesia Romana. Ergo particularis Ecclesia Romana est regula fidei, quam necessariò debent sequi fideles omnes. Atqui regula fidei, quam fideles omnes necessariò debent sequi, non potest non esse infallibilis regula, ut per se manifestum est. Ergo particularis Ecclesia Romana & infallibilis regula fidei, adeòque non potest à vera fide deficere. Hinc, quod etiam dicit S.Martyr, qui doctrinam ejus hactenùs tenuerunt, doctrinam ab Apostolis traditam tenuerunt. Similiter qui in posterum usque ad finem doctrinam ejus tenebunt, doctrinam ab Apostolis traditam tenebunt.

S. Cyprianus epist. 18. contra hæreticos ad Cornelium hæc habet: *Post ista adhuc insuper pseudo-episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, & Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Juxta S.Cyprianum, particularis Ecclesia Romana, quia Ecclesia principalis est, & radix unitatis sacerdotalis, incapax est perfidiæ. At non est incapax perfidiæ, si potest à vera fide deficere: nam à vera fide deficiendo, perfidia esset. Ergo, &c.

Porrò S.Cyprianus, quòd apud Ecclesiam Romanam particularem accessum habere non possit perfidia, jure optimo colligit ex eo, quòd sit Ecclesia principalis, & radix unitatis sacerdotalis. Nam 1. hoc ipso quòd est Ecclesia principalis, est omnibus aliis Ecclesiis particularibus regula fidei, qualis nec esset, nec esse posset, si apud eam perfidia habere posset accessum. 2. Quia est radix unitatis sacerdotalis, non potest non profiteri veram fidem: nam unitas sacerdotalis resultat ex unione morali, qua omnes Ecclesiæ, inter se per unius & ejusdem veræ fidei professionem colligatæ, sunt unum moraliter. Ergo eatenùs particularis Ecclesia Romana est radix unitatis sacerdotalis, quatenùs per eam & cum ea omnes aliæ Ecclesiæ unam & eandem veram profitentur fidem, hoc est, quatenùs ipsa talem fidem profitetur, quæ vera est, & quia profitetur profitentur etiam omnes aliæ Ecclesiæ. Ergo sicut ex institutione Christi particularis Ecclesia Romana non potest non esse radix universitatis sacerdotalis, ita non potest non tenere & profiteri veram fidem.

S. Gregorius Nazianzenus sic ait in carmine de vita sua: *Natura binos haud quidem dedit soles, dedit ipsa binas attamen, mundi faces, Roma, vetustam scilicet, ac novam.... Fides vetusta recta erat jam antiquitùs, & recta præstat nunc item, nexu pio, quodcumque labens sol videt, devincies: ut universi præsidem mundi decet, totam colit quæ numinis concordiam.* Juxta S.Doctorem, fides Ecclesiæ particularis Romanæ est nexus, quo inter se devinciuntur fideles omnes, & devincti constituunt universalem Christi Ecclesiam. Unde fides Ecclesiæ particularis Romæ semper fuit, & nunc est, adde, & semper erit recta fides, quia fideles omnes non possunt inter se devinci, & devincti universalem Christi Ecclesiam constituere, nisi per veræ fidei professionem.

Præterea, juxta S. Doctorem, ad Ecclesiam particularem Romanam, quia præsidet omnibus aliis Ecclesiis particularibus, pertinet servare concordiam inter fideles omnes, eos scilicet in vera fide continendo. Pertinet igitur ad Ecclesiam particularem Romanam continere fideles omnes in vera fide; ad quod manifestè requiritur, ut non possit ipsa à vera fide deficere: nam si ipsa aliquando à vera fide deficeret, quomodo alios in vera fide contineret?

S. Hieronymus lib. 3. apologiæ adversùs Ruffinum sic loquitur: *Attamen scito, Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam non posse mutari.* Ecce apertè profitetur S. Doctor particularem Ecclesiam Romanam non posse in errorem induci, & verò si hæc Ecclesia doctrinæ sibi ab Apostolis traditæ sic addicta est, ut Angelo aliter prædicanti, quàm prædicaverint Apostoli, non crederet quis hominum unquam potuit, aut unquam poterit eam ad aliter credendum, quàm initio crediderit, inducere? Nulla igitur arte humana vel etiam diabolica mutari potest Romana fides, Apostolica voce olim laudata, quippe quæ munitur Pauli authoritate, cui innitentes Romani novitates omnes hactenùs aversati sunt, & in posterum usque in finem aversabuntur.

Prob. 2. Authoritate summorum Pontificum, qui veras Ecclesiæ suæ particularis prærogativas ignorasse, aut falsas ei attribuere voluisse, nonnisi iniquissimè judicarentur. Pro omnibus sit Gelasius I. dist. 21. can. 3. ubi decreti ab eo in Concilio septuaginta Episcoporum editi hæc referuntur verba: *Quamvis universæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Catholica & Apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis præclara est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri, primatum obtinuit,* Tu es Petrus, *inquientis,* & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et inferiùs sic prosequitur S. Pontifex: *Est ergo prima Petri Apostoli Sedes, Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi.*

Juxta Gelasium, & ejus Concilium, hæc Christi verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.*

non

non solùm pertinent ad universalem Ecclesiam, sed etiam ad particularem Romanam. Quare portæ inferi, sicut propter expressam Christi promissionem nunquam prævalebunt adversùs universalem Ecclesiam, quia nunquam deficiet à recta fide, ita propter eandem promissionem Christi nunquam prævalituræ sunt adversùs particularem Ecclesiam Romanam, quia nunquam à recta fide defectura est, neque solùm universali Ecclesiæ, sed etiam particulari Romanæ Christus nunquam non assistet, ut rectam semper fidem profiteantur. Unde sicut Apostolus universalem Ecclesiam vocat Ecclesiam sine macula & ruga, quia nulla unquam fœdabitur erroris nota: ita jure optimo Gelasius cum suo concilio Ecclesiam particularem Romanam vocat Ecclesiam sine macula & ruga, quia similiter nulla unquam erroris nota maculabitur.

Prob. 3. Ex concilio œcumenico Lugdunensi II. can. 1. ubi dicitur: *Fideli ac devota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est hactenùs, prædicavit, & docuit; hoc firmiter tenet, prædicat, & docet, & profitetur sancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra:* unde sic argumentor. Ecclesia particularis Romana est mater & magistra omnium fidelium. Atqui mater & magistra omnium fidelium non potest errare in fide: nam si posset errare in fide, posset fideles omnes in errorem inducere; cùm teneantur fideles omnes eam docentem audire, & ejus doctrinam sequi; sicque possit universæ Ecclesiæ fidem corrumpere. Ergo, &c.

Dices. Si Ecclesia particularis Romana erraret in aliquo articulo, fideles non tenerentur quoad hoc sequi doctrinam ejus. *R.* Itaest: sed in hac suppositione, Ecclesia particularis Romana non magis esset fidelium omnium magistra, quàm quælibet alia particularis Ecclesia: careret enim infallibilitatis privilegio, sine quo repugnat eam esse fidelium omnium magistram, & hypothesi quòd absolutè nolit Deus universæ Ecclesiæ fidem corrumpi posse, adeòque absolutè nolit in errorem induci posse fideles omnes. Ex hac enim hypothesi Deus non potest particularem aliquam fidelium hominum magistram constituere, quin eam simul donet infallibilitatis prærogativa: quia hoc ipso quòd particularem aliquam Ecclesiam fidelium omnium magistram constituit, hoc ipso, inquam, fidelibus omnibus eam docentem audiendi, ejusque doctrinam sequendi obligationem imponit.

Prob. 4. Hoc ratiocinio. Si particularis Ecclesia Romana potest errare in fide, supponatur errare in uno aliquo articulo. In hac suppositione, vel omnes aliæ Ecclesiæ particulares ei consentient, vel non, sed dissentient. In utroque autem casu nulla ampliùs erit vera Christi Ecclesia in terris. In primo quidem, quia omnes omninò particulares Ecclesiæ, ex quibus coalescit universalis, falsam fidem profitebuntur, & vera Christi Ecclesia esse non potest sine professione veræ fidei. In secundo verò, quia dissolvetur unitas, sine qua esse non potest vera Christi Ecclesia: hæc enim unitas in eo consistit, quòd per Ecclesiam particularem Romanam tanquam per principalem Ecclesiam omnes aliæ particulares Ecclesiæ inter se & cum ea colligentur professione unius & ejusdem fidei, seu, quod idem est, profitendo unam & eandem illam fidem, quam ipsa profitetur, & quia profitetur: unde dicitur & est certum unitatis, vi cujus ex ea & omnibus aliis Ecclesiis particularibus sit una vera Christi Ecclesia. Ergo ad hanc unitatem requiritur, ut una sit fides Ecclesiæ particularis Romanæ, & omnium aliarum Ecclesiarum particularium. Atqui non esset una fides Ecclesiæ particularis Romanæ, & omnium aliarum Ecclesiarum particularium: quandoquidem, ut supponitur, in uno quodam articulo omnes aliæ particulares Ecclesiæ à particulari Romana dissentirent. Ergo non solùm in primo casu, sed etiam in secundo desineret esse vera Christi Ecclesia. Ex his

Argumentor adhuc sic. Universalis Ecclesia est corpus politicum, resultans ex omnibus Ecclesiis particularibus concurrentibus ad particularem Ecclesiam Romanam, & per hunc concursum unum totum morale cum ea constituentibus; unde Ecclesia particularis Romana dicitur & est centrum unitatis, ex qua resultat corpus politicum, quod est universalis Ecclesia. Atqui omnes particulares Ecclesiæ eatenùs concurrunt ad particularem Ecclesiam Romanam, & ad eam sic concurrendo, cum ea constituunt unum illud totum morale, quod est universalis Ecclesia, quatenùs fidem eandem cum illa profitentur, & eadem cum illa participant sacramenta sub regimine Episcopi ejus, tanquam supremi Pastoris. Ergo omnes particulares Ecclesiæ cum Ecclesia particulari Romana constituunt universalem Ecclesiam, quatenùs sub regimine Romani Episcopi, tanquam Pastoris supremi, fidem profitentur, quam profitetur, & sacramenta participant, quæ participat Ecclesia particularis Romana. Ergo fides Ecclesiæ particularis Romanæ est fides universalis Ecclesiæ. Ergo vel fides Ecclesiæ particularis Romanæ corrumpi non potest, vel corrumpi potest fides universalis Ecclesiæ. Fidem autem universalis Ecclesiæ corrumpi non posse, supra demonstratum est, & est indubitatum apud omnes catholicos. Ergo, &c.

Confirmatur ex Ecclesiæ Gallicanæ sensu, cujus testis est sæculo octavo author librorum Carolinorum lib. 1. c. 6. ubi sic loquitur: *Qualiter Romana Ecclesia cæteris Ecclesiis à Domino prælata, & à fidelibus consulenda sit, prosequamur, præsertim cum non ab aliis scripturis, nisi ab his quas illa inter canonicas recipit, testimonia sint sumenda: nec ab illorum doctorum, nisi eorum qui à Gelasio, vel aliis illius sanctæ Sedis Pontificibus susceptí sunt, dogmata sint amplectenda..... Hæc sanctæ fidei spiritualibus munita armis, & à fonte lucis & origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, & horrendis atrocibusque obstitit hæresum monstris, & melliflua prædicationis pocula catholicis per orbem ministrat Ecclesia ..... unde datur intelligi sanctos & eruditos viros per diversas mundi partes prædicationis & scientiæ lampade corruscantes, non solùm à sancta Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adjutorium imploraſſe. Quod regulariter... omnes catholicæ debent observare Ecclesiæ, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petat, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentuosa hæresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat.*

Hic Ecclesiæ particulari Romanæ manifestè attribuitur infallibilitas in fide. Et verò Ecclesia, quam fideles omnes debent consulere, cujus est scripturas canonicas à non canonicis, & authores orthodoxos à non orthodoxis discernere, cujus est omnes fideles docere, à qua post Christum omnes catholicæ Ecclesiæ ad muniendam fidem adjutorium debent petere, cujus est fidelium mentes in fide corroborare, hæc, inquam, Ecclesia à vera fide deficere non potest, eique ut nunquam à vera fide deficiat, specialiter assistit Christus, vel certè Christus dicendus est veræ fidei incolumitati insufficienter providisse, obligando scilicet fideles omnes & omnes catholicas Ecclesias ad consulendam & audiendam Ecclesiam, quæ errando fideles omnes & omnes catholicas Ecclesias in errorem possit inducere.

Igitur laudatur author cùm dicit Ecclesiam particularem Romanam, sanctæ fidei spiritualibus munitam armis, hæresum monstris semper obstitisse; non habentem maculam neque rugam, hæresum capita calcare, atque fidelium mentes in fide corroborare; manifestè intendit commendare ipsius in fide infallibilitatem: quam infallibilitatem agnoverunt sancti & eruditi viri per diversas mundi partes scientiæ lampade corruscantes, tempore necessitatis ab Ecclesia particulari Romana ad fidem suam corroborandam adjutorium implorando.

Nono sæculo Hincmarus lib. de prædest. c. 4. ubi

sic

ubi sic ait: *Piis, devotis, atque catholicis hoc debet sufficere, quòd omnium Ecclesiarum mater, sancta, catholica, atque apostolica docet Romana Ecclesia.* At qui dicit id, quod docet Romana Ecclesia, catholicis satis esse debere, dicit Romanam Ecclesiam non posse non rectè docere; & qui dicit Romanam Ecclesiam non posse non rectè docere, dicit Romanam Ecclesiam non posse à vera fide deficere. Hujus indefectibilitatis rationem reddit Hincmarus, cùm Ecclesiam Romanam vocat omnium Ecclesiarum matrem; & verò hoc ipso quòd Christus Ecclesiam Romanam omnium aliarum Ecclesiarum matrem esse voluit, & hoc volendo, Ecclesiæ Romanæ omnes alias Ecclesias orthodoxæ doctrinæ lacte nutriendi munus imposuit, non potest non velle Christus providere efficaciter, ut nihil unquam nisi sanum & orthodoxum teneat Ecclesia Romana, ne ipsa erroris veneno infecta, omnes alias Ecclesias venenato lacte aliquando inficiat, & sic corrumpatur fides universæ Ecclesiæ.

De hac Ecclesiæ Romanæ infallibilitatis prærogativa certus Hincmarus ibidem, ut se certò probet orthodoxum Episcopum, sic adhuc loquitur: *Sequimur quæ catholica & apostolica nos docet sancta Romana Ecclesia, qua nos in fide genuit, catholico lacte aluit, uberibus cœlo plenis ad solidum cibum nutrivit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alios instruendum sua probatione instituit.* Porrò quantam hæc Hincmari verba ad probandum ejus orthodoxiam vim habeant, supposito in Ecclesia Romana infallibilitatis privilegio, & eo sublato, quantùm hæc vis imminuatur, nemo est qui non sentiat.

Sæculo duodecimo S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium II. *oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis.* Hujus autem sedis nomine Ecclesiam Romanam cum dignitate Pontificia intelligendam esse, patet ex Gelasio loco supra laudato.

Sæculo decimo quarto Petrus de Alliaco apolog. facult. *Ad primam Sedem Apostolicam*, inquit, *pertinet authoritate judiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire ... quia ad illius tanquam ad supremi judicis authoritatem pertinet in fine judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit* (fides autem primæ Sedis Apostolicæ, quæ est Ecclesia particularis Romana, nunquam deficit) *quia de hac sancta Sede, in persona Petri Apostoli eam præsidentis, dictum est Petro:* Rogavi pro te ut non deficiat fides tua.

Sæculo decimo sexto Clerus Gallicanus in comitiis Meloduni habitis anno 1579. ubi declaravit, fideles omnes credere & profiteri debere ea omnia, *quæ credit & profitetur sancta Ecclesia Romana, quæ est magistra, columna, & firmamentum veritatis: quia cum hac Ecclesia propter ejus principalitatem, omnem aliam Ecclesiam in rebus ad fidem pertinentibus idem sentire oportet.* His porrò verbis, *quia cum hac Ecclesia, &c.* manifestè alluditur ad Irenæi verba à nobis supra laudata. Hic autem Clerus Gallicanus fidelibus Ecclesiam Romanam proponit ut fidei regulam, & quidem infallibilem; cùm dicat eam esse magistram, columnam, & firmamentum veritatis; & iisdem verbis utatur Apostolus, ad asserendam infallibilitatem universalis Ecclesiæ.

Sæculo decimo septimo doctissimus Bossuetius, Meldorum Episcopus, in concione quam habuit in comitiis Cleri Gallicani celebratis anno 1682. ub sic ait: *Roma, quia prædestinata fuit ut esset caput religionis & Ecclesiæ, fieri debuit propria & particularis B. Petri Ecclesia: quapropter erecta fuit & fixa Romæ Cathedra æterna; Hæc est Ecclesia Romana, quæ à B. Petro & successoribus ejus edocta, nullam admittit hæresim .... Hoc pacto Ecclesia Romana virgo semper est. Fides Romana semper est fides universæ Ecclesiæ: idcircò quod creditum est hactenus, etiam nunc creditur, & in posterum credetur super: eadem etenim vox æternum personat ubique, Petrusque in successoribus suis æternum manet fidelium fundamentum. Hoc dixit Christus ipse: Prius autem cœlum ac terra dissolventur, quàm verbum ejus inane abeat.*

His Meldorum Episcopi verbis, quæ etiam Cleri Gallicani verba censeri jure merito possunt; cùm concio illa, ex qua sunt deprompta, comitiorum, in quibus habita fuit, jussu typis mandata fuerit & evulgata; his, inquam, Meldorum Episcopi verbis clarè dicitur Ecclesia particularis Romana non posse à recta fide deficere, & idcircò, quod notandum est, non posse, quia sic ei Christus semper astiturus est, ut Pastor semper rectè docturus sic oves, & oves Pastorem, rectè docentem semper, semper audituræ sint.

Obj. Historiæ Ecclesiasticæ docent aliquos, imò multos in Ecclesia particulari Romana prolapsos esse in schisma & hæresim. Sic B. Irenæi tempore Florinus Ecclesiæ Romanæ Presbyter, adjuncto sibi Blasto, nefandam conflavit hæresim, & multorum in Ecclesia Romana fidem pervertit, ut tradit Eusebius lib. 5. hist. Eccl. c. 15. ubi sic ait: *In urbe Roma Florinus quidam gradu presbyteri de Ecclesia lapsus, unà cum Blasto socio criminis & furoris, plurimos de Ecclesia in suum barathrum deducebant, nova adversùm veritatem figmenta machinantes.* Hi autem inter alia asserebant Deum esse auctorem peccatorum, ut patet ex eod. Euseb. eod. lib. c. 20.

R. Cùm dicimus Ecclesiam particularem Romanam à vera fide deficere non posse, non negamus aliquos, imò multos in uno vel pluribus articulis errare posse, qui hoc ipso quòd errabunt, & errorem suum profitebuntur, desinent esse de illa Ecclesia. Solùm itaque negamus, 1. omnia illius membra posse à vera fide deficere, 2. Tot posse à vera fide deficere, ut non supersint in sufficienti numero, qui cum Episcopo suo veram fidem teneant & profiteantur, atque Ecclesiam illam constituant, quæ centrum est unitatis, caput religionis & universalis Ecclesiæ, fidelium omnium mater & magistra, ad quam propter ejus principalitem oportet omnem convenire Ecclesiam, &c.

At inquies. Quid si magna aliqua dissensio in materia fidei orietur in Ecclesia Romana; quæ idcircò scinderetur in duas partes æquales? *R.* in hoc casu, cujus tamen possibilitas jure optimo negari posset, Ecclesiam Romanam fore in ea parte, quamvis supponatur minor altera, quæ adhærebit Romano Episcopo, juxta illud S. Cypriani epist. 66. ad Puppianum: *Ecclesia à Christo non recedit: & illi sunt Ecclesia, & plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.* Unde in casu proposito, quòd pars adhærens Pontifici ut fidei contrarium rejiceret, non posset non esse contrarium fidei, & ut tale ab omnibus fidelibus deberet rejici; quod verò teneret ut ad fidem pertinens, non posset non pertinere ad fidem, & ut tale à fidelibus omnibus recipi deberetur. Breviter, ad illam partem ut centrum unitatis omnes alias Ecclesias particulares convenire oporteret, non ad alteram, quæ non esset nisi multitudo non solùm à particulari Romana, sed etiam ab universali Ecclesia per schisma vel etiam hæresim separata.

At inquies. Verba Cypriani laudata intelligi debent cum hac tacita restrictione: Modò Episcopus neque hæreticus neque schismaticus sit. *R.* hoc negando: nam v. g. tempore quo Cyprianus epistolam citatam scribebat, particularis Ecclesia Carthaginensis consistebat in multitudine adhærente Cypriano, canonicè ad episcopatum promoto. Unde si tunc Cyprianus fuisset schismaticus aut etiam hæreticus, particularis Ecclesia Carthaginensis fuisset schismatica aut etiam hæretica. Fideles verò Carthaginenses tunc non ad particularem Carthaginensem, sed ad universalem Ecclesiam ut membra illius pertinuissent.

At inquies. Si ita est, in casu proposito posset Ecclesia Romana à vera fide deficere. *R.* neg. *Probabis.*

Si

Si in casu proposito multitudo adhærens Pontifici, hoc ipso præcisè quòd ei adhæreret, esset Ecclesia Romana, & Pontifex erraret, certè Ecclesia Romana à vera fide deficeret. Ergo, &c. *R.* hoc argumentum non magis valere, quàm istud, quod fieri potest extra casum scissionis: Nunc tota Ecclesia Romana adhæret Pontifici, & doctrinam ejus sequitur. Ergo si Pontifex errat in fide nunc, errat quoque in fide tota Ecclesia Romana. Ergo Ecclesia Romana potest à vera fide deficere. Non valet hæc secunda consequentia, & ex priore malè deducitur: quia fieri non potest ut Pontifex erret in fide in sensu compositio totius Ecclesiæ Romanæ ipsi adhærentis, & doctrinam ejus sequentis: saltem enim tam impossibile est Pontificem in fide errare in sensu composito totius Ecclesiæ Romanæ, &c. quàm impossibile est ipsam totam Ecclesiam Romanam à vera fide deficere.

Similiter non valet consequentia in priore syllogismo, quod sit pro casu scissionis proposito: cùm enim in hoc casu necesse esset alterutram partem adhærere Pontifici; & ejus doctrinam sequi, & eam partem, quæ Pontifici adhæreret, esse Romanam Ecclesiam, fieri non posset in hoc casu, ut Pontifex erraret in fide: nam tunc Pontificem errare in fide, tam, esset impossibile, quàm est impossibile Ecclesiam Romanam à vera fide deficere. Ex his

Collige 1. Quod Pontifex extra casum scissionis, adeòque cum tota Ecclesia Romana damnat ut heterodoxum, non posse non esse tale, & ut tale à fidelibus omnibus esse rejiciendum; quod verò ut orthodoxum approbat, non posse non esse orthodoxum, & ut tale à fidelibus omnibus approbandum esse. 2. Quod Pontifex in casu scissionis proposito cum parte sibi adhærente, altera quantùmvis reclamante & contradicente, damnaret ut heterodoxum, fore infallibiliter tale, adeòque ut tale rejiciendum ab omnibus fidelibus; quod verò ut ortodoxum approbaret, fore infallibiliter orthodoxum, adeòque ut tale ab omnibus fidelibus recipiendum. 3. Et ita prætermissa personali infalibilitate Pontificis ex cathedra loquentis, quam hic non defendimus, quod Pontifex cum notabili parte Ecclesiæ suæ vel damnat ut repugnans fidei, vel approbat ut ad fidem pertinens, illud esse infallibiliter tale, quale damnatur vel approbatur à Pontifice & à notabili parte ei adhærente: tunc enim unus & idem est in materia fidei sensus Pontificis & Romanæ Ecclesiæ; etiamsi altera pars non accedat, sed apertè contradicat; nam hoc ipso fit schismatica, & desinit esse de Romana Ecclesia.

At inquies. Quid si pars non accedens, sed apertè contradicens, major sit alia Pontifici acquiescente? *R.* hoc nihil obesse: cùm enim alia pars supponatur notabilis, adeòque facere moltitudinem, sufficit ad constituendam Ecclesiam Romanam, & adhærens Pontifici, re ipsa constituit; cùm ibi sit Ecclesia, ubi est Episcopus cum multitudine sibi adhærente: nam, ut ait Cyprianus verbis supra citatis, Ecclesia est plebs sacerdoti suo adunata plebs adhærens pastori suo: unde Ecclesia est in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia.

Confirm. In hoc casu vel nulla ampliùs est Ecclesia Romana; vel consistit adhuc in duplici parte; vel consistit in sola majori parte Pontifici contradicente; vel denique consistit in sola parte minori acquiescente Pontifici. Non primum: nam Ecclesia Romana deficere non potest. Non secundum: alioqui non erit una & eadem fides Ecclesiæ Romanæ, quod est absurdum. Non tertium: nam hæc major pars non est cum Episcopo; cùm ab eo dissentiat in materia fidei, atque ita non unam & eandem cum illo profiteatur fidem. Multitudo autem quæ non est cum Episcopo, non est in Ecclesia, & multò minùs est Ecclesia. Ergo supereſt, ut Ecclesia Romana consistat in sola parte minore Pontifici acquiescente, quæ cùm ita minor sit altera, ut sit tamen notabilis, & faciat multitudinem, apta est ad constituendam cum Episcopo suo Ecclesiam particularem, illam scilicet, cujus jure divino particularis Episcopus est Romanus Pontifex. Unde ulteriùs sequitur, ex hac parte, quæ acquiescit Pontifici, stare veritatem, errorem verò ex altera parte, quamvis majore.

ARTICULUS VI.

Solvitur objectio petita ex iis, quæ circa Pelagium & Cœlestium ejus discipulum Romæ gesta sunt sub Zozimo.

Obj. Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Cœlestium hæreticos vel potiùs hæresiarchas judicavit esse orthodoxos. Patet ex ipsius Zozimi epist. 3. & 4. ad Africanos præsules. In secunda sic loquitur Zozimus: *Sit vobis gaudium, eos quos falsi judices criminabantur, agnoscere à nostro corpore & catholica veritate nunquam fuisse divulsos. Certè hoc quòd nostra expectatio desiderabat, eluxit; ut damnanda damnarent.* *R.* revera Zozimum cum Ecclesia Romana aliquandiu delusum fuisse malis artibus Pelagii & Cœlestii, quos proinde ex errore facti Zozimus cum Ecclesia Romana orthodoxos præjudicavit. Dico, præjudicavit: noluit enim eos absolvere, & in communionem admittere, donec ea de re litteras daret ad præsules Africanos, & ab illis vicissim reciperet, ut apertè colligitur ex prima ejus ad illos epistola, ubi sic ait: *Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire, quam libellis & confessione contexuit, aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii sanctitas vestra resedisse cognoscat.* Sic igitur Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Cœlestium judicavit orthodoxus, ut eorum absolutionem distulerit ad duos menses, intra quos possent Africani præsules responsa dare, & inde venire qui Pelagium & Cœlestium accusarent.

Patet etiam ex Mario Mercatore in commonitorio super nomine Cœlestii, Pelagii, &c. ubi ea, quæ consecuta sunt, sic enarrat: *Episcopis verò ex Africa rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus, missis etiam gestis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo* (Cœlestio) *confecta, vocatur ad audientiam pleniorem ut quæ promiserat festinaret implere, id est ut damnatis prædictis Capitulis* (de quibus à Paulino diacono accusatus fuerat Carthagine) *sententia Afrorum Pontificum, qua fuerat communione privatus, absolveretur; non solum non adfuit, sed etiam ex memorata Romana urbe profugit, atque ob hoc à beatæ memoriæ prædicto Zozimo Episcopo scriptis amplissimis, vel longissimis perdamnatus est.*

Porrò Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Cœlestium aliquandiu judicavit orthodoxos, non eorum errores approbando ut dogmata catholica, ut ampliùs declarabitur, sed eos ab erroribus illis alienos, vel saltem ad illos sincerè deponendos paratos esse, inculpatè existimando: unde Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Cœlestium aliquandiu susceperunt non ex affectu hæresis, aut ex errore sive culpabili, sive inculpabili juris, sed ex errore inculpabili facti purè personalis, putando eos sincerè agere, non subdolè. Pontificem autem & Ecclesiam Romanam in factis purè personalibus, sed sine ullo veræ fidei dispendio, errare posse, facilè conceditur.

Dices. Zozimus cum Ecclesia Romana ut catholicum approbavit libellum fidei, quem Pelagius ad Innocentium Zozimi decessorem direxerat. Patet ex altera ad Africanos præsules Zozimi epistola, ubi narrat Pelagii libellum publicè recitatum esse, omnibus, qui aderant, gaudentibus & admirantibus, imò & quibusdam illacrimantibus præ gaudio. Ergo Zozimus cum Ecclesia Romana erravit etiam errore juris in causa Pelagii. *R.* neg. conseq. Nam libellus Pelagii est planè catholicus in sensu obvio: & hæc clausula, *in qua* (fidei professione) *si minùs peritè, aut parùm cautè aliquid forte positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem tenes*, quam subjicit Pelagius, est homi-

hominis animi verè catholici speciem præ se ferentis. Quare Pelagii libellus ut catholicus à Zozimo & Ecclesia Romana approbari potuit absque ullo errore juris.

Pelagii igitur libellus fidei ut catholicus absque ullo errore juris approbatus est à Zozimo & Romana Ecclesia, quamvis non sine multiplici errore facti purè personalis. Nam 1. Pelagius libellum illum scripserat, & Romam miserat, non ex sincero veræ fidei profitendæ affectu, sed ut se, cùm erroribus suis, licèt jam non semel damnatis, addictissimus esset, catholicum simularet, & hac simulatione surriperet Sedis Apostolicæ approbationem, qua munitus posset impunè errores suos palam profiteri, eosque facilius disseminare.

2. Multa in libello suo in sensu obvio catholica, in alieno & pravo sensu intelligebat: sic dicendo *nos semper Dei indigere auxilio* ad bonum operandum, per Dei auxilium intelligebat tantùm gratiam legis & doctrinæ, quam volebat nobis sufficere. Item dicendo *hominem semper peccare & non peccare posse*, intelligebat hominem cum sola gratia legis & doctrinæ omni omninò peccato carere posse; & sic dicendo *mandata Dei à singulis servari posse*, intelligebat omnia omninò mandata Dei à quolibet homine absque alio, quàm legis & doctrinæ, adjutorio, toto vitæ decursu posse servari: imò intelligebat legis & doctrinæ auxilio nos non indigere semper, nisi ad faciliùs posse. Quæ omnia ignorare potuerunt Zozimus & Ecclesia Romana; & ea ignorando, circa facta purè personalia erraruntt.

Dices. Zozimus cum Ecclesia Romana catholicum declaravit oblatum à Celestio fidei libellum, ut constat ex S. Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum c. 3. At Celestius in hoc libello apertè negabat peccatum originale: nam ut refert S. Augustinus lib. 2. de gratia & pecc. orig. Celestius in libello suo postquam dixit: *Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum secundùm regulam universalis Ecclesiæ, & secundùm Evangelii sententiam confitemur; quia Dominus statuit regnum cœlorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferre necesse est per gratiæ libertatem*: hæc subjungit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcircò diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodùm exercetur ab homine, quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur, & illud ergo confiteri* (quòd infantes baptizentur in remissionem peccatorum) *congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur, & hoc præmunire* (declarando in quo sensu non intelligantur infantes baptizari in remissionem peccatorum) *ne per mysterii occasionem ad creatoris injuriam malum antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam*. Ergo Zozimus cum Ecclesia Romana hæreticum fidei libellum approbavit ut catholicum. Ergo Zozimus cum Ecclesia Romana erravit contra fidem. Ad solutionem.

Observa. Celestius in suo fidei libello postquam suam circa articulos symbolo contentos fidem fusè exposuerat, continuò, adeoque antequam de baptismo infantium & originali peccato sententiam suam exponeret, hæc subjiciebat verba: *Si quæ verò præter fidem quæstiones notæ sunt, de quibus esset inter plerosque contentio, non ego quasi author alicujus dogmatis definita hoc authoritate statui: sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri apostolatus offerimus probanda esse judicio, ut si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra scientia corrigatur*. Patet ex S. Augustino libro proximè citato cap. 23. ubi sic ait S. Doctor de Celestio: *Item in libello, quem Romæ dedit, cum fidem suam à Trinitate unius Deitatis usque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, & unde illi nulla quæstio movebatur, quantùm dicere libuit explicasset, ubi ad id quod agebatur, ejus sermo pervenit: Si quæ verò, inquit*, præter fidem, &c. ut superius. Celestius igitur in suo fidei libello suam de infantium baptismo & peccato originali opinionem Zozimi & Ecclesiæ Romanæ correctioni submisit. Ex his.

Ad instantiam R. dist. Libellum fidei à Celestio oblatum Zozimus cum Ecclesia Romana ut catholicum approbavit, sumptum adæquatè secundùm se, seu sumptum secundùm omnes sententias in eo expressas, N. Sumptum partim secundùm se, hoc est, secundùm Symboli articulos in eo expositos, & quorum expositio longè maxima pars erat libelli; partim, quantùm ad baptismum infantium & peccatum originale, secundùm sinceram, ut præsumebatur, animi præparationem authoris, ea quæ de illis exponebat, submittentis censuræ Sedis apostolicæ, cujus judicio sese obtemperatur profitebatur, C. Itaque libellus Celestii catholicus declaratus est à Zozimo, & Ecclesia Romana, non eo sensu quòd nihil fidei repugnans, nihil non orthodoxum exprimeret, sed eo tantùm sensu quòd sententiæ in eo expressæ, maxima ex parte essent catholicæ, reliqua verò, quæ adversabantur fidei, non asseveranter, sed dubitanter & animo ad correctionem comparato, in eo proposita essent, Libellus Celestii catholicus declaratus est à Zozimo & Ecclesia Romana, non eo sensu quòd ex omni parte catholicus esset, sed eo tantùm sensu quòd animo verè catholico conscriptus fuisset, nihilque in eo expressum fuisset affectu hæretico.

Hanc responsionem manifestè suggerit S. Augustinus lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 3. ubi sic ait: *Cùm hoc* (nempe se non idcircò dixisse infantes in remissionem peccatorum esse baptizandos, ut peccatum ex traduce firmare videretur, &c.) *Celestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia & hoc catholicæ mentis est: si qua forte aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere. Non enim hæreticis, sed catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait: Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, ut si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit. Hoc in illo factum esse putabant* (Romani) *quando se litteris beatæ memoriæ Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit. Et hoc ut plenius & manifestius in illo fieret, expectabatur venturis ex Africa litteris*.

Itaque, juxta S. Doctorem, cùm à Zozimo & Romanis approbatus est Celestii libellus, non ambiguitas dogmatis; ambiguè enim suam circa peccatum originale sententiam exponebat Celestius; sed voluntas emendationis approbata est. Celestius suam de peccato originali doctrinam non asseveranter ut dogma fidei, sed dubitanter ut opinionem exponebat in suo libello, eam judicio Sedis apostolicæ submittebat, instrui volebat; si quis in eam irrepsisset error, eum emendare paratus erat: recitato publicè libello, interrogatus num consentiret rescriptis Innocentii, quibus ea de re tota dubitatio sublata fuerat, respondit consentire, & sic respondendo, doctrinam de peccato originali à se in libello suo expositam damnavit, & retractavit, non quidem signatè, sed exercitè, quod satis tunc esse videri potuit Zozimo & Romanis, ratis utendum œconomia erga hominem acerrimi ingenii, qui si corrigeretur, plurimis profuturus erat.

Tunc itaque à Zozimo & Romanis libellus Celestii catholicus dictus est, non quòd omnia in eo essent veritati catholicæ consona, & Zozimus cum Romanis Celestium de peccato originali, ut sentiendum est, sentire judicaret; sed quia Celestius in eo catholicam virtutem circa omnes Symboli articulos professus fuerat, nec nisi dubitanter proposuerat sententiam suam de peccato originali, & quidem ut corrigendam,

dam, si ita videretur Sedi apostolicæ, eamque re ipsa damnarat & retractarat, publicè respondendo consentire se Innocentii ad Africanos Episcopos rescriptis, unde sufficienter probasse videbatur Celestius se non affectu hæretico, sed animo catholico libellum suum conscripsisse. Nam *& hoc catholicæ mentis est: si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere.* Zozimus igitur cum Ecclesia Romana libellum Celestii non approbavit ut catholicum, ex hæresis affectu, aut ex aliquo errore juris, sed ex errore facti purè personalis, credendo scilicet Celestium sincerè loqui & agere; cùm tamen mentiretur, ipsumque Pontificem, & Ecclesiam Romanam conaretur ludificari.

Dices. Zozimus cum Ecclesia Romana errorem Celestii circa peccatum originale approbavit ut dogma catholicum. *R.* hoc esse falsum, ut prob. 1. ex eo quòd in toto Celestii causæ decursu Zozimus nunquam dixerit, nunquam scripserit homines nasci sine macula peccati originalis. Hoc argumento utitur S. Augustinus loco proximè citato, ubi sic ait: *Tot & tantis inter apostolicam Sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, etiam gestis de hac causa apud illam Sedem, Celestio præsente & respondente confectis, quænam tandem epistola venerandæ memoriæ Papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omninò conscripsit.*

2. Ex eo quòd Celestium, accepto & recitato ejus libello, jusserit damnare capitula ipsi aliàs à Paulino diacono Carthagine coram Aurelio Episcopo objecta, & consentire Innocentii ad Africanos episcopos litteris, ut testis est S. Augustinus, lib. 2. de grat. & pecc. orig. cap. 7. *Hanc*, inquit, *ejus* (Celestii) *prælocutionem* (qua doctrinam suam de peccato originali submittebat judicio & correctioni Sedis Apostolicæ) *venerabilis Papa Zozimus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à diacono Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut Sedis Apostolicæ litteris, quæ à sanctæ memoriæ suo prædecessore manaverant, præberet assensum.* At in dictis capitulis, secundo scilicet & tertio, objectum fuerat Celestio, quòd diceret, *peccatum Adæ ipsum solum læsisse; & infantes, qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Item in litteris Innocentii ad Conc. Carth. dicitur, Christum *per novæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgasse.* Et in litteris ejusdem ad Milevitanum Concilium II. excommunicantur Pelagius & Celestius, quòd dicerent infantibus ad vitam æternam baptismum non esse necessarium; & hoc dicebant quia negabant infantes nasci peccatores. Ergo Zozimus jussit Celestium damnare doctrinam suam de peccato originali. Ergo non eam approbavit, ut dogma catholicum.

3. Cùm Africani episcopi ad Zozimum rescripsissent, quoniam libellus Celestii publicè dictus fuerat catholicus, satis non esse; quòd Celestius generaliter, consentiendo scilicet Innocentii litteris, id quod in eo de peccato originali fidei dissonum posuerat, damnaret, sed ad vitandum pusillorum scandalum, ab eo expressam doctrinæ suæ retractationem exigendam, probato consilio, annuit Zozimus. Quare cùm sese ad id quàm primùm à Zozimo evocandum resciviisset, aut suspicatus esset Celestius, clam, de sua causa desperans, fugam capessivit. Minimè igitur suæ de peccato originali doctrinæ, tanquam catholici dogmatis, approbatorem, sed è contra infensissimum adversarium habuit Zozimum cum Ecclesia Romana.

Prob. ant. ex S. Augustino, lib. 2. ad Bonifacium, c. 3. jam non semel laudato, ubi dicit Zozimum, ut Celestium à sententia excommunicationis in eum lata absolveret, expectasse donec eum catholicè sentire certior fieret *venturis ex Africa litteris, in qua provincia ejus aliquanto callidius evidentius innotuerat;* & sic prosequitur: *Quæ Romam litteræ posteaquam venerunt, id continentes non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quòd* (Celestius) *se generaliter Innocentii episcopi litteris consentire fatebatur, sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat, ne si id non feciisset, multi parùm intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apostolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum esse catholicum, quàm emendata, propter illud quòd se Papæ Innocentii litteris consentire ipse responderat. Tunc ergo cùm ejus præsentia poscretur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis vel correctio diluesceret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit & negavit examini.*

4. Denique, cùm Celestius fugiendo, sycophantiam suam prodidisset, Zozimus qui eatenùs illum, utpotè ingenium, quamvis nefando errore perversum, non tamen contemptibile, aliquantò leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplinam, tractaverat, eò quòd studiosè corrigendus potiùs, quàm facilè damnandus videretur, ut ait S. Augustinus loco citato; Zozimus, inquam, perspecta Celestii obfirmata perversitate, contra eum, & magistrum ejus Pelagium, ad omnes orbis christiani episcopos misit litteras, in quibus Celestii & Pelagii errores, & imprimis eorum de peccato originali doctrinam damnabat, ut patet ex commonitorio Marii Mercatoris à nobis laudato, & aliis veteribus monumentis. Qua autem fronte Zozimus doctrinam à se antea ut dogma catholicum approbatam, tanta postea solemnitate ut hæreticum dogma damnasset?

Dices. Saltem S. Augustinus loco proximè citato satis apertè significat Ecclesiam Romanam in causa Pelagii & Celestii, errorem in fide ut dogma catholicum approbando, errare potuisse. Nam sic loquitur: *Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciarentur, ex eo potiùs esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda.*

R. neg. Itaque S. Augustinus sic loquendo non magis significat Ecclesiam Romanam errare posse in fide, quàm significet Apostolus à veritate apostatare posse bonos Angelos, cùm ait Galat. cap. 1. *Sed licèt nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Sicut ergo sensus Apostoli est, Si per impossibile etiam Angelus de cœlo aliud vobis evangelizaret, quàm nos evangelizavimus, non audiendus, sed diris devovendus esset: ita S. Augustini sensus est: Si per impossibile Ecclesia Romana Pelagii & Celestii doctrinam, quam antea cum Innocentio ut heterodoxam proscripsit, postea ut orthodoxam approbandam & tenendam pronunciaret, ipsa in fide prævaricatrix habenda potiùs esset, quàm doctrina illa ut orthodoxa esset recipienda.

Amplius. S. Augustinus hoc loco Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem in fide non modò non oppugnat, sed è contra vel asserit, vel certè apertè supponit. Nam juxta S. Doctorem, prævaricationis nota inurenda fuisset Ecclesiæ Romanæ sub Zozimo, si tunc doctrinam Celestii approbandam & tenendam pronunciasset, quia ipsa cum Innocentio doctrinam illam damnarat ut fidei contrariam. Ergo juxta S. Doctorem, Ecclesia Romana doctrinam, quam semel damnavit ut contrariam fidei, non posset postea ut fidei consonam approbare sine nota prævaricationis. Ergo juxta S. Doctorem, quidquid Ecclesia Romana damnat ut contrarium fidei, non potest non esse fidei contrarium, & in eo damnando Ecclesia Romana falli non potest: nam si falli potest, quare non posset postea sine nota prævaricationis judicium suum recognoscere, illudque, si ita oporteret, emendare? Ergo juxta S. Doctorem, Ecclesia Romana falli non potest in rebus ad fidem pertinentibus. Sed

His quæ hoc articulo & superiore pro infallibilitate

particularis Ecclesiæ Romanæ à nobis dicta sunt, coronidem imponamus hoc ratiocinio. Universalis Ecclesia deficere non potest: hoc ut dogma fidei recipiunt catholici omnes. Ergo non potest deficere centrum unitatis: nam Ecclesia universalis non potest subsistere sine unitate, nec unitas sine centro unitatis; adeòque si centrum unitatis potest deficere, potest deficere universalis Ecclesia. Ergo Ecclesia particularis Romana non potest à vera fide deflectere: cùm enim sit centrum unitatis, & in tantum sit, in quantum veram fidem tenet & profitetur; si potest à vera fide deflectere, fieri potest ut desinat esse centrum unitatis, & sic fieri potest, ut centrum unitatis deficiat. Ergo particularis Ecclesia Romana nihil ut fidei contrarium respuere potest, quod sit fidei consonum; & nihil ut fidei consonum admittere potest, quod sit fidei contrarium; alioqui potest à vera fide deflectere. Ergo quidquid particularis Ecclesia Romana damnat ut heterodoxum, infallibiliter heterodoxum est; & quidquid ut orthodoxum approbat, orthodoxum est infallibiliter. Ergo quidquid particularis Ecclesia Romana damnat ut heterodoxum, ut tale repudiari; & quidquid ut orthodoxum approbat, ut tale recipi debet à fidelibus omnibus. Ergo quidquid Episcopus Romanus, sive personalem habeat infallibilitatem, sive non, damnat vel approbat in materia fidei, conscia & consentiente Ecclesia particulari Romana, illud damnare, vel approbare debent fideles omnes.

Porrò qui hoc facere renuit, hoc ipso desinit unam & eandem fidem tenere cum Ecclesia particulari Romana. Ergo hoc ipso separat se à centro unitatis. Ergo hoc ipso separat se ab universali Ecclesia. Nam desinit esse membrum universalis Ecclesiæ, qui desinit participare unitatem, ex qua resultat corpus universalis Ecclesiæ: & desinit participare illam unitatem, qui ab illius unitatis centro divellitur. Et ab illius unitatis centro divellitur, qui desinit unam & eandem illam fidem tenere & profiteri, quam tenet & profitetur particularis Ecclesia Romana. Et desinit illam unam & eandem fidem tenere & profiteri, qui renuit damnare vel approbare, quod in materia fidei damnat vel approbat Ecclesia particularis Romana. Et renuit damnare vel approbare, quod in materia fidei damnat, &c. qui renuit damnare vel approbare, quod in materia fidei, conscia & consentiente Ecclesia particulari Romana, damnat vel approbat Romanus Episcopus.

DISPUTATIO VII.

De notis veræ Christi Ecclesiæ.

NOtæ veræ Ecclesiæ sunt veræ Ecclesiæ proprietates, non quælibet, sed illæ tantùm, per quas homini Scripturas recipienti, & Christum, ejusque aliquam Ecclesiam existere credenti, evidenter evidentia magna morali & perfecta, atque ita absolutè ac respectu cujuscumque intellectus sufficiente, demonstrari potest, quis inter omnes cœtus, qui se veram Christi, doctrinam sequi profitentur, sit vera Christi Ecclesia. Hinc

Ad veras Ecclesiæ Christi notas multa requiruntur. Et 1. quidem requiritur, ut illi verè conveniant: rem enim per signum, quo caret, cognosci repugnat. 2. Ut illi conveniant evidenter; alioqui non poterit per illas evidenter demonstrari. 3. Et ita, ut ex Scripturis receptis evidenter deducantur; alioqui non convenient illi evidenter, seu, quod idem est, non evidenter cognoscentur illi convenire: quia quòd illi conveniant, non aliter quàm per revelationem divinam, ut talem receptam, evidenter cognosci potest. 4. Ut illi soli conveniant: si enim inveniuntur etiam in alio cœtu, qui non est Ecclesia Christi, ab hoc cœtu discerni non potest Christi Ecclesia per notas illas: nam unum ab alio, per id quod utrique commune est, discerni repugnat. 5. Ut sint notiores illa; non enim notius per minùs notum, sed minùs notum per notius agnoscitur. 6. Ut sint proportionatæ omni hominum generi & conditioni: hìc enim agitur de notis, quibus vera Christi Ecclesia demonstrari potest omnibus omninò hominibus, Scripturas divinas recipientibus, atque Christum, & ejus aliquam existere Ecclesiam credentibus. Et verò cùm nemo nisi in vera Christi Ecclesia salvari possit, assignari debent notæ, quibus omnes Ecclesiam illam discernere possint, ut possint in eam ingredi, qui in ea non sunt, & in ea usque ad finem vitæ permanere, qui in ea sunt.

ARTICULUS I.

Utrùm vera Christi Ecclesia sit una, Sancta, Catholica, & Apostolica.

HAs proprietates convenire veræ Christi Ecclesiæ fides docet in Symbolo Constantinopolitano, ubi dicitur: *Credo ... in unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam*, & adhuc singillatim probabimus ex Scriptura & Patribus, sequentibus paragraphis.

§. I.

Vera Christi Ecclesia est una.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam 1. Cor. cap. 10. dicitur: *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. Et c. 12. *Sicut enim corpus* (naturale scilicet, putà corpus hominis) *unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus* (hoc est, Christi Ecclesia) *etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*.

Prob. 2. ex Patribus, pro quibus omnibus sit S. Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiæ, ubi hæc verba leguntur: *Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: profluenter & largiter rivos latius expandit, unum tamen caput est, & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa ... Adulterari non potest Christi sponsa, incorrupta est & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit*.

Porrò vera Christi Ecclesia multiplici modo una est, 1. enim una est unitate principii, hoc est, Dei vocantis & justificantis, juxta illud Apostoli Ephes. cap. 4. *Unus Deus & Pater omnium*.

2. Una est unitate finis ultimi; nam ad unam & eandem vitam æternam vocati sumus, eamque speramus: juxta illud Apostoli ibidem: *Sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*.

3. Una est unitate mediorum, per quæ possumus & debemus tendere ad vitam æternam, fidei scilicet, legum, & sacramentorum, juxta illud Apostoli ibidem: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*.

4. Una est unitate sacrificii, juxta illud Malachiæ cap. 1. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*: cùm enim dicit, *oblatio*, non, *oblationes*, apertè unitatem sacrificii significat.

5. Una est unitate cibi spiritualis, juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 10. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*.

6. Una est unitate capitis tum invisibilis, tum visibilis, juxta illud Apostoli Ephes. cap. 1. *Ipsum* (Christum) *dedit* (Pater) *caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*; & illud Christi ad Petrum & successores ejus, Joan. c. ult. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Unde apud eundem cap. 10. dixerat Christus: *Fiet unum ovile, & unus pastor*.

7. Est una unitate spiritus, à quo tanquam ab externo & separato rectore gubernatur, juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 12. *Divisiones gratiarum sunt: idem*

idem autem spiritus. Et inferiùs : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult .... Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*.

8. Una est unitate corporis moralis, juxta Apostolum verbis proximè laudatis; & illud ejusd. cap. epist. cap.10. *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*.

§. II.

Vera Christi Ecclesia est sancta.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Ephes. c.5, dicitur: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exiheret ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata*. Et 1. Petri c.2. *Vos autem genus electum* (à Deo) *regale sacerdotium* (hoc est, spiritales precum aliorumque piorum operum hostias offerentes Deo ;) *gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuncietis ejus* (per morum sanctimoniam) *qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum*.

Porrò vera Christi Ecclesia sancta est, 1. Propter caput invisibile, nempe Christum, de quo sic loquitur Apostolus Hebr. c.7. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*.

2. Propter suos fundatores, Apostolos scilicet, qui omnes eximia sanctitate præditi fuerunt.

3. Quia tota cultui divino mancipata est : unde Apostolus Petrus epist. 1. c.2. fideles vocat *Regale sacerdotium*.

4. Quia omnia ejus membra Deo specialiter consecrata sunt, juxta illud Apostoli 1. Corinth. c.3. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?... Templum Dei sanctum est, quod estis vos*.

5. Propter fidem suam, quæ ex omni parte vera est, & ab omni prorsus errore immunis.

6. Sancta est propter doctrinam suam, quæ vitia omnia damnat, & commendat virtutes omnes. Unde quotquot ei se planè conformant, eximiam morum innocentiam & sanctimoniam vitæ assequuntur.

7. Propter christianas virtutes, fidem scilicet, spem, charitatem, &c. quibus præfulget, & quæ alibi non inveniuntur.

8. Propter finem, qui consistit in visione & amore Dei, aliisque actibus beatificis, in quibus consummata sanctitas sita est.

9. Propter Sacramenta, quibus anima à commissis peccatis expurgatur, à committendis præservatur, donis gratiæ ditatur, ad exercenda quælibet pietatis opera corroboratur.

10. Propter suos omnes ritus, quibus verè colitur Deus.

11. Propter justos, qui semper magno numero in ea sunt, & sunt præcipua ejus membra; quique omnis mortalis peccati expertes, & charitate aliisque virtutibus, ac donis supernaturalibus exornati, amicitia & adoptione divina potiuntur, adeòque hæredes sunt Dei, & cohæredes Christi.

12. Propter conventus suos, in quibus, ut ait S. Augustinus, lib.2. de civ. c.28. *nihil* iis qui adsunt, *turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur*.

§. III.

Vera Christi Ecclesia catholica est.

Prob. Nam 1. catholica est ratione temporis, quatenùs à Christo ejus institutore hactenùs sine ulla interruptione perseveravit, & usque ad consummationem mundi perseveratura est : nam Matth.c.16. dicitur : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; & ejusd. cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. At si vera Christi Ecclesia aliquando desiit esse, portæ inferi prævaluerunt adversùs eam ; aut si ante finem mundi desitura est, Christus non erit cum ea usque ad finem mundi.

2. Catholica est ratione personarum, quatenùs personas omnium nationum & conditionum sinu suo complectitur, vel complexura est : nam dicitur Isaiæ, cap.2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes ; & ibunt populi multi, & dicent : Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*. Quam prophetiam ad Ecclesiam Christi pertinere, manifestum est ex postremis verbis, *Quia de Sion, &c.* Item Matth. c. ult. dicit Christus: *Docete omnes gentes*; & Marci c. ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*.

3. Catholica est ratione locorum, quatenùs non unius aut alterius provinciæ, vel etiam regni continetur finibus, sed sensim toto orbe noto & habituali propagata est, secundùm Malachiæ prophetiam, c.1. ubi legitur : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*.

§. IV.

Vera Christi Ecclesia Apostolica est.

Prob. Nam 1. ab Apostolis post Christum fundata est, juxta illud Marci, c. ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Et illud Apostoli Ephes. c. 2. ubi fideles sic alloquitur : *Estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum ... ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum*, hoc est, in Ecclesiam.

2. Doctrinam ab Apostolis tam scripto, quàm viva voce traditam, hactenùs puram & integram conservavit, & usque ad fidem mundi conservatura est, juxta vaticinium Isa. c.59. ubi dicitur : *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in sempiternum*. Et promissionem Christi Joan. c.14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis ..... Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*. Hinc Apostolus 1.ad Timoth. c.3. veram Christi Ecclesiam vocat *columnam & firmamentum veritatis*. Vide quæ superiùs dicta sunt de Ecclesiæ indefectibilitate à vera fide.

ARTICULUS II.

Quibus notis vera Christi Ecclesia ab omnibus aliis cœtibus, qui se Ecclesiam Christi dicunt, possit nunc discerni.

Nota. Vera Christi Ecclesia notas aliquas habuit in sui exordio, quas nunc non habet. Nam in exordio Ecclesiæ Spiritus sanctus sensibiliter descendebat super eos, quos Apostoli confirmabant impositione manuum, ut patet ex Actorum cap. 8. ubi dicitur : *Tunc imponebant* (Petrus & Joannes Apostoli) *manus super illos* (Samaritanos baptizatos) *& accipiebant* (visibiliter) *Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon* (Magus) *quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis* (Petro & Joanni) *pecuniam*. At nunc Spiritus sanctus non sic descendit super eos, qui confirmantur ab Episcopis. Item in exordio Ecclesiæ non solùm Apostoli, sed etiam alii fideles frequentissimè edebant miracula, juxta promissionem Christi Marci c. ult. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient ; linguis loquentur novis ; serpentes tollent ; & si mortiferum quid biberint ; non eis nocebit ; super ægros manus imponent, & bene habebunt*. At nunc patrandi miracula rarior est. Cùm igi-

tur in illis signis & prodigiis clarè eluceret veritas & divinitas Ecclesiæ, clarum est nunc Ecclesiam carere notis aliquibus, quas habuit in sui exordio.

Nota iterum. Vera Christi Ecclesia nunc habet notas aliquas, quibus in sui exordio caruit. Præcipuæ notæ sunt, quòd sit orbe noto diffusa, & quòd à Christo & Apostolis ad nos usque per visibilem & perpetuam legitimorum pastorum successionem sit continuata, quibus eam cum primùm fundaretur, prærogativis gaudere non potuisse, manifestum est. Ex his apparet sectarios perperam contendere, quòd eædem semper esse debeant, & sint notæ veræ Ecclesiæ. Et verò quidni vera Ecclesia pro diversis statibus, quos habet, diversas habere notas posset? Illud igitur omne pro nota veræ Ecclesiæ præsentis assignari potest, per quod potest evidenter agnosci, & ab aliis omnibus sectis discerni; sive illud ab exordio habuerit, sive non: sicut olim potuit pro vera Ecclesiæ nascentis nota assignari id omnè, per quod potuit evidenter agnosci, & discerni ab omni alia secta; sive illud semper habitura esset, sive non.

Porrò non omnes catholici eodem numero assignant notas veræ Ecclesiæ: nam S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos prope finem, ponit duas, S. Augustinus lib. contra epist. fundamenti, c.4. sex enumerat, Vincentius Lirinensis in commonitorio tres assignat: inter recentiores verò alii plures, alii pauciores afferunt: quindecim recenset Bellarminus, nempe catholicæ & Christianorum nomen, antiquitatem, diuturnam nec unquam interruptam durationem, amplitudinem, sive multitudinem & varietatem credentium, successionem Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deductam usque ad nos, conspirationem in doctrina cum antiqua Ecclesia, unionem membrorum inter se & cum capite, sanctitatem doctrinæ, efficaciam doctrinæ, sanctitatem vitæ auctorum seu primorum Patrum, gloriam miraculorum, lumen propheticum, confessionem adversariorum, infœlicem exitum eorum qui impugnant Ecclesiam, & fœlicitatem temporalem, divinitus concessam iis, qui Ecclesiam defenderunt. Has omnes notas dicit Bellarminus aliquo modo revocari posse ad illas quatuor, quæ communiter afferuntur ex Symbolo Constantinopolitano, *unam, sanctam, catholicam, & apostolicam*, & quibus nos contenti erimus. Sit itaque

Responsio.

Nota veræ Christi Ecclesiæ sunt unitas fidei cum principio hujus unitatis, sanctitas, apostolica fundatio, ab Apostolis ad nos usque per visibilem & perpetuam pastorum successionem continuatio, & per totum orbem notum diffusio.

Probatur. Quia hæ prærogativæ habent conditiones omnes requisitas ad hoc, ut per eas homini Scripturas divinas recipienti, & Christum, veramque aliquem ejus Ecclesiam existere credenti, evidenter ostendatur, quis hominum cœtus sit vera Christi Ecclesia. Ergo, &c.

Prob. ant. Nam 1. hæ prærogativæ omnes conveniunt veræ Christi Ecclesiæ, & ita conveniunt necessariò, ut si vel una ex illis careat cœtus aliquis, nec sit, nec possit esse vera Christi Ecclesia. 2. Veræ Christi Ecclesiæ evidenter attribuuntur in Scripturis divinis, ut patet ex dictis superiore articulo. 3. Soli veræ Christi Ecclesiæ conveniunt, saltem simul & conjunctim sumptæ: nam si omnes convenirent alicui hominum multitudini, quæ non esset vera Christi Ecclesia, vera Christi Ecclesia non posset evidenter agnosci, & ab aliis sectis discerni; quod certè nunquam permissurus est Deus, qui ex una parte vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & ex altera neminem voluit extra veram Christi Ecclesiam salvari, & ad agnitionem veritatis venire posse. 4. Sunt notiores vera Christi Ecclesia: sunt enim cognitu faciliores. Et verò si quis hanc duplicem quæstionem proponat, utrùm talis hominum multitudo sit vera Christi Ecclesia, utrùm talis hominum multitudo habeat prærogativas omnes, de quibus hìc agitur, quis non videat secundam quæstionem faciliùs resolutum iri, quàm priorem? 5. Denique sunt sufficienter proportionatæ omni hominum generi: nemo enim est, qui, suppositâ sufficienti instructione, cujus nullus non capax est, non possit illas omnes prærogativas, aut saltem pleraque sufficienter assequi ad hoc, ut per illas veram Christi Ecclesiam evidenter evidentia sibi proportionata, adeòque certò certitudine sibi proportionata, agnoscat & discernat.

Confirmatur authoritate SS. Patrum, qui prærogativas illas docent esse veræ Ecclesiæ notas, per eas veram Ecclesiam indicant, & ab aliis sectis discernunt, eisque utuntur adversùs hæreticos, ut probent illos veram Ecclesiam non habere apud se, & solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam. Primam contra Valentinianos & Marcionitas adhibet Tertullianus, lib. de præscript. cap. 42. ubi sic loquitur: *Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectæ hæreses, omnes in multis cum authoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Tertiam & quartam affert Sanct. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos in fine, ubi sic ait: *Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam; in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat.* Ad eandem hæreticos provocat Tertullianus, lib. de præscript. c.32. his verbis: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos defuerunt ... Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.*

Quintam allegat S. Augustinus pluribus locis, ut lib. de unitate Ecclesiæ c.3. ubi sic ait: *Illæ singulæ* (hæreses) *in multis gentibus, ubi ista* (vera Christi Ecclesia) *est, non inveniuntur: hæc autem, quæ ubique est, etiam ubi illæ sunt, invenitur.* Et lib.4. de Symbolo, cap. ult. *Omnes gentes*, inquit, *totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.*

Ex hac potissimùm prærogativa, quam lib. de unit. Ecclesiæ, S. Augustinus fusè probat convenire veræ Christi Ecclesiæ, vera Christi Ecclesia Catholicæ nomen accepit, quod nomen S. Doctori satis erat ad agnoscendam & discernendam illam à sectis aliis omnibus, ut patet ex lib. contra epist. fundamenti, c.4. *Multa sunt*, inquit, *alia quæ in ejus* (Ecclesiæ Romanæ tanquam veræ Christi Ecclesiæ) *gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum; tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.*

Nos igitur veram Christi Ecclesiam à temporum nostrorum hæresibus discernimus iisdem notis, quibus eam Patres antiqui ab hæresibus suorum temporum discreverunt; & iisdem armis pro veræ Christi

Eccle-

Ecclesiæ agnitione decertamus contra hæreticos recentiores, quibus pro ea contra veteres hæreticos Patres decertarunt. Quare vel notæ illæ, quas ponimus, sunt notæ veræ Ecclesiæ, vel circa veræ Ecclesiæ notas Patres etiam antiquissimi decepti sunt, & alios deceperunt: unde aut non fuerant in vera Christi Ecclesia, aut non nisi fortuitò & imprudenter in ea fuerunt; quorum neutrum sine manifesta absurditate dici potest. Fideliter ergo insistentes veterum Patrum vestigiis, securi sumus: recentiores verò hæretici, cùm ab illis deflectunt, ut nova & veteribus Patribus ignota incedant via, à vera Christi Ecclesia extranei esse, nec tam ut discernatur, quàm ne discernatur vera Christi Ecclesia, laborare convincuntur.

Porrò in prima nota posuimus, cum principio unitatis: nam vera Christi Ecclesia agnosci non potest ex eo præcisè, quòd ejus membra eandem fidei doctrinam teneant: hæc enim in doctrina consensio reperiri potest, & reperitur in omni secta hæretica, quandiu sequitur authoris sui placita, nec in plures sectas per membrorum suorum dissensionem dividitur. Præcisè igitur tenere eandem fidei doctrinam non est aliquid soli veræ Ecclesiæ proprium, adeòque per hoc præcisè à sectis hæreticis discerni non potest; per hoc, inquam, præcisè quòd omnia ejus membra, quandiu ejus membra sunt, teneant unam & eandem fidei doctrinam; sed cum unitate doctrinæ jungendum est principium hujus unitatis, quod principium in vera Christi Ecclesia inveniri necesse est, quia sine illo constanter teneri non potest doctrinæ unitas, & in sola vera Christi Ecclesia invenitur: nam sola vera Christi Ecclesia illud agnoscit, aut etiam agnoscere consequenter potest.

ARTICULUS III.

Utrùm Ecclesiæ Romanæ, & soli Ecclesiæ Romanæ conveniant notæ veræ Christi Ecclesiæ.

Nota. Nomine Ecclesiæ Romanæ intelligimus hìc, non Ecclesiam illam particularem, quæ olim fuit & nunc est Romæ, sed Ecclesiam, seu hominum multitudinem, toto orbe diffusam, quæ adhæret Romano Episcopo, tanquam capiti visibili, & supremo in terris Vicario Christi; vel, si vis, quæ adhæret Romano Episcopo, & ejus particulari Ecclesiæ, tanquam unitatis centro. Ecclesiam autem Romanam sic sumptam opponimus iis tantùm sectis, quæ se Christianas profitentur, & nunc existunt: inutiliter enim opponerentur aliis hæreticorum sectis, quæ olim exortæ, jam interierunt, aut quæ nondùm exortæ sunt, sed fortè exorientur aliquando: manifestum enim est, ex illis nullam esse veram Christi Ecclesiam; alioqui vera Christi Ecclesia aut nondùm est, aut non est ampliùs, quorum utrumque evidenter falsum est & absurdum. His præmissis, propositam quæstionem resolvemus sequentibus paragraphis.

§. I.

Ecclesia Romana habet, & sola habet unitatem doctrinæ fidei cum principio hujus unitatis.

Prob. 1. pars. Nam 1. omnes qui sunt in Ecclesia Romana, quandiu in ea sunt, unam & eandem fidem profitentur: tenent enim omnes eadem fidei dogmata; & quicumque vel unum ex dogmatibus, quæ tenet Ecclesia Romana, repudiat, vel nunquam fuit membrum Ecclesiæ Romanæ, vel si aliquando fuit, desiit esse, cùm illud dogma repudiare cœpit. 2. Omnes qui sunt in Ecclesia Romana, quandiu in ea sunt, agnoscunt regulam viventem, & supremum atque infallibilem controversiarum in materia fidei judicem, cujus sententiæ incunctanter ac firmissimè acquiescere tenetur unusquisque; quod est agnoscere principium ad perfectissimam in doctrina fidei consensionem habendam & constanter retinendam, accommodatissimum & sufficientissimum.

Dices. In Ecclesia Romana Doctores inter se dissident in multis, quæ videntur ad fidem pertinere, ut patet v.g. ex schola Thomistica & Scotistica. *R.* Doctores in Ecclesia Romana inter se dissidere de rebus, quæ ad fidem non pertinent, & quæ proinde sine ullo fidei impendio affirmari vel negari possunt: dissident enim inter se de iis tantùm rebus, quæ aut non satis clarè continentur in Scriptura, vel traditione divina, aut non satis clarè sunt definitæ ab Ecclesia, adeòque numerari non possunt inter articulos nostræ fidei. Præterea, parati sunt omnes, submittere se judicio Ecclesiæ, ubi primùm placuerit ei controversiam dirimere, & quid tenendum sit statuere. Adde quòd teneant omnes & credant, quod tenet & credit Ecclesia Romana, quæ prohibendo ne se invicem notent, & tanquam hæreticos infament, illos in unitate fidei & pace continet.

Prob. 2. pars. Nam ex omnibus sectis aliis, quæ nunc existunt, & se profitentur Christianas, dato quòd aliquæ unitatem fidei habeant, nulla hujus unitatis habet principium. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam principium hujus unitatis consistit in eo, quòd agnoscatur regula vivens & infallibilis, seu supremus & infallibilis judex vivens controversiarum omnium fidei; cujus proinde judicis sententiæ in rebus omnibus, quæ fidem spectant, acquiescere teneantur omnes: qui enim hoc dogma recipiunt, non possunt in sensu composito non consentire in doctrina fidei; & ii tantùm in doctrina fidei dissentiunt, qui non recipiunt hoc dogma; & ideò inter se in doctrina fidei dissentiunt, quia hoc dogma non recipiunt, juxta illud S. Cypriani epist. 18. ad Cornelium: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa ... nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsùm foris hæresim novam conderet.* Atqui ex omnibus aliis sectis, quæ nunc existunt, & se Christi fidem sequi profitentur, nulla agnoscit supremum & infallibilem judicem viventem omnium fidei controversiarum, cujus proinde necessariò acquiescendum sit judicio in rebus omnibus fidem spectantibus. Ergo, &c.

Prob. min. Supremus ille & infallibilis omnium fidei controversiarum judex vivens, cujus definitioni necessariò adhærendum est, vel est aliquis pastor, nempe pastor supremus, vel aliqua pastorum multitudo: nomine enim sacerdotis alterutrum intelligit S. Cyprianus. Atqui ex omnibus aliis sectis, quæ nunc existunt, & se Christi fidem sequi profitentur, nulla unum aliquem pastorem, aut unam aliquam pastorum multitudinem, nulla unum aliquem hominem, aut unam aliquam multitudinem hominum agnoscit, cujus definitioni necessariò adhærendum sit, tanquam judicio supremi & infallibilis in materia fidei judicis: omnes enim vel solam scripturam, vel scripturam spiritu privato interpretatam, tanquam supremum controversiarum judicem venditant. Ex quo

Sic confirmatur assertio nostra. Qui dicit solam Scripturam, vel Scripturam spiritu privato interpretatam, esse controversiarum fidei supremum judicem, non principium unitatis, sed divisionis principium asserit: is enim in re unumquemque facit supremum judicem controversiarum fidei; quo posito, necesse est tot ferè sensus esse in materia fidei, quot sunt capita. Atqui omnes aliæ sectæ, quæ nunc existunt, & se christianas esse profitentur, tenent solam Scripturam, vel Scripturam privato spiritu interpretatam, supremum esse controversiarum fidei judicem. Ergo omnes aliæ sectæ, quæ, &c. non unitatis principium, sed principium divisionis in doctrina fidei admittunt. Ergo sola Ecclesia Romana habet unitatem in doctrina fidei cum principio hujus unitatis.

Dices. Calvinistæ tenent Synodorum judicio standum esse in materia fidei, ut patet ex Synodo Dordrechtana, & ex iis, quæ acta sunt contra Remonstrantes seu Arminianos, qui sententiæ Synodi renuerunt acquiescere, & ideò gravissimè mulctati sunt.

R. Revera contra Remonstrantes seu Arminianos, Gomaristas ita sensisse in Dordrechtana Synodo: At 1. ita sentiendo, manifestè contradixerunt magistro suo Calvino: nam lib. 4. hist. instit. cap. 9. §. 8. conciliorum etiam maximè generalium definitiones in causa fidei subjicit examini privatorum hominum. *Quoties*, inquit, *conciliis alicujus* (etiam generalis) *decretum profertur, expendi primùm diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo consilio, quales homines interfuerint; deinde illud ipsum, de quo agitur, ad Scripturæ amussim examinari: idque in eum modum, ut concilii definitio pondus suum habeat, sitque instar præjudicii: neque tamen examen, quod dixi, [illegible]eat.*

Calvino planè concinit Lutherus in quingentis articulis, à Cochlæo collectis, art. 115. ubi sic loquitur: *Cæpite hoc Evangelium, quia neque Papa, neque Concilium, neque ulli hominum commissum est, ut constituant, & concludant, quid sit fidei. Ideo debeo dicere: Papa, tu concluseisti cum Conciliis, nunc habeo ego judicium, an acceptare queam, necne .... Res est insana, quòd Concilia concludere & statuere volunt, quid credendum sit; cùm sæpe nullus vir sit ibi, qui divinum Spiritum vel modicum olfecerit.* Calviniani igitur, sicut & Lutherani, sentire & dicere non possunt, quòd Synodorum judicio standum in materia fidei, nisi deferendo patriarchas suos, eosque capitalis erroris damnando; quid enim capitalius est, quàm negare id, sine quo unitas in doctrina fidei; adeòque & ipsa Ecclesia non possunt diu subsistere?

2. Cùm Gomaristæ in sua sententia synodica, non quidem expressis, sed æquivalentibus verbis dicunt, quòd in materia fidei standum sit judicio Synodorum, manifestè se ipsos & suam sectam damnant: nam si in materia fidei acquiescendum est sententiæ Synodorum nationalium, qualem tantùm fuisse Dordrechtanam Synodum dicunt ipsimet Gomaristæ, quantò magis in materia fidei acquiescendum est sententiæ Synodorum generalium, qualis profectò fuit Synodus Tridentina, utpotè ex toto orbe christiano convocata? Ergo debuit Calvinus, & debuerunt ac debent Calvinistæ Synodi Tridentinæ definitionibus acquiescere. Ergo debuit Calvinus doctrinam suam, & eandem illam doctrinam, utpotè à Synodo Tridentina proscriptam, debuerunt ac debent Calvinistæ damnare & ejurare. Et verò nihil contra legitimam convocationem & celebrationem Synodi Tridentinæ opponere possunt Gomaristæ, quod contra legitimam convocationem & celebrationem Dordrechtanæ Synodi opponere non potuerint Arminiani, qui nihilominùs pro damnatis habiti sunt, quique, quotquot Synodi decretis subscribere noluerunt, gravissimis pœnis affecti sunt.

Imprudentes igitur ex nimia in Remonstrantes zelotypia Gomaristæ in Dordrechtana Synodo laqueum sibimet injecerunt, non advertentes, quod ante eos adverterat Calvinus, & cum eo Lutherus, nimirùm de se suaque doctrina actum esse, si dogma illud reciperent, Synodorum scilicet judicio standum esse in materia fidei. Quare ut sibi suisque placitis qualicumque modo consulerent, Concilia omnia, etiam generalia, etiam ea quæ prioribus Ecclesiæ sæculis fuerunt celebrata, privati cujusque hominis examini subjecerunt. Porrò secta, in qua aut omninò non potest, aut non nisi inconsequenter potest admitti qualemcumque principium unitatis in doctrina fidei, nec est, nec potest esse vera Christi Ecclesia, cui nihil magis proprium esse potest, quàm ut habeat accommodatissimum unitatis in doctrina fidei servandæ principium.

3. Denique Gomaristæ in Dordrechtana Synodo non asserunt nisi insufficiens principium unitatis; quia 1. non agnoscunt controversiarum fidei judicem viventem, cui etiam extra Synodum sive nationalem, sive etiam generalem, ita causa fidei judicium ferenti acquiescendum sit. 2. Non dicunt, in causa fidei Synodi nationalis sententiæ acquiescendum esse, tanquam judicio infallibili, finali, & irretractabili; nec dicere possent sine manifesta falsitate & absurditate; quandonam enim in Ecclesia Dei auditum est, supremam & infallibilem authoritatem ferendi sententiam in causis fidei competere Synodis nationalibus? Et si dicerent, hoc ipso non unitatis, sed divisionis principium admitterent: nam quo jure Calvinistæ in Hollandia nationali suæ Synodo, eodem nationali suæ Synodo Calvinistæ v. gr. in Helvetia, authoritatem illam attribuerent: unde, quod fieri posset, duabus illis Synodis in eadem fidei controversia contraria definientibus, in secta Calviniana necessariò fieret divisio in doctrina fidei.

Gomaristæ igitur in Dordrechtana Synodo non agnoscunt principium unitatis sufficiens: ad hoc enim ut agnoscatur sufficiens principium unitatis, agnosci necesse est supremum aliquem & infallibilem etiam extra Concilium generale omnium fidei controversiarum judicem viventem, cujus judicio ut infallibili, finali & irretractabili, omnes omninò ejusdem professionis homines non solùm exteriùs, sed etiam interiùs acquiescere teneantur. Gomaristæ verò in sua Synodo non alium agnoscunt viventem controversiarum fidei judicem, cujus standum sit judicio, quàm Synodum nationalem; adeòque in sua Synodo solùm agnoscunt viventem aliquem controversiarum fidei judicem, cujus judicio saltem exteriùs acquiescere tenentur unius & ejusdem nationis homines.

§. II.

Ecclesia Romana est, & sola est sancta.

Prob. 1. pars. Nam tota ipsius doctrina eò collimat, ut homines à peccatis omnibus abstineant; sectenturque vitæ ac morum puritatem, integritatem, sanctimoniam. Et verò qui se huic doctrinæ conformare studuerunt, innocentia vitæ, & virtutum omnium exercitio claruerunt, ut patet ex tot utriusque sexus hominibus, eximia castitate, ardenti erga Deum amore, incredibili rerum mundanarum contemptu, singulari abstinentia, plenissima sui abnegatione, constanti erga solitudinem affectu, præceptorum omnium, imò & consiliorum evangelicorum observatione spectabilibus, quibus gloriatur Ecclesia Romana, quos sinu suo fovet, sacramentis suis corroborat, legibus suis dirigit, ac doctrinæ suæ pabulo nutrit, & ad omne virtutum genus informat, atque promovet.

Similiter morum probitate, sanctimonia vitæ, christianisque virtutibus omnibus in Ecclesia Romana claruerunt olim tot Episcopi, sacerdotes, martyres, confessores, anachoretæ, monachi, moniales, &c. quia se Ecclesiæ Romanæ doctrinæ planè conformare studuerunt. Porrò multi quidem, qui sunt in Ecclesia Romana, malè vivunt; sed quòd malè vivant, ipsis, non Ecclesiæ Romanæ imputandum est; nam de suo mali sunt, non ex impulsu doctrinæ, quam Ecclesia Romana profitetur, & quæ vitia omnia damnat, neque vel leviissimam hominibus peccandi præbet occasionem.

Prob. 2. pars. Quia omnes aliæ sectæ, quæ nunc existunt, & se profitentur christianas, multa tenent sanctitati contraria; ut quòd omnia hominum opera sint peccata; quòd præcepta divina etiam cum adjutorio gratiæ non possint observari; quòd liberum hominis arbitrium per Adami peccatum penitùs extinctum sit; quòd peccata non sint aperienda in confessione, nec ulla satisfactione expianda; quòd fides sola ad peccatoris justificationem sufficiat; quòd scelera etiam gravissima non imputentur homini, firmiter credenti ea sibi propter Christum non imputari. Hæc autem ad morum corruptelam ducere, imò & flagitiis quibuscumque januam aperire, quis non videt? Quòd si qui inter sectarios vitam agunt moraliter laudabilem, hoc non doctrinæ quam profitentur tribuendum, sed bonæ indoli, quacum nati sunt; & providentiæ Dei, bonam illam indolem protegentis, & impedientis ne per falsam illam & pernicioſam doctrinam corrumpatur.

§. III.

§. III.

Ecclesia Romana fundata est, & sola fundata est Apostolis.

Prob. 1. *pars* 1. sic. Ecclesia Romana, ut hìc sumitur, fundata est ab iis, qui fundarunt particularem Ecclesiam Romanam: cùm enim hæc Ecclesia sit Ecclesia principalis, & caput omnium aliarum Ecclesiarum particularium, quæ ad eam velut ad centrum unitatis concurrentes, cum ea universalem Ecclesiam constituunt, non potest non habere unam & eandem cum illis originem, adeòque si fundata fuit ab Apostolis, aliæ quoque ab Apostolis fundatæ fuerunt. Atqui Ecclesiam particularem Romanam fundatam fuisse ab Apostolis expressè docent Patres antiqui, ut Irenæus, lib. 3. cap. 3. Tertullianus, lib. de præscript. cap. 32. Hieronymus in dial. contra Lucif. in fine, & Augustinus, lib. contra epist. fund. cap. 4. & alibi. Ergo, &c.

2. sic. Si Ecclesia Romana non fuit à Christo instituta, & fundata per Apostolos, certè post Christi & ejus Apostolorum tempora exorta est, sicut & exortæ sunt omnes aliæ hæreticorum sectæ, adeòque post Christi & Apostolorum ab ejus tempora contigit insignis aliqua religionis mutatio, quæ Ecclesiam Romanam peperit. Atqui hoc dici non potest sine manifesta falsitate, & absurditate. Ergo, &c.

Prob. min. Nam nulla notabilis post Christi & Apostolorum tempora religionis mutatio facta est, de qua non possunt demonstrari sex, nempe quis fuerit ejus author, quod fuerit hujus authoris novum dogma, quo tempore cœperit, quo cœperit loco, quos habuerit oppugnatores, quòd initio paucorum fuerit; hæc enim omnia demonstrantur de antiquis hæresibus, Ariana, Nestoriana, Eutychiana; Pelagiana, &c. & de recentioribus, Lutherana, Calviniana, Socinìana, &c. Atqui nihil horum de Ecclesia Romana ab ejus adversariis ostensum est, vel ostendi potuit. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. adversarii nostri particularem aliquem hominem, ut Ecclesiæ nostræ authorem, nobis objicere non potuerunt hactenùs: unde nos hactenùs à particulari aliquo homine non cognominarunt, quod tamen certo certiùs fecissent, si potuissent: quia autem aliud non possunt, cognominant nos Papistas, Romanos, Romanenses, quæ cognomina non sunt derivata ab aliquo particulari homine, qui novam aliquam sectam conflarit; nec aliud significant, quam homines subjectos Romano Pontifici, ut supremo Christi in terris Vicario. Unde non minùs, quàm nos, Papistæ, Romani, Romanenses fuerunt Patres quinque priorum sæculorum, Irenæus, Cyprianus, Dionysius Alexandrinus, Athanasius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, &c. quos cum Romano Pontifice, ut universalis Ecclesiæ capite visibili, & supremo in terris Christi Vicario communicasse indubitatum est.

Papistarum igitur, Romanorum, Romanensium cognomen nobis, velint, nolint sectarii, cum antiquis Patribus commune est. Unde, velint, nolint sectarii, cùm nos Papistas, Romanos, Romanenses vocitant, agnoscunt nos in eadem esse communione, in qua fuerunt Patres antiqui; adeòque vel negare debent antiquos Patres, Irenæum, Cyprianum, &c. fuisse in vera Ecclesia; vel nos in vera Ecclesia esse fateantur necesse est. Hoc probè intelligunt, nos tamen sic vocitant, quia si aliter nos appellare, & nos appellando intelligi voluerint, necessariò appellabunt Catholicos: non enim aliquod aliud cognomen hactenùs excogitari potuit, quo nos appellare, & sic appellando intelligi possent. At vel ipsum solum cognomen catholici est sufficientissima & certissima veræ Ecclesiæ nota, ut observavit S. Augustinus, lib. contra epist. fund. cap. 4. & ante eum Cyrillus Hieros. cat. 18. ubi sic ait: *Neque id tantùm queras simpliciter, ubi sit Ecclesia; sed ubi Catholica Ecclesia: hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus & matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Jesu Christi.* Et ante Cyrillum Pacianum epist. 1. ad Sympronianum de catholico nomine, ubi hæc scribit: *Certè non est ab homine mutatum, quod per sæcula tanta non cecidit, catholicum illud ..... Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat: istud ostendit: Hoc probor, inde significor ....., Catholicus Christianus est: quare ab hæretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cùm catholicus nuncupatur.* Ex his autem

Argumentor obiter sic. Ecclesia Romana eo tempore quo Lutherus & Calvinus dogmatizare cœperunt (idem dic de aliis recentiorum sectarum authoribus) cognominabatur Catholica Ecclesia; unde & qui erant in Ecclesia Romana, cognominabantur Catholici. Ergo Ecclesia Romana, eo tempore quo Lutherus & Calvinus dogmatizare cœperunt, erat vera Ecclesia. Ergo Lutherus & Calvinus à vera Ecclesia defecerunt, cùm defecerunt ab Ecclesia Romana: & cùm Ecclesia Romana anathematizavit eos, eorumque dogmata, eos eorumque dogmata anathematizavit vera Ecclesia. Ergo tam Lutherus & Calvinus hæresiarchæ censendi sunt, quàm Marcion, Paulus Samozatenus, Apollinaris, Arius, &c. quos ut hæresiarchas execrantur Lutherani & Calvinistæ. Ergo tam Lutherani & Calvinistæ sunt hæretici, & à vera Ecclesia extorres, quàm olim fuerunt Marcionitæ, Paulianistæ, Apollinaristæ, Ariani, &c. quos tamen detestantur ut hæreticos, & à vera Ecclesia extraneos.

2. Hactenùs ostendere non potuerunt primam ab Apostolorum tempore originem nostrorum dogmatum, quæ ipsi ut heterodoxa impugnant. Imò Centuriatores dogmata illa, quæ in nobis reprehendunt, reprehendunt quoque in antiquis Patribus, ut videre est in centuriis 2. 3. & 4. cap. 4. parte 2. quod in re nihil est, quàm agnoscere dogmata illa, quæ nostras hæreses esse dicunt, fuisse dogmata priorum Ecclesiæ sæculorum, adeòque tam antiqua esse, quàm antiqua est ipsa Ecclesia Christi: unde si sunt hæreses, totidem hæresibus fœdata fuit ab incunabulis Christi Ecclesia. Adde quòd Centuriatores singulis centuriis, cap. 5. hæreses cujusque sæculi recensentes, nullam prorsus afferant hæresim, à Romanis Pontificibus fabricatam.

3. Non potuerunt assignare tempus & locum, quibus nostra defectio à vera Ecclesia cœpta sit. Dicunt sectam nostram post quingentos primos annos multùm invalescere cœpisse: sed volumus dicant, quo tempore, quo loco determinatè cœperit. Præterea putidè mentiuntur, cùm ajunt sectam nostram cœpisse multùm invalescere post quingentos primos annos: nam Gregorius Magnus, qui Sedem Romanam tenebat initio sæculi septimi, cum toto orbe christiano communicabat, ut patet ex epistolis, quas misit ad omnes provincias, & quæ adhuc extant. Præterea, Synodus sexta generalis, quam ipsi sectarii recipiunt, multò post obitum Gregorii celebrata est anno 680. & in ea præsides fuerunt Legati Agathonis Pontificis Romani; unde liquet tunc temporis Ecclesias tum Orientales, tum Occidentales, omnes communicasse cum Romano Pontifice, ut capite visibili universalis Ecclesiæ.

At inquient. Non possunt designari tempus & locus, quibus cœpta est defectio Ecclesiæ Romanæ, quia non tot simul, sed paulatim facta est. Sed contra est, quia aliæ defectiones ab Ecclesia non totæ simul, sed paulatim factæ sunt, & tamen assignari possunt tempus & locus, quibus cœperunt. Sic defectio Lutheri paulatim facta est, non tota simul, & tamen assignamus tempus & locum, quibus cœpit Lutherus ab Ecclesia Romana deficere.

4. Non potuerunt ostendere, quinam Ecclesiam Romanam ut sectam recèns exortam oppugnaverint, aut quænam Concilia contra eam coacta fuerint. Et verò Concilium Constantinopolitanum sub Copronymo habitum, à quo imagines, quas Ecclesia Romana defendebat, proscriptæ fuerunt, non fuit legitima Synodus, sed merum latrocinium; neque damnavit dogma aliquod recens exortum, sed antiquissimum,

simum, & in tota Ecclesia receptum : non enim statuit ne reciperentur imagines, sed ut è templis auferrentur.

5. Ostendere non potuerunt, quòd Ecclesia Romana sese ab alia longè majore aliquando separaverit : ita ut aliquando Romani pauciſſimi fuerint ; cæteri verò christiani plures sine comparatione extiterint.

At inquient. Paulò post initium septimi sæculi particularis Ecclesia Romana cum Romano Pontifice separavit se à toto orbe christiano, & à vera religione defecit ; tuncque Romani pauciſſimi fuerunt in comparatione cæterorum Christianorum. *R.* hoc esse falsissimum : ut enim jam à nobis observatum est, particularis Ecclesia Romana cum Romano Pontifice septimo sæculo non solùm ineunte, sed etiam ad finem properante, communicabat cum omnibus Ecclesiis tum Orientalibus tum Occidentalibus, quæ Romanum Pontificem ut supremum Christi in terris Vicarium reverebantur, quod evidenter probat factum Synodi sextæ generalis.

Probabis tamen propositionem negatam. Bonifacius IV. Pontifex Romanus anno 607. vel aliquantò post, antichristus factus est. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam à Phoca Imperatore petiit & obtinuit, ut vocaretur Episcoporum Caput, & Pantheon aperiendo, falsorum deorum cultum restauravit. *R.* neg. ant. quod intolerabilem falsitatem & absurditatem continet. *Ad prob. R.* 1. non tunc primùm Romanum Pontificem vocatum esse Caput Episcoporum, sic enim longè antea Leonem Magnum vocarant Patres Chalcedonenſis Synodi in sua ad eum epistola synodica, in qua sic loquuntur : *Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora judicium ; & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet adimpleat*. Ecce Episcopi Chalcedone congregati, agnoscunt Leonem ut caput Episcoporum, ut patrem, ut summum in Ecclesia locum tenentem : num idcircò Leo mutatus est in Antichristum? Præterea, cùm Romanus Pontifex sit caput, visibile scilicet, totius Ecclesiæ, non potest non esse Episcoporum caput ; & id quod dicitur, Bonifacium IV. petiisse & impetrasse à Phoca ut Caput Episcoporum appellaretur, frigidissimum atque insanissimum est.

R. 2. Bonifacium IV. cùm Phocam erga Sedem Apostolicam propensum adverteret, ab eo petiisse Pantheon, & obtentum statim ab idolis omnibus expurgasse, & Deo consecrasse in honorem B. Virginis, & omnium sanctorum Martyrum. Hoc autem faciendo, non magis in Antichristum mutatus est Bonifacius, quàm ante eum mutatus fuerat Sylvester I. cùm consecravit basilicas à Constantino Magno Romæ ædificatas in honorem B. Petri, B. Pauli, B. Agnetis, B. Laurentii martyris, &c. Quod autem dicitur, Bonifacium Pantheon, ut idolorum cultum instauraret, aperuisse insignem & novatoribus dignam calumniam continet.

Prob. 2. pars. Nam omnes aliæ sectæ, quæ nunc existunt, & profitentur se Christi fidem sequi, multis post Apostolos sæculis natæ sunt, ex certissimis historiis constat. Certo certiùs novimus, qui fuerint earum authores, quas novitates invexerint, quo tempore & loco errores suos spargere cœperint, à quibus statim oppugnati fuerint, quàm paucos initio habuerint sectatores, & tunc temporis Christianos sine comparatione plures in toto orbe fuisse. Sic v.g. scimus Lutheranæ sectæ authorem fuisse Martinum Lutherum, presbyterum & monachum Ordinis S. Augustini ; Lutherum in Saxonia dogmatizare cœpisse an. 1517. ab Eckio doctore theologo, & in Ingolstadiensi Academia Theologiæ Professore, anno 1518. oppugnatum fuisse ; Leonem X. anno 1520. constitutionem contra illum edidisse ; ejus postea errores proscriptos fuisse à Tridentina Synodo œcumenica : paucos initio sectatores habuisse, &c. Quod autem scimus & ostendimus de secta Lutherana, scimus & ostendere possumus de Calviniana, Sociniana, &c. Nam scimus Calvinianæ sectæ authorem fuisse Calvinum, Novioduni anno 1509. natum ; hunc clam dogmatizare cœpisse Parisiis an. 1532. Geneva anno 1538. expulsum, eò revocatum fuisse anno 1541. ibique sectam suam instituisse, &c.

Respondent Calvinistæ, se originem à Valdensibus trahere. *R.* Etiamsi concederemus Calvinistis hanc impurissimam originem, hoc nihil eis prodesse posset : nam certò constat Valdenses originem suam non traxisse ab Apostolis : scimus enim Valdensium sectam exortam esse circa annum 1160. authore Petro Valdo Lugdunensi cive & mercatore ; hunc Lugduni dogmatizare cœpisse ; errores ejus damnatos esse à Lucio III. circa annum 1182. &c. Præterea, si Calvinistæ originem suam ducere possunt à Valdensibus, vel quia ex toto, vel quia saltem ex parte eandem cum illis tenent doctrinam fidei. Non primum : nam realem Christi præsentiam in Eucharistia tenuerunt Valdenses, & eam negant Calvinistæ. Si secundum ; Ergo Calvinistæ trahunt originem suam à Manichæis : nam cum illis negant liberum hominis arbitrium : vel etiam à Simone Mago : nam cum illo dicunt fidem sufficere, nec opera bona ad salutem esse necessaria ; adeòque eandem se cum impurissimis hæreticis Gnosticis origenem habere, gloriari possunt.

§. IV.

Ecclesia Romana ab Apostolis ad nos usque visibiliter & sine interruptione perduravit, & sola perduravit.

Prob. 1. pars. Ecclesia Romana extitit tempore Apostolorum : Nam 1. illam fundarunt Apostoli, ut ostensum est §. 3. 2. Ab illo tempore visibiliter & sine interruptione hactenùs in cede Apostolica successerunt Romani Pontifices ; quod novatores negare non audent, & demonstratur partim ex Irenæo, lib. 3. cap. 3. partim ex Eusebio in chronico, partim ex Epiphanio, hær. 27. partim ex Augustino epist. 165. partim ex Hieronymo, Prospero Aquitanico, & Palmerio Florentino in continuatione chronici, aliisque certissimis monumentis. Præterea, particulares Ecclesiæ plurimæ Episcoporum suorum particularium successionem habent à viro aliquo Apostolico, seu à viro aliquo ab Apostolis misso & ordinato, ad hæc usque tempora sine interruptione continuatam, ut perhibent illarum historiæ & traditio. Ergo Ecclesia Romana, quod evidenter ex antecedente sequitur, visibiliter & sine interruptione perduravit ab Apostolis ad nos usque.

At inquiunt. Perduravit quidem, sed desiit esse vera Ecclesia initio septimi sæculi. *R.* 1. hic nobis sufficere, quòd perduraverit. *R.* 2. Si ab Apostolis ad hæc usque tempora visibiliter & sine interruptione perduravit, non potest non esse vera Ecclesia ; & si est vera Ecclesia, nunquam desiit esse vera Ecclesia : ut enim suo loco demonstratum est, vera Ecclesia deficere non potest. *R.* 3. Quòd Ecclesia Romana aliquando desierit esse vera Ecclesia, dicunt quidem sectarii, sed nec probant, nec probare possunt, & evidentissimè falsum est.

Prob. secunda pars. Nulla enim ex omnibus aliis sectis, quæ se Christianas nuncupant, & adhuc superstites sunt, nulla dici potest ab Apostolis huc usque perduraſſe ; nam nulla nisi multis post Apostolos sæculis in lucem prodiit. Sic secta Lutheri nata est anno 1517. & ea juniores sunt omnes aliæ, nempe secta Zuinglii, Anabaptistarum, Calvini, Socini, Anglicana, &c. Quantùm verò attinet ad sectas Orientales, quæ adhuc in Oriente supersunt, & quibuscum hic superfluum esset congredi, nemo est qui nesciat eas natas esse quinto sæculo.

§. V.

Ecclesia Romana habet, & sola habet successionem Episcoporum, ab Apostolis ad hæc usque tempora visibiliter & sine interruptione continuatam.

Et 1. quidem quòd habeat, patet ex dictis §. 4. 2. Quòd sola habeat, demonstratur ex eo quòd nulla ex aliis horum temporum sectis habeat veros Episcopos.

At

At inquiunt. Lutherus fuit Episcopus Vvittembergensis, & Calvinus Episcopus Genevensis. *Resp.* Fuisse Episcopos nominetenùs; sicut etiam nunc sunt Episcopi nominetenùs in Anglicana secta. Verus enim Episcopus esse non potest sine ordinatione, & Episcopus ordinari non potest, nisi ab Episcopis. Lutherus autem (idem dic de Calvino) non fuit ab Episcopis ordinatus episcopus Vvittembergensis. Hinc Luthero & Calvino, aliisque ejusmodi sectariorum antesignanis apprimè convenit illud S. Cypriani lib. de unitate Ecclesiæ: *Sunt qui se ultrò apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen adsumunt. Quos designat in psalmis Spiritus S. Sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpenda veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes.*

Præterea, esto quòd Lutherani (idem de Calvinistis, Zuvinglianis, &c.) habeant veros Episcopos: at certè non habent Episcopos, qui antiquis Episcopis successerint: quando enim Lutherus se fecit Episcopum Vvittembergensem, Vvittemberga habebat Episcopum catholicum, antiquorum Episcoporum successorem, cui nec successit, nec succedere potuit Lutherus: nam nemo succedere potest viventi Episcopo, nisi legitimè deponatur; nec Vvittembergensis Episcopus legitimè deponi potuit à Lutheranis, qui in eum nullam habebant jurisdictionem; sed econtrà ipse in eos jurisdictionem habebat. Lutherani igitur (idem dic de aliis sectariis) non habent apud se ordinationem episcopalem; & dato quòd habeant, saltem non habent episcopalem successionem. In sola igitur Ecclesia Romana invenitur ordinatio, vel saltem cum ordinatione successio episcopalis, & quidem, ut ostensum est, ab Apostolis ad nos usque visibiliter & absque interruptione continuata. Quod vel solùm evidenter probat, apud sectarios esse non posse veram Ecclesiam, quam sine Episcopis nunquam fore manifestè declarat Apostolus, Ephes. cap. 4. ubi ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, &c.* Hic enim nomine pastorum & doctorum, intelligit Apostolus Episcopos, quorum est gregem sibi commissum docere, & sic pabulo sanæ doctrinæ nutrire.

§. VI.

Ecclesia Romana toto Orbe diffusa est, & sic sola diffusa est.

Prob. 1. pars. Quæ non in rigore mathematico, sed moraliter est accipienda. 1. Ecclesia Romana floret in Gallia, Germania, Polonia, Italia, Hispania, America, &c. 2. In reliquis mundi partibus, ut in Hollandia, Anglia, regionibus Septentrionalibus, Græcia, Africa, &c. habet in magno numero cultores suos. Præterea, Apostolicorum virorum zelo & laboribus in dies propagatur in variis regionibus infidelium, ut in America, apud Sinas, in India. Quorum omnium tam constans est & explorata veritas, ut à nemine sanæ mentis in dubium possit revocari.

Prob. 2. pars. Quia ex omnibus aliis sectis, quæ nunc existunt, & se Christianas vocant, nulla est, quæ non unius vel alterius regionis contineatur finibus, ut facilè agnoscunt ipsimet sectarii: unde Catholicæ Ecclesiæ nomen sibi attribuere non audent, nisi fortassè apud suos. Quando autem cum extraneis loquuntur de nobis, aut non intelliguntur, aut nos vocant Catholicos, nisi fortassè Papistas vel Romanos vocitent, quod tamen æquivalenter est nos Catholicos vocitare: quòd enim hominum multitudo, Romano Pontifici ut supremo capiti visibili subjecta, toto Orbe diffusa sit, Orbis ipse oculatus testis est.

Porrò dixi, Ecclesiam Romanam nova in dies incrementa accipere apud Infideles; addendum est solam accipere; & sicut olim soli Ecclesiæ Romanæ cultores propagandæ apud Infideles fidei incubuerunt, ita & solos in id nunc incumbere: qui proculdubio animarum zelus, & tam constans in gentilibus ad fidem & Christi cultum convertendis labor certissimum indicium est veræ Ecclesiæ. Et verò nulla hæreticorum secta legitur aliquam gentem ad fidem Christi convertisse, nullaque gens nisi opera alumnorum Ecclesiæ Romanæ christianam religionem, relictis idolis, amplexa est, ut testantur Ecclesiasticæ historiæ. Rectè igitur & verè dicit Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. hæreticos non ut infideles ad fidem convertant, sed ut subvertant fideles, operam dare: *De verbi autem*, inquit, *administratione quid dicam; cùm hoc sit negotium illis* (hæreticis) *non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent .... ad hæc solummodo opera humiles, & blandi, & summissi agunt.*

ARTICULUS IV.

Utrùm Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia.

Responsio.

Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.

Prob. Illa hominum societas ut vera Christi Ecclesia agnoscenda est, cui conveniunt, & soli conveniunt notæ omnes, quæ propriæ sunt veræ Christi Ecclesiæ. Atqui notæ omnes, quæ propriæ sunt veræ Christi Ecclesiæ, conveniunt Ecclesiæ Romanæ, & soli conveniunt. Ergo, &c. Minor evidenter constat ex dictis Art. superiore. Major verò per se manifesta est.

Præterea, si talis hominum societas non esset vera Christi Ecclesia, homines nunquam possent prudenter ingredi veram Ecclesiam, aut in ea manere, quia quantacumque diligentia adhibita, nunquam possent illam à falsa discernere; imò omnibus maturè ponderatis, falsam Ecclesiam ingredi, & in ea manere, non solùm prudenter possent, sed etiam tenerentur sub pœna damnationis æternæ: quilibet enim non solùm prudenter potest, sed etiam sub gravi tenetur ingredi in Ecclesiam illam, & in Ecclesia illa manere, quam, omnibus maturè ponderatis, judicat esse veram Ecclesiam. Nemo autem non potest, omnibus maturè ponderatis, judicare Ecclesiam illam esse veram Ecclesiam, cui conveniunt, & soli conveniunt notæ omnes, quæ propriæ sunt veræ Ecclesiæ.

Confirmatur. Ecclesia Romana fuit aliquandiu vera Ecclesia, secundùm Lutheranos & Calvinistas totis quinque prioribus sæculis; secundùm Socinianos toto primo sæculo. Ergo etiam hactenùs fuit, & usque ad Mundi consummationem erit: alioqui vera Ecclesia aliquando defecit, aut defectura est, quod evidenter repugnat promissionibus divinis, in Scriptura S. expressè contentis.

Præterea, quòd vera Ecclesia non possit deficere, adeòque nunquam defecerit, aut defectura sit, & sic quòd Ecclesia Romana, quæ aliquando fuit vera Ecclesia, hactenùs fuerit vera Ecclesia, & semper futura sit,

Demonstratur sic contra Lutheranos & Calvinistas. Quòd vera Ecclesia (visibilis scilicet, de ea enim semper loquimur) non possit deficere, fuit unum è fidei dogmatibus, quæ tenuit Ecclesia Romana intra quinque priora sæcula. Atqui omnia fidei dogmata, quæ tenuit Ecclesia Rom. intra quinque priora sæcula, fuerunt dogmata vera, & verè ab Apostolis tradita. Ergo quòd vera Ecclesia non

possit

possit deficere, est dogma fidei verum, & verè ab Apostolis traditum. Minorem negare non possunt Lutherani & Calvinistæ; cùm fateantur in Ecclesia Romana doctrinam fidei fuisse ex omni parte puram & integram totis quinque prioribus sæculis.

Prob. itaque maj. Illud ut dogma fidei tenuit Ecclesia Romana intra quinque priora sæcula, quod tunc temporis negari non potuit sine hæreseos nota. Atqui tunc temporis, quòd vera Ecclesia sit indefectibilis, negari non potuit sine nota hæreseos; & qui hanc veræ Ecclesiæ indefectibilitatem negarunt, hæretici habiti sunt ab Ecclesiæ Romanæ cultoribus. Ergo quòd vera Ecclesia sit indefectibilis, fuit unum è fidei dogmatibus, quæ tenuit Ecclesia Romana intra quinque priora sæcula. Major patet ex terminis.

Prob. min. Ex S. Augustino lib. de hæres. hæres. 69. ubi ait Donatistas schisma in hæresim convertisse, asserendo Ecclesiam Christi de toto terrarum Orbe periisse, seu, quod idem est, Ecclesiam toto Orbe diffusam, quæ erat vera Ecclesia, propter Cæciliani crimina desiisse esse veram Ecclesiam, adeòque asserendo veram Ecclesiam deficere posse. Verba S. Doctoris sunt: *In hæresim schisma vertunt* (Donatistæ) *tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani ..... de toto terrarum Orbe perierit, ubi futura promissa est, atque in Africa Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta.*

Confirm. 2. Si Ecclesia Romana non est vera Ecclesia, nulla nunc est vera Ecclesia visibilis in toto Mundo. Consequens evidenter repugnat promissionibus divinis, & doctrinæ sectariorum, qui volunt omnes, esse nunc aliquam veram Ecclesiam visibilem, eamque in sua secta constituunt. Ergo, &c.

Prob. seq. maj. Nam sola Ecclesia Romana habet notas veræ Ecclesiæ proprias, proindeque si non est vera Ecclesia, vel nulla nunc est vera Ecclesia visibilis, vel vera Ecclesia, quæ nunc est, non habet notas seu proprietates veræ Ecclesiæ proprias, & eas habet falsa Ecclesia; quod secundùm dici non potest sine intolerabili absurditate. Ergo, &c.

Confirm. 3. Contra Lutheranos & Calvinistas. Ecclesia Romana nunc eandem omninò fidem habet, quam habuit quinque prioribus sæculis. Atqui quinque prioribus Ecclesiæ sæculis fidem habuit ex omni parte puram & integram, ut ipsi Lutherani & Calvinistæ fatentur. Ergo nunc Ecclesia Romana fidem habet ex omni parte puram & integram, adeòque sicut fuit quinque prioribus Ecclesiæ sæculis, ita nunc est vera Christi Ecclesia: nam si Ecclesia Romana post quinque priora sæcula desiit esse vera Ecclesia, non desiit, nisi quia post quinque priora sæcula fidem suam corrupit.

Prob. itaque major, in qua tota difficultas est. Si Ecclesia Romana non habet nunc eandem fidem, quam habuit quinque prioribus sæculis, certè quia nunc diversam habet in omnibus articulis sectarios inter & nos controversis, & ita generalis depravatio fidei facta est in tota Ecclesia Romana post quinque priora sæcula. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c.

Prob. min. Nam generalis hæc fidei depravatio, si facta est, vel facta est subitò, & quasi in instanti, vel paulatim tantùm. Neutrum dici potest. Non primum: quòd enim omnia membra Ecclesiæ Romanæ, toto Orbe diffusæ, eodem tempore, eadem hora in fide sua generaliter corrumpenda convenerint, prorsùs incredibile est, imò & evidenter impossibile. Non etiam secundum: nam dato quòd generalis fidei corruptio paulatim facta sit in Ecclesia Romana, & paulatim universam Ecclesiam Romanam invaserit, profectò cœpit certo tempore, & in certo loco; certum habuit authorem; certos habuit adversarios. Edisserant ergo nobis sectarii, tempus quo cœpit generalis illa fidei corruptio, si paulatim facta est; locum in quo cœpit, authorem à quo inducta est, adversarios à quibus impugnata. Nihil horum sectarii faciunt, aut etiam facere possunt; cùm talis depravationis tali modo factæ, tali tempore, tali loco, à tali authore, talibus adversantibus cœptæ, nullum planè vestigium vel monumentum extet apud veteres.

Dicentne generalem illam fidei corruptelam in Ecclesia Romana factam esse, nemine advertente? At prorsùs incredibile est, quòd ex innumeris penè pastoribus & doctoribus, quos habebat Ecclesia Romana, nullus tantam fidei corruptelam advertit; imò hoc esse non potuisse, manifestum est. Dicentne pastores quidem & doctores Ecclesiæ generalem illam corruptelam grassantem advertisse, sed neminem reclamasse, omnesque muto & hianti ore pestem hausisse? Sed hoc adhuc incredibilius est, quòd pastores & doctores grassantem luem adverterint, & tamen nullus restiterit, nullus reclamarit, sed omnes velut canes muti oblatum virum deglutiverint, & in intima viscera demiserint. Errores omnes particulares, quos in Ecclesiam ab ejus exordio hactenùs inducere tentarunt novatores, pastores & doctores Ecclesiæ adverterunt, & magno zelo oppugnarunt; quomodo ergo pastores & doctores Ecclesiæ generalem illum errorem, in quem dicunt sectarii prolapsam esse universam Ecclesiam Romanam, aut non adverterunt, aut postquam adverterunt, non modò non oppugnarunt, sed & in eum consenserunt ad unum omnes?

Dicent. Generalis illa fidei depravatio facta est sæculo septimo post mortem Gregorii I. *Resp.* Sed quærimus sub quo Pontifice facta sit.

Dicent. Facta est sub eo Pontifice, qui primus factus est Antichristus. *Resp.* Sed quærimus, quis sit ille Pontifex, qui primus factus est Antichristus.

Dicent. Pontifex, qui primus factus est Antichristus, is est quem Phocas Imperator appellavit Caput Episcoporum. *Resp.* Concilium Chalcedonense Leonem I. appellavit Caput Episcoporum, nec ideò Leo I. factus est Antichristus. Item fideles omnes sex priorum sæculorum Romanum Pontificem ut Caput visibile totius Ecclesiæ, adeòque ut Caput Episcoporum agnoverunt, & venerati sunt, nec tamen ideò ullus Pontifex Romanus sex prioribus sæculis factus est Antichristus.

Dicent. Pontifex ille primus factus est Antichristus, qui Pantheon aperuit. *Resp.* Pontifex ille Pantheon aperuit, ut illud ab idolis expurgatum consecraret Deo in honorem Beatæ Virginis, & omnium Martyrum. Idem ante eum fecerat Silvester, Basilicas à Constantino ædificatas, Deo consecrando in honorem Sanctorum, nec tamen ideò mutatus fuerat in Antichristum.

Dicent. Pontifex ille primus factus est Antichristus, qui fidem generaliter depravavit. *Resp.* En quomodo impii in circuitu ambulant. Secundùm sectarios, generalis fidei depravatio facta sub Pontifice, qui primus factus est Antichristus, & Pontifex ille primus factus est Antichristus, qui fidem generaliter depravavit, hoc est, generalis fidei depravatio facta est, quando facta est generalis fidei depravatio.

Dices. Probant ex Scriptura Papam sæculo septimo mutatum esse in Antichristum. *Resp.* Quomodo hoc probarent; cùm nullibi in Scriptura legatur Papam mutandum esse in Antichristum sæculo septimo, aut quavis alia ætate?

Dices. Saltem probant ex Scriptura, doctrinam Ecclesiæ Romanæ depravatam esse in omnibus articulis controversis. *R.* Nil minùs probant, aut probare possunt: ad hoc enim ut probent ex Scriptura, doctrinam nostram corruptam esse in omnibus articulis controversis, debent priùs ostendere, sensum illum, quem attribuunt Scripturæ, esse germanum Scripturæ sensum. At ostendere non possunt ulla ratione. Non ex ipsa Scriptura: nam de ea illos inter & nos convertitur. Non ex sententia veræ Ecclesiæ: nam non sensum Scripturæ per veram Ecclesiam, sed veram Ecclesiam per sensum Scripturæ probant. Non ex veterum orthodoxorum testimonio: nam orthodoxos quinque priorum sæculorum nostros esse ostendunt doctores nostri, eosque nobis favere

non

non possunt non agnoscere ipsimet sectarii, ut patet ex Magdeburgensibus in primis quinque centuriis cap. 4. part. 2. Non denique ex privato ipsorum judicio: nam probare non possunt, privatum illud suum judicium non esse erroneum; & cùm dicunt privatum illud suum judicium esse internam Spiritus sancti persuasionem, hoc perperam dicunt: nam nec probant, nec probare possunt: imò verò judicium illud nihil minùs esse quam internam Spiritus sancti persuasionem, evidenter demonstrant Doctores catholici. Sed de hoc suo loco.

Intereà volumus, & pro jure nostro volumus, ut sectarii ex veterum scriptorum ejusdem vel supparis ætatis testimonio ostendant nobis, Papam mutatum esse in Antichristum, & generalem doctrinæ nostræ depravationem factam esse sæculo septimo, vel decimo, ut aliqui, vel duodecimo, ut alii volunt. Volumus, & pro jure nostro volumus, ut ex veterum ejusdem, vel supparis ætatis scriptorum testimonio ostendant nobis, quantas in Orbe turbas excitarint stupenda illa Papæ metamorphosis, & generalis illa doctrinæ catholicæ corruptela; quinam orthodoxi contra Antichristum illum insurrexerint, & generali illi corruptelæ restiterint; quòd corruptela illa subitò, non paulatim; vel econtra, quòd paulatim, non subitò, universam Ecclesiam occuparit; & ita quòd hanc particularem Ecclesiam, vel has particulares Ecclesias primùm infecerit, indeque pervaserit reliquas. Horum autem cùm nihil præstent, aut præstare possint, hoc ipso atrocissimi & insanissimi mendacii manifestè deprehenduntur esse rei.

Porrò quà evadant sectarii, non habent: quòd enim mutatio Papæ in Antichristum, & generalis doctrinæ corruptela nullas initio turbas excitarit, nullos adversarios habuerit; quòd hoc utrumque tam insigne factum, si verum est, aut nullus ante Lutherum per tot annorum centurias adverterit, aut scriptores omnes Ecclesiastici, qui ante Lutherum fuerunt, vel ex negligentia, vel de industria silentio prætermiserint, hoc omnem superat fidem; præsertim cùm videamus omnes particulares hæreses, ab exordio Ecclesiæ hactenùs excitatas, quas supra ducentas numeramus, earumque saltem pleraque circumstantias ab Ecclesiasticis scriptoribus posteritati litteris proditas.

Papæ igitur mutatio in Antichristum, & generalis doctrinæ nostræ depravatio facta sæculo septimo, aut decimo, aut duodecimo, putidum mendacium est, & fabula à sectariis stolidè conficta, atque ab omni sanæ mentis homine explodenda. Ergo Ecclesia Romana nunc eandem fidem profitetur, quam profitebatur quinque prioribus sæculis. Ergo nunc fidem profitetur ex omni parte puram & integram. Ergo nunc tam est vera Christi Ecclesia, quàm quinque prioribus sæculis fuit. Simili autem modo refutari possunt Sociniani, qui volunt doctrinam Ecclesiæ Romanæ circa numerum personarum divinarum corruptam fuisse secundo & tertio sæculo; & hoc volendo, magis insaniunt, quam Lutherani & Calvinistæ. Sed contra hos omnes horum temporum sectarios,

Denique sic argumentor. Ecclesia Romana veram fidem profitebatur sæculo decimo sexto. Ergo falsum est quòd fides Ecclesiæ Romanæ corrupta fuerit sive sæculo secundo & tertio, ut volunt Sociniani, sive sæculo septimo, vel decimo, vel duodecimo, ut volunt alii sectarii. *Prob. ant.* Illa fides est vera fides, ad cujus confirmationem facta sunt vera miracula. Atqui sæculo decimo sexto facta sunt vera miracula ad confirmandam fidem Ecclesiæ Romanæ. Ergo fides Ecclesiæ Romanæ sæculo decimo sexto fuit vera fides. Major negari non potest: nam verum miraculum est opus supernaturale ac divinum. Unde tam impossibile est verum miraculum fieri in confirmationem falsæ fidei, quàm Deum mentiri, aut attestari falsum.

Prob. ergo minor, ex gestis Francisci Xaverii. Pro quo *nota*. 1. Franciscus Xaverius fuit vir Apostolicus, sæculo decimo sexto missus à Romano Pontifice ad prædicandam in India fidem Ecclesiæ Romanæ. 2. Reipsa prædicavit Indis fidem illam, & ad eam innumeros pene gentiles convertit, & convertendo, ab idolorum cultu ad cultum unius veri Dei traduxit. 3. Gentiles illos convertit ad fidem Romanam, veritatem ejus confirmando multis & magnis miraculis: nam morbos curavit, tempestates sedavit, mortuos suscitavit, &c. 4. Hæc omnia in Orbe nostro tam nota sunt & explorata, ut digito monstraretur, qui ea negaret. Ex quibus sic breviter argumentor. Franciscus Xaverius plurima & maxima miracula edidit sæculo decimo sexto in India ad confirmandam veritatem fidei, quam ibi prædicavit. Atqui ibi prædicavit fidem Ecclesiæ Romanæ. Ergo sæculo decimo sexto plurima & maxima miracula edita sunt ad confirmandam veritatem fidei, quam tunc profitebatur Ecclesia Romana. Ex his

Confirmatur 4. Et ultimò assertio nostra. Ecclesia Romana nunc eandem planè fidem profitetur, quam professa est sæculo decimo sexto: nunc enim eandem illam fidem profitetur, quam professa est in Synodo Tridentina. Atqui Ecclesia Romana sæculo decimo sexto professa est fidem ex omni parte puram & integram, utpotè confirmatam per plurima & insignia miracula, quæ non potuerunt non esse indubitatissima puritatis & integritatis illius indicia. Ergo Ecclesia Romana nunc fidem profitetur ex omni parte puram & integram. Ergo nunc est vera Christi Ecclesia. Hæc consequentia omninò valet contra sectarios, qui dicunt Ecclesiam Romanam desiisse esse veram Ecclesiam, quia contendunt eam à vera fide defecisse.

ARTICULUS V.

Utrùm de fide sit hanc numero Ecclesiam Romanam, cui nunc præest Innocentius XIII. esse veram Christi Ecclesiam.

Responsio I.

POssumus fide divina credere hanc numero Ecclesiam Romanam, &c. esse veram Christi Ecclesiam.

Prob. Possumus fide divina credere illud omne, cui possumus adhærere assensu super omnia firmo, propter revelationem olim à Deo factam: omnis enim actus, quo alicui veritati adhæremus super omnia propter divinam revelationem credibiliter propositam, est fides divina. Atqui huic veritati. Hæc numero Ecclesia Romana, &c. est vera Christi Ecclesia, adhærere possumus assensu super omnia firmo propter revelationem olim à Deo factam. Ergo possumus fide divina credere hanc numero, &c.

Prob. min. Possumus propter revelationem olim à Deo factam adhærere super omnia veritati cuilibet, necessariam & evidentem connexionem habenti cum illa revelatione: hoc enim habet motivum quodlibet, ut possit movere ad assensum sibi proportionatum veritatis cujuslibet, evidenter, & necessariò connexæ cum veritate illius. Atqui hæc veritas, Hæc numero Ecclesia Romana, &c. est vera Christi Ecclesia, necessariam & evidentem habet connexionem cum veritate revelationis olim à Deo factæ. Ergo huic veritati, Hæc numero Ecclesia, &c. adhærere possumus assensu super omnia firmo propter revelationem olim à Deo factam.

Prob. min. Nam 1. Deus olim revelavit Ecclesiam Christi visibilem fore perpetuam. Atqui evidens est veritatem hujus revelationis necessariò connexam esse cum hac veritate, Hæc numero Ecclesia, &c. Cùm enim evidens sit, hanc numero Ecclesiam Romanam, cui præest Innocentius XIII. eamque solam ex omnibus sectis christianis, quæ nunc existunt, habere characteres omnes veræ Ecclesiæ, evidens est necesse esse, ut vel sit vera Christi Ecclesia, vel nulla sit nunc

vera

vera Christi Ecclesia, & ita Deus falsum revelaverit, revelando Ecclesiam Christi visibilem fore perpetuam.

2. Deus olim revelavit Ecclesiam Christi visibilem, pro quocumque tempore existentem, eamque solam fore unam, sanctam, catholicam, & apostolicam. Atqui pariter evidens est veritatem hujus revelationis necessariò connexam esse cum hac veritate, Hæc numero Ecclesia Romana, &c. est vera Christi Ecclesia: cùm enim evidens sit hanc numero Ecclesiam Romanam, quam regit Innocentius XIII. eamque solam, esse unam, sanctam, catholicam, & apostolicam; evidens est, aut eam esse veram Christi Ecclesiam, aut Deum falsum revelasse, revelando veram Christi Ecclesiam, pro quocumque tempore existentem, eamque solam, fore unam, sanctam, &c. Ergo, &c.

Dices. Quod Deus non revelavit, non potest credi fide divina. Sed Deus non revelavit hanc numero Ecclesiam Romanam, quæ subest Innocentio XIII. esse veram Christi Ecclesiam. Ergo fide divina credi non potest hanc numero Ecclesiam Romanam, &c. *Resp.* Deum non quidem revelasse formaliter & explicitè hanc numero Ecclesiam Romanam, &c. esse veram Christi Ecclesiam, sed, quod ad actum fidei divinæ sufficit, revelasse æquivalenter: qui enim dixit Ecclesiam Christi visibilem fore perpetuam, eamque & quidem solam fore unam, sanctam, catholicam, & apostolicam, æquivalenter dixit, & hanc, & istam, & illam numero Ecclesiam Romanam pro ea temporis differentia pro qua existit, esse veram Christi Ecclesiam.

Amplius. Qui revelavit Ecclesiam Christi visibilem fore perpetuam, unam, sanctam, catholicam & apostolicam, hoc ipso æquivalenter revelavit pro omni differentia temporis eam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, quæ est una, sancta, catholica, & apostolica. Et qui æquivalenter revelavit pro omni differentia temporis eam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, quæ est, &c. hoc ipso æquivalenter revelavit, & hanc, & istam, & illam numero Ecclesiam, quæ est una, sancta, catholica, & apostolica, pro ea temporis differentia pro qua existit, æquivalenter, inquam, revelavit, pro ea temporis differentia, pro qua existit, veram Christi Ecclesiam esse. Deus igitur æquivalenter revelavit hanc numero Ecclesiam Romanam, quæ nunc regitur ab Innocentio XIII. & est una, sancta, catholica, & apostolica, esse veram Christi Ecclesiam.

Responsio II.

Non solùm possumus, sed etiam tenemur fide divina credere hanc numero Ecclesiam, quæ ab Innocentio XIII. regitur, esse veram Christi Ecclesiam.

Prob. 1. Patres censuerunt Ecclesiam illam, quam videbant habere suo tempore prærogativas illas, quas in nostra Ecclesia hoc tempore agnoscimus, fide divina tenendam esse ut veram Christi Ecclesiam; & eos qui eam ut talem agnoscere recusarunt, detestati sunt ut hæreticos. Ergo similiter Ecclesia nostra fide divina tenenda est ut vera Christi Ecclesia; & qui eam ut talem agnoscere recusant, ut hæretici habendi sunt: non enim potior est aliqua ratio pro Ecclesia illa, in qua vixerunt Patres, quàm pro nostra; & nostra Ecclesia est una & eadem continuatione, seu est una & eadem moraliter Ecclesia cum illa. Ergo quòd hæc numero Ecclesia quæ, &c. sit vera Ecclesia, est unus è nostris fidei articulis, adeòque de fide est non solùm quoad potentiam, sed etiam quoad obligationem credendi.

Prob. 2. Tenemur fide divina positivè credere primarios fidei nostræ articulos. Atqui quòd hæc numero Ecclesia, quam nunc regit Innocentius XIII. sit vera Christi Ecclesia, est unus è primariis fidei nostræ articulis: nam est unus ex articulis contentis in Symbolo, ubi dicitur: *Et in unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*; quibus verbis ad credendum ut veram Ecclesiam proponitur, non Ecclesia abstractè, confusè & generaliter, sed Ecclesia, quam ingredi, in qua manere, quam audire, cui obedire debemus, adeòque hæc numero Ecclesia, quam videmus, & quæ est una, sancta, catholica, & apostolica. Ergo, &c.

Obj. Si de fide est Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, de fide est aliquos, qui nunc sunt in Romana Ecclesia, habere fidem internam. Falsum cons. Ergo, &c.

Prob. seq. maj. Quia fieri non potest, ut omnia membra veræ Ecclesiæ careant fide interna. *Resp.* neg. min. Nam reverà de fide est, aliquos saltem ex iis, qui nunc sunt in Ecclesia Romana, habere fidem internam; quamvis de fide non sit, hos vel illos determinatè fidem internam habere: sicut de fide est, aliquos ex iis, qui nunc sunt in Ecclesia Romana, esse justos, item aliquos esse prædestinatos; quamvis non sit de fide, hos vel illos determinatè justos esse, hos vel illos determinatè esse prædestinatos.

Quæres. Utrùm salus æterna obtineri possit extra Ecclesiam Romanam?

Resp. Non posse. Nam nemo salvari potest extra veram Ecclesiam. Atqui Ecclesia Romana, eaque sola, est vera Ecclesia. Ergo, &c. Minor superiùs demonstrata est. *Prob. maj.* Ex SS. Patribus, pro quibus omnibus sint S. Cyprianus lib. de unit. Eccles. ubi sic loquitur: *Hæc* (vera Ecclesia) *nos Deo servat, hæc filios regno, quos generavit, adsignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur: Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere, qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.* Et S. Augustinus lib. de unit. Eccles. contra Donatistas cap. 16. ubi sic ait: *Ad ipsam verò salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.*

Articulus VI.

De notis, quibus volunt sectarii discerni veram Christi Ecclesiam.

Nota. Septem notas veræ Ecclesiæ proponit Lutherus in libro de Conciliis & Ecclesia, videlicet veram & incorruptam prædicationem Evangelii, legitimam Baptismi administrationem, legitimum usum Eucharistiæ, legitimum usum clavium, legitimam electionem ministrorum, qui doceant, & sacramenta administrent, orationem publicam, psalmodiam & catechismum, sed linguâ vulgari; mysterium Crucis, seu tribulationes intùs & extra; ita ut intùs sit mœstitia, foris paupertas, contemptus, & habeantur ab hæreticis hæretici, cacodæmones, &c. Duas tantùm ponunt Brentius & Calvinus, sed quibus quinque priores Lutheri continentur, nempe sinceram fidei doctrinam, & legitimum usum sacramentorum. His duabus notis duas alias annumerant Centuriatores, constantiam scil. in confessione fidei, seu perseverantiam; & obedientiam erga ministros verbi quatenùs verbum ipsum administrant.

Nota iterum. Apparet sectarios, ad discernendam veram Ecclesiam ex iis quæ in Symbolo Constantinopolitano habentur, notis, nullam recipere, adeòque nullam recipere ex iis notis, quibus potissimùm vera Christi Ecclesia sese semper ab omnibus aliis sectis discrevit. Quo facto, velint, nolint, confitentur, notarum illarum nullam sectæ suæ convenire, & ita convincuntur apud se nec habere, nec habere posse veram Christi Ecclesiam; nec tam de vera Christi Ecclesia discernenda, quàm de ea qualicumque modo ad se trahenda laborare, ne scilic. appareant,

reant, quod reverà sunt, hæretici, atque à corpore Christi, quod est Ecclesia, separati velut membra mortua & putrida. Sed contra illos sit

PROPOSITIO I.

Legitimus usus sacramentorum nec est, nec potest esse nota veræ Ecclesiæ.

Prob. Ad notam veræ Ecclesiæ tria saltem requiruntur, videlicet ut sit propria veræ Ecclesiæ, & illi soli conveniat; ut sit notior, & ad cognoscendum facilior, quàm ipsa vera Ecclesia; ut talis sit, qualem sibi sectæ aliæ facilè, & impunè non possint arrogare. Atqui legitimus usus sacramentorum non habet has conditiones, imò nullam ex eis habet. Ergo, &c.

Major facilè ostenditur. Nam quod non est proprium veræ Ecclesiæ, nec illi soli convenit, ad eam ab aliis omnibus sectis discernendam valere non potest. Item quod obscurius, & ad discernendum difficiliùs est, quàm vera Ecclesia, satis ineptè adhibetur ad cognoscendam veram Ecclesiam, nec ipsum veræ Ecclesiæ, sed potiùs vera Ecclesia ipsius nota dici debet. Item hoc ipso quòd aliquid tale est, ut illud sibi facilè & impunè arrogare possint aliæ sectæ, hoc ipso, inquam, ad veram Ecclesiam probandam insufficiens esse manifestum est.

Prob. itaque min. per partes. Et 1. quidem, legitimus usus sacramentorum non est quid ita proprium veræ Ecclesiæ, ut illi soli conveniat. Non convenit puris schismaticis, qui tamen non sunt de vera Ecclesia. Item convenit aliquibus hæreticis, iis scilicet, qui circa sacramentorum usum non errant. Tales fuerunt Pelagiani, qui etiam, secundùm Lutheranos & Calvinistas, hæretici fuerunt, & tamen sincerè tractarunt omnia sacramenta: nihil enim in hac parte in eis unquam reprehenderunt Patres, Concilia, & Summi Pontifices. At hæretici omnes sunt extra veram Ecclesiam, adeòque extra veram Ecclesiam potest esse legitimus usus sacramentorum. E contrà in ipsa vera Ecclesia, non quidem totaliter, sed partialiter sumpta, potest esse usus aliquorum sacramentorum illegitimus, ut patet ex Africana Ecclesia, quæ tempore S. Cypriani non purè & sincerè tractavit sacramentum Baptismi, nec tamen idcircò desiit esse pars universalis Ecclesiæ, quia nec idcircò se ipsam separavit, ut ex verbis S. Cypriani probat S. Augustinus lib. 6. de Baptismo c. 7. nec idcircò aliunde separata fuerit.

2. Usus legitimus sacramentorum non est notior, quàm vera Ecclesia, sed econtrà vera Ecclesia notior est, quàm legitimus usus sacramentorum. Imò quis sit usus sacramentorum legitimus, innotescere nobis non potest nisi per veram Ecclesiam. Unde vel oportet per notas alias à nobis priùs & faciliùs veram Ecclesiam cognosci posse; vel possibile non est, à nobis certò cognosci quis sit legitimus sacramentorum usus. Et verò legitimum sacramentorum usum certò cognoscere non possumus, nisi per Scripturas divinas, & apostolicas traditiones, priùs certò cognitas; & quænam sint Scripturæ verè divinæ, & traditiones verè apostolicæ, certò cognoscere non possumus, nisi per veram Ecclesiam.

3. Legitimum sacramentorum usum arrogant sibi hæretici omnes, & impunè sibi arrogant, nisi contra illos adhibeatur authoritas veræ Ecclesiæ, priùs aliunde certò cognitæ, per characteres scilicet illos, quibus eam Patres & Symbola discernunt, & à quibus tantoperè abhorrent Lutherani, & Calvinistæ, quia per eos veram Ecclesiam apud se non habere convincuntur. Hinc Anabaptistæ, quos etiam Lutherani & Calvinistæ execrantur ut hæreticos, habere se legitimum sacramentorum usum mentientes, convinci nullatenùs possunt à Lutheranis & Calvinistis. Et verò cùm Lutherani & Calvinistæ dicunt apud se, non apud Anabaptistas, esse veram Scripturæ intelligentiam, adeòque apud se, non apud Anabaptistas, esse legitimum usum sacramentorum; pari jure Anabaptistæ dicunt apud se, non apud Lutheranos & Calvinistas, esse veram Scripturæ intelligentiam, &c. Et cùm Lutherani & Calvinistæ ulteriùs Anabaptistis opponunt internam suam persuasionem, pari jure internam suam persuasionem Lutheranis & Calvinistis opponunt Anabaptistæ.

PROPOSITIO II.

Sincera fidei doctrina nec est, nec potest esse nota veræ Ecclesiæ.

Prob. Cùm sectarii dicunt sinceram fidei doctrinam esse notam veræ Ecclesiæ, vel hoc intelligunt de sincera fidei doctrina, secundùm aliquam sui partem tantùm sumpta, vel hoc intelligunt de sincera fidei doctrina universa; hoc est, vel sinceram ex aliqua sui parte doctrinam fidei, vel saltem sinceram ex omni parte assignant, ut notam veræ Ecclesiæ. Atqui sincera fidei doctrina neque primo, neque secundo modo sumpta, est aut potest esse veræ Ecclesiæ nota. Ergo, &c.

Prob. 1. *part. min.* Nempe quòd doctrina fidei ex aliqua sui tantùm parte incorrupta, nec sit, nec possit esse nota veræ Ecclesiæ. Illud nec est, nec potest esse nota veræ Ecclesiæ, per quod vera Ecclesia discerni non potest ab aliis sectis. Atqui vera Ecclesia ab aliis sectis discerni non potest per doctrinam fidei ex aliqua sui parte incorruptam. Ergo, &c. Major patet ex terminis. *Prob. min.* Per illud vera Ecclesia ab aliis sectis discerni non potest, quod illi commune est cum sectis aliis omnibus. Atqui habere doctrinam fidei ex aliqua sui parte incorruptam, veræ Ecclesiæ commune est cum sectis aliis omnibus. Ergo, &c. Major patet ex terminis. Minor est etiam evidens, ex eo quòd nulli sunt hæretici, qui non teneant aliqua vera fidei dogmata.

Confirmatur. Quia si habere doctrinam fidei ex aliqua sui parte sinceram, est nota veræ Ecclesiæ, ubicumque est doctrina fidei ex aliqua sui parte sincera, ibi est vera Ecclesia, ut patet ex terminis; atque ita vera Ecclesia est apud omnes hæreticos; cùm nulli sint hæretici, apud quos non sit doctrina fidei ex aliqua sui parte sincera. Atqui secundùm Scripturam & Patres, manifesti hæretici omnes sunt extra veram Ecclesiam. Audiamus hac de re unum Augustinum lib. 18. de Civit. cap. 51. *Qui*, inquit, *in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si corrupti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt: hæretici fiunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis.* Juxta S. Doctorem igitur, hæretici omnes, etiam ii qui vel unicum perversum dogma tenent, sunt extra veram Christi Ecclesiam.

Prob. 2. *pars.* Nempe quòd doctrina fidei ex omni parte incorrupta, nec sit, nec possit esse nota veræ Ecclesiæ. Nota veræ Ecclesiæ debet esse accommodata omni generi & conditioni hominum. Atqui talis non est doctrina fidei ex omni parte incorrupta. Ergo, &c. Major certa est: cùm enim omnes, ut salutem assequantur, teneantur ingredi veram Ecclesiam, si in ea nondùm sunt, vel in ea permanere, si jam in ea sunt, debent omnes posse moraliter & humanitùs attingere notas, quibus discernitur à sectis aliis omnibus, quæ se christianas nuncupant, & apud se veram Christi Ecclesiam esse mentiuntur. Minor verò nonnisi inverecundè negari potest: quis enim, nisi omnes verecundiæ fines præterierit, dixerit omne genus hominum, rusticos scilicet, mulierculas, opifices, & illitteratos quosque, moraliter & humanitùs posse discernere ubi sit doctrina fidei ex omni parte incorrupta, pervidendo scilicet omnes omninò sinceræ doctrinæ fidei partes? Certè, ut satis docet experientia, sic omnes sinceræ doctrinæ fidei partes pervidere, vix, ac ne vix quidem possunt doctores eximii, postquam totum fermè vitæ tempus in doctrinæ christianæ studio posuerunt. Prætereà, ut quis omnes sinceræ doctrinæ

ctrinæ fidei partes pervidere possit, debet saltem Scripturas omnes divinas à non divinis, omnesque omnium Scripturarum divinarum sensus genuinos ab adulterinis posse discernere. At quòd hoc moraliter & humanitùs possint rustici, opifices, mulierculæ, & illitterati, quique, asserere summæ impudentiæ est & insaniæ.

Confirm. 1. Si doctrina fidei ex omni parte incorrupta, est nota veræ Ecclesiæ, vera Ecclesia non potest certò cognosci, nisi per doctrinam fidei ex omni parte incorruptam, priùs certò cognitam. Falsum & absurdum cons. Nam si vera Ecclesia non potest certò cognosci, nisi per doctrinam fidei, &c. vel non accepit munus docendi, quod apertè repugnat Scripturis divinis; vel planè inutiliter accepit: non enim potest docere nisi eos, à quibus certò cognoscitur, adeòque si non certò cognoscitur, nisi per doctrinam fidei, &c. non potest docere nisi eos, qui jam aliunde omnes omninò sinceræ doctrinæ fidei partes perviderunt, quique proinde ejus doctrina minimè indigent.

Confir. 2. Nota veræ Ecclesiæ debet esse ad cognoscendum facilior, quàm vera Ecclesia: eatenùs enim una res rectè dicitur esse nota alterius, quatenùs faciliùs cognita nos ducit in notitiam alterius, quæ abstrusior est, & cognitu difficilior. Atqui doctrina fidei ex omni parte incorrupta, non facilior est, sed longè difficilior ad cognoscendum, quàm vera Ecclesia: longè enim facilius est illam hominum societatem, cui omnes veræ Ecclesiæ characteres in Scriptura expressi conveniunt, dignoscere, quàm omnes omninò sinceræ doctrinæ fidei partes pervidere, ut per se clarum est. Ergo doctrina fidei ex omni parte incorrupta, malè & ineptè assignatur pro nota veræ Ecclesiæ.

Confirm. 3. Illud malè & ineptè assignatur pro nota veræ Ecclesiæ, quod nobis certò innotescere non potest, nisi per veram Ecclesiam, aliunde certò cogniram, ut patet ex terminis. Atqui doctrina fidei sincera universa nonnisi per veram Ecclesiam nobis certò innotescere potest. Ergo, &c.

Prob. min. 1. Ex S. Irenæo lib. 3. cap. 4. ubi sic ait: *Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia quæ sint veritatis: uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ ... Quid enim? & si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonnè oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est?* 2. Ex Tertull. lib. de præscript. c. 21. ubi sic loquitur: *Quid autem* (Apostoli) *prædicaverint ... & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea.* Ex S. Augustino in Psal. 57. *In ventre*, inquit, *Ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est ut falsa loquatur. Necesse est, inquam, ut falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.*

Igitur juxta S. Irenæum, vera Ecclesia est sinceræ doctrinæ fidei depositaria. At depositum nonnisi per depositarium ostendi potest. Item, juxta S. Augustinum, sincera fidei doctrina latet in sinu veræ Ecclesiæ recondita. At quod in sinu veræ Ecclesiæ reconditum latet, non potest nisi per veram Ecclesiam certò innotescere. Ergo, &c. Ratio à priori, quam suggerit Tertullianus loco citato, est quia sincera fidei doctrina non potest certò cognosci, nisi certò cognoscantur traditiones veræ, & veræ Scripturæ divinæ, cum suis veris sensibus. Atqui hæc omnia non possunt certò cognosci nisi per veram Ecclesiam, quæ idcircò dicitur magistra veritatis, columna & firmamentum veritatis, &c. Ergo, &c.

Porrò non hìc immorabimur in refellendis notis aliis, quibus veram Ecclesiam discerni posse volunt sectarii; quia vel in duabus refutatis comprehenduntur, vel veræ Ecclesiæ communes sunt cum omnibus aliis sectis, quæ se christianas nuncupant.

Obj. Tenere doctrinam fidei ex omni parte puram & integram, est prærogativa veræ Ecclesiæ. Ergo doctrina fidei ex omni parte pura & integra potest esse, & est nota veræ Ecclesiæ. *Resp.* neg. cons. Non enim aliquid esse est nota veræ Ecclesiæ hoc ipso præcisè quòd est veræ Ecclesiæ prærogativa; quia potest aliquid esse veræ Ecclesiæ prærogativa, & tamen non habere conditiones requisitas ad notam veræ Ecclesiæ. Una autem harum conditionum est, quòd prærogativa veræ Ecclesiæ sit ad cognoscendum facilior, quàm ipsa vera Ecclesia: nam si vera Ecclesia in ratione scilicet veræ Ecclesiæ, ad cognoscendum facilior est, quàm illa prærogativa, non illa prærogativa veræ Ecclesiæ, sed vera Ecclesia prærogativæ illius nota est. At doctrina fidei ex omni parte pura & integra, non est ad cognoscendum facilior, sed longè difficilior, quàm vera Ecclesia in ratione veræ Ecclesiæ. Ergo vera Ecclesia doctrinæ fidei ex omni parte puræ & integræ, non doctrina fidei ex omni parte pura & integra veræ Ecclesiæ est nota.

Confirmatur & illustratur hæc doctrina. Quòd vera Ecclesia sit Ecclesia, extra quam nemo salvari potest, tam est proprietas illius quarto modo, quàm quòd sit Ecclesia, in qua tenetur & prædicatur doctrina fidei ex omni parte pura & integra; & tamen vera Ecclesia in ratione Ecclesiæ, extra quam nemo salvatur, nec est, nec potest esse nota sui ipsius in ratione veræ Ecclesiæ. Ratio est, quia vera Ecclesia in ratione Ecclesiæ, extra quam nemo salvatur, non est notior, sed obscurior se ipsa in ratione veræ Ecclesiæ: unde non scimus hunc cœtum hominum esse veram Ecclesiam, quia scimus illum esse Ecclesiam, extra quam nemo salvatur; sed scimus hunc cœtum hominum esse Ecclesiam, extra quam nemo salvatur, quia scimus illum esse veram Ecclesiam; & profectò decideret, qui quærenti quo certo indicio agnosci possit vera Ecclesia, responderet agnosci posse & debere ex eo quòd extra illam nemo salvetur.

Quod autem hìc dicimus de vera Ecclesia sub ratione Ecclesiæ, extra quam nemo salvatur, pariter dicendum est de vera Ecclesia sub ratione tenentis & prædicantis doctrinam fidei ex omni parte puram & integram: cùm non magis sub una ratione, quàm sub altera facilis sit ad cognoscendum, nec magis sub una ratione, quàm sub alia possit ducere in certam notitiam sui ut veræ Ecclesiæ.

Obj. SS. Patres pro nota veræ Ecclesiæ assignant Scripturas. Sed hoc est, pro nota veræ Ecclesiæ assignare doctrinam fidei ex omni parte integram. Ergo, &c. *R.* Omissa minore, quæ falsò supponit universam fidei doctrinam in Scripturis divinis contineri, neg. maj. Nam si Patres pro nota veræ Ecclesiæ assignant Scripturas divinas, vel quia volunt eam ostendi posse per hoc quòd Scripturas omnes divinas recipit, vel quia volunt eam ostendi posse per hoc quòd Scripturas divinas ubique rectè interpretatur. Neutrum autem unquam probabitur.

Porrò quamvis prærogativa sit veræ Ecclesiæ, quòd recipiat omnes Scripturas divinas, easque rectè interpretetur ubique, sub neutra tamen ratione potest esse nota sui ipsius sub ratione veræ Ecclesiæ. Ratio est, quia vera Ecclesia sub ratione veræ Ecclesiæ notior est se ipsa sub ratione recipientis omnes Scripturas divinas, & eas ubique rectè interpretantis. Imò vera Ecclesia non potest nobis innotescere sub ratione hac utraque, nisi priùs nobis innotescat sub ratione veræ Ecclesiæ: nec certò scimus aut scire possumus hunc cœtum hominum Scripturas omnes divinas recipere, easque ubique interpretari rectè, nisi quia certò scimus, aut scire possumus hunc cœtum hominum esse veram Ecclesiam, cujus prærogativa est, quòd Scripturas omnes divinas recipiat, easque rectè interpretetur ubique.

Patres itaque non Scripturas divinas assignant pro nota veræ Ecclesiæ, sed de ea disputantes contra hæreticos, volunt eam esse ab omnibus aliis sectis discernendam per certos characteres ei soli convenientes, eaque notiores, putà per hoc quòd sit perpetua, una, sancta,

sancta, ubique diffusa, & ab Apostolis fundata. Qui veræ Ecclesiæ characteres clarè exprimuntur in Scripturis illis, quas recipiunt hæretici, contra quos Patres disputant. Hanc veræ Ecclesiæ discernendæ viam, quam injerunt Patres, nos quoque inimus; & cùm eam ingredi nolunt hæretici, sese extra veram Ecclesiam vagari, manifestè ostendunt.

Obj. Notæ, quas assignant hæretici, si non separatim, saltem collectim sumptæ, sufficiunt ad ostendendam veram Ecclesiam. *Resp.* neg. Nam notæ illæ collectim sumptæ, faciunt totum partim ignotius ipsa vera Ecclesia, partim veræ Ecclesiæ commune cum aliis sectis. Talem autem collectionem ad ostendendam veram Ecclesiam prorsus ineptam esse nemo non videt.

DISPUTATIO VIII.

De Romano Pontifice, & Conciliis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Petrus à Christo primatum in universa Ecclesia acceperit.

NEgat Lutherus, & cum eo negant alii omnes sectarii, qui post eum adversùs Ecclesiam insurrexere. Affirmant verò catholici doctores omnes, quibus præeunt Patres omnes tam græci, quàm latini. Unde B. Petri primatus negari non potest sine manifesta, eaque pernicioſissima hæresi, quam refutabimus sequentibus paragraphis.

§. I.

Probatur B. Petri primatus ex verbis Christi Matth. cap. 16.

Matth. cap. 16. Christus Petrum divinitatem ejus apertè confessum, sic alloquitur: *Beatus es Simon Bar-jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Atqui Christus his verbis sub metaphora ædificii & fundamenti Petro in præmium confessionis ejus promittit primatum universæ Ecclesiæ: nam quod est fundamentum in ædificio, idest, caput in corpore, pater-familias in domo, rector in civitate, & rex in regno.

Confirm. Ex verbis Christi manifestum est, Ecclesiam incumbere Petro, sicut ædificium incumbit fundamento, seu Petrum præstare Ecclesiæ, quod fundamentum præstat ædificio. Atqui fundamentum regit & sustentat ædificium. Ergo Petrus regit & sustentat Ecclesiam. Sed, hoc est, habere Ecclesiæ primatum. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit Gregorius Magnus epistolarum lib. 4. c. 76. ubi sic ait: *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe ... dicitur:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Obj. Hoc loco per to *petram* malè intelligitur Petrus, sed intelligi debet Christus, vel fidei confessio, vel omnis homo fidelis. *Resp.* neg. Nam quòd intelligendus sit Petrus, satis superque constat ex Patribus: cùm omnes, unico fortasse excepto, Petrum intelligant, pro quo consuli possunt Bellarminus, & Valentia. Nobis hìc sufficiet ex latinis Tertull. lib. de præscript. cap. 22. ubi dicit: *Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?* Et ex græcis Gregorius Nazianz. orat. de moderatione in disputatione servanda, ubi hæc habet de Petro: *Vides quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat.*

Dices 1. Si Christus per petram Petrum intellexisset, non dixisset: *Tu es Petrus*, sed, *Tu es petra. Resp.* Christum, dixisse, *Tu es petra, & super hanc petram, &c.* Cùm enim syriacè loqueretur, dixit, *Tu es cephas, & super hoc cepha, &c.* Cephas autem syriaca lingua significat rupem seu petram durissimam.

At inquies. Si ita est, quare latinus interpres non vertit, *Tu es petra?* *Resp.* Non vertisse, quia non vertit ex syriaco, sed ex græco codice, & græcus codex habet: σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, &c. Sic autem vertit græcus interpres, quia græca lingua lapis æquè significatur per πέτρος & πέτρα, & interpreti commodius visum est homini nomen masculinum tribuere, & dicere, non σὺ εἶ πέτρα, sed σὺ εἶ πέτρος, noluit tamen vertere καὶ ἐπὶ σῷ πέτρῳ, sed vertit καὶ ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ad vitandam ambiguitatem. Hæc autem vox πέτρα, non aliud quàm lapidem durissimum significat; unde ambigua esse non potest.

Dicent. Origen. tract. 1. in Matth. exponens hæc verba, *Super hanc petram*, dicit petram esse eum omnem, qui Christi imitator est: *Nomen*, inquit, *ducunt à petra, quicumque sunt imitatores Christi, qui est petra spiritualis, comitans eos, qui salvi fiunt, ut ex ea bibant potum spiritualem.* Superiùs dixerat: *Petra est quisquis Christi discipulus .... & super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina.. In unoquoque enim perfecto .... à Deo ædificatur Ecclesia. Quòd si super unum illum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Joanne filio tonitrui, & Apostolorum unoquoque?* *R.* Originem hìc illud, *Super hanc petram*, non litteraliter, sed allegoricè interpretari de iis, qui discipuli sunt & imitatores Christi, cujus doctrina & gratia in proposito ipsum sequendi, & piè sanctèque vivendi confirmantur. At alibi, nempe hom. 5. in Exod. verba illa, *Super hanc petram*, litteraliter interpretans, ea de solo Petro intelligit: sic enim habet: *Vide magno illi Ecclesia fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino. Modica, inquit, fidei, quare dubitasti?*

Dices. S. Augustinus illud, *Super hanc petram*, censuit potiùs de Christo, quàm de Petro intelligendum esse, ut patet ex lib. 1. retract. cap. 21. ubi sic loquitur: *In hoc libro* (quem contra epistolam Donati scripserat) *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait:* Hoc ipsa petra, Ecclesia canente, culpam diluit. *Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse quod à Domino dictum est:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens:* Tu es Christus, Filius Dei vivi.

Resp. 1. S. Augustinum primam interpretationem sic anteponere alteri, ut hanc non contemnat, sed unicuique liberum relinquat alterutram assumere: nam paulò inferiùs sic prosequitur: *Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.*

2. S. Augustinum primam interpretationem alteri anteponere ex ignorantia linguæ syriacæ & græcæ: nam reddens rationem majoris suæ in primam interpretationem propensionis, sic ait ibidem: *Non enim dictum est illi* (Apostolo) *Tu es petra, sed, Tu es Petrus; petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.* Nesciebat igitur Christum dixisse, Tu es cephas, aut saltem to cephas syriacè rupem seu lapidem significare. Item nesciebat rupem seu lapidem æquè significari per hæc vocabula πέτρος & πέτρα.

3. Nihilominùs S. Doctorem agnovisse primatum B. Petri, ut patet v. g. ex lib. 2. de bapt. c. 1. ubi hæc leguntur: *Ecce ubi commemorat Cyprianus ... Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, &c.* Et inferiùs ista: *Quis enim nescit illum Apostolatus* (in Petro) *principatum*

cuili-

cuilibet episcopatui præferendum. His adde, quòd si nunc viveret S. Doctor, & videret versiculum illum S. Ambrosii, cujus ipse meminit, non ore multorum tantùm, sed ore omnium nunc cantari, proculdubio rejecta prima interpretatione, secundam incunctanter amplecteretur.

Dices. Nomine Petræ hìc intelligendam esse fidem, docent Patres; nam v. g. S. Chrysostomus homil. 55. in Matth. interpretans verba illa, *Et super hanc petram*, subjicit ista: *Idest, fidem atque confessionem*. *Resp.* Patres, cùm docent nomine petræ hìc intelligendam esse fidem & confessionem, fidem & confessionem sumunt non absolutè, sed relatè ad Petrum, cujus fides & confessio hìc laudantur à Christo; vel, quod eodem redit, sumunt abstractum pro concreto: unde per inde est ac si dicerent, nomine petræ intelligendum esse, non Petrum præcisè, sed Petrum rectè credentem, & fidem suam rectè profitentem; neque Ecclesiam fundatam esse in Petro præcisè, sed in Petro rectè credente, & rectè fidem suam profitente; quod verum est, & nos cum Patribus dicimus: Petrus enim eatenùs est fundamentum Ecclesiæ, quatenùs Ecclesiam sustentat; effectus enim fundamenti primarius est ædificium sustentare. Ecclesia autem sustentatur non à Petro præcisè, sed à Petro rectè credente, & fidem suam rectè profitente; & Petrus eatenùs sustentat Ecclesiam, quatenùs fratres suos seu fideles confirmat & continet in vera fide, quod facit rectè credendo, & fidem suam rectè profitendo.

§. II.

Primatus Petri probatur ex verbis Christi subsequentibus eod. c. 16. Matth.

Post verba §. 1. laudata, sic prosequitur Christus: *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. At nomine clavium intelligitur primatus, seu suprema potestas, ut patet 1. ex verbis subsequentib. *Quodcumque ligaveris, &c.* 2. Ex Isaia c. 22. ubi futura Eliacim in summum sacerdotium promotio sic exprimitur: *Dabo claves domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat*. 3. Ex Apocal. c. 3. ubi sic quoque exprimitur suprema Christi potestas: *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit*. Porrò verba Christi ad Petrum directa: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, & *Quodcumque ligaveris, &c.* manifestè æquivalent istis, Tibi dabo claves regni cœlorum: claudes, & nemo aperiet: aperies, & nemo claudet; & in eo tantùm ab illis discrepant, quòd clariora sunt, quia in eis non continuatur, sed explicatur metaphora clavium.

Obj. 1. Hæc Christi verba: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, non diriguntur ad personam Petri, sed ad Ecclesiam. *R.* Hoc esse falsum, ut manifestum est ex contextu. Cùm enim dicit Christus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, &c.* Nonne clarum est, hæc verba, *Tibi dabo claves, &c.* ad eum dirigi ad quem diriguntur illa, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*. Manifestè autem diriguntur ad personam Petri. Ergo, &c. Præterea, eidem dictum est: *Tibi dabo claves, &c.* cui paulò inferiùs dicitur: *Vade post me, satana*. Atqui non Ecclesiæ, sed Petro in propria persona dicitur, *Vade, &c.* Ergo non Ecclesiæ, sed Petro in propria persona dictum est, *Tibi dabo claves, &c.* Hoc argumentum suggerit S. Augustin. lib. 2. contra Gaudent. c. 22. ubi ait: *Nunquid melior est Razias quàm Petrus Apostolus, qui ubi dixit*, Tu es Christus Filius Dei vivi, *tam beatus à Domino appellatus est, ut claves regni cœlorum accipere mereretur: nec tamen ideò creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehensus audivit:* Vade post me satana. Et ante S. Augustinum S. Hilarius tract. in Psal. 131. n. 4. *Tanta ei* (Christo) *religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum Filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni janitorem, & in terreno judicio judicem cœli, Satanæ convici nuncuparet*.

Dices. Quando Christus dixit Petro, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, Petrus repræsentabat Ecclesiam. *R.* dist. Petrus repræsentabat Ecclesiam, sicut legatus repræsentat principem, cujus nomine, non suo, accipit claves civitatis, & accipiendo nihil sibi acquirit, sed acquirit soli principi, cujus gerit personam, & in cujus ditionem venit civitas, N. Petrus repræsentabat Ecclesiam, ut princeps verbi grat. repræsentat regnum, cui censetur promitti id, quod principi in publicam utilitatem, & regni administris communicandum promittitur, C.

Dices. Atqui tunc Petrum primo modo repræsentasse Ecclesiam, docet S. Augustin. tract. 50. in Joan. Nam ibi sic loquitur: *Si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claves regni cœlorum. Quæcumque solveris in terra, soluta erunt & in cœlo; & quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt & in cœlo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit... Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit*. *R.* neg. Itaque, juxta S. Doctorem, quando Dominus dixit Petro, *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Petrus repræsentabat quidem Ecclesiam, at non repræsentabat illam ut Legatus vel Vicarius, sed ut supremus illius pastor, & rector generalis futurus, ut evidenter ostenditur. 1. Ex tract. 124. qui est ultimus in eund. Joan. ubi legitur: *Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam*. 2. Ex enarratione 1. in Psal. 108. ubi dicitur: *Cujus* (Ecclesiæ) *ille* (Petrus) *agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulos habuit*.

Obj. 2. Christus, per hæc verba, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, nihil promisit Petro, quod non promiserit cæteris Apostolis. Ergo Christus, per hæc verba, *Tibi dabo, &c.* primatum minimè promisit. Neg. ant. *Prob.* Petrus, nomine omnium Apostolorum dixit, *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Ergo nomine omnium Apostolorum audivit, *Tibi dabo claves, &c.* Non enim hoc audivit, *Tibi dabo, &c.* Nisi quia illud dixit, *Tu es Christus, &c.* Nam Christus nonnisi ad remunerandam divinitatis suæ confessionem, claves regni cœlorum promisit. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Et dico Petrum Christo Apostolos, quem eum esse dicerent, interroganti, respondisse suo nomine, nec accepta ab aliis respondendi provincia, & cùm alii omnes adhuc ignorarent quid esset respondendum, neque ex humana deliberatione, sed ex revelatione & instinctu divino respondisse primum & solum. Petrus igitur in propria persona divinitatem Christi confessus est, & propter suam confessionem meruit à Christo in propria persona audire, *Tibi dabo claves*, atque ita in propria persona accepit promissionem clavium. Potest tamen aliquo sensu dici respondisse nomine omnium, quia caput erat & princeps cæterorum, & cæteri responsioni ejus silentio suo acquieverunt: quod non impedit, quominùs in propria persona, primus & solus responderit.

Dices. Quod Christus promittit, Matth. c. 16. per hæc verba, *Tibi dabo claves, &c.* dat, ejusd. Matth. c. 18. per ista alia: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Atqui hìc non soli Petro, sed omnibus Apostolis Christus dat potestatem ligandi & solvendi. Ergo illic, nempe Matth. c. 16. Christus non soli Petro, sed omnibus Apostolis in communi promittit potestatem illam; adeòque ipsi Petro nihil peculiare promittit. *Resp.* neg. maj. Nam Matth. c. 18. Christus nihil dat Apostolis, sed solùm promittit illis, & eorum successoribus amplissimam ligandi, & solvendi potestatem. Quòd autem tunc Christus Apostolis nihil dederit, manifestum est ex eo, quòd post verba illa à Christo prolata, Apostoli manserint adhuc diu homines privati, & nullam habuerint

eccle-

ecclesiasticam potestatem : non enim facti sunt sacerdotes, nisi in ultima cœna ; nec facti sunt pastores & episcopi, nisi post resurrectionem Domini.

§. III.

Primatus Petri probatur ex cap. 21. Joannis.

Joan. cap. 21. legitur : *Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei iterùm : Simon Joannis, diligis me ? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò : Simon Joannis, amas me ? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me ? Et dixit ei : Domine, tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas. Amen, amen, dico tibi, cùm esses junior, cingebas te, &c.* Atqui Christus per hæc verba : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, promittit Petro primatum & jurisdictionem in universam Ecclesiam. Ergo, &c.

Prob. subs. 1. enim hæc verba : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, diriguntur ad personam Petri : diriguntur enim ad eum cui dicitur : *Amas me ? Diligis me plus his ? Amen, amen dico tibi, cùm esses junior, &c.* Ista autem dici soli Petro, luce meridiana clarius est.

At inquies. Petrus ipse epist. 1. c. 5. hortatur conseniores ad pascendum gregem Dei. Ergo non soli Petro, sed omnibus Ecclesiæ prælatis dictum est : *Pasce oves meas. Resp.* Petrum conseniores hortari, ut pascant gregem Dei non universalem, sed particularem sibi commissum : *Pascite*, inquit, *qui in vobis est, gregem Dei.* Unde neg. cons.

At inquies iterùm. S. Augustinus lib. de agone Christiano cap. 30. dicit expressè illud : *Amas me ? Pasce oves meas*, non soli Petro, sed omnibus Ecclesiæ pastoribus dictum esse : *Non sine causa*, inquit, *inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus : huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt ; & cùm ei dicitur*, Amas me ? Pasce oves meas. *Resp.* Juxta mentem S. Doctoris, Petrum Ecclesiæ personam sustinuisse, non ut legatum ejus, vel vicarium, sed ut principem illius, & supremum moderatorem, adeòque, juxta S. Doctorem, cùm Petro dictum est, *Amas me ? Pasce oves meas*, Petrum omnes alios Ecclesiæ pastores repræsentasse, non ut eorum legatum vel vicarium, sed ut Ecclesiæ universæ principem & pastorem supremum, à quo in partem sollicitudinis vocari possent & deberent. Unde juxta S. Augustinum, illud, *Amas me ? Pasce oves meas*, primò & principaliter dictum est Petro in propria persona, secundariò verò omnibus aliis Ecclesiæ pastoribus in persona Petri, tanquam principis & pastoris supremi illos repræsentantis, & accipientis pascendi gregis Christi potestatem, non qua solus uti, sed quam aliis communicare posset & deberet.

2. Per to pascere, Christus intellexit præesse & regere. Cùm enim Christus ait : *Pasce oves meas*, perinde est ac si diceret : Pastor esto ovium mearum. At pastoris est non solùm ovibus pabula præbere, sed etiam eas ducere & reducere, eas tueri, & baculo castigare. *Breviter*, qui pastorem agit, ovibus præest, easque regit. Unde Evangelista usus est voce quæ græca lingua significat pascere præsidendo : ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Hoc igitur verbo, *Pasce*, Christus instituit principatum ecclesiasticum, & confert authoritatem regendi Ecclesiam, simulque præcipit ei, cui authoritatem illam confert, ut Ecclesiæ præsit ; & quia præesse & subesse correlativa sunt, simul quoque & indivisibiliter præcipit Ecclesiæ, ut subsit illi, cui præsidendi præceptum imponitur.

Dices. Pascere nihil aliud est, quàm cibos ministrare, quod inferioris officium est, non superioris. Ergo Christus per hoc verbum, *Pasce*, nullam authoritatem tribuit, adeòque per hoc verbum, *Pasce*, principatum ecclesiasticum instituisse, gratis dicitur. *R.* neg. ant. Itaque pascere, propriè loquendo, non est præcisè cibum ministrare : nam servi dominis suis cibos ministrant, nec tamen propriè dicuntur pascere dominos suos : sed è contra à dominis suis pasci dicuntur, quia aluntur sumptibus dominorum suorum. Unde pascere, propriè loquendo, est cibum procurare & providere. Providere autem superioris est, non inferioris ; adeòque pascere, propriè loquendo, non inferioris, sed superioris officium est.

3. Christus per illud, *oves meas*, significat universam Ecclesiam : cùm enim Christus dicit Petro, *Pasce oves meas*, commendat illi oves omnes, ad quas extenditur pronomen *meas*. Extenditur autem ad omnes qui sunt in Ecclesia, nullo excepto : nam nullus omninò est in Ecclesia, qui ovem Christi se esse non glorietur. Ergo cum Christus dicit Petro, *Pasce oves meas*, commendat illi omnes qui sunt in Ecclesia, nullo excepto. Ergo, quod idem est, commendat illi universam Ecclesiam, adeòque per illud, *oves meas*, universam Ecclesiam intelligit.

Dices. Jure divino jurisdictio ecclesiastica divisa fuit inter Petrum & Paulum, ut patet ex Galat. c. 2. ubi Paulus dicit : *Cùm vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis, &c.* Ergo falsum est quòd Christus per illud, *Pasce oves meas*, Petro contulerit authoritatem regendi universam Ecclesiam. *Resp.* neg. ant. Nam Paulus verbis laudatis nihil aliud significat, quàm se principaliter destinatum esse ad prædicandum gentibus : sic Petrus principaliter destinatus erat ad prædicandum Judæis.

Nota. 1. Apostoli omnes omnibus hominibus prædicare jure divino potuerunt. Inter Apostolos tamen distributæ fuerunt provinciæ, ut sic Evangelium toto Orbe & faciliùs & celeriùs prædicaretur. 2. Et ita Paulus sic fuit principaliter destinatus ad prædicandum gentibus, ut etiam Judæis prædicare potuerit, quod re ipsa fecit, imò solebat Judæis priùs prædicare, quàm gentibus, nec ad gentes se convertere, nisi postquam repulsam passus erat à Judæis. Similiter Petrus ita ad prædicandum Judæis destinatus fuit principaliter, ut potuerit etiam gentibus prædicare, & ad id se destinatum fuisse, expressè dicit Act. c. 15. *Scitis*, inquit, *quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.* Et quòd re ipsa gentilibus & quidem primus prædicaverit, constat ex Act. cap. 10. ubi narratur Cornelii Centurionis ad fidem conversio.

§. IV.

Primatus Petri probatur ex Patribus græcis & latinis.

Primatum universæ Ecclesiæ Petro datum esse, tenent magna inter se consensione Patres tum græci, tum latini. Brevitatis causa hìc pro Græcis unus erit Chrysostomus. Hom. 55. ad hæc Christi verba : *Quæcumque ligaveris super terram, &c.* sic ait : *Quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilic. remissionem, & ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus pastor & caput piscator homo atque ignobilis, terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur* (Christus) *daturum.* Et pro Latinis unus Augustinus serm. 13. de verbis Domini. *Idem ergo*, inquit, *Petrus à petra, cognominatus Beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens, continuò post, &c.*

Obj. S. Cyprianus lib. de unitat. Eccles. docet cæteros Apostolos Petro pares fuisse honore & potestate : *Hoc*, inquit, *erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* Ergo juxta S. Cyprianum, Petrus fuit tantùm inter Apostolos ut primus inter pares, adeòque non accepit primatum Ecclesiæ cum certa scilicet præeminentia, vi cujus cæteris Apostolis superior extiterit, eique cæteri Apostoli cum membris aliis omnibus Ecclesiæ subjecti fuerint.

Resp. 1. S. Cyprianum agnovisse in Petro primatum, quo superior extitit cæteris Apostolis, eique subjecti fuerunt cæteri Apostoli cum aliis fidelibus omnibus,

ut probari potest multis ex locis, & hìc probatur ex epist. ad Quintum, ubi sic loquitur S. Martyr: *Nec Petrus quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione disceptaret, postmodum vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs debere.* Quibus verbis expressè asserit Petrum esse fundamentum Ecclesiæ. Petrum autem esse fundamentum Ecclesiæ, aliud non est, quàm Petrum esse Ecclesiæ rectorem, & pastorem supremum. Et idcircò Petrum impensè commendat, quòd Paulo ipsum reprehendenti, & verum dicenti, humiliter consenserit; quamvis ipse primatum cum tanta super cæteros præminentia teneret, utpotè Ecclesiæ universæ pastor & rector supremus; neque illum suum primatum obtendens, dixerit ab aliis se non corrigi, sed potiùs sibi obtemperari debere. Hanc fuisse S. Martyris mentem patet ex S. Augustino lib. 2. de bapt. cap. 1. ubi recitato hoc loco, sic ait: *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter, &c.*

Resp. itaque 2. Juxta S. Cyprianum, & alios Patres, cæteros Apostolos honore & potestate pares fuisse Petro in aliquo sensu, sed simul impares & inferiores fuisse. Fuerunt quidem pares honore, quatenùs tam immediatè à Christo ad apostolatum promoti fuerunt, & ab eo tam immediatè missionem suam acceperunt, quàm ipse Petrus. Item fuerunt pares potestate, quia eandem ligandi & solvendi potestatem acceperunt, illamque non in una aut altera tantùm Orbis parte, sed ubique terrarum cum omnibus aliis ecclesiasticis muniis legitimè exercere potuerunt. At simul inferiores fuerunt quantùm ad duo. Et 1. quidem, quia Petrus jurisdictionem in universam Ecclesiam accepit, ut ordinariam, & usque ad Mundi consummationem duraturam, adeòque ad omnes ejus successores usque ad finem Mundi transituram: cæteri verò Apostoli jurisdictionem illam acceperunt tantùm ut extraordinariam, & quasi delegatam: unde successores eorum Episcopi non habent eandem jurisdictionis amplitudinem; & jurisdictionem quam habent, exercere non possunt nisi in suis diœcesibus. 2. Quia Petrus constitutus fuit à Christo, ut post ipsum esset fundamentum & caput Ecclesiæ, atque ovilis dominici pastor. Unde sequitur Petrum fuisse fundamentum, caput, & pastorem cæterorum Apostolorum; cùm tam fuerint de Ecclesia & de ovibus Christi, quàm alii fideles.

§. V.

Solvuntur objectiones reliquæ.

Obj. 1. Solus Christus dici potest Petra seu fundamentum Ecclesiæ. Ergo, &c. *Probabis ant.* Ex Apostolo 1. Cor. cap. 3. *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Resp.* Duplex distinguenda est petra ædificium Ecclesiæ sustentans; una scil. primaria ac principalis, quæ nulli alteri innitiatur, sed se ipsa subsistit, & cui omnia quæ ad ædificium Ecclesiæ pertinent, innituntur, ab eaque sustentantur; altera verò secundaria, & minùs principalis, sed post Christum præcipua, quæ se ipsa non subsistit, sed sustentatur à Christo, cui innititur; sic tamen, ut reliqua omnia quæ pertinent ad Ecclesiæ ædificium, ac proinde & ipsos Apostolos sustentet. Solus Christus dici potest & est petra primo modo, & hoc dicit Apostolus loco laudato; quod non impedit, quominùs Petrus dici possit & sit Petra secundo modo, juxtà promissionem Christi dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Obj. 2. Cæteri Apostoli tam fuerunt fundamenta Ecclesiæ, quàm Petrus ipse, juxta illud Ephes. cap. 2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum. Resp.* Omnes quidem Apostolos fuisse fundamenta secundaria Ecclesiæ, sed non fuisse omnes ex æquo; nam inter fundamenta illa unum fuit præcipuum, & Christo proximum, quod à Christo velut fundamento totius ædificii Ecclesiæ primario & principali sustentatum, reliqua omnia ad illud ædificium pertinentia, adeòque cætera illius fundamenta sustentabat. Hoc autem inter fundamenta Ecclesiæ secundaria præcipuum & Christo proximum, fuit Petrus, & est in suis successoribus. Unde sicut Christus Ecclesiæ fundamentum est modo præstantiori quàm Petrus, quia ipsum Petrum sustentat, ipse à nemine sustentatus; ita Petrus fundamentum est Ecclesiæ modo præstantiori quàm cæteri Apostoli, quia non cæteri Apostoli ipsum sustentarunt, sed ipse sustentavit cæteros Apostolos. Item sicut Christus solus est in ratione fundamenti Ecclesiæ primarii & principalis; ita Petrus solus est in ratione fundamenti secundarii Ecclesiæ præcipui, & post Christum primi. Denique sicut Petrus non est Ecclesiæ fundamentum nisi cum subordinatione ad Christum; ita nec cæteri Apostoli fuerunt Ecclesiæ fundamenta, nisi cum subordinatione ad Petrum: sicut enim Christus est pastor, caput & fundamentum Petri; ita Petrus fuit pastor, caput & fundamentum cæterorum Apostolorum.

Dices. Cæteri Apostoli, tam à Christo immediatè acceperunt, & scripto vel viva voce tradiderunt doctrinam, per quam conservatur Ecclesia, quàm ipse Petrus. Item cæteri Apostoli tam fuerunt universæ Ecclesiæ pastores, & tam legitimè exercere potuerunt munia omnia apostolica in toto terrarum Orbe, quàm ipse Petrus. *R. ad* 1. Ita esse, & in hoc cæteros Apostolos Petro pares fuisse: sed quid inde? *R. ad* 2. cæteros quidem Apostolos fuisse pastores universæ Ecclesiæ; sed non fuerunt eodem modo, quo fuit Petrus: Petrus enim fuit primus & ordinarius universæ Ecclesiæ pastor: cæteri verò Apostoli non fuerunt universæ Ecclesiæ pastores, nisi ut legati, & cum subordinatione ad Petrum, ut primum & ordinarium universæ Ecclesiæ pastorem, adeòque ipsorum caput: unde tam illos, quàm cæteros fideles, cum authoritate poterat & debebat regere & docere, juxta illud Christi præceptum Luc. cap. 22. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* ubi per to *fratres tuos*, cæteros Apostolos Christus potissimùm intelligit, ut patet ex contextu.

Obj. 3. Claves regni cœlorum non Petro, sed Ecclesiæ à Christo datæ fuerunt. Nego *Probabis*. Si non Ecclesiæ, sed Petro datæ fuerunt, moriente Petro perierunt, & sic post Petri mortem non remansit in Ecclesia ligandi & solvendi potestas. *R.* neg. sequ. Itaque moriente Petro non perierunt claves, quas à Christo acceperat, sed remanserunt post ejus mortem, & ad legitimos ejus successores hactenùs transierunt, & transibunt usque ad finem Mundi. Claves autem illæ ad legitimos Petri successores transeunt, non per novam traditionem, sed vi antiquæ institutionis à Christo factæ: Christus enim cùm dicebat, Matth. cap. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & Joan. cap. 21. *Pasce oves meas*; non solùm Petrum ipsum, sed etiam omnes legitimos Petri successores alloquebatur: unde non solùm ipsi Petro, sed etiam omnibus legitimis successoribus ejus promittebat, Matth. cap. 16. & dabat Joan. cap. 21. primatum universæ Ecclesiæ.

Breviter. Christus promisit & dedit Petro universæ Ecclesiæ primatum, & simul voluit, atque constituit, ut omnes ejus legitimi successores, hoc ipso præcisè quòd essent legitimè electi, eundem illum primatum acciperent & haberent. Unde primatus ille, quandiu sedes vacat, dici debet remanere in manibus Christi, è quibus transit ad Pontificem, hoc ipso quòd legitimè electus est, non quia eam de novo tradit Christus, sed quia antiquitùs constituit ut transiret; vel, si vis, constituit, ut esset Pontificis legitimè electi, hoc ipso quòd esset legitimè electus. Sed ex data occasione sit adhuc

§. VI.

§. VI.

Primatus Petri in universam Ecclesiam transiit ad ejus successores.

Prob. 1. Ex verbis Christi Matth. cap. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quibus verbis Christus promittit duo, videlicet Ecclesiam fundatum iri in Petro, & hanc Ecclesiam, quæ fundabitur in Petro, fore perpetuam: illud enim: *Et portæ inferi, &c.* De perpetuitate Ecclesiæ intellexere unanimiter omnium ætatum orthodoxi. Unde sic argumentor. Christus Matth. cap. 16. promittit Petrum fore fundamentum Ecclesiæ, quam promittit fore perpetuam. Ergo promittit Petrum fore fundamentum Ecclesiæ perpetuæ. Ergo promittit Petrum fore fundamentum perpetuum: nam ædificii perpetui fundamentum perpetuum esse necesse est. Ergo Petrus vi promissionis Christi futurus fuit fundamentum perpetuum Ecclesiæ, vel in propria persona, vel in persona successorum suorum. Atqui non potuit esse futurus fundamentum perpetuum Ecclesiæ in propria persona; aliquando enim moriturus fuit, adeòque cessaturus ab officio fundamenti. Ergo futurus fuit fundamentum perpetuum Ecclesiæ in persona successorum suorum. Ergo vi promissionis Christi, omnes Petri successores sunt fundamentum Ecclesiæ. Ergo vi promissionis Christi omnes Petri successores habent primatum Ecclesiæ: nam esse Ecclesiæ fundamentum, & habere primatum Ecclesiæ, sunt unum & idem, ut suo loco ostensum est.

Prob. 2. Ex verbis Christi Joan. cap. 21. *Pasce oves meas*, quibus, ut suo loco probatum est, Christus Petrum constituit supremum in terris pastorem & rectorem Ecclesiæ suæ. Constituit autem absque ulla temporis limitatione, & ex intentione providendi Ecclesiæ suæ pro omni tempore, pro quo duratura est. Ergo vi institutionis Christi Petrus est supremus in terris pastor & rector Ecclesiæ usque ad finem Mundi; cùm Ecclesia perpetuò usque ad finem Mundi duratura sit. Atqui Petrus nec est, nec potest esse in propria persona supremus pastor, & rector Ecclesiæ usque ad finem Mundi; cum jam à multis sæculis mortem martyrio obierit, & ita jam à multis sæculis cessarit à munere pastoris & rectoris Ecclesiæ. Ergo superest, ut Petrus sit in successoribus suis supremus Pastor, &c. Ergo, quod idem est, vi institutionis Christi, successores Petri sunt supremi in terris pastores & rectores Ecclesiæ. Munus igitur supremi pastoris & rectoris Ecclesiæ à Christo collatum Petro, non desiit eo moriente, sed ad successores ejus hactenùs transiit, & transibit usque ad finem.

Prob. 3. Ex traditione, cujus unicum testem brevitatis studio hìc proferimus Leonem Magnum serm. 2. in anniversar. die Assumpt. &c. ubi sic loquitur: *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est; & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit ..... Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, susceptа Ecclesiæ gubernacula non relinquit.* Tum inferiùs sic prosequitur: *Celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.*

ARTICULUS II.

Utrùm Episcopus Romanus succedat Petro in primatu universæ Ecclesiæ.

Responsio.

Succedit. *Prob.* 1. Ex modò probatis. Episcopus aliquis succedit Petro in primatu universæ Ecclesiæ. Nonnisi Episcopus Romanus. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam Petrus relicta Antiochia, Romæ Sedem fixit, universæ Ecclesiæ primatum retinens; non enim nisi per mortem naturalem cessavit ab officio supremi pastoris. Item sedem, quam Romæ fixerat, relicto particulari episcopatu Antiocheno, nunquàm aliò ante mortem transtulit, sed particularis Ecclesiæ Romanæ Episcopus Romæ defunctus est. Ergo moriendo eidem cessit locum quoad primatum universæ Ecclesiæ, cui cessit locum quoad particularem episcopatum Ecclesiæ Romanæ. Ergo qui succedit Petro in episcopatu particulari Ecclesiæ Romanæ, succedit ei in primatu universæ Ecclesiæ. Ergo non alius, quàm Episcopus Romanus, &c.

Confirm. Quia si quis episcopus succedit Petro in primatu universæ Ecclesiæ, alius esse non potest, quàm vel Antiochenus, vel Romanus Episcopus: Petrus enim alibi non fuit Episcopus, quàm Antiochiæ & Romæ; adeòque nullus alius, præter Antiochenum & Romanum, Episcopus dici potest in particulari successor Petri. Atqui falsum est quòd Antiochenus Episcopus succedat Petro in primatu universæ Ecclesiæ: constat enim ex canon. 6. Nicæni Concilii, Antiochenum Episcopum nunquam nisi tertium inter Patriarchas obtinuisse locum. Præterea, Petrus Antiochia discedens, ut Romæ sedem in perpetuum figeret, solum particularem episcopatum Antiochenum deseruit, & secum universæ Ecclesiæ primatum, quem nonnisi moriendo relinquere poterat, detulit: unde fit ut Antiochenus Episcopus non ei possit succedere, nisi in particulari episcopatu Antiochenæ Ecclesiæ. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Conciliis. 1. Patres Synodi Constantinopolitanæ in sua ad Damasum epistola, propria se illius esse membra confitentur: *Quoniam vos*, inquiunt, *nos velut membra propria per Deo amantissimi Imperatoris litteras accersivistis.* Hoc autem confitendo, illum ut suum & totius Ecclesiæ caput agnoscunt.

2. Patres Synodi Chalcedonensis in sua pariter epistola ad Leonem sic ajunt: *Quibus* (episcopis Chalcedone congregatis) *tu quidem, sicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem.* Et inferiùs: *Insuper & contra ipsum* (Leonem) *cui vineæ* (hoc est universalis Ecclesiæ) *custodia à Salvatore commissa est, extendit* (Dioscorus) *insaniam.*

3. Concilium Lateranense sub Innoc. III. c. 5. hæc habet de Ecclesia Romana: *Disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpotè mater universorum Christi fidelium.*

4. Concilium Florentin. in litteris sanctæ unionis sic loquitur: *Definimus S. Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, &c.*

5. Cap. 7. sess. 14. Concil. Trid. dicitur: *Undè meritò Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.*

Prob. 3. Ex facto & sententia Græcorum Patrum. 1. Sanctus Athanasius ab Eusebianis in Tyria Synodo injustè damnatus, vel appellavit Julium Pontificem Romanum, ut volunt multi, vel Julii litteris, *ut pro se in judicio ipse responderet*, vocatus, ut scribit Theodoretus lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 4. aut etiam antequam à Julio litteras acciperet, sponte Romam venit, ut ibi Julio & ejus Synodo se sisteret, contra Eusebianos, qui eum post Tyriam Synodum apud Julium per litteras & legatos accusarant, causam suam ipse defenderet. Atqui hoc facto ipse Alexandrinæ, hoc est, secundæ Sedis Episcopus, Romanum Episcopum ut supremum totius Ecclesiæ moderatorem & rectorem agnovit.

2. S. Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, à Theophilo Alexandrino Patriarcha in multorum Episcoporum Synodo exauctoratus, Innocentium Pontificem appellavit, ut constat ex ejus ad eundem Innocentium epistola, in qua sic loquitur: *Obsecro ut*

scribatis, quòd hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus judicium, non habeant robur, sicut neque sua natura habent: illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant.

3. Theodoretus à Dioscoro Alexandrino patriarcha depositus, per appellationem ad Leonem Pontificem confugit, ut docet ejus epistola ad eundem Leonem scripta, ubi sic ait: *Nos humiles & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium à vobis accipiamus: vobis enim primas in omnibus tenere convenit.* Et inferiùs: *Ego Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi rectum, ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat.*

Censuit igitur S. Chrysostomus, & post eum Theodoretus, Episcopum Romanum, ea quæ perperam acta erant in Synodis Orientalibus, etiam iis, in quibus præsederat Alexandrinus Patriarcha, authoritate sua rescindere posse. At Episcopus Romanus hoc non poterat ut Patriarcha Occidentis; manifestum enim est Episcopum Romanum, ut Occidentis Patriarcham, nihil jurisdictionis habere potuisse in Orientalem Ecclesiam. Ergo vel hoc non poterat, quod est contra mentem Chrysostomi & Theodoreti, vel poterat ut supremus moderator universæ Ecclesiæ; adeòque Chrysostomus & Theodoretus Episcopum Romanum, ut supremum universæ Ecclesiæ moderatorem agnovisse dicendi sunt.

4. In eadem planè sententia fuerunt Cyrillus Patriarcha Alexandrinus & Basilius, ut de primo probatur ex ejus ad Celestinum Pontificem de Nestorio epistola, in qua sic eum alloquitur: *Non prius autem illius* (Nestorii) *communionem palam aperteque deserimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias præscribere; quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat.* De secundo verò ex ejus ad S. Athanasium epistola, num. 52. ubi hæc scribit: *Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur consideret, detque consilium, & ... ipse sua authoritate usus, viros eligat ... ad hoc quoque accommodatos, ut mansuetudine & facilitate ingenii eos, qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigant ... omniaque secum habentes* necessaria ad solutionem eorum, quæ Arimini malè gesta sunt. Quibus verbis apertè agnoscit Basilius Episcopo Romano, tanquàm supremo pastori, omnium Ecclesiarum curam commissam esse, eumque ut supremum pastorem, ea quæ in Synodis etiam frequentissimis malè fieri contingit, authoritate sua emendare posse.

Prob. denique ex Patribus Latinis. 1. S. Hieronymus in sua de vocabulo Hypostasis epistola ad Damasum Pontificem, sic ait: *Quanquam tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A pastore præsidium ovis peto. Cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Hìc S. Doctor Romanum Episcopum agnoscit esse successorem Petri. Tanquam ovis confugit ad eum, velut pastorem non particularem (non enim Romanæ, sed Antiochenæ Ecclesiæ presbyter erat Hieronymus) sed universalem. Ei secundùm à Christo in Ecclesia locum tribuit; adeòque eum ut summum Christi in terris Vicarium reveretur. Denique eum vice Petri, cujus successor est, Ecclesiæ fundamentum esse, proindeque ab eo Ecclesiæ universæ ædificium sustentari confitetur.

2. S. Augustinus cum Milevitana Synodo ad Innocentium Papam in sua ad eum epistola, quæ est 92. sic scribit: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuæ munere in Sede Apostolica collocavit ... magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Nova quippe hæresis, & nimium perniciosa tempestas surgere inimicorum gratiæ Christi cœpit.* Inimici autem illi gratiæ Christi erant Pelagiani, qui Africam potissimùm & Palæstinam erroribus suis inficiebant; nec tamen Augustinus, & cum eo alii præsules Africani confugiunt ad Antiochenum Patriarcham, vel Palæstinæ Metropolitanum, & Africæ Primatem Carthaginensem Episcopum; sed confugiunt ad Romanum Pontificem, eumque enixè orant, ut contra novatores pastoralem diligentiam adhibeat, & Africæ ac Palæstinæ fidelium fidei atque saluti, novos errores damnando, consulat. Quod certè non fecissent, ni eis exploratum penitùs esset, Episcopo Romano, ut supremo pastori, Ecclesiarum omnium seu totius gregis Dominici curam incumbere.

Cùm igitur ajunt: *Quia te Deus gratiæ suæ, &c.* perinde est ac si dicerent: Quoniam te Deus ex gratuita benevolentia, eaque singulari, nec aliis Ecclesiæ prælatis tecum communi collocavit in Cathedra, quæ totius Ecclesiæ primatum obtinet, & collocando constituit te caput & pastorem universæ Ecclesiæ, & constituendo imposuit onus universam Ecclesiam regendi, eamque contra novatorum pravitatem & molitiones defendendi; oramus ut ovibus nostris, quæ etiam tuæ sunt, pastoralem, quam illis debes, curam exhibeas, & quod satis non possumus, authoritate qua polles apostolica, illas in vera fide contineas, proscribendo recèns excusa hæreticorum placita.

3. S. Bernardus lib. 2. de considerat. post medium, sic Eugenium Pontificem alloquitur: *Age indagemus adhuc diligentiùs qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei? Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel .... dignitate Aaron, authoritate Moyses ... potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cœli janitores, & gregum pastores: sed tu tantò glorioſius, quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni* (gregi) *unus* (pastor) *nec modò ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini, &c.*

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Irenæus, & cum eo plures alii Episcopi, Victorem Papam litteris ad eum datis graviter reprehenderunt, quòd Asianos Episcopos, luna decima quarta cum Judæis Pascha celebrare solitos, quia hanc consuetudinem relinquere, & cum cæteris fidelibus die Dominica lunam decimam quartam proximè subsequente, festum illud agere nolebant, excommunicasset. Atqui Irenæus cum aliis illis Episcopis non sic Victorem reprehendit, nisi quia judicavit illum non esse aliis Episcopis superiorem, neque illum alios Episcopos judicare & damnare posse. Ergo Irenæus, & alii cum eo Episcopi, qui Victorem litteris objurgarunt, in ea fuerunt sententia, quòd Episcopus Romanus non habeat jurisdictionem in universam Ecclesiam, nec sit totius Ecclesiæ moderator & rector universalis.

Resp. 1. Victorem quidem ex occasione schismatis Blasti, qui, ut habetur apud Tertullian. lib. de præscript. c. 53. *Latenter judaismum* volebat *introducere. Pascha enim* dicebat *non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysis, xiv. mensis:* Asianis Episcopis excommunicationem minitatum esse, nisi Pascha non luna decima quarta, ut eatenùs soliti erant, sed die Dominica proximè subsequente in posterùm celebrarent: quòd autem eos pertinaciter inobedientes re ipsa excommunicarit, non videtur satis exploratum, & multi negant.

Resp. 2. neg. min. Nam sive Victor Asianos Episcopos abscideret, sive ab illis abscindendis Irenæi & aliorum Episcoporum litteris deterritus fuerit, consilium ejus improbatum est ab Irenæo, & illis aliis Episcopis,

pis, non quòd judicarent ab eo Episcopos abscindi non posse legitimas ob causas; sed quia judicabant tot Episcopos non sine gravi Ecclesiæ damno abscissum iri, Victoremque paci & concordiæ consulturum meliùs esse, si decessores suos in tolerandis Asianis imitaretur. Vide Eusebium lib. 5. hist. Eccles. cap. 24. Ubi inter alia hæc ad rem nostram leguntur: *Hoc* (quod meditabatur, aut agebat adversùs Asianos Episcopos Victor) *non omnibus placebat Episcopis: quin potiùs è contrario, scribentes ei, jubebant ut magis quæ pacis sunt ageret, & concordiæ atque unanimitati studeret. Denique extant etiam ipsorum litteræ, quibus asperiùs objurgant Victorem, velut inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem.*

Victorem igitur Asianis pœnam excommunicationis intentantem, vel etiam, ut multi volunt, infligentem, alii Episcopi monent, non ut sese intra potestatis sibi concessæ limites contineat, sed ut paci, concordiæ, atque unanimitati studeat; non eum objurgant, quasi malè arrogantem sibi potestatem, quam à Christo non acceperit, sed velut commodis Ecclesiæ non satis consulentem, dum abscindit, vel cogitat abscindere Asianos Episcopos. At profectò si Romanum Episcopum ut supremum & universalem totius Ecclesiæ moderatorem & rectorem non agnovissent Irenæus & alii Episcopi qui cum eo ad Victorem pro Asianis scripserunt, Victorem monuissent, ne præscriptos sibi fines excederet, neve quod non posset moliretur.

Obj. 2. S. Cyprianum lib. de unit. Eccles. ubi sic ait: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Ergo, juxta S. Cyprianum, omnes Episcopi sunt inter se æquales, & unus, nempe Romanus Episcopus, non est aliorum rector & princeps.

R. Exponendo mentem S. Cypriani. Itaque juxta mentem S. Martyris, Episcopatus unus est, non unitate numerica, ut patet ex verbis subsequentibus, *cujus à singulis, &c.* Sed unitate originis à qua exordium sumit, radicis à qua veluti nutritur, capitis à quo regitur, fundamenti à quo sustentatur; sicut multi rivi ex eodem fonte profluentes, & multi radii à sole emissi, sunt unum unitate originis; sicut multi rami ejusdem arboris sunt unum unitate radicis; sicut multa membra corporis ejusdem sunt unum unitate capitis; sicut multi lapides cum lignis ejusdem ædificii sunt unum unitate fundamenti.

Patet ex contextu: nam sic loquitur S. Martyr: *Loquitur Dominus ad Petrum:* Ego tibi dico, *inquit*, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam ..... *Et eidem post resurrectionem suam dicit:* Pasce oves meas. *Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat:* Sicut misit me Pater ... *tamen ut unitatem manifestaret, unitatis originem ab uno* (Petro velut capite & fundamento) *incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate* (capitis & fundamenti) *proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur ..... Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est ... quomodo solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copia largitate, unitas tamen servatur in origine.*

Juxta S. Martyrem, episcopatus unus est, non quidem particularis; alioquin in Ecclesia unicus episcopali dignitate & potestate polleret, quod est falsum; sed universalis, quatenùs inter omnes episcopatus particulares, qui sunt in Ecclesia, unus, nempe Romanus, cæterorum omnium est origo, radix, caput & fundamentum. Juxta S. Martyrem, omnes episcopatus particulares, qui sunt in Ecclesia, ab episcopatu Romano, velut ab origine exordium sumentes, eique adhærentes velut radici, cum eo conflant unum morale corpus, cujus ipse caput est; cum eo constituunt unum ædificium morale, cujus ipse fundamentum est; cum eo faciunt unum episcopatum universalem, cujus ipse principatum tenet: illius tamen singuli alii Episcopi in solidum partem tenent, quia non unicus est numero episcopatus, sed collectio ex multis particularibus episcopatibus coalescens: sicut singuli homines in solidum tenent partem naturæ humanæ, quia natura humana non est unica numero natura, sed collectio constans ex multis naturis singularibus.

Dices. S. Cyprianus in actis Synodi Carthaginensis, quam ipse cum aliis 88. Episcopis celebravit, sic loquitur: *Neque quisquam nostrum Episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit.* Atqui his verbis S. Cyprianus tacitè suggillat Stephanum Papam, quòd se Episcopum episcoporum faceret, & supremam in Ecclesia authoritatem affectaret.

Resp. Divinare eos, qui sic S. Cypriani mentem interpretantur. Certè non ita Cyprianum intelligit S. Augustin. lib. 3. de baptis. c. 3. ubi postquam hæc Cypriani verba recitavit, sic statim prosequitur: *Quid mansuetius, quid humilius?* Intellexit igitur Augustinus Cyprianum his verbis non alium præsertim Stephanum carpere, sed solùm significare voluisse, nolle se dominari sententiæ collegarum suorum, & unicuique planè liberum esse, quid sentiret, palàm aperire.

Resp. 2. Cyprianum, dato quòd verbis citatis Stephanum tacitè reprehendere velit, non sic eum reprehendere, præcisè quia episcoporum Episcopum se faciebat, & supremam in Ecclesia sibi vindicabat authoritatem: sciebat enim Cyprianus Episcopum Romanum esse caput & rectorem omnium aliorum episcoporum, atque totius Ecclesiæ fundamentum, à quo illa sustentatur & regitur: sed quia, ut putabat ipse Cyprianus, suprema sua authoritate abutebatur, tyrannico terrore collegas suos, Africanos scilicet præsules, ad obsequendi necessitatem adigere volendo, dum illis excommunicationis pœnam minitabatur, ni defererent suam de rebaptizandis hæreticis sententiam, quam in Scripturis Sacris, & ipsa ratione fundatissimam esse existimabant; cùm aliud illis nil ipse præter Ecclesiæ suæ consuetudinem seu traditionem opponeret.

Dices. S. Cyprian. ibid. manifestè supponit omnes Episcopos inter se æquales esse: sic enim post verba citata prosequitur: *Quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum judicare. Sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Juxta S. Cyprianum igitur, Episcopi quilibet alium superiorem non habent præter Christum, qui sicut solus potest eos præponere in Ecclesiæ suæ gubernatione, ita solus potest de eorum actibus judicare. Unde inter Episcopos nullus est, qui aliorum judex sit & rector.

Resp. Cyprianum non in ea fuisse sententia, quòd omnes Episcopi inter se æquales sint, patet ex supra dictis, & adhuc ostendi potest ex ejus epistola 18. ad Cornelium Papam, ubi sic ait: *Navigare audent & ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Juxta Cyprianum igitur, in omnibus Ecclesiis particularibus Ecclesia particularis Romana principatum tenet, adeòque, juxta Cyprianum, Episcopus Romanus aliorum omnium Episcoporum princeps est.

Verba autem, quæ nobis objiciuntur, vel benignè interpretanda sunt, vel errores intolerabiles continent. Nam 1. certum est quòd Episcopus Romanus possit Episcopos instituere, & novos episcopatus creare. 2. Certum est quòd Episcopus Romanus possit alios Episcopos de crimine convictos judicare, excommunicare, deponere, quod multis exemplis probari potest, & hìc breviter probatur ex ipsomet Cypriano epistola 42. ad Stephanum Papam, quem adhortatur, ut Martianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatiani castra transfugerat, excommunicet & deponat. *Dirigantur*, inquit, *in provinciam, & ad plebem*

Arelate consistentem à te litteræ; quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur. Quando igitur Cyprianus dicit Episcopos nonnisi à Christo de actibus suis judicari posse, intelligendus est de actibus dubiis & occultis. Sic eum ferè interpretatur Augustinus, cùm lib. 3. de bapt. cap. 3. verbis ejus subjicit: *Opinor in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perfectione discussæ sunt.*

Obj. 3. S. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium, docet omnes Episcopos inter se æquales esse: nam sic loquitur: *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis; ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit.* Resp. S. Hieronymum, cùm dicit omnes Episcopos esse ejusdem meriti & sacerdotii, loqui de potestate ordinis, non jurisdictionis, velleque tantùm ordinis potestatem eandem in omnibus Episcopis esse, sive divites sint, sive pauperes, non verò majorem in divitibus, & in pauperibus minorem. Certè si non de consecratione Episcoporum, sed de eorum jurisdictione loqueretur Hieronymus, verba ejus intolerabilem continerent falsitatem; cùm verbi gr. Tanensis Episcopus uni tantùm civitati præfuerit; Episcopus verò Alexandrinus præfuerit tribus provinciis, Ægypto scilicet, Lybiæ, & Pentapoli, ut patet ex can. 6. Nicænæ Synodi.

Obj. 4. Concilium Nicænum can. 6. declarat Romanum Pontificem unum ex Patriarchis, eique assignat certam regionem gubernandam, nempe suburbanas Ecclesias, vel etiam, si vis, totum Occidentem. Atqui hoc non faceret Synodus, si Romanus Episcopus haberet primatum totius Ecclesiæ. Ergo, &c. *Prob. maj.* Ex ipso canone, cujus, ut nunc extat in tomis Conciliorum, hic tenor est: Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, *ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem in Episcopo Romano parilis mos est.*

Resp. neg. m. aj. Manifestum enim est, Synodum his verbis: *Quoniam in Episcopo Rom. parilis mos est*, nihil statuere circa Rom. Episcopum, sed ad summum significare eum, ut Occidentis patriarcham, habere specialem curam certarum regionum, quod non obstat quominùs universæ Ecclesiæ primatum obtineat, ejusque sit moderator & rector universalis.

Resp. 2. Canonem 6. Nicænæ Synodi, qualis hic citatur, mutilum esse, & carere initio, ut probatur ex sess. 16. Concilii Chalcedonensis, in qua Paschasinus Legatus Pontificius, dictum canonem, ex scriniis Ecclesiæ Romanæ depromptum, citavit, qualem ediderant Patres Nicæni. Sic autem habet canon ille, ut à Paschasino citatus est: *Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo.* Porrò quamvis post Paschasinum, Constantinus consistorii secretarius, canonem ex codice græco recitasset, ut habetur nunc in tomis Conciliorum, nihilominùs græci magistratus, qui aderant nomine Imperatoris, lectioni Paschasini adhæserunt, dixeruntque: *Perpendimus, omnium quidem primatum & honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.* Illud autem, *secundum canones*, officere non potest Episcopo Romano: nam si Episcopus Romanus, ut dicit Synodus Nicæna, primatum semper habuit, certè illum non ab hominibus, sed à Christo accepit.

Obj. 5. Episcopum Constantinopolitanum Romano parem dignitate & honore fecerunt multa Concilia generalia, nempe Constantinopolitanum I. can. 2. Chalcedonense sess. 15. can. 28. & ult. & Constantinopolitanum III. can. 36. Ergo, &c.

Resp. 1. Concilium Constantinopolitanum I. solùm anteponere Constantinopolitanum Episcopum Alexandrino & Antiocheno: sic enim loquitur can. 2. *Constantinopolitanæ civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum: propterea quod sit nova Roma.*

Resp. 2. Canon. Chalcedonensem, in quo fabricator ejus Anatolius Constantinopolit. Episc. mentitur, cùm ait Constantinopol. episcopo à centum quinquaginta Patribus concessa fuisse privilegia æqualia cum Rom. Pontifice, additum esse absentibus Legatis Pontificiis, ut constat ex sess. 16. Item ut constat ex ead. sess. Legatos Pontificios ei contradixisse. Item Leonem Pontificem eum reprobasse, ut patet ex litteris ab eo post Synodum scriptis ad Marcianum Augustum, ad Pulcheriam Augustam, & ad Patres Chalcedonenses. Item eum in Ecclesia nunquam receptum fuisse; quandonam enim ex toto Orbe Christiano ad Constantinopolitanum Episcopum appellatum est?

Resp. 3. Concilium Constantinopolitanum III. nullos canones edidisse, & canonem illum 36. fabricatum fuisse à Synodo, quæ quini-sexta dicitur, & post sextam Synodum celebrata fuit sub Justiniano Juniore Constantini Pogonati filio. Hujus autem Synodi nulla est in Ecclesia authoritas.

ARTICULUS IV.

Cujus sit convocare Concilia.

Nota. Concilium latinè, & græcè Synodus, significant congregationem episcoporum. Concilium aliud est generale, seu œcumenicum, aliud nationale, & aliud provinciale. Generale dicitur illud, cui interesse possunt & debent, secluso legitimo impedimento, episcopi totius Orbis Christiani: unde totius Orbis Christiani Concilium vocatur. Nationale dicitur illud, cui interfunt unius regni, vel nationis archiepiscopi & episcopi. Ejusmodi Concilia interdùm generalia seu universalia, interdùm provincialia vocitantur, quamvis à generalibus & provincialibus, propriè loquendo differant. Provinciale denique dicitur, cui interfunt episcopi unius provinciæ. Præterea nomen Concilii seu Synodi solet extendi ad presbyterorum unius episcopatus conventum, cui præest episcopus.

Nota iterum. Concilium nationale à Patriarcha vel Primate, provinciale ab Archiepiscopo, & diœcesanum ab Episcopo convocari debere tenent catholici omnes, nec contradicunt hæretici: sed maxima controversia est de Concilio generali catholicos inter & hæreticos: nam Catholici munus illud congregandi pertinere volunt ad Romanum Pontificem: hæretici verò munus hoc attribuunt Imperatori. Unde negant Concil. Tridentinum esse recipiendum, quia non ab Imperatore, sed à Rom. Pontifice convocatum fuit. Sed contra illos sit cum catholicis.

Responsio.

Munus convocandi Concilium generale pertinet ad Romanum Pontificem.

Prob. 1. Ex Act. Concilii Chalcedonensis, in quo Lucentio Legato pontificio postulante ne Dioscorus Alexandrinus cum reliquis Episcopis sederet, & dicente: *Judicii sui necesse est eum* (Dioscorum) *dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit & Synodum* (generalem) *ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est;* Nemo contradixit, & Dioscorus judicii sui rationem redditurus, in medio à magistratibus, qui nomine Imperatoris aderant, sedere jussus est.

Prob. 2. Ex Synodo Romana III. in causa Symmachi Papæ congregata, in qua Episcopis à Theodorico congregatis, dicentibus Symmachum ipsum debuisse Synodum convocare, propter Petri principatum, in quem succedunt Rom. Pontifices; Theodoricus *ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit;* & cùm Episc. Symmachi litteras sibi vellent exhiberi, has statim proferri Theodoricus imperavit, tumque ab ipso Symmacho

cho per Theodoricum convocatam fuisse Synodum constitit.

Prob. 3. Ex Pelagio 2. in epist. ad Joannem Constantinopolitanum, & Episcopos, quos ille ad Synodum generalem Constantinopolim convocaverat, ubi sic loquitur: *Relatum est ad Apostolicam Sedem: Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se subscribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare generalem, cum generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in prædicto vestro conventiculo .... statuistis, ex auctoritate S. Petri Apostolorum principis .... præcipio omnia quæ ibi statuistis, & vana & cassata esse.*

Prob. 4. Ratione Theologica. Quia illius est Concilia generalia convocare, cui Christus universæ Ecclesiæ commisit curam & providentiam; vel, si vis, quem supremum totius Ecclesiæ pastorem & rectorem constituit. Atqui Christus universæ Ecclesiæ curam & providentiam commisit Romano Pontifici, quem supremum totius Ecclesiæ pastorem & rectorem constituit. Ergo Romani Pontificis est, &c. Minor probatur ex verbis Christi Joan. cap. 21. *Pasce oves meas*: sic enim hæc verba semper intellexere orthodoxi omnes. Major verò facilè ostenditur: nam Concilia generalia convocantur ad providendum bono communi totius Ecclesiæ, & ad ea convocantur Episcopi universi, sic ut debeant omnes adesse, nisi legitimè impediantur. Ergo illius est convocare Concilia generalia, cujus est providere bono communi totius Ecclesiæ, quique supremam in tota Ecclesia authoritatem obtinet. Atqui manifestè talis est ille, cui Christus, &c.

Obj. Prima generalia Concilia non à Pontificibus, sed ab Imperatoribus convocata fuere. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam Nicænum I. à Constantino Magno, Constantinopolitanum I. à Theodosio Seniore, Ephesinum I. à Theodosio Juniore, Chalcedonense à Marciano, Sardicense à Constantio & Constante convocatum fuit. *Resp.* dist. ant. Prima Concilia generalia ab Imperatoribus convocata fuere, Pontificibus convocationi consentientibus, aut saltem convocationem postea ratam habentibus & confirmantibus, C. ant. Secùs, N. ant. & conseq. Igitur Romani Pontificis, utpotè supremi totius Ecclesiæ pastoris & rectoris, est Concilia generalia convocare: ita tamen ut Concilium generale possit esse & sit legitimum, etiamsi ab alio, putà ab Imperatore, convocetur, modò hoc fiat conscio Romano Pontifice, & convocationi consentiente, aut saltem convocationem, postquam facta est, ratam habente & confirmante: nam in hoc utroque casu perinde est in prudenti æstimatione, ac si Concilium generale ab ipso Pontifice Romano convocaretur.

Ad 1. *part. prob. ant. Resp.* Silvestrum Papam Nicæni Concilii convocationis, si non auctor fuit, saltem conscium fuisse, eique consensisse, aut certè ad minimum, factum à Constantino Magno ex consilio Episcoporum, qui in comitatu aderant, ratum habuisse & confirmasse. Quod evidenter demonstratur ex eo quòd duo Legati, Vito scilic. & Vincentius, Roma Nicæam missi sunt, qui unà cum Osio Cordubensi, nomine Silvestri, Synodo præsiderent.

Ad 2. *part. Resp.* Constantinopolitanum I. à Theodosio Seniore fuisse quidem convocatum inscio Damaso, neque Damasum per se, aut per Legatos huic Concilio præsedisse. At Theodosius solos Orientis Episcopos convocavit, ut expresè testatur Theodoret. lib. 5. hist. Eccl. c. 7. *Theodosius*, inquit, *Episcopos dumtaxat Imperii sui Constantinopolim jussit convenire ..... erant autem centum & quinquaginta, &c.* Unde Synodus Constantinopolitana, cum celebrata est, non erat generalis, sed nationalis tantùm; vel, si vis, non totius Orbis, sed solius Orientis Synodus erat: neque œcumenicæ Synodi dignitatem & auctoritatem obtinuit, nisi cùm illam Damasus ratam habuit, & ipse cùm Occidentis Synodo, Romæ celebrata, quæ circa fidem illa statuerat, assensu suo & auctoritate sua firmavit & sancivit.

Nota. Theodosius, anno 381. Orientis Episcopos convocavit Constantinopolim, ibique à convocatis Episcopis Synodus habita est. De iis, quæ in hac Synodo gesta fuerant, certior factus Damasus, totius Orbis Synodum Romæ indixit, annuentibus Gratiano, & Theodosio Imperatoribus, per litteras & Legatos Romam missos apud Damasum excusarunt se Orientales Episcopi, & soli Occidentales convenerunt in Urbem, cum illis Synodum celebravit Damasus anno 382. & circa fidem eadem sancivit, quæ anno superiore sancita fuerant Constantinopoli, atque ita ex Orientis Synodo, & Synodo Occidentis, in fide consentientibus, unica moraliter constata est totius Orbis Synodus, quæ hactenùs Constantinopolitana nuncupatur; vel, si vis, Constantinopolitana Synodus, quæ primùm fuit Synodus solius Orientis, postmodùm accedente Damaso cum Synodo Occidentis, totius Orbis, seu œcumenica Synodus evasit.

Ad 3. *part. Resp.* Convocatam quidem fuisse Synodum Ephesinam à Theodosio juniore, inconsulto Celestino Pontifice; sed Celestinum, quod sufficit, convocationem approbasse, eique consensisse, & Legatos suos, Arcadium scil. Projectum, & Philippum, qui cum Cyrillo Alexandrino nomine ipsius concilio præessent, misisse. Probatur partim ex ipsius Celestini ad Theodosium epist. 1. in qua sic ait: *Huic cœlesti curæ vel gloriæ unusquisque nostrum pro sacerdotali officio operam nostram, in quantum valemus, impendimus: & huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his quos misimus, exhibemus.* Partim ex relatione Synodi ad Theodosium post actionem 3. ubi hæc leguntur: *Misit autem* (Celestinus) *has litteras per Arcadium & Projectum sanctissimos Episcopos, & Philippum religiosissimum presbyterum magnæ Romæ, qui Celestini .. præsentiam supplent.* Partim ex actione 1. ejusdem Synodi, ubi dicitur initio: *Consedentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis & sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Celestini quoque sanctissimi Ecclesiæ Romanæ Archiepiscopi locum obtinebat, &c.*

Ad 4. *part. Resp.* Marcianum quidem solùm convocasse Synodum Chalcedonensem. At 1. non convocavit, nisi priùs expetito consensu Romani Pontificis, ut patet ex litteris ab ipso Marciano & Pulcheria Augusta ad S. Leonem datis. 2. S. Leo, quanquam Concilium in Occidente haberi, & ad aliquod tempus differri præoptaret, convocationi à Marciano factæ consensit. Patet ex ejus epist. 43. ad Marcianum: *Popposceram*, inquit, *à gloriosissima clementia vestra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem, à nobis etiam petitam, necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis ..... Sed quia pio studio humanis negotiis divina præponitis .... ego etiam vestris dispositionibus non renitor.* Et ex ejus epist. 50. ad eundem: *Sanctum clementiæ vestræ studium*, inquit, *quo ad reparationem pacis Ecclesiasticæ Synodum haberi voluistis, adeò libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptiùs expectari tempus optassem ... mox tamen ut mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab urbe direxerim, &c.* 3. Paschasinus & Lucentius Episcopi cum Bonifacio presbytero, nomine S. Leonis, Synodo præfuerunt, ut constat ex actis Synodi, & Episcoporum subscriptionibus.

Ad 5. *part. Resp.* Re ipsa Constantem & Constantium Imperatores Sardicense Concilium convocasse, ut docet S. Athanasii ad solitarios epistola, ubi dicitur: *Missæ igitur litteræ à Constante ad fratrem suum Constantium, ibique de amborum sententia placuit, ut Synodus* (Sardicæ) *celebraretur.* At Julius Pontifex Romanus consensit convocationi, & Archidamum ac Philoxenum Presbyt. Roma Sardicam misit, qui locum ejus tenerent in Synodo, quod & præstiterunt, ut constat ex S. Athanas. Apol. 2. ubi legitur: *Eorum autem*

autem qui in Synodo (Sardicensi) *subscripserunt, cæterorumque aliorum ista sunt nomina: Osius ab Hispania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros suos, &c.* Imò Synodum, priùs quàm indiceretur, petitam fuisse à Julio, satis videtur colligi ex Sozom. lib. 3. hist. Eccl. c. 10. ubi sic loquitur: *Cùm litteris, quas ad Orientis sacerdotes de Athanasio & Paulo scripserat* (Julius) *nihil proficeret, causam eorum ad Imperatorem Constantem detulit.*

Dices. Romani Pontifices non modò non indicebant Concilia generalia, sed è contra rogabant Imperatores ut ea indicerent. *Resp.* Hoc aliquando factum esse à Romanis Pontificibus, non quòd Concilia generalia convocandi munus ad eos non pertineret, aut Concilia generalia non fuissent rata & legitima, nisi ab Imperatoribus convocata fuissent, sed alias ob causas, putà quia tunc in Conciliis generalibus transvehebantur Episcopi sumptibus publicis; quia Imperatores Romani in toto fermè Orbe Christiano dominabantur, & sic Concilium generale fieri non poterat, nisi in aliqua Urbe, eorum imperio subjecta, in qua sine eorum licentia tot Episcopos convenire, æquum minimè fuisset; quia lex imperialis antiqua, ne fierent seditiones, prohibebat frequentes hominum conventus, quales semper sunt generales Synodi, factos sine auctoritate Principis, &c. Porrò hanc potissimùm ob causam Concilia generalia convocandi auctoritatem videntur aliquando sibi arrogasse Imperatores; quanquam hæc authoritas soli Pontifici Romano competat jure divino; quod jus tunc Romanus Pontifex non opponebat Imperatoribus, nec utiliter oppositum esset: unde tunc prudenti œconomia usus, aut rogabat Imperatorem, ut Concilium generale convocaret, aut convocatum ab Imperatore ratum habebat; quo pacto Synodi generalis convocatio erat vel fiebat legitima.

ARTICULUS V.

Cujus sit præsidere Concilio generali.

CConcilio provinciali Archiepiscopus, & nationali Patriarcha vel Primas præsidet. Sed de Concilio generali difficultatem movent hæretici, & contendunt Imperatoris esse vel per se vel per legatos suos præsidere Concilio generali: quòd si neque per se, neque per legatos suos Concilio generali præesse velit, ab ipsa Synodo sibi præsidem esse constituendum. Addunt, omnibus ferè antiquis Conciliis generalibus præsedisse Imperatorem, vel Legatos Imperatoris, vel Patriarcham antiquiorem, vel Episcopum civitatis, in qua fiebat Synodus. Contra novatores verò tenent catholici omnes præsidentiam in Conciliis generalibus ad solum Pontificem Romanum pertinere: ita ut Concilium generale non possit legitimè celebrari, nisi in illo præsit, omniaque moderetur Romanus Pontifex, vel per se, vel per legatos suos. Itaque cum catholicis omnibus sit

Responsio.

Romani Pontificis munus est, vel per se, vel per Legatos suos Concilio generali præsidere.

Prob. 1. Ex perpetuo usu & praxi conciliorum. Nam 1. in concilio Apostolorum, quod Lucas commemorat Act. cap. 15. quodque norma & exemplar futurum erat aliorum conciliorum, præsertim generalium, præsidet Petrus: nam primus surrexit, primus controversiam decidit, primus dixit sententiam, quam cæteri Apostoli, & seniores omnes, qui aderant, secuti sunt, ut observat Hieronymus in sua ad Augustinum epistola, quæ est inter Augustinianas undecima, ubi inter alia dicit, Petrum decreti in hoc Concilio editi: *Legem*, scilicet, *post Evangelium non esse servandam*, principem fuisse.

2. In Nicæno I. præsedit Sylvester per Osium Cordubensem in Hispania Episcopum, & Vitonem, ac Vincentium Ecclesiæ Romanæ presbyteros, tanquam Legatos suos, ut aliàs accuratè probatum est, & adhuc hic breviter probatur ex subscriptionibus. Nam Osius primo loco subscripsit, secundo Vito seu Vitus, & Vincentius, tertio Alexander Alexandrinus Episcopus, &c. At neque Osius, cùm esset simplex & mediocris civitatis episcopus, neque Vitus & Vincentius, cùm essent simplices presbyteri, subscripsissent ante Alexandrum Alexandriæ, Eustathium Antiochiæ, & Macarium Hierosolymorum Episcopos, nisi ut præsides Concilii subscripsissent.

Porrò inter novatores, alii Imperatorem, alii Eustathium Antiochenum, alii Athanasium Synodo præsedisse dicunt. Sed facilè refelluntur: nam 1. tunc temporis Imperator erat adhuc Catechumenus. Catechumenum autem Synodo generali præsedisse, & prorsus incredibile est, & dictu ineptissimum. 2. Si Eustathius Antiochenus Synodi præses fuisset, profectò primus scripsisset. At ante eum subscripserunt non modò Osius Cordubensis, & Vitus ac Vincentius Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, sed etiam Alexander Alexandrinus, & Macarius Hierosolymitanus. 3. Athanasius tunc tantùm diaconus erat Alexandri Alexandrini: unde Athanasius non solùm non præsedit in Synodo, sed nequidem inter Episcopos sedit: Diaconum enim inter Episcopos aliquando sedisse in Concilio, nisi Episcopi sui locum teneret, hactenùs auditum non fuit. Athanasius autem in Synodo Nicæna locum tenere non poterat Episcopi sui, cùm Episcopus ille præsens adesset.

Dices. Sic legitur in subscript. *Osius Episcopus Civitatis Cordubensis provinciæ Hispaniæ dixit: Ita credo sicut superius scriptum est. Vitus & Vincentius Urbis Romæ pro venerabili viro Papa & Episcopo nostro S. Sylvestro subscripsimus, ita credentes, &c.* Ergo Osius præsedit quidem Synodo; at non præsedit ut Legatus Romani Pontificis, sed quia, vel ab Imperatore, vel ab ipsa Synodo præses constitutus est. Ergo Sylvester habuit quidem Legatos, qui locum ejus tenuerunt in Synodo; at minimè per illos Synodo præfuit.

Resp. neg. Utramque cons. Nam sic breviter argumentor. Vitus & Vincentius, quia Sylvestri locum tenebant, subscripserunt ante Alexandrum, Macarium & Eustathium. Ergo à fortiori, propter eandem rationem subscripsissent ante Osium mediocris civitatis Episcopum, nisi ipse cum eis eadem legatione functus esset. Perperam autem dicitur Osium Synodi præsidem constitutum esse vel ab Imperatore, vel ab ipsa Synodo. Nam 1. Imperator non magis potuit constituere Osium Synodi præsidem, quam ipse potuit Synodi præsidem agere. Præterea, cùm in ipsa Synodo non Episcopos à se, sed se ab Episcopis judicari debere, seque episcopis subjectum esse, non præpositum, palam professus fuerit, quomodo aut eis præesse, aut alium, qui eis præesset, designare ausus esset? 2. Si Synodus dicitur sibi præsidem constituisse, quare dicitur hanc dignitatem in Osium potiùs contulisse, quàm in Alexandrum? cùm Osius neque sanctitate, neque doctrina, neque bonis in Ecclesiam meritis præstaret Alexandro, qui & ætatis maturitate spectabilior, & de negotiis in Synodo tractandis instructior, & Sedis prærogativa longè superior erat; quem denique Patres Nicæni in sua ad Alexandrinam Ecclesiam epistola scribunt, gestorum in concilio non modò participem, sed etiam auctorem fuisse.

Dicendum igitur est Osium cum Vito & Vincentio Sylvestri vices egisse; & quia cum illis Sylvestri vices agebat, cum illis præfuisse Synodo, atque idcircò cum illis ante omnes alios Episcopos subscripsisse. Ipse autem ante Vitum & Vincentium subscripsit, quia Episcopus erat, illi verò tantùm presbyteri. Neque expressè subscripsit ut legatus Sylvestri, sicut subscripserunt Vitus & Vincentius, quia cùm Episcopus esset, etiam quà talis præcisè, jus habebat suffragii, & poterat suo nomine subscribere. Vitus verò & Vincentius, cùm essent presbyteri, jus suffragii habere non poterant, nisi quà legati Pontificis: unde nonnisi quà Legati Pontificis subscribere potuerunt, quare ut tales expressè subscripserunt.

3. Da-

3. Damasus quidem neque per se neque per legatos suos præfuit Constantinopolitano I. sed cùm celebratum est, non fuit totius orbis, sed solius Orientalis Imperii Concilium, nec nisi ex postfacto evasit Concilium œcumenicum, Damaso scilicet illud postea ratum habente, & ad illud cum Synodo Occidentis, in iis quæ ad fidem pertinebant, accedente, ut jam observatum est.

4. Ephesino non præfuit, nec, ipsomet confitente, præesse potuit, sive per se, sive per legatos suos, Imperator Theodosius junior, ut patet ex sacra ab eo ad Synodum missa, ubi sic loquitur: *Candidianum sacrorum domesticorum Comitem ad sacram vestram Synodum adire jussimus; sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: nefas est enim, qui Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.* Audiant hoc novatores, & desinant in rebus Ecclesiasticis ad laicam potestatem confugere.

Huic autem Concilio præfuisse Celestinum Pontificem per legatos suos, Cyrillum scilicet Alexandrinum, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Ecclesiæ Romanæ presbyterum, facilè probatur. Nam 1. hi omnes Celestini locum tenuerunt in Synodo, ut constat ex actis Synodi, & superiùs ostensum est. 2. Tenuerunt locum Celestini ut præsidis, ut ostendit tenor sententiæ contra Nestorium à Synodo latæ, *Coacti*, inquiunt Patres Ephesini, *per sacros canones, & epistolam sanctissimi Patris nostri & Comministri Celestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi ... ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.* Cùm enim Celestinum Patrem appellant, sequi per ejus epistolam ad exauctorandum Nestorium coactos esse dicunt, eum manifestè ut superiorem agnoscunt; quod etiam apertè faciunt, cùm Joannis Antiocheni depositionem ejus judicio reservant in sua ad eum synodica epistola.

Præterea, Celestinus ipse in sua ad Synodum epistola manifestè præsidem agit, cùm ait: *Direximus ... Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum presbyterum nostrum, qui iis quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur. Quibus præstandum à vestra sanctitate non dubitamus assensum, quando id quod agitur, videatur universalis Ecclesiæ securitate decretum.* Certè præsidem agit, & plusquam præsidem Pontifex, cùm ea quæ in sua Synodo decrevit, mittit ad Ephesinum Concilium, non examinanda, sed executioni tradenda; nec tamen reclamant Ephesini Patres, sed acclamant: *Hoc justum judicium, &c.* Ex his autem

Sic argumentor breviter. Illi præfuerunt Synodo, qui in Synodo tenuerunt locum illius, quem ut superiorem Synodus agnoscebat, quique in Synodo, ipsa acclamante & obsequente, per legatos suos præsidem agebat. Atqui Cyrillus, Arcadius, &c. in Synodo Ephesina locum tenuerunt Celestini, quem ut superiorem & patrem agnoscebat Synodus, quinque in ea, ipsa acclamante & obsequente, præsidem agebat per legatos suos. Ergo, &c. Porrò in subscriptiones, quales nunc extant, & in quibus Juvenalis Hierosolymitanus ante aliquos, imò & omnes legatos Roma missos invenitur, vitium irrepsisse pro certo statuendum est.

5. Chalcedonensi præsedit S. Leo per suos legatos Paschasinum & Lucentium episcopos, & Bonifacium Ecclesiæ Romanæ presbyterum, ut probatur 1. ex epist. S. Leonis ad ipsum Concilium. *In his fratribus,* inquit, *Paschasino & Lucentio episcopis, Bonifacio & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas æstimet præsidere.* 2. Ex ipsius concilii epist. ad S. Leonem, ubi sic loquuntur Patres: *Quibus ut quidem* (episcopis, qui Chalcedone aderant) *sicut membris caput præerat in his qui tuum tenebant ordinem.* 3. Ex actione 3. Concilii, in qua Paschasinus suo & aliorum legatorum nomine sic ait: *Nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere* (Apostolicus & Catholicus Papa Leo) *præcepit.* Et inferiùs cum aliis duobus, Lucentio & Bonifacio, adversùs Dioscorum sententiam pronuntiat hoc tenore: *Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, unà cum ... beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido universæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum* (Dioscorum) *tam Episcopatus dignitate, quàm, &c.* 4. Ex eo quòd Paschasinus, Lucentius & Bonifacius, in omnibus actionibus Concilii, primi nominantur, primi loquuntur & definiunt, primi subscribunt, excepta tamen actione 12. ubi de singulari Bassiani & Stephani episcoporum causa agebatur, de qua primus sententiam dixit Anatolius, hoc ei specialem aliquam ob rationem deferentibus legatis Pontificiis, sed sine præjudicio juris, quo huic etiam actioni, sicut præfuerunt cæteris, præesse potuerunt.

Dices. Photius, lib. de 7. Synodis, inter Chalcedonensis Synodi præsides primum recenset Anatolium, eumque legatis Pontificiis anteponit. *R.* Photium hominem schismaticum, impotenti adversùs Romanam Ecclesiam invidia, & insano erga Constantinopolitanam zelo accensum, hìc contra omnium veterum monumentorum fidem mentiri; quod patet ex dictis, & adhuc breviter ostenditur ex actione 6. Synodi Chalcedonensis, ubi, præsente Imperatore, definitioni fidei ante Anatolium tres legati Pontificii, Paschasinus, Lucentius & Bonifacius subscribunt; & primus omnium subscribit Paschasinus in hunc modum: *Paschasinus Episcopus, vicarius domini mei beatissimi atque apostolici universalis Ecclesiæ Episcopi Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præsidens, statui & subscripsi.*

Potest tamen aliquo sensu dici Anatolius præsedisse Synodo, quatenùs post legatos Pontificios proximè sedit, & sententiam dixit ante omnes alios patriarchas. Quòd autem etiam ante legatos Romani Pontificis sederit, & suffragatus sit, planè falsum est, & falsum esse demonstrant acta Synodi.

Dices. Marcianus Imperator partim per se, partim per magistratus suos præsedit Synodo. *R.* non præsedisse, sed solùm per magistratus suos interfuisse, ut servaretur judiciorum ordo, ut impedirentur turbæ, & vis omnis amoveretur, ne quid scilicet ibi accideret simile iis, quæ non ita pridem contingerant in conciliabulo Ephesino. Quòd autem neque Imperator, neque magistratus ejus rebus Ecclesiasticis sese immiscuerint, nec sive condendis canonibus, sive dirimendæ fidei controversiæ præesse præsumserint, ex actis Synodi manifestum est.

6. Constantinopolitano II. præfuit quidem Eutychius Constantinopolitanus patriarcha; at non præfuit, nisi quia Synodo adesse, eique præsidere recusavit Vigilius Papa, penes quem fuisse jus præsidendi Synodo generali agnoscit Eutychius ipse in sua ad eum epistola, qua eum suo & totius Synodi nomine invitat ad Synodum. *Petimus,* inquit, *præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda, & quæri & conservari, & finem quæstioni imponi Deo placitum, & convenientem his, quæ à sanctis quatuor Conciliis definita sunt.*

Porrò quòd de Constantinopolitano I. dictum est, dici quoque debet de Constantinopolitano II. nempe quod cùm celebratum est, fuerit tantùm Synodus Orientis, nec nisi ex postfacto totius orbis Synodus evaserit, quando scilicet ad eam Vigilius, tria Capitula similiter damnando, accessit post sex ab absoluta Synodo menses, decretali epistola ad Eutychium directa, quæ habetur tom. 5. Conc. Labb. Sic autem Vigilium, tria Capitula damnando, hanc Synodum tandem confirmasse scribit Evagrius, lib. 4. histor. cap. 38. *Porrò,* inquit, *Vigilius per litteras quidem consensit; Concilio tamen interesse noluit.* Et Photius, lib. de 7. Synodis: *Quamvis,* inquit, *ad sacri cœtus conventum promptus non esset* (Vigilius,) *commu-*

nem-

munem tamen Patrum fidem libello comprobavit.

7. Constantinopolitano II. præsedit Agatho per legatos suos, Theodorum & Georgium presbyteros, & Joannem diaconum. Patet ex omnibus actionibus Synodi, in quibus hi ut legati Pontificis primi nominantur ante omnes Orientales Patriarchas, aut locum eorum tenentes, ante quos etiam omnes actione 18. definitioni fidei, sicut & sermoni acclamatorio primi subscribunt. Præterea, quòd Agathonem, ut supremum Ecclesiæ pastorem, adeòque ut judicem Synodus agnoverit, patet ex synodica ad Agathonem epistola, in qua sic loquitur: *Perlectis veræ confessionis litteris à vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut à summo Apostolorum vertice divinè præscriptas agnoscimus, &c.*

Dices. A prima actione ad undecimam inclusivè dicitur Imperator Synodo præsedisse. *R.* Imperatorem præsedisse ut Ecclesiæ & Synodi defensorem, vel, si vis, locotenùs præsedisse, quatenùs sedit in honorificentissimo loco: quòd enim non præsederit ut controversiarum fidei judex, liquet ex actione 18. ubi definitionem fidei omnium postremus subscripsit, & ex ejus verbis, quæ refert Gregorius II. in sua ad Leonem Isaurum epistola, & quæ hæc sunt: *Neque cum illis* (Synodi Patribus) *tanquam Imperator sedeho, aut imperiosè loquar; sed tanquam unus ex illis, & prout statuerint Pontifices, exequar.*

8. Nicæno II. præfuit Adrianus I. per vicarios suos, Petrum archipresbyterum, & Petrum presbyterum ac S. Sabbæ abbatem. Patet ex omnibus actionibus, in quibus primi nominantur, & ex actione 7. in qua primi definitionem fidei subscribunt ante Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum. Unde audiendi non sunt Photius & alii græci, qui contra actorum Synodi fidem non verentur asserere Tarasio Constantinopolitano totius Synodi præsidentiam, eumque vicariis Romani Pontificis anteponere.

9. In Constantinopolitano IV. Adriani II. locum tenuerunt & præsederunt Donatus & Stephanus episcopi, & Marinus diaconus. Nam 1. in omnibus Synodi actionibus primi nominantur ante Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum. 2. Ante eundem actione 10. primi subscribunt, & se ut Synodi præsides subscribere disertis verbis asserunt. Hæc est Donati subscriptio: *Ego Donatus gratia Dei Episcopus sanctæ Ostiensis Ecclesiæ, locum obtinens domini mei Adriani summi Pontificis & universalis Papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & universali Synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.* Eodem autem tenore subscribunt etiam alii duo Legati Pontificii. Ignatius verò subscribit tantùm *ut Synodum suscipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & scripta sunt, concordans & definiens.* Quo etiam modo subscribunt trium aliorum Patriarcharum vicarii.

Dices. Basilius Imperator in actibus Concilii pluribus locis dicitur præsedisse. *R.* Basilium in Concilio præsedisse, ut defensorem ipsius Concilii, & locotenùs, quia sedit in loco eminentissimo; at non præsedisse ut rerum Ecclesiasticarum judicem: quod patet ex actione 10. ubi cum duobus filiis, Constantino & Leone, octavo tantùm loco subscribit post Legatos Pontificios, Ignatium, & vicarios trium aliorum Patriarcharum.

10. Concilio Sardicensi, quod omittebamus Julius non solùm interfuit per Archidamum & Philoxenum Ecclesiæ Romanæ presbyteros, sed etiam per illos & Osium Cordubensem Episcopum præfuit. Nam 1. Osius præfuit Sardicensi Synodo, ut liquet ex S. Athanasio apolog. 2. ubi hæc scribit: *Eorum autem qui in Synodo* (Sardicensi) *subscripserunt, cæterorumque aliorum ista sunt omnia: Osius ab Hispania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum presbyteros suos, Protogenes Sardicæ, &c.* Primus igitur, etiam ante Legatos à Pontificis Romani latere missos, subscripsit Osius in Synodo; quod certè non fecisset, si præses Synodi non fuisset. 2. Præfuit ut legatus Julii, seu ut locum ejus tenens, cum Archidamo & Philoxeno: aliter enim sine gravi summi Pontificis injuria, præsentibus legatis ab ejus latere missis, Synodo præsidere, & primus subscribere non potuisset. Quòd autem Synodi præsidentiam sibi arrogare voluerit, aut sibi delatam acceptarit cum gravi Romani Pontificis injuria Osius Episcopus sanctissimus, & Sedi Apostolicæ devotissimus, prorsus incredibile est.

Dicendum igitur est, Osium, sicut Concilio Nicæno præfuerat unà cum Vito & Vincentio presbyteris Ecclesiæ Romanæ, quia ab illis in partem legationis vocatus fuerat de mandato Sylvestri, ita Sardicensi Concilio postea præfuisse unà cum Archidamo & Philoxeno Ecclesiæ Romanæ presbyteris, quia ab illis de mandato Julii in partem legationis vocatus fuit. Nec dic eum in Synodo Sardicensi non subscribere ut legatum Julii, cùm subscribendo nullam suæ legationis mentionem faciat. Nam in Nicæna Synodo primus subscripserat ut legatus Sylvestri, & tamen subscribendo nullam fecerat mentionem suæ legationis, quia de ea sufficienter aliunde constabat Synodo; & cùm esset Episcopus, per se, & legatione secluſa, suffragandi jus habebat. Propter easdem rationes postea subscribendo in Sardicensi Synodo, legationis suæ non meminit; quamvis ibi non subscripserit primus, nisi ut legatus Julii, & quia Julii legatus erat.

Bonitas hujus responsionis probatur exemplo Cyrilli Alexandrini, qui Ephesino Concilio præfuit ut legatus Celestini in actione 2. ut disertè asseritur in principio actionis, atque adeò in eadem actione ut legatus Celestini sententiam depositionis à Synodo contra Nestorium latam subscribit, nulla suæ legationis mentione facta. *Cyrillus*, inquit, *Episcopus Alexandriæ unà cum sancta Synodo decernens subscripsi.*

Porrò Conciliis generalibus, quæ post sæculum nonum celebrata sunt, Pontifices Romanos vel per se, vel per legatos suos præfuisse non diffidentur hæretici; quare superfluum esset de illis hìc agere. Habemus igitur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine munus præsidendi generalibus Synodis pertinere ad Romanos Pontifices. Quod etiam probat evidens ratio. Nam Romanus Pontifex est supremus & universalis Ecclesiæ pastor, adeòque oves ejus fideles omnes, ex quibus sunt Reges & Imperatores christiani, cum episcopis. Pastoris autem est ovibus, non ovium pastori præsidere. Item Episcopi etiam in Conciliis generalibus congregati, sunt filii Romani Pontificis: tales enim sese profitentur Patres Chalcedonenses in synodica sua ad S. Leonem epistola; adeòque Romanus Pontifex pater est episcoporum etiam in Conciliis generalibus congregatorum. At patris est filiis, non filiorum patri præesse.

Objiciunt hæretici Ephesinum II. cui præsedit Dioscorus Alexandrinus; Aquilejense, cui præsedit Valerianus Aquilejensis Episcopus; & Carthaginense VI. cui præsedit Aurelius Carthaginensis Episcopus, præsentibus legatis Romani Pontificis. Sed perperam objiciunt: Nam 1. Ephesinum II. ut illegitimum reprobatum fuit, & Dioscorus exauctoratus à Synodo Chalcedonensi. 2. Aquilejense non fuit generale Concilium, sed provinciale, cui interfuerunt triginta duo Episcopi. 3. Carthaginense VI. fuit ad summum nationale, in quo proinde præsidere debuit Carthaginensis Episcopus, ut primas Africanæ Ecclesiæ. Legati autem Romani Pontificis adfuerunt, non ut præsiderent Synodo, sed ut canonum Nicænorum, vel potiùs Sardicensium observationem peterent.

ARTICULUS VI.

Quinam ad Concilium convocandi sint.

Nota. In Conciliis tam generalibus quàm particularibus, varii variis de causis adesse possunt. Alii enim adesse possunt ut judices, & habent suffragium

gium decisivum ; alii ut consultores ad discutiendas controversias antequàm decidantur, & habent suffragium doctrinale seu consultivum ; alii ut ministri, quales sunt notarii, & custodes; alii ut Synodi defensores, quorum scilicet munus est procurare ut serverur ordo judiciorum, turbas compescere, & vim omnem amovere. Hìc autem agitur tantùm de iis, qui vocandi sunt ut judices, & habent suffragium decisivum. Ex omni hominum genere vocandos esse eos, qui docti sunt, & quidem ut judices, illosque suffragium decisivum habere debere contendit Lutherus in libro de Conciliis. Contra Lutherum verò sentiunt catholici omnes, & tenent solos Episcopos in Synodis tam generalibus quàm particularibus, jus suffragii decisivi habere ordinariè, & ex privilegio atque consuetudine Cardinales, Abbates, & ordinum Generales, quamvis non sint Episcopi, adeòque aliquos ex presbyteris & aliis minoribus clericis eruditos non vocari, nisi ad difficultates examinandas, & discutiendas controversias. Cum his sit

RESPONSIO.

Soli Episcopi ordinariè jus habent suffragii decisivi in Conciliis tam generalibus quàm particularibus : unde Concilia tam generalia quàm particularia, solorum sunt Episcoporum, ut judicum scilicet ordinariorum.

*Prob.*1. Ex Conciliis omnibus, quæ hactenùs habita fuerunt, & quorum decreta facta sunt à solis Episcopis, & Episcoporum locum tenentibus, ut manifestum est ex subscriptionibus : soli enim Episcopi, & locum tenentes Episcoporum, inveniuntur subscripsisse, exceptis tamen paucis, in quibus Imperatores, non definiendo ut Episcopi, sed præcisè consentiendo subscripserunt; & paucis etiam aliis, in quibus reperiuntur subscripsisse Abbates & ordinum Generales. Reliqui verò, nempe simplices presbyteri, & alii clerici minores, nisi ut alicujus Episcopi vicarii adessent, nunquam ad suffragandum admissi sunt, quantùmvis sancti essent & docti. Unde nulli nisi nomine Episcopi alicujus, cujus scilicet vices agebant, unquam subscripsisse leguntur, excepto Basileensi Concilio, ubi aliquando, deficientibus Episcopis, simplices presbyteri ad suffragium decisivum admissi sunt, contradicente tota antiquitate, cui derogare non potuit hæc Synodus, quæ tunc temporis nullius fuit authoritatis.

*Prob.*2. Authoritate veterum, qui unanimiter censuerunt Concilia Episcoporum esse, & Episcoporum esse in Conciliis decernere. Osius in sua ad Constantium epistola, sic eum judiciis Ecclesiasticis sese immiscentem alloquitur, apud Athan. epist. ad Solit. *Ne te misceas rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis* (Episcopis) *quæ sunt Ecclesiæ concredidit.*

S. Ambrosius epist. 32. ad Valentinianum sic ait: *Quis est, qui abnuat in causa fidei .. Episcopus solere de Imperatoribus christianis, non imperatores de Episcopis judicare?* Et inferiùs : *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino ... qui ... libellum dedit judicium sacerdotibus.*

S. Hieronymus apolog. 2. adversùs Ruffinum, his eum urgere verbis : *Responde quæso, Synodus, à qua excommunicatus est, in qua urbe fuit? Dic Episcoporum vocabula, profer sententias subscriptionum, &c.* Et S. Augustinus epist. 119. hæc scribit: *Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Concilium Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt ... sine ulla dubitatione rescanda existimo.*

*Prob.*3. Ratione theologica. Illorum est in Conciliis decernere quæ scilicet credenda vel agenda sunt, quorum est pascere gregem Christi, & regere Ecclesiam Dei : quid enim hìc est pascere & regere, nisi docere quæ credenda sunt, & quæ agenda sunt præscribere? Atqui Episcoporum est pascere gregem Christi, & regere Ecclesiam Dei, juxta illud 1. Petri c. 5. *Pascite qui in vobis est, gregem Dei* ; & illud Act. cap. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos Ecclesiam Dei.* Ergo, &c.

*Obj.*1. Act. cap. 15. Lucas loquens de Concilio Apostolorum, ait: *Convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc.* Et inferiùs : *Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia.* *R.* Convenerunt Apostoli ut judices, & ut controversiam authoritate sua deciderent. Convenerunt presbyteri cum Apostolis, ut consultores, & ut cum Apostolis discuterent controversiam, antequam ab illis decideretur. Item placuit Apostolis ut definientibus, presbyteris ut consentientibus, & plebi ut non reclamanti, sed acclamanti.

*Obj.*2. Concilium generale repræsentat universam Ecclesiam. Ergo ad Concilium generale convenire debent non solùm Episcopi, sed etiam alii clerici & laici in sufficienti numero. *R.* Generale Concilium repræsentare solùm universam Ecclesiam docentem, hoc est, universitatem pastorum seu Episcoporum, adeòque Concilium generale constare debere ex solis Episcopis, & ad Concilium generale sufficere, si tot adsint Episcopi, quot in æstimatione morali requiruntur, ut Episcoporum universitatem repræsentent; atque ita ad Concilium generale necessarium non esse, ut cum Episcopis alii clerici & laici conveniant.

*R.*2. neg. conseq. Cùm enim universitas pastorum repræsentet universitatem ovium ; quia particularis unusquisque Episcopus repræsentat suam particularem Ecclesiam, sicut princeps populum suum ; hoc ipso quòd universitas pastorum repræsentatur, repræsentatur etiam universitas ovium simul & indivisibiliter. Ergo hoc ipso quòd aliqua multitudo Episcoporum sufficit ad repræsentandam universitatem pastorum, sufficit etiam ad repræsentandam universitatem ovium. Et hoc ipso quòd aliqua Episcoporum, multitudo repræsentat universitatem pastorum, simul & indivisibiliter repræsentant universitatem ovium. Ergo ad Concilium generale, quantùmvis dicatur repræsentare universitatem ovium cum universitate pastorum, sufficit aliqua Episcoporum multitudo absque clericis aliis, & laicis, ea scilicet quæ ad repræsentandam pastorum universitatem sufficit.

*Obj.*3. Causa communis communiter tractanda est. Atqui causa fidei communis est fidelibus omnibus. Ergo ex fidelibus omnibus, adeòque non solùm ex Episcopis, sed etiam ex aliis clericis & laicis, adesse debent in Concilio, quando agitur de aliqua causa fidei. *R.* Causam communem communiter tractandam esse, quando eodem modo pertinet ad omnes, quibus communis est. At causa fidei non eodem modo pertinet ad omnes fideles: nam pertinet ad Episcopos ut doctores, & ad cæteros fideles ut discipulos. Unde Episcoporum est docere & definire quæ credenda sunt, cæterorum verò fidelium Episcopos audire, & ea quæ ab illis definita sunt, tenere & credere.

Quæres, quot Episcopi requirantur ad Concilium generale?

Resp. Ex consuetudine Ecclesiæ colligitur quatuor conditiones requiri & sufficere ad generale Concilium. Prima est, ut convocatio sit generalis, adeòque omnibus majoribus Ecclesiæ provinciis debet innotescere. Secunda est, ut nullus Episcopus, nisi sit excommunicatus, vel dubium sit utrùm Episcopus sit, excludatur. Tertia est, ut saltem ex majori parte provinciarum Ecclesiæ adsint aliqui Episcopi. Olim tamen cùm Concilium fiebat in Oriente, visum eo sufficere si ex omnibus provinciis Orientis convenirent Episcopi multi, cum aliquibus ex Occidente à Pontifice missis, qui cæteros repræsentarent. Similiter si tunc in Occidente factum fuisset Concilium, satis fuisset si ex omnibus provinciis Occidentis multi adfuissent Episcopi cum paucis aliis ex Oriente missis, & Orientales Ecclesias repræsentantibus. Quarta est, ut præter Romanum Pontificem per se vel per legatos

tos suos præsentem, per se vel per vicarios adsint alii Orientis Patriarchæ, modò hæretici non sint, vel schismatici. Hæc tamen conditio non absolutè, sed solùm ad bene esse necessaria videtur.

ARTICULUS VII.

Utrùm Concilia generalia sint absolutè & simpliciter necessaria.

ALiqua Concilia disjunctivè, hoc est, vel generalia, vel particularia, ad bonum Ecclesiæ, regimen necessaria esse negari non potest. Quòd enim Concilium sit medium à Christo ad unionem membrorum Ecclesiæ, & ad fidei ac morum puritatem servandam institutum, probat 1. factum Apostolorum, qui controversiam de legalibus Antiochiæ exortam, non nisi in Concilio sibi decidendam esse judicarunt. 2. Perpetua consuetudo Ecclesiæ, quæ ad profligandas hæreses, extinguenda schismata, & abusus corrigendos, Episcoporum Conciliis semper usa est. 3. Praxis perpetua summorum Pontificum, qui nunquàm hæreses vel schismata damnarunt sine Concilio. Sed difficultas est de Conciliis generalibus determinatè, de quibus quæritur hic utrùm sint absolutè necessaria, hoc est, utrùm ita sint necessaria, ut sine illis Ecclesia non possit conservari.

Responsio.

Quamvis Concilium generale possit esse, & sit aliquando valdè utile, & necessarium secundùm quid, hoc est, ut suavius, & promptius malo insurgenti remedium afferatur, nunquam tamen potest esse necessarium absolutè, ita ut sine illo Ecclesia non possit subsistere.

Prob. Primis trecentis Ecclesiæ annis nec fuit, nec potuit esse Concilium generale, & tamen substitit Ecclesia, quamvis intra spatium illud temporis hæreses multæ, multa schismata, & abusus multi adversùs eam insurrexerint. Ergo potuit etiam Ecclesia trecentis aliis annis subsistere sine Concilio generali: nam si potuit primis trecentis, quidni potuit trecentis subsequentibus? Ergo Ecclesia potuit primis mille annis subsistere sine Concilio generali: nam si potuit primis sexcentis, potuisse etiam sexcentis subsequentibus, non nisi perperam negaretur. At si potuit Ecclesia sine Concilio generali per mille annos subsistere, potest etiam per alios mille, & sic deinceps usque in fidem mundi. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia si hactenùs conservari non potuit sine Concilio generali, vel propter aliquos abusus, vel propter aliquam hæresim, vel propter aliquod schisma. Atqui nihil horum dici potest. Non primum: nulli enim hactenùs irrepserunt abusus, qui emendari non potuerint authoritate summi Pontificis, cooperantibus Conciliis provincialibus, vel nationalibus. Non secundum: nulla enim assignari potest hæresis, quæ extingui non poterit absque Concilio generali; nam nulla fuit hactenùs, quæ extingui non potuerit authoritate Romani Pontificis, cooperantibus cæteris catholicis Episcopis, vel in Conciliis particularibus, vel etiam extra Concilia particularia. Et verò si quæ hæreses hoc pacto extingui non potuerunt, certè hæreses illæ, ad quas profligandas septem priora Concilia congregata fuerunt. Atqui hoc dici non potest: nam aliæ plusquam centum hæreses profligatæ fuerunt, ut observat Bellarminus, authoritate Sedis Apostolicæ, cæteris Episcopis catholicis extra Concilium generale concurrentibus: quidni ergo & illæ sex vel septem etiam sic profligari potuerunt? Sed de hoc adhuc modò. Non denique tertium: nam nullum similiter schisma potest assignari, quod absque Concilio generali tolli non potuerit. Et verò si quod fuit quod non potuerit sic tolli, certè magnum illud schisma, ad quod tollendum celebratum est Concilium Constantiense. Atqui hoc dici non potest: quamvis enim nullum fortè Concilio generali suavius, promptius, & efficacius remedium afferri posset contra illud schisma, potuit tamen alia via tolli.

Confirmatur 2. pars min. Idem judicium esto de Ariana hæresi, quæ à primo generali Concilio proscripta est, & de aliis, quas proscripsere sex subsequentia Concilia generalia. Atqui ad proscribendam Arianam hæresim non fuit absolutè necessarium generale Concilium. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si ad id absolutè necessarium fuit Concilium generale, vel quia non poterat fieri sufficiens discussio controversiæ extra Concilium generale, vel quia extra Concilium generale controversia finiri non poterat ob defectum sufficientis authoritatis; vel denique propter Episcopos, qui ab hujus hæresis exordio ei patrocinati sunt. Atqui nihil horum dici potest.

Non primum: nam hic nulla, aut penè nulla discussione opus fuit: divinitas enim verbi clara habebat pro se testimonia, tum in Scriptura, tum in traditione: imò jam erat ante Nicænum Concilium unus ex articulis nostræ fidei, & ita jam erat ante Nicænum Concilium ad credendum sufficienter proposita fidelibus.

Non secundum: nam in Ecclesia non deest suprema & infallibilis authoritas judicandi controversias fidei extra Concilium generale, adeòque non deest in Ecclesia extra Concilium generale authoritas sufficiens ad finiendas fidei controversias. Patet ex primis trecentis annis, quibus nullum celebratum est generale Concilium, & tamen multæ finaliter proscriptæ fuerunt hæreses. Patet in particulari ex hæresi Pauli Samosateni, quæ finaliter damnata fuit à particulari Concilio Antiocheno à Dionysio Romano, & ejus Synodo confirmato. Patet ex centum illis & ampliùs hæresibus, quas oppressit authoritas Sedis Apostolicæ, reliquis catholicis Episcopis, vel in Conciliis particularibus, vel extra Concilia particularia cooperantibus.

Non denique tertium: nam si Paulus tertiæ Sedis Episcopus redigi potuit in ordinem sub Imperatore ethnico à Synodis particularibus, Romana scilicet & Antiochena, ad id simul conspirantibus, quidni simili modo potuissent in ordinem redigi sub Imperatore christiano Episcopi illi, quos patronos habebat Ariana hæresis, ad id Sylvestro Romano Pontifici cooperantibus duarum primarum Sedium Orientis, Alexandrinæ scilicet & Antiochenæ antistitibus? quanquam Episcopi illi faciliùs opprimi potuerint, & oppressi fuerint authoritate Concilii generalis, qua permotus Imperator & promptiùs & efficaciùs Ecclesiæ laboranti subvenit.

At inquies. Potest esse aliqua fidei controversia sic intricata, ut non possit fieri sufficiens illius discussio extra Concilium generale; adeòque potest esse aliqua fidei controversia, quæ extra Concilium generale dirimi non possit. *R.* hoc perperam dici; & dico quòd Romanus Pontifex semper poterit tot Episcopos & alios eruditos viros convocare, quot extra Concilium generale sufficient ad debitam controversiarum fidei discussionem: alioqui posset contingere, ut gravis aliqua fidei controversia finiri non posset, sed cum magno animarum periculo & scandalo duraret, atque ita longè latèque grassaretur novitas absque remedio, in iis scilicet circumstantiis, in quibus moraliter esset impossibile convocari Synodum generalem, extra quam tamen finiri non posset controversia. Quod est contra expressam promissionem Christi dicentis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, ad servandum scilicet fidei depositum, & fideles confirmandos, proindeque ad finiendas quaslibet in materia fidei lites, & novitates quaslibet exsufflandas.

At inquies adhuc. Potest esse fidei controversia, quæ dirimi non possit, nisi investigata priùs traditione universalis Ecclesiæ, adeòque omnium particularium Ecclesiarum, ex quibus constat universalis Ecclesia. Ergo potest esse fidei controversia, quæ non possit dirimi, nisi convocentur omnes Episcopi, quorum unusquisque testis est traditionis Ecclesiæ suæ.

R. 1.

R. 1. neg. conseq. Potest enim sufficienter investigari omnium particularium Ecclesiarum traditio per Concilia particularia, ut factum legimus tempore & jussu Victoris Papæ in controversia de die quo celebrandum esset festum Paschatis.

R. 2. Ad investigandam traditionem universalis Ecclesiæ, necesse non esse ut consulantur omnes particulares Ecclesiæ. Cùm enim divinas traditiones omnes puras & integras hactenùs conservaverit, & usque ad finem mundi conservatura sit Ecclesia particularis Romana, ut suis locis demonstratum est, traditio Ecclesiæ particularis Romanæ non potest non esse traditio Ecclesiæ universalis, adeòque hoc ipso quòd constat de traditione particularis Ecclesiæ Romanæ, constat etiam de traditione universalis Ecclesiæ.

Semper igitur sufficit, si particularis Ecclesiæ Romanæ traditio investigetur, ad quod necesse non est alias Ecclesias consuli: cùm enim particularis Ecclesia Romana sit mater & magistra omnium aliarum particularium Ecclesiarum, non illa ab his, sed hæ ab illa discere debent veras traditiones. Item cùm Ecclesia particularis Romana sit unitatis centrum, ad quod omnem aliam Ecclesiam convenire oportet, recipiendo Scripturas & traditiones, quas recipit, non aliæ Ecclesiæ particulares particularis Ecclesiæ Romanæ, sed particularis Ecclesia Romana aliarum particularium Ecclesiarum regula esse debet in veris Scripturis & traditionibus, à falsis & adulterinis discernendis.

At inquies. Si Romano Pontifici cum particulari sua Synodo de aliqua fidei controversia judicium ferenti non consentirent cæteri Episcopi, sed contra judicium ejus, sive in Conciliis particularibus, sive extra particularia Concilia reclamarent, finalis circa controversiam illam sententia haberi non posset sine generali Synodo. Atqui suppositio facta possibilis est. Ergo, &c. *R.* neg. min. Non enim major pars Episcoporum magis supponi potest Pontifici in particulari suo Concilio aliquam fidei controversiam judicanti dissentire extra Concilium generale, quàm supponi potest ei in materia fidei dissentire in Concilio generali: possibilitas enim suppositionis secundæ manifestè sequitur ex possibilitate primæ. Atqui supponi non potest pluralitas Episcoporum in Concilio generali dissentire à Pontifice in materia fidei. Ergo, &c.

Prob. subs. Nam hac suppositione facta, vel controversia finitur per judicium Pontificis, & minoris partis Episcoporum ei adhærentium, vel finitur per judicium pluralitatis Episcoporum contradicentium Pontifici; vel possibilis est casus, in quo aliqua fidei controversia finiri non potest etiam in Concilio generali. Primum velut falsum respuunt ii, contra quos disputamus. Secundum tolerabiliter dici non potest. Et verò in pluralitate Episcoporum, nisi cum capite suo sententia conjuncti sint, sive extra Concilium generale, sive in Concilio generali residere non posse supremam & infallibilem authoritatem, qualis ad finiendas fidei controversias requiritur, satis probat sensus universæ Ecclesiæ. Ergo tertium dicendum, quod tamen falsum est, & manifestè repugnat Christo dicenti: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, ad servandum scilicet depositum fidei, adeòque ad finiendas quaslibet fidei controversias: hoc enim ad depositi fidei conservationem absolutè necessarium est. Ergo, &c.

Addo timendum non esse, ne unquam in posterum contingat pluritatem Episcoporum, sive in Concilio generali, sive extra Concilium generale, Pontifici in sua particulari Synodo de aliqua fidei controversia judicium ferenti contradicere; cùm id hactenùs per tot sæcula nunquam contigerit; sed è contra Synodi generales integram sententiam à Pontifice latam ambabus ulnis amplexæ sint, ut patet ex tertia, quarta, sexta, & septima Synodo; & quamvis Romani Pontifices de innumeris penè fidei controversiis sententiam tulerint extra Concilium generale, ne semel quidem Episcoporum pluralitas Romano Pontifici restiterit, sed è contra vel expresso vel saltem tacito consensu semper adhæserit.

ARTICULUS VIII.

Solvitur objectio petita ex facto duorum Pontificum Victoris & Stephani.

Obj. 1. Victori Papæ, Asianorum Episcoporum de celebratione Paschæ sententiam in Romana Synodo proscribenti, restitere plerique Ecclesiæ Episcopi. *R.* hoc esse falsum: imò verò è contra cùm Victor in sua particulari Synodo Blastum hæresiarcham, judaismum suscitare molientem, damnasset, & festum Paschæ die dominica lunam martii decimam-quartam proximè subsequente celebrandum esse definivisset, omnes orbis christiani Episcopi in conciliis particularibus, quæ loco generalis, quod tunc temporis fieri non poterat, diversis in locis celebrata fuerunt, judicium Pontificis comprobarunt, exceptis Asianis, & aliquibus finitimis provinciis, quæ cum Asianis, non tamen improbata eorum, qui Paschæ festum die dominica celebrandum dicerent, sententia, antiquam Ecclesiarum suarum in celebrando Paschate luna decima-quarta consuetudinem sibi retinendam judicarunt.

Probantur hæc omnia ex Eusebio sic loquente lib. 5. hist. Eccl. cap. 23. *Quæstio non minima exoritur* (de die quo Pascha celebrandum est) *ob quam causam conventus Episcoporum & Concilia per singulas quasque provincias convocantur: prorogatisque ad se invicem epistolis, de singulis quibusque locis unum omnes Ecclesiasticum dogma confirmant: ne liceat aliquando nisi in die dominica ... Dominicum Paschæ celebrare mysterium ... Extat denique usque in hodiernum diem Concilii apud Cæsaream Palæstinæ habiti decretum .... habetur & in urbis Romæ Concilio* (in causa Blasti celebrato) *similiter decretum, cui præfuisse Victor Episcopus indicatur, & Ponti provinciæ Palmeas. Gallorum quoque sacerdotalis conventus extat, Irenæum præsulem scribens: Achajæ verò Bachylum Corinthiorum Ecclesiæ Episcopum. Qui omnes diversis è locis unam eandemque judicii sui sententiam protulere. Sed Episcopi regionis Asiæ servandam magis à veteribus sibi traditam consuetudinem confirmabant.* Vide etiam cap. 25.

Porrò Victor accepto per Polycratis Asiæ primatis epistolam Asianorum decreto, acerbas ad eos litteras dedit, quibus privabat eos episcopali sua communione, simulque eis minabatur, ni consuetudinem suam desererent, totalem abscissionem, à qua tamen videtur fuisse deterritus litteris aliorum Episcoporum, præsertim Gallorum, qui licèt ei consentirent, de die celebrandi Paschatis, graviter tamen ferebant, quod ab unitate corporis vellet abscindere tot & tantas Ecclesias Dei, eò quòd à reliquis dissentirent de re ad solam, ut putabant, disciplinam pertinente.

Obj. 2. Stephano Pontifici baptismum ab hæreticis debita forma collatum, non esse iterandum definienti, restitit pluralitas Episcoporum. Et 1. quidem, quòd hoc definierit, patet ex ejus ad Cyprianum rescripto, in quo sic loquitur: *Si quis ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* 2. Quòd ei restiterit pluralitas Episcoporum, probatum ex numero Episcoporum, qui cum Cypriano in Africa, & Episcoporum, qui cum Firmiliano & Heleno in Oriente baptizatos à quibuscumque hæreticis, esse rebaptizandos, contra Stephani decretum pronuntiarunt in particularibus suis conciliis.

R. 1. Gratis dici, quòd Stephanus exortam de baptismo ab hæreticis collato controversiam definierit: non enim satis apparet, rescriptum Stephani ad Cyprianum fuisse synodicum, seu Stephanum particularem

rem aliquam Synodum convocasse, & ex ea ad Cyprianum rescripsisse. Pontifices autem nullam ejusmodi controversiam definierunt unquam, aut etiam definire potuerunt ut supremi Ecclesiæ pastores, nisi in aliqua saltem particulari Synodo.

Præterea, sive ex particulari aliquo Concilio Stephanus ad Cyprianum rescripserit, sive non, quòd controversiam noluerit definire, manifestum fit ex eo, quòd in suo ad Cyprianum rescripto, eos, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse, postmodùm tenerent, & rebaptizarent, non excommunicavit, sed solùm excommunicatione dignos esse dixerit, ut patet ex Cypriano in sua ad Pompejum epistola 74. sic loquente: *Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus christianorum, sacerdotes Dei, veritatem Christi & Ecclesiæ unitatem tuentes, abstinendos putat?* Unde nihilominùs postmodùm cum Cypriano communicavit Stephanus, ut asserit S. Augustinus, lib. de unico bapt. cap. 14. *Cùm ergo*, inquit, *Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.*

Porrò audiendus non est Firmilianus in sua ad Cyprianum epistola, in qua christianæ moderationis & reverentiæ Summo Pontifici debitæ planè oblitus, adversùs Sthephanum impotenter invehitur, & exaggerans omnia ad quærendam in adversarium invidiam, de intentata excommunicatione velut lata expostulat: nisi tamen quis malit Stephanum severiorem se ostendisse erga Firmilianum & Helenum, aliosque Orientales Episcopos, qui cum illis erant, eos scilicet Episcopali sua communione privando; de qua partiali excommunicatione fortassè intelligi potest Dionysius Alexandrinus, scribens ad Xistum Stephani successorem, & in epistola sua *commemorans quòd Stephanus a. scribens ad Firmilianum & Helenum, cæterosque illarum partium Episcopos, statuerit non communicandum esse his qui rebaptizant eos, qui ad Ecclesiam ab hæreticis transeunt.*

Quidquid sit, Episcopos illos ab unitate corporis abscissos, seu à communione fidelium semotos non fuisse à Stephano, testes sunt Patres secundæ Synodi Antiochenæ in sua synodica ad Dionysium Pontificem epistola, in qua Firmilianum beatæ recordationis virum vocitant, quo nomine hominem à Sede Apostolica excommunicatum minimè decorassent. Testis etiam est Augustinus, lib. de unico bapt. c. 14. cùm tantùm ait, Stephanum Episcopos illos excommunicandos esse censuisse: sufficienter enim significat eum non ultra minas progressum esse.

R. 2. Falsum esse, quòd Episcoporum pluralitas à Stephano dissenserit: imò verò plures cum Stephano, quàm cum Cypriano fuisse, expresè docet Augustinus, lib. de unico bapt. cap. 14. *Stephanus*, inquit, *baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia catholica existimabat. Multi cum illo* (Stephano) *quidam cum isto* (Cypriano) *etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes.* Qui autem dicit, multos cum Stephano, & quosdam cum Cypriano fuisse, longè plures cum Stephano, quàm Cypriano fuisse manifestè dicit.

Quantò plures fuerint cum Stephano, quàm cum Cypriano, apertè declarat S. Doctor, lib. 3. contra Cresconium, cap. 2. cùm ait: *Proinde si omninò jam credendum sit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris vel aliquantò etiam pluribus contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potius, &c.* Cyprianus igitur secum habuit centum & viginti Episcopos, cùm Stephanus plura millia secum haberet.

At inquies. Si longè maxima pars Episcoporum Stephano consensit, quare tunc finita non est controversia? *R.* Quia Stephanus, prudenti œconomia usus, ne cogeretur abscindere tot Ecclesias, torque Episcopos, inter quos eminebat Cyprianus doctrina, sanctitate, & bonis in Sedem Apostolicam meritis (quippe qui Cornelio ad profligandum Novatiani schisma tantoperè profuerat) spectabilis; atque ut errantibus locum & tempus resipiscendi daret, judicavit satis esse, si primùm prohiberet, ne quid innovaretur, nisi quod traditum est, & innovantibus excommunicationem comminaretur, postea si in rem Ecclesiæ foret; definitiva sententia sententiam rebaptizantium ut contrariam traditioni apostolicæ & hæreticam damnaturus, atque huic errori pertinaciter adhærentes excommunicaturus, quod tamen non fecit, vel morte præoccupatus, vel impeditus difficultate temporum, aut aliquam aliam ob causam.

Dices. Illa de hæreticorum baptismo controversia tunc finita non est; quia finiri non potuit, nisi in generali totius orbis christiani Concilio, quod tunc temporis convocari non poterat. *R.* hoc esse falsum: nam si opus fuit generali Concilio ad finiendam illam controversiam, vel opus fuit ob defectum sufficientis authoritatis ad finiendam illam extra Concilium generale, vel opus fuit ob difficultatem & obscuritatem quæstionis: ita ut extra Concilium generale non posset discuti, quantùm oportebat ad eam finali judicio terminandam. Neutrum dici potest.

Non primum: nam quòd detur in Ecclesia extra Concilium generale authoritas fidei controversias dirimendi suprema & infallibilis, invicta probatur vel ex eo solo, quòd hæreses quamplurimæ finaliter proscriptæ fuerint sine Concilio generali. Non etiam secundum: nam ad finiendam illam de hæreticorum baptismo controversiam sufficere potuit constans & perpetua consuetudo particularis Ecclesiæ Romanæ in accipiendo hæreticorum baptismo, præsertim cùm eadem esset partis orbis christiani maximæ consuetudo. Et verò propter illam & quidem solam particularis Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, omnium aliarum penè Ecclesiarum consuetudine firmatam, rebaptizantium error finaliter tandem condemnatus est.

Dices. S. Augustinus duo docet. 1. Controversiam illam finitam non esse, nisi in plenario totius orbis Concilio: nam sic loquitur lib. 1. de bapt. c. 7. *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros & magna charitate præditos, patres episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* 2. Controversiam illam non nisi per plenarium totius orbis Concilium potuisse finiri: nam lib. 2. de bapt. cap. 18. sic ait: *Restat ut de baptismo piè credamus, quod universa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit: in qua tamen si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quæstione salva pace sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitatis unitas.*

Ad primum. R. 1. Dato quod controversia illa finita non fuerit, nisi in plenario totius orbis Concilio, inde minimè sequi, quòd extra illud finiri non potuerit; sicut extra illud finitæ sunt aliæ controversiæ non minùs obscuræ, qualis v. gr. postea fuit Pelagianorum cum Catholicis controversia de peccato originali, & necessitate interioris gratiæ ad omnes & singulos actus salutares, quam tamen controversiam non modò finiri potuisse, sed etiam finitam fuisse sine plenario totius orbis concilio, contra Pelagianos ad illud provocantes, illudque postulantes Augustinus ipse contendit lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 12. ubi his in eos verbis invehitur: *Istorum superbia... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia & diligentia pastorali, post factum illis competens sufficiensque judicium,*

dicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, &c. At si potuit competens sufficiensque judicium fieri Pelagianis Concilio generali, quidni etiam potuit & rebaptizantibus, qui solius antiquæ consuetudinis robore & vinci poterant, & tandem victi sunt?

R.2. Augustino Hieronymum apertè contradicere in dialogo adversùs Luciferianos, ubi sic loquitur: *Beatus Cyprianus . . . hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum . . . super hac re Africanam Synodum direxit: sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.* Tum continuò illos sic loquentes inducit: *Quid facimus? ita & nobis majores nostri, & illis sui tradidere majores.* Novum autem hoc decretum vel ante, vel saltem non multò post B. Cypriani mortem emisere, ut facilè intelligitur.

Quòd si quis velit Hieronymum loqui tantùm de Africanis Episcopis, pro Orientalibus testem appellabimus ipsum Augustinum, lib.3. contra Cresconium, cap.2. ubi sic alloquitur Donatistas: *Majores vestri* (primi Donatistæ) *quibus tale testimonium perhibuistis, quòd ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum judicium rescinderunt, quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano atque illi Africano Concilio consentire oportere, contra Cyprianum fecerunt.* Primi autem Donatistæ longo tempore vixerunt ante Nicænum Concilium, quod fuit primum generale totius orbis Concilium: neque enim tale fuit Arelatense I. Nam nec ad illud Episcopi ex toto orbe convocati fuerunt, neque in eo per se aut legatos suos Romanus Pontifex præsedit. Unde ad summum vocari potest plenarium Occidentis Concilium,

Africani igitur & Orientales Episcopi, Cyprianum errantem secuti, cùm multò ante Nicænam Synodum errorem suum deposuerint, sine plenario totius orbis Concilio ad antiquam non rebaptizandi hæreticos consuetudinem revoluti sunt. Illis autem ad antiquam illam consuetudinem revolutis, quid circa baptismum, ab hæreticis forma debita collatum, controversiæ vel dubitationis aut superfuit, aut superesse potuit in Ecclesia catholica?

Omnis igitur controversia, omnisque dubitatio circa baptismum, ab hæreticis debita forma collatum, in Ecclesia catholica sublata est sine plenario totius orbis Concilio. Neque hic obesse nobis potest Concilii Arelatensis I. canon.8. quo prohibetur ne rebaptizentur ii, qui apud hæreticos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizati fuerunt; quia hic canon editus est contra Donatistas, qui facto schismate, controversiam in Ecclesia catholica jam dudùm extinctam suscitarant, & baptizatos extra Ecclesiam iterùm esse baptizandos contendebant, atque ita, cùm crederent veram Ecclesia de toto orbe periisse, & in sola parte Donati remansisse, rebaptizabant eos, qui ab Ecclesia catholica ad illos transfugiebant.

Ad secundum R. hoc est falsum: cùm enim dicit S. Augustinus, *Si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quæstione, salva pace, sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset,* loquitur tantùm hypotheticè, hoc est, in ea tantùm suppositione, in qua veritas catholica non eliquaretur ante Concilium generale; sive potuerit eliquari sine illo & ante illud, sive non potuerit, de quo hic sollicitus non est; sive eliquata fuerit sine illo & ante illud, ut nos tenemus, sive non fuerit, ut videtur tenuisse S. Doctor.

Bonitas nostræ responsionis patet ex eo, quòd ad scopum S. Doctoris sufficiat eum loqui in tali suppositione: vult enim tantùm duo in Donatistis reprehendere, videlicet quòd & de baptismo hæreticorum disceptando non servarent pacem, sed unitatem scinderent, separando se ab iis, qui illius baptismi validitatem defendebant, & hanc validitatem pergerent impugnare, etiam post plenarium totius orbis Concilium, hoc est, post Nicænam Synodum, canone 19. recipientem baptismum ab hæreticis forma debita collatum: quorum primum non fecit, secundum verò non fecisset Cyprianus, cujus tamen exemplo tegere se nitebantur Donatistæ.

Dices. S. Augustinus, lib.4. contra duas epist. Pelag. cap. ult. docet aliquas saltem fidei controversias finiri non posse sine Concilio generali. *Aut verò,* inquit, *congregatione Synodi* (generalis) *opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi* (generalis) *congregatione damnata sit: cùm potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit. R.* S. Doctorem loqui non de necessitate absoluta, & propriè dicta, contra quam hìc pugnamus, sed tantùm de necessitate secundùm quid & impropriè dicta, fundata in magna aliqua difficultate hæreseos progressum, & fidelium eversionem impediendi, vitandi vel extinguendi magnum aliquod schisma, novitatis defensores & patronos opprimendi extra Concilium generale.

Bonitas responsionis patet ex eo, quòd per rarissimas hæreses, propter quas damnandas necessitatem congregandi Synodum generalem extitisse dicit, intelligat Arianam & Macedonianam. Quis autem neget has hæreses tam potisse finaliter damnari sine generali Concilio, quàm potuit damnari & re ipsa damnata est Pelagiana hæresis, quæ & ab ingeniosis auctoribus accerrimè defensa fuit, & patronos habuit Episcopos non paucos, ob doctrinam & apparentem morum sanctimoniam minimè contendendos, & tam profundi fuit examinis, quàm Ariana hæresis, quantùmvis evidentiam ejus exaggeret S. Doctor.

Porrò quandonam hac secunda necessitate necessarium sit Concilium generale, summi imprimis Pontificis est judicare (cujus utpotè Ecclesiæ rectoris & moderatoris universalis munus est bono Ecclesiæ providere) non novatorum, qui Concilia generalia petunt, non ut lites tandem aliquando, sed ut nunquam finiantur. *Hanc gloriam,* ut ait S. Doctor ibid. *captant, ut propter illos totius orbis Synodus congregetur, & quoniam, Domino eis resistente, orbem catholicum pervertere nequeunt, saltem, commovere conantur.*

DISPUTATIO IX.

De Judice Controversiarum.

ARTICULUS I.

Utrùm detur in Ecclesia judex controversiarum fidei, & qualis.

Responsio I.

DAtur in Ecclesia aliquis judex contoversiarum in materia fidei. Est de fide.

Prob. Christus Ecclesiæ suæ (supple semper visibili) contulit media omnia ad ejus conservationem necessaria: quòd enim Christus voluerit Ecclesiam suam esse perpetuam, & tamen aliquid ei ad hanc perpetuitatem necessarium denegarit; sine blasphemia asseri non potest. Atqui judex controversiarum in materia fidei est medium necessarium ad conservationem veræ Christi Ecclesiæ. Ergo, &c.

Prob. min. Nam vera Christi Ecclesia stare non test sine unitate fidei, ut constat ex dictis suo loco de notis & characteribus veræ Christi Ecclesiæ. Unitas autem fidei conservari non potest sine judice controversiarum in materia fidei: cùm enim identidem etiam graves in materia fidei suscitentur controversiæ, vel ob rerum obscuritatem, vel ob dæmonum aut hominum malitiam, sine judice, cujus judicio omnes possint & debeant acquiescere, certo certiùs membra Ecclesiæ in diversas distraherentur

tur partes in materia fidei, sicque in materia fidei aliis aliud, & aliis aliud tenentibus, fidei unitas tolleretur. Ergo, &c.

Dices. Ad conservandam unitatem fidei sufficiunt revelationes divinæ, sufficienter propositæ per motiva credibilitatis. Ergo non requiritur controversiarum judex. Neg. ant. *Probabis*. Revelationes divinæ per motiva credibilitatis sufficienter propositæ, sufficiunt ad credenda ea omnia, quæ fide divina credenda sunt. *R.* revelationes divinas, sic propositas, sufficere ad credenda ea, quæ per eas clarè exprimuntur, secùs verò ad credenda ea, quæ per eas exprimuntur, confusè tantùm, aut ita per eas exprimuntur, ut locus relinquatur dubitationi & controversiæ circa germanum sensum earum; tunc enim præter motiva credibilitatis, quibus revelationes divinæ sufficienter proponuntur ut divinæ, ad hoc ut omnes credant id quod fide divina credendum est, & ita ad hoc ut una & eadem sit omnium fides requiritur sententia judicis controversiarum, qua tollatur dubitatio, & controversia finiatur: alioquin privatus quisque revelationes divinas, quantùmvis ut divinæ sufficienter sint propositæ, suo modo interpretabitur in casu obscuritatis, vel controversiæ circa legitimum illarum sensum, atque ita unus credet sic, alter autem sic, quo pacto tot ferè sensus erunt in materia fidei, quot capita.

Responsio II.

Scriptura sacra non est judex controversiarum in materia fidei.

Prob. 1. Nam si Scriptura est judex controversiarum in materia fidei, vel sumpta secundùm litteram, vel sumpta secundùm sensum. Neutrum dici potest. Non primum: ut enim dicit Apostolus 2. Cor. c. 3. *Littera occidit*, & est hominibus propter eorum infirmitatem vel malitiam errandi occasio, ut hactenùs satis superque ostendit experientia, & probat exemplum omnium fermè hæreticorum, qui prava sua dogmata stabilire conati sunt Scripturæ divinæ testimoniis. Atqui quod est hominibus occasio errandi, & ad stabiliendos errores suos abutuntur hæretici, minimè idoneum est ad dirimendas fidei controversias. Ergo Scriptura sacra, sumpta secundùm litteram, nec est, nec potest esse judex controversiarum in materia fidei.

Non etiam secundum: nam ad judicem controversiarum requiritur, ut sententiam possit clarè pronunciare, & clarè pronuntiet, ita ut intelligatur ab utraque litigantium parte, nullumque tergiversationi locum relinquat; alioquin frustra pronunciaret sententiam. Atqui saltem sæpè aut omninò non potest, aut non nisi obscuram & ambiguam potest ferrè sententiam Scriptura sacra secundùm sensum considerata; cùm germanus Scripturæ sensus sæpe obscurus sit & ambiguus. Unde sæpe fit, ut utraque litigantium pars eodem utatur Scripturæ testimonio, illudque ad sensum suum trahat.

At inquies. Quando sensus Scripturæ obscurus est in uno loco, in alio clarus est, atque ita Scriptura semper potest clarè pronunciare, & semper clarè pronunciat sententiam. *R.* Si ita est, quare novatores, qui Scripturam sacram ut omnium fidei controversiarum judicem agnoscunt, nullum altercandi finem faciunt, sed æternum inter se digladiantur circa plures articulos fidei? Quare, ut lites suas finiant, non recurrunt ad clara illa loca, quibus aiunt à Scriptura sacra clarè pronuntiari posse sententiam?

R. 2. Gratis & falsò dici nullum esse Scripturæ locum obscurum, cui non respondeat alius locus clarus, quo Scriptura sacra sententiam clarè pronuntiat, & pronuntiando, omnem alteriùs tollit obscuritatem: hoc enim evidenter repugnat experientiæ, & contrarium probat perpetua Ecclesiæ praxis. Et verò quotiescumque extitit aliqua de legitimo alicujus Scripturæ sensu propter ejus obscuritatem controversia, Ecclesia semper ad traditionem confugit, ut legitimum illum sensum vel investigaret, vel contra novatores defenderet, ut patet ex actis Conciliorum.

Prob. 2. Hic agitur de judice controversiarum, qui possit omnes omninò controversias in materia fidei timere. Atqui hoc non potest Scriptura sacra. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam multæ fuerunt, & sunt graves fidei controversiæ, quarum nulla prorsus mentio fit in Scriptura sacra, utrùm v.g. baptismus ab hæreticis collatus cum expressa sanctissimæ Trinitatis invocatione, validus sit; utrùm valeat baptismus infantia receptus; utrùm exorcismus & aliæ cæremoniæ, quibuscum baptismus confertur in Ecclesia, rectè adhibeantur; utrùm Symbolum, quod Apostolorum dicitur, si verè Apostolicum; utrùm sint plura, quàm duo Sacramenta, utrùm septem sint; utrùm libri Tobiæ, Judith, &c. sint Scriptura sacra; & aliæ multæ, quæ proinde per Scripturam sacram decidi nullatenùs possunt. Adde ab exordio Ecclesiæ hactenùs plurimas easque graves controversias exortas esse circa verum & legitimum sensum Scripturæ propter ejus obscuritatem, quas ex ipsa Scriptura dirimi non potuisse, & ad earum decisionem ad traditionem recurrendum fuisse docuit experientia.

Responsio III.

Spiritus privatus non est judex controversiarum in materia fidei.

Prob. Nam spiritus ille privatus, quem Lutherani & Calvinistæ volunt esse judicem controversiarum in materia fidei, vel est privatis cujusque judicium naturale, vel interna, ut aiunt, Spiritus sancti persuasio, qua verum à falso discernitur in fidei controversiis. Neutrum dici potest.

Non primum: hominis enim judicium naturale in rebus præsertim ad fidem pertinentibus, errori maximè obnoxium est, ut constat experientia. Talem autem controversiarum in materia fidei judicem Ecclesiæ suæ Christum dedisse, quis sanæ mentis dixerit? Præterea, pro controversiarum fidei judice privati cujusque judicium naturale qui assignat, assignat pro controversiarum fidei judice non unitatis, sed divisionis & dissensionis in fide principium (nam ut vulgò dicitur, quot capita, tot sensus, & quod uni naturaliter sapit, alteri insulsum est naturaliter) hoc autem rectè pugnat cum scopo Christi, qui in dando Ecclesiæ suæ controversiarum fidei judice, unitati fidei providere voluit.

Non etiam secundum: nam vel omnes internam hanc Spiritus sancti persuasionem habent, vel aliqui tantùm. Si primum, habent, illam Lutherani & Calvinistæ, atque ita cùm inter se dissentiant in materia fidei, putà circa præsentiam Christi in Eucharistia, Spiritus sanctus convincitur sibi contrarius esse, simulque verum ut falsum, & falsum ut verum docere, quod est blasphemum & impium. Si secundum, nec constat, nec constare potest sufficienter, quis ex duobus, Luthero v.g. & Calvino, de aliquo fidei articulo, putà de præsentia Christi in Eucharistia, litigantibus, internam illam Spiritus sancti persuasionem habeat; atque ita uterque impunè potest illam prætendere, & dicere ab illa sibi causam adjudicari. Unde interna illa persuasio planè inutiliter sententiam fert, & post sententiam latam tam obscura & incerta est veritas fidei, quàm ante. Talem autem judicem, qui certò agnosci non possit ab utraque parte litigantium, quique proinde ut omninò non possit, aut non nisi planè inutiliter possit ferre sententiam, Ecclesiæ ad dirimendas fidei controversias datum dicere, insanire est.

Responsio IV.

Principes sæculares non sunt judices controversiarum in materia fidei. Est contra Anglicanos.

Prob. 1. Ex Apostolo Ephes. c. 4. ubi sic ait: *Et ipso* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei . . . ut non*

jam

jam simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Quibus verbis Apostolus, 1. dicit Christum instituisse regimen Ecclesiæ duraturum usque ad finem mundi. Dicit Christum hoc regimen instituisse eo præsertim fine, ut homines, qui sunt in Ecclesia, in vera fide confirmentur, & in ea cum authoritate contineantur, atque defendantur contra hæreticorum fraudes & nequitiam. 3. Cùm recenset eos quibus hoc regimen, adeòque fideles in vera fide stabiliendi & continendi, atque novitates & novitatum fabricatores proscribendi munus commisit Christus, nullam prorsus principum sæcularium mentionem facit. Ergo, &c.

Prob. 2. Authoritate Patrum, pro quibus omnibus hìc nobis sufficient Ambrosius & Athanasius, quorum hìc in sua ad solitariam vitam agentes epistola, his verbis Constantium Imperatorem exagitat: *Quis videns eum in decernendo principem se facere episcoporum, & præsidere judiciis ecclesiasticis, non meritò dicat eum illam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est.* Ille verò in sua epistola 32. quæ est ad Valentinianum Imperatorem, sic ait: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio.*

Prob. 3. ex perpetua praxi Ecclesiæ, in quâ controversiarum fidei judicium ad principes sæculares nùnquam delatum est, sed ad Pontificem Romanum, & alios Episcopos, qui tunc regebant Ecclesiam, ut probant historiæ Ecclesiasticæ, & acta Conciliorum tam particularium, quàm generalium, quæ variis temporibus ad extinguendas insurgentes hæreses celebrata fuere.

Confirmatur ex sensu & praxi religiosorum principum, ut Constantini magni, de quo sic loquitur Ambrosius epistola proximè citata: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, factum est sub Constantino augustæ memoriæ principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus.*

Jovianus, qui non alios rectam fidem docere præsumpsit, sed ipse doceri voluit ab Athanasio, ut traditur in Athanasii vita, ubi de Joviano dicitur: *Scripsit etiam Athanasio ... petens ut ei rescriberet perfectam divinorum dogmatum disciplinam.*

Valentiniani senioris, quem Sozomenus, lib. 6. hist. Eccl. cap. 7. Hypatiano Episcopo, suo & aliorum Episcoporum nomine, congregandæ ad corrigendam fidei doctrinam Synodi licentiam petenti, in hunc modum respondisse narrat: *Mihi quidem in laicorum ordine constituto, fas non est hujusmodi negotia curiosiùs scrutari. Sacerdotes verò, quibus id curæ est, seorsum ubicumque voluerint conveniant*; cujus responsi meminit Ambrosius in citata epistola.

Theodosii junioris, qui in sua ad Ephesinam Synodum epistola sic loquitur: *Nefas est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.* Adde factum septem priorum Synodorum generalium, quas convocarunt Imperatores ad dirimendas fidei controversias: hoc enim facto causarum in materia fidei judicium ad se non pertinere, palàm professi sunt.

Responsio V.

Populus christianus non est judex controversiarum in materia fidei.

Prob. Ille non est judex controversiarum fidei, cujus est non docere, sed doceri; non pascere, sed pasci; non regere, sed regi: talis enim est non præscribere, sed audire quid tenendum ut orthodoxum, quidve ut heterodoxum repudiandum sit. Atqui populi christiani est doceri, non docere; pasci, non pascere; regi, non regere: populus enim christianus grex est, cujus pastores sunt Romanus Pontifex, & alii Ecclesiæ Episcopi. Gregis autem est pasci & regi, sicut pastorum est pascere & regere. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit S. Gregorius Nazianz. orat. 9. ubi sic ait: *Oves, pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite: satis enim vobis est, si rectè pascamini. Judices non judicate, nec legislatoribus leges præscribite, non est enim confusionis Deus, sed pacis & ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est.*

Præterea, si Christus populo christiano controversiarum fidei judicium commisit, certè voluit à populo christiano controversias fidei dirimi, vel per viam instinctus, seu internæ persuasionis à Spiritu sancto profectæ, vel per viam discussionis & examinis. Neutrum dici potest. Non primum: nam instinctus ille, & prætensa illa persuasio interna, à Spiritu sancto profecta ad dirimendas fidei controversias, nullibi in Scriptura Sacra populo christiano invenitur promissa; nullum illius extat vestigium in traditione; ante Lutheri & Calvini tempora audita non fuit in Ecclesia; seminarium est discordiarum & hæresum. Unde talem modum dirimendi controversias fidei à Deo esse institutum, impium est asserere: *Non est enim*, ut ait Nazianzenus, *confusionis Deus, sed pacis & ordinis.*

Non etiam secundum: quòd enim Christus populo christiano, cujus maxima pars rudium & idiotarum est, quaslibet fidei controversias etiam intricatissimas discutiendi & examinandi, atque ad hunc finem Scripturarum divinarum sensum legitimum perscrutandi, veras traditiones investigandi, Patrum orthodoxorum scripta, & Conciliorum symbola vel decreta expendendi, quantum ad ferendam sententiam opus est, munus contulerit, dicere & evidenter falsum, & stultissimum est.

Dices. In veteri Ecclesia non semel disputationes de causis fidei etiam à piis & sanctis viris institutæ fuerunt coram populo christiano tanquam judice. Ergo, &c.

Pro solutione nota. Duplex distingui potest & debet judicium, unum scilicet publicum, & alterum privatum. Publicum est illud, quod publicus judex profert cum auctoritate illud proferendi, & obligandi cæteros ad acquiescendum illi. Privatum judicium est sententia, quam utraque parte litigantium audita, auditor quisque ut veram elegit, sed eligendo, neminem alium ad sic sentiendum obligat, aut obligare potest.

Ad obj. itaque R. Populo christiano judicium publicum in causa fidei nunquam attributum esse à viris catholicis, sed solum aliquando ei delatum esse judicium privatum, & quia tunc fieri nihil poterat, quod in illis utilitatem magis conduceret, publicas à viris catholicis in causa fidei initas esse cum hæreticis disputationes coram illo, permittendo illi ut auditis & ponderatis utriusque partis rationibus, quam vellet ut meliùs sentientem sequeretur. Quod rectè & prudenter factum iri non diffitemur, quoties bonus disputationis exitus probabiliter sperabitur, nec alius periclitanti fidei subveniendi, & fidelium eversionem impediendi suppetet modus.

Dices. S. Ambrosius epist. 32. ad Valentinianum Imperatorem, judicium publicum in causa fidei attribuit populo. *R.* hoc esse falsum. Itaque in hac epistola Ambrosius, 1. judicium publicum in causa fidei attribuit solis Episcopis: sic enim loquitur: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio.* Superiùs dixerat: *Si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus christianis* (adeòque de christiano populo) *non Imperatores*) aut populum christianum) *de Episcopis judicare?*

2. Necessitate compulsus, tantùm defert populo judicium privatum in causa fidei: sic enim ait: *Veniant planè si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam judex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ sacerdote: si audierit illum populus, & putaverit meliùs disputare; sequatur*

tur fidem ejus: non invidebo. Dixi autem, necessitate compulsus. Pro quo

Nota. Valentinianus junior, qui favebat Arianis, jusserat Ambrosium cum Auxentio Ariano Episcopo de fide disputare in consistorio coram judicibus laicis, ipso Imperatore, juvene & catechumeno, præside & arbitro. Ea qua decebat Episcopum constantia renuit Ambrosius, simulque, quod reliquum erat, ne videretur adversarium reformidare, & de causæ suæ bonitate diffidere, indeque pœna canendi ansam Ariani sumerent, scripsit ad Imperatorem, paratum se ad congrediendum cum Auxentio in Ecclesia coram populo, non ut ferret sententiam, qua stare tenerentur omnes, sed ut auditis hinc inde rationibus, quàm vellet fidem amplecteretur; quam conditionem securè proponebat Ambrosius, utpotè qui populi Mediolanensis orthodoxiam, ejusque erga Nicænam Synodum devotionem exploratam habebat.

Responsio VI.

Primi pastores seu Episcopi sunt judices controversiarum in materia fidei.

Prob. 1. ex Apostolo Ephes. c. 4. dicente, Christum Ecclesiæ dedisse apostolos, & pastores ac doctores, hoc est, episcopos, Apostolorum successores, quos vocat pastores & doctores, quia pascunt & docent; vel, si vis, quia docendo pascunt gregem Christi; Christum, inquam, Ecclesiæ dedisse Apostolos, &c. *ut non simus parvuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ergo ex Apostolo, Christus Apostolis, & Episcopis eorum successoribus munus imposuit, fideles in vera fide confirmandi & stabiliendi, quæ vera sunt docendo, quæ falsa proscribendo; dubitationes, quæ in materia fidei exoriuntur, resolvendo; lites, quæ per hominum hæreticorum nequitiam excitantur, decidendo; hæreticos ipsos, qui fideles omni modo conantur circumvenire, & erroribus suis inficere, profligando: hæc enim omnia necessaria sunt, *ut non simus parvuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.*

Prob. 2. ex constanti & perpetua consuetudine Ecclesiæ: nam Ecclesia omnibus ætatibus exortas in materia fidei controversias detulit ad Episcopos, & per Episcopos decidit. Sic primo sæculo exorta de legalibus controversia ad Apostolos delata fuit, & ab illis definita in Concilio Hierosolymitano. Secundo sæculo controversia de Paschatis celebratione judicata fuit à Victore in particulari Synodo Romana, & ab aliis particularibus Synodis tunc temporis in variis orbis christiani partibus celebratis. Tertio sæculo Novatianorum schismata & hæresim in Concilio Romano proscripsit Cornelius. Quarto sæculo Ariana hæresis à Nicæno, & Macedoniana à Constantinopolitano Concilio damnata est, &c.

Prob. 3. ratione. Nam illorum est controversia in materia fidei decidere, quorum est docere fideles, gregem Christi pascere, regere Ecclesiam Dei, bonum fidei depositum custodire: manifestum enim est, tales munus suum ritè obire non posse sine authoritate dirimendi controversias fidei, de illisque ferendi sententiam, cui sese submittere teneatur populus Christianus. Atqui Episcoporum est docere fideles, juxta illud Matth. c. 28. *Docete omnes gentes*, dictum Apostolis, & in Apostolorum persona Episcopis, qui successores sunt Apostolorum. Item Episcoporum est pascere gregem Christi, juxta illud Joan. c. 21. *Pasce oves meas*, dictum Petro & successoribus ejus, & illud 1. Petri c. 5. dictum Episcopi in propria persona, *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Item Episcoporum est regere Ecclesiam Dei, juxta illud Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Item Episcoporum est, custodire depositum fidei, juxta illud 1. Timoth. c. 6. *Depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates;* & illud 2. ad eund. c. 1. *Formam habe sanorum verborum, bonum depositum custodi.* Quibus verbis cùm Apostolus adhortatur Episcopum ad fidelibus custodiendum fidei depositum, apertè supponit & significat, hujus depositi custodes à Christo constitutos fuisse Episcopos.

Responsio VII.

Datur in Ecclesia aliquis Judex infallibilis controversiarum in materia fidei.

Prob. Quia datur in Ecclesia judex controversiarum fidei, cujus judicio fideles omnes tenentur acquiescere: alioquin nunquam finirentur controversiæ in materia fidei, nunquam finaliter damnari possent prava hæreticorum dogmata, & post latam à judice sententiam, adhuc unicuique liberum esset, quàm vellet partem amplecti sicque deesset in Ecclesia medium efficax hæreticorum contumaciam frangendi, dissidia, quæ circa doctrinam in Ecclesia persæpe exoriuntur, compescendi, finales in unius fidei professione continendi: unde brevi destruerentur unitas fidei, & in fide confusio ac diversitas induceretur, sicque periret vera Christi Ecclesia contra expressam Christi de perpetuitate Ecclesiæ promissionem. Atqui judex, cujus judicio tenentur fideles omnes acquiescere in materia fidei, est in materia fidei infallibilis. Ergo, &c.

Prob. min. Nam si judex ille in materia fidei fallibilis est, fieri potest, ut ferat judicium falsum in materia fidei; adeòque fieri potest, ut fideles omnes teneantur acquiescere judicio falso in materia fidei; & sic fieri potest ut Ecclesia universa erret in fide, quod expressis Christi promissionibus repugnat, & Apostolo affirmanti Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis. Ergo, &c.

Præterea, datur in Ecclesia judex controversiarum, cujus judicio in materia fidei fideles omnes tenentur adhærere assensu firmissimo, & omnem prorsus dubitationem excludente: tenentur enim actu firmissimo credere id quod definit esse de fide, & actu firmissimo discredere id quod definit esse contra fidem; alioquin in iis ferè omnibus, quæ fidem spectant, fideles essent sicut parvuli, fluctuantes, & vacillare possent: unde facilè contingeret eos circumferri omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, quod est contra expressam ab Apostolo intentionem Christi. Atqui talem judicem necesse est infallibilem esse in materia fidei: nam si non esset in materia fidei infallibilis, judicia ejus in materia fidei essent errori obnoxia. Et si judicia ejus in materia fidei essent errori obnoxia, non possent rationabiliter fideles eis adhærere assensu firmissimo, adeòque ad id teneri non possent: neminem enim teneri posse ad id, quod non potest rationabiliter, per se manifestum est.

Responsio VIII.

Corpus pastorum, cujus caput est Romanus Pontifex, membra verò reliqui Episcopi toto orbe dispersi, est infallibilis judex controversiarum fidei.

Prob. Quia ibi saltem reperitur infallibilitas in decidendis fidei controversiis, ubi reperitur suprema auctoritas illas decidendi, ut per se manifestum est. Atqui suprema auctoritas decidendi controversias fidei reperitur in corpore illo, cujus caput est Romanus Pontifex, membra verò cæteri Episcopi toto orbe dispersi: nam 1. quod in illo corpore sit auctoritas decidendi controversias fidei, patet ex dictis Resp. 6. 2. Quod hæc auctoritas sit suprema, probatur ex eo quòd nulla alia aut major, aut etiam æqualis possit assignari in terris. Nec dic majorem esse auctoritatem in ordine ad decidendas fidei controversias in universitate pastorum simul & ovium, quàm in sola universitate pastorum: cùm enim, ut constat ex dictis Resp. 5. in ordine ad decidendas controversias fidei, nulla sit auctoritas in ovibus seu simplicibus fidelibus, ex universitate ovium conjuncta cum universitate pastorum, non potest resultare aliquid majus in ratione auctoritatis in ordine ad decidendas controversias fidei. Ergo corpus pastorum, cujus caput est Romanus Pontifex, &c. est infallibilis

judex

judex controversiarum fidei. Corpus igitur pastorum, cujus, &c. est infallibilis æquè ac supremus controversiarum fidei judex.

Responsio IX.

Concilium perfectè œcumenicum est supremus & infallibilis judex controversiarum fidei.

Prob. Nam Concilium perfectè œcumenicum & dicitur, quia repræsentat totum corpus pastorum in ordine ad statuenda ea, quæ ad fidem vel mores pertinent. Ergo in Concilio perfectè œcumenico residet tota auctoritas corporis pastorum in ordine ad statuenda ea quæ ad fidem vel mores pertinent. Ergo Concilium perfectè œcumenicum habet supremam & infallibilem authoritatem statuendi ea quæ pertinent ad fidem, adeòque supremus est & infallibilis judex controversiarum in materia fidei.

Responsio X.

Extra Concilium generale, Romanus Pontifex saltem cum Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate ei consentiente, est supremus & infallibilis judex controversiarum fidei.

Prob. 1. A pari. In Concilio œcumenico suprema & infallibilis auctoritas, quam habet corpus pastorum ad decidendas controversias fidei, exercetur per Romanum Pontificem, & Episcoporum ibi præsentium pluralitatem ei consentientem; atque ita in Concilio œcumenico Romanus Pontifex, cum Episcoporum ibi præsentium pluralitate ei consentiente, est supremus & infallibilis judex controversiarum fidei. Ergo similiter extra Concilium œcumenicum suprema illa & infallibilis auctoritas exerceri potest, & exercetur per Romanum Pontificem, & Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitatem ei consentientem; atque ita extra Concilium œcumenicum Romanus Pontifex, cum Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate ei consentiente, est supremus & infallibilis controversiarum fidei judex.

Prob. conseq. Quia pro utroque similis est ratio: nam sicut in Concilio œcumenico, si ibi ad exercitium supremæ & infallibilis auctoritas, quam habet corpus pastorum ad finiendas fidei controversias, requireretur Episcoporum ibi præsentium totalitas cum Romano Pontifice; vel unico cæteris contradicente Episcopo, nec controversia finiri, nec hæresis, quantumvis perniciosa, finaliter damnari posset; & sic v. g. in Nicæna Synodo, in qua Episcopi aliqui Arii blasphemiam damnare pertinaciter renuerunt, Ariana hæresis non esset damnata finaliter, quod est falsum & absurdum: ita extra Concilium œcumenicum, si ad exercitium illius ejusdem auctoritatis requireretur Episcoporum toto orbe dispersorum totalis cum Pontifice Romano, vel unico invito Episcopo, controversia, quantumvis periculosa, finiri, & perniciosa novitas, quæ vel unum Episcopum auctorem haberet vel patronum, finaliter proscribi non posset, etiam iis circumstantiis, in quibus Concilium œcumenicum convocari & celebrari, moraliter esset impossibile. Christum autem fidei christianæ incolumitati non aliter providisse quis catholicus credet?

Adde inde etiam secuturum, quòd cùm Episcopi non pauci pro Pelagii erroribus contumaciter steterint etiam post decretum Zozimi, nequidem per illud decretum, quamvis totius ferè orbis Episcoporum subscriptionibus firmatum, causa Pelagii finita fuerit, & ejus hæresis finaliter damnata, quod totius antiquitatis sensui certo certiùs repugnat.

At inquies. Extra Concilium œcumenicum ad exercitium supremæ illius & infallibilis auctoritatis, quam habet corpus pastorum ad finiendas controversias fidei, non requiritur quidem Episcoporum toto orbe dispersorum totalitas physica; ita ut si vel unus aut alter Romano Pontifici non consentiat, per judicium à Romano Pontifice latum, cæteris omnibus consentientibus, non finiatur controversia, nec judicium illud censeri possit judicium corporis pastorum: at saltem requiritur præter Romanum Pontificem Episcoporum toto orbe dispersorum totalis moralis.

R. Hoc gratis & perperam dici; unde hoc nego, & dico extra Concilium œcumenicum, Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitatem sufficere cum capite: sicut gratis & perperam requireretur in Concilio œcumenico Episcoporum præsentium totalitas moralis, & pluralitas cum capite sufficit ad hoc ut finiatur controversia, & sententia quæ fertur, sit sententia Concilii, adeòque & corporis pastorum, quod Concilium repræsentat.

Ratio pro utroque casu est, quia 1. pluralitas judicum cum præside sufficit ex natura rei, ut omnibus notum est, ad ferendam sententiam etiam definitivam, quòdque Christus ampliùs quid requiri voluerit ad judicia Ecclesiastica etiam in materia fidei ferenda, & irretractabiliter ferenda, nulla prorsus ratione probari potest. 2. Hæc pluralitas est quid fixum & determinatum, omnibus facilè obvium, nullum cavillandi aut tergiversandi locum litigantibus relinquens. Unde convenientissimum fuit Christum hac pluralitate capiti conjuncta contentum esse, ut sic promptiùs & faciliùs insurgentes novitates proscriberentur, fidelium eversio impediretur, novatoribus qui nullum altercandi finem facere volunt, opprimeretur os, atque hoc pacto communi Ecclesiæ bono meliùs & efficaciùs prospiceretur.

E contra cùm totalitas moralis supra medietatem dicat excessum non qualemcumque, sed cum cujus tantitas non est ex natura rei certa & determinata, sed pendet ab æstimatione morali, quæ diversa est in diversis, ad totalitatem illam moralem pauciores supra medietatem Episcopos alii, plures requirent; imò quorum interierit, plures & plures successivè exigent, donec ad ipsam totalitatem physicam tantùm non perveniatur. Unde vix ac ne vix quidem constare poterit de morali illa totalitate, cujus necessitas inexhaustus erit altercationum fons, dum interea sub illa totalitatis moralis obscuritate impunè pergent novatores errores suos defendere cum magno Ecclesiæ damno, pervertentque plurimos. Ut igitur aliquid certum & determinatum habeatur in hac materia, unum è duobus dicendum est, scilicet vel sufficere pluralitatem, sive cum notabili excessu conjuncta sit, sive non; vel requiri totalitatem physicam. Hoc autem secundum admitti non posse probatum est. Ergo, &c. Sed

Sic tamen adhuc argumentor. Si suprema & infallibilis authoritas, quam habet corpus pastorum ad finiendas controversias fidei, extra Concilium œcumenicum non exercetur per Romanum Pontificem, & Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitatem ei consentientem, sive conjuncta sit cum excessu notabili, sive non; vel quia extra Concilium œcumenicum exerceri non potest nisi per totalitatem physicam, vel quia non potest nisi per totalitatem saltem moralem. Neutrum dici potest. Non primum, ut jam probatum est. Non etiam secundum: nam 1. hæc totalitas non requiritur ex natura rei, & è contra ex natura rei sufficere potest cum capite pluralitas etiam absque notabili excessu. 2. Hujus totalitatis necessitatem à Christo impositam esse, nulla prorsus ratione ostendi potest. 3. Est quid nimis vagum, indeterminatum, & cavillationibus obnoxium, ejusque necessitas gravia secum afferret incommoda, ut satis declaratum est. Ergo, &c.

Porrò Pontifici extra Concilium generale, & in particulari sua Synodo judicium ferenti de aliqua fidei controversia, pluralitas Episcoporum toto orbe dispersorum consentire potest dupliciter, expressè scilicet, & tacitè: expressè quidem, subscribendo, mandata publicando, vel suffragium suum quocumque alio modo, putà litteris exprimendo; tacitè verò, post evulgationem decreti Pontificii, contra illud non reclamando: cùm enim Christus perpetuò assistat, & efficaciter assistat corpori pastorum, ut depositum fidei sibi commissum

ſervet integrum uſque ad finem mundi, juxta hanc expreſſam ipſius promiſſionem Matth. c. ult. *Docete omnes gentes ... Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; quovis tempore decretum in materia fidei à Pontifice in particulari ſua Synodo editum, & poſtea evulgatum, procurante Chriſto, Epiſcoporum diſperſorum ſaltem pluralitati innoteſcet, quantùm opus eſt ut prudenter ei (dato quòd decretum in materia fidei à Pontifice in ſua particulari Synodo editum errori obnoxium eſſe poſſit) conſentiat vel diſſentiat, prout orthodoxum vel heterodoxum videbitur, eique, ſi fuerit heterodoxum, eodem Chriſto procurante, illa ſaltem Epiſcoporum diſperſorum pluralitas certo certiùs expreſsè diſſenſura eſt reclamando, ne pereat fidei depoſitum, & Eccleſia univerſa authoritate ſummi Pontificis in errorem inducatur.

Poſt evulgationem igitur decreti pontificii in materia fidei, non-reclamatio pluralitatis Epiſcoporum diſperſorum certiſſimum eſt indicium conſenſus illius, & quidem poſitivi, quo poſitivè decretum pontificium ut rectum, & fidei conſonum recipit & approbat, atque ſic illud poſitivè recipiendo & approbando facit ſuum; quamvis conſenſum exteriùs non exprimat ſigno aliquo poſitivo aut ſolemni, aut ſaltem publico: unde dicitur decreto pontificio tacitè tantum, non expreſsè conſentire, non quia non conſentit actu poſitivo, quo poſitivè approbet decretum, ſed quia actum illum poſitivum, quo poſitivè decretum approbat & adoptat, non aliter exteriùs prodit, quàm per non-reclamationem, quia judicat taciturnitatem ſufficere, aut conſenſum ſigno externo poſitivo & publico manifeſtatum non expetit ſummus Pontifex.

Corollarium I.

Decretum fidei in Concilio generali editum à pluralitate Epiſcoporum ibi præſentium, & à Romano Pontifice confirmatum, finale judicium eſt & irretractabile.

Sequitur ex Reſp. 9. & ratio eſt, quia decretum illud eſt judicium Concilii perfectè œcumenici, ſeu Concilii corpus paſtorum perfectè repræſentantis, adeòque eſt judicium, ſuprema & infallibili auctoritate latum. Atqui judicium, quod ſuprema & infallibili auctoritate fertur, finale eſt & irretractabile. Ergo, &c. Idem prorſus dicendum de decreto, in quo edendo Patres generalis Concilii ſequuntur inſtructionem ſummi Pontificis, ſeu ſententiam ejus ab ejus legatis in Synodo expoſitam: ſive enim Patres Concilii idem judicent quod præjudicavit Pontifex, ſive Pontifex idem judicet quod præjudicarunt Patres Concilii, perinde eſt ad perfectam Concilii œcumenicitatem, ut per ſe manifeſtum eſt. Quæ contra objicere poſſunt hæretici, vel mendacia ſunt, vel frivola. Conſule Bellarminum lib. 2. de Conciliorum auctoritate c. 6. & ſequentibus.

Corollarium II.

Decretum fidei extra Concilium œcumenicum à ſummo Pontifice in particulari ſua Synodo editum, & ab Epiſcoporum toto orbe diſperſorum pluralitate expreſſo conſenſu receptum, eſt definitiva & irretractabilis ſententia.

Sequitur ex Reſp. 10. & ratio eſt, quia decretum illud judicium eſt à ſupremo & infallibili judice prolatum; vel, ſi vis, judicium latum ſuprema & infallibili corporis paſtoralis auctoritate, ad cujus exercitium extra Concilium œcumenicum ſufficit Epiſcoporum toto orbe diſperſorum pluralitas, expreſsè conſentiens ſummo Pontifici, in particulari ſua Synodo aliquid decernenti in materia ad fidem pertinente. Atqui judicium aliquod ſuprema & infallibili auctoritate latum eſſe, & tamen non eſſe definitivum & irretractabile judicium, evidentem implicat contradictionem. Ergo, &c.

Corollarium III.

Decretum fidei extra Concilium œcumenicum à ſummo Pontifice in particulari ſua Synodo editum, & ab Epiſcoporum toto orbe diſperſorum pluralitate tacito conſenſu receptum, eſt definitivum & irretractabile judicium.

Sequitur ex Corollario ſuperiore: decretum enim pontificium tam fit decretum pluralitatis per tacitum conſenſum, quàm per conſenſum expreſſum: nam conſenſus tacitus tam eſt actus poſitivus, quàm expreſſus conſenſus, & tam per illum, quàm per hunc, pluralitas decretum pontificium poſitivè approbat ut rectum, & fidei conſonum, & ſic approbando adoptat: neque conſenſus tacitus ab expreſſo aliter differt, quàm quòd hic per ſigna quædam poſitiva, ille verò per ſolam non-reclamationem exteriùs manifeſtatur. Atqui decretum pontificium fit verè decretum pluralitatis expreſsè conſentientis Pontifici. Ergo ſimiliter decretum pontificium fit verè decretum pluralitatis, Pontifici tacitè conſentientis. Ergo decretum fidei extra Concilium œcumenicum à ſummo Pontifice in particulari ſua Synodo editum, & ab Epiſcoporum toto orbe diſperſorum pluralitate tacito conſenſu receptum, ſententia eſt judicis ſupremi & infallibilis, ſeu ſententia eſt, ſuprema & infallibili corporis paſtoralis auctoritate lata. Ergo, &c.

Dices. Ad hoc ut decretum pontificium fiat decretum pluralitatis, non ſufficit conſenſus internus, ſed præter internum requiritur externus. Atqui tunc tantùm pluralitas non ſolùm interiùs, ſed etiam exteriùs conſentit, cùm expreſsè conſentit. Ergo tunc tantùm decretum pontificium fit decretum pluralitatis, cùm pluralitas expreſsè conſentit Pontifici.

R. Conceſſa maj. neg. min. Itaque pluralitas non ſolùm interiùs, ſed etiam exteriùs conſentit, cùm tacitè conſentit. 1. Conſentit interiùs: nam habet actum internum poſitivum, quo poſitivè approbat decretum pontificium, illudque recipit ut verum, & fidei conſonum. 2. Conſentit exteriùs per non reclamationem; hæc enim non-reclamatio eſt ſuo modo ſignum externum, & cum conſenſu interno connexum, adeòque eſt ſignum ſenſibile conſenſus interni, & tam eſt, quamvis non eodem modo, ſignum ſenſibile conſenſus interni, quàm v.g. decreti ſubſcriptio: unde non-reclamatio eſt verè ſuo modo conſenſus externus, ſicut conſenſus externus eſt decreti ſubſcriptio. Ergo decretum pontificium tam verè fit decretum pluralitatis per conſenſum tacitum, quàm fit per expreſſum; proindeque decretum pontificium à pluralitate tacito conſenſu receptum, tam nititur ſuprema & infallibili auctoritate corporis paſtoralis, quàm ſi conſenſu expreſſo reciperetur; & ſic tam eſt judicium finale & irretractabile. Quod

Confirmatur ex ſenſu univerſæ Eccleſiæ: nam v.g. conſtitutiones Pii V. & Gregorii XIII. contra Bajum editæ, tacito tantùm conſenſu ab Epiſcopis orbe diſperſis receptæ fuerunt, & nihilominùs Eccleſia univerſa eas reveretur ut judicium finale & irretractabile, adeòque judicat illas eſſe ſufficienter receptas, ut verè cenſeantur eſſe judicium corporis paſtoralis, hoc eſt, judicis ſupremi & infallibilis controverſiarum omnium in materia fidei. Porrò ad effugium omne novatoribus occludendum, hic utiliter quæri poteſt, utrùm judicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, poſſit eſſe finale judicum & irretractabile, præciſo conſenſu Epiſcoporum orbe diſperſorum. Sit igitur pro hujus quæſtionis reſolutione

Responsio XI.

Judicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Eccleſia receptum, eſt hoc ipſo, adeòque præciſo omni tam tacito, quàm expreſſo Epiſcoporum orbe diſperſorum conſenſu, judicium finale & irretractabile.

Prob. Judicium infallibiliter rectum & verum pro finali & irretractabili haberi habet: ad quid enim retractaretur, præſertim cùm hic agatur de judicio pro-

prolato à supremo Ecclesiæ pastore, cui à Christo munus fideles omnes in vera fide confirmandi collatum est, adeòque collata est novitates omnes proscribendi auctoritas? Atqui judicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesia receptum, hoc ipso judicium est infallibiliter verum & rectum. Ergo, &c.

Prob. min. Nam judicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesiæ receptum, non magis potest in sensu composito hujus acceptationis falsum esse, & fidei dissonum, quàm potest ipsa particularis Ecclesia Romana aliquid quod heterodoxum est recipere ut orthodoxum, vel aliquid quod orthodoxum, est repudiare ut heterodoxum. Atqui neutrum potest particularis Ecclesia Romana; cum enim sit unitatis centrum, ad quod omnes aliæ Ecclesiæ particulares, quæ cum ea universalem Ecclesiam constituunt, convenire debent, profitendo scilicet eandem illam fidem, quam ipsa profitetur, non potest à recta fide deficere, atque ita aliquid heterodoxum ut orthodoxum recipere, vel aliquid orthodoxum ut heterodoxum repudiare nullatenùs potest. Sed de hoc jam aliàs suo loco fusè disputatum est. Ergo judicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesia receptum, nullatenùs potest falsum esse, & fidei dissonum in sensu composito hujus acceptationis, adeòque in sensu composito hujus acceptationis, seu, quod idem est, hac supposita acceptatione, infallibiliter verum est, & fidei consonum, præciso omni consensu, &c.

Porrò judicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum recipitur à particulari Romana Ecclesia, hoc ipso quòd recipitur à Collegio Cardinalium Romæ degentium. Cardinales enim Romæ degentes particularem Ecclesiam Romanam repræsentant in ordine ad acceptandum vel non acceptandum decretum pontificium. Hinc sit

Corollarium I.

Judicium in materia fidei, quod à Summo Pontifice profertur in frequenti conventu Cardinalium judicio consentientium, est judicium finale & irretractabile.

Ratio est, quia est judicium supremi pastoris, in ipsa sui prolatione ab ea Ecclesia, quæ centrum unitatis est, adeòque in rebus ad fidem pertinentibus falli non potest, receptum; ac proinde judicium est supremi pastoris infallibiliter verum & rectum. Atqui judicium supremi pastoris infallibiliter verum & rectum, non potest non esse finale, & irretractabile judicium. Ergo, &c.

Confirmatur. Omne in materia fidei judicium Sedis Apostolicæ censeri debet finale & irretractabile. Atqui judicium in materia fidei prolatum à Summo Pontifice in conventu frequenti Cardinalium huic judicio consentientium, est judicium Sedis Apostolicæ. Ergo censeri debet finale & irretractabile. Consequens patet.

Prob. 1. maj. Nam judicium in materia fidei latum à primo controversiarum fidei tribunali, censeri debet finale & irretractabile, si tribunal illud sit in fide infallibile. Patet ex terminis. Atqui Sedes Apostolica est primum controversiarum fidei tribunal, est enim prima Sedes, in qua Petrus in sui successoribus impositum sibi à Christo fratres suos, hoc est, universos fideles in vera fide confirmandi munus exercere potest & debet, de insurgentibus fidei controversiis judicium ferendo. Præterea, Sedem Apostolicam esse in fide infallibilem, satis probat unanimis Doctorum omnium Catholicorum consensus. Ergo, &c.

Prob. 2. min. ex vulgatissimo S. Augustini testimonio serm. 2. de verbis Apostoli; ubi ait: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est.* Nam judicium illud, quo dicit S. Doctor finitam fuisse causam Pelagii, continebatur rescriptis Innocentii Pontificis ad præsules Africanos, ut patet ex his S. Doctoris verbis: *Inde rescripta venerunt*; quibus scilicet causa finita est. Sed judicium quod rescriptis illis continebatur, latum erat ab ipso Pontifice, ut ex rescriptorum lectione clarum est, nec latum erat à Pontifice, nisi post sufficientem consultationem, & diligens veritatis examen tum Clero Romano initum, adeòque à Pontifice, conscio & suffragante Clero Romano, latum erat. Ergo judicium illud, quo dicit S. Doctor finitam fuisse causam Pelagii: judicium erat à Romano Pontifice, conscio & suffragante Clero Romano, latum, adeòque S. Doctor per Sedis Apostolicæ judicium, intellexit judicium latum à Romano Pontifice, &c. Sed de hoc adhuc infrà.

Corollarium II.

Judicium in materia fidei, quod à Summo Pontifice profertur in frequenti conventu Cardinalium huic judicio suffragantium, & postea Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate expresso vel tacito consensu receptum, duplici nititur infallibilitate; infallibilitate scilicet particularis Ecclesiæ Romanæ, & infallibilitate corporis pastoralis.

Patet ex dictis hactenùs. Porrò quamvis prima infallibilitas non videatur intendi per secundam, quia hoc ipso quòd Christus voluit particularem Ecclesiam Romanam esse unitatis centrum, sine quo rectam fidem tenente subsistere non potest universalis Ecclesia, quam idem Christus vult perpetuò durare usque ad consummationem sæculi; tam impossibile est particularem Ecclesiam Romanam à recta fide deficere, quam perire universalem Ecclesiam. Secunda tamen infallibilitas superflua dici non potest; plurimùm enim non solùm ad fideles in vera fide confirmandos, verùm etiam ad frangendam novatorum contumaciam conducere potest & conducit tam in Concilio generali, quàm extra illud.

ARTICULUS II.

Solvitur objectio petita à lapsu Liberii, & gestis Synodorum Ariminensis & Seleuciensis.

Obj. 1. Malè dicitur infallibilitatem corpori pastorali à Christo concessam, inveniri in pluralitate Episcoporum, sive in Concilio generali, sive extra illud. Ergo, &c. *Probabis ant.* Nam contingere potest, ut à recta fide deficiat pluralitas Episcoporum, & aliquando contigit, ut Episcoporum pluralitas à recta fide deficeret. *R.* nos infallibilitatem corpori pastorali concessam non ponere in pluralitate Episcoporum præcisè sumpta, sed in pluralitate Episcoporum, Romano Pontifici corporis pastoralis capiti conjuncta, eique consentiente; dicimusque fieri non posse, ut pluralitas Episcoporum cum Romano Pontifice erret in fide, adeòque supremam & infallibilem in decidendis fidei controversiis auctoritatem corporis pastoralis exerceri posse, & re ipsa exerceri per Romanum Pontificem, & pluralitatem Episcoporum ei consentientem.

Ad 1. part. probationis R. dist. Contingere potest, ut à recta fide deficiat pluralitas Episcoporum, dissentiendo à Romano Pontifice; transeat. Dico, transeat, quia hoc gratis asseritur, nec ullatenùs suaderi potest: imò verò contrarium, nempe contingere non posse, ut tanto schismate scindatur Ecclesia Christi, sufficientissimè probatur ex his verbis, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* & ex eo quòd hæc Christi Ecclesia non possit non esse catholica. Contingere potest, ut à recta fide deficiat pluralitas Episcoporum, consentiendo Romano Pontifici, N. Hoc enim evidenter repugnat Christo dicenti: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* supple, non solùm ne totum corpus pastorale, sed etiam ne membrorum ejus major pars cum suo capite à recta fide deficiat: quia si contingeret corpus pastorale in suo capite & majori parte membrorum suorum à recta fide deficere, periret Ecclesia, quia desineret esse catholica. Præterea, à recta fide necessariò deficeret universi-

ras ovium: simplices enim fideles cùm eis occlusa sit via discussionis & examinis in materia fidei, in rebus ad fidem pertinentibus majori auctoritati tenentur sese submittere; qualem esse pluralitatis Episcoporum Summo Pontifici adhærentis auctoritatem, nemo catholicus ambigit.

Ad 2. *part. prob. R.* neg. Falsissimum enim est, quòd aliquando contingerit, pluralitatem Episcoporum aut cum Romano Pontifice, aut etiam sine illo à recta fide deficere.

Dices. Imperante Constantio, & persequente Ecclesiam, Concilium Ariminense quadringentorum Episcoporum, & Seleucienſe Episcoporum centum & sexaginta unà cum Liberio Papa consenserunt in Arianismum. Ergo aliquando Episcoporum pluralitas unà cum Romano Pontifice à recta fide defecit. *R.* in hac instantia confundi omnia, eamque mendaciis scatere; nec tamen ex antecedente admisso quidquam contra nos secuturum.

Itaque quantùm attinet ad Liberium, dico, 1. imperitè & calumniosè dici, quòd in Arianismum consenserit. Lapsus quidem est Liberius ex imporenti recuperandæ Sedis desiderio, sed lapsus est, in Athanasii condemnationem consentiendo, & communicando cum Ursacio & Valente Arianis Episcopis, non verò Arianæ impietati suffragando: primam enim Sirmiensem formulam, quam in catholico sensu exponit Hilarius, non secundam, quæ Ariana est, & subscripsit: imò sub ipsius Constantii oculis eos qui Filium Patri secundùm substantiam & per omnia similem esse non confiterentur, condemnavit, & condemnando damnavit Arianam hæresim; nec ullo pacto ab Imperatore, quamvis exilii tædio fractus, adduci potuit, ut *omousii* vocabulum proscriberet.

Dico 2. falsò asseri, vel supponi, quòd Liberii lapsus eodem illo tempore contingerit, quo contingit lapsus Synodi Ariminensis: antequam enim ageretur hæc Synodus, jam ab aliquot mensibus Liberius reversus erat Romam, ibique, sed recuperata, statim pro Nicæna fide bellum Arianis indixerat; tantùmque abest, ut cum Ariminensi Synodo nomen Arianæ factioni dederit, ut è contra quæ perperam Arimini gesta fuerant, sine mora reprobarit & rescinderit, atque Episcopos, qui per vim & dolum ad subscribendam Nicensem formulam fuerant inducti, ad palinodiam, imperata illis Nicænæ formulæ subscriptione, coegerit. Vide tom. 2. pag. 139. & seq.

Quantùm attinet ad Ariminense Concilium, 1. S. Athanasius in sua ad Africanos epistola scribit, Episcopos catholicos Ariminum convenisse numero fermè ducentos; nec plures adfuisse, validè confirmatur ex eo quòd in eadem epistola S. Athanasius Ariminensi Synodo Nicænam opponens, hanc vocet magnam Synodum, & vim faciat in numero trecentorum & septemdecim Episcoporum, qui Nicænæ adfuerant. 2. Falsum est, quòd Ariminenſis Synodi Patres in Arianismum consenserint: nam si consenserunt, vel quia Valentem & alios, qui aderant, Episcopos Arianos in communionem suam receperunt, vel quia subscripserunt Nicensem formulam, in qua Filius præcisè dicebatur similis Patri secundùm Scripturas, & *usiæ* vocabulum proscribebatur. Neutrum dici potest.

Non primum: Arianos enim Episcopos in communionem suam recepere Patres Ariminenses, non quia ipsi facti erant Ariani, sed quia Episcopos illos aut nunquam animo fuisse Arianos, aut certè ad veram fidem sincerè conversos esse existimabant. Non etiam secundum: nam formula Nicenſis erat in sensu obvio catholica, quamvis facilè posset detorqueri in sensum hæreticum, præsertim postquam in ea repudiatum erat *usiæ* vocabulum: unde potuit quidem tam hæretico animo, quàm catholico subscribi: at quòd catholico animo, non hæretico, vel, si vis, quòd in sensu catholico, non in hæretico scripta fuerit à Patribus Ariminensibus, manifestum fit ex iis quæ proximè ante subscriptionem gesta sunt in Synodo. Vide tom. 2. pag. 129.

At inquies. Patres Ariminenses cum Arianis Episcopis proscripserunt nomen *usiæ*, seu substantiæ. *R.* proscripsisse quidem, & in eo graviter peccasse, quòd proscripserint; & proscribendo, Nicænam fidem abjecisse, non sine gravi scandalo videri sua culpa potuerint hominibus, eorum quæ in Synodo gesta fuerant, ignaris. At non ex eodem affectu proscripserunt, ex quo Ariani Episcopi: hi enim proscripserunt ex affectu hæresis Arianæ, ad quam perimendam vel solùm *omousii* vocabulum satis erat: illi verò ex affectu paucis & concordiæ Orientales inter & Occidentales Ecclesias conciliandæ, & quia aliunde judicabant, quod verum erat; veritatem catholicam, cui erant addictissimi, sine vocabulo *usiæ* teneri & defendi posse. Vide tom. 2. pag. 301. & seq.

Quantum ad Seleucienſem Synodum attinet, 1. ex centum & sexaginta Episcopis qui Seleuciam convenerunt, teste S. Hilario qui aderat, novemdecim tantùm reperti sunt Ariani, inter quos Antesignani locum obtinebat Acacius, quique Filium Patri dissimilem dixerint; reliqui verò partim *Omousiani*, partim *omœusiani* erant; ei quidem centum & quinque, & illi proinde, qui omnes erant Ægyptii, triginta sex, Porrò *Omœusiani*, qui reliquis numero superiores erant, quanquam Filium Patri *omousion* dicere renuerent, seu, quod idem est, respuerent *omousii* vocabulum, causantes illud non nisi rebus corporeis & mutabilibus attribui posse, nihilominùs rectè sentiebant de divinitate Filii: dicebant enim illum Patri *omœusion*, quæ vox *omousio* æquivalet. Vide tom. 2. pag. 130. 184. 255. & seq.

2. Acacianis *omousion* pariter & *omœusion* à Synodo damnari volentibus constanter restitere *Omœusiani* Episcopi, qui formulam Antiochenam, in qua Filius dicebatur *Deitatis, substantiæ, voluntatis, potentiæ, & gloriæ Patris absque omni dissimilitudine imago immutabilis & inalterabilis*, recipere nolentibus, anathema dixere, formulam Arianam ab Acacio fabricatum explosere, unam Antiochenam formulam ratam esse debere, pronunciavere, eamque subscripsere omnes. Quo facto ita Nicænam Symbolum prætermiserunt, & tacitè respuerunt, ut tamen ab eorum, qui Filium creaturam dicebant, blasphemia essent alienissimi. Ex his autem apparet, quàm falsò dicatur, in Seleucienſi Synodo centum & sexaginta, qui adfuerunt Episcopos, in Arianismum consensisse; cùm è contra ex illis centum & quadraginta pro Verbi divinitate steterint. Vide tom. 2. pag. 130. & seq.

Denique permisso toto antecedente. *R.* neg. conseq. Nam ex eo quòd quadringenti, vel etiam, ut volebant Julianus Pelagianus Episcopus, sexcenti Episcopi in Ariminenſi Synodo, & in Seleucienſi centum & sexaginta, in Arianismum consensissent, minimè sequeretur Episcoporum majorem numerum à recta fide defecisse sub Constantio; nam eo tempore plura erant in Ecclesia Episcoporum millia: imò jam ab eo tempore quo Donatistarum schisma exortum est, vel etiam ante tempus illud, plura millia Episcoporum numerabat Ecclesia, teste S. Augustino lib. 3. contra Cresconium cap. 3. ubi sic loquitur, & urget Donatistas: *Proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potius, &c.* Quibus verbis apertè significat, plura fuisse tunc temporis, quàm duo Episcoporum millia: non enim duo tantùm millia vocasset, aut etiam vocare potuisset tot millia.

Numerus igitur Episcoporum ab exordio Ecclesiæ ad exordium schismatis Donatistarum creverat ad tria saltem quatuorve millia, & hunc numerum sub Constatino Imperatore christianissimo, aut filio ejus Constantio, qui, quamvis ex errore faveret Arianis, humanus erat Princeps, & christiano nomini amicissimus, esse diminutum, credere stultum esset: imò verò multùm crevisse, par est credere. Certè anno 431. hoc est, ab Ariminenſi & Seleucienſi Synodis septuagesimo primo, seu Episcoporum millia numerabat S. Dalmatius:

sic

sic enim pro Synodo Ephesina Imperatorem interpellans, eum alloquebatur, tom. 3. conc. pag. 754. *Sex millia ne Episcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium?*

ARTICULUS III.

Solvitur objectio petita à facto Honorii.

Obj. Honorio dogmata hæreticum fidelibus proponenti ut verum fidei dogma, omnes fermè Episcopi tacitè vel expressè consenserunt. Ergo malè dicitur pluralitatem Episcoporum cum Romano Pontifice vera fide deficere non posse, etiam extra Concilium generale. *Probabis ant.* 1. Honorius, Heraclio imperante, ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcam Monothelitam scripsit litteras, quibus Monothelitarum placita confirmabat, expressè asserendo unam Christi voluntatem, & prohibendo dictionem duarum in Christo voluntatum. 2. Nullus in Occidente Episcopus palam restitit litteris illis, quandiu vixit Honorius. 3. Litteras illas expresso consensu receperunt tres Orientis Patriarchatus, Constantinopolitanus scilicet, Alexandrinus, & Antiochenus. 4. denique, unus aut pene unus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, contra illas Honorii litteras apertè reclamavit.

R. neg. ant. in quo mala fide supponitur ab Honorio editum esse solemne aliquod decretum, Ecclesiæ universæ proponendum, quod insigniter falsum est: nam Honorii litteræ vel in Synodo Episcoporum, vel saltem conscio & suffragante Clero Romana, conscriptæ fuissent, si quid in illis pro universa Ecclesia decernere voluisset Henorius. At neutrum dici potest. Non primum, ut testis est Honorius ipse in sua epistola, ubi ait, neque unam neque duas in Christo operationes esse dicendas, quia utrum dicendum sit, nondùm in aliqua Synodo examinatum est & definitum. *Non oportet*, inquit tom. 6. Conc. pag. 932. *ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare.*

Non etiam secundùm, ut probatur 1. ex epistola S. Maximi martyris ad Marinum presbyterum, ubi refert, tom. 5. CC. p. 1765. Anastasium Abbatem, cum primarios Ecclesiæ Romanæ viros percontaretur, *cujus rei gratia* in Honorii ad Sergium epistola, *vel qualiter inserta fuerit una voluntas, invenisse hæsitantes in hoc*, quod manifestum indicium est, illos hujus epistolæ minimè participes fuisse. 2. Ex eo quòd Heraclii Ecthesim, unius vel duarum operationum dictiones prohibentem, ubi primùm Romam delata est, reprobarit Clerus Romanus, cujus principes eam ob causam in exilium pulsi sunt, & ab Imperatoris satellitibus graviter vexati. Quo facto satis superque ostenditur, Honorii ad Sergium epistolæ neminem Romæ, quoad Honorius superstes fuit, præter Honorium ipsum & Amanuensem ejus conscium fuisse; quod ampliùs adhuc confirmatur ex eo quòd, publicata Honorii aliquantò post ejus obitum epistola, à Joanne IV. mediato ejus successore solus Amanuensis ille jussus fuerit, quo sensu unam Christi voluntatem in dicta epistola scripsisset, exponere, ut colligitur ex disputatione S. Maximi cum Pyrrho, quæ extat in tom. 5. Conc. Vide pag. 1813. & 1616.

Ad primam partem prob. ant. R. Honorium in sua ad Sergium epistola posuisse unam Christi voluntatem, non ut Christo solam voluntatem divinam attribueret, sed ut à Christo excluderet duas voluntates humanas contrarias. Voluntatem in Christo dixit Honorius, non unam simpliciter, sed unam humanam, nempe voluntatem spiritus, & dixit contra eos, quos scripserat Sergius duas in Christo ponere voluntates humanas, invicem reluctantes, nempe voluntatem spiritus, & voluntatem carnis; hoc est, ut nos loquimur, contra eos, quos Sergius scripserat Christo præter appetitum rationalem, concupiscentiæ fomitem attribuere.

Patet 1. ex Joanne Abbate qui hanc Honorii epistolam ex ipsius persona scripserat, quique totum Occidentem fide sua, aliisque virtutibus illustravit, ut testatur S. Maximus in sua cum Pyrrho disputatione, tom. 5. CC. p. 1813. Hic autem Joannes, olim apud Honorium Amanuensi. officio functus, & dictæ epistolæ conscriptor, de ea ad Constantinum Imperatorem jussu Joannis Papæ IV. scribens, sic loquebatur, tom. 5. Conc. p. 1816. *Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, sed humanitatis solius: cum enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat.*

Hic autem Joannem Abbatem non mentiri, & germanum exponere sensum epistolæ, ex ipsius epistolæ contextu facilè demonstrari potest: sic enim habet, tom. 6. Conc. pag. 929. *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à divinitate assumpta est nostra natura, non* (originalis) *culpa, illa profectò* (natura) *quæ ante peccatum creata est* (in statu innocentiæ; in quo caro spiritui, sicut & spiritus Deo perfectè suberat) *non quæ post* (Adami) *prævaricationem* (qua Adamus se ipsum & posteros suos originalis integritatis dono spoliavit) *vitiata* per fomitem concupiscentiæ. Tale autem ratiocinium ad hoc pertinere manifestum est, ut à Christo non voluntas spiritus, sed voluntas carnis, non appetitus rationalis, sed sola apperitus materialis rebellio excludatur, adeoque ab eo removeatur, non voluntas humana, sed voluntatum humanarum invicem reluctantium contrarietas, quæ effectus est culpæ originalis, quam non assumpsit divinitas.

Patet 2. ex apologia, quam pro Honorio ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium misit Joannes IV. Henorii post Severinum successor. In hac autem apologia expositionem nostram probans, sic ait, tom. 5. Conc. pp. 1760. & 1761. *Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster* (Honorius) *prænominato Sergio patriarcha percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis:* Et inferius: *Prædictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi, dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates.*

Ad id quod additur, Honorium prohibere dictionem duarum operationum in Christo, *R.* 1. privatas fuisse Honorii ad Sergium litteras, ut ex supra dictis manifestum est. Quòd autem Honorius privatis litteris aliquid pro universa Ecclesia præcipere vel prohibere intenderit, asserere satis ineptum est. Sergius privatis litteris Honorium (neque enim synodica fuit Sergii ad Honorium epistola) consuluit. Honorius vicissim privatis litteris Sergio respondit, exposuitque quid sibi privato videretur satis ad sedandas turbas illas, quas ex dictionibus unius operationis & duarum operationum in Oriente exortas esse scripserat Sergius, ab utraque videlicet dictione pariter abstinendum esse, donec aliud in aliqua Synodo statueretur; quoniam veritas catholica verbis duarum operationum dictioni æquivalentibus sufficienter exprimi & defendi poterat. Sed

Dato quòd pro universa Ecclesia prohibuerit dictionem duarum operationum cum dictione unius operationis, *R.* 2. prohibuisse ex affectu pacis & concordiæ inter Orientales Ecclesias conciliandæ, non verò ex affectu stabiliendi Monotheliismi: simul enim expressè voluit ut catholicum dogma verbis duarum operationum dictioni æquipollentibus exprimetur atque defenderetur. Patet ex ejus epist. quam his concludit verbis, tom. 6. Conc. pag. 933. *Hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum*

aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitùs atque humanitùs, fide ortodoxa, & unitate catholica prædicetis. Quibus verbis proculdubio jugulatur Monotheliſmus. Qui enim dicit Chriſtum in natura divina divinitùs, & in humana humanitùs operari, ſi non quoad vocem, certè quoad rem in Chriſto præter operationem naturæ divinæ propriam, agnoſcit & operationem aliam propriam naturæ humanæ; ſicque ſi non quoad vocem, certè quoad rem in Chriſto confitetur geminam operationem, unam divinam, & humanam alteram.

Ad 2. part. prob. R. nullum in Occidente Epiſcopum palàm reclamaſſe contra Honorii litteras quandiu ſuperſtes fuit Honorius; quia contra id quod penitùs ignoratur, reclamari non potuit, & Honorii ad Sergium epiſtola, quoad ſuperſtes fuit Honorius, in toto Occidente penitùs ignorata fuit. Sic autem fuit ignorata Honorii ad Sergium epiſtola, quia Sergius, ratus proculdubio epiſtolam hanc Monotheliſmo ſuo obfuturam potiùs, quàm profuturam eſſe, ſi evulgaretur, noluit eam in lucem prodire, & in ejus locum Ecthesim à ſe fabricatam ſubſtituit, publicavitque ſub Heraclii Imperatoris nomine.

Porrò quòd Sergius acceptam ab Honorio epiſtolam evulgare noluerit, apertè colligitur ex latrocinali Synodo, quàm Conſtantinopoli coegit pro confirmanda Ecthesi, & in qua cùm multa dicerentur ad ſtabiliendam hujus Ecthesis prætenſam orthodoxiam, ne vel leviſſima Honorii epiſtolæ injecta eſt mentio, aut ab ipſo Sergio, aut ab aliquo alio ex iis qui Synodo intererant. Et verò ſi Sergius epiſtolam illam publici juris fecerat, quare in Synodo laudata non eſt? quare ab omnibus, qui aderant, non expreſsè recepta? quare non Epiſcoporum expreſſo conſenſu, vel etiam ſubſcriptionibus firmata; quare non ejus auctoritate Ecthesi roborata?

Præterea, quòd Honorii epiſtola poſt ejus & Sergii obitum, ſaltem in Occidente primùm vulgata fuerit à Pyrrho, qui in Sergii ſedem & hæreſim ſucceſſerat, invictè probatur ex Joanne IV. in apologia quam ſcripſit pro Honorio, & in qua ſic loquitur: *Quantùm ex diverſis ſuggeſtionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quin immò ex ipſo quoque auditu didicimus, occidentales partes ſcandalizatæ turbantur, fratre noſtro Pyrrho Patriarcha per litteras ſuas huc atque illuc tranſmiſſas nova quædam & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium ſenſum quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Papam prædeceſſorem noſtrum attrahere feſtinante, quod à mente catholici Patris erat penitùs alienum.*

Quòd autem Honorii epiſtolam non publicarit Pyrrhus, niſi poſtquam Conſtantinopoli cedere coactus eſt ſatis colligitur ex Synodo, quam egit pro Ecthesi, in qua ipſe, & poſt eum, qui aderant, epiſcopi, Ecthesim ſubſcripſerunt, ſimulque decretum eſt, ut ab omnibus aliis abſentibus ſubſcripſerunt, nulla prorſus litterarum Honorii ad Sergium facta mentione. Itaque omninò dicendum videtur, tunc primùm à Pyrrho publicatam eſſe Honorii ad Sergium epiſtolam, poſtquam ſeditione populi, cujus ob hæreſim ſuam gravem offenſionem incurrerat, ex urbe regia pulſus in Africam navigavit, inde in alias omnes Occidentis partes tranſmittendo litteras, quibus adjunxit lacinias ex epiſtola Honorii decerptas, ut ſic faciliùs Romani Pontificis auctoritate Occidentales Epiſcopos ſibi conciliaret, omneſque, ſi fieri poſſet, pertraheret ad ſua caſtra.

Verſipellem hæreticum fefellit ſpes. Ingens in toto Occidente ſcandalum pepererunt ejus litteræ. Totus Occidens turbatus eſt, vel ob id tantum, quòd Romani Pontificis epiſtola hæreticæ pravitati favere videri potuerit. Reclamatum eſt, non ab uno vel altero, ſed ab omnibus Epiſcopis Occidentalibus. Ex omnibus Occidentis partibus expoſtulatoriæ litteræ Romam *catervatim* venerunt.

Ad 3. part. prob. R. perperam hoc dici de tribus illis Patriarchatibus Orientis, cùm nequidem probari poſſit de ſolo patriarchatu Conſtantinopolitano. Nam

1. quomodo ab hujus patriarchatus Epiſcopis recipi potuit ſedente Sergio, aut ante ſucceſſoris ejus Pyrrhi abdicationem; cùm neque à Sergio, neque à Pyrrho, antequam abdicaretur, publicata fuerit?

2. Si ab hujus patriarchatus Epiſcopis expreſsè recepta fuit Honorii epiſtola, certè & maximè in Synodis, quas ad ſtabiliendam ſuam hæreſim egerunt Sergius & Pyrrhus, At hoc dici non poteſt; cùm in Synodis illis de epiſtola Honorii altum fuerit ſilentium.

3. Quomodo dici poteſt, ſupponendo epiſtola Honori confirmari Monothelitarum errorem, vel ſaltem huic errori epiſtolam illam favere; quomodo, inquam, dici poteſt eam expreſsè aut etiam tacitè receptam fuiſſe à patriarchatu Conſtantinopolitano; cùm ab omnibus fermè hujus patriarchatus Epiſcopis ſub Sergio & Pyrrho rejecta fuerit Ecthesis, eò quòd unicam, nempe divinam, in Chriſto voluntatem diceret, & unam vel duas operationes dici prohiberet?

At inquies. Quinimmò ab Epiſcopis patriarchatus Conſtantinopolitani Ecthesis recepta fuit, & ſubſcripta in Synodis Sergii & Pyrrhi. Ad ſolutionem hujus inſtantiæ audiamus S. Maximum in ſua ad Petrum illuſtrem epiſtola, de Synodis illis ita loquentem, tom. 5. Conc. pag. 1766. *Synodus latrocinales* (egerunt) *& concurſus Epiſcoporum non voto convenientium, ſed violentia contractorum, non exhortatione properantium, ſed ex fuga barbarorum peregrè proficiſcentium.*

R. Igitur, in Synodis illis paucos adfuiſſe Epiſcopos Conſtantinopolitani patriarchatus, & quidem ad veniendum vi coactos, quibuſcum etiam caſu fortuito adfuerunt peregrini aliqui Epiſcopi. Unde à paucis Epiſcopis, partim vi, partim dolo recepta & ſubſcripta eſt Ecthesis in Synodis illis. Quo pertinet illud, quod Theodorus Joannis IV. ſucceſſor, in ſua ad Paulum Conſtantinopolitanæ Sedis invaſorem epiſtola dicit de Pyrrho, tom. 5. Conc. pag. 1779. *Furtivis ſurreptionibus quoſdam ſacerdotes apud ſe ſingulatim prædictam chartam* (Ecthesim) *roborare coegit.* Quòd ſi Pyrrhus aliquorum tantùm Epiſcoporum ſubſcriptionem ſurripere potuit, cùm jam aliquantùm ſaltem oportuit Monotheliſmum adoleviſſe, quantorum Sergius furari potuerat ſubſcriptionem, cùm tunc vix natus eſſet Monotheliſmus, aut certè vagiret adhuc in incunabulis?

Præterea maximum in patriarchatu Conſtantinopolitano fuiſſe numerum Epiſcoporum illorum, qui Sergio & Pyrrho fortiter reſtiterunt, & Ecthesim damnarunt, conjicere licet ex eo, quod S. Maximus loco proximè citato ſubjicit. *Deinde*, inquit, *juſſiones & minas* (excogitarunt) *huc atque illuc adverſus pios tranſmiſſas.* Nam per pios illos, adversùs quos juſſiones & minæ huc atque illuc tranſmittebantur, proculdubio intelligit Epiſcopos, qui Sergio & Pyrrho conſentire, & Ecthesim ſubſcribere renuebant.

Ex dictis apparet, quanta temeritate dicatur, quòd tres patriarchatus Orientis, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, Ecthesi, & Honorii epiſtolæ in ſenſu Ecthesis intellectæ, expreſsè conſenſerint; cùm hoc vel de uno Conſtantinopolitano, in quo tamen duo patriarchæ Monothelitarum anteſignani, Heraclio illis in omnibus obſequente, toris viribus pro Monotheliſmo decertarunt, non niſi temerè & falsò aſſeri poſſet.

Ad 4. denique part. prob. R. 1. neg. quod Sophronius reclamarit contra epiſtolam Honorii; cùm enim Honorii epiſtola in latebris manſerit apud Sergium, ad Sophronii notitiam venire non potuit; atque ita contra illam reclamare non potuit. Reclamavit quidem Sophronius, ſed contra ſeptimum Cyri Alexandrini capitulum, quo una tantùm Chriſti aſſerebatur operatio, contra Ecthesim à Sergio ſub Imperatoris nomine promulgatam; uno verbo, contra inſurgentem Monothelitarum hæreſim, ut patet ex libello, quem ex Sophronii mandato & perſona Stephanus Dorenſis Epiſcopus obtulit Martino Pontifici in Late-

ranen-

ranensi Concilio, ab eodem Pontifice in causa Monothelitarum convocato; obtulit, inquam, nulla prorsus Honorii mentione facta, contra Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, & ejus successores, Pyrrhum & Paulum: quia *Apollinaris & Severi dogmata hæreticorum renovare ausi sunt, per hoc quod prædicaverunt unam voluntatem & operationem divinitatis & humanitatis Christi*, ut eorum scripta testantur.

Ex hoc autem apertè colligitur, aut Honorii ad Sergium epistolam à Sophronio, Stephano, aliisque Episcopis Palæstinis prorsus ignoratam fuisse, aut certè alienam à Monothelitarum hæresi ab illis fuisse judicatam. Quod confirmari potest, 1. ex Sophronii verbis ad Stephanum directis: *De finibus*, inquit, *terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias .... & non quiescas ... exorans eos, donec ex Apostolica prudentia .... noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secundùm canones destructionem.* Sicne, quæso, Sophronius loqueretur, postquam novissimè contra Romanum aliquem Pontificem tanquam Monotheliſmi promotorem vel fautorem reclamasset?

2. Ex verbis Stephani: *Ipse* (Petrus) *præcipuè ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare consortes suos & spiritales meruit fratres.* Hic manifestè Stephanus in persona B. Petri successorum ejus Romanorum Pontificum commendat fidem, & prærogativam fideles omnes etiam difficillimis temporibus in vera fide confirmandi, eis à Christo collatam. At qua fronte hoc facit, si nuper adversùs Honorium tanquam temeratæ veritatis catholicæ reum reclamare cum aliis orthodoxis Episcopis coactus est?

Resp. 2. Dato quòd Honorius in sua ad Sergium epistola Monothelitarum hæresim docuerit, & quòd Sergius in toto Oriente vulgarit hanc epistolam, atque contra eam ut hæreticam reclamarit Sophronius, dicere quòd solus in Oriente reclamarit, enorme mendacium est: nam iidem profectò in facta suppositione contra illam reclamarunt, qui reclamarunt contra Ecthesim, & insurgentem Monothelitarum hæresim. Atqui totus Oriens, imò totus Orbis Christianus, contra Ecthesim, & insurgentem Monothelitarum hæresim reclamavit, ut expresè testatur S. Maximus in sua ad Petrum illustrem epistola, ubi sic ait, to. 5. Conc. pag. 1767. *Quæ hos* (Sergium & Pyrrhum) *non rogavit Ecclesia? Quis pius & orthodoxus non supplicavit Antistes, cessare illos à propria hæresi, clamando & obtestando? ..... Nonne Oriens totus & Occidens lachrymas, lamenta, obsecrationes, & deprecationes ex æquo tam Deo per orationes, quàm his per epistolas afferebant?*

Idem testatur Martinus I. in sua ad Constantem Imperatorem epistola. *Quocirca*, inquit, tom. 6. Conc. pag. 7. *omnium ferè piorum sacerdotum & populorum contra eos* (Syrum, Sergium, &c.) *clamores Apostolica Sedes accipiens, orantium atque obtestantium ne usque in finem catholicam Ecclesiam ab ipsis in periculum adductam negligamus, sed exurgamus acriter, & immaculatam christianam fidem, &c.* Idem etiam testatur saltem pro toto Occidente Joannes IV. in apologia Honorii, verbis supra relatis.

Idem denique suaderi potest ex variis Synodis, quibus damnata est nascens hæresis, videlicet Hierosolymitana sub Sophronio, Cypria sub Sergio Insulæ metropolita, Aurelianensi in Gallia; tribus Romanis, sub Joanne IV. Theodoro, & Martino I. quatuor Africanis, Carthaginensi, Numidica, Mauritanica, & Byzancena.

Dices. Nulla ex Synodis illis reclamavit contra Honorii epistolam, quam tamen saltem ex eis multæ ignorare non potuerunt. *R.* quod hìc tantùm intendimus, & quod nobis sufficit, Synodos illas omnes contra unius voluntatis & operationis errorem reclamasse, eumque damnasse.

ARTICULUS IV.

Proponitur objectio contra II. propositionem, & solvitur.

Obj. Gratis & perperam dictum est, quòd judicium in materia fidei à Romano Pontifice latum extra Concilium generale, possit esse finale & irretractabile judicium, independenter ab omni consensu pluralitatis Episcoporum orbe dispersorum. Ergo, &c. *R.* neg. ant. cujus falsitas, quanta fieri poterit brevitate, sequentibus propositionibus demonstrabitur.

Propositio I.

Sedes Apostolica in fide errare non potest.

Ita semper senserunt orthodoxi omnes. Hinc sæculo septimo Synodus Cypria sub Sergio metropolita, Theodorum Papam in sua ad eum synodica epistola sic alloquebatur: *Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster.* Præterea, hanc propositionem probant ea omnia, quæ à nobis suis locis allata pro infallibilitate particularis Ecclesiæ Romanæ.

Propositio II.

Sedes Apostolica est omnium fidei controversiarum judex.

Probatur 1. ex perpetua & constanti Ecclesiæ praxi: omnibus enim retrò sæculis lites in materia fidei exortæ, delatæ fuerunt ad Sedem Apostolicam, ut de illis sententiam proferret. 2. Ex cap. *Majores*, extra de bapt. ubi dicitur: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui novit pro Domino exoratse, ne deficiat fides ejus.*

Propositio III.

Sedes Apostolica est omnium fidei controversiarum judex infallibilis.

Prob. 1. Est judex omnium fidei controversiarum (ex 2. Prop.) 2. Est infallibilis judex: alioquin potest errare in fide. At non potest (ex 1. Prop.) Hinc S. Bernardus scribens ad Innocentium II. sic ajebat: *Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque, & scandala regni Dei: ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum.*

Propositio IV.

Omne Sedis Apostolicæ judicium in materia fidei est infallibiliter verum & rectum.

Prob. Omne judicium, quod fertur à judice infallibili, est infallibiliter verum & rectum, ut patet ex terminis. Atqui omne Sedis Apostolicæ judicium in materia fidei fertur à judice infallibili (ex 3. Prop.) Ergo, &c.

Propositio V.

Particularis Ecclesia Romana separatim à Romano Pontifice non est Sedes Apostolica adæquatè sumpta.

Prob. In Sede Apostolica adæquatè sumpta, reperitur & quidem jure divino auctoritas ferendi sententiam de controversiis fidei (ex 2. Prop.) & non reperitur in particulari Ecclesia Romana, sumpta separatim à Romano Pontifice: in qualibet enim particulari Ecclesia auctoritas ferendi sententiam fidei controversiis penes est solum Episcopum. Ergo, &c.

Propositio VI.

Particularis Ecclesia Romana cum Romano Pontifice est Sedes Apostolica adæquatè sumpta, seu, quod idem est, est simpliciter Sedes Apostolica.

Prob. Nam Sedes Apostolica adæquatè sumpta, vel est particularis Ecclesia Romana separatim à Romano Pontifice, vel particularis Ecclesia Romana cum Romano Pontifice, ut patet ex terminis. Non primum (ex 5. Prop.) Ergo secundum. Quod confirmatur ex

eo quòd qui negant personalem infallibilitatem Romani Pontificis, illud Christi, *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, cadere velint in Sedem Apostolicam, quod esse non potest nisi Petri successores sint de Sede Apostolica, ut per se clarum est.

Propositio VII.

Judicium in materia fidei à Romano Pontifice latum, conscia & acquiescente Ecclesia particulari Romana, est judicium Sedis Apostolicæ.

Prob. Quia si judicium illud non est judicium Sedis Apostolicæ, vel quia non fertur ab aliquo, qui sit de Sede Apostolica. At hoc est falsum: nam Sedes Apostolica est corpus quoddam morale, cujus Romanus Pontifex præcipuum membrum est & caput ut apertè sequitur ex Prop. 6, vel quia fertur à Pontifice, & non ab aliquo alio. At hoc dici non potest: quia in Sede Apostolica non est alius qui possit judicium illud ferre, ut constat ex dictis in prob. Prop. 5. Vel denique quia deest aliquid ex parte reliquorum membrorum Sedis Apostolicæ, seu, quod idem est, ex parte particularis Ecclesiæ Romanæ. At neque hoc dici potest: cùm enim in particulari Ecclesia Romana, præcisa à Romano Pontifice, nullus habeat jus ferendi sententiam de controversia fidei, ad hoc ut judicium quod de controversia fidei fertur à Romano Pontifice, Sedis Apostolicæ membro præcipuo & capite, & in quo solo jure divino residet auctoritas proferendi de fidei controversia sententiam, censeatur judicium Sedis Apostolicæ, ex parte particularis Ecclesiæ Romanæ nihil aliud requiri posse manifestum est, quàm ut ea consulta & consentiente, judicium illud feratur. Ergo, &c.

Propositio VIII.

Judicium in materia fidei lato à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romæ degentium, est judicium Sedis Apostolicæ.

Prob. Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulta & consentiente Ecclesia particulari Romana, est judicium Sedis Apostolicæ (ex 7. Prop.) Atqui Ecclesia particularis Romana in ordine ad judicia Ecclesiastica repræsentatur per collegium Cardinalium Romæ degentium: sicut v. gr. universalis Ecclesia repræsentatur per Concilium generale. Ergo, &c.

Propositio IX.

Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romæ degentium, est infallibiliter verum & rectum.

Prob. Nam hoc judicium est judicium Sedis Apostolicæ (ex 8. Prop.) Atqui omne Sedis Apostolicæ judicium in materia fidei est infallibiliter verum & rectum (ex 4. Prop.) Ergo, &c.

Propositio X.

Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romæ degentium, est judicium finale & irretractabile.

Prob. Nam hoc judicium est infallibiliter verum & rectum (ex 9. Prop.) item est judicium Sedis Apostolicæ (ex 8. Prop.) adeòque judicium primæ Sedis & Ecclesiæ principalis. Atqui judicium infallibiliter verum & rectum, à prima Sede & Ecclesia principali, quæ fidelium omnium mater est & magistra, latum, retractari, nefas esse nemo non videt. Ergo, &c.

ARTICULUS V.

Solvitur objectio petita ex epistola S. Leonis ad Flavianum.

Obj. Si judicium Sedis Apostolicæ in materia fidei est infallibiliter verùm & rectum, adeòque finale & irretractabile, quare v. g. S. Leo tanto studio laboravit, ut ea, quam ad Flavianum Constantinopolianum scripserat, hoc est, ut judicium, quod de impiâ Eutychetis doctrina consulto, & consentiente Clero Romano, tulerat, ab omnibus tum Occidentalibus, tum Orientalibus Episcopis orthodoxis subscriberetur? *R.S.* Leonem ad id laborasse, ut auctoritati Sedis Apostolicæ accederet auctoritas corporis pastoralis, atque ita per utriusque auctoritatis concursum faciliùs frangeretur hæreticorum contumacia, pseudo-synodi Ephesinæ, à Dioscoro Alexandrino celebratæ, quæ à multis, ut generales venditabatur, existimata auctoritas elideretur, sicque fideles magis ac magis in recta fide confirmarentur.

Dices. Si jam finita erat causa Eutychetis per judicium Sedis Apostolicæ, quid opus fuit Episcopos toto Orbe dispersos subscribere? *Resp.* Ut subscriberent non quidem opus fuisse ad finiendam Eutychetis causam, cùm jam esset finita, & irretractabiliter finita, sed ad illud, quo sic finita erat, judicium Sedis Apostolicæ corporis pastoralis auctoritate firmandum, atque hoc pacto faciliùs obstruendum hos hæreticis, prætensam latrocinii Ephesini auctoritatem veritati catholicæ opponentibus.

Dices. Si jam finita erat causa Eutychetis per judicium Sedis Apostolicæ, saltem opus non erat, Episcopos subscribere ut judices. *Resp.* Episcopos subscribere potuisse ut judices; cùm Episcopi jure divino sint judices controversiarum in materia fidei, quo jure non privantur, nec privari possunt per Sedis Apostolicæ judicium, quantumvis per illud causa irretractabiliter finiatur. *Resp.* 2. Episcopos, cùm judicio Sedis Apostolicæ subscripserunt ut judices, non subscripsisse, ut judices orthodoxiæ ipsius judicii Apostolici, sed subscripsisse ut judices doctrinæ Eutychetis, de qua latum erat judicium Apostolicum. *Resp.* 3. Episcopos ut judices Sedis Apostolicæ judicio subscribere, ad id opus fuisse, ut Eutychetis impietas, sententia Sedis Apostolicæ damnata, damnaretur etiam sententia corporis pastoralis, sicque duplici judicio, quorum alterum seorsim ad finiendam causam sufficere poterat, veluti gladio duplici confossa mala illa bestia promptiùs & faciliùs enecaretur.

Dices. S. Leonis epistola examinata fuit, & retractata in Synodo Chalcedonensi. Ergo ilic, antequam confirmaretur à Synodo, habita non fuit ut judicium infallibiliter verum & rectum. *Resp.* neg. ant. cujus falsitas ex ipsius Synodi actis facilè demonstratur. Nam actione 2. judicibus, qui nomine Imperatoris aderant, postulantibus, ut Episcopi novam fidei professionem concinnent, quæ ab omnibus recepta, lites omnes finiat, respondet Cecropius Episcopus his verbis: *Emersorunt quæ ad Eutychem pertinebant; & super iis forma data est à sanctissimo Archiepiscopo Romana Urbis, & sequimur eum, & epistolæ omnes subscripsimus:* Tum Cecropio sic respondenti quotquot aderant episcopi orthodoxi, conclamant in hunc modum: *Ista omnes dicimus. Sufficiunt quæ exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri.* Cùm autem nihilominùs judices instarent petitioni suæ, *reverendissimi Episcopi* (orthodoxi) *clamaverunt: In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita Regula vult aliam expositionem non fieri: ea quæ sunt Patrum teneantur.*

Ex his porrò apparet omnes Episcopos, qui aderant, & soli tunc Synodum constituebant, Leonis epistolam subscripsisse ante celebrationem Synodi. At quòd postquam subscriptione sua eam firmarant, eam retractari, & de ejus orthodoxia quæstionem institui voluerint, prorsùs incredibile est, & Synodo injuriosum. Prætereà, expressè declararunt nova fidei expositione, qua scil. cum cæteris fidei articulis quid circa controversiam Flavianum inter & Eutychem exortam tenendum esset exponeretur, opus non esse, & Ecclesiæ sufficere duo Symbola, Nicænum & Constantipolitanum, cum epistola Leonis, in qua de Eutychetis doctrina sententiam protulerat, & proferendo litem finierat Sedes Apostolica.

Jam igitur ante celebrationem Synodi, Episcopi omnes orthodoxi, qui aderant, ut certam & exploratam

tam tenebant orthodoxiam epistolæ Leonis: hanc epistolam eodem, quo duo Symbola, Nicænum & Constantinopolitanum, loco habebant; fideleque in duobus Symbolis & hac epistola, sufficientissimam fidei suæ regulam habere judicabant, atque superfluam esse novam Eutychetis caulæ retractationem, postquam hæc causa finita erat irretractabili judicio à Sede Apostolica prolato, & Episcoporum subscriptionibus firmato. Quòd autem nihilominùs Leonis epistolam postea retractarint, & examini subjecerint, tam absurdè dicuntur, quàm si dicerentur retractasse, & examini subjeciſſe duo Symbola, Nicænum scilicet & Constantinopolitanum.

At inquies. Nihilominùs in Synodo relecta fuit Leonis epistola, *R.* non aliter nec alia intentione hanc epistolam in Synodo relectam fuisse, quam ibidem relecta fuerunt duo Symbola, Nicænum & Constantinopolitanum, ut patet ex Cecropii verbis: sic enim, omnibus audientibus, & silentio suo consentientibus, locutus est; *Fides bene disceptata est à trecentis decem & octo sanctis Patribus . . . & nunc iterum per sanctissimum Leonem: & precamur, ut ea quæ sanctorum Patrum trecentorum decem & octo sunt, & quæ sanctissimi Leonis, recitentur.*

Itaque ante celebrationem Synodi, Episcopis omnibus orthodoxis, qui aderant, tam explorata erat orthodoxia epistolæ Leonis, quàm orthodoxia Symboli Nicæni: neque petitum est, ut coram Synodo legeretur epistola Leonis ad explorandam ejus orthodoxiam: sicut nec petitum est, ut Sybolum Nicænum legeretur ad ejus orthodoxiam explorandam. Item sicut in Synodo Nicænum Symbolum lectum est, ut orthodoxa fidei expositio, quam sequi fideles omnes tenerentur; ita & lecta est in Synodo epistola Leonis, ut orthodoxa fidei regula, quam sequi tenerentur fideles omnes. Unde omnes orthodoxi Episcopi eodem modo acclamarunt Leonis epistolam, cum Symbolo Nicæno. Hoc lecto Symbolo, *Episcopi clamaverunt: Hæc catholicorum fides: huic omnes credimus*, Similiter lecta Leonis epistola, *Episcopi clamaverunt: Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt; anathema ei, qui ita non credit.*

Amplius. Coram lecta sunt duo Symbola cum epistola Leonis, non examinandi gratia hanc epistolam, sicut nec Symbola illa; sed ut fidem in illis expositam palam profitentes Episcopi, publica sua professione veritatem catholicam confirmarent. Nec dic lecta esse Symbola, ut cum illis conferretur Leonis epistola, & hac Leonis epistolæ cum Symbolis collatione ejus orthodoxia exploraretur: hoc enim falsum esse, apertè ostenditur ex eo quòd lecto Symbolo Nicæno, & nondum lecta Leonis epistola, adeòque ante collationem hujus epistolæ cum Symbolo, *Episcopi clamaverunt: Hæc Catholicorum fides .... hæc sempiterna fides: in hac baptizati sumus; in hac baptizamus: omnes sic credimus: Papa Leo sic credit ... Papa Leo ita interpretatus est*. Episcopi igitur antequam Leonis epistola legeretur, ejus orthodoxiam palàm laudarunt, & attestati sunt, proindeque epistolam illam post Symbola lectam esse, ut cum illis conferretur, & hac collatione ejus orthodoxia, tanquam dubia adhuc & incerta, exploraretur, sine manifesta falsitate & absurditate dici non potest.

At inquies. Lecta in Synodo Leonis epistola, de ejus orthodoxia dubitarunt Illyriciani & Palæstini Episcopi; inducias dierum aliquot petierunt, ut loca illa epistolæ, quæ ipsis suspecta videbantur & ambigua, diligentiùs inspicerent, & expenderent; quinque dierum inducias illis concessere judices, quo toto tempore apud Anatolium Patriarcham convenerunt, nec epistolam receperunt ut ex omni parte orthodoxam, nisi postquam, adhibita diligenti inquisitione, omnem suam dubitationem deposuerunt. Ergo cùm actione 2. lecta est Leonis epistola, nondum certa erat & indubitata ejus orthodoxia, adeòque eo fine post Symbola lecta est, ut cum illis conferretur, & ex hac collatione ejus orthodoxia vel heterodoxia innotesceret; alioquin Episcopi illi, qui dubitarunt, non impunè dubitassent, sed vel statim deposita omni dubitatione, cæteris acquievissent, vel certè tanquam schismatici & hæretici rejecti fuissent à Synodo.

R. neg. conseq. cujus falsitas ostenditur ex sensu totius Synodi: Episcopis enim illis dubitantibus, & inducias ad instruendum sese sibi dari postulantibus, *omnes Episcopi clamaverunt: Nos ita credimus; omnes ita credimus; sicut Leo, ita credimus: nostrum nullus dubitat: nos jam subscripsimus*. Nullus igitur ex orthodoxis Episcopis qui aderant, & ex quibus constabat Synodus, tunc dubitabat, nulli tunc ex illis perspecta non erat orthodoxia epistolæ Leonis, & jam dudum eam subscripserant omnes. Episcopi autem illi Illyriciani & Palæstini, qui dubitarunt, erant Dioscoro addicti, & ejusdem cum eo conjurationis. At ex eo quòd hæreticæ factionis Episcopi de Leonis epistolæ orthodoxia dubitarint, eo præsertim tempore quo à catholicis Episcopis omnibus epistola illa jam erat susceptа, & subscriptione confirmata; ex eo, inquam quòd hæreticæ factionis Episcopi tunc dubitarint de Leonis epistolæ orthodoxia, hanc adhuc dubiam fuisse & incertam, concludere velle & iniquum est & absurdum. His autem dubitantibus Episcopis, & ob dubitationem anathemate dignis, ex indulgentia & sapienti œconomia, paucorum dierum inducia concessæ sunt, ut si fieri posset, instructi ad saniorem redirent mentem, & ad rectam fidem converterentur.

At inquies. Actione 4. Episcopi sententiam protulerunt de orthodoxia epistolæ Leonis, nec certè protulerunt, nisi præmisso sufficienti examine. Ergo dicendum est hanc epistolam actione 2. examinatam fuisse. *R.* 1. tunc Leonis epistolæ orthodoxiam minimè controversam fuisse, sed certam & exploratam catholicis omnibus. Unde cùm rogantibus judicibus, quod jam constabat ante Synodum, Leonis videlicet epistolam duobus Symbolis consonam esse, declararunt, hoc declarando, de ejus orthodoxia sententiam tulisse, non magis dici possunt, quàm si pariter rogati, Symbolum v. g. Nicænum, Scripturæ & Patrum traditioni consonum esse declarassent, dici possent de ejus orthodoxia tulisse sententiam.

R. 2. neg. conseq. Nam iidem Episcopi asserunt se subscripsisse epistolam propter ejus consonantiam cum duobus Symbolis. At subscripserant ante Synodum. Ergo jam ante Synodum consonantia epistolæ cum duobus Symbolis erat Episcopis illis exploratissima, adeòque perperam & absurdè dicuntur epistolæ orthodoxiam examini subjeciſſe in Synodo.

At inquies. Si tunc ita constans erat orthodoxia epistolæ Leonis, ut eam in dubium revocari nefas esset, ad quid utilis esse potuit illius declaratio facta ab Episcopis in Synodo? *R.* ad firmandam inter Episcopos in hocpuncto concordiam; ad convincendos eos, qui de infallibili in decidendis fidei controversiis auctoritate Sedis Apostolicæ pro more hæreticorum ambigerent: ad frangendam contumaciam Eutychianorum qui Sedis Apostolicæ judicio sese submittere pertinaciter renuebant: cùm enim Symbolo Nicæno sese adhærere profiterentur, epistolæ Leonis consonantia cum hoc Symbolo à generali Synodo solemniter atque unanimiter declarata, quid expectare poterant ampliùs, ut suam deponerent hæresim? aut quo prætextu poterant judicio Apostolico nolle acquiescere? Et verò dato quòd post Sedis Apostolicæ sententiam, qua damnabatur eorum hæresis, expectare potuerint judicium Synodi generalis, post Synodi generalis Sedi Apostolicæ consentientis judicium, quodnam superfuit illis tribunal, ad quod possent confugere?

At inquies. Ipsemet Leo in sua ad Theodoretum epistola expresè agnoscit suam ad Flavianum epistolam retractari potuisse. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam sic loquitur: *Gloriamur in Domino... qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit: sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu*. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* S. Leonem, cùm assensum epistolæ suæ à Chalcedo-

cedonensi Synodo datum, irretractabilem vocat, non ad epistolam suam alludere, sed ad secundam pseudo-Synodum Ephesinam, in qua omnia per vim & contra Ecclesiæ canonem gesta fuerant; unde ejus acta, quantumvis ipsa supponatur fuisse generalis, fuerunt retractationi obnoxia, jureque meritò in Chalcedonensi Synodo retractata fuere atque rescissa. Econtrà verò cùm omnia, quæ ad fidem attinebant, in Synodo Chalcedonensi œcumenica conciliariter & secundùm regulas Ecclesiasticas tractata fuerint, retractationi obnoxia esse non possunt, eaque retractari nefas esset. Rectè igitur S. Leo assensum epistolæ suæ à Chalcedonensi datum, vocat irretractabilem.

Bonitas hujus responsionis patet ex contextu: cùm enim S. Leo irretractabilem vocat assensum Synodi Chalcedonensis, alludit proculdubio ad id, ad quod alludit, cùm ait, Dominum non permisisse, ut detrimentum aliquod sustineret in fratribus. At cùm hoc dicit, manifestè alludit ad pseudo-Synodum Ephesinam, in qua Sedi Apostolicæ injuria gravis, eaque multiplex, illata est: ibi enim epistola Leonis rejecta fuit à Dioscoro, legati Apostolici Synodi præsidentia frustrati, clam se subducere & fugere coacti sunt, ipsum denique Leonem ausu temerario & nunquam audito exauctorare præsumpsit Dioscorus. Econtrà verò in Chalcedonensi Synodo Sedi Apostolicæ honos omnis habitus est; præfuerunt, & Synodum rexerunt Legati Apostolici; Leonis epistola cum debita reverentia, & definitione fidei, *tanquam communis quædam columna existens adversus perverse sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum* suscepta fuit, imò ipsius definitionis fidei normam fuisse, manifestè arguitur ex eo quòd, Legatis Apostolicis id procurantibus, hæc fidei definitio ex illa reconcinnata fuerit, &c.

At inquies denique. Epistola Leonis actione 2. lecta fuit. Ergo examinata fuit & retractata. *Resp.* neg. conseq. Nam v. gr. ibi lectum fuit Symbolum Nicænum, nec tamen idcircò dici potest examinatum & retractatum. Ratio est, quia in materia fidei non retractatur nisi id de cujus orthodoxia ambigitur, aut certè de cujus orthodoxia nondùm planè constat. Quando autem lecta est Leonis epistola, tunc orthodoxis Episcopis, qui aderant, tam constabat de orthodoxia epistolæ Leonis, quàm de orthodoxia Symbolorum, de qua planè eis constitisse dubium esse non potest. Sicut itaque tunc lectum est Symbolum Nicænum, nec tamen ideò dici potest esse retractatum, quia lectum est ut indubitata fidei regula; ita pariter epistola Leonis lecta est, nec tamen ideò dici potest esse retractata, quia lecta est ut fidei definitio indubitatè vera, & prioribus fidei regulis indubitatè consona.

Dices. Hìc defenditur personalis infallibilitas Romani Pontificis. *Resp.* Hìc neque defendere, neque impugnare intendimus hanc infallibilitatem: hìc enim solùm defendimus infallibilitatem Sedis Apostolicæ, adeòque hìc solùm defendimus infallibilitatem, cujus subjectum est Sedes Apostolica: quare cùm Sedes Apostolica, adæquatè seu simpliciter sumpta, sit Romanus Pontifex cum particulari Ecclesia Romana, infallibilitas illa, quam hic defendimus, neque in Romano Pontifice separatim ab Ecclesia particulari Romana, neque in Ecclesia particulari Romana separatim à Romano Pontifice residet, sed in corpore seu toto morali, resultante ex Romano Pontifice, ut capite, & Ecclesia Romana particulari, tanquam membris capiti subjectis & unitis.

Hæc porrò infallibilitas fundatur in speciali, & suppositâ institutione Christi, infrustrabili assistentia, qua Spiritus Sanct. ita assistit Romano Pontifici, & particulari Ecclesiæ Romanæ, ut ex Romani Pontificis definientis, & particularis Ecclesiæ Romanæ Pontifici definienti consentientis concursu, prodire non possit nisi judicium in materia fidei Scripturæ divinæ & traditioni Apostolicæ planè consonum, & cui proinde fideles omnes teneantur acquiescere.

ARTICULUS VI.

Utrùm detur in Ecclesia infallibilis auctoritas decidendi controversias, quæ de orthodoxia & heterodoxia textuum dogmaticorum exoriuntur.

Nota. Textus dogmaticus dicitur ille, qui dogma unum vel multiplex, sive verum sive falsum exprimit: unde dividitur in orthodoxum & heterodoxum. Orthodoxus dicitur ille, qui exprimit verum dogma: heterodoxus verò, qui falsum dogma exprimit. Primus veritatem fidei unam vel multiplicem affimat, alter verò negat. Primus verbo Dei scripto vel non scripto consentaneus est, alter verò dissentaneus.

Responsio I.

Datur in Ecclesia auctoritas decidendi controversias, quæ circa textuum dogmaticorum orthodoxiam & heterodoxiam exoriuntur.

Prob. 1. Ex praxi Ecclesiæ: nam Ecclesia sæpenumero de textuum dogmaticorum orthodoxia & heterodoxia sententiam tulit, alios scilicet ut orthodoxos approbando, alios verò reprobando ut heterodoxos. Ergo vel datur in Ecclesia auctoritas decidendi, &c. vel Ecclesia sæpenumerò sibi falsò & temerè attribuit auctoritatem aliquam, quam à Christo non accepit. Hoc autem secundum dici non potest, certè dicet nemo, qui catholicus esse velit. Ergo reipsa datur in Ecclesia auctoritas decidendi, &c.

Prob. 2. Quia si non daretur in Ecclesia auctoritas decidendi, &c. Christus Ecclesiæ malè providisset. Falsum & impium consequens. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Nam controversiæ, quæ sæpenumerò circa textuum dogmaticorum orthodoxiam vel heterodoxiam exoriuntur, nunquam possent finiri, & sic æternum durarent cum ingenti fidelium perturbatione & scandalo. Pravi intereà homines, & hæretici, vel occulti, vel etiam manifesti, impunè libros orthodoxos tanquam heterodoxos traducerent; & econtrà libros heterodoxos velut orthodoxos venditarent, & spargerent in vulgus fidelium cum eminenti periculo eversionis quamplurimorum. Sensim sine sensu grassaretur lues per gregem, tandemque totus fortasse inficeretur sub oculis pastorum, qui tanti mali spectatores otiosi, illud impedire minimè valerent.

Responsio II.

Auctoritas decidendi controversias, quæ exoriuntur circa textuum dogmaticorum orthodoxiam vel heterodoxiam, residet in pastoribus Ecclesiæ.

Prob. Nam auctoritas decidendi, &c. residet in iis, quibus incumbit munus & obligatio regendi, & docendi fideles in iis quæ ad fidem pertinent. Atqui munus hoc, hæc obligatio incumbit pastoribus Ecclesiæ. Ergo, &c. Minorem aliàs probavimus, & suadet ipsa vox pastoris: quamobrem enim Episcopi Ecclesiæ pastores vocantur, nisi quia ad hoc Ecclesiæ propositi sunt, ut fideles, qui sunt ovile Christi, pascant, illos regendo, & docendo in iis quæ pertinent ad fidem & mores. Major videtur clara ex terminis: ad munus enim & obligationem regendi & docendi fideles in iis quæ attinent ad fidem, manifestè pertinet textus orthodoxos ab heterodoxis discernere, heterodoxos quibus corrumpi potest legentium fides, proscribere, & à fidelium oculis submovere; orthodoxos verò, quibus legentium fides nutriri & confirmari potest, fidelibus proponere.

Responsio III.

Datur in Ecclesia infallibilis auctoritas decidendi controversias, quæ exoriuntur circa orthodoxiam & heterodoxiam textuum dogmaticorum; & hæc infallibilis auctoritas residet saltem in corpore pastorali.

Prob. 1. Itaque corpus pastorale habet auctoritatem docendi fideles in iis quæ ad fidem pertinent, juxta illud Christi Matth. cap. ult. *Docete omnes gentes*; quæ verba Apostolis, & in persona Apostolorum corpori pasto-

pastorali dicta fuerunt. Atqui fideles, in iis quæ ad fidem pertinent, docendi muneris est, textus orthodoxos ab heterodoxis discernere, heterodoxos reprobare, & approbare orthodoxos, ut jam dictum est; atque ita fideles, qui sunt oves Christi, à venenatis pascuis, ut sic loquar, arcere, & ad sana deducere. Ergo, &c. 2. Corpus pastorale habet infallibilem auctoritatem docendi fideles in iis quæ pertinent ad fidem. In quo videtur esse major difficultas, & quod multiplici proinde argumento hìc à nobis demonstrandum est.

Primum argumentum petitur ab illis Christi verbis Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes ..... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; Ex quibus verbis colligunt Doctores Catholici omnes, corpori pastorum promissam esse à Christo continuam & specialem assistentiam, vi cujus semper rectè docet, & impossibile est ut aliquando malè doceat fideles in rebus fidem spectantibus. Unde sic discurro, Si corpus pastorale potest falli decidendo controversiam aliquam de orthodoxia, vel heterodoxia textus dogmatici, potest malè docere in re fidem contingente. Atqui hoc non potest. Ergo, &c. Minor constat ex promissione Christi.

Prob. seq. maj. Nam si corpus pastorale re ipsa falleretur decidendo, &c. re ipsa malè doceret in re fidem contingente. Ergo si potest falli decidendo, &c. Conseq. patet. *Prob. ant.* Nam si corpus pastorale falleretur decidendo, &c. certè falleretur, quia vel textum orthodoxum reprobaret ut heterodoxum, vel textum heterodoxum approbaret ut orthodoxum. Atqui per se manifestum est, quòd alterutrum faciendo, malè doceret in re fidem contingente. Et verò textum orthodoxum reprobando ut heterodoxum, exponeret fideles eminenti periculo verum dogma repudiandi ut dogma falsum; & textum heterodoxum approbando ut orthodoxum, exponeret fideles eminenti periculo falsum dogma recipiendi ut dogma verum: imò in primo casu ad verum dogma rejiciendum, & in secundo casu ad falsum dogma suscipiendum fideles directè induceret. At nonnè hoc est malè, imò pessimè docere? Ergo, &c.

Secundum argumentum sumitur ex his principiis. Primum est: Corpus pastorale falli non potest in decidendis controversiis, quæ circa ipsa fidei dogmata exoriuntur. Est de fide, quòd ultrò agnoscunt etiam novatores, contra quos hic disputamus.

Secundum est: Corpus pastorale falli non potest in investigandis traditionibus Apostolicis, seu, quod idem est, in discernendis veris traditionibus à falsis: nam si hoc falleretur aliquando, veram traditionem ut spuriam rejiciendo, aut spuriam traditionem ut veram suscipiendo, tunc falleretur quoque in decidenda controversia circa dogma fidei exorta; tunc enim pro falso dogmate recipiendo sententiam ferret, quod est contra primum principium.

Tertium est: Corpus pastorale falli non potest in interpretandis symbolis & canonibus Conciliorum, decretis Sedis Apostolicæ, & orthodoxorum Patrum scriptis: cum enim his omnibus textibus utatur corpus pastorale ad investigandas traditiones Apostolicas, seu ad veras traditiones discernendas à falsis, si falli potest in horum textuum interpretatione, falli quoque posse in traditionum Apostolicarum investigatione & discretione manifestè convincitur contra secundum principium. His autem principiis sita præsuppositis,

Argumentor sic. Ut corpus pastorale infallibile sit in decidendis controversiis & orthodoxia & heterodoxia quorumlibet textuum dogmaticorum, requiritur & sufficit ut infallibile sit in interpretandis textibus dogmaticis quibuslibet. Atqui corpus pastorale infallibile est in interpretandis textibus dogmaticis quibuslibet. Ergo, &c. Major per se manifesta est. Minor verò sequitur ex tertio principio: nam si in recensitis textibus interpretandis infallibilitatem habet corpus pastorale, quidni etiam habeat in interpretandis aliis quibuscumque textibus dogmaticis tam orthodoxorum, quam heterodoxorum scriptorum? Est enim eadem ratio pro omnibus: cùm corpus pastorale textus quoscumque dogmaticos tam orthodoxorum, quàm heterodoxorum scriptorum consulere possit, ubi agitur de investigatione, & discretione traditionum Apostolicarum; huic enim investigationi & discretioni ex textibus quibuslibet dogmaticis tam orthodoxorum, quàm heterodoxorum scriptorum modò hi, modò illi inservire possunt.

Tertium argument. Corpus pastorale errare non potest in approbandis vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei: alioquin cùm non aliæ sunt prærogativæ corporis pastoralis, & Concilii generalis, quo corpus pastorale repræsentatur, Concilium generale errare potest in approbandis, vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei. Hoc autem dici non potest: alioquin Symbolum Nicænum non est infalliblliter orthodoxum; neque Chalcedonensis expositio est infallibiliter orthodoxa: Symbolum enim Nicænum non à tota Synodo compositum fuit, sed ab uno Osio concinnatum, à reliquis Patribus receptum est & subscriptum. Similiter Chalcedonensis expositio contexta fuit non ab omnibus Episcopis, sed ab aliquibus tantùm, qui ad id operis delecti fuerant, & deinde à tota Synodo recepta in actione 5. atque subscripta in actione 6.

Resumo. Corpus pastorale errare non potest in approbandis vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei, quæ sunt textus dogmatici. Ergo neque in ullis aliis quibuscumque approbandis vel reprobandis errare potest. *Prob. cons.* Nam corpus pastorale errare non potest in approbandis vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei; quia si erraret, aut approbando symbolum heterodoxum, vel heterodoxam expositionem fidei, aut reprobando symbolum orthodoxum, vel orthodoxam expositionem fidei, fideles in errorem induceret. Atqui pariter in errorem fideles induceret, errando circa alium quemlibet textum dogmaticum. Et verò an non in errorem induceret fideles, approbando textum Pelagii, & reprobando textum Augustini; approbando textum Calvini vel Lutheri, & reprobando textum v. gr. Bellarmini Pighii, &c. Ergo, &c.

Quartum argumentum petitur à Synodo generali Ephesina. Quod enim de Synodo generali dicitur, dicitur de corpore pastorali, quod sive in Synodo generali, sive extra Synodum generalem semper iisdem gaudet prærogativis. In prima autem sessione Ephesinæ Synodi, 1. legitur Symbolum Nicænum, ut regula definitionis faciendæ: legitur enim, *ut sententiis ad fidei doctrinam spectantibus, cum ea expositione collatis, consentientes quidem confirmentur, dissentientes autem rejiciantur.*

2. Lecto symbolo, legitur epistola Cyrilli ad Nestorium, cujus exordium est: *Intelligo quosdam, &c.* Lecta epistola, & Cyrillo Patres rogante, ut de ea exponant sententiam suam, omnes ad unum Episcopi Symbolo Nicæno in omnibus consentientem esse, & sese cum illa sentire declarant.

3. Legitur epistola Nestorii ad Cyrillum, cujus exordium est: *Admirabilium litterarum, &c.* & ea lecta, atque Cyrillo Patres rogante, num Symbolo consonam esse judicent, postquam multi singillatim sententiam suam aperuerunt, & epistolam Symbolo dissonam esse pronuntiarunt, exclamant simul omnes: *Quicumque Nestorio communicat, anathema sit. Omnes Nestorii epistolam, & dogma anathematizamus, &c.*

4. Leguntur septemdecim variorum Patrum testimonia, magna ex parte prolixa; & post illa, plurima etiam Nestorii loca, quibus perlectis, continuò profertur à Synodo adversùs Nestorium sententia depositionis. Ex his autem omnibus apparet, decisionem controversiæ Cyrilli cum Nestorio, quæ erat controversia fidei, factam ab Ephesina Synodo, totam esse fundatam in collatione epistolarum Cyrilli & Nestorii cum Nicæno Symbolo; & Ephesinam Synodum non aliter controversiam hanc decidisse,

disse, quàm interpretando utramque epistolam & unam, nempe epistolam Cyrilli, Symbolo consonam, & alteram, nempe epistolam Nestorii, eidem Symbolo dissonam pronunciando. Ex his autem

Argumentor sic. Synodus Ephesina falli non potuit in decidenda controversia Nestorii cum Cyrillo: Synodus enim œcumenica falli non potest in decidenda fidei controversia. Ergo nec falli potuit in collatione epistolarum Cyrilli & Nestorii cum Symbolo Nicæno: cùm enim Ephesina Synodus in hac collatione fundarit definitionem suam, & ædificium firmius esse repugnet, quàm fundamentum quo nititur; si fallibilis fuit hæc collatio, definitionem quoque in ea fundatam, fallibilem fuisse necesse est. Ergo nec falli potuit in interpretatione epistolarum illarum, sicut nec potuit in interpretatione Symboli: cùm enim collatio supponat interpretationem, si Synodus fallibilis fuit in interpretationes epistolarum illarum & Symboli, vel si etiam fallibilis fuit tantum in interpretatione epistolarum illarum, non potuisse in collatione epistolarum illarum cum symbolo non esse fallibilis, manifestè convincitur. Hinc

Subsumo sic. Synodus Ephesina infallibilis fuit in interpretanda epistola Cyrilli, quamvis valdè prolixa. At quod fuit relatè ad epistolam Cyrilli, fuit etiam relatè ad alium quemlibet textum orthodoxum: manifestum enim est, non est potiorem rationem pro textu Cyrilli, quàm pro textu alterius cujuslibet auctoris orthodoxi. Item Synodus Ephesina infallibilis fuit in interpretanda epistola Nestorii, quamvis valdè longa. At quod fuit relatè ad epistolam Nestorii, fuit etiam relatè ad alium quemlibet textum heterodoxum: nam manifestum est non esse potiorem rationem pro textu Nestorii, quàm pro textu alterius cujuslibet auctoris heterodoxi. Ergo Synodus Ephesina infallibilis fuit in interpretandis, adeòque & qualificandis quibuscumque textibus dogmaticis. At quod Synodus Ephesina fuit, hoc est Synodus quælibet œcumenica; & quod est Synodus quælibet œcumenica, hoc est à fortiori corpus pastorale. Ergo corpus pastorale infallibile est in interpretandis, adeòque & qualificandis textibus quibuscumque dogmaticis.

Hoc argumentum, quod palmare est, sic adhuc confirmatur ex supra dictis. Synodus Ephesina non aliter definivit controversiam, quæ erat controversia fidei, quàm epistolam Cyrilli orthodoxam, & epistolam Nestorii heterodoxam declarando: non enim aliter definivit controversiam, quàm declarando unam epistolam consentire, & alteram repugnare Nicæno Symbolo. Atqui Synodus Ephesina infallibiliter definivit controversiam. Ergo epistolam Cyrilli orthodoxam, & epistolam Nestorii heterodoxam esse infallibiliter declaravit. Sed quod potuit circa epistolam Cyrilli & epistolam Nestorii, potuit etiam circa alios quoslibet textus dogmaticos, tam orthodoxos quàm heterodoxos: manifestum enim est, non esse potiorem rationem pro Cyrilli & Nestorii textibus, quàm pro textibus aliis quibuslibet dogmaticis. Ergo Synodus Ephesina fuit, & post illam Synodus quælibet alia generalis est, in declaranda textuum quorumcumque orthodoxia vel heterodoxia infallibilis. Ergo, &c.

Quintum argumentum sumitur à quinta Synodo generali, quæ canonibus suis præludit his verbis: *In memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas; & qui dixit quod* portæ inferi non prævalebunt adversus eam, *id est, hæreticorum mortiferæ linguæ; recordantes autem & quæ per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit*. Et sponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum..... *Nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam, exhortari populum .... necessarium esse putavimus capitulis comprehendere & prædicationem veritatis, & hæreticorum, nec non eorum impietatis condemnationem*.

Hic Synodus manifestè dicit, 1. corpori pastorali, & concilio generali corpus pastorale repræsentanti, à Christo impositum esse munus rectè docendi fideles. 2. Hujus numeris obligationem esse triplicem, videlicet proponendi fidelibus veritates à Deo revelatas, damnandi errores veritatibus à Deo revelatis oppositos, & proscribendi novatorum scripta, quibus errores veritati catholicæ repugnantes exponuntur & defenduntur. 3. Ad hæc tria infallibiliter præstanda, corpori pastorali, & Concilio generali corpus pastorale repræsentanti à Deo primum per Oseam Prophetam, & ab ipso postea Christo promissam esse specialem assistentiam. 4. Et ita corpus pastorale, & synodum generalem corpus pastorale repræsentantem, non magis falli posse in proscribendis textibus heterodoxis, quàm in proponendis veritatibus à Deo revelatis, & erroribus, veritatibus illis repugnantibus, damnandis. Ex his autem

Argumentor sic. Vel Synodus generalis erravit circa sensum scripturarum, & promissiones à Deo factas Ecclesiæ, vel corpus pastorale est prorsus infallibile in proscribendis textibus heterodoxis. Primum dici non potest sine hæresi. Ergo secundum dicendum est. Ergo corpus pastorale est prorsus infallibile in discernendis textibus heterodoxis ab orthodoxis: ad hoc enim ut infallibiliter proscribat textus heterodoxos, manifestè requiritur ut eos infallibiliter discernat ab orthodoxis. Ergo corpus pastorale est prorsus infallibile in interpretandis textibus quibuscumque dogmaticis: ut enim infallibiliter discernat textus heterodoxos ab orthodoxis, manifestè requiritur ut tam orthodoxos quàm heterodoxos interpretetur infallibiliter. Ergo corpus pastorale est prorsus infallibile in approbandis textibus orthodoxis, sicut & prorsus infallibile in reprobandis heterodoxis.

Hic porrò quod aliæ priores Synodi generales, Nicæna scilicet, Ephesina, & Chalcedonensis, exercitè tantùm sibi attribuerant, hoc sibi signatè & disertis verbis attribuit Synodus quinta, infallibilitatem videlicet non solùm circa dogmata, sed etiam circa textus dogmaticos. Hac confisa infallibilitate, cujus promissionem legebat in Scripturis divinis, in quibus interpretandis falli non potuit, tria Capitula, hoc est, scripta Theodori Mopsuesteni, quibus Nestorianæ impietati præiverat, scripta Theodoreti contra S. Cyrillum & Ephesinam Synodum, & epistolam Ibæ ad Marim Persam, ut heterodoxa damnavit, eorumque defensores anathemati subjecit collat. 8. tribus suis posterioribus canonibus.

Nota. Huic Synodo, sicut & aliis prioribus, planè indubitatum fuit, 1. Ecclesiam Christi in veræ fidei professione usque ad sæculi consummationem permansuram, juxta illud Christi, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. 2. Sic permansuram ministro corporis pastoralis illam docentis, veritates à Deo revelatas proponendo, hæreses & hæresum auctores damnando, & quoties opus fuerit, textus orthodoxos approbando, aut reprobando heterodoxos. 3. Corpus pastorale hæc tria rectè semper præstiturum esse, atque si præstando, sacrum fidei depositum sibi à Christo concreditum, integrum & incolumen usque ad consummationem sæculi conservaturum. 4. Et ita ad hunc finem specialem corpori pastorali assistentiam esse promissam, quacum nec continget, nec contingere poterit unquam, ut corpus pastorale erret aut in proponendis veritatibus revelatis, aut in damnandis hæresibus, aut interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis.

At inquies. Quare ergo tot Episcopi tandiu quintæ Synodo restiterunt, & ejus definitioni acquiescere renuerunt? *R*. Episcopos illos quintæ Synodo tandiu restitisse, quia putabant illam non esse Synodum generalem, sed particularem tantùm, & textus illos, quos damnaverat, approbatos fuisse à Chalcedonensi Synodo, cujus, cùm fuerit œcumenica, & consequenter in interpretandis textibus quibuscumque dogmaticis infallibilis, judicium de trium Capitulorum orthodoxia ajebant retractari non potuisse, necdum rescindi.

Hi itaque Episcopi partim rectè, partim malè sentiebant: malè quidem, putando Synodum Constantinopolitanam II. esse particularem tantùm, aut etiam illegi-

illegitimam Synodum, tria capitula à Chalcedonensi approbata fuisse; rectè verò, credendo Chalcedonensem Synodum esse Synodum œcumenicam, & judicia ab œcumenica Synodo de orthodoxia, vel heterodoxia textuum dogmaticorum quorumlibet lata, infallibiliter vera esse, adeoque irretractabilia. Quintæ igitur Synodo randiu restiterunt, non quòd crederent Synodum etiam generalem errare posse circa textus dogmaticos, sed è contra quia errare non posse pro certo statuebant, & ex errore facti putabant, & Synodum quintam fuisse tantùm particularem Synodum, & à generali Synodo Chalcedonensi tria Capitula ut orthodoxa fuisse susceptа: ex quo confirmatur assertio nostra, sicut & ex eo quòd Episcopi illi communione Ecclesiæ privati fuerint, & habiti fuerint ut schismatici, donec Synodum quintam, ut legitimam & generalem agnoscerent, ejusque judicio sese submitterent.

ARTICULUS VII.

Solvitur objectio proposita contra naturam, & certitudinem hujus infallibilitatis.

Obj. Dici non potest, quam infallibilitatem habeat Ecclesia circa textus dogmaticos. *R.* neg. & dico, 1. esse infallibilitatem promissam; quod patet ex supradictis. 2. Hanc infallibilitatem fundari in speciali assistentia Spiritus Sancti, media partim naturalia, partim supernaturalia subministrantis corpori pastorali, quibuscum corpus pastorale textus dogmaticos infallibiliter interpretatur & qualificat. 3. Hanc infallibilitatem esse summam: suppositis enim promissionibus divinis, tam repugnat corpus pastorale falli in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis, quàm repugnat Spiritum S. deficere in ordinandis, & subministrandis mediis, quibus corpus pastorale indiget ad hoc, ut semper textus dogmaticos rectè interpretetur, rectèque de illis sententiam ferat. 4. Vi hujus infallibilitatis à Deo promissæ, corpus pastorale solùm infallibile esse circa grammaticæ regulas, quantùm opus est, ut rectè interpretetur textus dogmaticos. Unde non negamus Ecclesiam barbarismos, solœcismos, & alia hujusmodi errata admittere posse.

Dices. Saltem dici non potest, quantùm constet corpus pastorale sic esse infallibile circa textus dogmaticos. *Resp.* neg. & dico id esse certum certitudine fidei: hæc enim corporis pastoralis infallibilitas circa textus dogmaticos est de fide: *Sed contra instabis.* Illud non est de fide, quod neque ab aliquo Concilio generali, neque ab aliquo Pontifice extra Concilium generale expressè definitum fuit unquam. Atqui sic se habet corporis pastoralis circa textus dogmaticos infallibilitas. Ergo, &c. *Resp.* neg. maj. Nam corporis pastoralis infallibilitas circa ipsa fidei dogmata est de fide, quamvis neque ab aliquo Concilio generali, neque ab aliquo Pontifice extra Concilium generale unquam expressè definita fuerit.

Ratio à priori est, quia ut aliqua veritas sit de fide, sufficit, ut ab Ecclesia fidelibus proponatur sufficienter tanquam fidei dogma, ad quod non requiritur definitio Concilii generalis, aut Summi Pontificis extra Concilium generale. Sic v. gr. in Ecclesia semper de fide fuit, quòd Verbum sit Deus, non creatura: quamvis hoc neque ab aliquo Concilio generali ante Arii tempora, neque ab aliquo Pontifice ante tempora Dionysii Alexandrini expressè fuerit definitum.

Itaque tametsi neque aliquod Concilium generale, neque Summus Pontifex aliquis unquam expressè definierit infallibilitatem corporis pastoralis circa textus dogmaticos, hæc nihilominùs infallibilitas est de fide, quia illam ut fidei dogma aliunde sufficienter proponit Ecclesia: sicut tametsi ejusdem corporis pastoralis infallibilitatem circa ipsa fidei dogmata, neque aliqua Synodus generalis, neque Romanus Pontifex aliquis expressè definierit, hæc nihilominùs infallibilitas est de fide, quia ut dogma fidei aliunde ab Ecclesia sufficienter proponitur.

Dices. Non potest intelligi quomodo Ecclesia absque decreto Concilii generalis, vel Summi Pontificis extra Concilium generale, possit suam circa textus dogmaticos infallibilitatem sufficienter proponere ut dogma fidei. *Resp.* neg. Nam 1. sicut Ecclesia sufficienter proponit ut dogma fidei suam infallibilitatem circa ipsa fidei dogmata, sufficienter proponendo ut canonicas & divinas, scripturas illas, quibus expressè continetur hæc infallibilitas: ita quoque sufficienter proponit ut dogma fidei suam infallibilitatem circa textus dogmaticos, sufficienter proponendo, ut canonicas & divinas, scripturas illas, quibus hæc infallibilitas expressè continetur.

Porrò cùm hoc primo modo Ecclesia sufficienter proponit ad credendum suam infallibilitatem circa ipsa fidei dogmata, simul & indivisibiliter ad credendum sufficienter proponit suam circa textus dogmaticos infallibilitatem. Ratio est, quia iisdem illis Scripturis, quas ut canonicas & divinas sufficienter proponit Ecclesia, eadem claritate continetur & exprimitur utraque infallibilitas. Sic v. gr. his Christi verbis Matth. cap. ult. *Docete omnes gentes .... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, quæ verba certò canonica sunt & divina, tam clarè continetur & exprimitur infallibilitas circa textus dogmaticos, quàm infallibilitas circa ipsa fidei dogmata: in illis enim verbis clarè continetur, & exprimitur omnis infallibilitas ad semper rectè docendum necessaria, qualis evidenter est infallibilitas in interpretandis & qualificandis quibuslibet dogmaticis textibus.

2. Sicut corpus pastorale sufficienter ad credendum proposuit hactenùs infallibilitatem suam circa dogmata per usum illius, vera scilicet dogmata proponendo vel confirmando, & falsa damnando, verorum dogmatum oppugnatores, & defensores falsorum anathematizando in Conciliorum generalium symbolis & canonibus, & extra Concilia generalia in definitionibus Summorum Pontificum, ab Episcoporum dispersorum saltem pluralitate receptis: ita quoque ad credendum sufficienter suam circa textus dogmaticos infallibilitatem proposuit partim per Concilia generalia, partim per summos Pontifices utendo illa, cùm traditiones Apostolicas in SS. Patrum scriptis investigavit, symbola à privatis hominibus composita approbavit, & fidelibus proposuit ut regulam fidei, epistolas dogmaticas ut orthodoxas recepit, vel rejecit ut heterodoxas, tria Capitula & eorum defensores diris devovit, libros integros ut hæretica tabe infectos proscripsit, &c. Sed

Nota. Hactenùs Ecclesia non sese clariùs & expressiùs circa fidei dogmata, quàm circa textus dogmaticos usu suo professa est infallibilem. Etenim in Nicæno Concilio, in quo damnavit Arii dogma, Symbolum ab Osio concinnatum approbavit, & fidelibus omnibus ut regulam fidei proposuit: in Constantinopolitano I. ubi proscripsit dogma Macedonii, Symbolum Nicænum confirmavit, & aliud paulò explicatiùs eadem auctoritate munivit: in Ephesino non aliter Nestorii dogma confixit, quàm epistolam Cyrilli Nicæno Symbolo consentientem, Nestorii verò epistolam dissentientem esse pronunciando: in Chalcedonensi, in quo Eutychetis dogma profligavit, expositionem fidei à paucis Episcopis contextam recepit & subscripsit: in Constantinopolitano II. hæresibus, quas priores synodi damnaverant, denuò damnatis, textus dogmaticos Theodori, Theodoreti, & Ibæ, cum suis defensoribus anathematizavit, &c. Hinc autem

Argumentor sic. Ex praxi Ecclesiæ circa textus dogmaticos tam colligitur ejus circa textus dogmaticos infallibilitas, quàm ex ejus praxi circa fidei dogmata colligitur ejus infallibilitas circa fidei dogmata. Atqui ex praxi Ecclesiæ circa fidei dogmata ejus infallibilitas certò colligitur, de quo nemo catholicus ambigit. Ergo similiter ex praxi Ecclesiæ circa textus dogmaticos, ejus circa textus dogmaticos infallibili-

libilitas certò colligitur. Et ſicut ex praxi Eccleſiæ circa dogmata fidei eam circa illa infallibilem eſſe, ſufficientiſſimè colligitur in ordine ad obligationem credendi, quod nemo catholicus negabit: ita pariter ex praxi Eccleſiæ circa textus dogmaticos, in ordine ad obligationem credendi ſufficientiſſimè colligitur eam circa textus illos eſſe infallibilem.

At inquies. Eccleſia non definit expreſsè ſuam circa textus dogmaticos infallibilitatem; cùm tamen hæc infallibilitas à multis impugnetur. Ergo ſignum eſt Eccleſiam ipſam de hac infallibilitate minimè certam eſſe, adeòque falſum eſt hanc infallibilitatem eſſe de fide. *R.* neg. conſeq. Nam infallibilitas Eccleſiæ circa fidei dogmata à multis impugnatur, & tamen Eccleſia non eam definit expreſsè; quamvis de ea minimè ſit dubia. Malè igitur ex eo, quòd Eccleſia ſuam circa textus dogmaticos infallibilitatem, à multis novatoribus impugnatam, non definit expreſsè, malè, inquam, ex eo arguitur Eccleſiam de hac ſua infallibilitatem incertam eſſe, adeòque infallibilitatem hanc de fide eſſe non poſſe.

Itaque ſicut Eccleſia, quamvis de ſua circa fidei dogmata infallibilitate certiſſima, noluit hactenùs eam expreſsè definire, eamque ſolo illius uſu & exercitio contra hæreticos, à quibus impugnatur, propugnandam eſſe judicavit: ita pariter de ſua circa textus dogmaticos infallibilitate certiſſima, eam tamen expreſsè definire hactenùs noluit, & ſolo uſu & exercitio illius defendendam eſſe judicavit contra eos à quibus impugnatur.

Item ſicut Eccleſia hactenùs noluit expreſsè definire ſuam circa fidei dogmata infallibilitatem, non quòd de illa hactenùs dubitarit, ſed quia judicavit conſtantem illius uſum exiſtentiæ illius & Apoſtolicæ de illa traditionis invictiſſimum eſſe argumentum, adeòque æquivalere expreſſæ definitioni, qua ſeipſam circa fidei dogmata infallibilem diſertis verbis aſſereret: ita ſuam circa textus dogmaticos infallibilitatem expreſsè definire noluit hactenùs, non quòd dubitarit hactenùs de hac ſua infallibilitate, ſed quia illam & Apoſtolicam de illa traditionem invictiſſimè demonſtrari judicavit per conſtantem illius uſum, qui proinde uſus eſt virtualis & interpretativa definitio, & æquivalet formali & expreſſæ definitioni, qua Eccleſia ſeipſam circa textus dogmaticos infallibilem expreſſis verbis declararet.

Item Eccleſia non expreſsè definit ſuam infallibilitatem circa dogmata fidei, quia tali definitione opus non eſt ad hoc, ut hæc infallibilitas credi poſſit & debeat fide divina. Similiter non definit expreſsè ſuam infallibilitatem circa textus dogmaticos, quia hæc infallibilitas poteſt & debet credi fide divina ſine tali definitione. Breviter, Eccleſia neutram infallibilitatem expreſsè definit, quia ſuum de utraque infallibilitate ſenſum exprimit per praxim ſuam circa dogmata fidei & textus dogmaticos. Hinc ſicut, licèt Eccleſia non definiat expreſsè infallibilitatem ſuam circa fidei dogmata, hæreticum tamen eſt negare hanc infallibilitatem, quia negatur contra ſenſum Eccleſiæ ſufficientiſſimè expreſſum per praxim Eccleſiæ circa fidei dogmata: ita licèt Eccleſia non definiat expreſsè infallibilitatem ſuam circa textus dogmaticos, hanc tamen infallibilitatem qui negat, contra fidem negat, quia negat contra ſenſum Eccleſiæ, quem Eccleſia per ſuam circa textus dogmaticos praxim ſufficientiſſimè exprimit.

Dices. Eccleſia infallibilitatem ſuam circa fidei dogmata expreſsè definiit in Tridentina Synodo ſeſſ. 13. in proœmio, ubi ſic loquitur: *Sacroſancta Synodus ſanam & ſinceram illam de venerabili hoc & divino Euchariſtiæ Sacramento doctrinam tradens, quam ſemper catholica Eccleſia, ab ipſo Jeſu Chriſto Domino noſtro, & ejus Apoſtolis erudita, atque à Spiritu Sancto, illi omnem veritatem in dies ſuggerente, edocta, retinuit, & uſque ad finem ſæculi conſervabit, omnibus Chriſti fidelibus, &c.* Ergo mirum non eſt, infallibilitatem corporis paſtoralis circa fidei dogmata ſtatuenda, eſſe de fide, neque ab hac infallibilitate concludi poteſt ad infallibilitatem circa textus dogmaticos interpretandos & qualificandos.

R. 1. neg. ant. Nam verbis citatis exprimitur tantùm univerſitatis tam paſtorum quàm ovium indefectibilitas à recta fide, ex qua indefectibilitate per illationem tantùm habemus infallibilitatem corporis paſtoralis circa fidei dogmata ſtatuenda: nec magis habemus hanc infallibilitatem corporis paſtoralis circa fidei dogmata ſtatuenda, quàm infallibilitatem ejuſdem corporis circa textus dogmaticos interpretandos & qualificandos: ex illa enim indefectibilitate per illationem habemus, promiſſam eſſe corpori paſtorali omnem infallibilitatem ad rectè docendum neceſſariam, qualis proculdubio eſt infallibilitas circa textus, &c.

R. 2. Dato quòd Synodus Tridentina verbis citatis expreſsè definiverit infallibilitatem corporis paſtoralis circa fidei dogmata ſtatuenda, à fortiori dicendum eſſe, quòd Synodus quinta infallibilitatem ejuſdem corporis circa textus dogmaticos interpretandos & qualificandos, expreſsè definiverit verbis, quæ canonibus ſuis præmittit, & quæ citavimus Articulo ſuperiore: in illis enim directè duo ſignificat, videlicet omnem infallibilitatem ad rectè docendum neceſſariam, promiſſam eſſe corpori paſtorali, & ad rectè docendum requiri in corpore paſtorali non ſolùm ut vera dogmata ſtatuat, & damnet falſa, ſed etiam ut proſcribat textus, quibus falſa dogmata continentur & defenduntur; adeòque directè ſignificat, corpori paſtorali promiſſam eſſe non ſolùm circa fidei dogmata ſtatuenda, ſed etiam circa textus dogmaticos interpretandos infallibilitatem.

ARTICULUS VIII.

Solvitur objectio petita ex Bellarmino.

Dices. Corporis paſtoralis infallibilitas circa textus dogmaticos interpretandos in dubium revocatur, imò & negatur à multis Doctoribus catholicis. R. neg. Quis enim Doctor catholicus hactenùs docuit Nicænam Synodum falli potuiſſe in interpretando Symbolo, quod fidelibus omnibus ut regulam fidei propoſuit, & ejus nomine Nicænum appellatur? Epheſinam Synodum falli potuiſſe in interpretandis epiſtolis dogmaticis Cyrilli & Neſtorii, quarum unam conſonam, & alteram diſſonam Symbolo Nicæno pronunciavit? Chalcedonenſem Synodum falli potuiſſe in interpretanda fidei expoſitione, quam recepit & ſubſcripſit? Quintam Synodum falli potuiſſe in interpretandis tribus Capitulis, quæ cum ſuis defenſoribus execrata eſt? Quis Doctor catholicus hactenùs docuit, Concilia œcumenica falli poſſe in interpretandis *SS.* Patrum ſcriptis, in quibus inveſtigant traditiones Apoſtolicas, & ex quibus veras traditiones à falſis diſcernunt? Aut ſaltem quis horum aliquid docere potuit ſine errore in fide?

Probabis tamen propoſitionem negatam. Sit unus pro omnibus Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice c. 11. ubi Honorii cauſam agens, ſic loquitur: *Quod ſi aliquis adhuc non poſſit adduci, ut credat corruptam eſſe VI. Synodum; is accipiat alteram ſolutionem, quæ eſt Joannis à Turre-cremata lib. 2. de Eccleſia c. 93. qui docet Patres VI. Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſa informatione, ac proinde in eo judicio erraſſe. Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto. Itaque tutò dicere poſſumus, hos Patres deceptos ex falſis rumoribus; & non intellectis Honorii epiſtolis, immeritò cum hæreticis connumeraſſe Honorium.* Ex quibus verbis

Sic argumentaberis. Illud non eſt de fide, quod tutò negari poteſt. Atqui ex Bellarmino, tutò negare poſſumus Concilium generale legitimum falli non poſſe in interpretandis textibus dogmaticis, & tutò dicere poſſumus, ſextum Concilium, quamvis generale

& le-

& legitimum, errare potuisse, & re ipsa errasse in interpretandis epistolis dogmaticis Honorii. Ergo ex Bellarmino, non est de fide, quòd Concilium generale legitimum sit in interpretandis textibus dogmaticis infallibile, & consequenter corporis pastoralis, quod Concilium generale legitimum repræsentat, infallibilitas in interpretandis textibus dogmaticis non est de fide. Ad solutionem

Nota. Honorii epistolæ (idem dic de quolibet alio textu dogmatico) possunt considerari dupliciter. 1. Absolutè & secundùm se. 2. Relativè ad suum auctorem. Primo modo considerantur, cùm sumuntur secundùm sensum, quem verba ex institutione ab omnibus recepta exprimunt. Considerantur secundo modo, cùm sumuntur relatè ad sensum, quem auctor earum habuit in mente, vel, si vis, cùm sumuntur relatè ad intentionem, ex qua ab auctore suo scriptæ fuerunt. His præsuppositis,

R. 1. Cùm didicimus esse de fide, quòd Ecclesia sit infallibilis in interpretandis textibus dogmaticis, semper loquimur de textibus dogmaticis, sumptis absolutè & secundùm se; nunquam de illis sumptis relatè ad auctorem illorum. Quare nobis non contradicit hìc Bellarminus, quia de Honorii epistolis non primo, sed secundo modo consideratis loquitur. Itaque cùm Bellarminus ait, tutò dici posse Honorii epistolas malè à sexta Synodo interpretatas fuisse, loquitur de epistolis Honorii sumptis non absolutè & secundùm se, sed relatè ad ipsum Honorium, quem sexta Synodus Monothelitam, aut saltem Monothelitarum fautorem fuisse credidit: nec aliud vult Bellarminus, quàm tutò dici posse, quòd sexta Synodus errare potuerit, & re ipsa erraverit circa Honorii epistolas relatè ad ipsum Honorium sumptas; quod facilè concedimus, nec officit ullatenùs doctrinæ nostræ.

Sexta Synodus errare potuit circa Honorii epistolas, sumptas relatè ad ipsum Honorium, quia Ecclesia non est infallibilis circa textus dogmaticos, relatè sumptos ad suos auctores; & non est infallibilis, quia hæc infallibilitas ad bene docendum, & servandum fidei depositum, necessaria non est. Sexta Synodus re ipsa erravit circa Honorii epistolas, relatè sumptas ad ipsum Honorium, quia falsò judicavit aut ab Honorio fuisse scriptas animo hæretico, vel saltem ex intentione favendi hæreticis: & hoc judicavit, quia ex falsa informatione decepta, credidit Honorium fuisse Monothelitam, vel saltem propensum in Monothelitas, adeòque malo animo, & non ex quadam œconomia, ac sincero pacis inter Orientales Ecclesias conciliandæ studio, unius & duarum in Christo operationum vocabula supprimenda censuisse.

Sexta Synodus errare potuit errore facti purè personalis, quia Ecclesia circa facta purè personalia non est infallibilis; & non est infallibilis, quia hæc infallibilitas necessaria non est ad veræ fidei conservationem. Quare sexta Synodus errare potuit circa epistolas Honorii sumptas relatè ad ipsum Honorium, quia errare circa illas sic sumptas, non est nisi facti purè personalis error: quòd enim Honorius epistolas suas tali mente, vel tali intentione scripserit, est factum purè personale; atque ita errare, judicando quòd eas scripserit tali mente, vel tali intentione, est error facti purè personalis: quæ omnia vera sunt, nec juvant adversarios: nobis enim sufficit Bellarminum non intellexisse, quòd sexta Synodus erraverit circa Honorii epistolas sumptas etiam absolutè & secundùm se, hoc est, secundùm sensum, quem verba ex institutione communiter recepta exprimunt, independenter à sensu quem auctor illarum habuit in mente, & intentione qua ad scribendas illas promotus est.

At inquies. Violenta videtur hæc interpretatio mentis Bellarmini, & supposita veritate actorum Synodi, ut hìc supponit Bellarminus, manifestum videtur, quòd Synodus Honorii epistolas eodem modo consideraverit, quo epistolas Sergii. Sic enim legitur act. 3. tom. 6. Conc. pag. 944. *Retractantes dogmaticas epistolas, quæ tanquam à Sergio ... scriptæ sunt, tam ad Cyrum .. quàm ad Honorium ..., similiter autem & epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omninò abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur.*

Itaque vel dicendum est epistolas Honorii à Synodo consideratas fuisse absolutè & secundùm se; vel dicendum quoque à Synodo Sergii epistolas non fuisse absolutè & secundùm se consideratas, adeòque à Synodo damnatas non fuisse, nisi relatè ad mentem & intentionem Sergii, quod pariter dicendum erit de omnibus aliorum Monothelitarum textibus à Synodo damnatis, quòd certè absurdum est. Præterea, quòd & Sergii & Honorii epistolas absolutè secundùm se consideraverit Synodus demonstrari videtur ex eo, quòd Synodus eas execretur tanquam noxias animæ, legentium scilicet, quos in errorem inducere possunt; at si legentibus noxiæ esse non possunt, quantumvis animo & intentione hæretica scriptæ supponantur, nisi sensum quoque hæreticum verba per se exprimant. Secundùm sensum igitur, quem verba per se exprimunt, Sergii & Honorii epistolæ à Synodo considerantur.

Propter hanc instantiam, quamvis in prima responsione nostra solutione non careat, libenter admittimus. Honorii epistolas absolutè & secundùm se à sexta Synodo consideratas fuisse; & quòd Bellarminus, cùm ait tutò dici posse, epistolas illas intellectas non esse à sexta Synodo, de epistolis illis etiam absolutè & secundùm se consideratis loquatur, libenter supponimus, & eò libentiùs, quòd adhuc noster est Bellarminus, hac suppositione facta. Itaque

R. 2. Bellarminum in hac suppositione non magis dubitare de infallibilitate Ecclesiæ circa textus dogmaticos, cùm ait sextam Synodum errare potuisse in interpretandis Honorii epistolis, quam dubitat de infallibilitate Ecclesiæ circa fidei dogmata, cùm ait Concilium generale separatim à Pontifice errare posse in definiendis fidei dogmatibus. Juxta Bellarminum, Concilium generale, separatim à Pontifice, errare potest in definiendo fidei dogmate, non quia Ecclesia non est infallibilis in definiendis fidei dogmatibus, sed quia Concilium generale, sine Pontifice idem viva voce vel scripto definiente, non repræsentat sufficienter Ecclesiam in ordine ad actuale exercitium infallibilis illius auctoritatis, quam habet in Ecclesia ad dogmata fidei definienda.

Similiter, juxta Bellarminum, Concilium generale, separatim à Pontifice, errare potest in interpretando aliquo textu dogmatico, non quia Ecclesia non est infallibilis in interpretandis textibus dogmaticis, sed quia Concilium generale, sine Pontifice eodem modo viva voce vel scripto interpretante, non repræsentat sufficienter Ecclesiam in ordine ad actuale exercitium infallibilis illius auctoritatis, quam habet Ecclesia ad interpretandos textus dogmaticos, eosque qualificandos.

Porrò cùm hoc loco qui nobis opponitur, Bellarminus ait, Concilium generale legitimum errare non posse in dogmatibus fidei definiendis, certo certiùs loquitur de Concilio generali conjuncto cum Romano Pontifice idem definiente; sive, quod idem est, de Concilio generali vel definiente secundùm præjudicium Romani Pontificis: vel confirmato à Romano Pontifice: quia tunc tantùm Concilium generale perfectè œcumenicum est, adeòque tunc infallibile in definiendo fidei dogmate. Patet ex lib. 2. de Conc. auctoritate cap. 11. ubi ex professo probat, *Concilia generalia ante confirmationem Summi Pontificis, errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis institutionem.*

Prorsus igitur intacta infallibilitate Ecclesiæ circa textus dogmaticos, quam asserimus & dicimus esse de fide, potest in Bellarmini doctrina tutò dici sextam Synodum errare potuisse, & re ipsa errasse in interpretandis Honoriis epistolis, etiam spectatis absolutè, & secundùm sensum quem verba per se & ex

institutione sua exprimunt: quia sexta Synodus epistolas illas interpretata est sine Pontifice, eas eodem modo interpretante: nam neque in illis epistolis interpretandis secuta est institutionem Agathonis; imò potiùs contradixit, juxta Bellarminum, & rei veritatem; quia Agatho in sua ad Imperatorem epistola 1. epistolas Honorii orthodoxas sufficienter declaravit, dicendo: *Quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, feciſſe semper, cunctis est agnitum:* neque epistolarum illarum interpretationem ab ea factam confirmavit Leo II. in sua ad Constantinum epistola Concilii confirmatoria, in qua anathematizat Honorium, quia *Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed prophana proditione fidem immaculatam maculari permisit.* Nam 1. Bellarminus contendit hic à Græcis corruptam fuisse Leonis epistolam. 2. Supponendo hæc verba esse Leonis, illis non confirmatur, sed manifestè corrigitur sententia Concilii, quantùm attinet ad Honorii epistolas: manifestè enim verbis illis Honorius damnatur tantùm eò quòd Apostolico vigore Monothelitis non restiterit, nec monstrum in incunabulis suffocarit.

Quæres, utra ex duabus responsionibus pro Bellarmino allatis sit alteri præferenda?

R. 1. Idem prorsus dicendum est de infallibilitate Concilii generalis circa textus dogmaticos, quod dicitur de ejus infallibilitate circa fidei dogmata; nam cùm dogmata fidei nec definiantur, nec definiri possint à Concilio generali interpretatione & collatione textuum dogmaticorum, ut constat ex praxi omnium Conciliorum generalium, Concilii generalis infallibilitas circa fidei dogmata separari non potest ab ejus infallibilitate circa textus dogmaticos.

2. De Concilii generalis infallibilitate circa dogmata fidei duplex est sententia. Prima est Bellarmini, docentis Concilium generale separatim à Pontifice non esse circa fidei dogmata infallibile, adeòque in dogmatibus fidei definiendis errare posse ante Pontificis confirmationem, nisi Patres ejus institutionem sequantur. Secunda sententia est aliorum Theologorum, qui tenent Concilium generale, etiam separatim à Pontifice, esse circa fidei dogmata infallibile, adeòque etiam ante Romani Pontificis confirmationem in dogmatibus fidei definiendis errori obnoxium esse non posse. Hanc autem Doctorum catholicorum controversiam hìc non suscipimus dirimendam.

3. Juxta primam sententiam, dicendum est Concilium generale separatim à Pontifice, non esse in textibus dogmaticis interpretandis infallibile, adeòque ante Pontificis confirmationem in eorum orthodoxia, vel heterodoxia declaranda falli posse, nisi tamen Patres in hac sua declaratione sequantur præjudicium Pontificis. Juxta secundam verò sententiam dici debet, Concilium generale, etiam separatim à Pontifice, habere in textibus dogmaticis interpretandis infallibilitatem, adeòque in eorum orthoxia, vel heterodoxia declaranda falli non posse etiam ante Pontificis confirmationem, etiamsi Pontifex orthodoxiam, vel heterodoxiam illam non præjudicarit.

4. Qui primam sententiam tenent, sine præjudicio infallibilitatis Ecclesiæ circa textus dogmaticos, intrepidè dicere possunt sextam Synodum circa Honorium in duplicem prolapsam esse errorem; errorem scilicet facti purè personalis, Honorium ex falsa informatione connumerando hæreticis; & errorem juris, vel, si vis, facti ad fidem pertinentis, Honorii epistolas etiam secundùm sensum litteralem sumptas malè interpretando, & ut heterodoxas abjiciendo.

In secunda verò sententia, cùm, ut hìc supponimus, & aliàs sufficienter ostendimus, probabiliter dici non possit epistolas Honorii, secundùm sensum quem verba per se exprimunt, spectatas, dogmati catholico adversari; vel dicendum est acta sextæ Synodi à Græcis falsatoribus fuisse corrupta, quantùm ad Honorium attinet, quod parùm probabile videtur; vel dicendum potiùs, sextam Synodum epistolas Honorii non consideràsse nisi relatè ad mentem & intentionem ejus, adeòque erràsse circa illas errore tantùm facti purè personalis, abjiciendo illas ut scriptas mente hæretica, vel saltem ex intentione favendi hæreticis, ipsumque Honorium ex falsa præsumptione anathematizando ut hæreticum, vel saltem ut fautorem hæreticorum.

Porrò sicut alterutrius sententiæ de infallibilitate Concilii generalis circa dogmata fidei & textus dogmaticos, ita & alterutrius responsionis ad difficultatem petitam ex facto sextæ Synodi circa Honorium, liberam lectori opinionem relinquimus: quia utravis eligatur responsio, manet indubitata Ecclesiæ infallibilitas in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis; quam infallibilitatem Concilium generale separatim à Pontifice non exercet in prima sententia, & exercet in secunda sententia, in quam magis, quàm in alteram propendemus, hanc sententiam intelligentes de Concilio perfectè œcumenico, in quo proinde legati Pontificii præsentes sunt & præsunt.

ARTICULUS IX.

Solvitur objectio petita à distinctione quæstionum juris & facti.

Obj. Quòd textus aliquis dogmaticus sit orthodoxus, aut heterodoxus, est quæstio facti. Atqui Ecclesia errare potest circa facta. Ergo errare potest in declaranda orthodoxia, vel heterodoxia textuum dogmaticorum. *R.* 1. neg. maj. & dico esse quæstionem juris, cùm quæritur de aliquo textu dogmatico, utrùm sit orthodoxus, an heterodoxus. Ratio convincens est, quia cùm quæritur de aliquo textu, qui dogma aliquod exprimit, utrùm sit orthodoxus, an heterodoxus, manifestè perinde est ac si quæratur, utrùm dogma quod illo textu exprimitur, sit orthodoxum an heterodoxum, & manifestum est esse quæstionem juris, cùm de dogmate, quod exprimitur aliquo textu, quæritur utrùm sit orthodoxum, an heterodoxum.

Confirmatur. Quia cùm quæritur de quinque famosis Propositionibus, quæ sunt textus dogmatici, utrùm sint orthodoxæ, an heterodoxæ, esse quæstionem juris fatentur novatores, contra quos hìc disputamus. Atqui non est potior aliqua ratio pro illis Propositionibus, quàm pro alio quolibet textu dogmatico, putà quàm pro Thalia Arii, pro Epistola Nestorii ad Cyrilum, pro Esthesi Sergii, &c. Nec juvat adversarios, si dicant hos textus & alios similes, esse textus prolixos, quinque verò propositiones esse textus breves: harum enim propositionum heterodoxia non est merum factum, quia sunt textus dogmatici, non quia sunt textus breves; & ex eo quòd alii textus sunt prolixi, nihilominùs sunt dogmatici. Ergo eorum heterodoxia non est merum factum, quantùmvis prolixi supponantur.

Amplius. Heterodoxia quinque propositionum pertinet ad quæstionem juris, quia in tantum sunt heterodoxæ, in quantum exprimunt falsum dogma, & falsum dogma quod exprimunt, pertinet ad jus. Atqui alii quilibet textus dogmatici heterodoxi, quantùmvis prolixi supponantur, heterodoxi sunt, quia falsum dogma exprimunt, quod falsum dogma ad jus quoque pertinet. Ergo evidenter eorum heterodoxia tam pertinet ad quæstionem juris, quàm heterodoxia quinque propositionum.

R. 2. Dato quòd orthodoxia & heterodoxia textuum dogmaticorum sint facta, distinguenda esse facta duplicis generis. Nam 1. sunt facta particularia, personalia, & ad fidem nullatenùs pertinentia, & ex quorum affirmatione, vel negatione nullatenùs periclitatur veritas catholica; ut si quæratur utrùm talis sit promovendus ad Episcopatum, utrùm fuerit jure

pro-

promotus, utrùm sit deponendus, &c. In ejusmodi factis decidendis Ecclesiam errare posse, in confesso est apud omnes catholicos: ejusmodi enim factorum decisio pendet à depositione testium, à quibus falli potest Ecclesia; & aliunde in ejusmodi factis decidendis infallibilitas necessaria non est Ecclesiæ ad semper rectè docendum, & servandum fidei depositum; nec ex errore Ecclesiæ circa illa fides in periculum aliquod adducitur.

2. Sunt etiam facta generalia, ad fidem pertinentia, ex quorum falsa affirmatione vel negatione fides adducitur in periculum; ita conjuncta cum dogmate aliquo, ut falsa affirmatio vel negatio facti, sit affirmatio falsi, vel negatio veri dogmatis; talia, ut si Ecclesia circa illa erret, malè doceat fideles; talia, ut si circa illa errare possit Ecclesia, possit veras traditiones ut falsas repudiare, & falsas traditiones ut veras suscipere, atque in dogmatibus fidei definiendis falli. Unde quòd Ecclesia in ejusmodi factis & quæstionibus, quæ de illis occurrunt, solvendis, prorsus infallibilis sit, catholicis omnibus planè indubitatum est, & tam certum esse debet, quàm certum est eam non posse malè docere, traditiones veras rejicere & falsas amplecti, falsa affirmatione, vel negatione doctrinam orthodoxam in periculum adducere, in dogmatibus fidei definiendis errare; breviter, tam certum esse debet, quàm ex iis omnibus, quæ ad servandum fidei depositum necessaria sunt, nihil ei deesse posse.

Dico autem, orthodoxiam, & heterodoxiam textuum dogmaticorum, si dici debet factum, esse factum secundi generis: nam si factum est, 1. est factum generale, seu fideles omnes spectans: quid enim magis spectat fideles omnes, quàm textus, qui in manus omnium venire potest, & ex quo omnes sanam doctrinam, si orthodoxus, hæreticam verò, si heterodoxus est, haurire possunt. 2. Est factum ad fidem pertinens: nam vel affirmat, vel negat verum dogma. 3. Est factum, ex cujus falsa affirmatione vel negatione vera fides adducitur in periculum: veram enim fidem in eminenti periculo versari necesse est, si Ecclesia textum orthodoxum tanquam heterodoxum, aut heterodoxum tanquam orthodoxum fidelibus proponat.

4. Est factum ita conjunctum cum dogmate, ut ejus falsa affirmatio vel negatio sit affirmatio falsi vel negatio veri dogmatis: nam si Ecclesia affirmaret v. gr. epistolam Nestorii ad Cyrillum esse orthodoxam, hoc ipso affirmaret Christum esse purum hominem; & si negaret Thaliam Arii esse heterodoxam, hoc ipso negaret Verbum esse Deum, &c.

5. Est factum tale, ut si Ecclesia circa illud erraret, malè doceret fideles: nam malè docet ille, cujus doctrina, ii qui docentur, induci possunt in errorem. At Ecclesia textum orthodoxum ut heterodoxum, vel heterodoxum ut orthodoxum proponente, fideles facilè in errorem inducerentur; facilè enim propter auctoritatem Ecclesiæ, textum orthodoxum rejicientes ut heterodoxum, doctrinam in eo expressam rejicerent ut heterodoxam, vel textum heterodoxum suscipientes ut orthodoxum, doctrinam in eo expressam susciperent ut orthodoxam.

6. Denique est factum tale, ut si Ecclesia posset circa illud errare, posset veras traditiones ut falsas rejicere, & falsas suscipere ut veras: posset enim orthodoxorum Patrum & legitimorum Conciliorum textus reprobare, & approbare textus hæreticorum & pseudo-synodorum. Unde ulteriùs, textus dogmaticos veterum scriptorum & conciliorum malè interpretando, falli posset in dogmatibus fidei definiendis. Manifestum igitur est, Ecclesiam circa textus dogmaticos infallibilem esse, sive eorum orthodoxia vel heterodoxia dicatur pertinere ad quæstionem juris, sive dicatur pertinere tantùm ad quæstionem facti: quia si pertinet ad quæstionem facti, pertinet ad quæstionem facti generalis, fidem spectantis, &c. adeòque ad quæstionem, circa quam tam necesse est Ecclesiam esse infallibilem, quàm circa quæstionem juris.

Dices. Sanctus Thomas, & cum eo Theologi penè omnes docent, Ecclesiam fallibilem esse in quæstionibus facti. *Resp.* S. Thomam & alios Theologos loqui de factis particularibus, & purè personalibus, non de factis generalibus & dogmaticis, qualia sunt textuum dogmaticorum orthodoxia & heterodoxia, si tamen sunt facta tantùm. Audiamus Sanct. Thomam, & Bellarminum pro omnibus Theologis. Sic autem habet S. Thomas quodlibet. 9. art. 16. in O. *Certum est, quòd judicium Ecclesiæ universalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile sit ... in aliis verò sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.*

Bellarminus verò lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. pag. 955. sic ait: *Annotandum est, sententias & decreta Pontificum interdùm versari in rebus universalibus, quæ toti Ecclesiæ proponuntur, qualia sunt decreta de fide, & præcepta morum generalia; interdùm in rebus particularibus, quæ ad paucos pertinent, quales ferè sunt omnes controversiæ facti, ut an talis sit promovendus ad episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus ..... Conveniunt omnes Catholici ... posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controversiis facti particularis, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipuè pendent.*

Vides Sanct. Thomam & Bellarminum loqui de factis in quibus Ecclesia decipi potest à falsis testibus, ac proinde de factis, in quorum examine testes adhibentur; loqui de factis, quæ ex informatione & hominum testimoniis præcipuè pendent. At manifestum est, textuum dogmaticorum orthodoxiam & heterodoxiam non esse facta hujusmodi: nam in examine textuum dogmaticorum testes non adhibentur, sed eos per se expendere potest & expendit Ecclesia: neque controversiarum, quæ de textuum illorum orthodoxia vel heterodoxia occurrunt, decisio pendet ex informatione & testimoniis hominum, sed ex eorum interpretatione, intelligentia Scripturarum Sacrarum, & traditionum divinarum notitia; & aliquando ex eorum collatione cum orthodoxorum Patrum scriptis, symbolis aut canonibus Conciliorum, Summorum Pontificum decretis. In his autem omnibus Ecclesia infallibilis est propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. Dato igitur quòd textuum dogmaticorum orthodoxia & heterodoxia sint facta, non sunt saltem de numero factorum illorum, de quibus loquuntur S. Thomas & alii Theologi, cùm ajunt Ecclesiam in factis errare posse. Quod

Confirmatur. Quia S. Thomas, & alii Theologi loquuntur de factis, quæ ad paucos spectant, nec ad fidem pertinent. At de controversiis, quæ circa orthodoxiam vel heterodoxiam textuum degmaticorum occurrunt, 1. dici non potest, quòd ad paucos spectent: nam spectant ad omnes fideles, & omnium fidelium sæpenumero magni interest, ut finiantur, & auctoritate, cui omnes sese submittere teneantur, adeòque auctoritate infallibili decidantur. 2. Dici non potest, quòd ad fidem non pertineant: nam v. gr. cùm quæritur, quænam ex Cyrilli & Nestorii epistolis sit Symbolo Nicæno consona, quænam dissona, quis sanæ mentis neget, hanc quæstionem ad fidem pertinere? Et verò cùm quæritur, quænam ex duabus epistolis sit orthodoxa, quænam heterodoxa, evidenter idem est, ac si quæratur, utrùm Christus sit Deus, an purus homo.

Dices. Saltem Ecclesia non est infallibilis, nisi circa facta à Deo revelata. Atqui quòd textus aliquis dogmaticus sit orthodoxus aut heterodoxus, non est factum à Deo revelatum. Ergo, &c. *Resp.* neg. maj. cujus falsitas facili inductione demonstratur. Nam 1. quòd celebrata fuerit Synodus, quæ Nicæna vocatur, quòd fuerit generalis, quòd fuerit legitima, quòd definierit Filium in divinis esse Patri consubstantialem; quòd Symbolum, ejus nomine Nicænum nuncupa-

tum, approbarit; quòd illud Symbolum nunc extet tale, quale ab eo approbatum est, sunt facta, quæ à Deo saltem in doctrina adversariorum revelata non fuerunt, & tamen circa aliquod ex eis Ecclesiam falli posse, nemo catholicus dixerit.

2. Quòd tales textus sint Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, &c. quòd Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, &c. in talibus textibus tale dogma expresserint; quòd Cyprianus, Ambrosius, &c. sint veri testes traditionis Apostolicæ in talibus textibus, sunt facta non revelata à Deo, & tamen Ecclesia circa illa infallibilis est: alioquin non est infallibilis in discernendis ex communi Patrum consensu veris traditionibus à falsis, quod nemo fidelis concedet. Alia quamplurima ejusmodi facta brevitatis causa prætermittimus, circa quæ, quamvis à Deo revelata non fuerint, Ecclesiam errare non posse, inconfesso est apud orthodoxos omnes.

ARTICULUS X.

Solvitur objectio petita ex infallibilitate Ecclesiæ circa sensum auctorum, qui textus dogmaticos componunt.

Obj. Ecclesia non est infallibilis circa sensum auctorum, qui libros dogmaticos componunt. Ergo nec circa sensum librorum dogmaticorum. Pro solutione

Nota. Duplex distinguendus est sensus auctoris librum scribentis, internus scilicet, quem voco personalem; & externus, quem litteralem nomino. Sensus internus seu personalis est ille, quem auctor habet in mente, quando scribit: externus verò seu litteralis, est ille quem verba ab auctore in scribendo adhibita, per se & ex institutione sua exprimunt, & præseferunt. His autem prænotatis,

R. dist. ant. Ecclesia non est infallibilis circa sensum internum & personalem auctorum, qui, &c. C. ant. Ecclesia non est infallibilis circa sensum externum & litteralem auctorum, qui, &c. Neg. ant. & conseq. Sensus enim librorum dogmaticorum est sensus externus & litteralis auctorum, qui libros dogmaticos componunt.

Dices 1. Distinctio sensus personalis & litteralis arbitraria est, & gratis conficta. *Resp.* Hoc negando: nam fieri potest, & quandoque fit, ut quis habeat in mente sensum orthodoxum, & tamen in scribendo utatur verbis, quibus sensus heterodoxus exprimitur: ut enim ait S. Thomas 1. part. quæst. 3. art. 2. in O. *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis*. Potest autem quis rectè sentiens, verba inordinatè proferre, & hoc interdùm contingere, gratis, imò & contra experientiam negaretur.

Dices 2. Ecclesia ex concessis non est infallibilis circa sensum personalem auctorum dogmaticorum. Ergo nec est infallibilis circa litteralem sensum eorum. *Resp.* neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia Ecclesia non est infallibilis (supple semper, infallibilitate promissa, de qua hìc semper agitur) nisi quantùm requiritur ad servandum fidei depositum, & ad tuendos fideles contra fraudes hæreticorum, eosque in vera fide continendos. Ad hæc autem sufficit infallibilitas circa fidei dogmata, & sensum litteralem auctorum, qui de fidei dogmatibus scribunt. Unde infallibilitas circa sensum personalem auctorum dogmaticorum, gratis attribueretur Ecclesiæ. Pro quo

Nota. Magnum discrimen est inter personalem & litteralem sensum auctoris dogmatici. Sensus enim personalis latet in mente auctoris; unde fidem nostram nec juvare nec corrumpere potest, & pertinet ad secreta cordium, quorum solus Deus discretor est infallibilis. At sensus litteralis extat in textibus, qui in manus omnium venire possunt, & ab omnibus legi. Unde prout textus sunt orthodoxi vel heterodoxi, sensus litteralis ad fidem nostram juvandam, vel depravandam plurimùm potest valere. Ex quo manifestè apparet ratio attribuendi Ecclesiæ infallibilitatem circa sensum litteralem, & non attribuendi circa sensum personalem auctorum dogmaticorum.

Dices 3. Ecclesia non solùm libros dogmaticos, sed etiam eorum auctores anathematizat, Ergo non est ratio, cur potiùs Ecclesia censeatur infallibilis circa sensum litteralem, quam circa personalem auctorum dogmaticorum. *R.* neg. conseq. Nam cùm Ecclesia anathematizat textum dogmaticum, illum execratur ut heterodoxum, in quo si falleretur, textum orthodoxum execraretur ut heterodoxum, & ut heterodoxum fidelibus execrandum proponeret, sicque manifestè fideles induceret in errorem in re ad fidem pertinente; quod aliquando contingere posse, divinis promissionibus evidenter repugnat. At cùm Ecclesia anathematizat auctorem textus dogmatici, illum tantùm execratur ut hæreticum; in quo si fallitur, etiam post maturam deliberationem, & diligentem veritatis inquisitionem, ex ejus errore sequitur tantùm injusta materialiter hominis privati infamatio, ex qua infamatione fides non periclitatur, nec fideles ad falsum aliquod dogma suscipiendum inducuntur.

Porrò ut Ecclesia auctorem libri dogmatici tanquam hæreticum damnare possit, tria sufficiunt, nempe infallibilitas Ecclesiæ circa sensum litteralem auctoris, seu infallibilis notitia heterodoxiæ libri; notorietas, qua constat librum heterodoxum esse hujus auctoris; & hujus auctoris, si adhuc vivit, inobedientia erga Ecclesiam, seu pertinacia in defendendo libro heterodoxo; unde meritò arguitur hæreticum animum gerere, & si è vivis excessit, justa præsumptio, quòd librum hæretico animo & intentione hæretica scripserit, atque sensum, quem verba libri per se exprimunt, in mente habuerit, nec resipuerit. Quæ justa præsumptio haberi potest ex eo quòd mortuus est extra communionem Ecclesiæ, vel nunquam ante mortem, Ecclesiæ judicio librum suum submittere se, scripto vel viva voce professus est.

Dices 4. Ecclesia tam decidit orthodoxiam vel heterodoxiam sensus personalis, quàm decidit orthodoxiam vel heterodoxiam sensus litteralis. Ergo nec magis nec minùs infallibilis est circa sensum personalem, quàm circa litteralem. *R.* neg. ant. Nam v.g. Synodus Ephesina anathematizando epistolam Nestorii, sensum Nestorii litteralem heterodoxum esse pronunciavit, ipsum verò Nestorium anathematizando, solùm declaravit se illum habere ut hominem hæreticum, & ut talem ab omnibus fidelibus habendum ac vitandum esse, quia scilicet moraliter constabat illum esse auctorem epistolæ hæreticæ, eam hæretica intentione scripsisse, & mentem hæreticam habere.

Item quinta Synodus anathematizando scripta Theodori Mopsuesteni, sensum ejus litteralem heterodoxum esse declaravit: ipsum verò Theodorum anathematizando, solùm memoriam ejus ut hominis, qui & hæresim docuisset, & in hæresi mortuus esset, infamavit & execrata est, execrandum fidelibus propinavit, eò quòd satis superque constabat illum scriptorum illorum auctorem fuisse, ea animo hæretico concinnasse, & extra Ecclesiæ communionem defunctum esse, adeòque hæreticam mentem nunquam deposuisse.

Item eadem quinta Synodus damnando textus Theodoreti & Ibæ, sensum eorum litteralem damnavit ut heterodoxum. Quarta verò Synodus sensus eorum personalis orthodoxiam minimè definivit, sed solùm illos in sedes suas restituit ob sensum personalem orthodoxum, ab eis sufficienter probatum; seu, quod idem est, quia sufficienter Theodoretus quidem Nestorio anathema dicendo, atque epistolam Leonis & fidei expositionem subscribendo, Ibas verò anathematizando Nestorium & Eutychetem, se catholicè sentire ostenderunt.

Dices 5. Ecclesia quandoque & textum auctoris & ipsum auctorem sub ipsius auctoris nomine indiscriminatim anathematizat. Ergo tunc saltem & sensus personalis & litteralis heterodoxiam indiscriminatim definit.

finit. *R.* neg. conseq. Nam tunc Ecclesia sub auctoritatis nomine directè definivit hæterodoxiam sensus litteralis, quem verba textus per se exprimunt, & quem ipsa deprehendit, textum ipso examinando, & cum Symbolis atque SS. Patrum textibus conferendo, qui modus cognoscendi errori obnoxius esse non potest respectu Ecclesiæ; simulque indirectè infamat personam auctoris propter sensum personalem, ex sufficienti informatione, sufficientibusque testimoniis aliisve indiciis cognitum; qui modus cognoscendi etiam respectu Ecclesiæ, absolutè fallibilis est, & nihilominùs sufficit ad infamandum auctorem, eumque habendum & execrandum ut hominem hæreticum. Pro quo

Nota. Ecclesia non habet quidem infallibilitatem promissam circa sensum personalem auctorum dogmaticorum; at habere potest moralem, fundatum in evidentia morali testimoniorum, aliorumve indiciorum; quæ infallibilitas modò major est, modò minor, prout moralis evidentia, in qua fundatur, major vel minor est. Quamvis autem cum hac infallibilitate morali Ecclesia absolutè errare possit circa sensum personalem auctorum dogmaticorum, nihilominus sufficere potest ad Ecclesiæ infamandos auctores, quorum sensum litteralem absoluta infallibilitate damnat ut hæterodoxum, quia ad hanc infamationem, quæ ad hoc, ne fideles ab hæreticis circumveniantur, regulariter necessaria est omninò sufficere debet moralis evidentia circa hæterodoxiam sensus personalis auctorum. Hæc autem moralis evidentia facit certitudinem moralem, & certitudo moralis moralem infallibilitatem.

ARTICULUS XI.

Solvitur objectio petita ex natura actus, quo credi debet orthodoxia vel hæterodoxia textuum dogmaticorum, decisa ab Ecclesia.

Obj. Non potest, dici quali actu judicare possimus & debeamus hæterodoxiam (idem dic de orthodoxia) textus dogmatici, ab Ecclesia decisam. *R.* neg. & dico nos posse & debere hæterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia definitam judicare actu firmissimo, proindeque incompossibili cum dubitatione qualibet, saltem voluntaria. Quòd sufficienter significat Clemens Papa XI. in Bulla quæ incipit; *Vineam Domini*, & in qua decernit, *damnatum in quinque Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici ac damnari debere.*

Ratio autem evidens est, quia postquam Ecclesia definiit textum aliquem dogmaticum hæterodoxum esse, possumus & debemus judicio Ecclesiæ acquiescere actu proportionato infallibilitati, quam habet Ecclesia circa textus dogmaticos. Talis autem actus non est nisi assensus firmissimus, & omnem omninò dubitationem saltem voluntariam excludens: cum Ecclesia circa textus dogmaticos infallibilis sit infallibilitate promissa & divina, quacum absolutè impossibile est eam errare in ferenda de orthodoxia vel hæterodoxia textuum dogmaticorum sententia. Ex quo

Confirmatur sic responsio nostra. Possumus & debemus assentiri firmissimè objecto infallibiliter & immutabiliter vero. Atqui ex hypothesi quòd Ecclesia definivit textum aliquem dogmaticum hæterodoxum esse, hæterodoxia textus illius est objectum verum infallibiliter & immutabiliter etiam infallibilitate & immutabilitate absoluta: tunc enim tam impossibile est textum illum esse orthodoxum, quàm Ecclesiam cum infallibilitate promissa & divina circa textus dogmaticos errare in definienda eorum orthodoxia vel hæterodoxia. Ergo, &c.

Dices. Actus ille, quo dicimus posse & debere hæterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia decisam judicare firmissimè, vel erit fides divina, vel non. Neutrum dici potest. Non primum: nam hæterodoxia textus dogmatici, etiam postquam ab Ecclesia decisa est, non est res à Deo revelata. Quod autem à Deo revelatum non est, fide divina credi non potest. Non etiam secundùm: nam si actus ille non est fides divina, quomodo potest esse assensus firmissimus? Ad hoc argumentum, quo ut peremptorio perperam gloriantur novatores.

R. 1. hanc difficultatem ipsismet adversariis nobiscum esse communem: nam fateantur hæterodoxiam quinque Propositionum ab Ecclesia auctoritate infallibili decisam fuisse, adeòque planè certam esse & indubitatam, ac proinde posse & debere actu firmissimo judicari. At quinque Propositiones sunt textus dogmatici, & earum hæterodoxia non magis est à Deo revelata, quàm hæterodoxia aliorum quorumlibet texuum dogmaticorum, quos ut hæterodoxos Ecclesia damnavit. Quo igitur actu quinque Propositionum hæterodoxiam firmissimè judicari posse & debere dixerint, eodem actu pari jure dicemus firmissimè jvdicandum esse hæterodoxiam alterius cujuscumque textus dogmatici, quem Ecclesiam ut hæterodoxum damnaverit. Sed

R. 2. juxta multorum Doctorum catholicorum sententiam, hæterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia decisam, firmissimè judicari posse per fidem, quam vocant Ecclesiasticam.

Nota. Doctores illi distinguunt fidem triplicem, divinam scilicet, quæ nititur auctoritate divina; humanam, quæ nititur authoritate merè humana; & intermediam, quæ Ecclesiastica dicitur, quia nititur auctoritate Ecclesiæ aliquid definientis cum speciali Spiritus sancti assistentia, quacum in sua definitione errare non potest. Secunda fides non est firma, sed formidolosa, quia nititur auctoritate fallibili. Prima verò & tertia sunt firmissimæ, quia auctoritate absolutè infallibili nituntur; sic tamen ut tertia sit inferioris ordinis ad primam, quia hæc imparticipata infallibilitate nititur: Deus enim non ab alio, sed à se infallibilis est; illa verò nititur infallibilitate participata & accepta; Ecclesia enim non à se, sed à Spiritu Sancto ipsi specialiter assistente habet, ut sit circa textus dogmaticos, sicut & circa fidei dogmata, infallibilis.

Possumus ergo, juxta S. Doctores illos, hæterodoxiam textus dogmatici, quem ut hæterodoxum damnavit Ecclesia, actu firmissimo judicare propter auctoritatem Ecclesiæ illam definientis, & in illa definienda propter specialem Spiritus Sancti assistentiam infallibilis. Qui actus sic exprimi potest: Credo hunc textum esse hæterodoxum, quia Ecclesia, quam in definienda textuum dogmaticorum orthodoxia vel hæterodoxia errare impossibile est, hæterodoxum esse pronunciavit. Hic autem actus rectè dicitur fides Ecclesiastica, tum ut sic distinguatur & à fide divina, quæ est superioris ordinis, & à fide purè humana, quæ non est firma, sed formidolosa; tum quia infallibilis Ecclesiæ declaratione tanquam motivo intrinseco nititur, & in ea sistit.

Dixi autem juxta multorum, &c. quia Doctores alii putant hanc fidem non esse purè ecclesiasticam, sed partem ecclesiasticam, partim divinam; ecclesiasticam quidem, propter auctoritatem Ecclesiæ definientis, propter quam proximè & immediatè judicatur hæterodoxia textus damnari; partim verò divinam, quia putant illum actum, quo hæterodoxia textus damnari judicatur, non sistere in auctoritate Ecclesiæ textum ut hæterodoxum damnantis sed ulteriùs tendere ad revelationem Dei credibiliter propositam, propter scilicet per se creditam auctoritas Ecclesiæ eodem illo actu creditur. Unde si quæras ab eis actus sui resolutionem, sic respondebunt: Credo hunc textum dogmaticum esse hæterodoxum, quia Ecclesia, quæ hæterodoxum esse declaravit, in declaranda orthodoxia vel hæterodoxia textuum dogmaticorum infallibilis est; & credo Ecclesiam sic esse infallibilem quia eam sic infallibilem fore, in Scripturis divinis revelatum est credibiliter.

R. denique 3. Heterodoxiam textus dogmatici, ab Ecclesia definitam, posse etiam judicari per actum fidei divinæ, quod breviter demonstro. Illud omne potest credi fide divina, quod necessariam habet connexionem cum veritate alicujus revelationis: potest enim judicari immediatè propter revelationem, quia revelatio est sufficientissimum motivum assentiendi objecto habenti necessariam connexionem cum ejus veritate, quod illi commune est cum omni alio motivo. Atqui heterodoxia textus dogmatici, definita ab Ecclesia, necessariò connexa est cum veritate alicujus revelationis, illius scilicet, qua olim à Deo revelatum est, Ecclesiam fore infallibilem in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis: nam evidens est, quòd si textus dogmaticus, quem ut heterodoxum damnavit Ecclesia, non heterodoxus esset, sed orthodoxus, Deus falsum dixisset, revelando Ecclesiam fore infallibilem circa textus dogmaticos. Ergo heterodoxia textus dogmatici, definita ab Ecclesia, potest credi fide divina.

Hic autem actus fidei divinæ sic potest exprimi: Credo hunc textum dogmaticum, quem ut heterodoxum Ecclesia damnavit, re ipsa heterodoxum esse, quia Deus, qui nec falli potest, nec fallere, olim credibiliter revelavit, Ecclesiam in interpretandis textibus quibuscumque dogmaticis, illisque approbandis vel reprobandis infallibilem fore. Cùm igitur fides divina sit actus super omnia firmus, possum heterodoxiam textus cujuscumque dogmatici ab Ecclesia definitam, putà heterodoxiam epistolæ Nestorii ad Cyrillum, quam Synodus Ephesina damnavit ut Symbolo Nicæno adversantem, & hæreticam, actu super omnia firmo credere.

Dices. Heterodoxia epistolæ Nestorii, quamvis definita ab Ecclesia in œcumenica Synodo, non est revelata. Ergo quamvis definita ab Ecclesia, non potest credi fide divina. *R.* dist. ant. Non est revelata formaliter, C. ant. Non est revelata æquivalenter, N. ant. Nam postquam ab Ecclesia definita est, habet necessariam connexionem cum veritate alicujus revelationis, propter quam proinde tam potest immediatè credi, quàm si esset revelata formaliter; quod est esse æquivalenter revelatum, ut patet ex terminis. Unde nego conseq.

Dices. Factum quinti sæculi non potest dici à Deo revelatum. Atqui heterodoxia epistolæ Nestorii est factum quinti sæculi. Ergo, &c. *R.* factum quinti sæculi esse non posse revelatum formaliter, in revelationibus scilicet olim à Deo factis; at posse in hisce revelationibus revelatum esse æquivalenter, hoc est, posse perinde se habere in ordine ad credi fide divina propter aliquam ex hisce revelationibus, ac si esset revelatum formaliter. Ratio est, quia fieri potest ut factum quinti sæculi, si ponatur certa conditio, incipiat habere necessariam connexionem cum veritate alicujus ex revelationibus olim à Deo factis, & sic tam fiat propter illam credibile actu super omnia firmo, quàm si expressè & formaliter esset olim revelatum; quod est, revelari æquivalenter.

Dices. Heterodoxia textus Nestorii, antequam decideretur ab Ecclesia, non poterat credi fide divina. Ergo nec potuit postea. *R.* neg. conseq. Disparitas est, quia heterodoxia textus Nestorii, postquam decisa fuit ab Ecclesia, necessariam habere cœpit connexionem cum veritate revelationis, qua olim à Deo revelatum fuerat Ecclesiam fore infallibilem circa textus dogmaticos, adeòque postquam decisa fuit ab Ecclesia, potuit immediatè credi propter hanc revelationem, propter quam, antequam ab Ecclesia decideretur, non poterat sic credi, quia nondùm cum ejus veritate connexa erat. *Breviter*. Heterodoxia textus Nestorii ante judicium Ecclesiæ non erat æquivalenter revelata, unde tunc non poterat credi fide divina: post judicium Ecclesiæ fuit æquivalenter revelata, unde tunc potuit, & nunc potest credi fide divina.

Dices. Si ita est, quando Ecclesia textum aliquem dogmaticum damnat ut hæreticum, textus illius heterodoxia est novus articulus fidei. Absurdum conf. Ergo, &c. *Probabis min*, Nam Ecclesia nec condit, nec condere potest novos fidei articulos. *R.* dist. seq. maj. Textus illius heterodoxia est articulus fidei novus simpliciter, N. seq. maj. non enim est veritas de novo formaliter & secundùm se à Deo revelata. Textus illius heterodoxia est articulus fidei novus secundùm quid, C. seq. maj. est enim veritas de novo fide divina credibilis propter revelationem olim à Deo factam, quia cum ejus veritate, post Ecclesiæ sententiam, jam habet connexionem, quam antea non habebat, unde antea non erat fide divina credibilis; in quo absurdi nihil est.

Ad prob. min. R. Ecclesiam non condere novos simpliciter articulos fidei, quia Spiritus sanctus nihil de novo per Ecclesiam revelat simpliciter & secundùm se. At Ecclesia condere potest, & condit articulos fidei novos secundùm quid, quia Spiritus sanctus per Ecclesiam revelationes olim à se factas applicat & extendit ad objecta particularia, quæ proinde tam possunt & debent à fidelibus omnibus super omnia credi propter revelationes illas, quàm, si de novo formaliter & secundùm se revelarentur. Certè si de novo formaliter & secundùm se revelarentur, possent & deberent credi fide divina, quia existentia illorum necessariam haberet connexionem cum veritate revelationum de novo factarum. Atqui existentia illorum non minùs connexa est cum veritate revelationum olim factarum, postquam Ecclesia has revelationes ad illa extendit & applicuit. Ergo postquam has revelationes ad illa extendit & applicuit Ecclesia, tam possunt & debent fide divina credi.

Itaque quando Ecclesia in Ephesina Synodo textum Nestorii hæreticum pronunciavit, tunc Spiritu sancto specialiter ei assistente, revelationem de sua circa textus dogmaticos infallibilitate, olim à Deo factam, extendit ad textus illius heterodoxiam, quatenùs posito illo Ecclesiæ de textu Nestorii judicio, tam impossibile est textum hunc non esse hæterodoxum, quàm impossibile est Deum falsò revelasse Ecclesiam circa textus dogmaticos fore infallibilem; vel, si vis, quatenùs per illud suum de textu Nestorii judicicium Ecclesia sic textus illius heterodoxiam connexuit cum veritate revelationis de sua circa textus dogmaticos infallibilitate olim à Deo factæ, ut concessa veritate revelationis, concedenda sit hæterodoxia textus; & negata textus heterodoxia, neganda sit veritas revelationis.

Porrò ubi primùm extitit hæc connexio, revelatio olim facta à Deo de infallibilitate Ecclesiæ circa textus dogmaticos, tam exegit ut propter ipsam crederetur hæterodoxia textus Nestorii, & tam apta fuit movere intellectum ad eam credendam actu fidei divinæ, quàm expressa & formalis hujus hæterodoxiæ revelatio de novo facta à Deo, exegisset eam credi, & quàm intellectum ad eam actu fidei divinæ credendam movere apta fuisset. Quare Ecclesia textum Nestorii hæreticum declarando, condidit articulum fidei non simpliciter, sed secundùm quid novum, & post Ecclesiæ declarationem heterodoxia textus Nestorii est articulus fidei non simpliciter, sed secundùm quid novus: est quidem articulus fidei, quia post declarationem Ecclesiæ immediatè credi super omnia potest propter auctoritatem primæ veritatis revelantis: est articulus fidei novus secundùm quid tantùm, quia declaratio Ecclesiæ non est nova revelatio, sed tantùm revelationis olim factæ extensio ad objectum particulare, quatenùs posita hac Ecclesiæ declaratione, objectum illud cum veritate revelationis olim factæ necessariam habet connexionem, quam connexionem antea non habebat.

Dices. Si ita est, qui negaret heterodoxum esse textum Nestorii, postquam ut talis in Ephesina Synodo damnatus est, hoc ipso esset hæreticus. *R.* ita esse: nam ille est hæreticus, qui resistit Ecclesiæ sufficienter proponenti veritatem aliquam ut credendam fide divina. Atqui ille qui negaret, &c. resisteret Ecclesiæ sufficienter proponenti heterodoxiam textus Nestorii ut fide divina credendam. Ergo, &c. Propter

eandem

eandem rationem, qui negaret ipsam Synodum Ephesinam œcumenicam esse & legitimam, hoc ipso hæreticus esset : quamvis Ephesinæ Synodi œcumenicitas, ut ita loquar, & legitimitas nunquam fuerint nisi æquivalenter revelatæ, postquam scilicet hæc Synodus ab Ecclesia universa ut œcumenica & legitima recepta est.

Quæres, utrùm non solùm corpus pastorale, sed etiam Sedes Apostolica, promissam & divinam circa textus dogmaticos infallibilitatem habeat?

R. Affirmativè, & breviter demonstratur. Nam Sedes Apostolica, quæ est mater & magistra fidelium, cum munere & obligatione docendi fideles, accepit omnem infallibilitatem ad rectè docendum necessariam, juxta illud Christi, *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua .... Confirma fratres tuos.* Atqui ad rectè docendum, ut apertè significat Synodus quinta verbis suo loco laudatis, & ut à nobis probatum est, præter infallibilitatem circa fidei dogmata, requiritur infallibilitas circa textus dogmaticos. Ergo Sedes Apostolica utramque accepit infallibilitatem.

Porrò suæ circa textus dogmaticos infallibilitatis invictissimum argumentum, & quidem, quod imprimis observandum est, Ecclesiæ universæ partim expresso, partim tacito suffragio confirmatum, subministrat nobis Sedes Apostolica in Formulario Alexandri VII. Nunquam enim Sedes hæc, Ecclesia præsertim universa, partim expresè, partim tacitè suffragante, fideles compelleret ad rejiciendum & damnandum textum Jansenii ut heterodoxum, etiam addito juramento, adeòque ad heterodoxiam textus Jansenii firmissimè credendam, & in fidei formula irretractabili actu confitendam, nisi ipsa planè certa esset de sua in interpretandis & judicandis textibus dogmaticis infallibilitate, & hæc infallibilitas Ecclesiæ universæ exploratissima esset. Quæres cùm ad fidem manifestè pertineat, in ea Sedem Apostolicam, & cum Sede Apostolica Ecclesiam universam errare posse, manifestè hæreticum esset asserere. Hinc

Sic adhuc argumentor. Sedes Apostolica in præscribendo fidelibus Formulario Alexandri VII. evidenter se ipsam, si non signatè, saltem exercitè profitetur infallibilem circa textus dogmaticos, Ecclesia universa partim expresè, partim tacitè suffragante. Ergo vel Sedes Apostolica re ipsa circa textus dogmaticos infallibilis est, vel Sedes Apostolica, & cum ea Ecclesia universa errat in re ad fidem pertinente. Secundum dici non potest sine manifesta hæresi. Ergo primum dici debet, & ab omni homine fideli ut planè certum ac indubitatum teneri.

TRACTATUS DECIMUS.

DE INCARNATIONE VERBI DEI.

DISPUTATIO PRIMA.

De variis hæresibus, quæ adversùs mysterium Incarnationis insurrexerunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Hæretici, qui incarnationem omninò negaverunt, Christum nudum hominem asserendo, recensentur.

INcarnationem prorsus sic abnegavit 1. Carpocrates, teste Philastrio, lib. de hæres. c. 2. ubi de eo sic ait: *Christum dicit non de Virgine Maria & divino Spiritu natum, sed de semine Joseph hominem natum arbitratur ... qui post passionem, inquit, melior inter Judæos vita integra & conversationis inventus est.* Ex quibus verbis liquet, Carpocratem sensisse, Cristum purum hominem fuisse, sicut cæteros homines carnaliter natum. Quod etiam expresè testatur S. Augustinus lib. de hæres. 7. *Hic*, inquit, *Jesum hominem tantummodo, & de utroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quæ sciret ea, quæ superna essent, atque nunciaret.* Eadem de eodem narrat S. Irenæus, lib. 1. de adversus hæres. cap. 24. Carpocrates igitur docuit Christum esse purum hominem via naturali genitum, sed sanctissimum, & spiritu prophetico donatum; in quo discrepat à Judæis, qui Christum non solùm ut purum hominem habuerunt, sed etiam ut sceleratum & sacrilegum impostorem cruci affixerunt.

2. Cerinthus, quem S. Irenæus lib. 1. c. 25. Philastrius in 2. catal. S. Epiphanius hær. 29. & S. Augustinus hær. 8. subjiciunt Carpocrati, quo tamen antiquiorem fuisse necesse est, si verum est quod de eo scribit Philastrius, sub Apostolis scilicet movisse controversiam illam de necessitate circumcisionis, quam Apostolis in Hierosolymitano Concilio deciderunt in favorem gentilium ad fidem conversorum; Cerinthus, inquam, Jesum tantummodò hominem dixit: *Natum non ex virgine, impossibile enim hoc ei visum est: Fuisse autem eum Joseph & Mariæ filium similiter ut reliqui omnes homines, & plus potuisse justitia, & prudentia, & sapientia præ omnibus; & post baptismum descendisse in eum* (Spiritum sanctum) *... in fine autem revolasse iterùm* (Spiritum sanctum, quem Christum vocabat) *& Jesum passum esse & resurrexisse*, ut ait S. Irenæus. Scribit tamen Philastrius docuisse Cerinthum, quòd Jesus non resurrexerit à mortuis, sed resurrecturus sit. Idem post eum scribit Augustinus. Sed potiùs credendum videtur Irenæo, quem Epiphanius sequitur. A Carpocrate porrò in eo dissentit Cerinthus, quòd circumcisionem necessariam esse, aliosque ritus Judaicos servari debere assereret, teste Philastrio.

3. Nazoræi, ut Theodoretus lib. 2. hæret. fabul. cap. 3. vel Nazaræi, ut Epiphanius hær. 29. eos nominat, Carpocrati & Cerintho consenserunt, si Theodoreto credimus. De illis sic ait Theodoretus: *Nazaræi sunt Judæi, qui Christum tanquam justum hominem venerantur.* Apertè tamen contradicit S. Augustinus hær. 9. ibi hæc habet: *Nazaræi cum Dei Filium confiteantur esse Christum, omnia tamen legis veteris observant. &c.* Unde juxta S. Augustinum, in eo tantùm errarunt Nazaræi, quòd christianis ritibus admiscerent judaicos Epiphanius verò, qui Theodoreto consentire videtur pag. 117. dubius est pag. 123. ubi ita loquitur: *De Christo certò illud affirmare nequeo, utrùm ... simplicem illum hominem asseverunt, an uti sese res habet, per Spiritum sanctum de Maria Virgine genitum esse fateantur.*

4. Ebion, de quo hæc scribit Philastrius in catal. 2. *Ebion discipulus Cerinthi, in multis ei similiter errans, Salvatorem nostrum hominem de Joseph natum carnaliter existimabat, nihilque in eo divinitatis fuisse docebat, sed sicut omnes Prophetas, sic & eum gratiam Dei habuisse asserebat, non tamen Dominum majestatis, sed Dei Patris filium, cum Patre sempiternum esse credebat.* Idem de Ebione sentiunt Eusebius lib. 3. hist. Eccl. c. 27. Epiphanius hær. 30. Theodoretus lib. 2. hæret. fab. c. 1. ubi tamen juncto c. 2. (quod observandum est dividit Ebionitas in duas classes, quarum prima cum ipso Ebione *Dominum Jesum Christum dicebat ex Joseph & Maria esse natum, qui homo quidem* (tantùm) *erat, sed virtute vitæque innocentia & integritate aliis antecellebat.* Secunda verò, in qua fuit Symmachus ille, qui vetus testamentum ex Hebræo in Græcum transtulit, eorum est, *qui in aliis quidem omnibus cum prioribus* conveniebant, *nisi quod Salvatorem & Dominum* dicerent *natum esse de Virgine.* Idem ante observarat Eusebius lib. 3. hist. Eccl. cap. 27. *Quidam ex ipsis* (Ebionitis) *refugiunt hanc impietate*, inquit, *ut ex viro & fœmina asserant eum natum, sed confitentur de Spiritu sancto & Maria Virgine.*

Porrò dictis hactenùs de Ebione & Ebionitis contradicere videtur Irenæus lib. 1. cap. 26. ubi ait: *Qui autem dicuntur Ebionæi, consentiunt quidem mundum à Deo factum; ea autem quæ sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus & Carpocrates opinantur.* Sed videtur in hunc textum irrepsisse mundum, & legendum esse: *Qui autem dicuntur Ebionæi, consentiunt quidem mundum à Deo factum* (Quod negat Cerinthus, ut c. superiore dicitur:) *ea autem quæ sunt circa Dominum, similiter, seu non absimiliter, ut Cerinthus, &c.* Quod probatur, quia 1. hoc exigit contextus. 2. S. Martyr lib. 3. cap. 24. ait Ebionæos Theodotionem & Aquilam, qui textum hebræum fecerunt græcum, & illud Isaiæ c. 7. *Ecce virgo concipiet*, verterunt, *Ecce adolescentia concipiet*, Theodotionem, inquam, & Aquilam sectatos, Christum *ex Joseph generatum* (adeòque & nudum hominem) *dicere.* Alioquin adversarios haberet scriptores omnes, etiam vetustissimos, ut Origenem homil. 17. in Luc. ubi hæc habet, *Ebionitæ contradicunt signo, dicentes* (Christum) *ex viro & muliere ita natum esse, ut nos quoque nascimur.* Et Tertullianum lib. de carne Christi cap. 14. ubi de Ebione loquens sic ait: *Nudum hominem, & tantùm ex semine David natum, non item & Dei Filium constituit Jesum.*

5. Theodotus, origine Byzantius, arte coriarius, homo litteris apprimè eruditus, à quo Theodotiani hæretici nomen acceperunt, quique in Severi Imperatoris persecutionem fidem negavit, unde in hæresim prolapsus est. Nam ut de eo narrat S. Epiphanius lib. 2. adversùs hæres. hær. 54. cui consentit Philastrius cat. 2. *Ad sui excusationem vanum dogma commentus est, atque ita jactare cœpit. Ego, inquit, non*

Deum

Deum negavi, sed hominem. Interrogatus quem demùm hominem? Christum, inquit, hominem negavi. Hinc prædicandæ falsæ hujus opinionis occasionem accepit, ut & Theodotiani, quorum ille auctor extitit, qui nudum hominem esse Christum asserunt, atque ex humano semine genitum; quod tamen secundum non tenuit Theodotus. Quod

Prob. 1. Ex Tertulliani libro de præscript. c. 53. ubi hæc leguntur: *Accedit his Theodotus hæreticus Byzantius: qui posteaquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit. Doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodò diceret, Deum autem illum negaret: ex Spiritu quidem sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nulla alia præ cæteris, nisi sola justitiæ auctoritate.* 2. Ex Theodoreto lib. 2. hær. fab. c. 6. ubi scribit Theodotum Byzantium idem de Christo sensisse, quod sensit Artemon, qui, ut narrat idem Auctor c. 5. *Dominum Jesum Christum solum hominem esse dicebat, natum ex virgine, Prophetis autem virtute præstantiorem.* Hujus autem Artemonis & ejus hæreseos meminit Eusebius lib. 5. hist. Eccl. c. 28. & ultimo.

Porrò Theodotus Byzantius, ut narrat S. Epiphanius loco citato, *Cùm probro omnium appetitus* (ob negatam fidem) *pudorem sustinere non posset, relicta patria profugus Romam contendit, & illic habitavit; sed & Romæ à quodam agnitus, in eandem infamiam incidit.* Quare cùm ad sui defensionem hæresim suam commentus esset, & palam propugnaret, à Victore Papa abdicatus & excommunicatus est, teste Theodoreto lib. 2. hær. fab. c. 6. & ante eum Eusebio lib. 6. hist. Eccl. c. 28.

6. Theodotus alter, artificio argentarius, teste Theodoreto lib. 2. hær. fab. c. 7. Hic Theodotum coriarium secutus est, ut expresè dicitur apud Tertullianum lib. de præscr. c. 53. ubi hæc leguntur: *Alter post hunc* (Theodotum coriarium) *Theodotus hæreticus erupit, qui & ipse introduxit alteram sectam, & ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu sancto, ex Virgine Maria conceptum pariter & natum; sed hunc inferiorem esse, quàm Melchisedech, eò quòd dictum sit de Christo*: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Hic autem Theodotus parens fuit Melchisedechianorum, qui ut de illis narrat Epiphanius lib. 2. adversùs hær. hær. 55. *Melchisedechum ... cumprimis celebrant, & præclaram quandam esse virtutem arbitrantur .... & ipso Christo majorem esse dictitant*, imò & Christum ad ejus imaginem esse formatum, si Theodoreto credimus loco citato.

7. Paulus Samosatenus, Antiochenus Episcopus: de eo enim sic loquitur S. Athanasius in lib. de salutari adventu Filii Dei. *Deum ex virgine confitetur, Deum, Nazareti in lucem editum, & inde existendi primordium, regnique consecutum. Verbum tamen efficax è cœlo, & sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante sæcula fuisse putat, sed Nazareti primum extare cœpisse.* Paulus igitur Christum volebat esse nudum hominem, nec concedebat esse Deum, nisi impropriè & nuncupativè tantùm, propter Verbi divini in eo habitantis præsentiam; quo modo justus homo quilibet Deus esse & nuncupari potest. Quod confirmatur ex Philastrio in catal. 2. n. 17. ubi de Paulo ait: *Hic Christum hominem justum, non Deum verum prædicabat, judaizans potius, qui & circumcisionem docebat, unde & Zenobiam quandam Reginam in Oriente tunc temporis ipse docuit judaizare.* Philastrio consonant Augustinus hær. 44. & Theodoretus lib. 2. hær. fab. c. 9. Vide plura de Paulo tom. 2.

8. Photinus, Sirmii unde oriundus erat, Episcopus. Nam de eo scribit hæc Epiphanius hær. 71. *Hic Christum à principio negat extitisse, sed jam tua à Maria Virgine initium accepisse, ac recentem esse.* Et superius: *Eadem cum Paulo Samosateno, imò atrociora quædam de Dei Filio mente concepit.* Quænam sint illa atrociora, non exponit Epiphanius. Philastrius verò scribit Photinum doctrinam Pauli secutum, in omnibus similiter prædicasse.

9. Euphratas Colonienſis Episcopus, qui anno 347. interfuit Synodo Sardicensi, à qua unà cum Vincentio Capuano legatus in Orientem missus est ad Constantium Imperatorem, ut testantur S. Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, & Theodoretus lib. 2. hist. Eccl. c. 9. Hic autem Euphratas, quòd Christum negaret Deum, adeoque purum hominem assereret, damnatus & exauctoratus est ab Episcoporum Concilio in ejus causa Coloniæ celebrato, à quo & in Euphratæ locum suffectus est Severinus Episcopus, qui tunc aderat, vir planè sanctus & catholicus. Hæc porrò Agrippinensis Synodus extat in tomo 2. Conciliorum pag. 615. ubi dicitur habita esse anno Christi 346. in quo mendum esse necesse est: fidem enim omnem superat, Episcopum à Concilio propter nefandam hæresim canonicè depositum, anno proximè sequenti in generali Synodo sedisse cum orthodoxis Episcopis, & pro illis legatione functum esse apud Imperatorem. Omninò itaque tenendum videtur, Colonienſem illam Synodum post Sardicensem celebratam fuisse ante Maximini Trevirensis obitum, puta anno 349. aut 350. quo anno Photinus Sirmii Episcopus, propter eandem hæresim ab orthodoxis Episcopis abscissus est.

ARTICULUS II.

Hæretici qui aut veram carnem, aut certè à muliere sumptam esse negarunt, recensentur.

PRimus occurrit Saturninus, aliis Saturnilus, Antiochia quæ est ad Daphnem oriundus, Simonis Magi discipulus, de quo & ejus sectatoribus hæc scribit Philastrius in catal. 2. *Christum umbratiliter apparuisse affirmant, non carnem hominis veram & animam accepisse, atque omnem œconomiam mysterii Incarnationis complevisse.* Consentiunt Epiphanius lib. 1. adv. hær. hær. 23. & Theodoretus lib. 1. hær. fab. c. 4. ubi de Saturnilo sic ait: *Servatorem, & Dominum non solùm dicit ingenitum, sed etiam incorporeum, & nulla forma præditum; visione autem potius, quàm rei veritate hominibus apparuisse.* Scribit Epiphanius loco citato, *quod ad Christum attinet, ejusdem impostoris* esse *dogma: cum sola illum hominis figura atque effigie venisse, omniaque ab eo specie tenus perfecta; cujusmodi sunt nasci, ambulare, videri, pati.*

Secundus venit Basilides, Simonis Magi & Saturni discipulus, de quo hæc narrat S. Epiphanius hær. 24. *Etiam de Christo perinde sentit, specie tenus duntaxat mortalibus apparuisse, quippe quod in eo cernebatur, nihil præter imaginem fuisse; neque vero aut hominem extitisse, aut carnem induisse* Ibidem porrò hujus histrionis hanc refert fabulam: *Nimirum Christum Simonem* (Cyræneum) *cum is crucem portaret, in suam commutasse, ejusque vicissim induisse formam, itaque Simonem ad crucis supplicium suo loco tradidisse. Qui dum in cruce suffigitur, Jesum à nemine conspectum, eosque qui Simonem suffigerent deridentem ex adverso constitisse. Tum ad superos esse subvectum, cùm pro se figendum Simonem substituisset, nihilque adeò perpessum in cœlum evolasse.* Ejusdem fabulæ meminit Philastrius in catal. 2. c. 4.

Tertius est Valentinus, de quo hæc scribit Tertullianus lib. de præscrip. c. 49. *Christum autem* (dicit) *missum ab illo propatore, qui est Bythos. Hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem.* Valentino Ptolomæum, Secundum, Heracleonem, Marcum & Colarbasum socios & ejusdem in Christum impietatis consortes adjungit eod. cap. juncto sequenti Tertullianus.

Valentino & ejus asseclis accedit Cerdon, qui

Ter-

Tertulliano teste eodem lib. cap. 51. *Introducit initia duo, ideſt, duos deos, unum bonum & alterum ſævum. Bonum ſuperiorem, ſævum hujus Mundi Creatorem ... ſuperioris Dei Filium Chriſtum veniſſe tractat, hunc in ſubſtantia carnis negat, in phantaſmate ſolo fuiſſe pronunciat: nec omninò paſſum, ſed quaſi paſſum; nec ex virgine natum, ſed omninò nec natum.* Poſt hunc autem Cerdonem, *diſcipulus ipſius emerſit Marcion, Ponticus genere, Epiſcopi filius; propter ſtuprum cujuſdam virginis ab Eccleſiæ communicatione abjectus .... hæreſim Cerdonis approbare conatus eſt;* Et ut refert Philaſtrius in Catal. 2. c. 17. *Similiter unum Deum bonum, & unum malum annuncians, Chriſtum putativè apparuiſſe, ideſt, quaſi per umbram, & paſſum eum fuiſſe umbratiliter, non tamen in vera carne credebat.*

Tertull. ibid.

Tertull. ibid.

Subſequitur Lucanus quidam nomine, Marcionis ſectator atque diſcipulus, qui eadem docuit quæ Marcion & Cerdon docuerant: Lucanum verò Apelles, diſcipulus pariter Marcionis. Hic autem *Chriſtum neque in phantaſmate* (dicebat) *fuiſſe ſicut Marcion, neque in ſubſtantia veri corporis, ut Evangelium docet, ſed in eo quòd è ſuperioribus partibus deſcenderet, ipſo deſcenſu ſideream ſibi carnem, ut aeream contexuiſſe: hunc* (Chriſtum) *in reſurrectione ſingulis quibuſque elementis, quæ in deſcenſu ſuo mutuata fuiſſent, in aſcenſu reddidiſſe, & ſic diſperſis quibuſque corporis ſui partibus, in Cœlo ſpiritum tantùm reddidiſſe.*

His omnibus ſubjicimus Manichæos, ſic dictos ab auctore ſuo Manete, quorum inſanos errores ſusè exponit Auguſtinus lib. de hæreſ. num. 46. ubi hæc inter alia de Manichæis narrat: *Chriſtum autem fuiſſe affirmant, quem dicit noſtra ſcriptura ſerpentem, à quo illuminatos eos aſſerunt* (Adam & Evam) *ut cognitionis oculos aperirent, & bonum malumque dignoſcerent; eumque Chriſtum noviſſimis temporibus veniſſe ad animas, non ad corpora, liberandas. Nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, ubi non ſolùm mortem, verùm etiam reſurrectionem mentiretur.*

Agmen claudent Priſcillianiſtæ, de quibus ſic loquitur S. Leo epiſt. 93. ad Turribium cap. 4. *Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt, ſed per quandam illuſionem oſtentata videri volunt, quæ vera non fuerint; ſequentes dogma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis ſuis Manichæis per omnia concordantes.* Unde jejunabant die, quo Chriſti Nativitas celebrabatur, ſicut & die dominico, qui eſt dies reſurrectionis Chriſti, ut ibidem obſervat S. Leo.

ARTICULUS III.

De Noeto, Sabellio, & Ario.

§. I.

De Noeto & Sabellio.

1. NOetus cùm doceret unicam eſſe divinitatis hypoſtaſim, adeoque unicam eſſe in Deo perſonam, quæ modò Pater, modò Filius, modò Spiritus S. prout diverſa obit munia, nuncupatur, conſequenter auſus eſt aſſerere Patrem incarnatum, paſſum, & mortuum eſſe, ut referunt Philaſtrius in Catal. 3. cap. 6. Epiphanius hæreſ. 57. num. 1. Auguſtinus lib. de hæreſ. n. 36. & Theodoretus lib. 3. hæreſ. fab. cap. 3. ubi Noeti & Noetianorum doctrinam ſic exponit: *Unum dicunt eſſe Deum* (non ſolùm naturâ, ſed etiam hypoſtaſi) *& Patrem omnium opificem, latentem quidem quando voluerit, rurſus autem apparentem, quando placuerit, & eundem eſſe inviſibilem & videri, & genitum & ingenitum, ingenitum quidem ab initio, genitum autem quando naſci voluit ex virgine, impaſſibilem & immortalem: rurſus paſſibilem & mortalem. Cum enim eſſet impaſſibilis, crucis, inquit, paſſionem ſua ſponte ſuſtinuit. Eum & Patrem & Filium nominant, prout uſus exegerit, vel hoc vel illud appellantes.* Hinc Noetiani Patripaſſiani nuncupati ſunt.

2. Sabellius Noeto planè aſſenſus eſt, ſi credimus Philaſtrio in Catal. 3. cap. 7. ubi ſic ait: *Sabellius poſt illum* (Noetum) *de Lybia diſcipulus ejus, ſimilitudinem ſui doctoris itidem ſecutus eſt & errorem, unde* (Noetiani) *& Sabelliani poſtea ſunt appellati, qui & Patripaſſiani, & Praxiani à Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa.* Philaſtrio conſentit Theodoretus lib. 2. hæreſ. fab. cap. 10. ubi ſic exponit hæreſim Sabellii: *Dicebat Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam eſſe hypoſtaſim, & unam perſonam, quæ tria habet nomina, & eundem aliquando quidem vocat ut Patrem, aliquando autem ut Filium, aliquando verò ut Spiritum Sanctum, & in veteri quidem teſtamento, ut Patrem legem tuliſſe, in novo autem ut Filium hominem factum eſſe: ut Spiritum autem ſanctum ad Apoſtolos veniſſe.* Unde juxta Theodoretum, Sabellius non propter diſtinctas hypoſtaſes, vel etiam diſtinctas *energeias*, ſed propter diverſos tantùm effectus, diverſa nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Deo attribuebat: Patris quidem, cùm tulit legem veterem, quia legem ferre actus auctoritatis eſt; Filii, cùm incarnatus eſt, quia gigni filiorum eſt; & Spiritus Sancti, cùm deſcendit in Apoſtolos, ut in eis ignem charitatis accenderet, quia ignem accendere immiſſi Spiritus proprium eſt.

Philaſtrio & Theodoreto conſonat Auguſtinus lib. de hæreſ. num. 41. ubi ſic loquitur: *Sabelliani ab illo Noeto, quem ſupra memoravimus, defluxiſſe dicuntur. Nam & diſcipulum ejus quidam perhibent fuiſſe Sabellium. Sed qua cauſa duas hæreſes Epiphanius computet, neſcio: cùm fieri potuiſſe videamus, ut fuerit Sabellius iſte famoſior, & ideò ex illo celebrius hæc hæreſis nomen acceperit ..... Unde ergo ſit factum, ut Noetianos & Sabellianos non unius hæreſis duo nomina, ſed tanquam duas hæreſes ſupradictus Epiſcopus poneret, liquidò invenire non potuit .... Loco quippe iſto, quo & non tam longè à Noetianis Sabellianos commemorans:* Sabelliani, *inquit*, ſimilia Noeto dogmatizantes, præter hoc quod dicunt Patrem non eſſe paſſum; *Quomodo de Sabellianis intelligi poteſt, cùm ſic innotuerit dicere Patrem paſſum, ut Patripaſſiani, quàm Sabelliani, crebriùs nuncupentur? ... Quomodo poſſunt intelligi quilibet eorum Patrem paſſum fuiſſe non dicere, cum dicant eundem ipſum eſſe & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum?*

Auguſtinus igitur nullum inter Noeti dogma & dogma Sabellii diſcrimen agnovit, ſenſitque unam & eandem eſſe utriuſque hæreſim, quæ Noetiana à Noeto, Sabelliana à Sabellio nuncupata eſt; ſicut & Praxeana à Praxea, & Hermogeniana ab Hermogene fuit ab aliquibus vocitata. Contra Epiphanium inſuper contendit, dici non poſſe Sabellium in eo diſcrepaſſe à Noeto, quòd hic, non ille, Patrem paſſum eſſe diceret. Quod probat 1. ex eo quòd tam Sabelliani Patripaſſiani nuncupati fuerint, quàm Noetiani. Ex eo quòd tam Sabelliani, quàm Noetiani, dixerint *eundem ipſum eſſe & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Unde loco citato vellicat Philaſtrium, quòd *Noetianos, & Sabellianos ſub duobus numeris tanquam duas hæreſes* poſuerit.

His non obſtantibus, poſt Epiphanium dicere maluimus in tract. de Trinit. diſp. 1. art. 1. Sabellium partim conſenſiſſe cum Noeto, partim diſſenſiſſe; conſenſiſſe quidem, unicam aſſerendo Dei hypoſtaſim, ſeu perſonam per ſe ſubſiſtentem; diſſenſiſſe verò, in Deo præter unam hypoſtaſim, & quandam hujus hypoſtaſeos formam, ponendo duas *energeias*, ſeu virtutes, non per ſe, ſed in illa hypoſtaſi & per illam ſubſiſtentes: ſicut in ſole v. gr. ſchola Peripatetica præter ſubſtantiam ſolarem per ſe exiſtentem, & ejus figuram orbicularem, admittit duas *energeias*, nem-

nempe vim illuminandi & vim calefaciendi, quæ per se existere non possunt, sed indigent subjecto, cui inhæreant, & à quo sustententur: unde totum quod sunt, subjecti sunt, illudque denominant, adjectivè quidem ut vult Aristoteles, & cum eo Physici omnes; substantivè verò, ut videtur voluisse Sabellius.

Audiamus S. Epiphanium, lib. 2. adversùs hæreses tom. 1. hær. 62. *Horum*, (Sabellianorum) *hæc*, inquit, *opinio est, eundem esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ut ad eandem hypostasim tres appellationes conveniant .... quod solis similitudine declarant; in quo una sit hypostasis, triplex nihilominus actus est; nimirùm illustrandi vis, & calefaciendi, & orbicularis figura; at vim quidem illam calefaciendi, hoc est, calorem, atque æstum, Spiritui respondere; illuminandi verò vim Filio; Patrem denique totius hypostasis velut quandam esse formam.*

Teste igitur Epiphanio, juxta Sabellium, sicut una & eadem hypostasis sol est, lumen, & calor; sol quidem quà orbicularis est figuræ, lumen quà illuminandi, & calor quà calefaciendi vim habet: ita una & eadem hypostasis Pater est, Filius, & Spiritus sanctus; Pater quidem quà talis est formæ, Filius quà vim cum lumine, & Spiritus sanctus quà vim cum calore quandam habet analogiam. Item juxta Sabellium, sicut ratio solis est aliquid per se subsistens, quia est quid indistinctum & inseparabile ab hypostasi, quæ per se ipsam formaliter talis est figuræ; ratio verò luminis & caloris sunt quid *anypostaton*, quia non in se subsistunt, sed in hypostasi, cujus sunt, & quam denominant: ita ratio Patris est aliquid per se subsistens, quia est indistincta & inseparabilis ab hypostasi, quæ per se ipsam formaliter talis est formæ, adeoque per se ipsam formaliter Pater est; ratio verò Filii & Spiritus sancti, sunt quid *anypostaton*, quia non in se subsistunt, sed in hypostasi, cujus sunt, & quam denominant ut subjectum à quo sustentantur. Quod

Declaratur ampliùs ex S. Epiphanio: sic enim statim prosequitur: *Igitur Filium affirmant, radii in morem emissum, omnia quæ ad Evangelii & humanæ salutis procurationem attinerent, in hoc Mundo præstitisse, atque ita in cœlum rediisse, quemadmodum is, qui a sole manavit radius, in eundem postea refunditur, Spiritum porrò sanctum in hunc Orbem immitti, ac deinceps singillatimque in eos omnes illabi, qui eo munere digni sunt; eundemque instaurare vitam, & animare fervore, ut ita dicam, vi quadam consensioneque Spiritus.* Teste igitur Epiphanio, Sabelliani rationem Filii & Spiritus sancti, seu id quo Patrem Filium & Spiritum esse dicebant, distinguebant realiter ab ipso Patre, seu ab hypostasi, quæ per se ipsam formaliter Pater est, ad quem proinde Patrem solum in Deo pertinet secundùm illos per se subsistere, reliquis, nempe ratione Filii & Spiritus sancti, se habentibus per modum accidentium vel proprietatum, ipsi ut sustentanti subjecto incumbentium. Quod

Confirmari potest ex Gregorio Neocæsariensi in secunda fidei expositione, quam Gerardus Vossius edidit, & in qua hæc leguntur: *Sabellium fugimus, qui dicit eundem esse Patrem, & Filium: Patrem quidem dicit eum qui loquitur; Filium verò Verbum in Patre manens, & tempore creationis patefactum, completis verò rebus in Deum remeans. Idem dicit de Spiritu sancto.* Quamvis autem Bellarminus lib. de script. Eccles. ad annum 233. dubitet, utrùm hæc expositio sit Gregorii Neoc. & graves dubitandi rationes proferat, sua tamen non caret auctoritate: est enim luculenti auctoris, & omninò videtur, saltem edita esse ante sextum sæculum contra Sabellianos, Arianos, Apollinaristas, Macedonianos, & Nestorianos.

Porrò ex S. Epiphanii verbis secundo loco laudatis, colligunt recentiores aliqui non aliam Sabellii, quàm Pauli Samosateni de Incarnatione sententiam fuisse, sensisseque Sabellium, non ipsam divinitatem hypostaticè unitam esse humanitati Christi, sed solùm quandam divinitatis radiationem emissam esse in Christum purum hominem; quam hæresim instauravit aliquantò post, & pro viribus promovit Paulus Samosatenus, in quo & proscripta est & anathematizata ab Antiochena Synodo. Addunt præterea, Sabellianos, retenta magistri sui doctrina de singularitate personæ in Deo, repudiasse alterum ejus dogma de sola divinitatis radiatione in Christum emissa, tenuisseque substantialem divinitatis cum humanitate Christi unionem, & sic dixisse Patrem incarnatum, passum, & mortuum esse, quia divinitatis totius substantiam & hypostasis formam, Patrem esse post Sabellium volebant: unde dicti sunt Patripassiani. Sed

Contra est: quia huic conjecturæ 1. adversatur Epiphanius ipse: non enim dicit: *Affirmat*, sed *Affirmant*: unde totus hic locus tam Sabellianos spectat, quàm Sabellium. 2. Apertè contradicunt Philastrius in Catal. 3. Theodoret. lib. 2. hæres. fab. n. 10. Augustinus lib. de hæres. num. 41. & Marius Mercator differt. de 12. anathematismo Nestoriano. Verba ejus retulimus in tract. de Trinit. disp. 1. art. 1. pag. 5. Præterea nullibi apud veteres legimus accusatum esse Sabellium, quòd Christum purum hominem diceret, ut aliquantò post dixit Paulus Samosatenus, Sabellii dogma de Trinitate amplexus, & dixit, ut aliquid de suo adderet. Omninò igitur tenendum videtur, & Noetum, & Sabellium substantialem divinitatis cum humanitate Christi unionem admisisse, & consequenter ad suam de singularitate subsistentiæ in Deo hæresim Patrem incarnatum professos esse, adeòque cum suis dictos esse Patripassianos, sive cum Noeto Sabellius Patrem passum esse, disertè asseruerit, sive non.

§. II.

De Ario.

1. ARius non solùm erravit contra sanctissimam Trinitatem, asserendo Verbum seu Filium esse creaturam Patris, & Spiritum sanctum creaturam Filii, sed etiam contra Incarnationis mysterium, docendo, Verbum non assumpsisse animam rationalem, sed tantùm corpus humanum, cui sese infuderit, ut illud se ipso animaret: ita ut secundùm Arium, Verbum ipsum instar & loco animæ fuerit in Christo. Unde secundùm Arium, Christus non fuit homo nisi specie tenùs: verus enim homo esse non potest sine anima rationali quæ hominis præcipua pars substantialis est.

Quòd autem hæc fuerit Arii doctrina, patet ex S. Athanasio lib. de salutari adventu Christi adversùs Apollinarium, ubi sic ait: *Arius porrò carnem solam ad occultationem Deitatis confitetur, & pro nostro interiori homine, hoc est, anima, Verbum dicit carnem fuisse, passionisque sensum, & ab inferis resurrectionem divinitati audet ascribere.* Et ex Theodoreto lib. 4. hæres. fab. num. 1. *Porrò autem*, inquit, *ipsam quoque Incarnationem mutilatam, & truncam efficiebat* (Arius) *ipsum enim corpus inanimum* (Verbum) *accepisse affirmabat. Divinitatem autem ea quæ ad animam pertinebant, exercuisse, ut ei etiam attribueret, qui ex corpore procedit consensum.* Idem eundem errorem etiam Eunomio disertè attribuit in epitome divinorum decretorum cap. 11. *Arius autem*, inquit, *& Eunomius eum quidem* (Filium) *corpus dicebant accepisse, sed divinitatem usum animæ exercuisse.*

2. Arianos magistrum suum etiam hac in parte secutos esse, constat ex Athanasio lib. de Incarnat. Christi, ubi sic loquitur: *Frustrà igitur Ariani cavillantur, qui carnem tantummodò statuentes, ea quæ de passione intelliguntur, ad impatibilem Deitatem impiè referunt.* Ex Gregorio Nazianz. epistol. 1. ad Cledonium adversùs Apollinarem: *Si Christus animatus non est*, inquit, *hoc ipsum quoque Ariani ajunt, ut passionem divinitati tribuant.* Ex Gregorio Nyss. orat. 1. contra Eunom. pag. 53. Ex Epiphanio hæres. 69. quæ Arianorum est num. 19. *Negant insuper*, inquit, *illum* (Christum) *humana anima præditum fuisse.* Et ex Augustino lib. de hæres. num. 49. ubi de Arianis sic ait: *In eo autem quòd Christum sine*

anima

anima solam carnem susceptisse arbitrantur, minus noti sunt. Nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum scriptis & collationibus certissimè comperi.

Porrò Arianorum dogma primarium & palmare, in quo proinde notissimi fuere, ut ibidem dicit Augustinus, fuit quòd *Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum* nollent *esse unius ejusdemque naturæ atque substantiæ .... sed esse Filium creaturam, Spiritum verò sanctum creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum* vellent. Cujus erroris consectarium quoddam fuit & velut appendicula error alius, quo voluerunt Verbum in utero Virginis assumpsisse corpus inanimum, in eoque animæ vices egisse. Et verò hoc voluerunt, ut ea quæ in Scriptura dicuntur de Christo ut homine, ipsimet Verbo secundùm se sumpto attribuere possent, & sic possent elevare divinitatem Verbi, eamque minorem divinitate Patris ostendere, ac proinde Verbum eo tantùm sensu Deum dici posse, quòd sit creaturarum omnium præstantissima, esseque naturæ & essentiæ à natura & essentia Patris planè diversæ.

Observat hoc Epiphanius hæres. 69. num. 19. pag. 743. ubi sic loquitur de Arianis: *Negant insuper humana illum anima præditum fuisse, quod certò consilio ita præstruunt, ut veram ex Maria Virgine carnem, reliquaque quæ sunt hominis propria, illum accepisse fateantur, si unam animam excipias: nimirum ut cum famem, aut sitim, aut labores, itinera, sudorem, somnium, indignationem audieris, ac dixeris, propter humanam quam assumpserat naturam opus illis habuisse, statim objicere possint, per sese hæc præstare carnem, nisi anima prædita sit, non posse. Et quidem verè hoc ab illis dicitur. Quid est igitur, inquiunt, aliud, quàm quod his omnibus illius divinitas indigebat? Ut cùm indigere divinitatem ipsius dixerint, velut peregrinum eundem pronuncient, & à Patris essentia ac natura prorsus alienum.* Idem notat Gregorius Nyssenus orat. 1. contra Eunomium pag. 55.

Cùm igitur Arius cum suis contra sanctissimam Trinitatem fureret præcipuè, præcipuè oppugnando Verbi divinitatem, qui contra Arianos scripserunt Doctores orthodoxi, toti ferè versati sunt in asserenda divinitate Verbi: sicut & in id unum intenta fuit Nicæna Synodus. Unde nihil ab ea de Spiritus sancti divinitate, nihil de anima Christi definitum est: satis enim ei fuit, Verbi consubstantialitatem vindicasse, cùm ad id unum convenisset. Sic posteà quamvis Nestorius erraret non solùm circa Incarnationem, sed etiam circa Spiritus sancti processionem, negando eum à Filio procedere, prioris erroris, dissimulato altero, proscriptione contenta fuit Synodus Ephesina; cùm ad hoc tantùm convocata esset, ut catholicam de unione Verbi cum natura humana ab eo assumpta doctrinam declararet.

ARTICULUS IV.

De Apollinaristis.

§. I.

Socrat. l. 2. hist. c. 46.

DUo fuere Apollinares, pater scilicet & filius. Primus Alexandria oriundus, professione grammaticus, cùm Beriti primùm docuisset, Laodiceam commigravit, ubi duxit uxorem, & ex ea suscepit filium, quem cognominavit Apollinarem. Hic cùm in adolescentia humanioribus litteris operam impigrè dedisset, Laodiceæ rhetoricam docuit, patre ibidem docente grammaticam. Unà autem cum illis eodem tempore floruit Epiphanius Sophista gentilis, cui arctissimo amicitiæ vinculo conjuncti, ut ab ejus consuetudine abstinerent, Theodoto Laodiceno Episcopo illos admonenti parere neglexerunt. Quare cùm aliquando Epiphanio hymnum in Bacchi laudem publicè recitanti adsuissent ambo, Theodotus graviter hac de re commotus, utrumque publicè convictum ab Ecclesia ejecit: erant enim ambo tunc temporis clerici, pater quidem presbyter, filius verò lector. Sed aliquantò post, acta pœnitentia, iterùm à Theodoto suscepti sunt, & in gradum suum restituti.

Soxom. l. 6. hist. c. 25.

Addit Sozomenus, illos posteà à Georgio Theodoti successore denuò Ecclesia pulsos fuisse, eò quòd Athanasium, mortuo Constantio, Alexandriam redeuntem, & Laodicea transeuntem adiissent, & cum eo communicassent, & hoc faciendo, ut putabat Georgius *Omousianis* infensus, contra regulas legesque ab Episcopis latas peccassent. Scribit verò Socrates eos non à Theodoto, quem vult tantùm illis Epiphanii consortio interdixisse, sed à Georgio communione mulctatos esse propter Epiphanii consuetudinem, in quam ita sese immerserant, ut ab ea avelli nequiverint. Quod factum iniquissimè tulit Apollinaris filius, indeque occasionem, sophistica dicendi facultate fretus, sumpsit fabricandi novam hæresim illam, quæ ab eo nomen accepit. Imò dixerunt aliqui, teste eodem Socrate, Apollinares ex Georgii circa fidem inconstantia, cùm filium Patri modò simílem, modò dissimilem diceret, sumpsisse occasionem ab eo discedendi, nova dogmata comminiscendi, & inducendi novam quandam religionis speciem.

Ibid. Lib. 2. hist. cap. 46. Ibid.

§. II.

Quantæ Apollinaris filius, de quo solo deinceps mentio fiet, antequam in hæresim laberetur, apud Catholicos ob doctrinam, pietatem ac virtutes, existimationis fuerit, testatur æqualis illius Epiphanius in hæres. 77. quæ est Dimocritarum seu Apollinaristarum, & in qua sic ait num. 2. *Egregius ille ac venerabilis senex, quem nos, & beatæ memoriæ Papa Athanasius, imò verò Catholici omnes unicè dileximus, Apollinaris Laodicenus hujus dogmatis auctor, ac propagator, &c.* Et num. 24. *Non mediocrem litterarum scientiam fuerat ille* (Apollinaris) *consecutus, cùm & humanioribus græcisque disciplinis esset excultus, & dialecticam, ac sophisticam artem imprimis calleret; esset idem porrò præcipua in omni vita gravitate præditus: imò verò & orthodoxis omnibus, antequam istiusmodi dogma proponeret, longè charissimus. Quin etiam & exilium sustinuit, quòd Arianis assentiri nollet.* Quanta autem volumina conscripserit, conjicere fas est ex S. Basilio epistol. 74. *Alter ex illis*, inquit, *de quibus vos admonemus, est Apollinarius, haud parum & ipse Ecclesias contristans: facilitati namque scribendi, qua per occasionem ad quosvis irrepsit conjunctam habens sufficientem linguæ facultatem, orbem libris suis replevit.* Idem Hieronymus expressè significat.

§. III.

Apollinarium Laodiceæ Episcopum fuisse, disertè asserit Hieronymus in Catal. Scriptorum Ecclesiasticorum in Apollinarium: *Apollinarius*, inquit, *Laodicenus Syriæ Episcopus, patre presbytero, magis grammaticis in adolescentia operam dedit: & postea in sanctas Scripturas innumerabilia scribens volumina, sub Theodosio Imperatore obiit.* Cum Hieronymo citantur etiam Ruffinus lib. 1. hist. cap. 20. & Liberatus in breviario cap. 3. Prætereà infra synodicam epistolam ab Alexandrina Synodo ad Antiochenos scriptam anno 362. quæ extat inter S. Athanasii opera, legitur: *Aderant* (Alexandrinæ Synodo) *aliquot monachi Episcopi Apollinaris, in hoc ipsum missi.*

Lib. 5. hist. eccl. c. 3.

Theodoretus Apollinarem facit Antiochenum Episcopum eo tempore, quo duo jam erant Antiochiæ orthodoxorum Episcopi, Meletius scil. & Paulinus: *Duas*, inquit, *in partes divisi erant apostolicæ doctrinæ propugnatores. Et alii quidem, statim post insidias in magnum Eustathium structas, & arianam perfidiam detestati, & seorsum conventus agentes, Paulinum Antistitem habebant. Alii verò qui post ordinationem Euzoii, unà cum præstantissimo Meletio sese ab impiis secreverant ... sapientissimo Doctore Meletio regebantur.*

tur. Præter hæc Apollinaris Laodicenus tertiæ quoque factioni se ipsum auctorem præbuit, qui assumpta pietatis persona, cum Apostolicam doctrinam visus esset defendere, paulo post manifestus hostis apparuit.

Narrat idem Auctor, coram Sapore militum magistro, quem mortuo Valente, Gratianus Antiochiam ad conciliandam Ecclesiæ pacem miserat, à Flaviano presbytero Meletii, cui aliquantò pòst in Episcopatu successit, Apollinarem in hunc modum objurgatum fuisse: *Miror te, ò amice! tam impudenter repugnare veritati; idque cùm probè scias, Damasum* (quocum te communicare gloriaris) *asserere perfectum hominem à Deo Verbo assumptum esse. Tu verò contrarium affirmare non cessas. Mentem enim nostram à salute excludis. Quòd si falsa sunt, quæ tibi objicimus, nunc saltem renuncia novitati, quam excogitasti, & Damasi doctrinam amplectere, ac tum demum sacras ædes obtine:* silentioque suo convictum, Ecclesiarum administrarione jussu magistri militum excidisse, deinceps novam, quam excogitarat, doctrinam palam prædicasse, & hæreseos auctorem se professum esse, atque Laodiceam recessisse, ordinato priùs factionis suæ Episcopo Vitali, qui à Meletio ad eum defecerat, ut narrat Sozomenus, lib. 6. hist. cap. 25. eò quòd à Flaviano despectus fuisset, atque prohibitus ne Episcopum solito more inviseret.

Multa in hac Theodoreti narratione videntur parùm accurata, & illud quod dicit, Apollinarem hæresim suam palàm professum tunc primùm, cùm à Sapore deturbatus est, adeòque nonnisi post Valentis Imperatoris obitum, falsum esse convincitur tum ex tractatibus, quos adversùs Apollinarem conscripsit Athanasius, quem, Valente superstite, vita defunctum esse scribit Hieronymus in Catal. script. Eccles. & ex epistola 74. S. Basilii ad Occidentales Episcopos, scripta uno tantùm vel altero post Lampsacenam Synodum anno, adeòque multis annis ante mortem Valentis, in qua epistola Basilius scribit ab Apollinari haud parùm contristari Ecclesias. Hic itaque fides videtur potiùs habenda Hieronymo asserenti Apollinarem fuisse Laodiceæ Episcopum, si tamen revera Episcopus fuit.

Dico, si tamen, &c. Nam de hoc dubitandi rationes non desunt. Liberati enim & Ruffini testimonium nihil aut parum ponderis addit testimonio Hieronymi. Socrates & Sozomenus Apollinarem faciunt lectorem tantùm. Illius honorificam mentionem non semel faciens Epiphanius, nequidem innuit eum fuisse Episcopum. Prætereà contra id quod ex synodica Alexandrini Concilii epistola relatum est, omninò videtur Apollinarem tunc Episcopum non fuisse: nam si tunc fuit Episcopus, vel fuit Antiochiæ, vel Laodiceæ. Neutrum dici potest.

Socr. lib. 2. hist. c. 44. Soz. lib. 5. cap. 13. Theod. l. 3. hist. eccl. c. 4.

Non primum: nam tunc temporis Antiochiæ duæ tantùm erunt orthodoxorum factiones, quarum prima, quæ Eustathianorum erat, regebatur à Paulino presbytero; altera verò eorum, qui ab Ariana perfidia ad orthodoxam fidem redierant, adhærebat Meletio Episcopo, quem Constantius, ab Arianis contra eum commotus, exulare jusserat. Non secundum: nam tunc temporis vel adhuc superstes erat Georgius, qui Ecclesia pepulerat utrumque Apollinarem, vel ei demortuo jam successerat Pelagius quidam, qui anno 364. interfuit Antiochenæ Synodo, in qua præsidente & procurante Meletio, fides Nycæna confirmata fuit, & recepta ab Acacianis Episcopis, qui ea de re Joviano Imperatori obtulerunt libellum, cui Pelagius ille subscripsisse invenitur.

Soz. lib. 6. hist. cap. 4. Socr. lib. 3. hist. c. 25.

At inquies. Anno 362. Apollinaris misit legatos, monachos scilicet aliquot, ad Synodum, quam Athanasius, redux ab exilio, convocarat, inito priùs ea de re consilio cum Eusebio Vercellensi, & celebraturum erat Alexandriæ. Quin imò & cum Episcopis legati illi synodicæ epistolæ subscripserunt. Sic enim legitur in calce hujus epistolæ: *Ego Athanasius cæterique Episcopi, in hoc conventu præsentes, epistolæ subscripsimus, idemque ab illis factum est, qui huc legati venerant, inter quos à Lucifero Sardiniæ insulæ Episcopo* (qui recta ab exilio Antiochiam conciliandorum animorum gratia venerat) *diaconi duo, Herennius, & Agapetus; à Paulino verò Maximus, & Calemerus, qui & ipsi diaconi sunt. Aderant & aliquot monachi Episcopi Apollinaris in hoc ipsum missi.* Apollinaris igitur tunc temporis erat jam Episcopus. Sed

apud Ath.

Non urget hæc instantia: nam Paulinus Antiochenus non Episcopus, sed presbyter tantùm erat, cùm legatos suos misit ad Synodum Alexandrinam: cùm enim hæc Synodus ageretur, & jam adessent legati Paulini, Lucifer illum ordinavit Episcopum, quod factum non rescivit Eusebius, nisi postquam, soluta Synodo, Alexandria profectus venit Antiochiam. Quidni ergo dici possit hic textus, *Aderant aliquot monachi Episcopi Apollinaris, &c.* mendosus esse, & legatos suos non Apollinaris ille, de quo hìc agitur, nempe filius, quem tunc nonnisi lectorem fuisse, omninò verisimile est, sed alter, nempe pater, qui presbyter erat, & jam cum filio errores suos spargere cœperat, adeòque jam proculdubio malè audiebat apud orthodoxos, legatos, inquam, suos ad Alexandrinam Synodum misisse, & per illos, ne ipse nominatim damnaretur, subscripsisse synodali epistolæ, in qua error ejus palmaris damnabatur?

Socr. lib. 3. cap. 9.

§. IV.

Circa dispensationem Incarnationis in varios & graves errores prolapsus est Apollinaris. Initio etenim cum Arianis docuit Verbum assumpsisse corpus inanimum, & Verbum ipsum in Christi corpore fuisse loco animæ. Sed aliquantò pòst quasi pœnitentia ductus, vel potiùs orthodoxorum argumentis fructus, sese secrevit ab Arianis, asserendo Verbum quidem assumpsisse corpus & animam, sed sine mente, quam Græci νῦν vocant, ipsumque Verbum in Christo mentis humanæ vices agere; vel, quod idem est, asserendo Verbum assumpsisse corpus & animam sensitivam, at non assumpsisse rationalem, & Verbum ipsum in Christo vices agere animæ rationalis.

Testem habemus S. Augustinum lib. de hær. n. 55. *Apollinaristas*, inquit, *Apollinaris instituit, qui de anima Christi à catholica dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse; in quæstione testimoniis evangelicis victi, mentem, quæ rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt.* Et Socratem lib. 2. hist. c. 46. ubi loquens de duobus Apollinaribus, sic ait: *Et initio quidem dicebant, hominem absque anima à Deo Verbo assumptum esse in dispensatione incarnationis, postea verò tanquam pœnitentia ducti, ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet: Deum autem Verbum mentis loco esse in homine assumpto.*

Apollinaris igitur cum Platonicis ex tribus partibus substantialibus, realiter inter se distinctis, corpore scil. anima sensitiva, qualis est in brutis, & anima rationali seu mente, hominem constituebat, & Verbum Deum asserebat, solis duabus prioribus in incarnatione susceptis, tertiæ locum suppleviſſe, adeòque in suscepto corpore fuisse instar animæ rationalis.

Hunc Apollinaris errorem sic exponit Gregor. Nazianzenus in sua ad Nectarium Constantinopolitanum epistola: *Hominem illum* (Christum) *cœlitus venientem mentis expertem esse asserit: divinitatem unigeniti naturam mentis explentem, tertiam humanæ coagmentationis partem extitisse: quod nimirùm anima* (sensitiva) *& corpus juxta humanitatem in eo sint, mens autem minimè: verum ejus locum Verbi divinitas suppleat.* Et Theodoretus lib. 4. hær. fab. cap. 11. *Dixit autem incarnatum esse Deum Verbum, corpore & anima susceptа, non ea quæ est ratione prædita, sed quæ est expers rationis, quam naturalem seu vitalem nonnulli nominant. Cùm autem diceret mentem aliud esse quàm animam, non dicebat eam* (mentem) *esse assumptam* (assumpta anima, quia ut sacrarum Scripturarum testimonium eluderet, nomine animæ signi-

ficari

ficari volebat id solum, quod in homine principium est operationum sensitivarum) *sed divinam suffecisse naturam ad usum mentis implendum*. Unde in Apollinarem, & ejus summistas sic invehitur Athanasius in lib. de Incarn. *Quorsum igitur tanta contentio novarum inventionum, ut humano ingenio, ea quæ sunt supra humanum ingenium, definiatis, dicentes, pro interiore in nobis homine* (qui in anima rationali consistit) *mentem supercœlestem in Christo fuisse?*

Huic perverso dogmati adjecit portentosius aliud, Verbum scilicet, nihil accepisse ex Maria Virgine; modò asserendo Verbi divinitatem ex parte in carnem conversam esse, ut testatur Augustinus lib. de hær. num. 55. ubi ait: *Dei ipsa vero ejus* (Christi) *carne sic à recta fide dissensisse perhibentur, ut diverent carnem illam & Verbum unius ejusdemque substantiæ, contentiosissimè asseverantes Verbum carnem factum, hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse conversum atque mutatum:* modò verò dicendo Verbum in terras è cœlo secum devexisse carnem suam, eamque à principio habuisse, ut testatur Gregorius Nazianzenus in sua ad Nectarium epistola: *Affirmat* (Apollinaris in quodam suo libello) *nequaquam adventitiam esse carnem illam ob naturæ nostræ transformationem ab unigenito filio secundùm dispensationem assumptam; verùm carnalem illam naturam in filio jam inde à principio fuisse ..... tanquam priùs etiam quàm ipse descendisset, filius hominis esset, ac descendens carnem suam secum advexerit, quam in cœlis habebat, ante-sæcularem quandam videlicet, essentiæque suæ insitam.*

Ex hac doctrina impia non minùs impiè inferebat Apollinaris ipse, non solùm carnem Christi Verbo, imò & toti Trinitati consubstantialem esse, sed etiam Verbi divinitatem circumcisam, cruci affixam, passam, mortuam, & post triduum à Patre suscitatam fuisse. Constant hæc partim ex Athanasio, & partim ex Gregorio Nazianzeno, qui Apollinaris commentarios præ manibus habebant.

Sic autem loquitur Athanasius in sua ad Epictetum epistola: *Quinam inferi illud eructarunt, consubstantiale divinitati Verbi corpus illud esse, quod à Maria genitum est? Aut Verbum ipsum in carnem, ossa, capillos, ac totum denique corpus esse conversum, & à suapte natura mutatum? Quis omninò de Christianis audiit, Filium Dei specie, ac fictione sola, corpus, non natura gessisse? Quis tam impius fuit, ut ipsammet ejus divinitatem circumcisam esse, atque imperfectam è perfecta redditam fuisse sentiret, ac diceret? Item illud ipsum quod in ligno suffixum est, non corpus extitisse* (verum scilicet, & nostro consubstantiale) *sed substantiam ipsam naturæ totius opificem? Quis cum istud audiat, non è Maria, sed ex propria substantia Dei Verbum obnoxium passioni sibi corpus effinxisse, Christianum, qui hæc dixerit, arbitretur? Quis execrandæ illius impietatis auctor est, ut ..... qui ita sentiunt, carnem illam, quam Salvator è Maria Virgine suscepit, ex ipsa substantia Trinitatis esse fateantur?*

Gregorius verò in epistola ad Nectarium scripta, post verba à nobis laudata sic prosequitur: *Nec hoc adhuc grave est; sed quod omnium indignissimum, atque atrocissimum, ipsum unigenitum Deum omnium judicem, vitæ auctorem, mortis extinctorem, mortalem esse docet, ac probare nititur, propriaque sua divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte, divinitatem quoque simul cum corpore mortuam fuisse, sicque rursus Patris opera à morte ad vitam revocatam.*

Testem etiam appellare possumus Ambrosium lib. de Incarnatione cap. 6. ubi postquam eadem, quæ Athanasius & Gregorius, de Apollinaristis retulit, sic pergit: *Horum omnium auctores sunt, qui divinitatem & carnem Domini unius naturæ fuisse dixerunt. Legi enim, quod non crederem nisi ipse legissem; legi in cujusdam* (Apollinaris proculdubio) *libris sic positum, & organum & eum à quo movebatur organum, unius in Christo fuisse naturæ.* Quibus paucis verbis omnes adversùs Deum Verbum incarnatum Apollinaris blasphemiæ comprehenduntur.

Non omittam quod hìc de Apollinari, tacito tamen ejus nomine, observat Ambrosius, eum scilicet in scriptis suis passim sese, ut acerrimum venditasse defensorem Nicænæ fidei, cùm tamen ad eam evertendam nihil non moliretur. Hoc quippe ingenium est hæreticorum, eaque impudentia, ut orthodoxos se naviter mentiantur, & ardentem præ se ferant zelum catholicæ veritatis, cùm in ea corrumpenda reverà toti sint. Verba Ambrosii sunt: *Et hic mihi frequenter Nicæni Concilii tractatum se tenere commemorat. Sed in illo tractatu Patres nostri, non carnem, sed Dei Verbum unius substantiæ cum Patre esse dixerunt, & ..... carnem ex Virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicæni Concilii nomen obtenditur, & nova inducuntur, quæ nunquam nostri sensere majores?*

Sicut Apollinaris Monophytarum seu Eutychianorum hæresi prælusit, asserendo Verbi divinitatem in carnem ex parte conversam fuisse; ita, & prælusit hæresi Nestorianorum, negando unionem hypostaticam. Aliquando enim scripsit, in nudum hominem ex virgine natum descendisse Verbum, in eoque per gratiam suam operatum esse, sicut antea operatus fuerat in Prophetis. Unde consequenter dixit aliquando, duos esse filios, unum ex Deo Patre ab æterno, alterum ex matre virgine in tempore natum; non filium Dei, sed filium hominis cruci pro nobis affixum, & ita crucifixum non esse adorandum; Christum Filium Dei fuisse adoptivum tantùm, &c.

Colligitur. 1. Ex Athanasio in epistola quam adversùs Apollinarem scripsit ad Epictetum, & in qua sic ait: *Quinam porro tanta temeritate & audacia fuerunt, ut Christum illum assererent, qui in carne passus, & in crucem actus est, non esse Dominum ac Salvatorem, & Deum, Patrisque Filium? Quonam pacto Christianos appellari se volunt, qui in sanctum* (& nudum) *hominem, perinde ut aliquem de Prophetarum numero, delapsum esse Verbum, non ipsummet hominem factum esse profitentur, cùm ex Maria corpus induisset; sed alterum esse Christum, alterum Dei Filium, qui ante Mariam & ante sæcula omnia Filius ex Patre prodierit?*

2. Ex Gregorio Nazianz. qui in prima ad Cledonium presbyterum epistola hos contra Apollinarem ponit anathematismos: *Si quis duos filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eundem induxerit, &c. si quis divinitatem in eo velut in Propheta per gratiam operatam fuisse, ac non secundum essentiam connexam fuisse atque connecti dixerit, &c. si quis cruci affixum non adoret, &c. si quis eum ex operibus perfectionem assecutum fuisse, aut post baptismum vel resurrectionem à mortuis, in filium adoptatum fuisse dixerit ..... anathema sit.*

Quòd autem in errores hujusmodi è diametro sibi invicem oppositos prolapsus sit Apollinaris, mirum videri non debet; cùm rhetor & sophista magis, quàm Theologus, innumerabiles penè libros de rebus ad Theologiam pertinentibus, conscribere veritus sit: *Contempto*, ut cum Basilio loquar, *Ecclesiaste, qui cavendum esse dicit, ne multi fiant libri. In multitudine autem certum est, quòd multa delinquantur. Nam quomodo potest in multiloquio vitari peccatum?* Epist. 74

Non solùm circa Verbi Incarnationem, sed etiam circa alia erasse invenitur Apollinaris. Nam animam hominis esse ex traduce, hoc est, sicut corpora ex corporibus, ita animas ex animabus generari docuit, ut testatur Sanctus Hieronymus in sua ad Marcellinum epistola, quæ est inter Augustinianas 27. Item Millenariorum dogma instauravit, ut patet ex secunda ad Cledonium epistola Gregorii Nazianzeni, qui in prima Apollinarem etiam reum postulat violatæ SS. Trinitatis: *Illud scire necesse est,* inquit,

inquit, *Apollinarium, quamvis divinitatis nomen Spiritui sancto dederit, vim tamen divinitatis minimè retinuisse; etenim ex magno & majori & maximo, hoc est, ex Spiritu sancto, & Filio, & Patre, tanquam ex splendore & radio & sole trinitatem constituere, quod quidem in illius libris disertis verbis scriptum est, divinitatis scala est, non in cœlum subvehens, sed è cœlo deficiens.* At facilè excusari posse videtur Apollinaris, si dicatur sensisse Patrem Filio, & Filium Spiritu sancto majorem esse, non substantia & deitate, sed sola origine, seu fœcunditate, vi cujus Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit. Quod multi quoque senserunt orthodoxi.

§. V.

Primarios inter Apollinaris discipulos locum tenuere Timotheus quidam, & Vitalis. Timotheum illum unà cum Apollinari nominatim damnavit Damasus in Synodo Romana. Quantam autem Orientali Ecclesiæ perniciem intulerit, colligi potest ex eo quòd Orientales Episcopi orthodoxi contra illum scripserint ad Damasum, enixè rogantes ut hominem anathemate comprimeret, ut constat ex Damasi ad eosdem epistola, quæ extat in tomo 2. CC. pag. 866. & in qua sic eos alloquitur: *Sciatis velim, fratres, nos Timotheum illum prophanum Apollinaris hæretici discipulum, cum impio suo dogmate jam pridem abdicasse.* Et inferiùs: *Itaque quid est, cur abdicationem Timothei à me rursus requiratis, qui etiam hìc judicio Sedis Apostolicæ, Petro quoque Alexandriæ Episcopo præsente, abdicatus est una cum magistro suo Apollinare?* Ex quibus verbis satis liquet Orientales Episcopos contra Timotheum illum velut gravem aliquam Orientalis Ecclesiæ pestem instantissimè scripsisse ad Romanum Pontificem.

Lib. 6. hist. eccl. c. 25. De Vitali hæc scribit Sozomenus: *In stabilienda hæresi* (Apollinarem) *adjuvit Vitalis, presbyter Antiochenus ex Meletii clero: vir præ cæteris ob vitæ, ac disciplinæ severitatem illustris, & in regendis iis, quibus præerat, sedulus, eaque de causa plebi venerabilis. Verùm paulò post, cum se à communione Meletii abjunxisset, Apollinari adhæsit: iisque qui Antiochiæ eandem opinionem sectabantur, præfuit* (postquam scil. Apollinaris opera ordinatus est Episcopus, ut Theodoretus narrat) *ob vitæ suæ sanctimoniam haud paucos auditores habens, qui ab ipso cognomentum sortiti, Vitaliani etiamnum ab Antiochensibus aplantur. Huc autem prolapsus esse dicitur ex offensione animi, eò quòd despectus fuisset à Flaviano tunc compresbytero, posteà verò Antiochensis Ecclesiæ Episcopo: à quo prohibitus fuerat, ne Episcopum more solito videret.*

Vitalem magnis etiam laudibus prosequitur Theodoretus lib. 5. hist. Eccles. cap 4. ubi eum vocat: *Virum eximia quodam virtute & sanctitate præditum, & in apostolica doctrina à puero educatum.* Sozomeno & Theodoreto consonat S. Epiphanius in hæres. 77. ubi sic loquitur: *Cùm essemus Antiochiæ, in primarios illorum* (Apollinaristarum) *incidimus, inter quos erat Vitalis Episcopus, homo vita, moribus, & instituto religiosissimus.* Vitalis igitur, quandiu catholicæ veritati adhæsit, vera sanctitate præditus, etiam postquam hæretica labe corruptus est, veræ sanctitatis speciem retinuit, & plurimos proculdubio hac sanctimoniæ larva delusit, & imprudentes in eandem secum foveam præcipitavit.

Narrat loco citato Epiphanius, se, cùm Antiochiam venisset, Vitalem, & Paulinum Episcopum, quem religiosum vocat & egregium virum, inter se dissidentes reperisse, Vitale Paulino, quòd unicam in Deo personam diceret, & Paulino Vitali, quòd Christum esse perfectum hominem negaret, objiciente; sese à Paulini communione abstinuisse, donec omni hæreseos suspicione liberaretur, oblata fidei formula, quam antea subscripserat præsente Athanasio (subscripsisse autem facilè credimus anno 363. quo tempore Athanasius à Joviano Imperatore Antiochiam accersitus, ibi aliquandiu commoratus est) secundùm hæc Vitalem à se interrogatum, respondisse primum, Christum hominem esse perfectum; Verbum Dei Filium propriè carnem de Maria Virgine accepisse; nec solùm carnem suscepisse, sed etiam animam (sensitivam subintelligebat, non rationalem) at cùm ab eo demùm quæsitum esset, mentemne Christus Dominus acceperit, sine ulla cunctatione negasse, dixisseque, *eatenus perfectum hominem fuisse, si divinitatem illi loco mentis adscribamus, & carnem atque animam* (sensitivam) *adjungamus; sic ut perfectus homo ex carne, anima* (sensitiva,) *divinitate, quæ sit mentis instar, existat.*

Vides qualem vafer hæreticus externo illo gravitatis, temperantiæ, pietatis, aliarumque virtutum, & severioris disciplinæ cultu tegeret sycophantiam, qua aliquandiu ludificatus est etiam oculatissimos, ut Gregorium Nazianzenum, qui in secunda sua ad Cledonium epistola scribit, se aliquando: *Vitalis verba in commodiorem, magisque piam sententiam accepisse, ita suadente voluntate;* atque ita verborum ejus ambiguitate deceptus, hominem hæreticum pro orthodoxo aliquandiu habuit. Et Damasum Pontificem; cùm enim apud Damasum hæreseos postulatus fuisset, ab eoque ad reddendam fidei suæ rationem evocatus, Romam venisset, ita simulavit hominem catholicum, fideique professionem tam affabrè concinnatam obtulit Pontifici, ut latentem sub verbis hæresim non adverterit Pontifex, & libellum sibi oblatum in catholico sensu interpretatus sit.

Quare Vitalis hac vice à Damaso damnatus non est, sed nec innocens & orthodoxus declaratus: Pontifex enim solitas hæreticorum fraudes reveritus, cautam Vitalis recognoscendam delegavit Paulino Antiocheno, scripta ad eum epistola, in qua anathema dicebat asserenti: *Verbum pro humano sensu in Domini carne versatum;* ea tamen lege, ut Vitalem cum suis sine cunctatione in communionem reciperet, si modò fidem Nicænam & præfatam epistolam subscriberent, quod inter alios Vitalis ipse præstitit, non sincerè, sed fraudulenter, & cum mentali interpretatione hæretica, intelligendo scilicet Christum perfectum hominem existere, non ex corpore humano & anima rationali, sed ex corpore humano, anima sensitiva, & divinitate, quæ instar mentis esset; quod tandem animadversum est ab orthodoxis, & significatum Damaso, qui cognita hominis improbitate, illum diris devovit, & fidei professionem, quam Romæ obtulerit.

Constant hæc partim ex Damasi ad Paulinum Antiochenum epistola, quæ extat tom. 2. Conc. pag. 864. & 65. partim ex Gregorio Nazianz. cujus hæc sunt verba: *Damasus quoque ipse cùm posteà rectius edoctus fuisset, simulque in pristinis eos expositionibus perstare audiisset, eos* (hoc est, Vitalem, & qui cum eo erant) *ab Ecclesia proscripsit, fideique libellum cum anathematismo delevit ..... fraudem eam, in quam inciderat* (malis artibus Vitalis hæretici) *permolestè ferens.* Epist. 2. ad Cledon.

§. VI.

Non ab una Synodo Apollinaristarum circa Incarnationem errores proscripti fuere. Primùm itaque Apollinaristarum hæresim damnavit Synodus Alexandrina anno 362. celebrata, in qua ipsimet, qui aderant, Apollinaristæ, ne damnarentur, dogma suum damnarunt. Nam ut in synodica ad Antiochenses epistola refertur, cùm interrogati fuissent, confessi sunt, *quod non corpus inanimatum, aut cogitationis, vel mentis expers Salvator habuerit: non enim possibile erat, ut Domino propter nos homine facto, corpus ejus sine mente existeret, non enim corpori dumtaxat, sed & animæ quoque nostræ per ipsum Verbum salus est conciliata.* Ap. Athan.

Præterea, quæ fuerit hujus Synodi circa Apollinaris doctrinam sententia, habemus ex Eusebii Vercellensis, qui aderat, subscriptione: in hunc enim modum subscripsit synodicæ epistolæ: *Ego Eusebius Episcopus, secundùm exactam vestram utriusque partis confessionem ..... etiam in Incarnatione Salvatoris nostri* Ap. Athan.

nostri consentio, eum videlicet cùm Filius Dei esset, hominem esse factum: & excepto peccato, omnia, quæ veteris erant nostræ humanitatis, assumpsisse. Habemus etiam ex fidei professione, quam Paulinus Antiochenus anno 363. subscripsit cor. Athanasio, & qua consensit iis, quæ anno superiore in Alexandrina Synodo sancita fuerant. In ea autem sic loquitur: *Decerno ..... nequaquam inanimatum, aut insensibile, aut sine mente corpus Salvatorem nostrum habere: quippe cùm impossibile sit Dominum propter nos hominem factum, corpus habere sine mente.*

Alexandrinam Synodum sequitur Synodus Romana à Damaso cum Italiæ & Galliæ Episcopis celebrata contra Auxentium Mediolanensem Episcopum, Arianum, & Antipapam Ursicinum anno 369. in qua etiam Pneumatomachorum & Apollinaristarum hæreses, tacitis tamen auctorum nominibus, damnatæ fuerunt, & Spiritum sanctum ejusdem esse substantiæ cum Patre & Filio, Filiumque perfectum hominem suscepisse, susceptо scil. non solùm corpore, sed etiam hominis sensu, hoc est, anima rationali, definitum est, ut colligimus ex synodica Damasi, Valeriani, & aliorum Occidentalium, qui aderant, Episcoporum ad Episcopos Orientales catholicos epistola, quam invenimus planè congruere epistolæ 74. Basilii, quam certè non multò post Liberii Papæ mortem Basilium per legatos suos in Occidentem misisse, dubium esse non potest; in qua de Eustathio Sebasteno divinitatem Spiritus sancti, & Apollinari dominicam incarnationem impugnante, graviter expostulat.

To. 2. Conc. pag. 892. 93. 94.

Alteram Synodum Romæ celebravit Damasus, in qua nominatim anathematizavit Apollinarem & Timotheum ejus discipulum. Constat ex Damasi ad Orientis Episcopos rescripto, quod refertur à Theodoreto lib. 5. histor. Eccl. cap. 10. & extat tom. 2. Conc. pag. 866. In hac autem epistola expresse dicitur, præfatæ Synodo interfuisse Petrum Alexandrinum. Hic porrò Petrus in Athanasii, anno 371. ad meliorem vitam translati locum suffectus fuerat orthodoxorum omnium suffragio; quippe qui vir erat apprimè catholicus, & particeps fuerat laborum Athanasii, qui etiam eum successorem sibi designarat. At hoc Arianis indignè ferentibus, & annuente Valente Imperatore Ariano, Euzojus Antiochenus, & Magnus largitionum comes unà Alexandriam venere cum Lucio quodam nefario, & simoniaco hæretico, eumque per vim in sedem Alexandrinam intrusere.

Socr. lib. 4. hist. cap. 20. 21. 22. Soz. lib. 6. hist. cap. 19. Theod. l. 4. hist. cap. 20. 21. 22.

Petrus cedere coactus, & postquam aliquandiu fuisset in vinculis, fuga elapsus venit ad solitum Catholicorum asylum, Romanum Pontificem. Eum autem Romam non appulisse nisi sub finem anni 372. facilè suadetur ex eo, quòd antequam invaderetur à Lucio, non solùm de Athanasii morte, & sua ad sedem Alexandrinam promotione per nuncios certiorem fecerat Damasum, sed etiam ab eo acceperat diaconum, qui consolatorias simul & communicatorias litteras attulerat, & quem narrat, manibus post tergum revinctis, publicè à carnificibus ductum esse, atque lapidibus, ac plumbatis cervice diu verberata, ad æris metalla datum esse.

Ex his liquet nonnisi post ann. 372. habitam fuisse præfatam Synodum, & libenter conjicimus illam esse, quam Romanam tertiam Damasi inscribit libellus synodicus, & de qua sic loquitur: *Eo* (Petro) *recepto, Papa Damasus divinam & sanctam Synodum convocavit: quæ amentem illum Apollinarium, Stephanumque* (lege Timotheum) *ejus discipulum, & latronem Lucium anathemate notavit.* Damasus itaque in causa Petri Alexandrini Romæ Synodum celebravit, Lucium intrusum abdicavit, & ex occasione data Apollinarem & Timotheum ejus discipulum, quos in Ecclesiis Orientalibus grassari certò noverat, diris nominatim devovit. Utrùm autem hoc anno 373. an aliquantò post contigerit, definire non possumus, quia plures annos Romæ commoratus est Petrus; quippe qui Alexandriam non rediit, nec sedem suam, ejecto Lucio, recepit, nisi sub finem Valentis, qui anno 378. in bello Gothico miserè periit incendio.

To. 2. Conc. pag. 899.

Socr. lib. 4. hist. cap. 37. & 38.

Porrò ante hujus Synodi tempora Vitalem Romam venisse, & Roma reversum esse Antiochiam ad Paulinum, cui causam ejus delegarat Damasus, colligitur ex Damasi ad Orientis Episcopos rescripto, in quo sic loquitur Pontifex: *Jam enim formulam edidimus, ut qui se Christianum profiteatur, illud teneat quod ab Apostolis traditum est.* Quæ verba satis apertè relativa sunt ad epistolam, quam Damasus in causa Vitalis scripsit ad Paulinum Antiochenum. Vitalis autem, ut jam notavimus, postquam ei larva detracta fuit, unà cum suo, quem Romæ obtulerat, fidei libello anathematizatus est à Damaso: utrùm autem in hac Synodo, ut in summa Conciliorum asseritur, controverti potest: cùm Damasus in sua ad Orientis Episcopos epistola nullam Vitalis mentionem faciat. Tom. 2. pag 895.

Tertiam in libello synodico Damasi Synodum habemus, aliquantò post Valentis interitum celebratam, in qua Apollinaristarum, Pneumatomachorum, & aliorum hæreticorum dogmata damnavit Damasus, edita fidei professione, quæ tota anathematismis constat, & quam Damasus misit ad Paulinum Antiochenum, qui tunc temporis fortè Thessalonicæ versatur. Sic autem habet libell. syn. *Gratianus, & Occidentis, & Orientis Imperator factus, pios Episcopos ab exilio revocavit. Quo tempore beatus etiam Damasus sacram Romæ convocavit Synodum adversùs Arianos, Pneumatomachos, & alios plurimos hæreticos* (inter quos sunt Apollinaristæ) *expositamque definitionem divinorum capitum Thessalonicam ad Paulinum misit, quæ ex divina dispensatione ubique maxima perfecit, & Trinitatem homousion adorandam esse omnibus persuasit.* Ex his verbis, *quæ ex divina dispensatione, &c.* Colligimus, hanc Damasi professionem fidei, quam refert Theodoretus lib. 5. histor. cap. 11. ab omnibus orthodoxis per Orientem Episcopis magno consensu receptam fuisse. To. 2. Conc. pag. 897.

In hac porrò fidei professione anath. 7. contra Apollinaristas dicitur: *Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationabili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum; cùm ipse Filius & Verbum Dei, non pro anima rationabili & intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, idest, rationabilem & intelligibilem, sine peccato, animam susceperit, atque salvaverit.* Quibus verbis feritur palmare & veluti characteristicum Apollinaris dogma. Sunt & hìc alii anathematismi, quibus alii ejusdem peruntur errores.

Quartam idem libellus synodicus nobis suppeditat Antiochiæ celebratam à Meletio Synodum, *quæ divinum confirmans symbolum* (Nicænum) *& Marcellum, Photinum, ac Apollinarium anathemate notans, divinam ad Damasum, & Episcopos Occidentis misit expositionem.* Hanc autem Synodum eodem circiter tempore, quo superior Romæ habita est, Antiochiæ habitam esse, satis indicat libellus synodicus. Et verò haberi non potuit, superstite Valente, qui Meletium maturè & à primis regni sui annis deportarat in exilium, ex quo nisi postquam ille è vivis sublatus est, & Gratianus lege sua exules Episcopos sedibus suis restituit, reversùs non est Meletius. Sed & habita est ante Constantinopolitanam Synodum, cui interfuit Meletius, & qua nondùm absoluta, ad meliorem vitam transiit. To. 2. Conc. pag. 900. Socr. lib. 5. hist. c. 5. Soz. lib. 6. hist. cap. 7.

Quid igitur vetat dicere hanc Meletii Synodum esse illam ipsissimam, quam Gregorius Nyssenus in epistola ad Olympium monachum, de vita & obitu S. Macrinæ sororis scribit, nono menseaut paulò ampliùs post obitum S. Basilii actam esse Antiochiæ ab Orientalibus Episcopis, & cui ipse interfuit? Item illam ipsissimam esse, de qua loquuntur Patres Synodi Constantinopolitanæ in sua ad Damasum epistola, cùm ajunt: *Nos præterea doctrinam dominicæ incarnationis integram & perfectam tenemus; neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus: sed agnoscimus* To. 2. Conc. pag. 964.

Verbum

Verbum Dei ante sæcula omninò perfectum, & perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse. Atque ista de fide à nobis libere ingenuèque prædicata, summatim disseruimus. De quibus pleniorem delectationem animis poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochiæ convocato, de fidei decisione editum, & eum etiam qui superiore anno à Constantinopolitano Concilio generali compositus est, legere placuerit: in quibus tum fidem nostram uberius exposuimus, tum hæresibus nuper excogitatis anathema scriptis proditum denunciavimus.

Quis porrò non videt hæc omninò congruere iis, quæ supra de Synodo Meletii referuntur ex libello synodico? Secundùm Patres Synodi constant. Aliquantò ante hanc generalem Synodum anno 381. celebratam, celebrata est Synodus Antiochiæ, cui ipsimet saltem maxima ex parte interfuerunt, & in qua hæreses nuper excogitatæ, Macedoniana scilicet & Apollinaristarum, anathemate nominatim notatæ sunt, & libellus fidei editus, in quo catholica de trinitate Personarum & Verbi Dei incarnatione doctrina exposita est quemque à se in Occidentem transmissum, jam pridem ad Damasum pervenisse, manifestè supponunt. An non hæc eadem omnia dicit libellus synodicus; cùm ait, *Sed & Meletius ... suo in throno Antiochiæ divinam & sacram convocavit Synodum, quæ divinum confirmans Symbolum, &c.*

Adderem libenter in hac Meletii Synodo ab Orientalibus Episcopis subscriptam fuisse synodicam illam epistolam, quam in Orientem transmiserat Romana illa Synodus, in qua anno 369. Damasus, Auxentio & Urficino damnatis, damnavit quoque jam in Oriente grassantem Apollinaristarum hæresim. Hanc nobis conjecturam suggerunt verba præfatam epistolam subsequentia: *Explicit hæc epistola vel expositio Synodi Romanæ habitæ sub Damaso Papa, & transmissa ad Orientem; in qua omnis Orientalis Ecclesia facta Synodo apud Antiochiam consona fide credentes, & omnes ita consentientes, eidem superexpositæ fidei, singuli sua subscriptione confirmant.* [T. Tom. 2. Conc. pag. 894.

Sequuntur subscriptiones septem Episcoporum, quorum primus est Meletius, & ex quibus quinque subscripserunt in Synodo Constantinopolitana. Post has autem subscriptiones hæc subjiciuntur: *Similiter & alii 146. Orientales Episcopi subscripserunt, &c.* Ex quibus colligi posse nobis videtur in præfatam synodicam epistolam subscriptam fuisse in Antiochena Synodo ab iisdem illis Episcopis, qui aliquantò post fuerunt in Synodo Constantinopolitana, adeòque subscriptam fuisse in Meletii Synodo, de qua loquimur, & in qua fuisse Constantinopolitanæ Synodi Episcopos, ex eorum ad Damasum epistola observavimus.

Denique Appollinaristarum hæresis proscripta fuit à dicto Constantinopolitano Concilio quod primùm fuit generalis Synodus Orientalis imperii, & postmodùm accedente Damasi & Occidentalis Concilii consensu, evasit orbis christiani Synodus.

ARTICULUS V.

De Diodoro Tarsensi & Theodoro Mopsuestiæ Episcopo.

§. I.

De Diodoro.

Diodorus sub Valente Imperatore fuit de clero Meletii Antiocheni, & quidem, ut omninò fas est conjicere, presbyter, qui unà cum Flaviano, Meletii pariter presbytero, cùm pastor eorum Meletius jussu Valentis exularet in Armenia, curam gregis egit, ut refert Theodoretus lib. 4. hist. Eccl. c. 25. ubi de Diodoro sic loquitur: *Diodorus quidem sapientissimus & fortissimus, quasi fluvius quidam limpidus ac spatiosus, proprio quidem gregi aquationem præbebat: adversariorum autem blasphemias submergebat. At generis quidem sui nobilitatem nullateniis considerabat: ærumnas autem pro fidei defensione libenti animo tolerabat.* Quare ob sua bona in Ecclesiam Antiochenam merita episcopalem dignitatem consecutus est. Nam Valente violenta morte sublato, Meletius ab exilio revocatus, *Diodorum, qui in gravissima illa* (quam Valens adversùs orthodoxos excitarat) *tempestate navem Ecclesiæ incolumem servaverat, Tarsensium Episcopum constituit, & Cilicum ei provincia commendavit*, seu Ciliciæ metropolitam fecit. Quod ratum habuit Constantinopolitana Synodus; cui Diodorus interfuit. [Theod. lib. 5. hist. c. 4. [Soc. lib. 5. cap. 8.

Diodorum acerrimum Nicænæ fidei defensorem extitisse, testis est Sozomenus lib. 7. hist. ubi refert c. 7. Diodorum cum aliis orthodoxis Episcopis, qui Theodosio eos convocante, Constantinopoli convenerant, contendisse, ut Omœusiani Episcopi Filium Patri consubstantialem confiterentur. Et cap. 9. ab Imperatore Theodosio lege sancitum esse, ut in Oriente Ecclesiæ traderentur Episcopis illis, qui communicarent cum Diodoro Tarsensi & Pelagio Laodiceno.

Luculentum orthodoxiæ sicut & sanctimoniæ Diodori testimonium reddit S. Basilius epist. 82. ad Patrophilum Episcopum. *Porrò*, inquit, *Diodorum, tanquam beati Silvani alumnum primùm suscepimus, nunc verò diligimus & complectimur propter sermonis quam habet gratiam, per quam multi eorum, qui virum audiunt, meliores redduntur.* Ex quibus verbis colligimus Diodorum & Omœusianorum Episcoporum communionem habuisse, & plurimos adhortationibus suis ad sanctiorem vitæ rationem adduxisse: quod confirmat Socrates, cùm ait, Diodorum præfuisse monasterio, & sub eo Joanne Chrysostomum, Theodorum, qui Mopsuestiæ, & Maximum; qui Seleuciæ postea Episcopus fuit, monasticam vitam didicisse. Ibidem porrò testatur Socrates, Diodorum postquam ad Episcopatum promotus fuit, multos conscripsisse libros, quibus Scripturas sacras, allegorica interpretatione postposita, litteraliter interpretatus est. [Lib. 6. hist. Eccl. cap. 3.

Cyrillus è contra (Alexandrinum dico) Diodorum non uno loco graviter exagitat. Nam in epistola sua Joannem Antiochenum & ejus Synodum dicit, Diodorum scriptis suis apertè Verbi Dei incarnationem impugnare. *Infames autem*, inquit, *opiniones Diodori, ac Theodori, & aliorum quorumdam quos non laudare satius erat, ne quid gravius dicam, propterea, quod plenis quodammodo velis adversùs Christi gloriam ferantur, nemo, &c.* Et in epistola sua ad Successum Episcopum, explicans quomodo Diodorus scriptis suis Verbi Dei impugnet incarnationem, sic ait: *Diodorus quidam, sancti Spiritus olim impugnator, ut ajunt, cum orthodoxorum Ecclesia communicavit. Hic depositâ, ut putavit, Macedonianæ hæresis labe, in alterius morbi vim incidit. Sensit enim ac scripsit, alterum seorsim esse Filium eum qui ex semine David ex sancta Virgine Deique Matre natus est, alterum rursus privatim Filium illud ex Deo Patre Verbum. Qui* (Diodorus) *sub ovina pelle quodammodo lupum contegens, unum se Christum dicere simulat: sed cùm referat quidem hoc nomen ad solum illud ex Deo Patre genitum Verbum Filium unigenitum, ipsum quoque* (qui est) *ex semine David, filium appellat: sed tanquam gratiæ loco nomen hoc ei tribuit, utpotè qui illi, qui secundum veritatem filius est, unitus sit. Unitus autem, non ut nos asserimus* (substantialiter & hypostaticè) *sed secundùm solam, dignitatem, & secundùm auctoritatem, & secundùm honoris æqualitatem.* [Tom. 5. parte 2. pag. 195. epist. [Pag. 135. epist.

Juxta Cyrillum igitur, Diodorus in scriptis suis asseruit duos esse filios seorsim subsistentes, quorum proinde uterque propriam haberet hypostasim; primùm ex solo Patre Deo ab æterno, secundùm ex sola Matre Virgine in tempore genitum; primum esse propriè & natura, secundùm verò impropriè tantùm & gratia Filium Dei; primùm esse Filium, Dei, quia est de substantia Patris, secundùm, quia primò unitus est moraliter, per communionem ejusdem dignitatis, auctoritatis, & honoris; unum denique

Christum esse, non duos, non quia unica est duarum naturarum, divinæ & humanæ, hypostasis seu persona, sed quia Verbum Dei unigenitum est.

Porrò S. Cyrillum, cùm sic Diodori circa œconomiam incarnationis exponit doctrinam, aut ejus scripta non legisse, aut mentitum esse, nefas esset asserere. Quare omninò dicendum videtur, Diodorum, cùm Appollinaristas acriùs insectaretur, imprudenter prolapsum esse in oppositum errorem. Quòd adhuc probari potest ex Leontii Byzantini tertio contra Nestorium libro ubi referuntur aliquot Diodori fragmenta, quibus præfati errores continentur. Item ex alio ejusdem Leontii libro adversùs Falsarios, ubi Apollinaristæ cujusdam referuntur laciniæ aliquot, ex quibus convinci potest Diodorus, negasse physicam & substantialem Verbis cùm humanitate unionem. Quare existimandum est Diodorum, cùm Basilius ad Patrophilum scribebat, aut nondùm contra Apolinaristas scripsisse, aut certè quæ scripsit ad Basilium non perveniisse. Quòd autem Diodorus non nisi post Constantinopolitanam Synodum, cui ipse interfuit, quæ Appollinarista damnavit, adeòque non nisi post obitum Basilii contra hosce hæreticos scripserit, propter ipsa Basilii verba, à nobis relata, facilè credimus.

Tom. 9. Bibliot. Pat. pag. 711.

Quantùm attinet ad Spiritus sancti divinitatem, quod obiter notamus, Cyrillo Diodorum illam impugnasse asserenti assentiri non possumus, eique Basilium opponimus, qui de Diodoro ut homine pio & catholico loquitur loco à nobis laudato. Præterea, ex eo quòd Diodorus alumnus fuerit Silvani Tarsensis, qui unus ex Omœusianis Episcopis fuit, aliud argui non potest, quàm quòd aliquandiu adhæserit factioni Omœusianorum. Unde non sequitur eum aliquando Macedonianæ hæresis tabe infectum fuisse: neque enim Omœusiani cum Macedonianis confundendi sunt, quia non omnes Episcopi, qui omœsion, omousio repudiato, defenderunt, Macedonio post abdicationem suam Spiritui sancto bellum indicenti nomen dedere, quod de Silvano satis probat honorifica illius mentio, à Basilio divinitatis Spiritus sancti acerrimo defensore facta.

§. II.

De Theodoro.

Socrat. lib. 6. hist. c. 3. Sozom. lib. 8. hist. c. 2. Theod. lib. 5. hist. Eccl. 40.

THeodorus Joannis cognomento Chrysostomi, & Maximi, qui postea Seleuciæ in Isauria Episcopus fuit, condiscipulus, cum illis auditor fuit primùm Libanii Rhetoris & Sophistæ gentilis, deinde mortuo Libanio. Diodori Tarsensis, sub quo didicerunt & egerunt vitam monasticam, cujus postmodùm pertæsus Theodorus rediit ad communem vivendi rationem, & de uxore duceda cogitare cœpit, atque ut erat multiplici eruditione præditus, edito libello, propositi sui mutationem veterum exemplis confirmare conatus est. Hoc cùm Joannes intellexisset, ad eum hortatricem scripsit epistolam, qua persuasus Theodorus, factique pœnitens, relictis facultatibus, & nuncio nuptiis remisso, ad pristinum philosophandi genus regressus

Ibid.

est; Fratrem habuit Polychronium nomine, quem scribit Theodoretus Apamenem Ecclesiam egregiè administrasse, emendatissimè vitæ splendorem conjungendo cum sermonis gratia ac venustate. Ipse verò factus Mopsuestiæ Episcopus postquam annos sex & triginta Episcopatum gessisset, & contra Arianos, Eunomianos, & Appolinaristas strenuè & assiduè decertasset, Theodoro Antiochenam Ecclesiam gubernante, vivendi finem fecit.

Ibid.

Intemperatus Theodori laudator Theodoretus Theodorum vocat totius Ecclesiæ Doctorem, & addit eum hæreticos, Arianos scilicet, Eunomianos, & Apollinaristas profligando, ovibus Christi optimum pabulum præbere. Cyrillus verò è contra in epistola ad Joannem Antiochenum dicit Theodorum in scriptis suis plenis quodammodò velis adversùs Christi gloriam referri. In epistola ad Accacium melitenensem ait, Theodorum & Nestorium ex uno velut ore loqui; & unum malæ doctrinæ ex corde suo venenum evomere. In epistola ad clericos & Lamponem presbyterum scribit, Theodorum in suis de incarnatione codicibus blasphemias Nestorii blasphemiis multò pejores posuisse. Denique in epistola ad Proclum Constantinopolitanum hæc habet: *In conscriptis ejus* (Theodori) *invenimus quædam nefariè dicta, & nimiæ plena blasphemiæ ... Sciat verò tua Sanctitas, quòd prolata apud sanctam Synodum* (Ephesinam) *expositione ab eo* (Theodoro) *composita, sicut dicebant qui protulerunt, nihil sanum habente, reprobavit eam sancta Synodus, utpotè perversis plenam intellectibus, & Nestorianam impietatem quasi effluentem.*

Quòd autem revera Theodori scripta blasphemiis adversùs dominicam Incarnationem referta fuerint, clarum est ex fragmentis ejus, quæ supersunt, & referuntur in collatione quarta & quinta œcumenicæ Synodi quintæ, ex quibus aliqua exempli gratia excerpimus. Lib. 2. de incarnatione negabat Filium Virginis & Dei Verbum esse unum & idem suppositum. *Homo*, inquiebat, *homini consubstantialis est, Deus autem Deo consubstantialis est. Quomodo igitur homo & Deus unum per unitatem esse potest, qui salvificat & salvificatur, qui ante sæcula est, & qui ex Maria apparuit?*

Tom. 5. Conc.

Pag. 448.

Imò in interpretatione octavi Psalmi disertis verbis asserebat Verbum Dei & Filium Virginis esse duo supposita, inter se distincta, & planè diversa. *Quomodo*, inquiebat, *non manifestum, quòd alterum quidem nos divina Scriptura docet evidenter, esse Deum Verbum, alterum verò hominem, & multam eorum esse nobis ostendit differentiam? Nam iste quidem* (Filius Dei) *memorat, ille autem* (Filius Virginis) *memoriam meretur: & iste quidem* (Filius Dei) *visitat, alter autem* (Filius Virginis) *cum visitationem meretur, beatus dicitur, &c.*

Pag. 442.

In interpretatione Evangelii secundùm Joannem libro sexto dicebat Filium Virginis esse templum Verbi. *Hoc quidem*, inquiebat, *quod est*: ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum: *Nemo sic demens est, ut alii cuidam convenire diceret, nisi in templo Dei Verbi assumpto pro nostra salute homini, qui & mortuus est, & resurrexit, &c.* Unde consequenter libro quarto contra Apollinarium ajebat, Verbum & Filium Virginis esse duo supposita tam inter se distincta & diversa, quàm templum, & is qui habitat in templo. *Age*, inquiebat, *omnia simul confundamus, & nulla jam sit discretio nec Dei formæ nec servi formæ, nec Dei templi, nec ejus qui in templo habitavit, &c.* Ex his

Pag. 449.

Pag. 458.

Asserebat, non Deum Verbum, sed purum hominem in tempore natum esse ex Virgine: sic enim loquebatur in libro tertio contra Appolinarium: *Non est quidem demens, Deum ex Virgine natum esse dicere .... non id quod natum est ex Virgine, Deus est ex Deo consubstantialis Patri .... natus est ex Virne, qui ex substantia Virginis constat, non Deus Verbum ex Maria natus est. Natus autem est ex Maria, qui ex semine est David. Non Deus Verbum ex muliere natus est, sed natus ex muliere, qui virtute sancti Spiritus plasmatus est in ea, &c.* Superiùs dixerat: *Non tamen existimandum nobis est, Deum de Virgine natum esse; nisi fortè idem existimandum nobis est, & quod natum est, & quod est in nato templo* (supple ad mentem ejus) quod tamen non nisi falsò & absurdè, vel saltem non nisi impropriè & abusivè à nobis existimari potest. Quare Verbum Deus, ex eo quod fuerit in templo ex Virgine nato, aut omninò non potest, aut ad summum non potest nisi impropriè & abusivè dici natum ex Virgine. Hinc

Pag. 436.

Mariam non solùm hominis, sed etiam Dei Matrem dici posse concedebat, propriè quidem hominis, impropriè verò & abusivè Dei; vel, ut loquebatur, natura quidem hominis, relatione verò Dei, sic enim ajebat in libro duodecimo de incarn. *Cùm ergo interrogent: hominis genitrix, aut Dei genitrix Maria? Dicatur à nobis: utraque: unum quidem*

Pag. 447.

natura

natura, rei alterum autem relatione. Hominis enim genitrix natura, quia homo erat & in ventre Mariæ, qui & processit inde: Dei autem genitrix, quia Deus erat in homine nato, non ille circumscriptus secundùm naturam, sed quod in eo erat affectu voluntatis. Unde juxta Theodori mentem, Mariam esse Dei genitricem, in re nihil aliud erat, quàm Mariam esse genitricem hominis seu suppositi humani, habentis specialissimum quendam respectum ad Verbum, ipsum specialissimè inhabitans per nudum voluntatis affectum, non per realem & physicam naturarum unionem. Hinc

Concedebat Deum Verbum abusivè dici posse Filium David, adeòquè & Filium Mariæ, quem vicissim concedebat vocari Filium Dei cum addito diminuente, imò & destruente, gratia scilicet & adoptione. *Si quis*, inquiebat, *velit abusivè & Filium Dei Deum Verbum Filium David nominare, propter Dei Verbi templum quod ex David est, nominet, & illum qui est ex semine David, Filium Dei, gratia, non natura appellet.* Nam ut etiam ajebat: *Gratia Filius* (Dei) *qui ex Maria est homo, natura autem Deus Verbum. Quòd autem secundùm gratiam, non natura, & quod secundùm naturam, non gratia; non duo Filii* (Dei secundùm naturam) *sufficiat corpori, quod ex nobis est, secundùm gratiam filiatio, gloria, & immortalitas, quia templum Dei Verbi factum est.* Ex his

pag. 456.

pag. 447.

Vellet nollet, duos in Christo admittebat filios, Filium Dei, nempe Deum Verbum ex Deo Patre ab æterno genitum, & Filium Virginis, nempe hominem ex Virgine natum in tempore. Sed quia in hic homo singulari quodam & excellenti modo secundùm illum moraliter conjunctus erat cum Deo Verbo, ejusque filiationem, sicut & dignitatem, singulari quodam & excellenti modo participabat, propter moralem hanc conjunctionem & participationem, ex duobus realiter filiis unum moraliter filium, sicut & ex duobus realiter dominis unum moraliter dominum conflabat. Unde impropriè & abusivè dicebat unum filium & dominum, non duos filios & dominos.

pag. 454.

Audiamus illum fidem suam in suo symbolo exponentem. *Neque*, inquit, *duos dicimus filios, neque duos dominos, quoniam unus Filius secundùm substantiam Dei Verbum, unigenitus Filius Patris, cui iste* (Filius Virginis) *conjunctus & particeps, communionem habet Filii nomine & honoris: & Dominus secundùm substantiam Deus Verbum, cui conjunctus iste* (Filius Virginis) *communionem habet honoris. Et ideò nec duos dicimus filios, nec duos dominos: quoniam certo constituto secundùm naturam Domino & Filio, inseparabilem habens ad eum conjunctionem, qui pro nostra assumptus est salute, cum ille honorem & nominationem Filii & Domini habet.*

Amplius. Unum asserebat Filium & Dominum nostrum Jesum Christum, per to unum Flium & Dominum significans, non unum suppositum subsistens in duabus naturis, divina & humana, sed duo suppositum, nempe Deum Verbum & Mariæ Filium, Deum quidem Verbum primariò & principaliter, utpotè per essentiam Filium Dei & Dominum; Mariæ verò Filium secundariò & accessoriè; & quasi in obliquo ac connotativè tantùm utpotè Filium Dei & Dominum per participationem tantùm, & denominationem extrinsecùs advenientem ipsi ex accidentaria & purè affectiva Verbi cum ipso conjunctione. Nam sic pergit inferiùs: *Unum ergo Filium dicimus & Dominum Jesum Christum, per quem omnia facta sunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, qui secundùm substantiam & Filius Dei, & Dominus est: deinde simul mente accipientes sumptum Jesum* (*qui est de Nazareth, quem unxit Deus spiritu & virtute*) *ut conjunctione ad Verbum, filiationis & dominationis participem constitutum;* sicque eum eo unicum moraliter Filium Dei ac Dominum constituentem.

pag. 455.

Similiter duas personas admittebant in Christo, personam Verbi scilicet, & personam hominis assumpti; sed ex duabus unam moraliter personam per moralem conjunctionem resultare dicebat, sicut vir & mulier; quamvis sint physicè carnes duæ, nihilominùs fiunt una moraliter caro per morale vinculum matrimonii. Sic enim loquebatur in libro octavo de incarn. *Manifestum autem est, quòd unitas convenit: Per eam enim collectæ naturæ unam personam secundùm unitatem effecerunt. Sicut enim de viro & muliere dicitur, quòd jam non sunt duo, sed una caro, dicamus & nos rationabiliter secundùm unitatis rationem quoniam non sunt duæ personæ, sed una scilicet naturis discretis* (hoc est, manente naturarum discretione, ut ipse intelligebat, naturis duabus proprium complementum ultimum propiamque subsistentiam rentinentibus) *sicut enim tibi* (in exemplo allato) *non nocet numero duorum unam dici carnem .... ita & hic non nocet naturarum* (completarum simpliciter, ac per se seorsim subsistentium) *differentiæ personæ unitas.*

pag. 445.

Ut autem mentem suam magis explicare, sic pergebat: *Quando etenim naturas discernimus, perfectam naturam Dei Verbi dicimus & perfectam personam; nec enim sine persona est subsistentiam dicere perfectam; perfectam autem & hominis naturam, & personam similiter. Quando autem ad conjunctionem respicimus, unam personam tunc dicimus.* Juxta Theodorum igitur, in Christo simul sunt duæ personæ, & una tantùm, sed in diverso sensu, & secundùm diversos respectus: duæ in sensu physico, & unica in sensu morali: duæ, si naturæ secundùm se spectentur, & quatenùs per se seorsim subsistant, quia natura rationalis, per se seorsim subsistens, est persona, adeòque duæ naturæ rationales, per se subsistentes, sunt duæ personæ: unica, si naturæ spectentur secundùm moralem quam habent inter se conjunctionem. Quidni enim, inquiebat ille, in Verbo & homine assumpto idem in æstimatione morali possit moralis inter eos conjunctio, facta inseparabiliter, quod in viro & muliere potest in æstimatione morali vinculum matrimonii indissolubile?

Harum porrò, & aliarum quas hic brevitatis studio prætermittimus, adversùs Christum Theodori blasphemiarum caput erat, quòd substantialem & hypostaticam duarum naturarum unionem repudiaret, unde supererat, ut vel nullam, vel non nisi moralem Verbi cum humanitate Christi conjunctionem admitteret. Admissa autem morali tantùm utriusque conjunctione, consequens erat Christum non esse unum & idem suppositum, subsistens in & ex duabus naturis, unitis inter se unione substantiali, & humanam subsistentiam excludente, sed ad summum quoddam tantùm morale aggregatum ex duobus suppositis, quorum unum esset Deus tantùm, & alterum esset homo tantùm.

Quòd autem, repudiata substantiali duarum naturarum unione, moralem solùm earum conjunctionem agnosceret, seu quòd non aliter Verbum cùm humanitate unitum teneret, quàm per purum voluntatis affectum, ex variis ejus locis ostendi posset. Unus sit pro omnibus ex libro decimo quarto de incarn. ubi sic loquebatur: *Idem hoc juste dicemus & de Domino, quod Deus Verbum sciens ejus virtutem, & secundùm præscientiam, statim ipso initio complasmationis inhabitare bene, voluit, & uniens eum sibi affectis voluntatis, majorem quandam præstabat ei gratiam, &c.*

pag. 449.

Nestorio anno 431. in Synodo Ephesina damnato & abdicato, Theodori, jam ante annum 430. è vivis sublati, scripta in Armenicam & Chaldaicam primùm, deinde & Syriacam linguam translata sparserunt in vulgus, atque in Syria, Cilicia, Armenia & Persida disseminarunt Nestorianæ impietatis fautores, hoc pacto, si possent, impia Nestorii dogmata è naufragio, quod in generali Concilio fecerant, erepturi. Qua de causa per regiones illas ingentes turbæ ac contentiones in Ecclesia exortæ sunt, inter Episcopos aliis, Syris scilicet Cilicibus, Theodorum & ejus scripta ut orthodoxa prædicantibus, aliis

verò, ut Persis & Armenis, Theodorum & ejus scripta ut blasphemiis plena infamantibus. Parent hæc partim ex epistolis, quas tunc temporis scripserunt S. Cyrillus & alii Episcopi in causa Theodori, partim ex libellis contra eundem Theodorum oblatis Proclo Constantinopolitano, & ex ejusdem Procli tomo adversùs Theodori dogmata conscripto, & ad Armenios transmisso.

Dùm Nestorii discipuli, eo tacito vel etiam ore tenùs palàm rejecto, in ejus doctrina Theodori & Diodori Tarsensis auctoritate confirmanda operam omnem collocant, à Persis, Armenis, & aliarum gentium Episcopis Constantinopolim veniunt legati ad Proclum Patriarcham, à quo, oblatis ei libellis, efflagitant, ut ipse nominatim Theodorus cum suis scriptis & fautoribus anathematizetur. *Petimus*, inquiunt, *quatenus fiat unitas vestra contra Theodorum, & sacrilega capitula & dogmata ejus, & eorum qui similia sapiunt vel docent; & sicut Domino placuit condemnari manifestè & nominatim in Epheso ab universali Synodo sacrilegum Nestorium, sic per vos etiam antea condemnatum sine nomine, sacrilegiorem in varia impietate Theodorum nominatim condemnari, & eos qui secundùm impiissimam ejus expositionem hactenus in Syria & Cilicia sapiunt & docent.* Tom. 5. Conc. pag. 469.

Proclus, qui anno 434. sedem Constantinopolitanam obtinuit, anno sequenti, præfatis libellis permotus, tomum adversùs Theodori errores conscripsit, & transmisit ad Armenios. Librum eundem, subjectis ei capitulis quibusdam, quæ collecta fuerant ex Theodori codicibus, & consonantem Nestorii dogmatibus doctrinam continebant, misit ad Joannem Antiochenum, suis & Imperatoris Theodosii litteris adhortans eum, ut collecta Synodo, dicta capitula anathemate notaret. Joannes, qui cum Nestorio Theodori auditor fuerat, frequentissimam convocavit Synodum, quæ de capitulis à Proclo transmissis nequidem inquiri passa est. Joannes itaque cum suis Episcopis ad Patriarcham Constantinopolitanum & Imperatorem, nullo præmisso examine, libros Theodori nihil reprehendendum habere rescripsit. Tom. 3. Conc. pag. 1217. & seq. Tom. 5. Conc. pag. 467. Tom. 3. Conc. pag. 1257.

Quin etiam ad Cyrillum Alexandrinum scripsere epistolam, in qua probato quidem Procli tomo, graviter improbant consilium ejus de anathematizandis capitulis Theodori, cui acriter patrocinantur, asserendo eum in episcopatu & communione Ecclesiæ decessisse, contra Arianos & alios hæreticos millies decertasse, & de illis triumphasse, similia circa Verbi Dei Incarnationem scripsisse orthodoxos alios Patres, ut Athanasium, Basilium, Gregorium utrumque, Nazianzenum scilicet & Nyssenum, &c. Si quæ in scriptis ejus suspiciosa videntur, ex aliis corrigi, & sensum catholicum suscipere facilè posse; magnum esse per Orientem nomen illius, adeòque non posse eum damnari sine magna Ecclesiarum Orientalium perturbatione, &c. Similia porrò ad Proclum pro Theodoro & scriptis ejus à Joanne scripta fuisse, dubium esse non potest. Apud Cyrill. tom. 5. pag. pag. 192. epist. Tom. 5. Conc. pag. 487.

Acceptis ab Antiochena Synodo litteris permotus Cyrillus Proclum à Theodoro & libris ejus nominatim anathemati subjiciendis dehortatus est, data ad eum epistola in qua ajebat, damnatis Nestorii blasphemiis, similes Theodori blasphemias sufficienter damnatas videri; Theodori & scriptorum ejus magnam esse apud Orientales existimationem, adeòque expressam eorum condemnationem Orientalibus vehementer displicituram, nec imprudenter timeri ne pluribus ruinæ occasio fiat, & nondùm in orthodoxa fide confirmati, ad Nestorianam, quam ejurarunt, impietatem redeant; Ephesinam ipsam Synodum, anathematizando nefarium Theodori symbolum, nullam viri mentionem fecisse, neque ipsum nominatim anathemati subjecisse, & hac usam esse œconomia, *ne quidam ad existimationem viri respicientes, seipsos ab Ecclesia separarent.* Cyrillo auscultavit Proclus, sicque tunc Theodorus anathema, quo dignus erat, effugit. Tom. [illegible] part. 2. pag. 199. epist. Tom. 5. Conc. pag. 487.

Eodem tempore Cyrillus rescripserat ad Joannem & ejus Synodum, breviter exponens orthodoxam Incarnationis fidem, admonens ne infames Diodori & Theodori opiniones attribuerent orthodoxis Patribus Athanasio, Basilio, &c. obsecrans denique, ut clericis suis præciperent, ne alia loquerentur, præter ea quæ in Synodo Ephesina definita fuerant, sed potiùs ut rectæ fidei confessionem tenerent, maximè verò ne de rebus hujusmodi facilè sermonem miscerent. At cùm postmodùm certior factus est, malum grassari Oriente; Orientales Episcopos, dum simulant, ea se quæ Nestorii sunt, odisse, impiam ejus doctrinam alio restaurare modo, Theodorum scilicet & ejus scripta publicè venditando; populos denique ita infatuatos, ut exclamarent in Ecclesiis: Crescat fides Theodori, sic credimus, sicut Theodorus; ex Diodori & Theodori libris de incarnatione, vel potiùs contra incarnationem Verbi scriptis aliquot capita excerpsit, eaque tribus libris confutavit, *Declarans ubique abominationis plenam esse eorum* (Diodori & Theodori) *sectam;* Theodorumque *& hæreticum & impium, & super Paganos & super Judæos blasphemum* esse ostendens. Theodori tamen patrocinium suscepit Theodoretus contra Cyrillum, cui pro illo respondit iracundè & intemperanter. Tom. 5. part. 2. pa. 194. epist. Cyril. ad Accacium Melit. tom. 5. Conc. pag. 484. Tom. 5. Conc. pag. 487. pag. 473. & 4.

Sub idem sanè tempus Cyrillus ad Imperatorem Theodosium scripsit epistolam, in qua hæc inter alia dicebat: *Theodorus quidam fuit, & ante eum Diodorus .... isti Nestorii impietatis patres fuerunt. In suis enim libris ... immaniter blasphemaverunt contra Christum ... Voluit impius Nestorius quæ sunt illorum, in medium proferre, & expulsus est à Deo de sacra aula. Cum verò anathemati subjecissent dicta Nestorii, aliqui Orientis Episcoporum alio modo iterum ea introducunt, admirantes scripta Theodori, & dicentes eum recta sapuisse, & consonantia sanctis Patribus nostris, Athanasio, & Gregorio, & Basilio: mentiuntur verò contra sanctos viros: scripserunt enim quæ Theodori & Nestorii blasphemias impugnant.* Sed Tom. 5. Conc. pag. 485.

Quidni contra eos, qui asserunt in legem, quam contra Nestorium post Synodum Ephesinam Theodosius junior tulerat, & qua jubebatur eos, qui Nestorii impietatem sequerentur, Simonianos nominari, librosque omne Nestoriana tabe infectos diligenter conquiri igni tradendos &c. nomina Diodori & Theodori inserta non fuisse nisi post quintam Synodum, auctoritate Justiniani Imperatoris, quidni, iniquam, dicatur Theodosius Cyrilli & aliorum orthodoxorum litteris, adnitente Proclo, adductus esse, ut cùm plurimi in Oriente Episcopi Diodori & Theodori scriptis ad infirmandam Ephesinæ Synodi definitionem abuterentur, ea lege, quàm contra Nestorium tulerat, Nestorii nomini nomina Diodori & Theodori juberet adjici. Et verò dicere quod Diodorus privatæ manus opera irrepserit, divinare est, & nulla probabilitate dici potest, quòd Diodorum inseruerit Justinianus; cùm eo tempore de Diodoro nulla fuerit instituta quæstio. Ergo superest, ut uterque, Diodorus & Theodorus, Nestorio, qui communem cum illis habebat causam, & communes blasphemias, dicatur additus esse jussu & auctoritate Theodosii. Tom. 3. Conc. pag. 1259. Tom. 5. Conc. pag. 471.

Theodorum Ecclesiæ Mopsuestenæ diptychis erasum, & Cyrillum Alexandrinum ejus loco positum fuisse multò ante annum 600. dubitare non sinit Synodus Mopsuestena, cujus acta referuntur in collatione 5. Synodi V. Sed quo præcisè tempore hoc contigerit, definiri non potest. Factum esse aliquantò post S. Cyrilli obitum circa annum 450. facilè conjicimus ex testimonio Martyrii Ecclesiæ Mopsuestenæ presbyteri, qui anno circiter 490. jam erat in clero ordinatus, & juratus deponit se *neque scire, neque audivisse quòd recitatus est Theodorus in sacris diptychis.* Tom. 5. Conc. pag. 492. & seq. Pag. 495.

Denique Ecclesia, quæ Theodorum centum & ampliùs ab exortis de illo contentionibus annos dispensativè toleraverat, illum tandem cum scriptis suis subjecit anathemati anno 553. in quinta Synodo collat. 8. cap. 12. his verbis: *Si quis defendit impium Theodorum, & impia ejus conscripta .... & non anathematizat* pag. 578.

tizant eum, & impia ejus conscripta, & omnes qui suscipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo & eadem illi sapuerunt, &c. Talis anathema sit.

ARTICULUS VI.

De Nestorio.

Theodoret. lib. 4. hær. fab. in Nestor.

NEstorius Germanicia Syriæ oppidulo oriundus, postquam varia peragrasset loca, Antiochiæ sedem fixit. Ibi procedente tempore in clerum admissus, ad presbyteratus gradum postmodùm promotus est. In liberalibus disciplinis mediocriter eruditus, apud inconsideratum vulgus plurimùm valebat canora quàm diligenter exercuerat, voce, & expedita facundia. Fusca veste indutus, & vultu ad tristitiam composito incedebat, corporis pallore ciborum abstinentiæ laudem aucupans. Rarò prodibat in publicum, sed solitarius domi manebat, in libris versandis assiduus: *Hoc habitu*, inquit, Thodoretus, *& hac simulatione multos inescans* (seu ludificans) *magnam ætatis suæ partem peregit, ut Christianus videretur, magis quàm ut esset, persequens, & Christi gloriæ suam præferens.* Quare cùm populum docendi munus sucepisset, non studuit ea dicere quæ animabus excolendis & ad Christianam pietatem informandis idonea essent, sed quæ imprudentis vulgi aures demulcere, ejusque plausum possent conciliare, quod & assecutus est.

Socrat. lib. 7. hist. c. 28. & 29.

Sisinnio, qui Attico in Episcopatu Constantinopolitano successerat, anno 427. desinente vita functo, & in ejus locum multis Philippum presbyterum, nec paucioribus Proclum, quem Sizinnius Cizicenorum Episcopum ordinaverat, quique ab illis non receptus, in clero Constantinopolitano remanserat, subrogari summo studio contendentibus, satius Imperatori visum est, peregrinum hominem Antiochia evocare, Nestorium scilicèt, ut virum sanctum, & docendis populis maximè idoneum.

Id. eod. lib. c. 29.

Post tres igitur menses, jubente Theodosio juniore, Constantinopolim adducitur Nestorius, ætate senex, sed vanæ gloriæ cupiditate juvenis, lupus sub ovina pelle latens; illaudabilis, sed tamen à plurimis ob affectatam præsertim temperantiam laudatus. Anno 428. Aprilis die 10. ordinatus Episcopus, illicò coram universo populo Imperatorem sic affatus est: *Da mihi terram hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum retribuam. Mecum hæreticos debella, ego Persas tecum debellabo.* Ventosam hanc vocem cum plausu excepit vulgus imprudens, cui invisi erant hæretici, at sapientibus talem se Nestorius, qualis re ipsa erat intrinsecùs, hoc est, levi, inanis gloriæ cupidi & præcipitis animi hominem probavit, quippe qui aqua civitatis vix ac ne vix quidem delibata, acerrimum se persecutorem ostenderet, innumerisque extrema quæque minitaretur.

Pontificatus dignitate Nestorius, ut eum Theodoreto loquar, velut tyrannide arrepta, quinto post ordinationem suam die, ut pergit narrare Socrates, locum, in quo Ariani secretos conventus agebant, evertere aggressus, eos adduxit in desperationem, sic ut ipsimet in illam suam sacram ædem injecerint ignem, quo vicinæ domus deflagrarunt; quàm ob rem eum Incendiarium vocarunt non hæretici modò, sed etiam Catholici. A Novatianis vexandis primariorum virorum admonitionibus ægrè deteritus est. Magnis per Asiam, Lydiam, & Cariam Quartadecimanos affecit calamitatibus, plurimique ejus causa, seditione facta, Mileti & Sardibus interiere. In Hellesponto per Antonium quemdam, Germæ civitatis Episcopum, Macedonianos acerbè exagitavit. Hi vexatione aliquandiu patienter tolerata, cùm Antonius Nestorio morem gerens, eos vehementius persequi instituisset, spe salutis abjecta, illum interemerunt, in cujus sceleris pœnam, suadente Nestorio, Macedonianis Ecclesias suas addemit Imperator, nec tamen, nisi pauci ad veram Ecclesiam, relicta hæresi, sese contulere.

c. 29.

Id. eod. lib. c. 31.

Dum sic Nestorius inconsideratè & contra episcopalem mansuetudinem modis omnibus insectatur hæreticos, hæreticus ipse, fit imò & hæresiarcha. Rem sic narrat Socrates. Anastasius quidam presbyter, quem Nestorius secum Antiochia abduxerat, & cujus in rebus gerendis utebatur consilio, quadam, die cùm in Ecclesia doceret præsente Nestorio, hæc protulit verba: *Nemo Mariam vocet Deiparam. Maria enim homo fuit. Ex homine autem Deus nasci non potest.* Multi tam ex clero quàm ex plebe, qui aderant, hac blasphemia conturbatis, ingens in Ecclesia tumultus exortus est nec tamen Nestorius Anastasium coegit ad palinodiam; è contra verò & tunc postea in concionibus suis quod dixerat Anastasius confirmare, & contra Deiparæ vocem disputare non destitit. Socrati planè consentit Evagrius, lib. 1. histor. cap. 2. ubi addit Nestorium, cùm profiscceretur Constantinopolim: Mopsuestia transisse, ibique cùm Theodoro congressum, audita illius doctrina, à recta pietate deflexisse. At jam aliàs Theodori auditor fuerat Nestorius, venenumque altis visceribus demiserat. Quidni ergo potiùs dicatur cum Theodoro deliberasse de publicanda tandem hæresi, quod à se fausto exitu factum iri sperabat, postquam regiæ urbis Episcopatum adeptus esset?

Lib. 7. cap. 32.

Hoc Anastasii factum, quod post Socratem & Evagrium commemoravimus, non meminit S. Cyrillus, sed aliud simile, aut etiam pejus Dorothei cujusdam enarrat in sua ad Celestinum Pontificem contra Nestorium epistola. *Erat*, inquit, *Episcopus quidam, Dorotheus nomine, Constantinopoli, eadem quæ Nestorius sapiens & sentiens, vir quæstus causa adulationi impensè deditus, linguaque ad temeritatem usque, ut scriptum est, promptus. Hic dum frequens esset in Ecclesia populus, reverendissimo Nestorio in cathedra Constantinopolitanæ Ecclesiæ sedente, surrexit, & magna elataque voce inclamare ausus est*: Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit. *Mox ingens universi populi clamor, & discessio consecuta est.* Nec solùm conticuit (Nestorius, ut S. Cyrillus narrat in alia epistola) *cum hæc illum loquentem audiret, verum eundem quoque ipsum ad mysticam communionem mox admisit, mysteriorumque participem effecit.* Quod etiam testatur idem Cyrillus sub finem citatæ ad Celestinum epistolæ, ubi ait, memoratum Dorotheum ut sic loqueretur, à Nestorio fuisse inductum, subornatumque.

Tom. 3. Conc. pag. 341.

Tom. 3. Conc. pag. 342.

Hoc autem factum Dorothei non pugnat cùm Anastasii facto: utrumque enim potuit contingere, & facilè credimus contingisse, sed diverso tempore: sicut Anastasius prælocutus fuerit, & quasi præluserit fabulæ; unde nec tam durè locutus est: Dorotheus verò non nisi postea, cùm ageretur tragœdia, & hinc inde animi incaluerant, in blasphemum suum anathema eruperit. Hoc apertè S. Cyrillus significat in sua ad Celestinum epistola, ubi ait: *Cùm verò fore sperabamus, ut medicinam admitteret, atque ab iis, quæ contra Christum docuerat, abstineret; comperimus hac nos spe frustratos esse, cùm tale quid contigisset. Erat Episcopus quidam, &c.* ut supra. Jam igitur contra Christum & Matrem ejus publicè insurrexerat Nestorius; jam ea de re ad Nestorium Cyrillus scripserat, illumque per litteras suas hortatus fuerat, ut à perversa illa doctrina, quam publicè tradebat, resipiscere, cùm Dorotheus, ab eo inductus & subornatus, in Ecclesia coram frequenti populo protulit anathema adversùs eos, qui Mariam Deiparam dicerent. Et tunc primum omnem emendationis Nestorii spem deposuit Cyrillus, cùm tale Dorothei facinus, & Nestorii conniventiam auditione accepit.

Tom. 3. Conc. pag. 328. & 9.

Ante hæc homiliæ Nestorii, quas in Ecclesia Constantinopolitana publicè recitarat, & in quibus de, vel potiùs contra incarnationem differebat, ab ejus gregalibus, sumptibus non exiguis passim dispersæ fuerunt, & in Ægyptum usque perlatæ. *Ubi autem leves quosdam homines in errorem abductos, rectène ille* (Nestorius) *sentiret & loqueretur, an secùs, anxiè inter se disquirere* cognovit Cyrillus, *metuens ne*

Tom. 3. Conc. col. 341. & 4.

fortè morbi contagium in simpliciorum mentibus altiores radices paulatim ageret, ad Ægypti monasteria generalem epistolam scripsit, *nutantesque in recta fide* confirmavit. *Cujus quidem epistolæ exempla ad Constantinopolitanam urbem deportata, ibidemque lecta, tanto adjumento fuerunt, ut plurimi è magistratu ejus rei causa per litteras* Cyrillo *gratias egerint.*

Hæc Cyrilli ad monachos epistola, quam Alexandrini quidam circumferebant, in furorem egit Nestorium; qui exinde cœpit ad perdendum Cyrillum nullum non movere lapidem. Quòd cùm à viris fide dignis, qui Constantinopoli Alexandriam venerant, resciviſſet Cyrillus, ad Nestorium dedit litteras, in quibus ait, non à se, sed ab illo Ecclesias esse turbatas; plurimos scriptis ejus seductos jam esse; catholica veritate in eminenti periculo posita, se tacere non potuisse. *Cùm ergo*, inquit, *pietas tua hanc murmurandi necessitatem attulerit, quo quæso jure me incusat? Cur odiis in me flagrat? Cur temerè me allatrat? Cur potius emendata oratione orbis offensionem non sanat?* Tum sic eum adhortatur: *Ne graveris, obsecro, iis qui non leviter offensi sunt, unam hanc* Theotocos *vocem largiri, sacramque Virginem Deiparam appellare.* Denique hæc verba Apostolico viro planè digna subjicit: *Certò autem pietas tua persuasum habeat, nos & vincula, & carceres, & cætera omnia ejusmodi incommoda, quin & ipsum quoque vitæ discrimen propter Christi fidem adire paratos esse.*

Tom. 3. Conc. col. 313. & 6.

His Cyrilli litteris per Lamponem presbyterum acceptis, vix adduci potuit fastidiosus Hæresiarcha, ut redderet brevissimas, & arrogantiam hominis spirantes, quibus prodebat exarcebatum animum, & obfirmatum in hæresi propositum. Nihilo igitur minùs perrexit Nestorius cum Cyrillo agere hostiliter tum per se, tum per sceleratissimos quosdam, qui ad eum Alexandria transfugerant, homines. Quod probè sciens Cyrillus, sed flocci faciens quæ adversùs eum machinabantur adversarii, *Deoque qui omnia potest & novit, omnia committens, alteram rursus epistolam, quæ rectæ fidei* accuratissimam *expositionem brevi compendio complecteretur, ad Nestorium exaravit, hortans obtestansque, ut ad modum, quem epistola præfinit, sapiat & loquatur.* Hæc porrò secunda Cyrilli ad Nestorium epistola postmodum in Ephesina Synodo lecta fuit, atque unanimi Patrum consensu approbata.

Tom. 3. Conc. col. 316.

Tom. 3. Conc. col. 316.

Tom. 3. Conc. col. 344.

Eod Tom. col. 461. & seq.

Hac secunda epistola apud Nestorium non plus profecit Cyrillus, quam prima, sed è contra perversissimum animum exulceravit magis. Nestorius itaque ad Cyrillum reddidit litteras arrogantiæ plenas, quæ postmodùm in Ephesina Synodo lectæ, uno omnium ore anathematizatæ fuerunt, ut blasphemiis refertæ. In his porrò litteris homo indoctus æquè ac superbus, doctorem ætatis illius longè maximum, hoc est, ut ajunt, *Sus Minervam*, docere aggreditur; miserabiliter differens eorum suæ hæreseos virus evomit; orthodoxos ut Apollinaristas, Arianos, & Manichæos calumniosè traducit, denique sibimet ipsi putidè plaudens, apertè & inverecundè mentitur dogmata sua placere Imperatori, & in dies crescere & augeri multitudinem eorum, qui ea amplecturtur. Nam, ut Cyrillus in sua ad Celestinum epistola narrat: *Plebs Constantinopolitana (levibus quibusdam vanisque hominibus, & iis qui* Nestorio adulabantur, *duntaxat exceptis) à Synaxi* abstinebat. Abstinebant *ab eadem omnia pene monasteria, eorumque Archimandritæ*, Abstinebat *& magna quoque pars senatus, verentes ne ipsomet, & illis quoque quos, Antiochia discedens, inde secum abduxerat, quidvis perversum evomentibus, aliquod in fide detrimentum acciperent.*

Eod. Tom. col. 321. & seq.

Eod. Tom. col. 341.

Dum ita cives Constantinopolitanos sponte & catervatim ad se confluere mentiebatur Nestorius, & suorum, pro hæreticorum more, multitudinem venditabat, paucitatis eorum conscius furebat Constantinopoli, plagas, exilia, carceres minitando iis, qui cum eo communicare renuerent: nec dici potest, quanta populum, clericos, & monachos immanitate vexarit. Conjecturam habemus in Celestini ad clerum & populum Constantinopolitanum epistola, in qua sic ait Pontifex: *Indixit injurias* (Nestorius) *indixit exilia, ille* (Christus) *in suis hæc passus est, quem suscepisse pro nobis hominem* (Nestorius) *diffitetur.* Superiùs dixerat: *Fratris & Coepiscopi mei Cyrilli per fasum meum Possidonium diaconum ad me directa relatio, ea contra vos agi loquitur, quæ potest in Ecclesiæ membra agere, qui ejus capiti non pepercit.* Nemo impunè Nestorio sese opponebat. Populus ad laica tribunalia trahebatur, & flagris crudeliter cædebatur. Clerici excommunicabantur, exauctorabantur. Monachi virgis dissecabantur, fame enecabantur, vinculis ferreis onerabantur, detrudebantur in carceres. Aliqui publicè cæsi & flagris dissetis in exilium pellebantur. Pecuniis & corruptorum quorundam hominum potentia fretus, proculcatis juribus omnibus, nihil non audebat Nestorius contra orthodoxos sub oculis Imperatoris ipsius, ab aulicis quibusdam, quos sibi devinxerat Hæresiarcha, delusi. Consule supplicationem Basilii diaconi.

Eod. Tom. col. 372. col. 369.

Eod. Tom. col. 428. & seq.

Nestorius rabidi adinstar lupi gregem suum dilanians, arrogantia illa, quà mortales omnes vilipendebat, dementatus, in spem venit ad partem suam trahendi Romanum Pontificem Celestinum. Scribit igitur semel atque iterùm ad Celestinum, primùm omnium fingens nescire se quid tenendum esset de Juliano & aliis Episcopis Pelagianis, qui tunc Constantinopoli aderant (cùm tamen ignorare non posset eos à Sisinnio decessore suo fuisse rejectos, & ab Attico, cui Sisinnius successerat, in Constantinopolitana Synodo damnatos) & naviter mentiens asserendo Episcopos illos à se receptos non esse, cùm tamen illos apud se haberet, & cum illis communicaret.

Col. 349.

Col. 362.

Suum in veritatem catholicam studium commendat, suamque severitatem cum lenitate conjunctam erga ægros, hoc est, orthodoxos, quos Apollinarii & Arii morbo laborare calumniatur, quosque tunc infectabatur immaniter. Et postquam Catholicis absurdissimos Apollinaristarum errores impudenter impegit, addit eos audire Virginem dicere *Theotocon*, eamque *Christotocon* dicendam esse contendit, sic tamen ut permittat eam utcumque *Theotocon* dici, non quòd sit Mater Verbi Dei, sed quòd genuerit templum, quod Verbum Deus inseparabiliter inhabitat. Denique se pro illa sua impietate non fruſtra decertasse, eamque multos tandem amplexos esse gloriatur. Præter epistolas autem, quarum, stylus ventosum nescio quid ubique redolet, per Antiochum virum illustrem expositionum suarum blasphemiis infartarum quaterniores misit ad Pontificem.

Col. 359. & seq.

Col. 352. & 6.

Eodem illo fermè tempore, & aliquantò post Nestorium, ad eundem Pontificem scripsit quoque Cyrillus, cùm omnem Nestorii ad sanam mentem revocandi spem amisisset, fidemque orthodoxam cerneret in extremum discrimen adductam. In epistola sua, cujus jam meminimus, exponit nefandum Dorothei facinus, luctuosum Ecclesiæ Constantinopolitanæ statum, Nestorii in propugnanda heterodoxa doctrina pertinaciam, ardens ejus in se odium, machinationesque; & quid ipse pro defendenda veritate catholica, sanandoque Nestorio egerit. Sed & graphicè hujus Hæresiarchæ superbiam exhibet his verbis: *Se omnibus* (Episcopis) *sapientiorem existimat; se solum divinæ Scripturæ scopum attigisse, se solum Christi mysterium cognovisse opinatur . . . . : fastu tumens, insidiisque ac sedis potentia fretus, effecturum se arbitratur, ut & nos ipsi & reliqui omnes suæ sententiæ subscribamus.* His porrò consonat id, quod Basilius in supplicatione sua ait de eodem Nestorio: *Non Deum timet, nullum hominem veretur, nullum Episcopum veneratur, nullum sacerdotem aut clericum, aut sanctum monachum, aut religiosum laicum honorat; nullam pœnam inquis decretam formidat, nullam deque, &c.*

Col. 353.

Col. 340. & seq.

Col. 344.

Eod. Tom. Col. 429.

Suam ad Celestinum epistolam Cyrillus Romam misit per Possidonium diaconum, cui etiam testimonia ortho-

Col. 345.

Col. 341.

orthodoxorum Patrum à se collecta, homilias Nestorii, & eas, quas ad eum scripserat, epistolas tradidit ad Pontificem perferendas. Acceptis iis quæ ultrò citròque scripta & ad se transmissa fuerant, Celestinus Col. 396. Synodum suam convocavit, ex qua ad Nestorium scripsit epistolam apostolico vigore plenam, & qualem scribi decebat à supremo universalis Ecclesiæ Pastore, cui fratres in fide confirmandi munus à Domino commissum est. Quàm pauci essent cum Nestorio, qui tam de suorum multitudine insolente gloriabatur, ostendit his verbis: *Quo conscientia vivis, penè ab omnibus in hac civitate desertus?* Col. 356.

Col. 356. & seq. Postquam Nestorio prophanas novitates suas vehementer exprobavit, excommunicationem ipso facto incurrendam, nisi mox ad sanam redeat mentem, ei denunciat, & Hæresiarcharum exitium ob oculos ponit. Tum in fine epistolæ sententiam, per Cyrillum cui in hoc toto negotio vices suas committit intimandam, profert qua Nestorius, nisi intra decimam diem, à primo innotescentium ei harum litterarum die numerandam, perfidam novitatem deposuerit, atque aperta & scripta confessione damnaverit, declaratur, hoc ipso *ab universalis Ecclesiæ catholicæ communione dejectus, & ad omnia quæcumque sacerdotalis auctoritatis sunt, minimè idoneus*. Hæc autem postrema verba: *Et omnia quæcumque, &c.* quæ casu aliquo ex epistola ad Nestorium exciderunt, leguntur in sententia, qualis extat in calce epistolæ Col. 373. ab eodem Celestino ad clerum Constantinopolitanum eodem tempore scriptæ.

Hanc autem sententiam adversùs Nestorium à Celestino latam fuisse in Romana Synodo, præmisso expositionum Nestorii & epistolarum manu ipsius subscriEod. Tom. col. 380. ptarum sufficienti examine, testatur S. Cyrillus in sua ad Joannem Antiochenum de Nestorio epistola, in qua post quam Joannem admonuit, ab eadem Synodo ad ipsum, ad Juvenalem Hierosolymitanum, & ad Rufum Thessalonicensem, nonnullosque alios Macedoniæ Episcopos, de sententia, quam contra Nestorium tulit, litteras esse perscriptas, Joannis cum Nestorio amicitia non ignorans, & quæ postea evenerunt, quasi subodorans, sic eum alloquitur: *Jam tuæ pietatis fuerit, quid in rem futurum sit diligenter expendere. Nos enim sequemur, quæ illi judicaverunt. Veremur namque ne à tantorum communione excidamus*. Porrò si idem veritus fuisset Joannes Antiochenus, nefandi postea schismatis scelere se ipse non polluisset; sanctissimos Episcopos, imò & Oecumenicam Synodum excommunicare non tentasset: neque in tantùm veritatem catholicam, quàm ipse tenebat discrimen adduxisset. Sed ad rem nostram redeamus.

Celestinus itaque ex Romana Synodo, præter eam, quam ad Nestorium exaravit, epistolam ad notificandam sententiam contra illum latam, plures alias scripsit, datas eodem tempore, nempe die 11. Augusti anno 430. unam quidem, ut par est credere, Col. 349. communem ad Rufum Thessalonicensem, Flavianum Philipensem, Joannem Antiochenum, & Juvenalem Hierosolymitanum, cujus epistolæ exemplum Col. 376. Joanni Antiocheno inscriptum extat tom. 3. CC. & alias singulares duas, unam prolixam ad clerum & populum Constantinopolitanum; in quâ populum admonet, à Nestorio instauratam esse eandem illam Col. 364. & seq. impietatem, propter quam olim Paulus Samozatenus à catholicis sacerdotibus Antiochena sede dejectus est, adeòque sibi à falso pastore caveat, ejusque noxia pascua deviter: tum sermonem convertens ad clericos, consolatur eos, hortaturque ut in bono proposito constantes sint sanos confirment, curent saucios; nullas præterea & irritas esse declarat excommunicationis vel depositionis sententias à Nestorio ex quò hæresim suam prædicare cœpit latas; & sententiam contra illum in Synodo Romana prolatam, atque executioni per Cyrillum, cui in hoc negotio vices suas se delegasse significat, mandandam subjicit epistolæ suæ.

Altera epistola est ad Cyrillum, quem Celestinus, magnopere laudata priùs orthodoxa ejus doctrina, Eod. tom. col. 345. & eruditione, constantia, atque fortitudine in avita seq. & recta fide tuenda, prophanisque novitatibus oppugnandis, vicarium suum in Nestorii negotio constituit his verbis: *Nostra Sedis auctoritate adscita, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris, nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizat ..... illicò sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat .....*.

His Cyrillus litteris per Possidonium diaconum, cui præfatas omnes epistolas perferendas Celestinus tradiderat, acceptis, unà cum ea quæ Nestorio reddenda erat epistola, scripsit ad Joannem Antiochenum, & ad Juvenalem Hierosolymitanum; ad Juvenalem Col. 385. quidem, quem apprimè catholicum esse sciebat, ut in fidei defensionem zelum ejus accenderet, eumque que sibi in hoc negotio, laboranti Ecclesiæ Constantinopolitanæ subveniendi gratia, socium & adjutorem conciliaret: ad Joannem verò Nestorii amiCol. 377. cum, ut ei significaret Nestorium, postquam hæresim suam prædicarat, multoties, ut resipiscret, frustra admonitum, nullam excusationis causam habere posse; postquam ad stabiliendam impietatem suam nihil non molitus esset, nullam mereri indulgentiam; æquissimo Occidentalium Episcoporum, quibus omnes Macedoniæ Episcopi certo certiùs accessuri erant, decreto pariturum se, atque in exequendo judicio contra Nestorium *propter ipsam fidem, universasque orbis terrarum turbatas Ecclesias, & communem populi* (Christiani) *ædificationem* lato, Romano Pontifici obsecuturum.

Acceptas Celestini & Cyrilli litteras Joannes ad Eod. tom. Nestorium misit, propriasque adjunxit amicissimas, Col. 388. & ac simul animo verè catholico scriptas, in quibus salubria amico dat monita, ingentes, quas in Ecclesia excitavit turbas exprobrat; imminentis Ecclesiæ schismatis admonet; ad palinodiam in vitæ exemplo Theodori Mopsuesteni, qui admonitus, sibi expositione quadam excidisse aliquid, quod ipsi Nestorio & aliis audientibus non rectè dictum videbatur, non post multos dies generosè in medium progressus, id quod à se dictum fuerat, in gratiam Ecclesiæ, nihil quidquam veritus correxerat; orat, obtestaturque ut quoniam, ut fama est, germanum hujus vocis *Theotocos* sensum tenet & profitetur, non dedignetur confiteri vocem ipsam, quæ à multis sæpe Patribus usurpata, scripta, ac pronunciata est, à nullis verò unquam repudiata, aut impugnata, & quæ piam rectamque animis ingerit notionem; qua repudiata, in gravissimum errorem necessariò prolabimur, cùm hoc ipso *ineffabilem illam unigeniti Filii Dei* in incarnatione *œconomias abnegamus*; quia hoc ipso negamus, unigenitum Dei Filium salutis nostræ causa hominem esse factum.

Postquam autem Joannes breviter probavit, Verbum Deum ex solo Patre ab æterno secundùm divinitatem genitum, in tempore quoque secundùm carnem ex Virgine natum esse, hæc subjicit: *Quòd si Virgo à sanctis Patribus propter hanc generationem Deipara nominatur, ut verè hoc nomine ab illis nominatur, nescio quorsum attinuerit, ut quæstionem hanc nequaquam necessariam ... & contra nos ipsos, & contra ecclesiasticam pacem quoque, ut vides agitandam susceperimus. Etenim nulli nos periculo exponimus, si ea sentimus & loquimur, quæ Doctores in Ecclesia Dei celeberrimos sensisse & docuisse certo novimus*. Ex quibus liquet Joannem Antiochenum ab hæresi Nestorii alienissimum fuisse, eique opinionem hanc altè animo insedisse, quòd scilicet Nestorius quæstionem de voce tantùm movisset, adeòque non violatæ fidei, sed gravis solùm imprudentiæ reus esset. Qui error facti Joannem postea in detestandum schisma præcipitavit.

Dum in Nestorio ad sanam mentem revocando fru-

stra desudat Joannes, Cyrillus suæ diœceseos Synodum Alexandriæ celebrat, & ex ea ad Nestorium unà cum Celestini litteris mittit synodicam epistolam, in qua catholica de incarnatione doctrina exponitur duodecim capitulis, quibus subjiciuntur Anathematismi totidem, quæ Nestorius intra decimam diem, ab eo quo epistolas receperit die numerandam, jubetur scribere, sub pœna excommunicationis & depositionis hoc ipso incurrendæ vi sententiæ à Celestino in Synodo Romana latæ. Scripsit etiam Cyrillus duas alias epistolas, unam ad clerum & populum Constantinopolitanum, in qua, orthodoxa de incarnatione doctrina & Nestorii hæresi breviter proposita, admonet eos ut avitam fidem constanter retinentes, *nullum prorsus commercium cum Nestorio habeant, nec aures illi accommodent, si pro pastore lupus esse perrexerit; & post admonitionem ad illum destinatam, perversa sapere non desisterit*. Alteram verò Archimandritas Constantinopolitanos, quos adhortatur, ut pro catholica fide viriliter decertare pergant, & certiores facit de hac ultima admonitione Nestorio facta, & pœnis ab eo incurrendis, ni intra tempus præscriptum paruerit, *& rectam tandem inculpatamque catholica Ecclesiæ fidem voluerit agnoscere*.

Eod. tom. Col. 396. & seq.

Col. 420. & 21.

Col. 420. & 24.

Nestorius acceptis Celestini & Cyrilli litteris, non modò non paruit, sed etiam impietatem impietate cumulans, Alexandrinæ Synodi anathematismis insanos alios anathematismos duodecim opposuit, quibus hæresim suam verbis involvens, anathematizavit doctrinam catholicam. Præterea furens in Cyrillum, novis cum calumniis aggressus est apud Imperatorem, ita ut circumventus Imperator graviter commotus fuerit adversùs sanctissimum Antistitem, ut ostendit epistola illa quam postquam Synodi Romanæ & Alexandrinæ litteris conventus est Nestorius, ad Cyrillum scripsit Theodosius, & quæ incipit, *Pietate quidem*.

Col. 433. & 36.

Ex hac autem epistola apparet, Cyrillum apud Imperatorem à suis calumniatoribus infamatum fuisse, ut hominem rixosum, audacem, imperiosum, vanæ gloriæ aucupem, & auctorem turbarum illarum, quas tamen non ipse, sed impius & contumax novator Nestorius excitarat in Ecclesia Constantinopolitana. Item Cyrillo crimini datum esse, quòd inconsulto Imperatore, & sine generali Concilio, doctrinam Nestorii ut hæreticam damnare præsumeret. Item Nestorianæ novitatis fautores questos esse, Nestorium inauditum, vel saltem sine sufficienti & debita veritatis disquisitione condemnatum Cyrillumque non pro catholica veritate defendenda, sed pro tuenda privata opinione, eatenùs acerbè inconsultèque gessisse omnia. Item Imperatori suggestum esse, si generalis convocaretur Synodus, ad eam Cyrillum minimè venturum, nec aufurum in ea cum adversario congredi. Denique Cyrilli adversarios apud Imperatorem nihil non molitos esse, ut Cyrillum perderent, sed eorum conatibus obstitisse clementiam & religionem principis.

Lib. 1, hi. Eccl. c. 5.

Narrat Evagrius Cyrillum, cùm persensisset Nestorium neque suis, neque Celestini litteris acquiescere, sed nihil veritum adversùs universam Ecclesiam proprium virus evomere, periisse à Theodosio ut ejus mandato Synodus Ephesi congregaretur, sicque Theodosium, Cyrillo postulante, missis quaquaversum imperialibus litteris Ephesinam Synodum convocasse. At hanc Evagrii narrationem falsitatis apertè convincit tota illa Theodosii ad Cyrillum epistola modò citata, quæ, quod notandum est, à Theodosio unà cum encyclica illa, qua Episcopos ad conventum generalem invitabat, missa est ad Cyrillum; & sub finem hæc habet: *Quamobrem & tuam quoque reverentiam ad tempus, quod aliis litteris ad universos Metropolitanos Episcopos missis significatur, præsto adesse oportebit: neque prius nostram amicitiam te recuperaturum confidas, quàm omni turbatione & animorum ægritudine sedata, ad propositarum quæstionum discussionem ultro accurreris*. Sicne, obsecro, Imperator alloqueretur hominem, quo petente convocaret Synodum generalem?

Tom. 3. Conc. col. 436.

Constatinopolitanis igitur orthodoxis enixè expectantibus, ut patet ex supplicatione Basilii diaconi, & ipso, ut par est credere, Nestorio, qui apud Imperatorem per se, vel suos Cyrillum reformidare generalem Synodum mentitus fuerat, appellante œcumenicum Concilium, Theodosius animadvertens nullum aliud superesse medium exortas in Ecclesia turbas sedandi, encyclicas scripsit litteras ad omnes orbis christiani Episcopos, quarum litterarum extat exemplar, inscriptum Cyrillo & Metropolitanis diœcesis Ægyptiæ, & datæ leguntur XIII. Cal. Decembr. anno 430. His autem litteris jubentur convenire Ephesum post Pascha insequentis anni 431. & sacros Pentecostes die Concilium auspicari. Hanc porrò Ephesini Concilii convocationem à Theodosio factam, ratam habuit Celestinus, ut constat ex ejus ad Theodosium epistola, in qua, laudata illius circa fidei catholicæ defensionem sollicitudine, sic ait: *Huic Synodo, quam esse jussisti, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus, pietatem vestram sub divini obsecrantes obtestatione judicii, ne quid turbidæ novitati licere vestra mansuetudo permittat*.

Tom. 3. Conc. col. 346.

Tom. 3. Conc. col. 619. & 20.

ARTICULUS VII.

De Synodo Ephesina, à qua Nestorius damnatus est.

§. I.

Tom. 3. Conc. col. 436.

ANno igitur 430. Theodosius Imperator, turbas in Ecclesia excitatas, aliter quàm per generalem Synodum sedari non posse ratus, encyclicas mittit litteras ad omnes orbis christiani Episcopos, die 19. Novembris datas, quibus jubet Episcopis, ut anno proximè sequenti post festum Paschæ, quod eo anno incidit in 19. Aprilis, Ephesum conveniant, Synodum ipso Pentecostes die, qui fuit Junii 7. auspicaturi.

Socr. lib. 7. c. 34. Evagr. lib. 1. cap 3. Relat. Synodi tom. 3. Conc. col. 567. Eod. tom. col. 444. Epist. Cyrilli eod. tom. col. 562.

Primus Ephesum advenit Nestorius cum ingenti promiscuæ plebis multitudine, & aliquanto post cum Cyrillus cum Episcopis, quos ex diœcesi sua elegerat; cæteri etiam maturè adfuerunt Episcopi; solus Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus ad constitutum diem non adfuit. Cùm autem ab eo accepissent Cyrillus litteras, quibus itineris longitudinem & molestias causabatur, & asserebat, & se cum suis intra paucos dies adfuturum, placuit Cyrillo præstolari adventum ejus, reclamantibus reliquis Episcopis, & asserentibus *illum confessui interesse non velle, quòd metueret ne fortè Nestorius, qui ex illius Ecclesia assumptus fuerat, loco suo moveretur; quæ res ipsi fortasse justum pudorem incuteret*. Sed quidni dicatur etiam Joannes amici damnationi & exauctorationi interesse noluisse?

Ibid.

Diebus quindecim ultra præstitutam Synodo diem elapsis, & præmissis à Joanne cunctante aliquot Episcopis, qui ejus nomine Patres hortarentur, ut ne ipsum præstolarentur amplius, Synodus die 22. Junii anno 431. cœpta est, & septem actionibus seu sessionibus absoluta. Pridie autem illius diei, quo primus consessus habitus est, à Patribus destinati sunt ad Nestorium aliquot Episcopi, qui eum invitarent ad Synodum, quibusque unum hoc responsum dedit: *Rem perpendam; & si ita visum fuerit, adero*.

Relat. Synodi eod. tom. Col. 570.

Ibid.

In magna igitur Ecclesia, quæ appellabatur Maria, Patres præfato die congregati, sanctis Evangeliis, quæ ipsum Christum præsentem monstrabant, in throno, qui medium locum obtinebat, propositis, primam suam celebrarunt sessionem, Cyrillo Celestini locum tenente, & præsidente. In hac autem prima, 1. lectæ sunt Imperatoris litteræ, quibus indicta fuerat Synodus generalis. 2. Declaratum est, satis superque expectatum esse Joannis & Episcoporum ejus adventum. 3. Episcopi quinque, qui

Eod Tom. col. 445. & seq.

pridie

pridie ad Nestorium delegati fuerant, ejus & sex aut septem Episcoporum, qui cum illo erant, responsum retulerunt Synodo. 4. Episcopi alii ad Nestorium, cujus ædes vallabant milites fustibus armati, secundò ac tertiò destinati à Synodo, aliud ab eo responsum non referunt, quàm cùm Episcopi omnes convenerint, tum ipsum quoque adfuturum. 6. Legitur symbolum Nicænum, deinde secunda Cyrilli ad Nestorium epistola, quæ incipit, *Intelligo*, in qua exponitur incarnationis mysterium: tum lectam epistolam Episcopi omnes comprobant, & symbolo Nicæno planè consonam esse declarant, atque ut talem suscipiunt.

7. Legitur secunda Nestorii ad Cyrillum epistola, quæ incipit, *Admirabilium*; & postquam à plurimis seorsùm ut symbolo Nicæno dissona reprobata est, omnes simul Episcopi exclamant: *Omnes Nestorii epistolam & dogma anathematizamus; omnes hæreticum Nestorium anathematizamus, &c.* Deinde leguntur duæ aliæ epistolæ, una Celestini ad Nestorium, quæ incipit, *Aliquantis*, & altera ad eundem Cyrilli & Synodi Alexandrinæ, cujus initium est, *Cum Salvator*, & in acta referuntur.

8. Episcopi, quos Alexandrina Synodus ad Nestorium delegaverat, interrogati, respondent, præfatam à se epistolam redditam fuisse Nestorio, eumque, accepta epistola, *publicè pro concione, eadem quæ ante, & his quoque deteriora dogmata proposuisse*. Tum rogati Theodotus & Acacius Episcopi, qui aliquot ante hunc conventum diebus cum Nestorio de orthodoxa fide disputarant, edisserunt quod ex ore illius audierint, & blasphemias enarrant.

9. Leguntur & actis inseruntur textus aliquot orthodoxorum Patrum, cum aliquot capitibus excerptis ex quaternionibus Nestorii, & epistola, quam Capreolus ad Synodum scripserat, & per Besulam diaconum miserat. Significabat autem Synodo Capreolus, litteras Imperatoris Augustinum, quem nominatim invitabant, è vivis sublatum comperisse; nullos ex Africa Episcopos mitti potuisse, tum quòd seriùs adveniissent Imperatoris litteræ (eas enim tantùm in diebus Paschatis acceperant) tum quòd Barbarorum incursionibus viæ omnes essent infestæ; denique velle se, antiqua fidei dogmata confirmari, nova verò, & absurdè excogitata reprobari ac proscribi.

10. Denique de communi omnium, qui aderant, Patrum suffragio profertur contra Nestorium sententia, qua Synodus eum *Episcopali dignitate privatum, & ab universo sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definit*. Subscripsere plures quàm ducenti Episcopi. Quanto autem plausu & gratulatione hoc Synodi decretum exceperit populus Ephesinus, exponit Cyrillus in prima sua ad clerum populumque Alexandrinum ea de re epistola, ubi sic ait: *Universus verè civitatis populus à primo diei ortu ad vesperam sanctæ Synodi judicium præstolabatur. Ut autem auditum est, illum blasphemiarum auctorem sua dignitate privatum esse, omnes una voce sanctam Synodum laudare, Deumque glorificare cœperunt, quoniam fidei hostis concidisset: nos quoque, ubi primùm ex Ecclesia egressi fuimus, cum facibus & tædis usque ad diversorium deduxerunt: erat enim vespera: multaque passim lætitia, multa etiam luminaria accensa, ita ut mulieres quoque thuribula gestantes antecederent nos.*

Col. 533. Col. 544.

Col. 549. Postridie ad Nestorium lata contra eum depositionis sententia missa est à Synodo, & ea de re clericos œconomos Ecclesiæ Constantinop. certiores fecit per epistolam ad eos eodem die scriptam. Antequam autem commentarii rerum in depositione Nestorii gestarum perscribi, & relatio ad Imperatorem à Synodo mitti potuerit, Candidianus comes, quem Imperator ad curandam Synodum miserat Ephesum, Nestorio addictus, ad dictum Imperatorem relationem scripsit plenam calumniis adversùs Synodum. Suam quoque Nestorius à decem, quos secum habebat, Episcopis subscriptam misit revelationem ut

Col. 563. Col. 591. Bad. col. & seq.

qua mentitur vim ac injuriam sibi à Memnone Ephesino Episcopo illatam esse, mortemque ab Ephesinis civibus intentari, & de Synodi Patribus conqueritur, quòd Orientalium Episcoporum adventum expectare noluerint. Non multò pòst Cyrillus, cùm audivisset ad Imperatorem à Candidiano missas esse relationes, privatam ad quosdam de clero Constantinopolitano scripsit epistolam, in qua res gestas summatim enarrat, & monet acta synodalia cum relatione quantociùs missum iri à Synodo, nisi tamen à Candidiano impediatur.

Col. 549.

§. II.

Quinto die post significatam Nestorio depositionis sententiam, adeòque die 28. Junii, Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus Ephesum advenit. Erant cum Joanne Episcopi ex Orientali diœcesi viginti duo, ut ait Nicephorus, lib. 14. histor. Eccl. cap. 35. quibus statim sese adjunxere sex, aut septem, quos secum habebat Nestorius, cum aliis duodecim, ex quibus postmodùm aliqui, cùm Nestorium *suas blasphemias retegentem comperissent, ab eo desciverunt, ac sanctæ Synodo se adjunxerunt*: ita ut *apud Nestorium & Joannem Antiochenum triginta septem, paulò plures*, Episcopi postmodùm remanserint. *Quorum major pars, quod criminibus* essent *obnoxii, & sanctæ Synodi sententiam* vererentur, *Nestorii factioni sese addixerunt. Alii ex his dogmatum pravitate fœdati, utpotè Pelagiani, quidam ante multos annos gradu moti* erant: *nonnulli quoque ob alias graves culpas post probationem mulctandi à Synodo*. Ita Synodi ad Imperatorem relatio missa per Palladium Magistrianum, in qua obiter observamus Synodum graviter conqueri de Irenæo comite, qui Nestorium privati tantùm officii gratia Ephesum sequi permissus fuerat, quemque ait, seditiones excitando, plures ex orthodoxis Episcopis in vitæ discrimen adduxisse.

Evag. lib. 1. hist. c. 5.

Tom. 3. Conc. col. 750.

Simul atque Joannes pervenit ad diversorium, antequam pulverem ex itinere contractum excussisset, cum suis Orientalibus, & aliis, qui ad eum convenere, Episcopis, latrocinalem furtim agere Synodum aggressus est, in qua auditis primùm comitis Candidiani mendaciis, & in legitimam Synodum calumniis, lectis deinde Imperatoris litteris, & Candidiano digresso, iis qui aderant annuentibus, *præter omnem Ecclesiasticum ordinem, præterque canones*, protulit sententiam contra Cyrillum & Memnonem, *cum nemo illos antea apud eos accusasset, neque accusatorem expectassent, nec ad judicium vocassent*, & contra Synodum universam.

Col. 590. 655. 663.

Hac sua sententia Joannes Episcopatu abdicabat Cyrillum & Memnonem, *ut qui in causa* fuissent, *ut Patrum canones conculcarentur, Imperatorum decreta contemnerentur, omniaque confusione & turbis miscerentur, ac totius sceleris auctores & duces* extitissent; (quod sanctissimis Episcopis, & de orthodoxa fide optimè meritis imputabat per insignem calumniam, sibi jure merito imputare poterat;) reliquos omnes, hoc est, universam Synodum, proh nefas! excommunicabat, ut *qui seditiosè & iniquè contra Ecclesiasticas sanctiones, regiaque decreta agentibus* consensissent; excommunicabat, inquam, *donec agnita culpa sua* resipiscerent, *fidemque à sanctis Patribus in Nicæna civitate congregatis expositam* susciperent, *nihil illi extraneum, aut peregrinum attexentes* (quasi verò quod contra Nestorium definitum erat, Nicænæ fidei extraneum, aut peregrinum esset;) *capita præterea hæretica à Cyrillo Alexandrino exposita* (volebant enim schismatici capitula illa cum Apollinarii, & Eunomii, Arii perversa doctrina congruere) ut *& Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ apertè* repugnantia anathematizarent, &c. Quadraginta tres subscripsere Episcopi, si actis conciliabuli credimus. Clandestino tamen huic conventiculo triginta tantùm Episcopos interfuisse refert Synodus in suis ad Imperatorem & Celestinum relationibus.

Col. 598.

Demus, tunc fuisse cum Joanne Episcopos quadraginta

ginta tres: at erat cum Cyrillo & Memnone Episcopi supra ducentos, & paucis post latrocinalem hanc Joannis Synodum diebus fuere etiam tres legati Sedis Apostolicæ, & per illos Occidentales Episcopi omnes cum in ipso Summo Pontifice. Unde rectissimè sic ajebat Synodus, legitima in sua ad Imperatorem de Orientalibus relatione, scripta decimo sesto, aut decimo quinto Calendas Augusti: *Perabsurdum*
Col. 658. *est, ducentorum & decem sanctorum Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero sese opponere.*

Joannes alto suis de patrato facinore imperato silentio, ne quid Episcopi, quibus parabat perniciem,
Col. 692. & seq. olfacerent, donec ipse animos occuparet Constantinopoli, nulla interposita mora ad Imperatorem, ad Reginas, ad clerum, ad populum, & ad Senatum Constantinopolitanum scripsit epistolas, plenas mendaciis & calumniis adversùs legitimam Synodum, quibus epistolis nunciabat à sua Synodo Cyrillum & Memnonem exauctoratos esse, cæteros verò Episcopos, illis adhærentes, excommunicatos, donec Capitula Cyrilli, ut Apollinarii, Eunomii, & Arii perversis dogmatibus plena abjicerent, & anathematizarent, ac Cyrillo & Memnone desertis, ad eum accederent, communiter cum eo & ejus Episcopis consensum celebraturi. Unde de sententia, quam clandestinè tulerat, & quam apud se in latebris reconditam servabat, per inaudita sycophantiam loquebatur, ut de publicè & juridicè lata, atque damnatis intimata.

§. III.

Dum hæc contra sanctam Synodum, & duces ac promotores ejus nequiter molitur Joannes Antiochenus, Ephesum adveniunt tres Sedis Apostolicæ legati,
Col. 610. & seq. Arcadius & Projectus Episcopi, ac Philippus presbyter, cum litteris Celestini, una scilicet ad Ephesinam Synodum, altera ad Imperatorem Theodosium, & tertia ad Cyrillum, qui postquam encyclias Imperatoris litteras accepisset, & antequam Ephesum proficisceretur, cum de Nestorio per epistolam consuluerat, quærendo nempe utrùm Nestorius, cùm jam esset excommunicatus & depositus, etiamsi falsa dogmata à se prædicata damnaret, recipi deberet à Synodo? ad quod respondebat Pontifex recipiendum. *Studeo*, in-
Col. 620. quiebat, *quieti catholicæ, studeo pereuntis saluti; si tamen voluerit ægritudinem confiteri.*

Cùm itaque advenissent Sedis Apostolicæ legati, Synodi Ephesinæ actio secunda celebrata est die 10. Julii in episcopali æde Memnonis. Postulantibus legatis, lecta est Celestini ad Synodum epistola, in qua Celestinus ait, Spiritum sanctum specialiter assistere Synodis Episcoporum, præsertim generalibus, & munus docendi à Christo Apostolis impositum, ab Apostolis transisse ad Episcopos eorum successores, cum gravi
Col. 625. obligatione orthodoxam fidem tuendi, adeòque novitatem omnem proscribendi. Tum controversiæ & Nestorii impietatis pravitatem sic exponit: *Fides, quæ est una, pulsatur: doleat, imo, & lugeat hoc nobiscum in commune omne collegium. Vocatur in judicium, qui judicaturus est mundum; discutitur, qui discussurus est omnes; & calumniam patitur, qui redemit.* Denique postquam Synodum ad catholicæ veritatis defensionem vehementer adhortatus est, significat se legatos suos misisse, ut iis, quæ agentur, interfint, & quæ antea per suam ad Nestorium epistolam circa ipsum statuerat, exequantur. Lectæ Celestini epistolæ simul acclamarunt omnes Episcopi, & Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, totius Synodi nomine, juxta formam à Celestino præscriptam, Nestorium in prima actione damnatum & depositum fuisse declarayit legatis Apostolicis, quibus postulantibus, sibi pri-
Col. 622. mæ actionis acta synodalia communicari, coram lecta sunt hæc acta, ipsique legatis tradita, ut patet ex initio actionis tertiæ.

Postero die Julii 11. ad eundem locum conveniens sancta Synodus, actionem tertiam celebravit, in qua 1. ex legatorum postulatu rursus lecta sunt Synodalia contra Nestorium acta. 2. Lectis actis illis, legati singillatim, primus quidem Philippus, tum Arcadius & Projectus, contra Nestorium sententiam protulere, & judicium à Synodo adversùs eundem in actione prima prolatum confirmavere, *supplentes locum Sedis Apostolicæ, totiusque Synodi Occidentalium Episcoporum.* 3. Iidem legati, rogante Synodo, præfatis actis subscripserunt eodem ordine, quo sententiam adversùs Nestorium protulerant; ex quo facto rectè conjicitur, Philippum presbyterum fuisse legatum à latere Pontificis, Arcadium verò & Projectum Occidentalis Synodi, cui præerat ipse Pontifex, adeòque ipsiusmet Pontificis sub hac ratione legatos: ita ut Philippus Pontificem specialiter, Arcadius verò & Projectus Pontificem & alios Occidentis Episcopos communiter repræsentarent. Col. 623. & seq.

Mirum igitur videri non debet, quòd ad prædicandam Romani Pontificis prærogativam intentum præ cæteris animum habuerit Philippus, & sententiæ contra Nestorium à se proferendæ his verbis præluserit:
Col. 626. *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quòd sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps & caput fideique columna, & Ecclesiæ catholicæ fundamentum, à Domino nostro Jesu Christo ... claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, & semper in suis successoribus vivit, & judicium exercet.*

De rebus actione tertia gestis clerum populumque Constantinopolitanum Synodus certiorem fecit per epistolam, & ad Imperatorem misit relationem, in qua dicitur, 1. A Celestino celebratam fuisse frequentissimam Synodum Episcoporum Occidentalium, qui eandem quam ipsa Synodus Ephesina, *de fide sententiam magno consensu prædicarunt, eosque qui diversa sentiunt, ab omni prorsus sacerdotii sorte, graduque alienos esse definierunt.* 2. Ex Occidente venisse legatos, Col. 630. Col. 631. qui Romani Pontificis & Occidentalis Synodi vices agerent. 3. Ab his legatis nomine & auctoritate Romani Pontificis & Synodi Occidentalis, sententiam, Ephesi adversùs Nestorium in actione prima latam, confirmatam & subscriptam fuisse. Et sic tandem negotium ad eum perductum esse finem, quem Imperator exoptaverat, & intenderat, generalem orbis christiani Synodum convocando; cùm post legatorum Occidentis adventum, eorumque consensum & subscriptionem, sententia Ephesi contra Nestorium lata, non possit non censeri totius orbis christiani sententia, non obstante paucorum illorum, qui Nestorii amicitiam pietate seu orthodoxa fide potiorem ducunt, contradictione. Quare Imperatorem supplicat Synodus, ut idoneum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum ordinare sibi liceat, eoque ordinato, omnibus Episcopis ad suos redeundi facultas concedatur.

Sub id temporis, quo hæc scripta sunt à sancta Synodo, Joannes sententiam à se in clandestina Synodo latam promulgavit, eam theatri parietibus affigendo. Quamobrem orthodoxis Episcopis in Ecclesiam, Col. 663. quæ Maria appellabatur, convenientibus, acta est sessio quarta die 16. Julii. In hac sessione, 1. legitur Col. 635. oblatus à Cyrillo & Memnone supplex libellus, in quo sic loquebatur: *Nescimus quomodo (si tamen quæ vulgò feruntur, certa veritate nituntur) omni Ecclesiastica lege proculcata, omnique Ecclesiarum ordine & regula per injuriam violata* (Sed enim Alexandrina superior erat Antiochena) *impiam illegitimamque chartam concinnavit* (Joannes) *ratusque depositionis titulo ferire nos posse, intolerabili contumelia affecit.* 2. Per Episcopos semel atque iterum citatur Joannes Antiochenus, qui ne uno quidem verbo dignatur nuncios prima vice; secunda verò remittit cum hoc re-
Col. 639. & seq. sponso per clericos suos dato: *Nos hominibus per nos depositis & excommunicatis responsum nullum damus.* Episcopis autem interrogantibus, à quo exauctorati & excommunicati fuerint, respondetur, exauctoratos & excommunicatos fuisse à Joanne Antiocheno, adduntque clerici, se vel coram tabellionibus hæc Col. 638.

dicere

Col. 646. dicere paratos esse. 3. Synodus ea quæ contra Cyrillum, & Memnonem à Joanne gesta sunt, nulla & irrita esse declarat, nec ullum eis præjudicium afferre
Col. 646. posse, *cum hæc nunquam habuerint robur, nec canonica sint ratione transacta*. Quod idem iterùm declaravit actione quinta in sententia contra Joannem Antiochenum & ejus gregarios lata.

Postera die Julii 17. Synodus in eadem Ecclesia quintam celebravit actionem. In ea 1. postulante Cyrillo: ut Joannes citaretur tertiò, & ni Synodo pareret, sine
Col. 648. 650. dilatione condemnaretur, tres ad Joannem destinati sunt Episcopi, cum charta, qua Synodus eum & ejus contumaciæ socios Episcopos suspendebat ab omni functione episcopali, donec parerent, & venirent, atque hoc ni facerent, hac tertia vice vocari, in eos quæ à canonibus statuta erant, decretum iri denunciabatur. 2. Contra Joannem & Episcopos ipsi adhærentes, qui nominantur numero 34. & inter quos reperiuntur Theodoretus Cyri Episcopus & Julianus tunc
Col. 654. temporis Pelagianorum coriphæus, in contumacia perstantes, Synodus tandem excommunicationis protulit sententiam, in qua dicebatur: *Ab Ecclesiastica communione alieni sint, nullam habentes facultatem tanquam ex auctoritate sacerdotali; qua aliquibus vel detrimentum vel adjumentum afferre queant; donec se ipsos condemnantes, proprium delictum confiteantur; id interim pro certo habentes, nisi celeriter hoc præstiterint, fore ut perfectam sententiam* (hoc est, sententiam depositionis & abdicationis) *juxta canonum decreta incurrant*.

Abdicationis pœnam, qua Cyrillum & Memnonem
Col. 666. mulctare Joannes temerè tentarat, Joanni ipsi justissimè legitimèque infligere poterat Synodus, ut ipsa ait in sua ad Celestinum narratione. At quò Joannis temeritatem longanimitate vinceret, hoc Summi Pontificis judicio reservare maluit, interim illum cum suis excommunicationi subjiciens, omnique sacerdotali potestate exuens, ita ut nullum suis sententiis lædere possent. Cujus severitatis hanc reddit rationem Synodus: *Quomodo enim necessarium non erat, ut illos qui tanta insolentia & feritate, canonumque contemptu, res adeò absurdas, & atrocissimas aggredi consueverunt, vel invitos nocendi potestate privaremus?* Ea fuit Synodi moderatio erga schismaticos contumaces, & jura omnia proculcantes, ut non nisi ægerrimè in eos etiam tertio admonitos sævierit, nec quantùm poterat juxtè & legitimè, sed solùm quantùm exigebat urgens necessitas, sævierit. Sic violenter à schismaticis & hæreticis, veritatis autem catholicæ defensoribus temperatè fieri solent omnia.

Col. 655. 658. Synodus ad Imperatorem scripsit epistolam, quâ de iis quæ hac quinta & quarta actione gesta fuerant, certior fieret. In sua illa epistola graviter expostulat Synodus de temeritate & audacia episcoporum schismaticorum, & eorum antesignani Joannis Antiocheni, rogatque ne paucorum hominum criminibus obnoxiorum conventiculum Synodus esse judicetur, pro quo allegat factum Constantini Magni, qui Episcopos sese Nicææ à trecentis decem & octo Patribus, quia pœnas ab illis irrogandas verrebantur, separantes, Synodi loco non habuit, sed meritas ob schisma subire pœnas jussit. Item allegat numerum suum, nempe ducentorum & decem Episcoporum, quibus & universa Occidentalium Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, cui Episcoporum multitudini triginta numero Episcopos (ait Synodus) sese opponere perabsurdum est.

Col. 659. Ad Celestinum quoque Synodus misit relationem, in qua omnia quæ ab exordio ad illud usque tempus gesta fuerant, accuratè narrantur. Ibidem quod obiter observo, hæc leguntur: *Porro autem perlectis in*
Col. 666. *sancta Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Celestianorum, Celestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis sentientium, quæ à pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos, ea solida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes*. Ex quibus verbis constat Pelagianos, qui à Sedis Apostolicæ Sententia appellaverant ad Concilium generale, à generali Ephesina Synodo condemnatos fuisse, quod post legatorum Apostolicorum adventum actione secunda vel potiùs tertia factum esse, facilè credimus.

Die 22. Julii celebrata est in Episcopali domo Synodi actio sexta, in qua lectus est supplex libellus, à Col. 674. & seq. Charisio presbytero & Philadelphiæ œconomo exhibitus contra Jacobum quendam presbyterum Nestorianum, qui cum litteris Anastasii & Photii presbyterorum, quorum uterque Nestorio ejusque impio dogmati additus erat, commendatitiis, Constantinopoli Philadelphiam venerat, hæreticos quosdam, qui sincerè cupiebant ad orthodoxam fidem redire, partim è Quartodecimanis, partim è Novatianis Nestorianos fecerat, proposito illis Theodori Mopsuesteni symbolo, quo asseruntur in Christo duo suppositi, morali tantùm unione conjuncta, eisque ad illud recipiendum & subscribendum inductis. Item lectum est hoc Theodori symbolum cum subscriptionibus Quartodecimanorum & Novatianorum illorum, quos deceperat Jacobus.

Demùm sancta Synodus, 1. sub pœna depositionis Col. 690. pro Episcopis & aliis clericis, excommunicationis verò pro laicis prohibet privatis quibuslibet, ne præter Nicænum symbolum, quod in hac sessione ante omnia relectum fuerat, aliud componant, aut proferant vel offerant converti volentibus ad agnitionem veritatis. 2. Iisdem pœnis respectivè subjicit eos omnes, qui inventi fuerint sive sentire, sive docere ea quæ continentur in oblata expositione à Charisio presbytero, hoc est, in præfato Theodori symbolo, de unigeniti Filii Dei incarnatione, sive scelerata, & perversa Nestorii dogmata.

Septima denique & ultima sessio habita est die 31. Col. 787. Augusti in Ecclesia, quæ vocabatur Maria. In hac autem sessione, inter alia, quæ ibi gesta fuerunt, nec ad institutum nostrum ullatenùs attinent, editi sunt canones sex, quibus communi Ecclesiæ bono provi- Col. 824. 805. sum est contra Episcopos & alios clericos, qui vel ad schismaticos deficerent; vel Pelagii aut Nestorii hæresim sive privatim tenerent, sive publicè profiterentur; vel ea quæ Ephesi à sancta Synodo gesta fuerant, infirmare conarentur; vel clericos rectè sentientes vexarent; vel denique facinorosos, sive ab ipsa Synodo, sive à propriis Episcopis condemnatos, Nestorianæ impietati consentientes restituere tentarant, aut tentaturi erant. His autem canonibus præfixa fuit brevis ad orbis christiani Episcopos epistola, qua admonebantur sententiæ latæ contra Joannem Antiochenum, Col. 802. & alios 34. Episcopos, ibi nominatim expressos, qui cum illo adversùs Synodum Ephesi rebellaverant. Sed ad hæc quæ post quintam & sextam actionem contigerunt, redeamus.

§. IV.

Candidiani comitis, qui plenam, ut jam dictum est, adversùs sanctam Synodum mendaciis & calumniis relationem miserat ad Imperatorem, & impediverat ne quid litterarum à Synodo ad eum perveniret, malis artibus deceptus Imperator, Ephesum misit Pallad. Col. 703. dium Magistrianum cum imperialibus litteris, datis tertio Calendas Julii, hoc est, die Junii vigesima nona, quibus jubantur Episcopi ibi congregati, omnibus quæ gesta fuerant, rescissis, de integro fidei controversiam discutere, de eaque communiter sententiam ferre.

Hisce litteris à Palladio utrique parti redditis, adu- Col. 706 & seq. latorias ad Imperatorem rescripsere schismatici litteras, in quibus mentiebantur enormiter; Cyrillo Arii, Eunomii, & Apollinarii dogmata impingebant, eique & aliis orthodoxis Episcopis crimini dabant, quòd Nestorium abdicassent; suum in fidem orthodoxam venditabant studium, & adversarios ut novatores traducebant; postulabant, ut in instituenda fidei discussione duo tantùm Episcopi cuilibet Metropolitano adessent, & hac postulatione vellent nollent, confitebantur paucitatem suam, qua non obstante, sese legitimam &

gene-

generalem Synodum faciebant impudenter, atque ut illum suum exiguum numerum quoquo modo compensarent, virtutem suam & doctrinam extolebant, Episcopos verò catholicæ veritatis defensores deprimebant, ut *hominum turbam divinorum dogmatum nesciam, & ad tumultus seditionesque natam:* denique conquesti de vi sibi allata à plebe Memnoni addicta, rogabant, ut Memnon urbe pelleretur. Rogabant autem, quia à populo Ephesino Memnonis studiosissimo prohibebantur ab ingressu omnium Ecclesiarum, nec nefarium quod meditabantur Concilium (hominem enim factionis suæ in Sedem Ephesinam volebant intrudere) exequi se posse sperabant, quandiu Memnon in urbe maneret.

Col. 746. & seq. Ipsa quoque Synodus ad Imperatorem rescripsit per eundem Palladium. In sua autem epistola graviter conquerebatur de Candidiano Comite, qui Nestorii amicitiam pietati anteponens, aures principis præoccupare festinaverat, priusquàm exactè, quæ gesta erant, intelligere posset ex actis synodalibus; imò studium omne & auxilium impendens Nestorio, ipsam Synodum prohibebat, ne quæ pia ratione præstiterat, principi indicaret & exponeret. Quare rogabat Synodus Imperatorem, ut Candidianum ad se accerseret cùm quinque viris è Synodo, qui Candidiani mendacia & calumnias revincere coràm possent, suamque majestatem de omnibus & singulis, quæ statuta fuerant, plenissimè edocere. Huic epistolæ pauci subscripsere Episcopi, festinante de industria Palladio, in quo non erat Synodus majorem, quàm in Candidiano, expertura probitatem & fidem.

Porrò hæc Synodi ad Imperatorem epistola mendosè legitur data Calendis Julii: posteriùs enim scriptam fuisse, apparet ex eo, quòd in illa dicunt Epis-
Col. 750. copi: *Sanè qui in confessu canonicam depositionis sententiam contrà Nestorium hæreticum tulimus, ducenti & eo ampliùs numeramur, ex toto terrarum orbe collecti, totumque Occidentem nobis consentientem habentes.* Jam igitur legati Apostolicæ Sedis advenerant, & acta synodalia relicta subscriptione sua confirmaverant, quando scripta est hæc epistola, adeòque post quintum Idus Julias scriptam fuisse necesse est.

Col. 751. Litteras Synodi Palladius non reddidit Imperatori. Prætera Nestorii amici, quique ei debebant omnia, omnia navigia, & vias omnes publicas obsidentes, neminem prorsùs à sancta Synodo Constantinopolim venire, neque Constantinopoli rursum ad Synodum abire permittebant, dum interea quæ in rem erant Nestorio & schismaticis, liberè ultrò citròque deferebantur. Quare Synodi Patres quò se converterent incerti consiliique inopes, litteras ad Episcopos & monachos Constantinopoli degentes præscriptas, in quibus rei veritatem exponebant, commiserunt homini mendico, qui eas arundine inclusit, & vicatim mendicando, delusa Nestorianorum industria, Constantinopolim detulit.

Hisce litteris acceptis, omnes confestim Archimandritæ è monasteriis egressi ad regiam contendunt, stipante eos monachorum hymnos psalmosque alternatim concinentium caterva, quam sequebatur magna orthodoxorum multitudo. Ubi ad Palatium perventum est, ad Imperatorem acciti Archimandritæ ingrediuntur, plebe cum monachis foris manente.

Illos inter Archimandritas eminebat Dalmatius, vir eximiæ fidei & sanctitatis, qui toto quadraginta & octo annos extra monasterii sui septa pedem non extulerat, quamvis, ut exiret, & publicis supplicationibus, quæ propter frequentes terræ motus fiebant, interesset, sæpe rogatus ab Imperatore, qui eum reverebatur propter sanctitatem eximiam, & identidem invisebat. Verùm cùm hac in re quid facto opus esset, Dalmatius Deum orando consuleret, vox cœlitùs ad eum delapsa, ut egrederetur, imperavit.

Col. 754. Dalmatius itaque Imperatorem sic primùm allocutus est coram omnibus: *Sex millia ne Episcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium?* Dein cum eo secedens, acceptas litteras legit, omniaque ex ordine narravit; quibus auditis Imperator persuasus est, & lætus gratias egit Deo, omnia, quæ gesta fuerant à sancta Synodo, comprobans, præcepitque ut Episcopi, quos destinaverat Synodus, venirent ad comitatum.

Misit igitur Synodus Constantinopolim Episcopos, qui principem de omnibus pleniùs instruerent. Misere quoque schismatici non Episcopos, sed unum comitem Irenæum, cum duabus relationibus, quas repetitis mendaciis & calumniis infarserant. In prima autem sic loquuntur de Cyrillo, hoc est, de viro Col. 711. & sanctissimo, pacis concordiæque amantissimo, & ca- seq. tholicæ veritatis vindice acerrimo: *Cyrillus Alexandrinus, ad perniciam Ecclesiarum (ut videtur) & natus & educatus, assumpta cooperatrice Memnonis Ephesii audacia, primùm quidem in vestrum edictum peccavit, per omnia se profanum ostendens ....., in omnem prolabitur iniquitatem .... in omne genus immodestia ac sceleris ruit ..... impium Appolinarium in hæresi jam mortuum, quasi ex inferno excitare, & contra Ecclesias & rectam fidem in aciem educere comperitur, &c.*

Sed & ad eundem Irænеum, ipso proculdubiò ad- Col. 698. & monente, Constantinopolim miserunt tertiam relatio- seq. nem, in qua se legitimam Synodum mentientes, & Cyrillum ac Memnonem à se legitimè depositos esse asserentes, contendebant eos ab aliis Episcopis, qui cum illis erant, restitui non potuisse; rogabant præterea ut Synodus transferretur Nicomediam, & eò cum quolibet Metropolitano duo tantùm Episcopi vocarentur, multitudinem orthodoxorum in contemptum adducere studentes, suamque paucitatem subdolè excusantes. Enixè denique obtestabantur Imperatorem, quod præciperet omnibus ut Nicænæ fidei, quam ipsi à se subscriptam huic relationi præmiserant, subscriberent, neque ei peregrinum quid adfuerent, aut Dominum nostrum Jesum Christum purum hominem esse dicerent; cùm & Deus perfectus sit & homo perfectus, neve Christi deitatem patibilem inducerent. Hæc autem addebant per insignem sycophantiam, eo scilicet fine ut in suspicionem vocarent adversarios illiusmet hæreseos, quam damnaverant, & ob quam exauctoraverant Nestorium nefarium hæreticum, quem ut defenderent schismatici, orthodoxam fidem ipsam in extremum adducere discrimen non verebantur.

Episcopi à Synodo delegati, ubi primùm appule- Col. 718. runt Constantinopolim, Nestorium hæreticum esse & 719. legitimè depositum, Cyrillum verò & Memnonem contra jura omnia abdicantur, omnibus etiam aulæ principibus facile persuaserunt: ita ut Irenæus triduo post adveniens ab omnibus rejiceretur, & in magno versaretur discrimine, in quo tamen schismaticis suis non defuit: primùm enim obtinuit à primoribus, ut calumnias & mendacia, quorum lator erat, deferrent ad aures Imperatoris. Deinde cum legatis Synodi (quos ipsæ in sua ad schismaticos epistola Ægyptios per contemptum vocat) admissus ad colloquium Imperatoris, ita metitus est industriè, ut animos audientium ad se pertraxerit; adversariis, quos principis & procerum præsentia perstrinxerat, malè causam suam defendentibus, & soli Cyrillus & Memnon pro justè damnatis habendi censerentur. Sed hæc persuasio brevi concidit post adventum Joannis strenui hominis, qui Cyrilli medicus & domesticus erat, & Irenæi mendacia atque calumnias apud plerosque etiam optimates revicit, sic ut majorem primorum partem alienaret ab Irenæo, & ne audire quidem vellent ab eo, quæ coram illis, vel etiam ab illis fuerant judicata.

Quàm malè autem sibi à populo & clero Constantinopolitano metueret Irenæus, & quanto suo periculo mentitus fuerat coram Imperatore & proceribus, indicat his verbis: *In magnis adhuc discriminibus ob* Col. 719. *illam, quæ quotidie insidiatur, multitudinem, versor. Testis mihi est Deus, dum ad judicium coram Imperatore vocarer, nihil aliud me expectasse, quam ut in fluctus maris projicerer: sed Dominus, sicut scriptum est, ad-*

est, adstitit mihi, & de ore leonis, aut mille potius leonum catulis liberatus sum. Quæ etiam verba, quam benè erga rectam fidem Imperator & ejus aulici majori saltem ex parte affecti essent, luculenter ostendunt.

Col. 722. Imperator nihilominùs, iterùm ex parte deceptus, & Acacii Berœensis Episcopi litteris permotus, trium, Nestorii scilicet, Cyrilli, & Memnonis, abdicationem ratam habuit, de quo per Joannem Comitem, qui Nestorii & Joannis Antiocheni partes fovebat, ad Episcopos Ephesi congregatos, sacram, ut vocitabant, misit, in qua etiam concedebat Episcopis facultatem, *omni controversia soluta, omnibusque scandalis excisis, cum pace & concordia domum revertendi.*

Col. 713. 724. Joannes igitur, cum Ephesum advenisset, Candidiano, Nestorii & schismaticorum amico, in omnibus ad consilium adhibito, Nestorium ipsi Candidiano, Cyrillum verò, cui aliquantò post Memnon adjunctus est, Jacobo Comiti custodiendum tradidit, cum Scutariorum & Palatinorum præsidio, ut aliquid eorum personæ vel dignitati indulsisse videretur. Deinde non absque jurgiis & tumultu coram utriusque partis Episcopis, quos in diversorium suum convocaverat, legit Imperatoris litteras cum schismaticorum plausu, & magno luctu atque offensione orthodoxorum, qui cum schismaticis communicare, & capita sua deserere, magna constantia, quam Joannes Comes in sua ad Imperatorem relatione rabiem vocabat, detrectarunt.

Col. 758. 759. Auditis hisce Imperatoris litteris, orthodoxi suas quoque ad Imperatorem retripsere, in quibus 1. admonebant œcumenicam Synodum non Cyrillum & Memnonem, quos è contra *propter orthodoxæ fidei zelum suspiciens, multis illos & apud homines laudibus, & apud Christum Dominum coronis dignos* existimabat, sed solum Nestorium, nefariæ hæresis eorum qui Christum purum hominem dicunt, præconem abdicasse. 2. Testantur se non mediocriter afflictos fuisse, quòd eorum, qui ab Oecumenica Synodo desciverant, Joannis scilicet Antiocheni & ejus sectatorum Pelagianorum nomina nominibus suis inserta fuissent, unaque & communis omnibus Missa esset sacra. 3. Orabant, ut Cyrillus & Memnon Synodo restituerentur.

Has Synodi litteras aliæ ejusdem argumenti ad eundem subsecutæ sunt, in quibus Synodus Imperatori supplicat, ut quæ contra Nestorium ejusque sectatores ab ea gesta sunt, robur suum obtineant, cætera verò quæ à schismaticis ad ulciscendam Nestorii depositionem contra Cyrillum & Memnonem facta sunt illegitimè, inefficacia & irrita maneant. *Consentaneum enim est*, inquiunt Patres Synodi *ut vindicata jam pietate* (hoc est orthodoxa fide) *illisque refranatis, qui eam labefactabant, hi qui una nobiscum pro fide decertarunt, honore perfruantur, non utcum illis, qui de nefandis in Christum blasphemiis convicti sunt, condemnentur.*

Col. 766. Col. 767. Col. 767. 770. Scripsit etiam Synodus ad clericos Constantinopolitanos, illosque, expositis in quibus versabatur angustiis, obtestabantur Patres ut Imperatorem adirent, mendacia & calumnias fautorum Nestorii retegerent, eumque certiorem facerent, Cyrillum & Memnonem abdicatos non fuisse ab œcumenica Synodo; ab eorum communione œcumenicam Synodum nunquam sejunctum iri, sed potiùs universos cum eis in exilium abituros; ab œcumenica Synodo Joannem Antiochenum & ejus gregarios Ecclesiastica communione privatos fuisse, ac illis omnem sacerdotii functionem ademptam, omnesque Ecclesiis suis privari præoptaturos, quàm cum eis redire in communionem, nisi priùs omnia sua scelera correxerint, &c. In commonitorio huic epistolæ subjecto hæc leguntur verba, orthodoxis Episcopis planè digna: *Scire reverentia vestra debet, quia licèt in tantum nitantur* (Nestorii fautores) *ut omnes moriamur, non tamen fiet aliud, præter hæc quæ decreta per nos sunt à Salvatore nostro Christo.*

Col. 759. & seq. Clerici Constantinopolitani, ad quos Cyrillus etiam & Memnon è custodia privatas dederant litteras, quibus illos, recensitis eorum, qui Nestorio studebant, adversùs Synodum machinationibus & insultibus, ad causæ fidei defensionem animabant, adierunt Imperatorem, cui, ut omninò par est credere, relationem quam à Synodo acceperant, reddiderunt, simulque obtulerunt libellum supplicem pro Cyrillo Col. 778. & Memnone, in quo sic loquebantur: *Si dominatio vestra exauctorationem: quam illi in Cyrillum & Memnonem .. machinati sunt, qui à sancta Synodo desciverunt ... approbarit ... nos omnes prompti paratique sumus ea animi alacritate, quæ christianos homines decet, quodvis periculum cum memoratis sanctissimis viris subire, neque ullum discriminis experimentum detrectare.* Et inferius: *Curate ... ne regni vestri tempore martyrum sæculum spectandum exhibeatis.*

His permotus Imperator, per Joannem comitem Synodo permisit, ut quos vellet, Episcopos mitteret Col. 779. ad comitatum. Missi itaque sunt septem Episcopi cum Philippo presbytero, Sedis Apostolicæ legato. Suos quoque misere legatos schismatici, Episcopos scilicet octo, quorum primus erat Joannes Antiochenus dignitate, doctrina verò Theodoretus. Legatis suis Col. 782. Synodus scripto districtè prohibuit, ne cum schismaticorum legatis communicarent, neve illis communionem pollicerentur, nisi priùs Nestorii dogmata damnarent, ejus depositioni subscriberent, veniamque per libellos à Synodo de iis peterent, quæ contra præsides ejus temerè admiserant; imò & nisi postquam Synodo restituti fuissent Cyrillus & Memnon. Mandato suo adjunxit relationem Imperatori reddendam, Col. 783. 786. in qua iis quæ tum ab ipsa, tum à schismaticis gesta fuerant, summatim enarratis, instantissimè orat pro Cyrilli & Memnonis liberatione.

Schismaticorum legati Constantinopolim ingredi Col. 731. prohibiti, ne à clericis vel monachis lapidarentur, jussi sunt subsistere Chalcedone, ubi magno animi dolore acceperunt Nestorium Epheso dimissum fuisse cum facultate abeundi quò vellet; quo facto intelligebant actum esse de amico suo, ejusque abdicationem ratam omninò haberi ab Imperatore. Porrò quo erga Nestorium animo Imperator cum consiliariis suis tunc temporis esset, graphicè describit Theodoretus in epistola Chalcedone ad Alexandrum Hierapolitanum, unum è schismaticis, scripta. *De* Col. 732. *amico*, inquit, *sciat Sanctitas tua, quòd si quando ejus faceremus mentionem, vel apud regem, vel apud consistorium, defectionis notabamur: tantæ sunt eorum, qui introsunt, erga illum inimicitiæ. Et hoc est molestissimum. Rex præ omnibus aliis aversatur nomen* (Nestorii) *manifestè dicens: De hoc mihi nullus loquatur.* Suum autem & aliorum schismaticorum erga impurissimum hæresiarcham affectum his prodebat verbis: *Attamen dum hic sumus, non cessabimus omni virtute & ejus patris* (Nestorii) *curam gerere, scientes ab impiis factam illi injustitiam.* Sic impiam vocabat œcumenicam Synodum homo alioquin animo catholicus, sed quem intemperata Cyrilli gloriæ æmulatio, nimiusve patriarchæ suo assentandi pruritus excœcaverat, & in schisma præcipitaverat.

Pergebat Theodoretus: *Nobis quoque studium est, ut hinc liberemur, & vestra liberetur pietas. Nihil enim hinc boni sperandum, eò quòd judices ipsi omnes auro confidant, & contendant unam esse naturam deitatis & humanitatis.* Simile quid cum suis gregalibus ad schismaticos Ephesi degentes scribebat in alia epistola, in qua cum aliis sic ajebat: *Videntes Cyrillianos tyrannide, & fraudibus, & adulatione, & donis omnes decepisse, non rarò regem & principes obsecravimus, ut & nos ad Orientem dimitteremur, & vestra pietas ad propria remigraret.* Schismatici sanctam Synodum calumniati primùm, postea etiam imperii proceres, sanctæ Synodi patrocinium laudabiliter suscipientes, calumniati sunt. Hoc nimirùm schismaticorum & novatorum ingenium est, ut nemini ipsis adversanti parcant, sed contumeliis dicteriisve suis mordeant

deant omnes, sive clericos, sive laicos, qui nefariis eorum conatibus obsistunt.

Col. 736. Spes aliqua victoriæ affulserat schismaticis ex primo, ut autumare fas est, cum adversariis coram Imperatore congressu, de quo ovantes ad suos scripsere litteras: sed brevi levis hæc spes evanuit. Synodi legati, qui primùm jussi fuerant cum schismaticis subsistere Calchedone, aliquantò post Constantinopolim acciti, honorificè excepti sunt, ibique permissi episcopalia munia omnia obire, quod gravis contumeliæ loco habuerunt schismatici, unde & de eo per libellum apud Imperatorem amarè expostularunt: cùm ipsi interea Calchedone detenti fuerint, ab omnibus Ecclesiis exclusi, nec uno vitæ adito discrimine, utpotè non semel ab orthodoxis monachis impetiti lapidibus.

Col. 731.

Col. 729. 730.

In tam iniquo certamine sibi non defuerunt schismatici. Nam pro more mendaciis & calumniis pugnarunt; multa contra Cyrilli capitula, à sancta Synodo comprobata, deblaterarunt, & ut iterùm in examen vocarentur, multòties postularunt, sed frustra. Itaque post quintam congressionem, cùm schismatici Imperatori sæpè juravissent, se nunquam cum Synodo communicaturos, nisi priùs capitula, quæ comprobarat, exploderet, neque se unquam Cyrillum suscepturos, etiam ipse capitula illa damnaret; Imperator rem ita tandem definivit, ut Cyrillus & Memnon sedes suas retinerent, & cæteri omnes Episcopi, excepto Nestorio legitimè exauctorato, redirent ad suas Ecclesias.

Col. 745.

Col. 746.

Col. 746. De hoc Imperatoris decreto sic loquuntur schismaticorum legati: *Placuit regi post multas adhortationes* (quibus ipsi ut obsequerentur, nulla consideratione adduci potuerunt) *ut singuli ad propriam redeamus*; *ad hoc ut & Ægyptus* (sic Cyrillum per contemptum vocitabant) *& Memnon Ephesius in suis locis maneat, sic enim potuit Ægyptus omnes excœcare muneribus suis, sic aut ille quidem, cùm innumera fecerit mala, ad thronum suum redeat, iste vir innocens* (Nestorius) *vix ad suam mansionem* (ad suum monasterium, quod erat in Antiochiæ suburbio) *dimittatur*.

Fœlicem hunc tandem, Deo specialiter providente, exitum obtinuit Synodus Ephesina, nunquam satis laudanda, quòd extrema omnia pati maluerint, quàm præsidibus suis deesse, eosque à schismaticis & hæreticis opprimendos derelinquere, atque derelinquendo, causam fidei prodere. Post quatuor à Nestori abdicationes menses, in ejus locum à Synodis legatis, annuente Imperatore, suffectus est Maximianus monachus & presbyter, vir bonus & quietis amans, sed in sermone rudis atque imperitus. Ordinato Maximiano, jussit Imperator, ut Episcopi omnes ad suas provincias & civitates reverterentur. Ingenti cùm lætitia & gratulatione excepere Alexandrini Cyrillum, quem Maximianus de ordinatione sua certiorem fecit per epistolam, in qua sic eum alloquitur: *Expletum est desiderium tuum . . . perfectum est quod religionis causa susceperas . . . . spectaculum factus es & angelis & hominibus; universisque Christi sacerdotibus. Neque enim solum in Christum credidisti, sed etiam pro ipso passus es, &c. Humiliasti satanam per patientiam; contempsisti tormenta; conculcasti furorem principum; famen pro nihilo duxisti, &c.*

Socrat. l. 7. hist. c. 35.

Tom. 3. Conc. Col. 1057.

Col. 1061.

Similia ad eundem Cyrillum, Nestorii abdicatione ab Imperatore comprobata, gratulabundus antea scripserat Alipsius Constantinopolitanus presbyter. Ea fuit Cyrilli gloria, ea illius apud orthodoxos omnes existimatio, adversùs illum nequicquam frementibus schismaticis & hæreticis, ejusque famam impudentissimis mendaciis & calumniis pertinacissimè tentantibus. Ad propria quoque suis Orientalibus rediit Joannes Antiochenus, persistens in schismate, omni potestatis Ecclesiasticæ usu, & Ecclesiæ communione privatus, atque calumniis & malis artibus suis mercatus nihil præter bonorum omnium detestationem, quippè qui ut scelestissimo hæresiarchæ gratificaretur sanctam & œcumenicam Synodum indignissimè vexaverat, & tantùm non totum orbem christianum miscuerat. Anno tamen sequente, compellente Imperatore, ad sanam mentem reversus, rediit ad unitatem.

Col. 786.

§. V.

Imperator schismatis, cui omnes imperii calamitates attribuebat, tollendi cupidissimus, de pace inter Ecclesias componenda consulit Maximianum & alios Episcopos, qui tunc in comitatu aderant. Responderunt, Orientales Ecclesiæ reconciliari non posse, quia priùs Cyrillo, quocum totus orbis communionis vinculo arctissimè conjunctus erat, reconciliarentur, ejusque communionem obtinerent; ad quod *oportere* dixerunt, *ut Joannes Antiochenus anathematizaret Nestorii dogmata, ac scripto illius depositionem approbaret*; quo facto, pro certo statuebant, *Episcopum Alexandrinum privatas offensiones oblivioni traditurum, & contumelias, licet eæ gravissimæ & maximæ extitissent, quas Ephesi perpessus fuerat, propter charitatem nihil facturum*.

Col. 1113.

Consilium Episcoporum probavit Imperator, & Aristolaum tribunum Antiochiam misit regias deferentem litteras, quibus Joanni Antiocheno mandabatur, ut impia Nestorii dogmata anathematizaret, & ejus depositioni subscriberet, atque ita à Cyrillo communionem ejus peteret. Rem ita narrat Cyrillus in sua ad Donatum Episcopum epistola: quamquam aliud legitur in sacra per Aristolaum missa ad Joannem Antiochenum, qualis nunc extat: in ea enim Joanni, postquam ob Ecclesiarum dissensionem, cujus auctor erat, graviter objurgatus est, mandatur ut omni dilatione postposita, cum paucis tantùm clericis veniat Nicomediam, quò dicitur simili mandato accitum esse Cyrillum, ut ambo ibidem maneant, donec depositis omni simultate, invicem reconcilientur, nec priùs admittantur ad conspectum Imperatoris, quàm mutua concordia pacem Ecclesiæ confirmarint.

Col. ead. Col. 1152.

Col. 1084.

Scripsit etiam Imperator ad Simeonem Styliten, ob virtutes eximias & insolens vivendi genus toto orbe celebratissimum, & Acacium Berœensem, cui grandis ætas & fama sanctitatis magna conciliarat auctoritatem: scripsit, inquam, communem, ut credimus epistolam, in qua pacem Ecclesiæ commendat eorum precibus, enixèque petit, ut Orientales pro viribus adhortentur ad pristinam Ecclesiarum unionem & consensionem restituendam, damnando dogmata Nestorii, ejusque depositioni subscribendo, & redeundo in gratiam cum Cyrillo, quocum communionis vinculo conjuncti sunt omnes orbis Christiani Episcopi, qui de unitate Ecclesiæ sunt; ita ut Orientales recuperando communionem Cyrilli, universalis Ecclesiæ communionem recuperaturi sint.

Col. 1085.

Audita Imperatoris voluntate, Orientales convenere apud Acacium Berœensem, & bono seni persuaserunt, ut scriberet ad Cyrillum Ecclesiarum pacem componi non posse, nisi ipse sola fide Nicæna contentus, aboleret ea omnia, quæ vel epistolis, vel tomis, vel libris evulgaverat contra Nestorium. Iniquissimam hanc conditionem repudians Cyrillus, rescripsit sese cum aliis omnibus orbis christiani Episcopis, quibuscum communicabat, adhærere Nicænæ fidei, nilque prorsus eorum, quæ in ea continentur, labefactare; quæ vero rectè contra Nestorii blasphemias subscripserat, ea ejusmodi esse, ut adduci se nunquam passurus sit, ad rejicienda ea tamquam non rectè scripta; opus verò Orientalibus esse, si velint redire ad unitatem, ut juxta Imperatoris decretum, & sanctionem Synodi Ephesinæ, anathematizent blasphemias Nestorii, ejusque depositioni scripto consentiant, ac Maximiani ordinationem approbent.

Col. 1113.

Hinc litteris Cyrilli sibi redditis, Orientales Alexandriam delegarunt Paulum Emisenum Episcopum, qui Cyrillo litteras ab Orientalibus obtulit, in quibus ab eo quidem petebant instaurari communionem, at simul ajebant sese jure merito ei succensuisse Ephesi,

Col. 1116. 1152.

seque

seque justas adversùs eum habere querelarum causas, quòd ab eo in Ephesino Concilio aliqua neque rectè dicta, neque rectè facta fuissent.

Col. 1153. Cyrillo his litteris non mediocriter offenso, easque nolenti admittere, Paulus suorum Orientalium factum excusans, eosque non novam inferre contumeliam voluisse, sed ex mera animi simplicitate lapsos esse, cum juramento affirmans, libellum obtulit pro se & reliquis Orientalibus, in quo confitebatur se & reliquos Orientales Maximiani ordinationem suscipere; Nestorium pro deposito habere; impia ejus dogmata anathematizare; & Cyrilli communionem complecti, juxta brevem de Verbi Dei Incarnatione expositionem, ab ipso jam antea traditam Cyrillo, qui illam comprobarat, & perinde ac fidem propriam susceperat. Hæc autem expositio, ut par est credere, ea est, quæ extat in Joannis Antiocheni epistola, de qua infra.

Col. 1096. & seq. Post oblatum libellum Paulus ad Synaxim tandem admissus à Cyrillo, coram eo in magna Alexandriæ Ecclesia duas habuit homilias, primam die 25. Decembris, & alteram Calendis Januarii anni 432. in quibus catholicum Verbi Dei de Incarnatione dogma luculenter exposuit, applaudente populo Alexandrino.

Col. 1116. 1153. Petiit à Cyrillo Paulus, ut præfato, quem ei omnium Orientalium Episcoporum loco obtulerat, libello contentus, nihil ab illis exigeret amplius ad hoc, ut eos in suam communionem reciperet. Petitionem planè rejecit Cyrillus, resposditque libellum oblatum, utpotè à solo Paulo subscriptum, pro ipso solo sufficere posse, minimè verò pro reliquis Orientalibus. Quare cum Aristolao, qui Alexandriam venerat, & moras ægrè admodùm ferebat, duos é suis clericis Antiochiam Cyrillus misit cum charta & litteris communionis, quas redderent Joanni Antiocheno, modò prius chartam illam, quam secum deferebant, reciperet & subscriberet, adeoque modò prius scripto damnaret blasphemias Nestorii, simulque ejus depositioni, & Maximiani ordinationi consentiret.

Col. 1153. Chartam ab Alexandrinis clericis allatam recepit Joannes, eique subscripsit cum aliis Episcopis inter Orientales præcipuis. De quo etiam Joannes suo & aliorum Orientalium nomine dedit ad Cyrillum litteras, in quibus præmissa illa brevi expositione de incarnatione Verbi Dei, quam jam antea sibi à Paulo Emiseno traditam collaudarat Cyrillus, & ut propriam fidem susceperat, dicit Joannes sibi & suis placuisse, *ut omnis tollatur contentio, universalisque*

Col. 1093. *sanctis Dei Ecclesiis per orbem sparsis pax reddatur, nec non scandala omnia, quæ exorta sunt, è medio auferantur; Nestorium quondam Constantinopolitanum Episcopum pro deposito habere; tum pravas illius profanasque vocum novitates anathematizare.* Tum

Col. 1096. paucis interjectis, sic prosequitur: *Consentimus autem & in ordinationem Maximiani sanctæ Dei Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopi, & communicamus universis orbis terræ Episcopis, rectam inculpatamque*

Col. 1088. *fidem habentibus & prædicantibus.* Hæc porrò eadem, omissa tamen fidei expositione, ad Sixtum Pontificem & Maximianum perscripsere Orientales.

Col. 1105. & seq. Pace tandem composita, Paulus Emisenus Alexandria Antiochiam reversus, gratulatorias à Cyrillo Joanni Antiocheno reddidit litteras, in quibus Cyrillus ait expositionem ab Orientalibus communiter editam, *irreprehensibilem continere fidei confessionem*, & breviter refellit aliquos, qui calumniabantur eum, quasi diceret: *Sanctum Christi Corpus non ex sancta Virgine sumptum, sed è cœlo allatum esse*, item alios qui in vulgus spargebant, eum dicere, *concretionem, vel confusionem, vel commixtionem Verbi Dei cum carne factam esse.*

Col. 1092. Factam Ecclesiarum pacem populo Alexandrino annuntiavit Cyrillus, habita ad eum homilia die 23.

Col. 1093. Aprilis an. 432. in qua sic loquebatur: *Expulsus est ab omni Ecclesia Nestorius impius ... & concordant de cætero per omnem consistentes orbem terrarum Epi-*

Col. 1120. *scopi, rectam & unam confitentes fidei &c.* Quantùm autem pax illa orthodoxos & ipsum inprimis Imperatorem recreavit, tantùm afflixit Nestorianæ impietatis sectatores, qui omnibus persuadere conati sunt, Orientales Episcopos non aliud, quàm Nestorium, circa Verbi Dei incarnationem sentire; adeò- Col. 1148.
que Cyrillum, cùm doctrinam Nestorii ut blasphemam & hæreticam insectaretur, omninò culpandum esse, quòd Episcopis illis reconciliatus esset, eisque communionem suam concessisset.

Calumniam suam probabant Nestoriani ex brevi expositione fidei, quam Orientales ad Cyrillum miserant, & in qua duas in Christo naturas asserebant, & distinguebant, quod ante eos fecerat Nestorius. Hanc autem calumniam refellens Cyrillus in suo ad Eulogium presbyterum commonitorio, sic ajebat; *Iis qui hoc nomine nos accusant, respondendum est,* Col. 1148.
non omnia quæ hæretici dicunt, statim fugienda ac repudianda esse. Multa enim confitentur ex iis, quæ nos quoque asserimus: exempli causa, cùm Ariani Deum Patrem omnium Conditorem ac Dominum esse dicunt, num ideò consequens est, ut ejusmodi confessiones aversemur? Sic & de Nestorio quoque licet duas naturas esse dicat, carnis & Verbi Dei differentiam significans (quod catholicum est) *attamen unionem una nobiscum non confitetur* (in quo hæreticus est; nec Orientales sibi consentientes habet) Col. 1149.
qui enim confitentur (ut re ipsa in expositione sua confitentur Orientales) *illud ex Deo Patre natum unigenitum Verbum, idem etiam secundùm carnem ex muliere natum esse; & sanctam Virginem Dei genitricem; & unam esse Christi personam; & non duos filios, nec duos christos, sed unum tantùm: quomodo Nestorii opinionibus consentiunt,* cùm duarum naturarum unionem substantialem manifestè confiteantur. Col. 1112. & seq.
Vide etiam ejusdem Cyrilli ad Acacium Melitensem scriptam epistolam.

Porrò Nestorius anno superiore, ut jam dictum Evagr. lib. 1
est, Ephesi abire permissus, redierat ad suum mona- hist. c. 7.
sterium, quod Euprepii nuncupabatur, in suburbanis Antiochiæ situm, & ab urbe duobus circiter stadiis distans. Cùm autem in eo quatuor annos mansisset, neque ab impio suo dogmate spargendo destitisset, ea de re admonitus à Joanne Antiocheno Imperator, illum perpetuo exilio damnavit, & in Oasim deportari jussit, ubi variis calamitatibus, Barbarorum incursionibus, captivitate, & frequentibus locorum mutationibus confectus, miserrimè interiit. Narrat Evagrius legisse se auctorem narrantem, *eum lingua vermibus erosa ad graviora & sempiterna mi-* Tom. 3. Conc.
grasse supplicia. Denique ab Imperatoris edicto cau- Col. 1108. 1211.
tum est, 1. Ut Nestoriani inposterùm appellarentur Simoniani, & omni conventus habendi facultate priuarentur. 2. Ut libri omnes à Nestorio conscripti, omni studio ac diligentia undecumque conquisiti, comburerentur.

ARTICULUS VIII.

De Nestorii hæresi.

NOn aliam Nestorius in Christo naturarum unionem, quàm purè moralem agnoscebat: unde naturas illas non solùm numericè & specificè differre, sed etiam in se, seu propria subsistentia utramque subsistere asserebat. Observat hoc Cyrillus in sua ad Acacium Melitensem Episcopum epistola, in qua sic ait: *Etsi Deum Verbum incarnatum, homi-* Tom. 3. Conc.
nemque factum confiteri simulet; attamen incarnatio- Col. 1124.
nis virtutem ignorans, duas naturas nominat, easque à se invicem divellit, Deum seorsum ponens, & itidem seorsum hominem habitudine quadam Deo conjunctum, per solam honoris æqualitatem seu auctoritatem. Quod probat ex his Nestorii verbis: *Inseparabilis est Deus à visibili; unde honorem ejus, qui non separatur, non separo: separo naturas, sed conjungo adorationem.* Hoc fuit caput & fons omnium aliarum blasphemiarum Nestorii. Hinc

1. Duas in Christo sentiebat esse personas, perso-

nam

nam scilicet Dei Verbi, & personam hominis. Pater
Tom. 3. Conc. Col. 424. ex ejus anathematismo 7. in quo sic loquitur: *Si quis hominem, qui in virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante luciferum natus est, & non magis* (dixerit) *propter unitionem eum* (lege potiùs, ejus) *qui est naturaliter unigenitus, Patris unigeniti appellatione confitetur participem factum . . . anathema sit.* Certè qui dicit, hominem, qui ex virgine natus est in tempore, non esse unigenitum illum, qui ex Deo Patre natus est ab æterno, hoc ipso dicit, in Christo esse duo supposita distincta & diversa, humanum scilicet & divinum; hoc ipso enim negat in Christo unum & idem suppositum esse hominem & Deum Verbum. Patet etiam ex symbolo illo, quod à Theodoro Mopsuesteno fabricarum ado-
Tom. 3. Conc. Col. 678. ptavit Nestorius, & in quo Theodorus de Deo Verbo, & homine ab eo assumpto, ut distinctis & diversis suppositis loquitur.

2. Negabat Deum Verbum, ex Deo Patre ab æterno natum secundùm divinitatem, in tempore secun-
Tom. 3. Conc. Col. 529. dùm carnem natum esse ex Virgine matre. Patet ex quaternione 21. in quo sic loquitur: *Deum Verbum ex Christipara Virgine processisse, id per Scripturam divinam edoctus sum: quòd autem Deus ex ipsa natus sit, id nusquam scriptum comperi. Divina Scriptura Deum ex Christipara Virgine genitum esse nusquam affirmat, sed Jesum Christum & Filium & Dominum.* Et ex quaternione 24. in quo ait: *Ubi in Verbi*
Col. 525. *mentionem inciderunt* (Apostoli aut Evangelistæ *ibi nullus eorum, quòd per humanam naturam natus sit, asserere audet.*

3. Negabat Virginem Mariam dici posse Deiparam, sed solùm Christiparam dicendam esse contendebat. Patet ex ejus secunda ad Cyrillum epistola, in qua hæc
Tom. 3. Conc. Col. 325. leguntur: *Quapropter si rem diligentiùs consideremus, sacra Virgo non Deipara, sed Christipara appellanda erit.* Patet etiam ex ejus epistola ad Celestium, in
Col. 350. qua sic in orthodoxos invehitur: *Sed & Virginem* christotocon *ausi cum modo quodam* theotocon *dicere; hanc enim* theotocon *vocantes, non perhorrescunt. Quod* (Patres Nicæni) *nihil amplius de sancta Virgine dixisse leguntur; nisi quia Dominus noster Jesus Christus Incarnatus est ex Spiritu sancto, & Maria Virgine. Et taceo scripturas, quæ ubique Virginem Matrem Christi, non Dei Verbi, & per Angelos, & per Apostolos prædicarunt.*

4. Tenebat hominem ex Virgine Maria natum, purum hominem esse, nec esse Deum nisi impropriè & nuncupativè, propter moralem sui cum unigenito Dei Filio conjunctionem. Patet ex ejus ana-
Col. 525. themarismo 7. jam allegato. Patet quoque ex quaternione 16. ubi ait: *Non per se & secundùm se Deus est, quod in utero formatum est . . . At verò quia Deus in homine assumpto exiitit, assumptus, ut assumenti conjunctus, propter assumentem Deus appellatus.* Unde cùm esset Ephesi, non semel in hanc
Col. 597. §71. blasphemam erupit vocem: *Bimestrem aut trimestrem Deum non dico;* & ibidem Episcopus quidam, mentis ejus interpres, Judæos non in Deum, sed in hominem impios extitisse affirmavit.

5. Abnegabat Verbo ea omnia, quæ Christo secundùm carnem conveniunt, & de eo verè dicunt. Patet ex secunda ejus ad Cyrillum epistola, in qua sic
Col. 325. 328. loquitur: *Divino Verbo adscribere nativitatem* (temporalem) *passionem, mortem, cæteraque carnis proprietates . . . mentis est aut ethnicorum more vere errantis, aut certè insani Apollinarii & Arii, aliorumque hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis. Necesse est enim istos per appropriationis vocabulum eò trahat, ut Deum Verbum lactationis participem, & succedanei incrementi capacem, & ob formidinem passionis tempore declaratam, angelici præsidii indigum faciant. Missa hic facio circuncisionem, sacrificium, sudorem, famem, sitim, quæ carni acciderunt, nostrique causa eandem affecerunt. Quòd si hæc eadem divinitati* etiam in concreto sumptæ, seu Deo Verbo *adscribere ludeat, & falsa erunt, & nobis veluti calumniatoribus justæ damnationis causam afferent.*

6. Duos in re Christos, totidemque filios ac dominos, sicut & personas constituebat, ut observat Cyrillus in prima sua ad clerum Constantinopolitanum Epistola in qua de Nestorio & ejus gregalibus sic ait: Col. 333. *Quia scopus illis præfixus est, duos Christos, totidemque filios constituere; alterum quidem per se hominem, alterum verò per se Deum, solamque personarum inter se conjunctionem* (moralem scilicet; alia enim inter personas esse non potest) *hinc est, quòd versutiis agant, &c.* Attamen, ut lateret & homines ludificaretur, unum Filium (idem intellige de Christo & Domino) non duos, dici oportere ajebat, per Filium intelligendo aggregatum ex duabus personis inter se moraliter unitis, quarum una propriè & naturaliter Filius Dei est, altera verò impropriè tantùm, nuncupativè, & per quandam filiationis divinæ participationem, propter specialem & inseparabilem sui cum Tom. 3. Conc. Col. alia conjunctionem, ut patet ex symbolo illo, quod 678. 79. damnavit Ephesina Synodus in actione sexta, & cujus verba aliàs recitavimus, ubi de Theodoro Mopsuesteno.

Hoc sensu loquebatur, cùm dicebat in quaterniCol. 524. one 17. *Cæterùm cum* (Deus Verbum) *ante* (incarnationem) *Filius esset, & Filius appellaretur; post carnem tamen assumptam seorsum per se Filii nomine appellari non debet, nè duos filios videamur inducere. Sed quoniam* (homo ex Virgine natus) *illi unius est, qui in principio Filius erat, & ipsi conjunctus est, non potest, quod quidem ad filiationis dignitatem attinet, non quod ad naturas, propterea etiam divisionem recipere: secundùm dignitatem dico filiationis, non secundùm naturas. Unde & Deus Verbum nominatur Christus, quoniam perpetuam cum Christo unionem habet.*

Hoc eodem sensu in eodem quaternione sic etiam ajebat: *Cùm Scripura generationem ex Virgine nobis* Col. 520. *exponit, non dicit: Misit Deus Verbum Deum; sed ait: Misit Deus Filium suum. Illud enim nomen accipit, quod utriusque naturæ* (seu utriusque personæ) *significativum est. Quia enim Filius simul Deus & homo est* (quia vox Filii communis est Deo & homini, seu personæ divinæ & humanæ) *ideò dicit: Misit Filium suum factum ex muliere, ut cum audieris illud, factum ex muliere; deinde videris nomen, quod utramque naturam denotat, & præmittitur, nativitatem, quæ ex sancta Virgine est, Filii quidem voces; siquidem & Christipara Virgo Filium Dei genuit; attamen quia Filius Dei duplicis naturæ existit* (post incarnationem, hoc est, quia post incarnationem Filius Dei aggregatum est ex duabus naturis per se subsistentibus, seu ex duabus personis, divina & humana) *non Dei Filium* (seu Deum Verbum) *sed humanitatem* (per se subsistentem) *genuit, quæ propter Filium* (per moralem unionem) *adjunctum Filius est,* quamvis impropriè tantùm nuncupativè, & per quandam communionem filiationis divinæ, quæ naturaliter & propriè soli Deo Verbo competit. Ex his

Intelligitur illud ejusdem ex quaternione 27. *Ipse &* Col. 515. *infans erat, & infantis Dominus . . . idem & infans erat, & infantis inhabitator.* Nam manifestè per has voces, *ipse, idem*, significat complexum ex duabus personis, Deo scilicet & homine, quarum unam, nempe hominem, ait infantem fuisse, alteram verò, Deum Verbum, infantem illum inhabitasse, & ejus Dominum fuisse ait. Quòd autem Deum Verbum in illo sensu infantem dixerit, patet ex quaternione 21. Col. 522. ubi sic loquitur: *Atqui certum est, Archangelos nativitatis mysterium te longè exactiùs cognovisse, neque tamen dicunt: Surge & accipe Deum, & Matrem ejus; sed surge, & accipe puerum & matrem ejus.* Voce igitur pueri seu infantis, solum hominem intelligendum esse volebat.

Porrò quòd etiam per has voces, *Christus, Dominus*, complexum ex duabus personis significari vellet, habetur ex quarernione 15. ubi in hæc Apostoli verCol. 526. ba, *Hoc sapite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, &c.* ita disserit: *Non dixit, Hoc sapite in vobis, quod & in Deo Verbo, quod cùm in*

formâ

forma Dei esset, servilem formam accepit: sed voce Christi tanquam utriusque naturæ (per se subsistentis) *notionem complectente, accepta; sine periculo illum & servi formam sumpsisse asseverat, & Deum nominat, dictorum vim in naturarum* (per se subsistentium) *dualitatem inoffensè partiens.* Et ex quaternione 16.
Col. 524. ubi dicit: *Hæ autem voces, Christus & Filius, & Dominus, cùm unigenito in Scripturis tribuuntur, naturarum duarum* (per se subsistentium) *indices existunt: & aliquando quidem divinitatem* (personam Dei Verbi) *nonnumquam verò humanitatem* (personam hominis à Deo Verbo assumpti) *interdùm autem utramque* (divinitatem scilicet & humanitatem, seorsim per se existentes, hoc est, utram personam, divinam & humanam) *simul exprimunt.*

7. Asserebat Christum ad pontificiam dignitatem paulatim evectum fuisse; nam sic de Christo loque-
Col. 525. batur in quaternione 6. *Hic ille ipse est, qui ad pontificiam dignitatem paulatim evectus est.* Item Christum, non Deum Verbum, fuisse Pontificem nostrum: nam in eod. quatern. sic ait: *Quid igitur contra mentem*
Col. 528. *Pauli impassibile Deum Verbum interpretaris, terrenæ similitudini ipsum commiscens, & passibilem Pontificem faciens?* Item Christum non solùm pro aliis hominibus, sed etiam pro se ipso mortuum esse, & sacrificium obtulisse. Patet ex quatern. 17. ubi loquens
Col. 528. de Christo dicit: *Hic tamen tam pro se, quàm pro cognato sibi genere sacrificium obtulisse affirmat.* Item ad cultum latriæ exhibendum Christo sufficere, quòd esset impropriè & nuncupativè tantùm Deus, quantùmvis per se & secundùm se esset purus homo. Pa-
Col. 514. tet ex quaternione 15. in quo ajebat: *Deum in homine* (habitantem) *confiteamur; hominem colamus, ob conjunctionem cum omnipotenti Deo simul adoran-*
Col. 521. *dum.* Et rursus; *Primò* (Christum) *hominem esse fateatur* (Apostolus;) *mox ob eam quam cum Deo fortitus est societatem, hominem illum Deum nominat; ne quis videlicet Christianus hominem* (qui nequidem nuncupativè sit Deus) *colere suspicetur.*

8. Communionem idiomatum fundabat in morali personarum conjunctione, & in eo definiebat, quòd Christus rectè appellaretur Deus, Filius, & Dominus, propter Verbum speciali quodam modo ipsum inhabitans; & vicissim Deus Verbum rectè appellaretur Christus, propter Christum, quem speciali illo modo inhabitat. Nam sic loquitur in quaternione 15. *Sic*
Col. 521. *& illum qui secundùm carnem est Christus, quòd Dei Verbo* (ipsum inhabitanti) *conjunctus sit, Deum nominamus, hominem* (purum) *fuisse qui apparebat,*
Col. 524. *non ignari.* Et in quaternione 17. *Unde & Deus Verbum nominatur Christus, quoniam perpetuam cum Christo* (quem specialissimo modo inhabitat) *unionem habet.*

9. Denique, incarnationem Dei Verbi, quam nomine tenùs confitebatur, funditùs tollebat, per incarnationem intelligendo meram Dei Verbi cum carne per se seorsim subsistente societatem, indissolubiliter initam; meram Dei Verbi habitationem in carne velut in templo per se seorsim existente. Unde dicebat Christum esse Dei Verbi templum, tam per se subsistens seorsim à Deo Verbo, quàm templa nostra lapidea per se subsistunt seorsim à Deo, qui in illis colitur, illaque specialiter inhabitat. Patet ex quaternione 6. in quo, ut probet Christum, non Deum
Col. 525. Verbum, esse Pontificem, ita discurrit: *Pontifex igitur qui passus est, misericors est: passibile autem extit templum* (qui Christus est) *non Deus, qui vivificat illum, qui passus est.* Et ex ejus secunda ad Cy-
Col. 524. rillum epistola, in qua sic ait: *Quasi verò quæ in Dei Verbum naturaliter conveniunt, ea templi conjunctione abolita sint: aut parvi apud homines fieri debeat templum illud nullo unquam peccato contaminatum, & à divina natura inseparabile, peccatorum nostrorum causa & natum, & mortuum esse.*

ARTICULUS IX.

De Pelagianis, & ejusdem sectæ Leporio monacho.

PAulò ante Nestorianam hæresim, similem aliam in Galliis ex hæresi Pelagiana prognatam esse scribit Cassianus, lib. 1. de incarnatione Domini contra Nestorium; ubi sic ait, cap. 2. *Nuper quoque, id est, in diebus nostris, emersisse hæresim venenosam ex maxima Belgarum urbe conspeximus, certi erroris, incerti nominis ... Solitarium quippe hominem Dominum nostrum Jesum Christum natum esse blasphemans, hoc quod ad Dei postea honorem, potestatemque pervenit, humani meriti, non divina asseruit fuisse naturæ: ac per hoc eum divinitatem ipsam non ex proprietate unitæ sibi divinitatis semper habuisse, sed postea pro præmio laboris passionisque, meruisse, &c.* Tum cap. 3. sic prosequitur: *Illud sanè unum prætereundum non arbitramur, quod peculiare ac proprium supra dictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit; quòd dicentes quidam solitarium hominem Jesum Christum sine ulla peccati contagione vixisse, eo progressi sunt, ut assererent homines, si velint, sine peccato esse posse. Consequens enim existimabant, ut si homo solitarius Jesus Christus sine peccato fuisset, omnes quoque homines sine Dei adjutorio esse possent, quidquid ille homo solitarius sine consortio Dei esse potuisset, &c.*

Pelagianum hæresim Nestorianæ affinem, & quasi germanam ac consanguineam fuisse, ut Cassianus loquitur, lib. 1. de incarnatione, probat factum Leporii professione monachi, & secta Pelagiani, de quo ita scribit Cassianus, lib. 1. de incarnatione, cap. 4. *Leporius tunc monachus, modò presbyter, qui ex Pelagii, ut supra diximus, institutione, vel potiùs pravitate descendens, apud Gallias assertor prædictæ hæreseos* (asserentis, solitarium hominem Dominum nostrum Jesum Christum natum esse, &c.) *aut inter primos aut inter maximos, fuit à nobis admonitus, à Deo emendatus, ita malè conceptam persuasionem magnificè condemnavit, ut non minùs benè admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides.*

Hic autem Leporius ad rectam fidem à Præsulibus Africanis conversus, in libello emendationis, quem Carthagine in Gallias misit, errores suos retractans, sic loquitur: *Dicere verebamur de Maria Deum natum: nunc constantissimè confitemur ... non ipsum* (Christum) *Deum hominem natum, sed perfectum cum Deo natum hominem dicebamus, pertimescentes scilicet ne divinitati conditionem assignaremus humanam. O stulta sapientia, &c.*

Et inferiùs: *De eo autem quod stultissimè in epistola illa proposuimus, sed ignoranter, quodque nunc execrabile confitemur, id est, aptantes ad Christum laborem, devotionem, meritum, fidem, in tantum inconvenientia Dei Filio judicamus, ut reminiscentes, &c. ..... In ead. epist. Simili devians errore subjunxi Christum Dominum nostrum, sic omnia, quæ erant passionum, impleisse, ut in nullo quasi perfectus homo à divinitatis auxilio juvaretur.* Et inferiùs: *Dixi, imò ad objecta respondi, Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare. Sed nunc non solùm dicere non præsumo, verùm etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam, &c.*

Mirum igitur videri non debet, quòd Nestorium Pelagianos Episcopos, Julianum scilicet, Florum, Orontium & Fabium, ob contumaciam sedibus pulsos, & in Orientem profugos, benignè exceperit, & in eorum gratiam ad Celestinum Pontificem semel atque iterùm scripserit, scire volens quam ob causam damnati essent; quod tamen ignorare minimè poterat. Cui in hunc modum rescripsit Celestinus: *Hos quoque hæreticos, de quibus nos, velut eorum quæ gesta sunt nescius, consulere voluisti, sedibus suis, injusta dicentes expulit justa damnatio. Quos illic inveniisse requiem, non petamus* esse mirandum: invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione

rione se æstiment *innocentes ..., Quid tecum faciunt, qui sunt hæc* (peccatum originale) *negando damnati? nunquam sine suspicione ea quæ sibi sunt adversa, conveniunt. Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent.*

Porrò præfati Episcopi, accepti à Nestorio beneficii memores, ei postea Ephesi suam strenuè navarunt operam contra orthodoxos & Synodum Ephesinam, adjungendo sese in Ephesino conciliabulo Joanni Antiocheno, qui cum Orientalibus suis sanctam illam Synodum impugnare & damnare præsumpsit. Sed obsequii Nestorio exhibiti Pelagianis Episcopis justam rependit mercedem Synodus, Pelagianam hæresim cùm Nestoriana proscribendo, & sectatores illius duobus canonibus, primo scilicet & quarto percellendo, de quibus Celestinum in sua ad eum synodali epistola, Patres Ephesini certiorem fecerunt his verbis: *Porrò perlectis in sancta Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Celestianorum, Celestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orontii, & eadem cum illis sentientium, quæ à pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos, ea solida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.*

ARTICULUS X.

De Eutyche.

§. I.

De hæresi Eutychis, ac gestis circa ipsum & ab ipso Constantinopoli.

EUtyches Constantinopoli presbyter & Archimandrita, cujus monasterii nomen memoriæ proditum non est, delirus senex imperitissimus, his Cyrilli verbis, *Unam Verbi naturam incarnatam*, malè intellectis, & ex odio Nestorianæ hæresis, quam antea acerimè insectatus fuerat; in nefandos ipse errores incidit, quos Flavianus Archiepiscopus Constantinopolitanus describit in sua ad sanctum Leonem epistola, quæ incipit, *Pietate. Iste*, inquit, *Eutyches absconditum in se languorem malæ sectæ retinens ..., inverecundè & impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens, ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse divinitatis & humanitatis; post unitionem verò unam naturam factam, neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat ... Adjecit autem & aliam impietatem, dicens, Corpus Domini quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis; sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici ejus secundum carnem.*

Eosdem Eutychis errores in alia ad eundem Leonem epistola, quæ incipit, *Nullas res*, sic exponit: *In sancta nostra Synodo asserebat, instanter dicens, Dominum nostrum Jesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cùm à nobis unius subsistentiæ & unius personæ cognoscatur: neque carnem Domini coessentialem nobis subsistere, tanquam ex nobis susceptam, & coadunatam Deo verbo secundum subsistenttiam: sed dicebat, Virginem quidem, quæ eum genuit secundùm carnem, consubstantialem nobis esse, ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem nobis consubstantialem; & corpus Domini non esse quidem corpus hominis, humanum vero corpus esse, quod est ex virgine.* Hosce errores omnes palàm evomuit Eutyches ipse in actione septima Constantinopolitani Concilii sub Flaviano, ubi inter alia hæc Hæresiarchæ verba leguntur: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem verò unam naturam confiteor.* Tom. 4. Conc. pag. 226.

Eutychem hæc domi inter familiares frequenter agitantem sæpe admonuit Eusebius Dorilæi Episcopus, ipsi amicus: sed cùm nihil proficeret, rem ad Flavianum judicavit esse deferendam. Anno itaque 448. cùm esset Constantinopoli triginta & duorum Episcoporum collectum Concilium, libellum Concilio obtulit Eusebius adversùs Eutychem, quem accusans hæreseos, ad causam dicendam vocari postulabat.

Lecto Eusebii libello, ad Eutychem destinantur Joannes presbyter ac defensor, ac Andreas diaconus, qui eum nomine Synodi citent. Actione deinde secunda, postulante Eusebio, leguntur epistolæ Cyrilli duæ, una ad Nestorium, quæ incipit, *Obloquuntur*, & altera ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur cœli*, quarum utraque Eutychis hæresi adversatur maximè, atque ab Episcopis omnibus susceptæ est. Actione tertia Joannes & Andreas, qui actione prima missi fuerant ad Eutychem, interrogati respondent illum dixisse nolle se egredi monasterio, in eoque se tanquam in sepulchro degere; Eusebium sibi jamdudùm infensum esse; consentire se expositioni sanctorum Patrum, qui Niceæ & Ephesi congregati fuerunt; sic tamen ut si in aliquo lapsi essent, hoc neque reprehendere, neque suscipere, solas autem scripturas scrutari se, tanquam firmiores sanctorum Patrum expositionibus; post incarnationem verò Dei Verbi, hoc est, post nativitatem Domini nostri Jesu Christi, unam naturam adorare se, & hanc Dei incarnati & inhumanati.

Eadem actione tertia, supplicante Eusebio, ad Eutychem mittuntur Mamas & Theophilus presbyteri, cùm epistola à Synodo scripta, qua secundò vocabatur Eutyches, qui Mama & Theophilo ægrè ad se admissis, & lectis Synodi litteris, respondet sibi definitum esse, citrà mortis necessitatem non egredi monasterio: quo Eutychis responso per præfatos Mamam & Theophilum ad Synodum relato, Synodus eum tertiò vocat per Memnonem & Epiphanium presbyteros, & Germanum diaconum, cùm epistola, qua jubetur adesse Synodo. Actione quinta qui ad Eutychem missi fuerant, referunt eum septem dierum inducias petere, quo impetrato, tandem actione septima ad Synodum venit Eutyches cum magno silentiario, ingenti monachorum & militum manu stipatus; multories à Flaviano & Patritio Florentino, quem adesse jusserat Imperator, interrogatus, dogma suum pertinaciter professus est, atque idcircò damnatus à Synodo, & ab ea ab omni officio sacerdotali & monasterii primatu depositus, fideliumque communione privatus, eadem excommunicationis pœna his omnibus, qui cum eo communicarent, imposita.

Eutyches sic à Constantinopolitana Synodo damnatus, confestim confugit ad S. Leonem, misso ad eum supplici libello, cum libello, quem Eusebius præfatæ Synodo contra illum obtulerat, & in quo illi generatim tantùm intendebat crimen hæreseos. Querebatur autem apud Summum Pontificem Eutyches, se immeritò ab Episcopis, Nestorianam hæresim instaurare volentibus, communione privatum, quamvis apertè Nicænam fidem profiteretur, & evocatus à Synodo, adfuisset, nec sui præsentiam denegasset: insuper mentiebatur naviter, sese in ipso judicio libellum appellationis ad Sedem Apostolicam obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus fuerit, contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponere.

Breviter ad Eutychem rescripsit Leo, eum, quem præ se tulerat adversùs Nestorianam hæresim zelum laudans, ejus tamen dictis fide non adhibita: quare cùm hæreret suspensus, nec prudenter posset quidquam, incognitis rebus, in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa, quæ gesta fuerant, veraciter audivisset, scripsit ad Flavianum, jubens ut sibi quàm plenissimè ac lucidè omnia, quod ante facere debuerat, indicare festinaret; quin etiam ea de re ad Theodosium Imperatorem dedit litteras, in quibus accusabat Flaviani negligentiam.

Ad Leonem sine mora de Eutyche accuratè rescripsit Flavianus; & transmissis ad eum synodalibus actis, nequitiam Hæresiarchæ retexit; qua cognita,

Leo

Leo Synodum suam convocavit, & ex ea celebrem illam epistolam, quæ incipit, *Lectis dilectionis tuæ litteris*, ad Flavianum scripsit, in qua primùm notat imperitiam ac vecordiam Eutychis. *Quibus*, inquit, *Eutyches ... multùm imprudens, & nimis imperitus ostenditur ..... quam eruditionem de sacris novi & veteris testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur. Nesciens igitur, quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, &c.* Deinde contra impium illius dogma duarum in Christo post unitionem naturarum, divinæ & humanæ, veritatem luculentissimè exponit, & defendit.

Scripserat etiam Eutyches ad Petrum Ravennatem Episcopum, cognomento Chrysologum, ut eum sibi conciliaret, & meditaorem inter ipsum & Flavianum agere vellet. Rescripsit autem ad Eutychem Petrus, ipsum graviter, quamvis indirectè, culpans, eumque adhortans, ut sese synodicæ S. Leonis epistolæ, utpotè Sedis Apostolicæ judicium infallibile continenti, submittat. *In omnibus*, inquit, *hortamur te, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis scriptæ sunt, obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet* (per successores suos) *præsta* (per eos) *quærentibus fidei veritatem*. Tùm hæc verba nunquam satis laudata subjicit: *Nos enim post studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.*

Eutyches in hæretico proposito obfirmatus, & fretus patrocinio Chrysaphii Eunuchi, quem è sacro fonte susceperat, & impietati suæ consentientem habebat, simul & infensissimum Flaviano, quique plurimùm tunc temporis poterat apud Theodosium juniorem, principem quidem religiosum, & fidei catholicæ studiosissimum, sed ob nimiam credulitatem & mediocritatem ingenii, opportunissimum aulicorum insidiis; Eutyches, inquam, Chrysaphii patrocinio fretus, nihil non, ut Flavianum perderet, & hæresim suam stabiliret, tentare ausus est.

Etenim ut non solùm monachos, quos jam antequam à Constantinopolitana Synodo condemnaretur, missis ad eos tomis ejus dogmata continentibus, sollicitarat, sed etiam totam civitatem Constantinopolitanam ad seditionem commoveret, famosos libellos, injuriis & contumeliis adversùs Flavianum refertos, publicè proposuit. Supplicem Imperatori obtulit libellum, in quo querebatur acta Synodo Constantinopolitanæ à notariis fuisse falsata; in quibus tamen, Imperatoris jussu coram Thalassio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo & Florentio Patricio relictis, nihil omninò falsitatis inventum est. Flavianum hæreseos insimulavit, atque ita in fide suspectum reddit Imperatori per Chrysaphium, ut Imperator virum sanctissimum & eximiè catholicum jusserit, scripto edere fidei suæ professionem. Denique per spadonem suum à Theodosio obtinuit, ut Ephesum convocaretur generalis Synodus, in qua ejus causa, & judicium Constantinopoli latum, & à Romano Pontifice, ad quem ipse appellarat, confirmatum, retractaretur, præside Dioscoro Alexandrino Patriarcha, homine nefario, & ejus impietati addictissimo.

§. II.

De gestis Ephesi in causa Eutychis.

THeodosius Chrysaphii criminationibus & calumniis in Flavianum & ejus Synodum exasperatus, eumque Nestorianam hæresim instaurare velle, malè suspicans, annuit Chrysaphio & Eutychi generalem Synodum postulantibus. Synodum ergo generalem congregari jussit Ephesi, cui præesse voluit Dioscorum, ad quem tres scripsit epistolas, in quarum prima jubebat, eum venire Ephesum cum decem Metropolitis Ægyptiæ diœcesi subjectis, & decem aliis Episcopis, fide ac doctrina conspicuis, simulque significabat, nolle se Theodoretum, quem pridem soli suæ Ecclesiæ vacare jusserat, adesse, nisi secùs videretur universæ Synodo. In secunda admonebat eum, à se nominatim invitatum fuisse Barsumam Syrum Archimandritam, quem puritate vitæ & catholica fide probatissimum existimabat, sed reverà hominem hæreticum & sicarium immanem. In tertia denique constituebat eum Synodi præsidem, asserens hoc universis, qui adessent, Episcopis placiturum.

Aliis etiam Patriarchis & Metropolitanis, missis ad eos litteris, præcipit, ut adessent Kalendis Augusti. Flavianum quoque, & alios Episcopos, qui Eutychem Constantinopoli damnaverant, præsentes esse voluit; sed tacere, nec inter judices censeri, sed communem aliorum omnium Episcoporum sententiam exspectare, quoniam ea quæ ab ipsis judicata erant, retractarentur. Tum ut omnia peragerentur absque tumultu, eò misit Elpidium comitem sacri consistorii, Eulogium tribunum, & Notarium Prætorianum, cum militum præsidio.

Nominatim per litteras ad Synodum Imperator invitavit Leonem Romanum Pontificem, qui Imperatori, & ejus sorori Pulcheriæ rescripsit, id moris non esse, ut Romanus Pontifex ejusmodi Synodis per sese adesset; præterea necessitate rerum præsentium se Romæ detineri; sed legatos, qui præsentiam ejus exhiberent in Synodo, à se missum iri, quod re ipsa præstitit: nam tres misit legatos, qui vicem ejus agerent, Julianum, Renatum, & Hilarum, cum synodica ad Concilium Ephesi celebrandum epistola, quæ incipit, *Religiosa clementissimi Principis fides;* in qua postquam Eutychis imperitiam & ejus hæresim breviter perstrinxit, sic prosequitur: *Fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum presbyterum, & filium meum Hilarum diaconum, cumque his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei, misi, qui vice meâ sancto conventui vestræ fraternitatis interfint, & communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant: hoc est, ut primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plenè apertèque propria voce & subscriptione damnaverit: quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus spondens per omnia nostram secuturum esse sententiam.*

Latrocinale igitur Concilium cœptum est anno Christi 449. sexto idus Augusti, & adfuerunt Episcopi circiter 360. Lectis litteris Imperatoris, Romani Pontificis legati petierunt, ut Leonis quoque synodica epistola coram legeretur, quod eludente Dioscoro factum non est. Eutyches deinde, Eusebio, qui illius accusator erat, rejecto, admissus est, & Synodo libellum confessionis obtulit; quo lecto, acta Constantinopoli sub Flaviano contra eundem Eutychem releguntur. Illis relectis in integrum restituitur Eutyches; restituto Eutyche, introducuntur ejus monachi, qui in Synod supplicem adversùs Flavianum offerunt libellum, in quo queruntur immeritò privatos se à Flaviano fidelium communione, & sacramentorum participatione, eò quòd ab Eutyche discedere noluerint. Lecto libello, monachi adversùs Episcopum suum rebelles & contumaces absolvuntur ab excommunicatione, in qua novem jam ferè menses integros impœnitentes manserant.

Exinde jubente Dioscoro releguntur acta in actione sexta Ephesinæ Synodi, ubi lecto symbolo à Nestorianis falsato, & à Charisio presbytero ad Synodum delato, Synodus statuerat, ne quis alteram ab ea, quam Nicæni Patres composuerunt, fidem aut proferre, aut conscribere, aut componere licitè posset: qui verò alteram fidem componere aut proferre auderet, si Episcopus esset vel clericus, deponeretur; si verò laicus, excommunicaretur. Post hæc Dioscorus contra Flavianum & Eusebium Dorilæi Episcopum, tanquam Ephesini decreti transgressores, quòd Nicæno symbolo non contenti, de fide novi aliquid constituissent, depositionis sententiam profert, frustrà ad illius genua accedentibus Episcopis, & deprecantibus,

ne innocentem & immeritum Flavianum damnet ; quod non solùm non impetrant , sed etiam ab introductis militibus ita terrentur omnes, ut omnes Flaviani & Eusebii damnationi subscribant , exceptis tamen legatis Pontificiis, quorum alter, nempe Hilarus, alta voce intercedit. Flavianus oppressus à Dioscoro, ab injusta illius sententia provocat, & appellat Romanum Pontificem, appellationisque libellum legatis Apostolicæ Sedis tradit. Cæsus , multisque injuriis affectus, deportatur in exilium, ubi non multò post dolore plagarum , quas acceperat , extinguitur. Denique soluta Synodo, Epheso discedit Dioscorus, & in urbe Nicæa in Leonem Summum Pontificem fert excommunicationis sententiam , quam decem Episcopi Ægyptii, quos secum habebat, ipso cogente ; inviti & gemebundi subscribunt.

Hilarus ægrè è manibus Dioscori elapsus, Romam venit ad Leonem, eumque de re tota certiorem facit. Leo Synodum convocat, in eaque omnia in Ephesino conciliabulo acta rescindit, & ad Theodosium scribit, obsecrans ut omnia in eo statu esse jubeat, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur , atque ut , quia & legati Apostolici fideliter reclamarunt contra sententiam in Flavianum latam , & eisdem libellum appellationis Flavianus dedit , generalem Synodum jubeat intra Italiam celebrari . Ad Pulcheriam quoque Augustam scribit, ut hanc suam supplicationem apud Theodosium, tanquam specialiter à Petro Apostolo legatione sibi commissa, dignetur asserere, ab eoque Concilium intra Italiam habendum impetrare laboret.

Idem à Theodosio, datis ad eum litteris, Leonis hortatu, Valentinianus, qui in Occidente imperabat, Galla Placidia mater ejus, & ejus uxor Licinia Eudoxia petierunt ; sed nihil impetratum est : imò verò Theodosius, quem Chrysaphius sycophantiis suis infatuarat, legem edidit, qua Flavianum velut Nestorianæ hæreseos instauratorem infamabat , ejusque confirmabat depositionem, sicut & aliorum Episcoporum, quos exauctoraverat Alexandrinus , Eusebii scilicet Dorilæi Episcopi , domni Patriarchæ Antiocheni , Theodoreti, Ibæ, &c. Eadem lege jubebat, ut Episcopi universi Nicænam fidem subscriberent, & eum de sua subscriptione per proprias litteras certiorem facerent, &c.

Scribunt aliqui, Theodosium rei veritatem tandem comperisse; in eos, à quibus deceptus fuerat , animadvertisse; Chrysaphium relegasse, Eudoxiam conjugem suam verbis acerbissimis objurgasse , adeò ut ipsa Hierosolymam adeundi copiam petierit; Pulcheriam denique sororem suam , quam Chrysaphio & Eudoxia suadentibus, à rerum administratione removerat, honorificè revocasse, atque in pristinam Augustæ dignitatem restituisse ; quod certè contingere non potuit, nisi postquam ad Valentinianum, Placidiam, & Liciniam rescripserat, eisque , quod petebant , abnuerat . At videmus Leonem ad Pulcheriam ut Augustam & summam rerum administrantem scripsisse ante pseudo Synodum Ephesinam , imò & aliquantò post, quando ad impetrandum totius orbis intra Italiam Concilium scripsit Theodosio , qui tunc certò certiùs errorem nondùm deposuerat.

Anno sequenti extincto Theodosio, Martianus , vir religione & bellica virtute eximius , Imperium capessit, & conjugem accepit Pulcheriam , quacum rei catholicæ constituendæ pari studio statim incumbit. Corpus Flaviani ab exilio Constantinopolim honorificè revehi jubet , & collocari in Apostolorum Basilica , in qua Constantinopolitani Episcopi inhumari solebant . Episcopos ob Flavianum depositos, & in exilium deportatos, ab exilio revocat, futuræ Synodi legitima sententia sedes suas recuperaturos. Chrysaphius malorum omnium auctor, Pulcheriæ nutu occiditur . Legati à Leone paulò ante Theodosii obitum, Abundius scilicet, & Asterius Episcopi, & Basilius & Senator presbyteri , Constantinopolim missi honorificè excipiuntur à Martiano . Anatolius, qui Flaviano suffectus fuerat , convocato Episcoporum concilio , cui interfuerunt legati Pontificii , Eutychis hæresim damnat , & unà cum aliis , qui aderant , Episcopis subscribit epistolam Leonis ad Flavianum, eamque ad alios Orientis Episcopos subscribendam destinat . Eutyches denique in exilium deportatur , de eoque deinceps altissimum silentium est.

Leone & Pulcheria hortantibus , Martianus generalem Synodum convocare statuit , primùm Nicæam, quò Leonem ipsum , & alios Episcopos invitavit. Eò convenerunt Episcopi 630. ut testatur Liberatus in Breviario cap. 13. aut ad minimùm 520. ut Patres ipsi in sua ad Leonem synodica epistola scripsere. Eòdem Leo legatos, qui vicem ejus agerent , & ejus nomine Synodo præsiderent , misit Paschasinum Lilybetanum in Sicilia Episcopum, & Lucentium Episcopum Asculanum, cum Bonifacio & Basilio presbyteris ; quibus Imperatorem enixè rogantibus , ut præsens adesset Concilio , seque aliter ei interfuturos esse negantibus, Imperator Nicæa Chalcedonem Episcopos evocavit , ut propter vicinitatem loci ex urbe regia , cùm opus foret , ad eos venire posset . Concilium itaque Chalcedone cœptum est VIII. idus Octob. anno 451. & actionibus sexdecim perfectum est. Nos hìc quæ sex prioribus actionibus gesta sunt, & ad Eutychis causam pertinent, quanta fieri poterit brevitate perstringemus.

§. III.

De gestis Chalcedone in causa Eutychis .

ACtione prima cùm Dioscorus inter Episcopos suo loco consedisset, intercesserunt legati Pontificis, Paschasinus & Lucentius, protestati se, ut Leo jusserat, discessuros , si Dioscorum judicis , & non potius rei locum teneret, quippe qui non judicaturus, sed judicandus advenerat, quia cùm personam judicandi non haberet, eam agere præsumpserat , & Synodum generalem ausus fuerat facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit , nunquam factum est. Quod postulabant , obtinuerunt legati ; & jubentibus Magistratibus ac Senatoribus , Dioscorus in medium transiit , eique ex adverso oppositus est Eusebius Dorilæi Episcopus, qui illum accusaturus advenerat . Postulante Eusebio , perlecta sunt duarum Synodorum acta, Constantinopolitanæ scilicet, in qua damnatus fuerat Eutyches , & Ephesinæ latrocinalis , in qua Eutyches in integrum restitutus, & Flavianus cum Eusebio depositus fuerat ; quibus perlectis, cùm Eutychem malè restitutum, & Flavianum cùm Eusebio injustè depositum fuisse liqueret , judices ac senatus dixerunt , videri sibi justum esse , si ita placeret Imperatori , eidem depositionis pœnæ subjiciendos Dioscorum, Juvenalem Hierosolymitanum Episcopum, Thalassium Episcopum Cæsareæ Cappadociæ , Eusebium Episcopum Ancyræ, Eustathium Episcopum Beryti, & Basilium Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui in latrocinio Ephesino principatum obtinuerant.

Actione secunda, præsentibus Magistratibus & Senatoribus, absente verò Dioscoro cum aliis sex Episcopis proximè nominatis , leguntur symbolum Nicænum, symbolum Constantinopolitanum, epistola Cyrilli ad Nestorium , quæ incipit , *Obloquuntur* ; alia ejusdem ad Joannem Antiochenum epistola, quæ incipit, *Lætentur cœli*, & epistola synodica à S. Leone ad Flavianum contra Eutychis hæresim scripta , cui post ejus lectionem Episcopi, qui aderant, orthodoxi sic acclamant: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit . Petrus per Leonem ita locutus est , Apostoli ita docuerunt.* Dixi autem, Episcopi, qui aderant, orthodoxi: nam Illyriciani & Palæstini Episcopi , qui nondùm ad sanam mentem redierant , dubitarunt circa tria hujus epistolæ loca , quorum tamen plana erat orthodoxia: Breviter illis ex tempore responsum est ab orthodoxis: tum Magistratibus & Senatoribus scisitantibus , quis adhuc dubitet,

ret, orthodoxi Episcopi iterùm clamant, *Nemo dubitat*: sed Illyriciani & Palæstini per Atticum Nicopoleos Episcopum aliquot dierum inducias postulant, intra quos tranquilla mente veritatem perquirere possint. A Magistratibus & Senatoribus conceduntur illis quinque dierum inducie, intra quos cum orthodoxis apud Anatolium convenientes doceantur, & dubia sua deponant. Contra hanc œconomiam reclamant orthodoxi omnes, dicendo: *Omnes ita credimus: sicut Leo, ita credimus, Nostrum nullus dubitat. Nos jam subscripsimus*. Denique Illiriciani & Palæstini petunt, ut Dioscorus cum aliis sex Episcopis supra memoratis Synodo reddatur, orthodoxis omnibus clamantibus *Ægyptium exilio*.

Actione tertia, à qua absunt Magistratus & Senatores, & Dioscorus, cum aliis sex Episcopis, qui cum illo in Ephesino latrocinio primatum habuerunt, Eusebius Dorilæi Episcopus Dioscorum accusat; leguntur varii libelli Synodo oblati, in quibus exponebantur Dioscori scelera. Dioscorus à Synodo citatus, etiam post tertiam citationem venire abnuit: Paschasinus in eum sententiam profert his verbis: *Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, una cum ... beato Petro Apostolo qui est petra & crepido catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei sacramentum, nudavit eum* (Dioscorum) *tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio*.

Similiter contra Dioscorum depositionis sententia fertur ab Anatolio, Maximo Antiocheno, & aliis deinceps omnibus qui aderant Episcopis. Sententia depositionis contra Dioscorum lata, ab omnibus deinde subscribitur; mittitur ad Dioscorum, & significatur clericis Alexandrinis, qui Chalcedone aderant. A Synodo proponitur edictum, quo declaratur, ita Dioscorum gradu & dignitate dejectum esse, ut nunquam in integrum sit restituendus. Denique Martianum Imperatorem de Dioscori depositione certiorem facit Synodus per litteras, in quibus Patres damnationis Dioscori causas exponentes, asserunt eum depositum esse, quia primò epistolam Leonis ad Flavianum recitari prohibuit Episcopis Ephesi congregatis, & hoc postquam multoties promiserat, & juraverat sese hujus epistolæ lectionem non impediturum. Secundò, Eutychem legitimè abdicatum, in integrum irregulariter restituit contra decretum Leonis, qui hæresim ejus damaverat, & sententiam in illum à Flaviano latam confirmaverat. Tertiò, quia Flavianum & Eusebium Dorilæi Episcopum iniquè damnavit, & alios Episcopos à diversis Conciliis ritè damnatos, in communionem propria auctoritate suscepit; cùm regulæ ecclesiasticæ præcipiant, ne qui Episcopi in communionem accipiant eos, qui ab aliis fuerunt excommunicati. Quartò, sententiam excommunicationis in Leonem Pontificem ferre ausus est. Quintò denique, Concilio inobediens fuit, & semel, ac secundò, & tertiò secundùm sanctas regulas vocatus, noluit sese sistere.

Magistratus & Senatores qui actione tertia non interfuerant, ut Dioscori judicium soli Synodo relinqueretur, adfuerunt actioni quartæ: in qua sciscitantibus illis utrùm symbolo Nicæno & Constantinopolitano consonet epistola Leonis ad Flavianum, declarant Episcopi omnes, etiam Illyricani & Palæstini, qui actione tertia dubitaverant de tribus ejus locis, illam symbolis consonare, eique se subscripsisse. Exinde accepto Imperatoris mandato, quo Juvenalis & aliorum Episcoporum, qui cum Dioscoro latrocinalem Synodum Ephesinam rexerant, judicium Synodo permittebatur, Synodus cum illis, quoniam Leonis epistolæ subscripserant, clementer agit, eosque in pristinum ordinem & consessum admittit. Lecta deinde fidei professione, quam Imperatori obtulerant Ægyptii Episcopi tredecim, jubentur dictam Leonis epistolam subscribere, quod facere sine Alexandrino Archiepiscopo constanter renuentes, ex indulgentia subscriptionem suam differre permittuntur donec novus loco Dioscori eligatur Alexandriæ Episcopus. Denique Caroso & aliis Archimandritis ac monachis Eutychianis, postquam lecti fuerunt supplices libelli, quos Imperatori obtulerant, conceduntur triginta dierum inducie ad hoc, ut Eutychis hæresim damnent, & subscribant epistolam Leonis; quo tempore elapso, si non obedierint, gradu ac omni dignitate, communione, & prælatura privati declarantur.

Actione quinta, cui interfuerunt Magistratus & Senatores, lecta fidei expositione, qualis apud Anatolium absentibus legatis Apostolicis exarata fuerat, Joannes Germaniciæ Episcopus, in medium transiens, dixit, expositionem illam non bene habere, adeòque redintegrandam esse. Reclamarunt etiam legati Pontificii, interminati se discessuros, & Romæ Synodum aliam generalem coactum iri, ni reconcinnaretur expositio, in qua tantùm dicebatur, Christum esse ex duabus naturis, quod ad Eutychianam impietatem refutandam insufficiens esse judicabant Apostolici legati, nec immeritò, ut patet ex his Dioscori verbis: *Quod ex duabus naturis est, suscipio; duas non suscipio*. Quare volebant in expositione dici, quod in sua ad Flavianum epistola scripserat Leo, Christum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter subsistere; quod tandem post longam altercationem agentibus Magistratibus ac Senatoribus, & ipsomet Imperatore per nuncium interveniente, & præcipiente, perfectum est ab Episcopis ad id à Synodo delegatis. Expositio reconcinnata, & cum additione quam legati Pontificii postulaverant, relecta, ab universa Synodo suscepta est, clamantibus Episcopis omnibus: *Hæc fides Patrum Metropolitani modo subscribant ... quæ benè definita sunt, dilationem non suscipiant. Hæc fides Apostolorum, huic omnes consentimus, omnes ita sapimus*.

Actione sexta, præsentibus Marciano & Pulcheria, fidei expositio, postquam iterùm lecta est, ab Episcopis omnibus subscribitur; & subscriptione ab omnibus facta, Imperatore iterùm sciscitante, num secundùm omnium Episcoporum consensionem definitio relecta, prolata fuerit, clamant omnes: *Omnes sic credimus: una fides, una voluntas, omnes idipsum sapimus, omnes consentientes subscripsimus, &c. Nestorio & Eutychi & Dioscoro anathema. Trinitas hos tres damnavit, Trinitas hos tres ejecit, &c.* Sic absoluta est Chalcedonensis Synodus celeberrima, quantùm attinebat ad Eutychem, circa quem nominatim nihil statuit Synodus, quia causa illius jam erant finita, utpotè legitimè condemnati ab Archiepiscopo suo Flaviano, cujus judicium confirmaverat summus Pontifex Leo, cujus rogatu Eutychem jam relegaverat Marcianus.

Edicto publicè proposito Synodum confirmavit Marcianus, & ea quæ decreverat observari præcepit. Legem, à Theodosio post latrocinalem Synodum Ephesinam contra Flavianum & Eusebium Dorilæi Episcopum latam, lege contraria infirmavit & abrogavit; Gangram Paphlagoniæ urbem relegavit Dioscorum, in cujus locum suffectus est Proterius vir apprimè catholicus, qui sedem Alexandrinam obtinuit, non sine ingentibus turbis, quas excitarunt, qui Dioscoro studebant: quare tunc duas in partes scissa est Alexandria, aliis, qui numero quidem pauciores, sed honestiores erant, Proterium sequentibus; aliis verò Dioscoro, quandiù vixit adhærentibus, quorum plerique nequidem mortuo Dioscoro ad Proterium rediere, sed schisma fecere, auctoribus Timotheo Æluro presbytero, & Petro Moggo diacono, quos idcircò Proterius damnavit.

§. IV.

Discrimina, in quæ ab Eutychianis adducta Chalcedonensis Synodus, perstringuntur.

MArciano Imperatore anno 457. è vivis sublato, Timotheus Elurus, monachorum, quos circumvenerat, multitudine fretus, sedem Alexandrinam invadit;

vadit; à duobus Episcopis, qui ob crimina sua damnati fuerant, & in exilium pulsi, ordinatur; per nefarios homines Prorerium in baptisterio, ad quod confugerat, ipso die Cœnæ Domini interficit; & Chalcedonensem Synodum anathematizat. Missis utrimque ad Leonem, qui Marciano successerat, supplicibus libellis, hoc est, tam ab Ægypti Episcopis & clericis, de Proterii sede, & Chalcedonensis Synodi damnatione conquerentibus; quàm à Timotheo, factum excusante, & ut Synodus Chalcedonensis abrogaretur postulante, Leo encyclicas litteras ad omnes orbis Romani Episcopos scribit, sciscitans quid eis de Chalcedonensi Concilio, & Timothei ordinatione statuendum judicent. *Chalcedonensem Synodum*, ut ait Liberatus, cap. 15. *usque ad sanguinem vindicandam ... Timotheum verò non solùm inter Episcopos non haberi, sed etiam christiana appellatione privari*, rescribunt omnes Episcopi. 1060. Episcopos Eulogius Episcopus Alexandrinus, ad 470. tantùm Ephræmius Antiochenus Episcopus ad Imperatorem rescripsisse testatur apud Photium. Acceptis Episcoporum litteris Imperator Alexandria pelli jubet Timotheum, eumque Gangram primùm, deinde Chersonam relegari. In ejus locum à Catholicis sufficitur Timotheus alius, cognomento Salophaciolus.

Non solùm Alexandriæ, sed etiam Antiochiæ turbatum est ab Eutychianis. Petrus cognomento Cnapheus sub Fullo, presbyter primùm Chalcedone, deinde Constantinopoli Archimandrita, impietati Eutychianæ addictissimus, scelerum suorum conscientia exagitatus aufugit Antiochiam ad Leonem, quem Imperator Leo Orientis ducem fecerat. Ibi contra catholicam fidem & Martyrium Patriarcham turbas ingentes excitavit; tum Martyrio sponte Episcopatui renunciante, sedem Antiochenam invasit: sed agente Gennadio, ab Imperatore damnatus ad exilium, antequam in illud deportaretur, fuga sibimet consuluit.

Leone mortuo, & imperante Zenone, Basiliscus Eutychianæ sectæ studiosus, tyrannidem arripit anno 495. Ab exilio revocat Timotheum Elurum, qui cum Petro Cnapheo venit Constantinopolim. Suadente Timotheo, Basiliscus ad omnes ubique Episcopos mittit encyclicas litteras, in quibus epistolam sancti Leonis ad Flavianum & Chalcedonense Concilium anathematizari jubet, & ubicunque reperta fuerint, flammis absumi. Cum Timotheo Eluro & Petro Cnapheo Basiliski litteris subscripsisse Episcopos alios numero circiter quingentos scribit Evagrius, lib. 3. hist. cap. 5. Ex illis fuere Asiani Episcopi, qui tamen aliquanto post, dejecto Basilisco, ad Acasium Constantinopolitanum miserunt pœnitentiæ libellos, quibus asserebant, se non sponte sua, sed necessitate adactos, Basiliski litteris subscripsisse, nec aliter se, quàm juxta Chalcedonensis Synodi formulam credere, & antea credidisse.

Subscriptis Basiliski litteris Petrus Cnapheus Antiochiam reversus, sedem illam iterùm occupat. Timotheus itidem cum Petro Moggo Alexandriam redit, & sede illa recepta, fugatoque Timotheo Salophaciolo, anathematizat Chalcedonensem Synodum. Interea Acacius adversùs Basiliscum plebem Constantinopolitanam & monachos commovet. Basiliscus perterritus, litteras suas encyclicas revocat, aliasque illis contrarias, quibus Chalcedonensem Synodum confirmat, mittit ad Episcopos.

Altero, quàm deturbatus fuerat anno, Zeno imperium recuperat; omnia Basiliski acta rescindit, Petrum Cnapheum Antiochia expullit; deturbari jubet Timotheum Elurum, qui, si Liberato credimus, vitæ pertæsus mortem optat, & hausto sponte veneno extinguitur. Restituto jussu Leonis Timotheo Salophaciolo, hæretici sua sibi auctoritate Episcopum eligunt Petrum Moggum, quem, hoc nuncio accepto, morte damnat Zeno; quare sese hominum conspectui subducere cogitur; cùm autem Alexandriæ delitesceret, Timotheus Salophaciolus de eo longiùs amandando scripsit ad Simplicium Pontificem, qui ea de re apud Zenonem & Acacium, qui tum Petro favebat, toto ferè triennio per litteras frustrà laboravit.

Mortuo Timotheo Salophaciolo, à Catholicis Joannes cognomento Thalaja, vir catholicus, Episcopus Alexandrinus ordinatus est, cui Acacius, quòd ab eo non accepisset litteras, quibus de illius ordinatione certior fieret, gravissimè succensuit: unde & Zenonem impulit, ut eo dejecto Petrum Moggum restituat. Prætereà, idem Acacius Zenoni auctor fuit, ut Catholicos cum hæreticis conciliandi gratia ederet henoticum seu unitivum decretum, quod est media quædam inter orthodoxos & heterodoxos fidei professio, in qua scilicet profitetur se nullam aliam fidei formulam suscipere præter Nicænam, quam Constantinopolitana Synodus generalis confirmavit; & Ephesina, quæ Nestorium damnavit, secuta est; eosque qui aliter sentiunt, vel senserunt aliàs, sive in Chalcedonensi, sive in alia qualibet Synodo, anathematizat cum Nestorio & Eutyche. Præterea, duodecim sancti Cyrilli adversùs Nestorium anathematismos recipit & confitetur *Unigenitum Dei Filium & Deum, verà hominem factum ... consubstantialem Patri secundùm deitatem, eundemque nobis consubstantialem quoad humanitatem, qui descendit & incarnatus est ex Spiritu sancto de Maria Virgine ac Dei genitrice, unum esse, non duos. Eos verò qui dividunt, aut confundunt, aut phantasiam introducunt*, omninò rejicit: de una autem aut duabus post incarnationem naturis ex industria silet, ne cui parti præjudicet. Itaque Zeno in suo henotico Synodum Chalcedonensem non damnabat quidem, sed nec illam, & editam ab illa fidei expositionem admittebat, imò indirectè eam petere, ac vituperare videbatur.

Henoticum suscepit Petrus Moggus, quare cum eo Acacius communionem iniit. Cùm autem Chalcedonensem Synodum damnare desineret Petrus, ex Eutychianis, quibus abundabat Alexandria, aliqui ab ejus communione recesserunt; cùmque postea, ut illos ad se reduceret, Synodum anathematizasset, nihilominùs in suo schismate perseveraverunt: unde quia conventus suos seorsim à suo Capite seu Patriarcha agebant, nuncupati sunt Acephali, quod vocabulum ad totam sectam transiit; ita ut postmodùm sectæ illius homines indifferenter Acephali, vel Eutychiani appellati fuerint.

Anno 482. quo Henoticum promulgatum est, Constantinopoli degebat Petrus Cnapheus, qui illud suscipiendo conciliavit sibi Acacium, à quo in communionem idcircò receptus est, & in Antiochena sede restitutus, ejecto Calendione catholico, quem ipse Acacius ordinaverat: sede recuperata Petrus Cnapheus palàm Concilium Chalcedonense damnavit, & ad Trisagii finem hanc adjecit clausulam, *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*, sicque initium dedit hæresi Theopaschitarum.

Anno 483. defuncto Simplicio, ad Pontificatum Romanum evectus est Felix tertius, qui Henoticum repudiavit, & Romæ coegit Synodum, ex qua legatos, Vitalem scilicet ac Missænum Episcopos, Constantinopolim misit, qui à Zenone peterent, ut Chalcedonensis Synodus firmaretur, Petrus Moggus tanquam hæreticus expelleretur, & Acacius Romam mitteretur; rationem redditurus eorum, quæ ei objiciebat Joannes Thalaja, qui Alexandria expulsus, ad Sedem Apostolicam confugerat. Verùm legati in carcerem conjecti, ac postea ab Acacio corrupti, cum hæreticis communicarunt, Petri Moggi nomine in sacris dyptichis publicè recitato, ex quo facto multos ex simplicioribus in fraudem induxerunt hæretici, asserentes Petrum Moggum à Romana etiam Sede susceptum esse in communionem.

De legatorum suorum prævaricationem per Acœmetenses monachos, qui illos accusaturi Romam venerant, certior factus Felix, alteram Romæ coegit Synodum, in qua legatos suos omni honore & gradu privavit, & excommunicationis sententiam tulit in Acacium, quam Constantinopolim delatam monachus Acœmetensis in Acacii pallio suspendit, dum ad sacra celebranda templum ingrederetur. Acacius con-

contempto Synodi Romanæ judicio in hæreticorum communione permansit, & Felicis nomen è sacris expunxit diptychis : quare ex tunc Romana & aliæ Occidentales Ecclesiæ à Constantinopolitana separatæ sunt, quod schisma diu duravit cum ingenti Ecclesiarum Orientalium detrimento ; nec nisi post quinque & triginta circiter annos, imperante Justino seniore, & procurante Hormisda Pontifice, extinctum est.

Zenone post decimum & septimum imperii sui annum absque liberis defuncto, Ariadnes, quæ Zenonis conjux fuerat, opera rerum summam adepta est, & Ariadnem accepit uxorem Anastasius. Eo imperante, miram Ecclesiarum Orientalium discordiam fuisse, scribit Evagrius lib. 3. hist. Eccl. cap. 30. singulis præsulibus, prout ipsis visum erat, agentibus. Alii Synodum Chalcedonensem defendebant ; alii anathematizabant : alii nec admittebant nec rejiciebant, contenti Henotico, quamvis inter se de una vel duabus in Christo naturis dissiderent. Cùm autem vellet Anastasius subditos imperio suo altissima pace frui, omni contentione tum ab Ecclesiæ statu, tum à rebus publicis procul amandata, atque ita nihil omninò innovari vellet, si quem Episcopum deprehendebat contra inolitam Ecclesiæ, cui præerat, consuetudinem Concilium Chalcedonense aut prædicantem, aut sub anathemate damnantem, eum sede expellebat.

Xenajas Hierapoleos Episcopus, cum ingenti monachorum Eutychianorum turba Antiochiam irrumpens, Flavianum Patriarcham catholicum aggressus est, ut eum ad anathematizandam Chalcedonensem Synodum compelleret. At cives Antiocheni accurrentes, Xenajam cum suis monachis, non sine magna illorum cæde fugarunt. Quod cùm delatum esset ad aures Anastasii, Flavianum immeritum expulit, & Patras relegavit, intruso in ejus locum Severo, homine nequissimo, qui ob Eutychianam impietatem è monasterio suo expulsus, Constantinolim venerat, & in Anastasii familiaritatem irrepserat. Hic cùm Antiochiam venisset, synodicas, in quibus Chalcedonensem Synodum cum epistola S. Leonis, & eos qui duas in Christo naturas agnoscebant, sub anathemate damnabat, litteras quaquaversùm misit, & ad eas subscribendas suæ diœceseos Episcopos partim fraude induxit, partim vi compulit, nonnullis tamen subscribere recusantibus, qui idcircò sedibus suis relictis fugerunt.

Mortuo Anastasio Prætoriani milites Imperatorem renuntiarunt Justinum, qui senior dictus est, Principem apprimè catholicum, & acerrimum Chalcedonensis Synodi defensorem. Hic primo imperii sui anno Severum, eò quòd in litteris synodicis, quas scribebat, & in responsionibus, quas ad singulos Patriarchas mittebat, Synodum Chalcedonensem damnare non cessabat, deturbavit, jussitque linguæ abscissione plecti, hortatu Vitaliani militum magistri, cui maledixerat. Quod supplicium fuga evasit Severus, in cujus locum suffectus est Paulus quidam, vir catholicus, qui Chalcedonensem Synodum palàm prædicare jussus est ab Imperatore, à quo idem aliis omnibus Orientalis Ecclesiæ præsulibus præceptum est.

Justino ad meliorem vitam translato, Justinianus, quem sibi collegam assumpserat, solus imperavit, & Chalcedonense Concilium acerrimè ad finem usque vitæ defendit, Theodora ejus conjuge Eutychianorum parti addictissima, eosque, qui unam tantùm in Christo naturam asserebant, omni cura ac sollicitudine protegente.

Petro Moggo ejusdem impietatis & in Chalcedonense Concilium odii participes in Alexandrina sede successerant Athanasius, Joannes Mela, Joannes alter cognomento Niziota, Dioscorus junior, sub quo Alexandrini Acephali ad aliorum, qui Patriarchæ communicabant, Eutychianorum communionem redierunt ; & Timotheus, quo defuncto, procurante Theodora Augusta, per Calopythium cubicularium, Theodosius ordinatus est Episcopus Alexandrinus : sed seditionum populi pertæsus, sponte Alexandria abscessit, & cum honore Constantinopolim deductus est jussu Theodoræ, quæ eum Chalcedonensem Synodum susceperturum esse Justiniano promiserat ; quod cùm à Severo, qui tunc Constantinopoli agebat, in hæresi confirmatus, præstare pertinaciter recusasset, ab Imperatore missus est in exilium, & in ejus locum suffectus Zoilus Episcopus catholicus.

Anno 635. è Trapezuntina sede in Constantinopolitanam, opera Theodoræ translatus est Anthimus catholicum se simulans. Eodem anno Constantinolim venit Agapetus Romanus Pontifex, qui acceptis orthodoxorum contra Anthimum libellis, eum hæreseos convictum, Augusta clàm minas nequicquam intentante, deposuit, eique subrogavit Mennam, qui, Agapeto aliquantò post ad cœlos translato, Constantinopoli Synodum coegit, in qua Anthimus in hæresi contumax excommunicatus est cum Severo, quibus constitutione edita Justinianus non solùm urbe regia, sed etiam omni alia imperii civitate interdixit. Ex quo tempore omne in Ecclesia Orientali dissidium sublatum est, & à Patriarchis aliisque Episcopis omnibus receptæ & prædicatæ sunt quatuor Synodi, Nicæna scilicet, Constantinopolitana, Ephesina prior, & Chalcedonensis, ut scribit Evagrius, lib. 4. histor. Eccl. cap. 11. & manifestum fit ex quinta Synodo sub Justiniano celebrata Constantinopoli, in qua sic loquuntur Patres : *Iterùm confitemur quòd suscipimus sanctas quatuor Synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem ; & quæ pro una eademque fide definierunt, prædicavimus, & prædicamus.*

§. V.

De variis Eutychianorum factionibus.

Eutychiani divisi sunt in Eutychianos rigidos, Eutychianos molliores, hæsitantes, corrupticolas, incorrupticolas, Agnœtas, Theopaschitas, Triteitas, Severitas, Jacobitas, &c.

Eutychiani rigidi erant ii, qui in omnibus Eutychis impietatem sequebantur : molliores verò, qui in aliquo ab Euhyche dissentiebant ; unde & semi Eutychiani dicti sunt. Primi cum Eutyche asserebant, post unitionem, unam tantùm naturam, eamque simplicem in Christo mansisse, sive quia volebant divinitatem conversam esse in humanitatem, sive potiùs quia sentiebant humanitatem à divinitate absortam atque consumptam : unde negabant Christum ulla ex parte nobis substantialem esse. Secundi verò affirmabant unam quidem in Christo naturam esse, sed eam naturæ Patris secundùm aliquid, & secundùm aliquid naturæ nostræ esse consubstantialem : unde consequens est, ut tenerent ex utraque natura, divina scilicet & humana, unam tertiam fuisse compositam.

Hæsitantes, ex quorum numero fuisse Anastasium Zenonis in imperio successorem scribit Leontius, hoc commune cum aliis Eutychianis habebant, quòd Eutychis hæresim amplecterentur, & aversarentur Chalcedonensem Synodum.

Corrupticolæ sic dicti, quia corpus Christi fuisse corruptioni obnoxium confitebantur, Theodotiani nuncupati sunt à Theodosio, quem suprà favore Theodoræ Augustæ ad Alexandrinum Episcopatum evectum esse diximus. Incorrupticolæ verò corpus Christi corruptelæ, mortis & perpessionis expers semper esse volebant. Appellati autem sunt etiam Julianistæ à Juliano Halicarnassensi ; Gajanitæ à Gajano, quem à monachis in Alexandrinam sedem deturbato Theodosio, intrusum Theodora Carthaginem relegavit, & Aphthartodocetæ.

Agnœtæ sic dicti, quia Christo ignorantiam attribuebant, authorem habuerunt Themistium diaconum Alexandrinum, à quo Themistiani nuncupati sunt. Theopaschitæ Petrum Cnapheum authorem habuerunt, & unam de trinitate personam passam esse secundùm divinitatem asseruerunt. Differebant autem à Patropassianis, qui unicam in Deo hypostasim

sim admittebant; cùm ipsi tres inter se realiter distinctas agnoscerent. Triteitæ non solùm tres hypostases, sed etiam tres naturas inter se distinctas realiter constituerunt. Horum institutor, vel saltem instaurator fuit Joannes Grammaticus cognomine Philoponus, qui scripsit contra Chalcedonense Synodum. Severitæ, qui in plures factiones divisi fuerunt, sic dicti sunt à Severo Antiocheno pseudo-Episcopo, quo authore gloriabantur. Jacobitæ prognati sunt à Jacobo genere Syro, ex infima plebe homine, qui Armenos in Theopascitarum hæresim induxit, quam hactenùs pertinaciter retinent. Extiterunt denique aliæ Eutychianorum factiones, quorum alii Angelitæ à loco quodam Alexandriæ *Angelio* dicto, in quo conventus suos habebant, alii Petritæ à Petro Episcopo, alii Cononistæ ab Episcopo Cononе nuncupabantur.

ARTICULUS XI.

De Scythis quibusdam & Acœmetensibus monachis.

JUstino seniore imperante, pacis ac concordiæ Ecclesiasticæ studiosissimo, Hormisdas Pontifex Romanus ad eum anno 519. legatos misit, Germanum & Joannem Episcopos, Blandum presbyterum, Felicem & Dioscorum diaconos, qui cum Sede Apostolica Constantinopolitanam Ecclesiam, & alias Orientis Ecclesias reconciliarent. Tunc temporis Scithæ quidam monachi Vitaliani magistri militum, qui & ipse erat Scytha, domestici, quorum præcipui erant Achilles, Joannes, Mauritius, Maxentius, Leontius Vitaliani affinis, & Petrus diaconus, reconciliationem feliciter inceptam aliquantùm interturbarunt.

Hi aliquando cum Victore Constantinopolitanæ Ecclesiæ diacono disputantes, asserverunt Chalcedonensis Synodi professionem non sufficere, & præter illam confitendum, *unum de Trinitate crucifixum esse*. Negavit Victor: quare adversùs illum tanquam Nestorianum, supplicem libellum obtulerunt legatis Pontificiis & Joanni Constantinopolitano Episcopo, petieruntque ut Chalcedonensi Synodo adderetur illud, *unus de Trinitate crucifixus est*. Responderunt legati: *Quod non est in quatuor Conciliis definitum, nec in epistolis beati Papæ Leonis, nos nec dicere possumus, nec addere*. A legatis itaque rejecti sunt monachi, quòd extorquere vellent novum additamentum, nec necessarium, nec Eutychianæ impietatis suspicione carens; cùm ante annos triginta à Petro Cnapheo hæretico dictum esset: *Unum de increata & individua Trinitate passum esse*.

Monachi Scythiani spe sua delusi, Romam profecti sunt ad Hormisdam Pontificem, ad quem scripsere legati, ut eum admonerent, ne facilem se præberet monachis illis, qui cùm Synodum Chalcedonensem cum sancti Leonis epistola sine novo additamento sufficere negarent, & eos qui illis contenti essent, tanquam Nestorianos traducerent, hæreticum animum gerere non immeritò videri poterant. Addebat Dioscorus, è legatis unus, eorum additamento tam graviter offendi animos orthodoxorum in Oriente, ut ex illius approbatione graves dissensiones & scandala inter Ecclesias exortura essent; adeòque videri sibi, utile fore, & ad Ecclesiarum pacem conveniens, non aliud monachis illis responsum dari, quàm sufficere Chalcedonense Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur, cum S. Leonis epistola, ab eodem illo Concilio confirmata.

Scythicos monachos humaniter excepit Hormisdas, & eos usque ad legatorum suorum reditum retinere decrevit. Interea omnem adhibuit conatum, ut illos ab incepto deterreret, & suppressa, quam excitarant, controversia, quiescerent, Chalcedonensi Synodo & S. Leonis epistolis contenti; at apud eos monitis, mansuetudine, ac auctoritate sua nihil planè profecit; nam multùm tumultuari Romæ, & populum ad seditionem commovere frustra conati, clam aufugerunt, & fuga sua sese omnia ex prava & hæretica intentione agere facilè persuaserunt Pontifici, qui proinde verba Apostoli primæ ad Timotheum, cap. 3. eis attribuens in sua ad Possessorem Africanum Episcopum epistola, sic loquitur: *De eis serò probavimus prophetica Apostolum voce dixisse, in novissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines sui tantùm amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, itaque esse vitandos.* Illos tamen non anathematizavit, nec de illorum propositione judicium aliquod tulit, solùmque eam authoritate sua confirmare constanter recusavit.

Paulatim refrixit invidia, quam Scythicorum monachorum propositio incurrerat, ejusque patrocinium suscepere docti & pii homines, inter quos numerantur Ferrandus diaconus, & Facundus Hermianensis Episcopus. Cùm itaque illam Justiniano & Episcopis placere cernerent monachi Acœmetæ, sic dicti quòd in turmas tres divisi, ac per vices sibi succedentes, Dei laudes in Ecclesia diu noctuque concinerent sine intermissione, ex zelotypia adversus monachos Scythicos, quibus tanquam Eutychianis acriter adversati fuerant, in oppositum Nestorii errorem prolapsi sunt, *negantes*, ut refert Liberatus in suo Breviario cap. 20. *esse confitendum beatum Mariam verè & proprie genitricem, & unum de Trinitate incarnatum, & carne passum.*

Cùm autem urgerentur ab Imperatore, suadente Epiphanio Constantinopolitano Episcopo, ad Joannem II. Romanum Pontificem, qui Hormisdæ post Joannem I. Felicem IV. & Bonifacium II. successerat, legatos miserunt Cyrum & Eulogium; quo audito, Imperator eidem legatos destinavit Hypacium & Demetrium Episcopos, qui has tres Pontifici proponerent quæstiones: *Utrum unus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit, hoc est, una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona? An Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate? An proprie & veraciter Mater Domini Dei nostri Christi Maria, semper Virgo debeat appellari:* earumque decisionem ab eo peterent.

Ab iisdem legatis Joanni redditæ sunt Imperatoris litteræ, in quibus, suam & aliorum Orientalium orthodoxorum fidem exponens, sic ait: *Prædicantes Dominum nostrum Jesum Christum ..... crucifixum unum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, & coadorandum & glorificandum Patri & sancto Spiritui. Nec enim alium Deum Verbum, & alium Christum cognoscimus: sed unum atque eundem ipsum consubstantialem Patri secundùm divinitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundùm humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate ..... sanctam atque gloriosam Virginem Mariam proprie & verè Dei Matrem esse dicimus; non quia Deus Verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quia in ultimis diebus descendit de cœlis, & ex ipsa incarnatus, & homo factus, & natus est, quem confitemur & credimus, sicut dictum est, consubstantialem esse Deo Patri secundùm deitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundùm humanitatem: ejusdem miracula & passiones, quas sponte in carne sustinuit, agnoscentes, &c.*

Hac Justiniani legatione anno 533. accepta & audita, Joannes Romæ coegit Synodum, in qua post debitam veritatis inquisitionem sententiam tulit secundùm Imperatorem contra monachos Acœmetas, quos ad rectam fidem revocare frustra conatus est, & idcircò in hæresi obduratos fidelium communione privavit. Patent hæc ex duabus synodicis epistolis, quarum prima est ad Justinianum, secunda verò ad Avienum, Liberium, & alios Constantinopolitanos Senatores, scriptæ à Joanne anno 534.

In prima Joannes 1. laudat Imperatorem, *quòd amore fidei & charitatis studio, edoctus Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reverentiam conservet, & ei cuncta subjiciat, & ad ejus deducat unitatem,*

ad

ad cujus auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est; Pasce oves meas, *quam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant.* 2. Authoritate sua confirmat edictum publicè de consensu Episcoporum omnium ab Imperatore propositum, in quo fidei professionem illam, quam per legatos suos Romam transmiserat, ab omnibus recipiendam præscribebat.

3. Fidem Imperatoris sic laudibus exornat: *Hæc est igitur vera vestra fides, hæc certa religio: hoc beatæ recordationis Patres omnes, Præsulesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc Sedes Apostolica prædicavit hactenus, & inconcusse custodivit: huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum seipsum à sancta communione, alienum ab Ecclesia judicavit esse catholica.*

4. Denique admonet, à se excommunicatos esse monachorum Acæmetarum legatos, cum iis omnibus, qui eorum errorem sequi Romæ inventi sunt, simulque rogat Imperatorem, ut si proprio deposito errore, & prava intentione depulsa, ad unitatem Ecclesiæ reverti voluerint, eos in sua communione recipiat, eisque benigni animi gratiam condonet.

In secunda epistola authoritate Scripturarum, & Patrum confirmat hæc tria, quæ in Romana Synodo definita fuerant: *Unum scilicet ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est, unam de tribus sanctæ Trinitatis esse Personam, sive subsistentiam, quam Græci hypostasim dicunt.* Deum carne passum. Gloriosam sanctam semper Virginem Mariam propriè & veraciter Dei genitricem esse, Matremque Dei Verbi ex ea incarnati. Deinde admonet eos, ad quos scribit, ut Acæmetarum, quos Romana damnavit Ecclesia, quique Nestoriani evidenter apparuerunt, simplicem etiam collocutionem vitent, nihilque sibi cum eis æstiment esse commune; cum canon ecclesiasticus cum excommunicatis Christianum nec loqui, nec communicare permittat.

ARTICULUS XII.

De tribus Capitulis.

§. I.

Quænam fuerint tria illa Capitula.

TRia illa Capitula sunt, 1. ipsa Theodori Mopsvestiæ Episcopi persona cum his quæ contra Incarnationem Domini nostri impiè conscripsit. 2. Theodoreti Cyrensis Episcopi contra Sanct. Cyrillum commentarii, quibus anathematismos, adversùs Nestorii impietatem à S. Cyrillo conscriptos, oppugnat, & refutat. 3. Epistola ad Marim Persam, ut ferebatur, ab Iba Edessæno Episcopo scripta, in qua Cyrillus ut Apollinarista traducitur, & anathematismi ab eo conscripti, ut omni impietate pleni rejiciuntur; Synodus Ephesina contemnitur, & Nestorium præcipiti judicio injustè condemnasse dicitur; excusatur Nestorius, & Ephesinum Joannis Antiocheni conciliabulum laudatur; Theodorus Mopsvestenus effertur, velut prædicator veritatis & Doctor Ecclesiæ, & Rabbula Ibæ decessor reprehenditur, quod Theodoro illi publicè anathema dixerit; denique Nestorii impietas exprimitur his verbis: *Non enim præsumit aliquis dicere, quòd una est natura deitatis & humanitatis; sed confitentur in templum & inhabitantem in eo, qui est unus Filius Jesus Christus.* Ex præcedentibus tamen videtur posse conjici authorem epistolæ, ingenii mediocris hominem, & in rebus theologicis parùm versatum, non aliud intendisse, quàm non unam esse deitatis, & humanitatis naturam in Christo, sed in eo duas naturas, divinam & humanam, realiter distinctas, & inconfusas agnoscendas esse.

§. II.

Qua occasione, & à quibus damnata sint tria Capitula.

PElagium Sedis Apostolicæ Apocrisiarium Agapetus moriens Constantinopoli reliquerat: hunc ad Paulum Alexandrinum Archiepiscopum deponendum in Orientem misit Justinianus. Pelagio post depositionem Pauli Constantinopolim redeunti adjunxere sese Rufus Abbas monasterii Theodosii, & Conon Abbas monasterii Sabæ, ab Eustochio ad Imperatorem missi, ut ab eo Origenis & scriptorum ejus condemnationem peterent. Pelagius Theodoro Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, qui magna apud Imperatorem & Theodoram ejus conjugem pollebat gratia, & clàm fovebat Acephalos, infensus erat: quare cùm illum Origenis studiosissimum esse sciret, hanc eum vellicandi occasionem arripuit, & unà cum Menna Constantinopolitano Episcopo author fuit Justiniano, ut legatorum Orientalium precibus annueret, & edicto publicè proposito Origenem & ejus errores condemnaret. Itaque adversùs Origenem anno circiter 537. Justinianus edidit edictum, quo selecta ex ejus scriptis capita novem anathematismis proscripsit, ejusque personæ anathema dixit, & quibusvis aliis qui eadem cum illo sentirent, vel doctrinam ejus defenderent, aut ullo modo quocumque tempore tueri præsumerent. Edictum hoc, quod Imperator ad Mennam direxit, ab ipso Menna, & aliis qui tunc Constantinopoli aderant, Episcopis subscriptum est; deinde à Zoilo Alexandrino, Euphremio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano, denique à Vigilio Romano Pontifice; sicque, ut ait Liberatus cap. 23. Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus. Adde, subscribente Pontifice Romano, Origenis errores finaliter damnatos fuisse.

Liberat. cap. 23.

Evagr. lib 4. c. 38.

Origenis damnationem ægerrimè tulit Theodorus Cæsareensis: quare ut ulcisceretur Pelagium, & Acephalis gratificaretur, Imperatori, contra Acephalos pro defensione Synodi Chalcedonensis scribenti, per Theodoram Augustam suggessit compendio ad Catholicorum communionem Acephalos omnes adduci posse; eos huic Synodo adversari, quò in ea tria Capitula approbata esse viderentur, quorum damnatione si corrigeretur atque purgaretur, illam per omnia, & in omnibus ab eis sine mora susceptum iri. Facilè Justinianum, qui rebus ejusmodi libentiùs sese immiscebat, & aliunde concordiæ ecclesiasticæ cupidissimus erat, persuasit Theodorus; & eo scribente, statim factum est contra tria Capitula edictum, ad quod subscribendum sedium quatuor Patriarchæ, Zoilus Alexandrinus, Euphremius Antiochenus, Petrus Hierosolymitanus, & Mennas Constantinopolitanus compulsi sunt, quodque ad universam Ecclesiam Catholicam inscriptum, cum tredecim anathematismis illi subjunctis, anno 546. publicatum est.

Liberat. cap. 24.

Quia verò nihil actum erat, nisi Sedis Apostolicæ auctoritas accederet, Imperator Vigilium Summum Pontificem Roma Constantinopolim evocavit per litteras. Vigilius sine mora profectus, anno sequenti Constantinopolim ingressus est, statimque vim omnem adhibuit Imperator, ut ab eo primùm Capitulorum damnationem extorqueret, sed nihil obtinuit.

Anno 548. Vigilius à Justiniano supra modum vexatus, ut tandem ad damnanda tria Capitula adduceretur, Concilium habuit Episcoporum septuaginta, quorum sententiis scripto acceptis, decretum fecit, quod vocavit, *Judicatum*, in quo damnavit tria Capitula, *salva Synodi Chalcedonensis reverentia*, illudque direxit ad Mennam, & Sabbato sancto promulgavit. Hoc Vigilii Judicato graviter offensi sunt Afri, Illyrici, & Dalmatæ Episcopi, aliique trium Capitulorum defensores, inter quos fuit Facundus Hermianensis Episcopus Africanus, qui libris duo-

decim

decim illorum defensionem suscepit. Quin etiam trium Capitulorum patrocinium sumpserunt Rusticus & Sebastianus Ecclesiæ Romanæ diaconi, & à Vigilio tanquam prævaricatore, ac Synodi Chalcedonensis violatore defecerunt, quos idcircò Pontifex anno sequenti, hoc est, anno 550. cum aliis quibusdam, lata in eos sententia, deposuit.

Tom. 5. pag. 407. *Judicato* Vigilii minimè contentus Justinianus, ob hanc quam addiderat clausulam, *Salva Synodi Chalcedonensis reverentia*, eum compellere voluit ad tria capitula damnanda absolutè, & absque ulla Synodi mentione; quod cùm facere renueret Vigilius, & postularet, ut generalis Occidentalium & Orientalium Synodus convocaretur, annuit Imperator, & ad omnes Episcopos litteras misit. Interea Pontifex *Judicatum* suum, quod Italiæ clerici, ad Francorum legatos euntes Constantinopolim scribentes, nominant *Constitutum*, recepit cum Chyrographis Episcoporum Græcorum, qui eadem Capitula damnaverant, ut de integro totius causæ examen institueretur, simulque decrevit: *Ut si quis Græcorum Episcoporum, usque ad universalis Concilii tractatum, de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, à communione Sedis Apostolicæ alienus existeret.* Ad Synodum celebrandam convenere Orientales Episcopi 160. sed ex Illyricianis nullus adfuit, & ex Africa pauci tantùm venerunt. Hos variis modis tentavit Imperator, ut capitulorum damnationi acquiescerent, sed frustra; quam ob rem crudeliter vexati sunt, & unus ex illis, Reparatus scilicet Carthaginensis Episcopus, impositâ ei calumnia, missus est in exilium; quod alii duo videntes, Chalcedonem in S. Euphemiæ Basilicam fugerunt.

Pag. 409. Anno 551. Justinianus moræ impatiens, & à Theodoro Cæsareensi impulsus, cùm Vigilius constanter renueret, absentibus Episcopis Occidentalibus, cum Orientalibus tria capitula damnare, contra datam ei fidem, adversùs capitula illa edictum publicè proposuit. Reclamavit Vigilius, & ab Imperatore eam ob rem vehementer commoto sibi metuens, ad S. Petri Basilicam confugit mense Augusto. Justinianus ira percitus, ad eum, prætorem cum militum manu mittit; Vigilium columnas altaris amplexum milites capillis, barba & pedibus corripiunt, ac violenter abstrahunt; diaconis ac clericis simili crudelitate comprehensis & ejectis; Pontifice columnas non dimittente, cadit altare, & columnæ aliquæ franguntur. Hoc spectaculo commotus populus, vocibus atque stridoribus prætorem cum militibus suis terrent & fugant. Imperator facti pœnitens, securitatem omnimodam, interposito etiam juramento, pollicetur Vigilio, qui è basilica egreditur, & redit ad ædes Placidias; sed paulò post, redintegrata vexatione, clam sese recipit Chalcedonem in basilicam S. Euphemiæ.

Anno sequente 552. Imperator ad Vigilium in S. Euphemiæ basilica commorantem, honorificam destinavit legationem virorum principum, qui eum nomine principis hortati sunt, ut accepta fide Constantinopolim reverteretur, quod facturum se negavit, nisi priùs sublatum esset edictum contra tria capitula publicè appensum. Paucis post diebus ad Vigilium mittitur Referendarius cum carta injuriis plena, qua acceptâ Vigilius publicavit excommunicationis & depositionis sententiam, quam anno superiore scripserat contra Theodorum Cæsareensem, imperatorii edicti conscriptorem, & qua Mennam & alios Episcopos Græcos à communione suspendebat donec corrigerentur. Hac Pontificis constantia victus Justinianus, tollit edictum suum; Theodorus & Mennas aliique Episcopi libellos fidei, ac pœnitentiæ offerunt Pontifici, & ab eo recipiuntur in gratiam, ipse verò revertitur Constantinopolim, Mennas moritur, & in hujus locum sufficitur Eutychius monachus Amazenus, qui oblato fidei libello Pontifici, ab eo in communionem receptus est.

§. III.

De quinta Synodo generali habita Constantinopoli in causa trium Capitulorum.

ANno 553. haberi cœpta est quinta Synodus, & collationibus octo perfecta est. In collatione prima quarto nonas Majas habita, præside Eutychio, Stephanus diaconus legit 1. Imperatoris epistolam, in qua Synodum hortatur ad sententiam de tribus capitulis post diligentem illorum discussionem ferendam. 2. Libellum quem Eutychius ad Vigilium miserat, & in quo facta fidei suæ professione petebat, ut eo præsidente, sub sacerdotali mansuetudine, sanctis Evangeliis in medio propositis, communiter tria capitula examinarentur, & finis exortæ controversiæ imponeretur Deo placitus, atque conveniens his quæ à quatuor sanctis Conciliis generalibus definita fuerunt. 3. Rescriptum Vigilii ad Eutychium, in quo laudata & approbata fidei professione quam Eutychius ad eum miserat, sic ait: *Vestrum desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu* (per regularem autem conventum intelligebat conventum tam ex Occidentalibus, quàm ex Orientalibus Episcopis pari circiter numero constantem) *servata æquitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus* (quatuor Synodorum generalium reverentia in omnibus custodita) *& finis detur placitus Deo, &c.*

Posteà à Synodo honorifica decreta est ad Vigilium legatio Eutychii Constantinopolitani, Apollinarii Alexandrini, Domnini Antiocheni, cum Metropolitanis sexdecim, qui eum invitarunt ad conventum. Respondit Vigilius se corporis ægritudine impediri, & postero die quid de illo conventu sentiret, declaraturum; quod Pontificis responsum ad Synodum retulerunt legati, & discessum est.

Collatione secunda 8. idus Majas habita, iidem legati, qui in prima ad Vigilium destinati fuerant, & ad eum, ut ejus declarationem exciperent, postridie redierant, interrogati referunt, illum dixisse non posse se ad Synodum venire, eò quòd plurimi adessent Orientales Episcopi, paucos verò secum Occidentales haberet; privatim se sententiam suam scripto expressurum, & oblaturum Imperatori, à quo ad id præstandum inducias postularat. Dein ad Primasium Episcopum Africanum, & Sabinianum, Projectum, ac Paulum Illyricianos, à Synodo mittuntur Episcopi cum presbyteris, qui eos hortentur, ut veniant, & sancti Concilii pars fiant. Respondit Primasius, Papa non præsente, se non venturum, Sabinianus verò, Projectus & Paulus dixerunt se Metropolitam suum conventuros, eumque auscultaturos. Quibus ad Synodum per Episcopos, quos miserat, relatis, statuit sine Vigilio, & aliis qui cum eo erant Occidentalibus, trium capitulorum examen inire, & de illis sententiam ferre, conventusque indictus est in sequentem diem.

Collatio itaque tertia septimo idus Majas habita est, & in ea Synodi Patres ediderunt fidei suæ professionem, in qua dicunt, se suscipere sanctas quatuor Synodos, Nicænam scilicet, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, atque omnia quæ à prædictis sanctis quatuor Conciliis pro una eademque fide definita sunt; tum sic loquuntur inferiùs: *Omnia consonantia his, quæ à memoratis sanctis quatuor Conciliis pro recta fide definita sunt, suscipimus; omnia verò quæ non consonant his, quæ definita sunt ab iisdem quatuor sanctis Conciliis pro recta fide, vel ad injuriam, vel ad contrarietatem earumdem quatuor Synodorum, vel unius ex his, & ad defensionem hæreticorum, & eorum impietatis scripta sunt, aliena pietatis judicantes, condemnamus & anathematizamus.* Quibus verbis Synodus præludit condemnationi trium capitulorum, salva quatuor prædictarum Synodorum reverentia faciendæ.

Colla-

Collatione quarta habita quarto idus Majas leguntur 71. capita, ex Theodori Mopsvesteni libris excerpta, cum symbolo ab eo composito; quibus lectis, Synodus exclamat: *Hoc symbolum satanas composuit. Anathema ei qui hoc symbolum composuit. Hoc symbolum Ephesina prima Synodus una cum auctore ejus anathematizavit. Unum tantummodo fidei symbolum scimus, quod Nicæni sancti Patres exposuerunt, & tradiderunt. Hoc & sanctæ tres Synodi* (Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensis) *tradiderunt .... anathema Theodoro Mopsvesteno .., anathema illis qui non anathematizant eum. Defensores ejus Judæi sunt ..... Theodorum & conscripta ejus omnes anathematizamus.*

Collatione quinta habita tertio idus Majas ad pleniorem Theodori causæ notitiam leguntur varia adversùs illum & ejus doctrinam ab orthodoxis conscripta. Dein leguntur acta Synodi Mopsvestenæ, jussu Imperatoris à novem Episcopis celebratæ anno 550. ex qua Imperatori & Vigilio scriptum est, clericos & cives Mopsvestenæ civitatis ætate provectiores interrogatos, quandonam Theodorus è sacris dyptichis expunctus esset, & quis loco illius esset inscriptus, præstito juramento respondisse, ignorare se ex quo tempore Theodori nomen deletum esset è sacris dyptichis, sanctum verò Cyrillum loco illius insertum fuisse. Addebant Episcopi sese in dyptichis illis diligenter inspectis nullum Theodori in eo vestigium reperisse; ex quibus collegit Synodus à longo tempore Theodorum Mopsvestenum propter impia sua conscripta, & post mortem à Catholica Ecclesia ejectum fuisse.

Posteà ventum est ad Theodoretum, & lecta sunt ea, quæ ex ejus contra S. Cyrilli anathematismos scriptis excepta fuerant, cum aliquot aliis ejus epistolis, in quibus vel S. Cyrillum, ut sentientem cum hæreticis, vel Ephesinam Synodum tanquam erroris confirmatricem traducebat, aut laudabat Nestorium: tum Synodus ostendens Chalcedonense Concilium circa Theodoreti personam inculpatè se gessisse, nec ullatenùs impia ejus conscripta approbasse, dixit: *Ex his quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas S. Chalcedonensis Concilii: sciens enim ejus blasphemias, priùs quidem multis sapiùs usa est contra eum exclamationibus: posteà verò non aliter eum suscepisset, nisi priùs anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit defendens eas.*

Imperatore Vigilium rogante, ut, quod se facturum spoponderat, suam de tribus capitulis sententiam scripto exponeret, Vigilius pridie idus Majas protulit *Constitutum*, quod confundi non debet cum *Judicato*, quod in conventu septuaginta Episcoporum fecerat anno 548. & in quo tria capitula: *Salva Synodi Chalcedonensis reverentia*, damnaverat; Constitutum, inquam, protulit, in quo sexaginta capitibus, quæ ex Theodori Mopsvesteni libris extracta fuerant, damnatis, prohibuit ne quid decerneretur contra ipsum Theodorum, Theodoretum, & Ibam. Huic Vigilii decreto subscripsere Episcopi sexdecim Occidentales, & cum illis Theophanius Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, Pelagius & Petrus, ejusdem Romanæ Ecclesiæ diaconi. Hoc Præsules Græcos minimè terruit, & causæ, quam susceperant, examini insistentes, conventus suos continuarunt.

Sexta igitur collatio habita est die 14. Kalendas Junias. Ibi lecta Ibæ epistola, cum expositione fidei à Chalcedonensi Synodo edita, & facta utriusque collatione, Synodus dixit: *Ostendit manifestè facta collatio, quòd contraria per omnia est epistola, quam Ibas scripsisse dicitur, definitioni quam pro recta fide sancta Chalcedonensis Synodus pronunciavit. Unde & procedentes omnes exegerunt Ibam anathematizare Nestorium, quem vendicabat impia epistola ..... & hoc fecerunt, pro nullo habentes ea, quæ ab uno vel duobus* (Episcopis) *pro eadem epistola dicta sunt, qui & ipsi ejusdem cum omnibus facti voluntatis, Ibam susceperunt, cùm pœnitentiam egisset, & Nestorium anathematizasset, & subscripsisset definitioni ab eodem sancto Concilio expositæ.*

Dein Episcopi omnes exclamaverunt: *Hæc omnes diximus: Epistola hæretica est: epistolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus: istam omnes anathematizamus: epistola aliena Synodo* (Chalcedonensi) *est: epistola contraria* (Chalcedonensis Synodi) *definitioni est: tota epistola hæretica est .... qui hanc non anathematizat, hæreticus est: qui istam suscipit, hæreticus est .... qui epistolam suscipit, Chalcedonenses sanctos Patres rejicit. Chalcedonensis Synodi, & Cyrilli æterna memoria: sanctarum quatuor Synodum æterna memoria. Qui non anathematizat epistolam, Chalcedonensem Synodum injuriat.*

Septima collatione die 7. Kalendas Junias habita, Constantinus sacri Palatii quæstor, missus ab Imperatore, dixit Vigilium tria capitula condemnasse non solùm scripto, sed etiam viva voce, nec semel coram multis Episcopis, & Senatoribus; atque ut universæ Synodo planè constaret capitula illa à Vigilio damnata fuisse, protulit aliquot epistolas ab eodem ad diversos scriptas, quæ relectæ sunt. Ibi autem relegi non potuit Vigilii Judicatum, in quo tria capitula damnaverat anno 548. quia anno 550. Vigilius illud ab Imperatore receperat, atque quòd Africanis, Illyricianis, & Dalmatis Episcopis displicuisset, suppresserat; quare cùm illius exemplar apud se non haberet Imperator, non potuit illud ad Synodum transmittere; sed nec ejusdem Vigilii Constitutum, sibi ante aliquot dies oblatum, transmisit; cùm enim in illo prohiberet Vigilius, ne quid contra Theodorum ipsum, Theodoretum, & Ibam decerneretur, non poterat eo animari Synodus ad ferendum de tribus capitulis judicium.

Octava denique collatione, habita die quarto nonas Junias, Synodus sententiam suam protulit quatuordecim anathematismis, quos subscripsere supra centum & sexaginta Episcopi. In decem prioribus luculenter catholica de Incarnatione Domini doctrina exponitur; in undecimo anathematizantur, qui non anathematizant Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum conscriptis, &c. Tribus verò posterioribus damnantur tria capitula. Duodecimo sic dicitur: *Si quis defendit impium Theodorum Mopsvestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum, &c. talis anathema sit.* Decimotertio: *Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem & contra primam Ephesinam sanctam Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim ejus capitula exposuit, &c. talis anathema sit.* Decimoquarto: *Si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marin Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de sancta Dei genitrice semper Virgine Maria incarnatum hominem factum esse, dicit autem purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, & alius homo, &c. talis anathema sit.*

Vigilium sententiam à Synodo adversùs tria capitula confirmare recusantem Justinianus deportari jussit in exilium, ex quo ante menses sex revocatus est. In libro pontificali dicitur, eum fuisse revocatum opera Narcetis, quem ducem exercitus in Italiam miserat Imperator, quique postquam Romam à Gothis secundò expugnatam recuperaverat, exoratus à Romanis clericis, ab Imperatore per litteras petiit, ut Vigilium libertati restitutum Ecclesiæ suæ redderet, & obtinuit. Cùm autem Vigilius in Italiam reverteretur, in Sicilia calculi doloribus extinctus est anno 554. & anno sequenti successorem habuit Pelagium, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum.

§. IV.

Utrùm Vigilius quintam Synodum approbaverit.

DUbitant aliqui, eò quòd neque Pelagius II. ad Episcopos Istriæ schismaticos de tribus capitulis & quinta Synodo scribens, ullam Vigilii mentionem faciat,

faciat, tanquam sua authoritate huic Synodo robur tribuerit; neque qui Pelagio II. successit Gregorius Magnus, in tot epistolis, quas ad schismaticos, trium capitulorum defensores, à schismate revocandos exaravit. Severinus Binius in suis ad vitam Pelagii I. notis scribit ab eo approbatam fuisse quintam Synodum, *ad imminentem factiuram catholicæ fidei, vel ignominiam Chalcedonensis Concilii evitandam.*

Tom. 5. pag. 788.

Vigilium sententiam à quinta Synodo adversùs tria capitula prolatam authoritate sua confirmasse scribunt auctores Græci, ut Evagrius lib. 4. historiæ ecclesiasticæ cap. 38. ubi ait: *Vigilius per litteras quidem consensit; Concilio tamen interesse noluit.* Et Photius in libro de septem Synodis, ubi hæc scribit: *Vigilius Romæ Episcopus, qui in civitate quidem erat, sed Concilio non aderat ..... quamvis ad sacri cœtus conventum promptus non esset, communem tamen Patrum fidem libello comprobavit.* Verum dicere auctores Græcos liquet ex epistola decretali, quam Vigilius ad Eutychium Constantinopolitanum ante sextum idus Decembris direxit, & quam Philippus Labbeus ex manuscripto codice bibliothecæ Regis Christianissimi depromptam tomo 5. Conciliorum inseruit.

Justinianus igitur acta quintæ Synodi quantociùs in Latinum verti curavit, ut ea ad Vigilium exulem transmitteret. Vigilius verò, actis illis maturè ac diligenter inspectis, agnovit, nihil ex odio Chalcedonensis Concilii, aut ad minuendam ejus auctoritatem egisse Synodum, sed illud pari cum tribus aliis prioribus generalibus reverentia suscepisse; Theodoro mortuo statim post Ephesinam Synodum ex quadam erga Orientales aliquos dispensatione parcitum esse, sed aliquantò post ei ut hæretico anathema dictum, ejusque nomen è sacris dyptichis erasum, atque ita fidelium communione ejectum fuisse; Chalcedonense Concilium nullo pacto dici posse Ibæ epistolam, & ea quæ contra S. Cyrillum & Synodum Ephesinam Theodoretus conscripserat, approbasse, cùm eos priusquam illos reciperet, jusserit Nestorium anathematizare, & sancti Leonis epistolam subscribere, nec eos aliter receptura fuerit; proindeque trium capitulorum condemnatione non lædi, sed è contra vindicari Concilium Chalcedonense. Hæc omnia etiam ex iisdem actis intellexere Africani & Illyriciani Episcopi, qui Vigilii Judicato ex errore facti restiterant: quare in trium capitulorum proscriptionem facilè consenserunt: unde nec postea numerati sunt inter schismaticos.

Tandem igitur Vigilius, qui, aliundè evolutis diligentiùs antiquiorum Patrum monumentis, intellexerat non ea, quæ circa personas, sed ea tantùm, quæ de fide definita essent à generalibus Synodis, irretractabilia esse; & eos qui in vita hæresim docuissent, & ea non retractata, defuncti essent, post mortem anathematizari posse; *cùm*, ut ait Pelagius II. in sua ad schismaticos Istriæ Episcopos epistola c. 9. *culpa in fide perpetrata nec morte interveniente laxetur*; Vigilius, inquam, quamvis minimè necessarium esset ad tuendam fidem tria capitula damnari, ex sapienti dispensatione, ne scilicet Occidentalem inter, & Orientalem Ecclesiam scissio oriretur, & occasio daretur Occidentalibus judicandi tria capitula à Concilio Chalcedonensi aliquo modo approbata fuisse, adeòque hoc Concilium Orientales in sua Constantinopolitana Synodo damnasse; communicatis, ut par est credere, cum Africanis & Illyricianis præsulibus consiliis, illisque consentientibus, decrevit definitivam in tria capitula sententiam proferre, suumque Synodo nuper celebratæ calculum adjicere, quod perfecit, scribendo decretalem illam epistolam, quam ad Eutychium, qui ipso absente Synodo præsederat, direxit, quanquam Synodum illam Synodi nomine cohonestare minimè voluit, quia ejus celebrationi, ea conditione qua celebrata est, hoc est, non præsentibus Episcopis Occidentalibus pari circiter numero quo Orientales aderant, consentire renuerat.

In ea epistola Vigilius primò laudat Orientalium Episcoporum fidem, eorumque erga Chalcedonense Concilium reverentiam, cùm ait: *In tantum* (diabolus) *ut nos ipsos unà cum fratribus, & coepiscopis nostris, in urbe regia degentes, & æquali reverentia quatuor Synodos vindicantes, & in una eademque quatuor illarum Synodorum fide sincerè persistentes .... ab iis dividere conatus fuerit.*

Secundò non obscurè significat, Africanos, Illyricianos, & Dalmatas Episcopos, quos antea *Judicato* suo adversantes expertus fuerat, jam habere se consentientes in damnatione trium capitulorum, cùm dicit: *Quoniam Christus Deus noster .... omni confusione à mentibus nostris remota, universum Orbem & Ecclesiam ad pacem revocavit.* Et cùm addit: *Ita ut quæ à nobis definiri debent, revelante Domino, & veritate investigata, salubriter impleta sint;* declarat causas ad fidem attinentes, sine Sedis Apostolicæ auctoritate finiri non posse, & adhuc post sententiam ab Orientalibus in Constantinopolitana Synodo contra tria capitula latam, ad finiendam capitulorum illorum causam supereresse, ut ipse de illis judicium ferat.

Tertiò, quod magnoperè commendat ejus modestiam, ingenuè confitetur se veritatem antea non satis assecutum fuisse, nec erubescere debere se, ea quæ priùs minùs rectè egerat, posteà veritate meliùs cognita, retractare & corrigere; pro quo affert exemplum S. Augustini, qui propria scripta retractavit, dictaque sua correxit, atque illa quæ omiserat, ac deinde invenerat, addidit.

Quartò, tria capitula damnat iisdem ferè verbis, quibus quinta Synodus, ita ut illam transcripsisse videatur. Quintò, anathemati subjicit: *Quemcumque, qui crediderit aliquo ullo tempore ea capitula debere suscipi, aut defendi, vel conatus fuerit præsentem* ejus *condemnationem subvertere.* Sextò, adjungit sese in condemnandis tribus capitulis, quintæ Synodo, eique calculum suum adjicit, sic loquendo: *Quoscumque verò, qui rectam fidem servantes à dictis Synodis prædicatam, memorata tria capitula condemnaverunt, vel etiam condemnant, fratres & consacerdotes esse definimus.*

Septimò, vim omnem abrogat iis, qui ab ipso, vel aliis pro trium capitulorum defensione facta sunt: *Quæ verò*, inquit, *aut à me, aut ab aliis ad defensionem prædictorum trium capitulorum facta sunt, præsentis hujus scripti nostri definitione evacuamus.* Octavò denique, sic vindicat Chalcedonense Concilium, ejusque reverentiam & auctoritatem sartam tectam conservat his verbis: *Absit ab Ecclesia Catholica, ut aliquis dicat, omnes superiùs comprehensas blasphemias, à prædictis quatuor Synodis, aut ab una ipsarum susceptas fuisse, vel eos qui similia sentiunt, & sequuntur. Apertissimum autem est, quòd à memoratis sanctis Patribus, & maximè à sancta Synodo Chalcedonensi, nullus de quo aliqua esset suspicio, admissus est, nisi qui rejecisset superius comprehensas blasphemias, aut illis similia, vel hæresim de qua fuit suspectus .... condemnasset.*

Hac sua decretali epistola Vigilius quintæ Synodo robur, ac prærogativam tribuit generalis & œcumenicæ Synodi, ut patet ex Pelagio I. Vigilii successore, in tertia ad Narcetem epistola, ubi conquerens de Liguribus, Veneticis, & Istriis Episcopis, qui se à communione Sedis Apostolicæ separaverant, sic ait: *Si quid eos de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam, quomodo factum est, electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt, & non clausis oculis Corpus Christi Dei nostri, hoc est, sanctam Ecclesiam lacerare.* Eam statim ut generalem & œcumenicam suscepere non solùm Orientales Episcopi, sed etiam Occidentales, exceptis Tussis, qui tamen brevi postea à Pelagio I. admoniti per epistolam, resipuerunt, & Liguriæ, Venetiæ, ac Istriæ Episcopis, qui sub ditione Longobardorum erant, & schisma fecerunt, quod duravit usque ad tempora Gregorii Magni, cujus zelo, ac prudentia fœliciter extinctum est.

Deni-

Denique ut quintæ Synodi auctoritas à nemine in dubium revocari posset, Græci actis illius præfatam Vigilii epistolam continenter adjunxerunt post octavam collationem, ut probat manuscriptum Græcum supra citatum, in quo post epistolam illam hæc leguntur verba: *Finis octavi tomi sanctæ Synodi, quæ Constantinopoli congregata est: Gloria tibi Christe Deus, Amen.* Quòd autem eadem epistola in versione latina non habeatur, mirùm videri minimè debet, cùm illam integram non esse constet ex eo, quòd non habeat ea, quæ contra Origenem, & ejus errores in eadem Synodo acta sunt.

ARTICULUS XIII.

De Monothelitis.

§. I.

De ortu, progressu, & interitu hæresis Monothelitarum.

ANno 630. Heraclium, Persico bello confecto, Orientales plagas peragrantem convenit Hierapoli Jacobitarum Patriarcha Athanasius, nomine & genere Syrus, ac pro gentis suæ ingenio callidè astutus: eum Imperator ad Synodum Chalcedonensem suscipiendam, oblato Patriarchatu Antiocheno, invitavit. Athanasius hac spe illectus, Chalcedonense Concilium suscipere se professus est, & duas in Christo naturas agnoscere: sed simul subdolè Imperatorem interrogavit de voluntate & operatione Christi, utrùm scilicet duplex, an unica credenda esset. Hæsit Imperator, & quid esset respondendum incertus, per litteras consuluit Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, genere Syrum, Jacobitus parentibus natum, Jacobitarum hæresim, quæ unicam in Christo naturam, & consequenter unicam voluntatem & operationem esse docebat, clanculùm defendentem. Secundùm hæresim hanc, unam in Christo voluntatem & operationem esse Imperatori rescripsit Sergius. Sub id temporis Cyrum Phasidis Episcopum ad se accersivit Heraclius, eumque de una vel duabus Christi operationibus dicendis sciscitatus est. Dubitare se statim finxit sycophanta, & ab Imperatore jussus, scripsit ad Sergium, ab eoque quæsivit, utrùm unam, an duplicem in Christo operationem dici oporteret. Sic Heraclium nil doli suspicantem ludificati sunt nefarii hæretici, & in novam hæresim præcipitarunt.

Aliquantò post Georgio Patriarcha Alexandrino vita functo, in ejus locum suffectus est Cyrus, & publicè proposito unius in Christo voluntatis & operationis dogmate Theodosianos Acephalos, quibus abundabat Alexandria, ad ineundam cum eo communionem adduxit; quam ut confirmaret, anno 633. coacta Alexandriæ Synodo, novem anathematismos, quibus Theodosiani facilè assensi sunt, & quorum septimo unam in Christo theandricam operationem asserebat, ex ambone publicavit. Præsens tunc aderat Sophronius monachus, vir doctrina pariter, ac sanctitate illustris, qui nullis precibus pepercit, ut Cyrum ab una Christi operatione decernenda deterreret, sed frustrà; quare ad Sergium confugit, ejus contra Cyri hæresim patrocinium ploraturus; sed irrito conatu institit Sophronius apud Sergium, ut Cyrus ad palinodiam, & unam Christi operationem eradendam cogeretur; noluit enim Sergius commune sibi cum Cyro dogma damnare: sed postquam multùm tergiversatus esset, & verbis Sophronio illudere tentasset, ad Cyrum scripsit, si ei ad Honorium Papam scribenti credimus, ut pace cum Theodosianis composita, neminem permitteret deinceps unam aut duas in Christo operationes dicere. Dixi, si ei, &c. Nam ad Cyrum, acceptis ab eo litteris cum novem ejus anathematismis, rescribens, postquam ei concordiam cum Acephalis initam gratulatus est, eum laudat, quòd orthodoxam doctrinam exposuerit, atque imprimis quòd asseruerit, *eumdem unum Christum operari Deo decibilia & humana una operatione.*

Anno 631.

To. 6. Conc. pag. 178.

Eodem anno 633. Sophronius ad sedem Hierosolymitanam evectus, Synodum habuit, ex qua litteras valdè prolixas, in quibus disertis verbis duas in Christo operationes asserebat, scripsit ad Sergium, qui proinde in sua ad Honorium epistola mentiri videtur, cùm ait, Sophronium œconomiam ejus de una vel duabus operationibus imposterum reticendis probasse, promisisseque super hac re silentium. Scripsit etiam Sophronius ad Honorium Papam per Stephanum Dorensem Episcopum, ut eum de nova Monothelitarum hæresi certiorem faceret, tertioque post anno vita functus est.

Ad eumdem Honorium Papam Sergius, antequam synodicas Sophronii litteras acciperet, scripsit epistolam, in qua primò fucata singularis erga Sedem Apostolicam devotionis, ac observantiæ ostentatione, conatur illudere Pontifici. Secundò, interrogatum se de una vel duabus operationibus, nihil proprium respondisse asserit, sed solùm misisse sermonem acclamatorium Mennæ quondam Constantinopolitani Patriarchæ, continentem diversa Patrum Græcorum testimonia de una operatione, & una voluntate Salvatoris nostri Christi. Tertiò, Cyri in componenda cum Theodosianis concordia industriam, ac laborem exaggerat.

Quartò, ejusdem Cyri cum Sophronio altercationem refert, & Sophronium apud se instantem, ut è septimo Cyri anathematismo vox unius operationis tolleretur, auditum à se non fuisse, ne unio cum Acephalis facta, hoc pacto solveretur, sibique consultiùs visum, si nullus postmodùm unius, aut duarum in Christo operationum vocem proferre permitteretur, eò quòd unius operationis vox, quamvis à quibusdam sanctis Patribus usurpata, nonnullos offenderet, suspicantes eam proferri ad naturarum in Christo dualitatem perimendam, pariterque duarum operationum dictio multis scandalum afferret, utpotè à nullo sanctorum, & probabilium Patrum edita; & aliundè qui duas in Christo operationes dicebant, velle viderentur Christo contrarias voluntates affingere. Quintò, Sophronium ipsum in hanc œconomiam consensisse, eaque usurum se deinceps spopondisse affirmat.

Sextò addit, quòd Imperatori suggesserit satis esse, suppressa de una, vel duabus operationibus controversia, confiteri: *Unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul & homo est, eumdem operari divina & humana, & ex eo uno eodemque Incarnato Deo Verbo inseparabiliter atque indivise, omnem divinam atque humanam operationem procedere;* Quæ verba in sensu hæretico profert, cùm eatenùs velit, omnem divinam & humanam operationem procedere à Deo Verbo incarnato, quatenùs vult unam tantùm eamque divinam in Christo esse voluntatem. Septimò denique, rem totam Pontificis judicio submittit, paratum se asserens emendare ea, quæ emendanda judicarit Pontifex.

Deceptus à vaferrimo hæresiarcha Honorius, in privata, qua ad eum rescripsit, epistola, probavit consilium ejus planeque censuit, unam pariter, ac geminam operationem silentio obruendam; censuit, inquam, ex sincero affectu concordiæ servandæ, & impediendi scandali: *Ne*, inquit, *parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certè si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur:* adeòque sufficere, si prædicetur *Christus Filius Dei vivi, Deus verissimus, in duabus naturis operatus divinitus atque humanitus*, non quidem unica volitione, nempe divina, ut Sergius cum aliis Monothelitis intelligebat; sed duplici, divina scilicet, qua divinas; & humana, qua humanas actiones exercebat: nam cùm ibidem Honorius unam in Christo voluntatem

tatem asserit, asserit, non unam simpliciter, eamque divinam, ut Monothelitæ, sed unam humanam, ut à Christo excludat duas voluntates contrarias, carnis scilicet & spiritus, inter se pugnantes, quales ei affingere, apertè significarat Sergius, eos qui geminam in illo operationem agnoscendam esse contendebant. Sed de his infrà.

Post hæc anno 638. Honorius moritur, & in ejus locum eligitur Severinus, cujus ordinatio differtur, donec ab Imperatore impetretur electionis ejus confirmatio. Anno 639. Ecthesim, seu fidei expositionem, à Sergio fabricatam, promulgat Heraclius, in qua prohibebatur, ne quis unam, vel duas diceret sive doceret operationes in divina Domini incarnatione, & asserebatur unicam in Christo esse voluntatem, nempè divinam, ut patet ex hisce verbis: *Unde sanctos Patres in omnibus & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur, utpotè in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis separatim & ex proprio impetu contrarie motui uniti ei Dei Verbi secundum hypostasim naturalem ejus producere motionem, sed quando & qualem & quantam ipse Deus Verbum voluerat.* Sergius habita Constantinopoli Synodo Ecthesim approbat. Severini Papæ apocrisiarii, qui tunc erant Constantinopoli, ut ab Imperatore electi Pontificis obtinerent confirmationem, variè tentantur, ut Ecthesi subscribant, & iis quæ in ea continentur, consentiant; sed constanter id facere abnuunt, & confirmatione impetrata recedunt. Eodem anno moritur Sergius, eique subrogatur Pyrrhus Chrysopolitanus monachus, & presbyter Monothelita, & Ecthesis defensor.

Anno 640. reversis Apocrisiariis, ordinatur Severinus. Oblatam sibi Ecthesim constanter repudiat, & damnat, ut apertè testatur Martinus Papa in fine secretarii tertii Concilii Lateranensis, & eodem anno exeunte moritur, eique sufficitur Joannes IV. qui coacto Romæ Episcoporum Concilio, Ecthesim & Monothelitarum hæresim condemnat. Heraclius verò, ubi primùm Ecthesim suam à Romano Pontifice & Occidentalibus Episcopis anathematizatam esse audiit, scripta ad Joannem epistola, declarat auctorem illius fuisse Sergium, atque ita deinceps appellata est Sergii Ecthesis.

To. 7 Conc. pag. 1773.

Eodem anno 640. ut par est credere, Pyrrhus, Sergio subrogatus, Constantinopoli conventum Episcoporum habuit, in quo Ecthesim confirmavit, & eam ipse subscripsit, aliosque ad subscribendum Episcopos, qui aderant, & nondùm subscripserant, coegit, missa ad absentes encyclica epistola, qua jubebat eos pariter subscribere; quibus gestis Ecthesim illam de novo in locis publicis appendi curavit. De eo autem conventu, quem Pyrrhus Synodum vocabat, sic loquitur S. Maximus sub finem collationis cum eodem habitæ: *Subit me admiratio, quomodo Synodum vocas, quæ non est, ut leges & canones synodici & jura Ecclesiastica jubent. Nec enim epistola encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque locus, neque dies conveniendi decretus, & quis igitur particeps rationis Synodum sustineat appellare, quæ scandalis & discordia cunctum orbem implevit?*

Anno 641. Heraclius ex intercute morbo moritur. Imperator renuntiatur Constantinus filius ejus, princeps apprimè catholicus, ac quem Joannes IV. Apologeticam pro Honorio scripsit epistolam, in qua affirmat, Honorium unam in Christo voluntatem asseruisse ad hoc tantùm, ut ab eo duas voluntates contrarias, carnis scilicet & mentis, excluderet. Deinde orat Imperatorem, ut Ecthesim in locis publicis suspensam, præcipiat depositam scindi: *Omnes enim*, inquit, *qui in Occidentalibus partibus hoc audierunt, sed & populi qui sunt regiæ vestræ urbis, cognita prædictæ chartæ* (Ecthesis) *concinnatione, corde perculsi sunt.*

Constantinus, postquam menses quatuor imperavit, extinguitur veneno, ut creditum est, ei à Martina noverca propinato, conscio Pyrrho. Post eum imperium capescit Heracleonas cum Martina matre, sed his Senatus decreto depositis, & in exilium pulsis, sufficitur Heraclius Constantini filius, quem populus Constantinum nominavit, sed passim nominatur Constans, qui Monothelitarum hæresim acerrimè defendit.

Eodem anno 641. Pyrrhus populo in eum ob veneni Constantino dati suspicionem, quam incurrerat, commoto, fugam sibi consulere coactus est, & Episcopatu sponte abdicato, sese in Africam recepit, atque successorem habuit Paulum majoris Ecclesiæ œconomum, ejusdem hæresis participem, ac defensorem. Anno 642. Joanni IV. defuncto suffectus est Theodorus, qui omnem adhibuit operam, ut aboleretur Ecthesis.

Anno 645. Pyrrhus collatione habita cum sancto Maximo in Africa, convictus Romam venit, ubi libellum pœnitentiæ obtulit Theodoro, & catholicam fidem publicè professus coram clero & populo Romano, damnatis iis, quæ à se, vel decessoribus suis scripta, vel acta contra illam fuerant, ab eo in communionem receptus est: sed posteà Olympio Exarcho suasore, ad vomitum rediit; quam ob rem depositus & excommunicatus est à Theodoro.

Eadem Theodorus depositionis & excommunicationis sententia mulctavit Paulum Constantinopolitanum, qui ab Apocrisiariis Sedis Apostolicæ interpellatus ac monitus, non solùm non resipuerat, sed etiam Romam miserat fidei expositionem, in qua apertè hæresim profitebatur, & disertis verbis unam in Christo voluntatem, & operationem asserebat; quin etiam Constanti auctor fuit ut typum promulgaret, ubi dissensiones, & altercationes impediendi prætextu, prohibebat, ne deinceps una aut duæ voluntates, una aut duæ operationes dicerentur.

Theodoro mortuo anno 649. ad Pontificatum evectus est Martinus I. qui accepto typo, quem Constans ab eo ob confirmatam ejus electionem approbatum iri sperabat, Romæ Lateranensem Synodum coegit Episcoporum 105. in qua Ecthesis Heraclii, seu Sergii, & typus Constantis cum Monothelismi defensoribus, Theodoro scilicet Pharanitano, Cyro Alexandrino, & Sergio, Pyrrho, ac Paulo Constantinopolitanis Patriarchis, damnata sunt. Synodus hæc quinque secretariis, hoc est, actionibus, seu sessionibus absoluta est, in quarum ultima editi sunt viginti canones, quibus luculenter asserta est veritas catholica. His commotus Constans, Martinum Roma vi abductum, & perductum Constantinopolim anno 654. eumque anno 655. relegavit Chersonam, ubi eodem anno extinctus est. Porrò Paulo Patriarcha defuncto anno 654. Pyrrhus, qui Constantinopolim redierat, sedem recuperavit; sed post menses quatuor in hæresi mortuus est, & successorem habuit Petrum similiter hæreticum.

Anno 668. Constans Imperator Syracusis in Sicilia, quò secesserat ante annos sex, per insidias occiditur, & ei succedit Constantinus filius, cognomento Pogonatus, hoc est, Barbatus, princeps pius ac catholicus, qui restituta imperii tranquillitate, generale Concilium ad pacem Ecclesiæ restituendam convocare decrevit, & ad hunc finem misit encyclicas epistolas ad Episcopos, quibus eos ad Synodum Constantinopoli celebrandam invitabat. Epistolam ad Donum Romanum Pontificem directam, eo mortuo, recepit Agatho, qui Martino I. post Eugenium I. Vitalianum, Adeodatum, & Donum successerat, anno 678. Accepta, quam Imperator de generali Synodo cogenda scripserat epistola, Agatho jussit Episcopos Occidentales, qui vel per ætatem, vel per infirmitatem corporalem, vel per itineris difficultates Constantinopolim ire non possint, sententiam suam per legationem suo nomine factam declarare. Agathoni paruerunt Insubres Episcopi, & Mediolani. Anno 679. convenerunt, ibique Mansueto Mediolanensi Episcopo præside, celebrarunt Synodum, in qua Monothelitarum hæresim condemnarunt, & fidei professionem ediderunt, mieruntque

ad

ad Imperatorem cùm epistola synodica. Sic autem in sua fidei professione loquuntur: *Duas naturas in una subsistentia divinitatis & humanitatis inconfuse, incommutabiliter Dominum nostrum Jesum Christum veraciter confitemur. Ita quoque & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere, utpotè perfectum Deum & perfectum hominem, unum eumdemque ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, pietatis nos regula perstruit.*

Anno 680. Episcopi 125. Romæ convenerunt, ibique Agathone præside, Concilium celebrarunt, & damnata Monothelitarum hæresi, tres legatos, Joannem scilicet Portuensem, Abundantium Paternensem, & Joannem Regitanum Episcopos, Constantinopolim destinarunt cum epistola synodica nomine Agathonis, & totius Synodi scripta, in qua Christum, utpotè perfectum Deum & perfectum hominem, duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere profitentur; & petunt, ut damnentur Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, Constantinopolitani. Cum iis omnibus *eis consentanei usque in finem demonstrati sunt, qui novi erroris auctores, perfectaque dispensationi, qua salvati sumus, infesti, non solum veræ confessionis adversarii, sed utpotè à via veritatis aberrantes, sibi ipsis contraria docuerunt, aliter & aliter asserentes, & alterutrum dogma destruentes.*

Publicæ legationi suam privatim adjunxit Agatho cum privatis ad Constantinum litteris, munusque legationis commisit Theodoro, & Georgio presbyteris, Joanni diacono, & Constantino subdiacono, qui nomine ipsius generali Synodo præessent. Legati simul Roma profecti, Constantinopolim pervenerunt circà initium Septembris ejusdem anni 680. ibique honorificè excepti, procurarunt ut Synodus œcumenica inchoaretur.

§. II.

De Synodo Constantinopolitana tertia, quæ fuit sexta œcumenica.

ANno itaque 680. incœpta est sexta Synodus, & perfecta anno 681. actionibus octodecim. Actione prima, præsente Imperatore habita die 7. Novembris, lecta sunt acta Synodi Ephesinæ primæ. Actione secunda, Imperatore præsente habita 10. Novembris, lecta sunt acta Chalcedonensis Synodi. Actione tertia, præsente Imperatore 13. Novembris habita, lecta sunt acta Synodi quintæ, seu secundæ Constantinopolitanæ. Tum Synodus dixit: *Ex lectione sanctorum Conciliorum penitus non invenimus in incarnationis dispensatione unius sanctæ Trinitatis Domini nostri Jesu Christi, unam voluntatem, & unam operationem.*

Actione quarta, præsente Imperatore celebrata 15. mensis Novembris, lecta est epistola Agathonis cùm epistola Synodi Romanæ. Actione quinta, præsente Imperatore 7. die Decembris habita, Synodo Macarius Antiochenus Patriarcha codices duos obtulit, in quibus exscripserat *testimonia SS. Patrum, unam*, ut contendebat, *Domini nostri Jesu Christi voluntatem docentia, quæ est etiam Patris & Spiritus sancti.* Lecto utroque codice discessum est.

Actione sexta, anno 681. die 12. mensis Februarii, præsente Imperatore habita, Macarius alterum protulit codicillum, in quo diversorum sanctorum Patrum testimonia continebantur; quo lecto, Macarius ipse, & Stephanus presbyter monachus, ejus discipulus, declararunt se non habere plura testimonia, quæ proferre vellent. Legati verò Apostolici dixerunt, eos nihil de una voluntate, & una operatione allegatis testimoniis ostendisse, sed & ipsa testimonia, quæ allegarunt, detruncasse, & quæ ad trinitatis attinent rationem de una voluntate, pro incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi protulisse; quæ verò propriè pro hujusmodi incarnationis dispensatione posita sunt, tam quoad sensum, quàm quoad verba corrupisse, quod se demonstraturos spoponderunt.

Actione septima 13. die mensis Februarii præsente Imperatore celebrata, relecta sunt tam sanctorum ac probabilium Patrum, quàm prophanorum hæreticorum testimonia, à legatis Apostolicis oblata, qui deinde petierunt, ut Georgius Constantinopolitanus Patriarcha, & Macarius cùm Episcopis suis ei subjectis ediceret, utrùm epistolis Agathonis actione quinta relectis consentirent, an non: sed inducias ad relegendas privatim præfatas epistolas postulantibus annuit Imperator.

Actione octava, præsente Imperatore habita 7. die mensis Martii, epistolæ Agathonis actione quinta relectæ, ab omnibus Episcopis cùm reverentia susceptæ sunt, eisque omnes consenserunt, paucis exceptis. Georgius Constantinopolitanus, ut Vitaliani Romani Pontificis nomen sacris dyptichis inscriberetur, ab Imperatore petiit, & obtinuit, pro quo Synodus multis exclamationibus Imperatori gratulata est. Macarius, postulante Synodo, ab Imperatore jussus mentem suam aperire, dixit: *Non dico duas voluntates, aut duas operationes in incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, sed unam voluntatem, & Dei virilem operationem.* Qua responsione audita, Synodus jussit eum de sede sua surgere & in medio stare, ubi iterùm interrogatus ab Imperatore, eamdem suam hæresim iterùm professus est viva voce, & scripto, nempe fidei professione, quæ relecta est; & cùm tertiò interrogaretur, respondit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales ... nec si membratim incidar, & mittar in mare.* Patrum testimonia à Macario allegata, cùm codicibus qui in Patriarchio servabantur, collata sunt, & eorum detruncatione ac depravatione cognita, Synodus exclamavit: *Hæreticum se ipsum manifestè demonstravit, novo Dioscoro anathema hujusmodi deponatur .... ab Episcopatu alienetur, nudetur circumposito ei pallio*, statimque pallio exutus est.

Actione nona die 9. mensis Martii celebrata præsente Imperatore, reliqua Macarii testimonia cum Patriarchii codicibus collata sunt, & Synodus sententiam in Macarium, & Stephanum ejus discipulum protulit in hunc modum: *Definimus igitur, postquam apertè approbati estis ad subversionem divinorum dogmatum festinare, & sanctorum, ac probabilium Patrum doctrinas corrumpere, & hæreticorum magis assumere, & quæ ab eis dogmatizata sunt, sectari ad contagium orthodoxæ plebis, ab omni vos sacerdotali dignitate, & ministerio alienos existere.* Deinde exclamavit: *Hæreticum foras mitte, novo Eutycheti malos annos, novo Apollinari malos annos, hæreticum foras mitte.* Tum Stephanus Macarii discipulus pulsus est, & foras ejectus.

Actione decima, 18. die Martii habita præsente Imperatore, testimonia, quæ à legatis Apostolicis prolata fuerant pro duplici voluntate & operatione Christi, cum Patriarchii codicibus collata, eis planè consona inventa sunt. Dein lecta est fidei professio catholica, quam obtulerunt Petrus Nicomedienſis, Theodorus Melitenensis, Salomon Clanæi, & Antonius Hypæporum Episcopus, de quorum orthodoxia dubitatum fuerat actione octava.

Actione undecima habita 20. die mensis Martii præsente Imperatore, lecta est synodalis epistola à Sophronio Hierosolymitano Patriarcha ad Sergium conscripta. Posteà legatis Apostolicis id postulantibus, relecta sunt testimonia hæreticorum, unam in Christo voluntatem & operationem asserentium.

Actione duodecima habita 22. die Martii, lectæ sunt tres epistolæ, prima Sergii ad Cyrum, dum adhuc Phasidis Episcopus esset; altera ejusdem Sergii ad Honorium Papam. Tertia Honorii ad eundem Sergium rescribentis. Dein senatoribus nomine Imperatoris scitcitantibus, an non Macarius, si eum pœniteret, in sedem suam restituendus esset, sic respondit Synodus: *Synodicè depositum & anathematizatum, nullo modo hunc Macarium de cætero hoc S. Concilium*

lium in sacerdotali susciput sede : sed & execramur, & roganus extra terminos hujus regiæ urbis hunc fieri una cum ei similiter sentientibus. Denique Episcopi Antiochenæ diœceseos, qui aderant, senatores rogaverunt, ut eorum nomine ab Imperatore peterent alium Antiochiæ Patriarcham; quod eis postea concessum est, & Macario subrogatus Theophanes, ut apparet ex subscriptionibus.

Actione decimatertia die 28. mensis Martii celebrata, de Sergio & Honorio sententiam tulit in hunc modum Synodus : *Retractantes dogmaticas epistolas, quæ à Sergio quondam Patriarcha hujus regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum ... quàm ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ : similiter autem & epistolam ab illo, ideſt, Honorio rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas hæreticorum, eas omni modo abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur.*

Quorum autem, ideſt, eorumdem impia execramur dogmata, horum & nomina à sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, ideſt, Sergii ..... qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere ; Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Pauli & Petri, qui & ipsi præsulatu functi sunt in sede hujus civitatis, & similia eis senserunt, ad hæc & Theodori quondam Episcopi Pharam, quarum omnium supra scriptarum personarum mentionem fecit Agatho ..... Papa antiquæ Romæ, in suggestione quam fecit ad piissimum Imperatorem ... eosque abjicit, utpotè contraria rectæ fidei nostræ sentientes, quos anathemati submitti definimus.

Cum his verò simul projici à sancta Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit. Dein lectis duabus epistolis à Cyro ad Sergium scriptis, novem ejusdem Cyri anathematismis, aliquot capitibus ex iis, quæ Theodorus Pharanitanus conscripserat, excerptis, cum epistolis Pauli & Petri, declarat Synodus Pyrrhum, Paulum, Petrum, quondam Constantinopolitanos Episcopos, & Theodorum Pharanitanum, bene ac justè abjectos fuisse ab Agathone per epistolam ab eo ad Imperatorem scriptam, & addit : *Nos quoque consonanter cum eo, hos utpotè adversa rectæ fidei sentientes, expelli de sacris dyptichis, & anathemate percelli censuimus, eorumque scripta ut impietate repleta abominamur, & ut exterminio debeant submitti decernimus.*

Exinde ventum est ad Thomam, Joannem, & Constantinum, qui post Petrum, & ante Georgium tunc sedentem, Constantinopolitanam sedem obtinuerant, de quibus cùm probatum esset, quòd nec unam voluntatem, & operationem docuerant, nec à quoquam unius voluntatis, & operationis confessionem extorserant, in hunc modum pronunciavit Synodus sententiam : *Nos sanctæ memoriæ tres viros, ideſt, Thomam, Joannem, & Constantinum, prævidimus in indemnitate manere, atque in sacris dyptichis sanctarum Ecclesiarum recitari, utpotè qui in omnibus immaculati, & irreprehensibiles inventi sunt circa rectam nostram Christianorum fidem.* Denique epistolæ duæ, una Honorii ad Sergium, & altera Pyrrhi ad Joannem IV. Romanum Pontificem, postquam relectæ fuerunt, jubente Synodo, igni traditæ sunt.

Actione decimaquarta celebrata die 5. mensis Aprilis, tres libellos, unum Mennæ ad Vigilium, & duos alios Vigilii ad Justinianum, & Theodoram Augustam, à Monothelitis suppositos, & actis quintæ Synodi assutos, in quibus una voluntas, & operatio Christo attribuebantur; Synodus, ostensa illorum suppositione & falsitate, damnavit, & exclamavit : *Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, sive scripserunt. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse à Vigilio ad Julianum, & Theodoram .... Anathema simul omnibus, qui salvaverunt acta sancti & universalis quinti Concilii : anathema, qui docuerunt, & exposuerunt, docentibusque, vel posteà docturis unam voluntatem, & unam operationem in incarnationis dispensatione.*

Actione decimaquinta habita die 27. mensis Aprilis, Polychronium monachum, & presbyterum Monothelitam, postquam mortuum, imposita ei fidei suæ formula, qua unam voluntatem & operationem in Christo asserebat, in urbis medio per multas horas frustra tentasset ad vitam revocare, quod se facturum pro sui dogmatis confirmatione spoponderat, Synodus condemnavit, & in eum in hunc modum sententiam protulit : *Postquam Polychronius monachum in proprio errore usque in senium perseveravit, nunc autem etiam .... conatus est tentare Spiritum sanctum, &c. prævidimus hunc tamquam seductorem populi & deceptorem, & manifestum hæreticum, omni sacerdotali ordine, & officio denudari.* Post hæc exclamavit sanctum Concilium ..... *Polychronio hæretico, & consentaneis ejus anathema : Macario & Stephano, & Polychronio anathema : Trinitas istos tres deposuit.*

Actione decimasexta, die 9. mensis Augusti celebrata, presbyter quidam Monothelita nomine Constantinus, qui dicebat se ad docendam Synodum venisse, & modum Monothelitas cùm adversariis reconciliandi inveniſse, asserendo duas operationes in Christo cum una voluntate ; cùm interrogatus à Synodo, respondisset, Christum humanam voluntatem, carnem, & sanguinem in cruce exuisse, tanquam Manichæus anathematizatus est, & foras expulsus. Dein universi acclamarunt Imperatori, Agathoni, Georgio Constantinopolitano, Theophani Antiocheno, &c. Et in has erupere voces: *Sergio hæretico anathema : Cyro hæretico anathema : Honorio hæretico anathema : Pyrrho hæretico anathema, &c.*

Actione decimaseptima habita die 11. mensis Septembris, definitio fidei à Synodo constituta, jubente Synodo, lecta est, & ab omnibus approbata.

Actione decimaoctava & ultima, habita cor. Imperatore die 16. mensis Septembris, relectam fidei definitionem subscripserunt Episcopi, & post Episcopos subscripsit Constantinus Imperator, quo postulante, si cum consensu omnium Episcoporum promulgata esset definitio, exclamavit Synodus : *Omnes ita credimus, una fides, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes & amplectentes subscripsimus. Orthodoxè omnes credimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, &c. Theodoro Pharanitæ anathema. Sergio & Honorio anathema. Pyrrho & Paulo anathema, &c.* Dein lectus est sermo Synodi acclamatorius ad Imperatorem, ab omnibus pariter Episcopis subscriptus, in quo hæc verba notatu digna habentur : *Vestris divalibus præceptis acquiescentes, tam antiquæ Romæ & Apostolicæ Summitatis Pontificalis* (Græcum sonat Pontificalissimus) *Antistes, quàm nos humiles, Christi tamen sacerdotes atque ministri, &c.*

Et ita inferiùs : *Inspiratione sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri, & Summi Papæ dogmaticis litteris, ad vestram fortitudinem missis, consentientes, necnon & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est, Synodi 125. Patrum concordantes, unum de sancta Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum etiam incarnatum, prædicamus in duabus perfectis naturis indivisè, inconfusè laudandum ....., & quemadmodum duas percepimus naturas, & ita & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes agnoscimus.* Infra autem Synodus enumerans eos quos subjecit anathemati, cum Theodoro Pharanitano, Sergio, Paulo, &c. Honorium recenset.

Denique Synodo petenti ab Imperatore, ut relectæ definitionis exemplaria subscripta, cum ipsius Imperatoris subsignatione quinque patriarchalibus sedibus mitterentur, facturum se Imperator pollicitus est, & feciſse liquet ex his verbis, quibus actio 18 claudi-

clauditur : *Sciendum quòd juxta ea, quæ interlocutus est Imperator Constantinus, vel etiam pollicitus est, exempla definitionis cum subsignatione ejus serenitatis præbuit quinque patriarchalibus sedibus : Apostolicæ Sedi sancti & principis Apostolorum Petri, nempe Agathoni Papæ senioris Romæ ; Sedi sanctissimæ catholicæ & Apostolicæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, sive Georgio Patriarchæ, &c.*

§. III.

De iis quæ absoluta Synodo sexta peracta sunt.

ABsoluta Synodo, synodicam Patres ad Agathonem scripsere epistolam, in qua sic eum alloquuntur : *Tibi ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter, perlectis veræ confessionis litteris à vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis : quas ut à summo Apostolorum vertice divinè perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.* Et paulò inferiùs Honorium accersent Monothelitis, quos anathemati subjecerunt : *Anathematibus*, inquiunt, *interfecimus ex sententia per sacras vestras litteras de iis priùs lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharam, Sergium, Honorium, Cyrum, &c.*

Denique Agathonem rogant, ut auctoritate sua confirmet fidei expositionem ab eis editam : *Orthodoxæ autem fidei*, inquiunt, *splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus, quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternitatem.*

Pro Synodi confirmatione Constantinus Imperator publicè proposuit Edictum, in quo inter Monothelitarum duces à Synodo damnatos reperitur Honorius, qui dicitur Monothelitarum hæresis confirmator, & sui ipsius extitisse oppugnator. In hoc autem Edicto sic egregiè pro catholica veritate discurrit Imperator : *Si ergo sequitur, secundùm quod Patres inquiunt, naturam voluntas, duæ verò sunt naturæ in Christo, duas per omnia illi & naturales voluntates dabimus. Idem ipse enim secundùm utramque formam volens, voluit quidem ut Deus, voluit verò ut homo secundùm naturarum diversitatem etiam duarum voluntatum demonstrans differentiam, & neque contrarias voluntates, aut ad invicem oppositas introducimus : Salvatoris enim humana voluntas non erat contraria divinæ ejus voluntati, sed sequebatur in omnibus assumentis & deificantis Verbi voluntatem, &c.*

Anno sequenti 682. Leoni II. qui Agathoni defuncto successit, & cui annum unum cum mensibus decem & diebus quatuordecim attribuimus, Constantinus Imperator scripsit epistolam, in qua hæc notatu digna leguntur : *Cum suggestionem S. Papæ Agathonis ad potestatem nostram ii, qui vice ejus fungebantur, obtulissent ... eam serenitati nostræ porrexerunt, quam cùm jussissemus omnibus audientibus recitari, sanè nec adulteratæ fidei characterem in ea perspeximus : perpensis enim Evangelicis & Apostolicis vocibus, comparatisque cum ipsa iis, quæ à sanctis & universalibus Conciliis statuta ac definita sunt, collatis præterea testimoniis, quæ afferebat, cum paternis libris nihil non concinens inventum est, ac nihilum immutata veræ confessionis ratio in ea perspecta, ac veluti ipsum Principem Apostolici chori, primæque cathedræ Antistitem Petrum contuiti sumus, mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium eloquentem, &c.*

Inferiùs Leoni significat Imperator, se ab universa Synodo rogatum, Romam ad eum mittere Macarium Antiochenum, cum sociis illius, ejusdem hæreseos participibus, & eadem depositionis pœna mulctatis, ut de illis, quod expedire judicaverit, statuat. Re ipsa autem missos fuisse, testatur Leo ipse in sua ad Hispaniæ Episcopos epistola, in qua de Macario, Stephano, & Polychronio hæc scribit : *Qui meritò de Ecclesiis Christi ut mercenarii infideles expulsi ... huc exules deportati sunt, ut reatus sui & blasphemiarum in Deum opprobria recognoscant, sub contemptum & denotationem fidelium omnium constituti.*

Rescripserat anno superiore 681. decimo Kal. Januarii Imperator ad Synodum Romanam, eamque in epistola sua sic alloquebatur : *Summum sacerdotalem hunc cœtum non destitimus congregare ..... in pace namque fidei pariter conpacatam Romanam rempublicam nostram confidimus, atque ita congregatum est venerabile vestrum Concilium ; interfuistis namque & vos cum universali Principe Pastorum* (Romano Pontifice Agathone) *simul cum ipso divinitùs loquentes tam in spiritu, quàm in littera ..... tamquam ipsius divini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sumus.*

Anno 683. Leo, actis sextæ Synodi diligenter inspectis & examinatis, ad Constantinum rescripsit epistolam, qua Synodum approbabat, & confirmabat : *Cognovimus*, inquit, *quod sancta & universalis & magna sexta Synodus, quæ per Dei gratiam Imperiali decreto in regia urbe nuper congregata est, eadem quæ & universum Concilium assidens huic sanctæ Sedi Apostolicæ, cujus ministerio fungimur, senserit atque decreverit sub orthodoxæ fidei integritate regulisque majorum, atque concorditer nobiscum confessa est unum esse de sancta & inseparabili Trinitate nostrum Jesum Christum.*

Et inferiùs : *Quia definitionem rectæ fidei* (sexta Synodus) *plenissimè prædicavit, quam & Apostolica Sedes beati Petri Apostoli, cujus licèt impares ministerio fungimur, veneranter suscepit ; idcircò & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, & unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adepti firmitatem, &c.*

Et inferiùs hæc habet : *Pariter anathematizamus novi erroris inventores, ideſt, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ subsessores magis quam præsules, necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana traditione immaculatam fidem maculari permisit.*

Scripsit etiam Leo ad Hispaniæ Episcopos, ad eosque per Petrum notarium Romanæ Ecclesiæ transmisit sextæ Synodi definitionem, cum ejus sermone ad Imperatorem prosphonetico, & ejusdem Imperatoris edicto, ut præfatæ definitioni subscriberent. In hac autem epistola dicit à Synodo cum Monothelismi auctoribus, Theodoro scilicet Pharanitano, Cyro Alexandrino, &c. anathematizatum fuisse Honorium, *qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Anno 684. sextam Synodum suscepere ac subscripsere Hispaniæ Episcopi, ut liquet ex Concilio Toletano decimo-quarto. Sed

Ad meliorem eorum, quæ hoc paragrapho relata sunt, intelligentiam, ex observatione Philippi Labbe tom. 6. Conc. pag. 1244. hæc, quæ sequuntur, accipe. 1. Anno 682. cùm jam à die 16. Sept. superioris anni absolutum esset Concilium œcumenicum sextum, objit aut saltem sepultus est die 10. Jan. Agatho Papa, postquam sedisset annos tres, menses sex, & dies 25. Paulò post Rom. Pontifex electus est Leo II. & ad legatos Agathonis & Romanæ Synodi, qui Constantinopoli nondùm discesserant, Roma scriptum est, ut ab Imperatore electi Pontificis confirmationem impetrarent.

2. Constantinus Imperator audita morte Agathonis, & Leonis electione, die 13. non Decembris, ut in vulgata Constantini ad Leonem epistolæ inscriptione legitur, sed Aprilis, ad Leonem scribit per legatos, quos dimittit, & quibus acta sextæ Synodi Romam perferenda tradit.

3. Legatis Romam reversis, & accepta Imperatoris confirmatione, die 15. Augusti Leo II. ordinatur Pontifex. Anno sequenti 683. mense Majo, examinatis antea per alium actis sextæ Synodi, Leo rescripsit

ad Imperatorem, & ea quæ in sexta Synodo gesta fuerant, approbavit, & auctoritate Apostolica confirmavit.

4. Sub autumnum ejusdem anni 683. Leo fidei definitionem à sexta Synodo editam, cum sermone ejusdem Synodi prosphonetico, & edicto, quo Constantinus Imperator Synodum sanciverat, in Hispaniam misit per Petrum Regionarium Romanæ Ecclesiæ Notarium, & per eumdem scripsit ad Hispaniæ Episcopos epistolam illam, cujus meminimus, & qua eos ad præfatam definitionem suscipiendam & subscribendam hortabatur, & hanc aliam, quæ incipit: *Cùm unus extet Rex omnium Deus*, ad Ervigium Regem Hispaniæ, ut Episcoporum subscriptionem procuraret.

In hac autem epistola, quæ ab aliquibus attributa est Benedicto II. Leonis successori, hæc leguntur: *Omnes hæreticæ assertionis auctores, venerando consentiente Concilio condemnati, de catholicæ Ecclesiæ adunatione projecti sunt, ideſt, Theodorus Pharanitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, quondam Constantinopolitani Præsules, & una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.*

5. Petrus in Hispaniam tardiùs appulit, & postquam absolutum erat Concilium Toletanum XIII. & Episcopi qui adfuerant, dimissi, ad suas Ecclesias redierant: quare definitionis sextæ Synodi lectio in annum sequentem 684. differenda fuit, ibique Petrus substitit, qui in mandatis habebat ne ex Hispania discederet, nisi postquam subscripsissent Episcopi.

6. Denique, antequam Hispani Episcopi convenirent, Leo mortuus est die 28. Junii, eique die 20. Augusti suffectus est Benedictus II. qui ad Petrum scripsit, eique mandavit, ut cum summo pietatis studio commissum sibi à Leone ministerium perageret, strenuâmque operam daret, ut Episcopi definitioni sextæ Synodi subscriberent; quod tandem perfectum est in Concilio Toletano XIV. quod procurante Ervigio Rege, sub die 12. Kal. Decembres celebratum est.

Porrò, quod non est hìc prætermittendum, anno 711. Bardanes cognomento Philippicus, à monacho quodam Monothelita animatus, tyrannidem arripuit, & abdicato Cyro Constantinopolitano Patriarcha catholico, eique subrogato Joanne quodam Monothelita, ingentem Episcoporum multitudinem Constantinopolim convocavit, & pseudo-Synodum celebravit, in qua Orientales Episcopi ex Catholicis Monothelitæ de repente facti, sextam Synodum damnarunt. Sed cùm vix annum unum & menses sex in imperio expleſſet, ab Arthemio, qui Anastasius secundus dictus est, dejectus, & oculis orbatus, missus est in exilium. Anastasio autem principe catholico procurante, ab omnibus Episcopis sacra Synodus, quam aliquanto ante rejecerant, suscepta est cum reverentia, iterumque aliis prioribus Synodis generalibus accensa: Joannes verò Constantinopolitanus Patriarcha ad Constantinum Romanum Pontificem Apologeticam scripsit epistolam, in qua Ecclesiæ Romanæ communionem expetebat, paratus *condemnare quidem quæ absurdè facta sunt, comprobare autem, & confirmare dogmata pietatis sanctæ sextæ Synodi.*

§. IV.

Quænam fuerit Monothelitarum hæresis.

PAlmaris Monothelitarum error fuit asserere in Christo unicam voluntatem, eamque divinam. Patet ex Theodoro Pharanitano, sic loquente in libro ad Sergium Arsenoitam Episcopum scripto: *Divina verò voluntas, quæ est ipsius Christi: ipsius enim voluntas una est, & hæc divina.* Et ex Macario Antiocheno in confessione fidei: *Unum*, inquit, *eumdemque operatum fuisse dicimus ... eumdem passum propria carne ..... non separatè à divinitate, quamvis non divinitatis fuit pati, ipsius autem Dei operatio, quamvis per humanitatem ejus, hoc est, totam nostram consper sionem hac adimpleverit una & singulari voluntate divina, utpotè non existente in eo & alia voluntate sive obsistente & adversante divinæ ejus & potenti illi voluntati.*

To. 6. Conc. pag 957.

To. 6. Conc. pag 748.

Errorem hunc suum ut probarent, dicebant 1. voluntatem, seu volitionem (voluntatis enim nomine non volendi actum primum, sed secundum intelligebant) dicebant, inquam, voluntatem, non physicam seu naturalem, sed hypostaticam seu personalem proprietatem esse. Patet ex Macario, qui Imperatori ipsum interroganti, quid de dispensatione Domini nostri Jesu Christi unius sanctæ Trinitatis Dei Verbi sentiat, sic respondet: *Consentimus tam sanctis quinque Synodis, quamque Honorio, Sergio, Paulo ... confitentes unam voluntatem subsistentialem in uno Domino nostro Jesu Christo, &c.* To. 6. Conc. pag. 741.

Ex hoc falso principio inferebant, in una hypostasi seu persona unam tantùm esse voluntatem. Patet ex Pyrrho sic argumentante in collatione habita cum S. Maximo Martyre: *Si igitur unus Christus* (hoc est, si Christus una tantùm persona) *tamquam unus omninò etiam volebat. Quod si tamquam unus* (hoc est, tanquam una persona) *volebat, una prorsus est & ejus voluntas, non duæ.* To. 5. Conc. pag. 1785.

Inferebant pariter ex eodem principio, plures esse volentes, ubi plures sunt voluntates. Patet ex Pyrrho dicente in eadem collatione: *Non potest fieri, quin voluntates secum inferant ipsos volentes.* Et ex Paulo Constantinopolitano in epistola ad Theodorum Romanum Pontificem scripta: *Unam*, inquit, *voluntatem Domini nostri Jesu Christi intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque personæ Domini nostri Jesu Christi applicemus ..... aut duos volentes introducamus* (supple, & sic introducamus duas in Christo hypostases seu personas) quæ est Nestorii hæresis. To. 6. Conc. pag. 227.

Sic itaque contra Catholicos argumentabantur Monothelitæ. Voluntas est proprietas personalis. Ergo ubi est una tantùm persona, ibi una tantùm est voluntas. Atqui in Christo est una tantùm persona. Ergo, & una tantùm voluntas. Item cùm voluntas sit proprietas personalis, ubi sunt duæ voluntates, ibi sunt duo volentes. Ergo si in Christo sunt duæ voluntates, in Christo sunt duo volentes; quod asserere impium & hæreticum est, cum secundùm orthodoxam fidem, Christus sit una persona, adeòque unus volens in duabus naturis, divina & humana.

Respondebant Catholici, voluntatem non esse proprietatem hypostaticam: alioquin ubi sunt plures hypostases, ibi sunt plures voluntates, quod est falsum: nam in Deo est una tantùm voluntas, quamvis in eo sint tres hypostases. Voluntas igitur, ajebant Catholici, est proprietas naturæ intellectualis: *Sanè quidem*, inquiebat S. Maximus in citata collatione, *simpliciter velle naturæ est.* Quare cùm in Christo sint duæ naturæ, divina & humana, consequens est, in eo esse duas voluntates, divinam & humanam.

Dicebant 2. Monothelitæ, quod habebant etiam pro principio, fieri non posse ut in eadem persona duæ simul sint voluntates, quin una alteri adversetur. Patet ex Pyrrho in præfata collatione, ubi ait: *Impossibile est in una persona duas simul esse non contrarias voluntates.* Unde inferebant, non posse attribui Christo duas voluntates, divinam scil. & humanam, quin ei affingantur voluntates contrariæ, & inter se pugnantes, quod tamen sine impietate dici non potest, & orthodoxæ fidei adversatur. To. 5. Conc. pag. 1785.

Patet ex Sergio in Ecthesi, in qua ait, duarum in Christo operationum vocem planè rejiciendam esse, quia si Christo duas operationes attribuimus, duas illi attribuimus voluntates: unde sequitur, *in eo ut duas confiteamur voluntates, contrarie ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente saluberrimam passionem explere, incarnationem autem in eo factam obviam eumtem ipsius voluntati & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium est & extraneum christianici dogmatis.* Eodem autem To. 6. Conc. pag. 199.

planè

planè modo ratiocinatur in sua ad Honorium Papam epistola.

Patet etiam ex Paulo Constantinopolitano, qui in epistola ad Theodorum Papam reddens rationem, cur unam tantùm voluntatem in Christo intelligat, sic
Eod. tom. pag. 227. ait: *Ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque personæ Domini nostri Jesu Christi applicemus, aut ipsum se expugnantem dogmatizemus.*

Patet etiam ex Macario Antiocheno in fidei confessione, quæ in sexta Synodo lecta fuit, ubi ait, Christum salutem nostram operatum esse una & singulari voluntate divina, quia in eo non existebat alia, nempe humana voluntas, quæ si in eo extitisset, divinæ ejus & potenti voluntati adversata esset: *Impossibile autem est in uno eodemque Christo Deo nostro duas simul & ad invicem contrarias seu similes existere voluntates.*

Pyrrho, dicenti impossibile esse in una persona duas simul esse non contrarias voluntates, sic respon-
To. 5. Conc. pag. 1785. debat S. Maximus: *Si non est possibile esse simul in una & eadem persona duas non contrarias voluntates; igitur opinione tua possibile est esse, si contrariæ sint; si sic est; confessus es hactenus duas esse, & non dissides à numero, sed tantùm à pugna; restat igitur, ut quæramus causam hujus pugnæ effectricem.* Nullam autem ejusmodi pugnam in Christo locum habere potuisse probabat hoc argumento. Si in Christo inter divinam & humanam voluntatem fuisset pugna aliqua, hæc pugna, vel fuisset naturalis, adeòque Deum auctorem habuisset, quod impium est asserere; vel fuisset effectus peccati, quod dici non potest, quia Christus peccatum non fecit, nec assumpsit.

Monothelitæ consequenter ad suum palmarem errorem de una Christi voluntate, eaque divina, docebant in Christo unam tantùm esse operationem, eamque divinam. Patet ex Theodoro Pharanitano in libro ad Sergium scripto, in quo sic loquitur:
To. 6. Conc. pag. 957. *Habemus utique ex his manifestum, esse opus Dei omnia, quæ de Christo audivimus, & credimus, sive naturæ divinæ congruentia, sive humanæ; & ideo una operatio ista tam Deitatis ejus quamque humanitatis*
Pag. 957. *piè nominata est.* Et ahuc: *Ut sit omnis humanatio à principio usque ad finem, & quæque ejus sunt parva & magna, una veraciter sublimissima & divina operatio.* Et adhuc: *Intelligenda ergo sunt nobis omninò, quæque sunt circa Salvatoris Christi humanationem, una divina & profectò salutaris operatio.*

Unicam hanc operationem, quam Christo affingebant Monothelitæ, appellabant etiam Dei virilem operationem, pro quo S. Dionysii auctoritate abutebantur. Patet ex Macario Antiocheno, qui sextæ Synodi actione octava Imperatori eum de fide sua
To. 6. Conc. pag. 741. interroganti respondet: *Nec enim quæ divina sunt, secundum Deum, neque quæ humana sunt, secundum hominem, sed humanitati Dei Verbi novam quandam Dei virilem operationem, in conversatione demonstratam, confitemur secundùm sanctum Dionysium.* In subscriptione confessionis fidei sic loquitur: *Dei vi-*
To. 6. Conc. pag. 956. *rilem nobis demonstravit* (Christus) *suam operationem.* Et ex Cyro Alexandrino, cap. 7. ubi dicit: *Eumdem unum Christum & Filium* operari *Deo decibilia, & humana una Dei virili operatione, secundùm S. Dionysium.*

Unam illam divinam seu Dei virilem operationem asserebant procedere à Verbo ut opifice seu causa principali movente ac determinante, & ab humanitate ut instrumento moto ac determinato; vel si vis, procedere à Verbo per humanitatem, ut instrumentum ab eo motum & determinatum. Patet ex Theodoro Pharanitano in libro jam sæpè citato, in quo sic ait:
To. 6. Conc. pag. 960. *Opportunum quidem est, nos ita sentire, & dicere omnia, quæque in humanatione de Salvatore Christo esse scribuntur, unam cognoscere operationem: cujus autem opificem, & creatorem ipsum Deum Verbum, instrumentum verò humanitatem.*

Itaque sicut verbi gratia scissio ligni procedit à fabro, ut causa principali movente, & à securi ut instrumento moto; ita quælibet actio, qua Christus salutem nostram operabatur, procedebat à Verbo, secundùm Monothelitas, ut causa principali movente, & ab humanitate ut instrumento moto: cum hoc discrimine, quòd securis est instrumentum inanime & separatum; humanitas verò Christi erat instrumentum conjunctum, & sensu ac intellectu præditum, non tamen magis ex impetu seu motu proprio agens, quàm securis, ut expressè dicit Sergius in epistola ad Honorium Papam: *Nunquam*, inquit, *intellectualiter animata Domini caro separatim, & ex appetitu proprio, contrario nutui sibi secundùm subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit, sed quando, & qualem, & quantum ipse Deus Verbum volebat.* To. 6. Conc. pag. 924. Quod ut clariùs adhuc explicet, sic prosequitur: *Et ut planiùs dicatur, quemadmodum corpus nostrum regitur .... ab intellectuali & rationali anima nostra: ita & in Domino nostro tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi deitate semper in omnibus mota, Dei mobilis erat.*

Sicut igitur, ut eodem semper utar exemplo, scissio ligni procedit à fabro per securim, quam movet ac determinat ad scindendum, ita ut non alia, quàm fabri, interveniat voluntas in scissione ligni: ita secundùm Monothelitas, omnis actio, qua Christus operabatur salutem nostram, procedebat à Deo Verbo per humanitatem ab eo assumptam, quam divina sua volitione movebat ac determinabat ad agendum: ita ut non alia, quàm Dei Verbi, voluntas in omni actione, qua Christus operabatur salutem nostram, interveniret.

Denique in scissione ligni nec faber separatim à securi, nec securis separatim à fabro agit; unde in scissione ligni non duplex est, sed una tantùm operatio, quæ est operatio humana, utpotè operatio fabri, non securis, quæ cùm in scissione ligni sit instrumentum fabri; in scissione ligni non est id quod operatur, sed id quo operatur faber: unde in scissione ligni non sunt duo operantes, & operatores, sed unus tantùm operans & operator, nempe faber, quamvis duo supposita distincta & diversa ad scissionem ligni concurrant.

Similiter secundùm Monothelitas, in omni actione, qua salutem nostram operabatur Christus, neque Verbum separatim ab humanitate, neque humanitas separatim à Verbo agebat: unde in actionibus, quibus salutem nostram operabatur Christus, non duplex erat, sed una tantùm operatio, quæ erat operatio divina, utpotè operatio Dei Verbi, non humanitatis, quæ cùm in actionibus, quibus Christus salutem nostram operabatur, esset instrumentum Dei Verbi, ipsam volitione sua divina impellentis ac determinantis ad agendum, in actionibus, quibus Christus salutem nostram operabatur, non erat id quod operabatur, sed id quo Deus Verbum operabatur salutem nostram: unde in Christo salutem nostram operante non erant duo operantes seu operatores, sed unus tantùm operans seu operator, non quòd denominatio operantis & operatoris sit hypostatica, sive, ut communiter dicitur, non quòd denominationes sint suppositorum, & in Christo unum tantùm esset suppositum, nempe Deus Verbum, quod catholicum fuisset, sed quia in Christo salutem nostram operante secundùm illos humanitas omni motu libero proprio & propria determinatione carebat, & sic eatenùs agebat, quatenùs eam divina volitione sua ad agendum movebat ac determinabat Deus Verbum, quod proinde in omni actione, qua salutem nostram operabatur Christus, se habebat per modum causæ principalis, adeòque sibi soli operantis & operatoris dominationem vindicabat.

Secundùm ea, quæ hactenùs exposita sunt, sic loquebatur Macarius Antiochenus in sua fidei confessione: *Unum eumdemque confitemur Deum & hominem perfectum .... ejusdem miracula & passiones, & omnem simul Deo decibilem, atque homini condecentem operationem ex eodem uno Christo Deo nostro novâ ratione* (Deo scilicet Verbo per humanitatem, quam volitione sua divina ad agendum applicabat, omnem

Christi actionem operante) *processisse credimus. Neque enim quæ divina sunt, secundum Deum, neque rursus quæ sunt hominis secundum hominem* (hoc est, neque enim quæ divina sunt, divina voluntate, neque quæ sunt hominis, humana voluntate operatum est Verbum incarnatum) *sed humanitus Deus Verbum novam quandam Dei virilem operationem, & hanc totam vivificatricem demonstrat* (operando scil. per humanitatem ut instrumentum, ab ipso divina sua voluntate motum & applicatum.)

Ex his sic paulò inferiùs prosequitur: *Unum igitur eumdemque operatum fuisse dicimus, ideest, mire operatum esse salutem nostram, eumdemque passum propria carne, & omnes verè sustinuisse salutares passiones, idem est dicere & miracula, ut sit quidem carnis pati non separatæ videlicet à divinitate, quamvis non divinitatis fuit pati, ipsius autem Dei operatio* (fuit) *quamvis per humanitatem ejus, hoc est, totam nostram consperstionem hanc* (operationem) *adimpleverit una & singulari voluntate divina, utpotè non existente in eo, & alia voluntate* (nempe humana.)

Unum, inquit Macarius, & eundem salutem nostram operatum esse dicimus, unamque operationem, & eam Dei, non hominis, quia in Christo una tantùm fuit voluntas, nempe voluntas Dei, qua Deus Verbum humanarum patrabat miracula, passiones sustinebat, & omnem actionem nobis salutarem operabatur per humaniratem assumptam, quam utpotè omni motu libero proprio carentem movebat, & ad agendum applicabat sua illa divina voluntate, præterquam si alia, nempe humana, fuisset in Christo, fuisset in eo non una, sed duplex operatio, scilicet operatio Dei & operatio hominis, adeòque fuissent in eo duo operantes seu operatores, sicut fuissent duo volentes, quod est Christum dividere, & duarum naturarum, divinæ & humanæ, in una Dei Verbi subsistentia unionem repudiare.

Hæc fuit Monothelitarum doctrina, quibus respondebant orthodoxi, quamvis in Christo fuerint duæ voluntates, nempe divina & humana, adeòque duæ operationes, divina & humana; nihilominùs in eo fuisse unum volentem, & unum operantem, verèque unum ac eundem salutem nostram operatum esse, quia denominationes volentis & operantis sunt denominationes hypostaticæ, & in Christo unum tantùm fuit suppositum, nempe Deus Verbum: perperam autem dici, quòd multiplicatis voluntatibus & operationibus in Christo, in eo multiplicentur supposita; cùm dualitas voluntatum & operationum non magis pugnare possit cum unitate suppositi, quàm naturarum dualitas, quam cum suppositi unitate agnoscere se, profitebantur Monothelitæ. Denique humanitatem à Verbo assumptam, quantumvis ex proprio motu libero agentem, verè ac propriè fuisse instrumentum Verbi, quo Verbum verè ac propriè salutem nostram operatum est, quia hoc ipso quòd humanitas assumpta, erat verè ac propriè natura Verbi, omnes ejus operationes erant verè ac propriè operationes Verbi, cùm natura quælibet totum quod est, cum omnibus suis potentiis & actionibus sit verè ac propriè suppositi, cujus verè ac propriè natura est.

ARTICULUS XIV.

De Honorio Papa.

§. I.

Utrùm Honorius damnatus fuerit à sexta Synodo œcumenica.

DAmnatum fuisse probant verba Synodi, & Leonis secundi supra relata §. 3. & confirmatur primò ex generali Synodo septima, in qua præsentibus nec reclamantibus Romanæ Sedis legatis, actione 3. relecta est epistola Tarasii, ad alios Orientis Patriarchas scripta, in qua sic loquebatur Tarasius: *Sextam* (Synodum) *laudo, quod ex duabus naturis Christum prædicavit, ob id etiam illi duas naturales voluntates & operationes in alterutra natura, humana scilicet & divina, assignavit: anathemate autem execror* (utpotè ab eadem Synodo anathematizatos) Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, &c.

In eadem sessione tertia relecta quoque est Theodori Patriarchæ Hierosolymitani epistola, in qua hæc scribebat: *Sancta sexta Synodus ... eos qui ... unam voluntatem, unamque operationem Servatoris nostri deitatis & humanitatis constituunt, anathematizavit, nimirum Sergium, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, Honorium, &c.* Nec tamen legati Apostolici, hæc audientes, pro Honorio reclamaverunt.

Denique actione septima in fidei definitione, quam legati Apostolici subscripserunt cum aliis Episcopis, hæc leguntur: *Duas voluntates & actus secundùm naturarum proprietatem in Christo prædicamus, quemadmodùm sexta Constantinopolitana Synodus definiit, detestamurque cum ea Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, impios istos pietatis impugnatores.*

Confirmatur 2. ex Hadriano II. Romano Pontifice in Synodo Romana, quam contra Photium coegerat, & cujus acta in octava Synodi generali actione 7. relecta sunt, sic loquente: *Quamvis Honorius post mortem ab Orientis Episcopis* (in sexta scilicet Synodo) *anathemate sit affectus, manifestum tamen est, illum de hæresi fuisse accusatum, qua sola in causa licet inferioribus in superiores insurgere. Quamvis & ibi nec Patriarcharum quisquam, nec aliorum ullus Antistitum sententiam pronunciare potuerit, nisi ejusdem primariæ sedis accedente ad eam rem auctoritate.*

Confirmari potest 3. ex Venerabili Beda lib. de sex mundi ætatibus, ex Anastasio Bibliothecario præfatione in sua ad Joannem diaconum collectanea; ex auctore vitæ Leonis II. in Pontificali, ex Humberto Cardinali Sylvæ candidæ Episcopo lib. contra Nicetam Pectoratum qui omnes citati fatentur, Honorium damnatum fuisse à Synodo sexta; & ex Diurno Romano, in quo Romani Pontifices, fidei professionem emittentes, sic loquuntur: *Sanctum sextum universale Concilium centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, &c.* Et inferiùs hæc proferunt verba: *Auctores verò novi hæretici dogmatis* (unius voluntatis & operationis in Christo) *Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, &c.*

Dices, cum Baronio. Acta sextæ Synodi iis in locis, in quibus anathema dicitur Honorio, & annumeratur hæreticis, depravata fuerunt à Theodoro Constantinopolitano, cui in ordinem redacto suffectus est Georgius: sed Georgio paulò post absolutam Synodum defuncto, in Sedem Constantinopolitanam, emissa fidei professione, restitutus est, atque ita rerum summa potitus, ex actis Synodi, à qua cum decessoribus suis ejusdem erroris consortibus damnatus fuerat, expunxit nomen suum, & ejus loco supposuit nomen Honorii.

Resp. 1. In actis sextæ Synodi, qualia à legatis Apostolicis Romam allata sunt ad Leonem II. Agathonis successorem, inventum fuisse Honorium inter eos, quos Synodus damnaverat: hoc enim expressè testatur Leo II. in duabus epistolis, quarum primam ad Episcopos Hispaniæ, alteram verò ad Ervigium Hispaniæ Regem scripsit, & quarum jam mentionem fecimus articulo superiore §. 3. Idem probat epistola, quam Leo scripsit ad Constantinum Imperatorem, & in qua postquam approbavit, & auctoritate Apostolica confirmavit fidei definitionem à sexta Synodo factam, cum Theodoro Pharanitano & aliis Monothelitarum ducibus Honorium anathematizat; quod profectò non feciſſet, si non eum cum illis à Synodo damnatum fuisse, ex actorum Synodi lectione comperisset.

R. 2. Acta Synodi, qualia Romam à legatis Apostolicis

stolicis ad Leonem II. allata sunt, sincera fuisse, non interpolata & corrupta. 1. Enim nec corrupta fuerunt, nec corrumpi potuerunt à Theodoro Constantinopolitano: nam cum actis illis Constantinopoli discesserunt legati Apostolici septimo ad summum post absolutam Synodum mense, quo sanè tempore nondùm rerum summa potiebatur Theodorus, quippè qui in sedem Constantinopolitanam restitutus non est, nisi post mortem Georgii, qui tribus annis Synodo superstes fuit, ut scribit Theophanes in chronico.

2. Dici non potest, quòd acta illa, antequam legatis Apostolicis traderentur, corrupta fuerint ab alio, putà à Georgio, qui ex actis illis ea, quibus ipse perstringitur, non expunxit. Prætereà, quòd, ejurato monothelismo, in gratiam æmuli hæretici, qualem fuisse Theodorum adversarii volunt, acta illa corrumpere voluerit, in ejus locum substituendo Honorium, credibile non est.

3. Si acta Synodi, non sincera, sed depravata legati Apostolici accepissent, Romam reversi, & de Honorio à Leone II. interrogati, depravationem detexissent, & contra eam Leo ab illis admonitus reclamasset in suis epistolis, graviterque conquestus fuisset apud Imperatorem, qui cùm princeps esset Sedi Apostolicæ devotissimus, ut patet ex Pontificali libro in vita Benedicti II. actorum corruptores, cognita eorum perfidia, gravi pœna proculdubio affecisset.

At inquies. Supposititia videretur epistola Constantini Imperatoris ad Leonem II. quia 1. in ea dicitur, Imperatorem de cogenda Synodo scripsisse ad Agathonem: nam in ea sic loquitur Imperator: *S. Papæ Agathonis beatitudinem piis apicibus nostris sumus hortati, ut aliquot mitteret, qui ejus personam obtinerent*. At certum est, quòd Imperator non ad Agathonem, sed ad Donum ejus decessorem de cogenda generali Synodo scripserit. 2. In ejus inscriptione dicitur eam ad Leonem datam esse mense Decembri Indictione decima, quo tempore Leo nondùm erat Pontifex: tunc enim adhuc vivebat Agatho, quem scribit Anastasius sepultum fuisse 4. Idus Januarii.

Resp. neg. instantiam. *Ad 1. prob. Resp.* minimè certum esse, quòd Constantinus ad solum Donum de cogenda Synodo œcumenica scripserit, & ex loco epistolæ citato probari, non quòd supposititia sit, sed quòd Constantinus, per eos, qui Roma Constantinopolim venerant, ut electi Pontificis confirmationem peterent, accepta Doni morte, & electione Agathonis, ad hunc, ejus electione confirmata, litteras, quibus eum hortabatur, ut aliquot mitteret, qui ejus personam obtinerent in Synodo Constantinopoli celebranda, dederit, easque fortasse per breves, illum ad sacram Dono ejus decessori inscriptam remittendo: nisi tamen quis malit, Constantinum, cùm scribit, se suis litteris Agathonem hortatum fuisse, ut legatos mitteret, qui ejus personam obtinerent in Constantinopolitana Synodo, intelligere sacram illam, quam ad Donum direxerat, quæque cùm non Dono, utpotè jam defuncto, sed Agathoni, in ejus locum electo, reddita fuerit, secundùm Imperatoris intentionem ad ipsum Agathonem scripta censeri potuit, ac debuit.

Ad 2. probationem Resp. Mendum esse in inscriptione epistolæ, & pro mense Decembri legendum esse mense Aprili, quo tempore Leo Pontifex erat, non quidem consecratus, sed electus. Consule quæ à nobis articulo superiore §. 3. cum Philippo Labbæo circa electionem, & ordinationem Leonis II. observata sunt.

At inquies. Præfatæ tres Leonis II. epistolæ suppositiæ sunt, ut probatur de prima, quæ dicitur esse Leonis ad Constantinum Imperatorem, 1. quia in fine legitur, data nonis Maii, indictione decima & in ea dicit Leo, se rescribere ad epistolam Imperatoris, mense Julio ejusdem indictionis acceptam; quæ sibi manifestè contradicunt.

2. Quia mense Julio indictionis 10. Leo II. non erat Pontifex, quippe qui Pontifex creatus est mense Augusto sequentis indictionis. 3. Quia in hac epistola Leo ait, eam à se scriptam fuisse indictione decima, qua nondùm creatus erat Pontifex. 4. Denique, quia in hac epistola scribit Leo Honorium in Monothelitarum hæresi defunctum fuisse, adeoque justa anathematis sententia condemnatum; cùm tamen Leo ignorare non potuerit, quòd Romana Ecclesia publico funere Honorium sepeliverit in templo S. Petri, eique ut catholico Pontifici in omnibus parentaverit.

Resp. ad 1. Pro indictione 10. legendum esse indictione 11. per quam nonis Maji rescripsit Leo ad epistolam Imperatoris, quam acceperat mense Julio indictione decima, ut testatur ipse: *Legatos*, inquit, *hujus Apostolicæ Sedis ..... una cum personis, quæ cum eis profectæ fuerant, quæ à prædecessore meo Agathone Papa per octavam indictionem pro causa fidei, vestra pietate jubente, illuc directæ fuerant, per nuper elapsam decimam indictionem mense Julio, cum divalibus Clementiæ vestræ apicibus, & Synodalibus gestis .... suscepimus*.

Ad 2. Resp. Leonem mense Julio indictionis decimæ fuisse Pontificem electum, & mense Augusto ejusdem indictionis ordinatum & consecratum. Hìc igitur electio Pontificis cum ejus solemni consecratione malè confunditur. *Ad 3.* Ex dictis patet responsio. *Ad 4. Resp.* neg. In hac enim epistola Leo sic loquitur: *Anathematizamus erroris inventores, idest, Theodorum Pharanitanum, &c. necnon Honorium, qui ..... immaculatam fidem maculari permisit: & omnes qui in suo errore defuncti sunt, &c.* Gratis autem dicitur Leo his postremis verbis: *Et omnes qui, &c.* Honorium comprehendere, quem non dicit in errore Monothelitarum fuisse, sed præcisè dicit, quod verum est, eum imprudenti œconomia & conniventia sua, immaculatam fidem maculari permisisse, eumque ob hanc præcisè causam anathemati subjicit.

Prob. De secunda epistola, quæ dicitur à Leone scripta ad Episcopos Hispaniæ. 1. Quia in hac epistola asseritur, sextam Synodum absolutam fuisse indictione nona, cùm tamen acta duarum posteriorum actionum testentur indictione decima absolutam fuisse. 2. In eadem epistola dicitur mitti in Hispaniam non ipsa acta synodalia, sed tantùm definitionem Synodi, edictum Imperatoris, & synodalem sermonem acclamatorium, quæ sunt actorum synodalium minima pars; & tamen can. 2. Concilii Toletani XIV. testantur Episcopi se cum epistola Leonis ipsa integra acta synodalia accepisse.

Resp. ad 1. In hac epistola Leonem non dicere, sextam Synodum absolutam fuisse, sed tantùm celebratam fuisse indictione nona. Hæc sunt verba epistolæ: *In Constantinopolitana urbe clementissimus noster ... Imperator ... Episcopis ex totius Mundi partibus aggregatis, quod ex multo tempore fideliter cupiebat ... per nuper elapsam nonam indictionem explevit* (hoc est, executus est) *universale itaque sanctum sextum Concilium celebratum est*. Prætereà, etiam supponendo, quòd Leo scripserit, sextam Synodum absolutam fuisse per nonam indictionem, hoc nullatenùs contradicit synodalibus actis, in quibus dicitur actio decima septima habita fuisse die undecimo mensis Septembris indictione decima, & actio decimaoctava ac ultima habita fuisse sexta decima die ejusdem mensis, eadem indictione: nam tunc temporis jam erat indictio decima Constantinopoli, ubi incipiebat à Kalendis Septembris, sed nondùm erat in Occidente, ubi à die tantùm vigesimo quarto ejusdem Septembris incipiebat numerari.

Resp. ad 2. Can. 2. Concilii Toletani XIV. Episcopos non testari, quòd integra acta synodalia cum epistola Leonis acceperint, sed solùm dicunt, se cum epistola Leonis accepisse gesta synodalia. Per gesta autem synodalia rectè potuerunt intelligere Synodi definitionem, cum ejus sermone ad Imperatorem acclamatorio. Et verò ad Episcopos Hispaniæ integra acta

synodalia mittere non potuit cum epistola sua, cùm nondùm è Græco in Latinum translata essent, ut in sua epistola expresè testatur ipse.

Prob. Denique de tertia, quam Leo scripsisse dicitur ad Ervigium Hispaniæ Regem. 1. Quia in ea hæc leguntur verba, quæ manifestam continent falsitatem: *Per nonam nuper elapsam indictionem piissimus atque christianissimus noster ..... Imperator ad Apostolicæ memoriæ nostrum decessorem Agathonem Papam atque Pontificem scripta imperialia dirigens affatim hortatus est, ut ab sancta Apostolicæ Sedis Ecclesia de omnibus adjacentibus ei reverendis Conciliis* (hoc est, ex omnibus provinciis Occidentis, cujus Romanus Pontifex est Patriarcha) *legatos .... in regiam Constantinopolitanam urbem dirigeret, &c.* At indictione nona jam aderant Constantinopoli legati Agathonis cum legatis Synodi, ab Occidentalibus Episcopis Agathone præside celebratæ. 2. Quia eadem illa epistola attribuitur Benedicto II. Leonis successori. At profectò eadem numero epistola à duobus Pontificibus scribi non potuit.

Resp. Quòd Leo II. non solùm ad Episcopos Hispaniæ, sed etiam ad Ervigium regem de recipienda, & ab Episcopis subscribenda sextæ Synodi definitione scripserit, apertè colligimus ex can. 1. Concilii Toletani XIV. & testatur Leo ipse in sua epistola ad Quiricum Toletanum Episcopum, qui, ut observat Garzia in præfatum Concilium Toletanum, adhuc vivebat, cùm Roma in Hispaniam proficiscebatur Petrus Regionarius à Leone II. missus. Hanc autem, de qua nunc controvertitur, epistolam eam non esse, quæ à Leone scripta est, sed loco veræ, quæ excidit, suppositam esse, non probant ea quæ contra illam objiciuntur. Nam

Ad 1. dico, verba illa, *per nonam nuper elapsam indictionem*, inserta esse ab imperito aliquo exscriptore, qui ea in ejusdem Leonis ad Hispaniæ Episcopos epistola legerat. *Ad 2. dico*, epistolam illam perperam attributam esse Benedicto II. & fortasse in hoc errandi occasionem fuisse, quòd non sub Leone, sed sub Benedicto ejus successore, procurante Ervigio, celebrata sit Synodus Toletana decima quarta, in qua ab Hispaniæ Episcopis recepta, & subscripta est S. Synodi definitio. Addo, præfatam epistolam, ut spuriam planè immeritò rejectum iri, eò quòd in ea dicatur Honorius, *immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensisse*. Hoc enim verissimum est, ut liquet ex ejus ad Sergium epistolarum lectione, quanquam hoc non ex affectu hæresis, sed sincero studio concordiæ in Ecclesiis Orientalibus servandæ, à Sergio deceptus fecerit.

At inquies. Sextæ Synodi Patres in synodica sua ad Agathonem epistola profitentur se Monothelitas damnasse juxta tenorem sententiæ, ab ipso in eosdem latæ: *Inde*, inquiunt, *fundamenta execrandæ eorum hæreseos prorsus convellentes, eosque armis spiritualibus paterniisque aggredientes, & linguas eorum, ne inter se accommodatæ loquerentur, confundentes, extructam ab iis impiissimæ hæresis turrim subruimus*, ac ipsos ut lapsos circa fidem, ac peccatores ....., anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras litteras de iis priùs lata, videlicet, Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, &c. Atqui Agatho non damnavit Honorium cum aliis, Sergio scilicet, Cyro, &c. Ergo, &c.

Resp. Patres Synodi sic locutos esse propter hæc Agathonis verba in ejus ad Constantinum epistola: *Quapropter quia & veritas claruit ... & falsitas denotata, & qua digna est, abominationem consecuta: restat ut .... novitatis error cum suis inventoribus, & iis qui eorum doctrinam secuti sunt, propriæ præsumptionis pœnam exsolvant, & de medio orthodoxarum Antistitum pro suæ novitatis hæretica pravitate pellantur, quam, &c.* Itaque Synodi Patres, quia lecta Honorii ad Sergium epistola, judicarunt Honorium mentem ac doctrinam Sergii secutum esse, & hanc ob causam illum anathemati subjecerunt cum aliis Monotheliſmi auctoribus, Theodoro scilicet Pharanitano, Sergio, Pyrrho, &c. dicunt in sua synodica ad Agathonem epistola à se anathemati subjectos Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum & Petrum, ex sententia ab Agathone per litteras ab eo ad Imperatorem scriptas, de iis priùs lata.

Dices. Agatho in laudata ad Constantinum epistola, postquam dixit: *Nunc necesse est, ut novi dogmatis* (Monothelitarum) *intentio quosnam secuta sit, & quorum Doctorum auctoritate fulciatur, annotemus*, notat tantùm Cyrum Alexandrinum, Theodorum Pharanitanum, Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Constantinopolitanos. Ergo de iis tantùm judicium ferre potuerunt Patres Synodi, ex sententia ab Agathone per ejus ad Constantinum litteras priùs lata. *R.* neg. conseq. Aliud enim est illos tantùm novi dogmatis assertores notasse, & aliud, præscripsisse ut illi tantùm à Synodo damnarentur. Primum autem fecit Agatho, non secundum, sed è contra generatim definivit, cum illis damnandos etiam esse eos omnes, qui doctrinam eorum sequi deprehensi essent, ut liquet ex verbis ejus supra laudatis: unde Synodus cum illis Macarium Antiochenum, Stephanum ejus discipulum, & Polychronium monachum damnando, quia inventi sunt Monotheliſmi auctorum doctrinam sequi, non contra, sed juxta præscriptum Agathonis fecerunt, rectèque dici possunt eos damnasse ex sententia ab Agathone priùs lata in litteris, quas ad Imperatorem scripserat.

At inquies. Si sexta Synodus Honorium, & ejus epistolas damnare voluisset, reclamassent legati Apostolici, sicut reclamarunt, cùm prolati sunt duo libelli, quos Vigilius ad Justinianum scripsisse dicebatur, & in quibus una Christi voluntas asserebatur. At legati Apostolici ne verbum quidem pro Honorio & epistolis ejus in Synodo protulisse inveniuntur.

Resp. Legatos Apostolicos contra duos libellos Vigilio attributos reclamasse, quia suppositos esse probare poterant, quod re ipsa præstiterunt. At non reclamarunt pro Honorio; quia nihil habebant, quod pro illius plausibili defensione in medium afferre possent, quando quidem ex epistolis ejus manifestum erat, illum cum hæreticis communicasse, illorum hæresi per imprudentem œconomiam favisse; in suppressionem duarum in Christo operationum consensisse, atque simili penè in omnibus modo locutum esse cum Monotheliſmi defensoribus, quos damnabat Synodus.

Addi potest, legatos Apostolicos, cùm viderent Orientales Episcopos magno consensu judicare parem esse Honorii causam cum causa Patriarcharum Orientalium, quos Agatho, & cum eo Occidentales Episcopi damnari volebant, quominùs cum illis damnaretur Honorius, obstare noluisse, ne sic optatus Synodi exitus impediretur. Quin imò eos hanc ob causam in privatis mandatis ab Agathone facultatem consentiendi, si opus foret, in damnationem Honorii accepisse, non obscurè colligi posse videretur ex verbis supra relatis ex Adriani II. epistola, quæ in octava Synodo actione septima relecta est.

At inquies. In Concilio Lateranensi, Martino primo præside celebrato, Patres nominatim anathematizarunt Monotheliſmi auctores, Cyrum scilicet, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, omniaque scripta illorum hæresi patrocinantia damnarunt, nec tamen ullam inusserunt notam Honorio, aut epistolis ejus.

Resp. Patres Synodi Lateranensis Honorium cum Monothelitis, quos damnabant, expresè damnare noluisse, quia certò sciebant illum non ex affectu hæresis, sed ex errore facti lapsum esse, & Sergio, à quo deceptus fuerat, de una & duabus operationibus proscribendis consensisse, atque epistolas illius, animo verè catholico scriptas, catholicum dogma sufficienter exprimere; quanquam ad hæreticum sensum detorqueri possent, si animo hæretico scriptæ supponerentur.

Dixi autem, expresè: nam relecta Pauli Constantinopo-

tinopolitani ad Theodorum Papam epistola, in qua verbis expressis hæresim suam de una Christi voluntate, quam apertè profitebatur, auctoritate Sergii & Honorii confirmabat, neque Martinus, neque alius ex Episcopis, qui aderant, verbum ullum protulit, quo Honorium defenderet, vel excusaret, quod silentium pro tacita quadam Honorii damnatione meritò haberi potest, vel certè pro tacita confessione, quòd Honorius non vacarit culpa, ob quam non immeritò potuerit damnari.

At inquies. Acta sextæ Synodi corrupta fuisse manifestum indicium est, quòd in illis reticetur nomen alicujus hæretici, qui nominatim ab illa Synodo damnatus est: nam in illis actis reticetur nomen Theodori Patriarchæ Constantinopolitani, quem tamen Synodus damnavit: quare dicendum est hujus Theodori nomen ex actis Synodi expunctum fuisse, & ejus loco suppositum nomen Honorii. *Resp.* neg. Theodorum illum, cui, vel sponte cedenti Patriarchatu, vel aliquam ob causam, quæ ignoratur, exauctorato suffectus est Georgius, qui post legatos Apostolicos Synodo præsedit, fuisse damnatum à sexta Synodo.

Prob. Omnes Patriarchæ Constantinopolitani, qui Monothelitæ fuerunt, damnati sunt à sexta Synodo; qui verò catholici fuisse probati fuerunt, ab eadem Synodo cum laude nominati sunt, & in sacris dyptichis conscripti. Ergo Theodorus, qui fuit Monothelita, nominatim damnatus fuit à sexta Synodo. *Resp.* Actum quidem esse in sexta Synodo de Patriarchis Constantinopolitanis, tam Monothelitis, quàm Catholicis, qui objerant, & hos, nempe Thomam, Joannem & Constantinum nominatim laudatos, illos verò nempe Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum nominatim diris devotos à Synodo. At ex iis, qui adhuc superstites erant, neminem nominatim damnavit Synodus, nisi priùs auditum, & de hæresi convictum, in eaque pertinaciter hærere deprehensum, ut patet ex Macario Antiocheno, Stephano ejus discipulo, Polychronio monacho, & Constantino presbytero Apameæ.

Theodorus autem abfuit à Synodo; eum à Synodo citatum, interrogatum, auditum, ne leviter quidem conjicere possumus; nullum in Synodo apparet prolatum fuisse instrumentum, quo probaretur hæreticus; nam Macarii confessio, quæ actione octava relecta fuit, & quam Anastasius Bibliothecarius in vita Agathonis asserit à Theodoro fuisse subscriptam, à solo Macario subscripta invenitur in actis Synodi. Denique quòd Theodorus à sexta Synodo tanquam Monothelita damnatus non fuerit, satis probari videtur ex eo quòd post Georgii mortem in sedem Constantinopolitanam restitutus est, vivente adhuc Constantino Pogonato Imperatore, qui cùm esset religiosissimus, Monotheliris insensissimus, & Synodi œcumenicæ, quam procuraverat, devotissimus, nunquam in sedem Constantinopolitanam restitui permisisset pertinacem hæreticum, ob suam in hæresi contumaciam ab œcumenica Synodo anathematizatum, quamvis posteà sese simularet aut profiteretur catholicum.

§. II.

Utrùm Honorius fuerit Monothelita.

RESPONSIO.

HOnorius non fuit Monothelita.

Prob. Nam si fuit Monothelita, certè propter hæc verba, quæ in prima ejus ad Sergium epistola leguntur: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*. Atqui his verbis Honorius non unam absolutè & simpliciter voluntatem, eamque divinam Christo attribuit, sed unam voluntatem humanam contra eos, qui à Sergio per calumniam dicebantur, in Christo admittere duas voluntates humanas inter se contrarias, voluntatem scilicet carnis, & voluntatem spiritus, ut

Prob. 1. Ex Joanne Papa IV. qui post Severinum Honorio successit, & in sua pro illo ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium Apologia sic loquitur: *Prædictus ergo decessor meus* (Honorius) *docens de mysterio incarnationis Christi, dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam* (Monothelitæ scilicet) *ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus* (Christi) *& humanitatis unam eum* (Honorium) *voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium.* To. 5. Conc. pag. 1761.

2. Ex S. Maximo in epistola ad Marinum presbyterum, in qua hæc habet: *Honorium etiam Romanum Papam non diffiteri reor, naturaliter in Christo voluntatum dualitatem in epistola, quam scripsit ad Sergium, eo quòd unam dixerit voluntatem, sed potius confiteri, & hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris, & naturalis voluntatis: sed quod nullatenùs conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa;* quod deinde ex verbis ipsius Honorii demonstrat. Eod. tom. pag. 1763.

3. Ex Joanne Sympono Abbate, qui fuerat Honorii Amanuensis, & ex ejus persona epistolam ad Sergium scripserat. Hic autem à Joanne IV. jussus ad Constantinum Imperatorem scribere, sic in epistola sua loquebatur: *Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, sed humanitatis solius. Cùm enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat.* Quanti autem sit ponderis hujusce Joannis testimonium, S. Maximus Martyr in disputatione cum Pyrrho habita declarat his verbis: *Quis fuerit fide & auctoritate dignus, epistolæ hujus interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cùm aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei christianæ illustravit; an ii, qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Eod. tom. pag. 1816. Eod. tom. pag. 1813.

4. Ex contextu ipsius epistolæ Honorii: *Unde*, inquit, *& unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò* (natura) *quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Et inferiùs: *Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus*, sed venit quærere, & salvare, quod perierat, *idest, vitiatam humani generis naturam: nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis.* Tom. 6. pag. 929.

Ratio igitur, propter quam Honorius asserit unam esse voluntatem Domini nostri Jesu Christi, est, quia Verbum assumpsit naturam humanam, non culpam, originalem scilicet, ex qua in nobis voluntatum contrarietas, seu carnis adversùs spiritum, vel ut communiter dicitur, partis inferioris, nempe appetitus materialis adversùs superiorem, nempe appetitum rationalem, rebellio exorta est. Quæ ratio convincit pro una voluntate humana in Christo: pro una verò absolutà & omnimodis voluntate allegari non potuit sine manifestissima, & intolerabili absurditate: ex ea enim sic allegata sequeretur Adamum in statu innocentiæ, aut nullam habuisse voluntatem, aut nonnisi divinam habuisse, nec nos habere voluntatem propriam, seu ex proprio motu libero agere, nisi quia Adamus peccavit, & in eo peccante peccavimus. Tantam autem absurditatem, vel potiùs amentiam nemo sanæ mentis impinget Honorio.

Juxta Honorium igitur, Christus ut homo unam voluntatem humanam habuit, nempe voluntatem spiritus sine voluntate carnis, quia Verbum naturam humanam assumpsisset, sed sine culpa originali, cujus

pœna est voluntas carnis; quia Verbum naturam assumpsit, non eam, quæ post Adami prævaricationem vitiata est per carnis rebellionem, sed eam, quæ ante peccatum Adami creata est in statu innocentiæ, in quo statu caro spiritui, & pars inferior superiori perfectè subjacebat: unde in Christo ut homine, præter voluntatem naturalem, & appetitum rationalem, Deo perfectè subjectum, non fuit lex alia in membris ejus, aut voluntas diversa, vel contraria voluntati, quam habebat ut Salvator, quia super legem natus humanæ conditionis, liber fuit ab intestina illa pugna, quam experiuntur ii, qui ab Adamo seminaliter descendunt, & in quibus idcircò caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Vide S. Maximum in epistola ad Marinum presbyterum.

At inquies. Honorius eodem planè sensu unam Christi voluntatem confitetur in sua epistola, quo Sergius in sua Ectheſi. *Resp.* Hoc esse falsum: cùm enim Honorius dicit: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, &c.* Apertè significat, se unam voluntatem humanam intelligere, nec aliud velle, *unam voluntatem* dicendo, quam à Christo, ut homine excludere contrarietatem voluntatum humanarum, seu illam carnis adversùs spiritum rebellionem, quam experimur nos, qui peccavimus in Adamo, à quo per viam ordinariam descendimus.

At verò cùm Sergius dicit in Ectheſi: *Unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur*, unam absolutè voluntatem, nempe divinam, intelligit, ut ex contexru manifestum est: nam sic statim prosequitur: *Utpotè in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis separatim & ex proprio impetu contrariè nutui uniti ei Dei Verbi in una subsistentia naturalem ejus producere motionem, sed quando, & qualem & quantam ipse Deus Verbum voluerat*. Quibus verbis, quamvis latere conetur Sergius, satis apertè significat humanitatem Christi omni motu proprio libero carnisse, adeòque nec aliquando operatam esse, nisi à Deo Verbo voluntate divina motam ac determinatam; quod ampliùs declaratur ex ejus ad Honorium epistola, in qua post eadem verba sic prosequitur: *Et ut planiùs dicatur, quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, & disponitur ab intellectuali & rationali anima nostra, ita & in Domino nostro tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi deitate semper in omnibus mota, Dei mobilis erat*.

Adverte discrimen Honorium inter, & Sergium, aliosque proinde Monothelitas. Secundùm Honorium, una est Christi voluntas, quia Verbum assumpsit naturam nostram, non culpam originalem, qua natura nostra vitiata est, & propter quam duæ voluntates humanæ contrariæ, carnis scilicet & spiritus, nobis insunt: unde perinde est manifestè, ac si diceret Honorius: In Christo ut homine non duæ voluntates contrariæ, carnis & spiritus fuerunt, sed una tantùm fuit, nempe voluntas spiritus. Secundùm Sergium, una est in Christo voluntas, quia humanitas à Verbo assumpta carnit omni motu proprio libero; cùm nullum planè habere potuerit nisi contrarium nutui Verbi sibi secundùm subsistentiam uniti; adeòque nunquam operata est, nisi ad operandum mota, ac determinata à Verbo per divinam voluntatem, quæ proinde sola, & absque omni alia humana voluntate in Christo fuit.

At inquies. Honorius contrarias voluntates, quas à Christo removet, in sensu accepit, in quo accipiebant Monothelitæ. *Resp.* Hoc esse falsum: nam, ut ex jam probatis manifestum est, per duas voluntates contrarias, quas à Christo excludebat, intelligebat voluntatem carnis, & voluntatem spiritus, adeòque duas voluntates humanas invicem adversantes, quales esse non poterant in Christo, quia Deus Verbum naturam nostram assumpsit, non qualis post Adami prævaricationem fuit, sed qualis erat cùm à Deo creata est in statu innocentiæ: at per contrarias voluntates, quas à Christo excludebant, Monothelitæ intelligebant simpliciter duas voluntates, quia putabant, voluntatum dualitatem in eodem suppositò esse non posse sine contrarietate: *Impossibile est*, inquiebat Pyrrhus in collatione quam cum S. Maximo habuit, *in una persona duas simul esse non contrarias voluntates*: unde consequenter, ne, quod impium fuisset, duas in Christo voluntates contrarias admitterent, ab eo rejiciebant omnem voluntatem humanam, sola ei divina voluntate relicta, qua movente ac determinante, non solùm divina, sed etiam humana operaretur.

At inquies. Honorius geminam operationem repudiabat cum Monothelitis. *Resp.* Repudiabat quidem, sed non ex eodem affectu: repudiabant enim Monothelitæ ex affectu hæresis, & quia ex duabus operationibus, divina, scilicet, & humana, consequens erat, quòd essent in Christo duæ voluntates, una divina, & altera humana, quæ cùm essent ejusdem suppositi, non possent non esse inter se contrariæ. Patet ex Sergio in epistola ad Honorium scripta, in qua duas à Christo operationes rejicit, eò quòd *consequens ei sit, prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes*. At Honorius geminam operationem, non quoad rem significatam, sed quoad vocabulum repudiabat ex affectu concordiæ inter Orientales restituendæ, & ad sopiendas altercationes, quas in Oriente inter Catholicos, aliis unam operationem, aliis verò duas operationes dicentibus, exortas esse, Sergius ad eum scripserat, quibusque significaverat orthodoxam fidem in periculum adduci. Quare Honorius eò quòd duas operationes dici prohibuerit, substitutis terminis æquivalentibus, non magis potest esse suspectus in fide, quàm qui ante Nicæni Concilii definitionem, vocabulum *Consubstantialis*, substituto æquivalenti termino, adhibere, vel adhiberi noluisset, in fide suspectus esse potuisset.

At inquies. Sergius in sua ad Honorium epistola hæresim suam his verbis exprimit: *Ad Alexandriæ Patriarcham scripsimus, ut ..... nullum permitteret unam, aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro; magis autem ... unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum operatum confiteri tam divina, quamque humana; & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivisè procedere, & ad unum eumdemque redigi ... permanere* (oportet) *in atrita Patrum doctrina .... & confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul & homo est, eumdem operari divina & humana, & ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo inseparabiliter atque indivisè omnem divinam atque humanam operationem procedere*.

Atqui Honorius in sua epistola ad Sergium eodem planè modo loquitur: *Nos*, inquit, *in quo percepimus, oportet ambulare ... confitentes Dominum Jesum Christum mediatorem Dei & hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Deo hypostatice unita, eumdemque operatum ineffabiliter atque singulariter assumpta carne*. Et inferiùs sic prosequitur: *Nam quia Dominus Jesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenæ sunt sacræ litteræ luculentius demonstrantes: utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, &c.*

Resp. Verba illa Sergii: *Magis autem unum, &c.* Catholica fuisse in sensu proprio & obvio, hæretica verò in sensu alieno, ad quem ea Sergius cum aliis Monothelitis detorquebat; vel, si vis, catholica fuisse in sensu litterali, hæretica verò in sensu personali Sergii, & aliorum Monothelitarum: nam quòd in Christo unus & idem propter unitatem suppositi operator fuerit; unus, & idem propter unitatem suppositi operatus sit Divina, & humana;

quòd

quòd in Christo ex uno & eodem Deo Verbo, quia utriusque naturæ, divinæ & humanæ, suppositum est, omnis operatio divina & humana processerit, verum & catholicum est, & hic est litteralis verborum Sergii sensus.

At verò quòd in Christo propter unitatem voluntatis unus & idem operatus sit divina & humana; quòd omnis operatio divina & humana processerit ex uno & eodem Deo Verbo per divinitatem & humanitatem sola voluntate divina operante, seu quia voluntate divina, quæ sola fuit in Christo, tam per humanitatem, omni motu proprio libero carentem, quàm per divinitatem operatum est, falsum & hæreticum est, & hic fuit sensus personalis Sergii & aliorum Monothelitarum; vel, si vis, sensus alienus, ad quem verba citata detorquebat Sergius cum aliis Monothelitis.

Honorius autem, cùm in sua ad Sergium epistola iisdem verbis aut similibus usus est, ea intellexit in sensu proprio & litterali, non alieno personali Monothelitarum, quem penitùs ignorabat; Sergium enim, nihil planè de eo suspicatus, habebat pro viro apprimè catholico. Eadem igitur aut similia verba, quæ in Sergii & aliorum Monothelitarum scriptis erant hæretica, utpotè detorta in sensum alienum, in epistola Honorii planè catholica sunt, utpotè in sensu proprio ac litterali intellecta ab Honorio, qui cum Monothelitis geminæ operationis vocabulum rejiciendo, retinebat rem per illud significatam, quam respuebant Monothelitæ, unicam Christo voluntatem, nempe divinam, & consequenter unicam operationem, quam modò divinam, modò Dei virilem appellabant, attribuentes.

At inquies. Honorius in sua ad Sergium epistola expresè asserit se idem sentire & loqui cum Monothelitis. *Hæc nobiscum*, inquit, *fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitùs atque humanitùs, fide orthodoxa & unitate catholica prædicetis*.

R. Honorium hæc scribere, quia Sergium, quem, ut jam dictum est, habebat pro viro apprimè catholico, dubitabat, Primò, unius & geminæ operationis vocabulum rejicere ex affectu concordiæ, & ad sopiendam altercationem Orientales inter Catholicos exortam, atque ne dicendo unam operationem, eum Eutyche; vel geminam dicendo, cum Nestorio sentire videamur. Secundò scripsisse, *Unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul & homo est, eumdem operari divina & humana, & ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo omnem divinam atque humanam operationem procedere*; scripsisse, inquam, in sensu proprio ac litterali, qui planè catholicus est, & quem intendit Honorius, cùm ait: *Hortantes vos, ut unum nobiscum Dominum Jesum Christum in duabus naturis operatum divinitùs atque humanitùs prædicetis*: sic enim loquitur Honorius, quia cum Catholicis contra Nestorium credit, Christum unum esse suppositum, non duo supposita, & operatum esse divinitùs voluntate divina, atque humanitùs voluntate humana: cùm in Christo humanam voluntatem agnoverit, adeòque illum humanitùs humana voluntate, sicut divinitùs divina voluntate operatum, atque illum unum & eumdem operatorem & operantem fuisse, non propter unitatem voluntatis, sed propter unitatem suppositi.

At inquies. Ergo sexta Synodus, quæ fuit œcumenica, Honorium ut hæreticum, & epistolam ejus ut *alienam ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequentem verò falsas doctrinas hæreticorum* damnando, erravit. Nodum scindunt bene multi, respondendo Honorum à sexta Synodo damnatum fuisse, non ut hæreticum sententia & dogmate, sed tantùm ut hæreticum communione cum hæreticis inita, & favore ac patrocinio hæreticis impenso; adduntque primam Honorii ad Sergium epistolam, dici à sexta Synodo *alienam ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum; sequi verò falsas doctrinas hæreticorum*, non minùs quàm Sergii epistolas, quia in modo loquendi cum Sergio convenit Honorius, & in œconomia, qua, sicut ille, silentio obrui jussit duarum Christi operationum vocabula; quæ œconomia Apostolicis dogmatibus adversatur: unde typus Constantis in Concilio Lateranensi sub Martino I. damnatus est, ut *factus contra immaculatam Christianorum fidem*. Similiter, inquiunt, Honorius à sexta Synodo dicitur *mentem Sergii in omnibus secutus, & impia dogmata confirmasse*, non consentiendo, sed connivendo; nec approbando pravum dogma, sed silentium de una vel duabus operationibus indicendo.

Qui ita respondent, consulendo sextæ Synodo, iniquiores sunt erga Honorium: nam communionem quidem habuit cum hæreticis, sed quos nesciebat, & quia nesciebat esse hæreticos: nec sciens & volens, favorem ac patrocinium impendit hæreticis, quos proculdubio è contra, hæretica eorum pravitate cognita, damnasset. Denique causa ejus malè confunditur cum typi causa: typus enim non solùm unius & duarum operationum, sed etiam, quod nullo pacto excusari potest, unius & duarum voluntatum silentium indicebat. Honorius verò unius & duarum operationum tantùm vocabula usurpari vetat, non ut rem duabus operationibus significatam excludat à Christo, ita ut concordiæ Ecclesiasticæ consulat.

Hæc sententia in iis, in quibus erga Honorium durior est correcta, non caret verisimilitudine, & confirmatur auctoritate Leonis II. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, ubi mentem sextæ Synodi interpretari videtur, & dicit, ab ea Monotheliimi duces condemnatos fuisse *cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit*. Sed quia non paucis displicet, eò quòd illis videatur vim facere verbis Synodi jam citatis, imò & apertè contradicere Synodo actione 18. in fidei definitione dicenti, dæmonem per organa sua, Theodorum scilicet, Sergium, &c. & Honorium *plenitudini Ecclesiæ erroris scandala suscitare, unius voluntatis & unius operationis in duabus naturis unius de sancta Trinitate Christi veri Dei nostri, orthodoxæ plebi novisonè disseminando hæresim, consentaneam insanæ ac malitiosæ sectæ impiorum Apollinarii, Severi, &c.*

Supponendo sextam Synodum damnasse Honorium, & epistolam ejus ad Sergium scriptam eodem sensu, quo Sergium ipsum, & alios Monotheliismi inventores, eorumque scripta damnavit, *R*. 1. sextam Synodum erasse, ut hæreticum sententia & dogmate damnando Honorium, qui à Monothelitarum hæresi alienissimus fuit. At si errando, erravit tantùm in facto particulari & personali: Synodum verò etiam œcumenicam circa facta particularia & personalia errare posse, extra controversiam est: unde quæ à Synodo generali circa ejusmodi facta judicata sunt, possunt ab alia posteriore generali Synodo retractari, & retractata, si opus fuerit, emendari, ut docet expresè S. Augustinus, lib. 2. de baptismo, cap. 3. *Ipsa*, inquit, *plenaria* (Concilia) *sæpè priora à posterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum, aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typo sacrilegæ superbiæ, &c.*

R. 2. Sextam Synodum pariter erasse, epistolam ab Honorio ad Sergium scriptam damnando ut exprimentem Monotelitarum hæresim; at epistolam illam non spectasse absolutè & secundùm se, sed relatè ad mentem & intentionem Honorii, quem ex falsa præsumptione, non leve fundamentum in Sergii œconomia, ab Honorio approbata, & rumoribus publicis habente, judicavit, hæretico animo scripsisse epistolam suam, & consequenter eo sensu scripsisse, in quo eadem vel similia verba usurparant vel usurpabant Monothelitæ; quod est Synodum epistolam Honorii, non in sensu proprio & litterali, sed in alieno & personali

præ-

præsumpto Honorii damnasse, unde sexta Synodus epistolam Honorii ut exprimentem Monothelitarum hæresim damnando, non erravit circa sensum proprium & litteralem illius, sed circa sensum personalem Honorii.

Synodum autem etiam œcumenicam circa sensum personalem auctorum, qui de rebus fidei scripserunt, errare posse facilè concedunt Doctores catholici: nam supposito, quòd hìc libenter re ipsa supponimus, quòd Synodus œcumenica, etiam præciso Summi Pontificis judicio, infallibilis sit circa dogmata, inde sequitur tantùm, & sufficit, eam quoque infallibilem esse circa sensum proprium ac litteralem textuum dogmaticorum.

Errorem Synodi, actis ejus diligenter examinatis, deprehendit Leo II. Unde in sua ad Constantinum Imperatorem epistola judicium ab ea de Honorio & litteris ejus latum correxit, non quidem directè, ne auctoritatem illius elevaret, & ansam daret Orientalibus Monothelitis illam contemnendi & calumniandi, sed indirectè, dicendo: *Anathematizamus ... Honorium qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed prophana proditione immaculatam fidem maculari permisit.*

Porrò Honorius culpa non vacavit, imò verò multiplici ex capite reprehensibilis fuit, quòd in re tanti momenti eam, quam par erat adhibere, diligentiam non adhibuerit; quòd nimiùm faciles præbuerit aures Sergio, & è contra erga Sophronium strenuum orthodoxæ fidei defensorem iniquior fuerit; quòd œconomiam de una vel duabus operationibus reticendis, à Sergio propositam, non præmisso synodali examine, approbarit; quòd Cyrum Alexandrinum septimo suo anathematismo unam operationem Christi prædicantem non represserit, nec ad palinodiam coegerit, &c.

ARTICULUS XV.

De hæresi Feliciana.

OCtavo sæculo ad exitum properante, Elipandus Toletanus Episcopus Felicem Orgellanum Episcopum per litteras consulendo, quid de humanitate Christi sentire deberet, utrùm scilicet Christus secundùm quòd homo est, proprius, an adoptivus Dei Filius credendus esset, ac dicendus; novam excogitandi hæresim dedit ei occasionem: Felix enim ad eum rescribens respondit, Christum secundùm humanitatem esse Filium Dei adoptivum; quam opinionem scriptis ad eundem Elipandum libris stabilire conatus est. Testatur hæc Eginardhus in annalibus ad annum Christi 792.

Docebat igitur Felix Christum secundùm divinitatem esse Filium Dei natura, secundùm humanitatem verò Filium Dei esse non natura, seu, ut loquebatur, genere, sed adoptione & gratia; atque ita duos in Christo filios Dei prædicabat, unum proprium & naturalem, alterum adoptivum tantùm; quem proinde Deum, non propriè, sed nuncupativè tantùm esse asserebat: unde cum denominatio Filii sit denominatio hypostatica, ex Felicis doctrina consequens erat, duas in Christo hypostases seu personas esse: quare jure merito dicebatur à Catholicis instaurare hæresim Nestorii, à quo in hoc tantùm discreparet, quòd Nestorius propter dualitatem naturarum, ipse verò per dualitatem filiationum, duas hypostases seu personas Christo affingeret.

At inquies. Felix disertis verbis asserebat unicam in Christo personam, nempe personam Verbi, ut probatur ex Alcuino, qui plures contra illum libros conscripsit, quibus sententiam ejus impugnat, & in quinto sic loquitur: *Dicis eumdem esse Filium Dei, qui est & Filius hominis, & Filium hominis, qui est Filius Dei, ut ex tuis verbis cognosci poterat. Qui illum, inquis, sibi ex utero matris, scilicet ab ipso conceptu, in singularitate suæ personæ ita univit atque conservit, ut Dei Filius, esset filius hominis, non mutabilitate naturæ, sed dignatione: similiter & hominis filius esset Dei Filius, non vertibilitate substantiæ, sed in Dei Filio esset verus Filius.*

R. Inde sequi tantùm Felicem, quod novatoribus familiare est, sibi contradixisse: quod enim alicubi asserebat divinam & humanam naturam in una Verbi persona substantialiter & hypostaticè unitas esse, hoc destruebat, alibi, asserendo in Christo præter naturalem Dei Filium, alterum esse adoptivum; præter Deum verum, alterum esse nuncupativè tantùm Deum; vel, si vis, asserendo humanitatem seu hominem à Verbo assumptum, esse Filium Dei adoptivum, & nuncupativè Deum: unde necessariò consequebatur in Christo duos esse filios, unum naturalem, & alterum adoptivum, imò duos deos, unum verum ac proprium, alterum verò impropriè tantùm & nuncupativè Deum, adeòque necessariò consequebatur duas in Christo personas esse, unam divinam, nempe personam Verbi, & alteram creatam, nempe personam hominis assumpti: cùm uni & eidem personæ, simul esse Filium naturalem & adoptivum tantùm; item simul esse Deum verum, & Deum nuncupativè tantùm, repugnet.

Feliciana hæresis in pluribus Conciliis damnata fuit Et 1. quidem in Concilio Forojulienſi, Paulino Aquilejensi præside, anno 791. proscripta est, tacito auctoris nomine, his verbis in fidei symbolo contentis: *In una Christi Jesu persona verus Dei verusque hominis Filius, non alter hominis filius, & alter Dei: sed unus idemque Dei hominisque Filius, in utraque natura, divina scilicet & humana, Deus verus, & homo verus. Non putativus Dei Filius, sed verus: non adoptivus, sed proprius, quia nunquam fuit propter hominem, quem assumpsit, à Patre alienus .... in utraque natura proprium eum & non adoptivum Dei Filium confitemur, quia inconfusibiliter & inseparabiliter, assumpto homine, unus idemque est Dei & hominis Filius, &c.* Tom. v. Conc. pag. 999.

2. Anno 792. in Concilio Ratisponensi, præsente Carolo Magno, à quo accitus Felix adfuit, & pro virili sua parte sententiam suam defendit, quæ postquam ventilata fuit, synodali auctoritate sacerdotum Christi, qui ex diversis christiani imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata est, inquit, Alcuinus, lib. 1. adversùs Elipandum. Felix verò jussu principis ab Angilberto Abbate ductus ad Adrianum I. Summum Pontificem, coram eo errorem suum damnavit, & fidei libellum obtulit, in quo ajebat: *Nequaquam Filium Dei adoptivum esse, sed proprium & verum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei confiteor*, juravitque se sic tenere & confiteri. Quo facto, ad Ecclesiam suam redire permissus est, ut ait Eginardus in annalibus ad annum 792. Eod. Tom. Conc. pag. 1069. Pag. 1071. Eod. Tom. Conc. pag. 1150.

3. Anno 794. in Concilio Francofordiensi: cùm enim Elipandus errorem eumdem tueri ac propagare pergeret, & Felicem ipsum ad defensionem illius resumendam induxisset, atque pro ea scripsisset epistolam ad Carolum Magnum, hic ex universa sua ditione Episcopos Francofurtum convocavit ad celebrandam Synodum, cui interfuere etiam legati Apostolici, Theophilactus & Stephanus. In hac autem Synodo lecta est epistola Adriani ad Hispaniæ Episcopos contra Elipandum, quem cum suis consortibus, nisi resipiscerent, Adrianus perpetuo anathematis vinculo religatum, à gremio Ecclesiæ definiebat alienum. In eundem modum adversùs Elipandum & Felicem, proscripta eorum de Christi adoptione doctrina, Synodus protulit sententiam, ut patet ex libello sacro-syllabo, quem Italiæ Episcopi in ipsa Synodo ediderunt, & in quo sic loquuntur: *Elipandum & Felicem, novos hostes Ecclesiæ, sed veternosa face perfidiæ polluos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per rectæ fidei satisfactionem lamentis se abluant pœnitentiæ, indignos & ingratos eos à consortio Catholicorum perpetua animadversione eliminare decernimus, & à gremio orthodoxæ Ecclesiæ censemus alienos.* Et paulò inferiùs: *Eos etiam qui post hanc tam saluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus sancto afflata Spiri-* Pag. 1071. Eod. Tom. Conc. pag. 1150. Eod. Tom. pag. 1021.

Spiritu, concorditer subtili sinceritate terminavit, falsissimis eorum assertionibus, sive clam, sive in publica voce, præbuerint assensum, simili eos sententiæ vindicta sancimus esse plectendos; reservato per omnia juris privilegio Summi Pontificis Domini & Patris nostri Adriani primæ Sedis beatissimi Papæ.

Porrò Italiæ Episcopi Synodum Francofordiensem plenariam vocant, non quòd esset œcumenica, sed quia ex omnibus provinciis, ditioni Caroli Magni subjectis, convocata fuerat. Et addunt, *reservato per omnia, &c.* ut Romano Pontifici pro officio suo ultimum de hæreticis judicium relinquant, quod ad illum jure divino sciebant pertinere. Ad Elipandum & cæteros Hispaniæ Episcopos libellus ille sacro-syllabus missus est ex decreto Synodi, cum ejus synodica epistola, in qua Felicis hæresis accuratè exponitur, & cui suas quoque litteras adjunxit Carolus Magnus, qui Synodo interfuerat.

Tom. 7. Conc. P. 1105.

4. Anno 799. in Concilio Romano, Caroli Magni horratu, à Leone III. Adriani successore cum Episcopis 57. celebrato, ex occasione libelli hæretici, quem Felix scripserat contra epistolam, qua eum Alcuinus, post Francofordiensem Synodum conatus fuerat ad sanam mentem revocare. In hoc Concilio, cujus luculentum extat testimonium apud Felicem in confessione fidei, quam eodem anno edidit in Aquisgranensi Synodo, & in excerptis actorum ejus, quæ supersunt in schedis quibusdam Pithœanis, quæ publici juris fecit Philippus Labbæus, in hoc, inquam, Concilio libellus ille, in quem Felix pristinæ hæreseos capita omnia conjecerat, damnatus est, & in Felicem ipsum actione tertia à Leone prolata sententia est hunc in modum: *Felici Orgellitanæ Ecclesiæ Episcopo. Si noluerit declinare ab hæretico dogmate suo, in quo ausus Filium Dei adoptivum asserere, anathema sit, atque ante tribunal Dei omnipotentis condemnatus, seu à sancta & Apostolica Dei Ecclesia extoris, nostroque consortio alienus.*

Eodem anno Carolus Magnus ut Felicianam hæresim extingueret, magnam Episcoporum Synodum in Aquisgranensi Palatio congregavit, in qua Alcuinus & Felix, jubente Carolo, diebus aliquot constixerunt, ita ut à secunda usque ad septimam sabbati vix aliud gestum sit: victum se tandem Felix, voce fletuque testatus est, erroremque suum sincerè deposuit, & ad orthodoxam fidem rediit, si ei credimus in professione fidei ab eo tunc edita, sic loquenti: *Totius Ecclesiæ universalis consensu convicti, ad universalem Ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quòd Deus sit, sed ut dixi, vera cordis credulitate & oris professione: quod etiam in conspectu multorum sacerdotum & monachorum professi sumus.*

Felicem in Aquisgranensi Concilio ad catholicam fidem sincerè conversum esse testatur quoque Alcuinus, lib. 1. adversùs Elipandum, in quo ait: *Sed & idem Felix anno præfati glorioſi Principis* (Caroli) *trigesimo secundo* (qui fuit annus Christi 799.) *advocatus, voluntariè veniens ad Aquis-Palatium, ibique in præsentia domini Regis & optimatum illius, sive sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confessus fidem, in pacem catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes.*

Utrùm autem in orthodoxa fide retinenda constans fuerit, dubium facit scheda post mortem ejus inventa, de qua sanctus Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, qui sub Ludovico Pio floruit, in libro adversùm dogma Felicis conscripto, hæc scribit, cap. 1. *Post obitum Felicis illius, qui fuerat quondam Episcopus in sede Orgelletana, inventa est à nobis quædam schedula, ab eo edita sub specie interrogationis & responsionis: quam cum legentes consideraremus, inspeximus hominem diligenter & fraudulenter instaurasse, quantùm in se fuit, omnem prævitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore Episcopatus depositus, &c.*

Porrò cap. 2. contra nonnullos qui Felicem rectè sentire, ex morum integritate, quam præ se ferebat, colligebant, sic loquitur: *Incaute admirantes vitam prædicti Felicis, probanda putant cuncta, quæ dixit; nescientes quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita: quanquam enim multi benè credentes, malè vivendo pereant; nullus tamen malè credens, benè vivendo salvatur: solius enim omnipotentis Dei est, nosce occulta hominum, vel quis cum reprehensibili vita humilem mentem gestet, aut quis cum laudabili vita superbam.*

Quod ad Elipandum attinet, in eodem cum Felice errore versatum esse probat symbolum fidei Elipandianæ, quod Etherius Uxamensis Episcopus ex dictis Elipandi concinnavit, & inseruit lib. 1. quem contra ejusdem litteras communiter cum beato Presbytero conscripsit. In hoc autem symbolo hæ leguntur: *Non per illum* (Deus Pater) *qui natus est de Virgine, visibilia & invisibilia condidit: sed per illum, qui non est adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura* (supple Filius) *& per istum Dei simul & hominis Filium, adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit.* Et inferiùs: *Qui non fuerit confessus Jesum Christum adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, & hæreticus est, & exterminetur.* Elipandus igitur post Magistrum suum Felicem, Christum quà homo est, vel, quod idem est, humanitatem seu hominem in Christo adoptivum Dei Filium fuisse asseruit: ita ut in eodem Christo duos Filios Dei, unum natura & genere, alterum gratia & adoptione discreverit.

Utrùm autem Elipandus ad sanam mentem & fidem orthodoxam aliquando redierit, incertum est. De eo hæc scribit Joannes Mariana, lib. 7. annalium Hispaniæ cap. 8. *Quid Elipando contigerit, clam est, ac credam potiùs sententiæ Patrum obtemperasse, pravaque opinione deposita mutasse, &c.*

DISPUTATIO II.

De Incarnationis existentia.

ARTICULUS I.

Existentia Incarnationis probatur contra Judæos.

AD probandam contra Judæos incarnationis existentiam, hìc tria nobis ostendenda sunt. 1. Messiam esse verum Deum. 2. Messiam illum, qui verus Deus est, à multis jam sæculis advenisse. 3. Messiam illum, qui jam à multis sæculis advenit, non alium esse quàm Jesum Christum, ex Maria Virgine natum anno 42. imperii Augusti, & à Judæis in crucem actum anno 20. Tiberii Imperatoris.

§. I.

Messias est homo Deus, seu Persona sanctissimæ Trinitatis, in duabus naturis, divina scilicet & humana, subsistens.

PRob. 1. ex Psalmis Davidicis. Psalmo 2. Messiam ipsum sic loquentem inducit Psaltes. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctam ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genus te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quòd Psaltes regius hìc loquentem inducat Messiam, manifestum est ex his verbis: *Ego autem constitutus sum, &c.* quibus exprimitur regnum spirituale Messiæ & ex istis: *Postula à me, & dabo tibi, &c.* quibus continetur promissio Messiæ facta, quòd eum gentes, ad fidem ejus conversæ, adoraturæ sint ut Deum, eique ut Regi obsecuturæ. Cùm autem Deus Pater

Messiæ

Messiæ dicit, *Filius meus es tu*, dicit eum esse Filium suum modo singulari, ipsique soli proprio, adeòque naturalem, non verò tantùm per adoptionem vel participationem Filium suum esse; & perinde est, ac si diceret: Alii homines, justi scilicet, sunt filii mei improprio & imperfecto modo, tu verò specialiter Filius meus es, verus ac naturalis, utpotè à me ex propria mea substantia genitus in æternitate, quæ est hodie, seu præsens, principio ac fine carens.

Psalmo 44. dicitur: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hìc Psaltes eumdem vocat Deum æternum, qui dilexit justitiam, & odit iniquitatem, atque idcircò unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis. Hæc autem duo manifestè convenire non possunt, nisi uni & eidem, qui simul sit Deus & homo: unde verba laudata intelligi non possunt de Salomone, qui fuit purus homo: superest igitur ut intelligantur de Messia, cujus typus ac figura Salomon fuit, & quem proinde confitendum est esse simul Deum & hominem.

Psalmo 109. dicitur: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.* Hìc cùm Psaltes ait: *Dixit Dominus:* nomine Domini Deum intelligit, de quo dubitari non potest. Ergo cùm ait: *Domino meo:* pariter Deum intelligit nomine Domini; quod apertè probatur ex eo, quod inferiùs Dominus alloquens eum, quem David Dominum suum vocat, ait: *Ex utero ante Luciferum* (hoc est, ex substantia mea ab æterno) *genui te.* Quòd autem David per eum, quem vocat Dominum suum, Messiam intelligat, manifestum est ex eo, quòd dicat illum fore sacerdotem in æternum: *Juravit Dominus*, inquit, *& non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod sanè soli Messiæ convenire potest. Ex hoc igitur loco habemus Messiam fore simul hominem & Deum; & horum verborum: *Dixit Dominus, &c.* sensus est: Dixit Deus Pater Deo Filio qua homini: *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, &c.* Porrò Psaltes facer Deum Filium appellat Dominum suum, quia per incarnationem speciali modo noster futurus erat, juxta illud Isaiæ, cap. 9. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.*

Prob. 2. Ex prophetia Isaiæ, qui sic loquitur cap. 9. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & justitia, amodo & usque in sempiternum.* Hæc autem verba de alio intelligi non possunt, quàm de Messia: de quo enim alio dici potuit, quòd esset Pater futuri sæculi, Princeps pacis, cujus non erit finis, & quòd imperium ejus æternum erit? Sed eum, de quo loquitur, Isaias simpliciter vocat Deum, & nomen Dei simpliciter ac sine ullo addito diminuente, soli vero Deo tribuitur in Scriptura. Ergo ex Isaia Messias est verus Deus, adeòque homo Deus.

Idem cap. 35. ait: *Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere ... Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hìc Propheta loquitur de adventu Messiæ, ut patet ex his verbis: *Tunc aperientur, &c.* quibus enumerat miracula, quæ Messias patraturus erat, & perinde est, ac si diceret: Non Propheta aliquis, qui cùm esset purus homo, salvare vos non posset, sed Deus ipse veniet, ut salvet vos; & cùm venerit, missionem ac divinitatem suam probabit, cœcorum oculos, & surdorum aures aperiendo, mutorum linguas solvendo, & claudos erigendo. Cùm autem Messiam Deum ipsum esse dicit, proculdubio dicit, eum esse verum Deum.

Denique cap. 45. postquam suum videndi Messiæ desiderium expressit: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem*; & inferiùs propheta prædixit, gentes ad Messiam convertendas, *Hæc dicit Dominus ... Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent*; sic prosequitur: *Et te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Hæc autem verba, ut patet ex superioribus, *hæc dicit Dominus*, non sunt ipsius Prophetæ Deum alloquentis, sed Domini seu Dei loquentis ad Messiam, quem vocat Deum absconditum, Deum Salvatorem Israel, cùm homines salvare solius Dei veri proprium sit.

Messias igitur est verus Deus, nempe Deus Filius: verba enim laudata, cùm sint verba Dei loquentis ad Deum, verba sunt Dei Patris loquentis ad Dei Filium, cui dicit 1. *In te est Deus, & non est absque te Deus*, quia in divinis Pater est in Filio, & Filius in Patre propter identitatem naturæ; & propter eandem rationem Pater nec est Deus absque Filio, nec est alius Deus à Filio. 2. *Verè tu es Deus absconditus*, quia Deus Filius, ut ait Apostolus ad Philip. cap. 2. *seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*; quia Deus Filius gloriam ac majestatem divinam abscondit sub velamine humanitatis, quam assumpsit, ut nos redimeret, & Patri suo reconciliaret: unde & dicitur *Israel Salvator.*

Prob. Ex aliis Prophetis. Baruch. cap. 3. sic loquitur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversùs eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Hìc Propheta evidenter loquitur de vero Deo, cùm sic ait: *Hic est Deus noster, &c.* Præterea loquitur de Deo, qui legem dedit Israelitis, & quem proinde verum esse Deum non negabunt Judæi. De hoc autem vero Deo asserit, præteritum tempus pro futuro assumens, post hæc, hoc est, post legem Israelitis datam, in terris apparuisse & cum hominibus conversatum esse, humanitate scilicet assumpta, & sibi substantialiter unita: de hac enim speciali apparitione, & non de alia necessariò intelligitur Propheta: nam si de alia loqueretur, quæ fit per Angelos in aeris corporibus assumptis, vel per solam imaginariam aut sensibilem aliquam repræsentationem, non diceret, *post hæc in terris visus est*, quia ante legem datam Deus eo modo in terris visus fuerat, & cum Abraham, Jacob, aliisque sanctis hominibus fuerat conversatus. Hic autem Deus homo factus, alius non est, quàm Messias.

Michææ cap. 5. legitur: *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*; quibus verbis promittitur Messias, & Bethleem nasciturus prædicitur, ut Principes sacerdotum & scribæ populi responderunt Herodi scilicitanti ab eis, ubi Christus nasceretur. Hunc autem Messiam verum esse Deum statim apertè significatur his verbis: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*, quibus æterna ejus secundùm divinitatem generatio exprimitur: dictio enim illa, *ab initio*, conjuncta cum hac alia, *à diebus æternitatis*, significat existentiam sine principio.

Zachariæ denique cap. 2. hæc habentur: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos ... & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me. Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.* In hoc quoque textu manifestè agitur de Messia, & in eo Dominus exercituum dicit, se ad gentes missum esse à Domino exercituum, seque venturum, & in medio Israelitarum habitaturum. At quis est ille Dominus exercituum, qui misit, nisi Deus Pater? Et quis est Dominus exercituum, qui missus est, & in medio Israelitarum habitavit,

nisi

nisi Deus Filius, qui homo factus est, Messias igitur est Deus Filius, homo factus adeòque simul homo & Deus.

§. II.

Messias ille, qui simul est verus Deus & homo verus, jam à multis sæculis advenit.

Prob. 1. ex cap. 49. Geneseos, in quo sic loquitur Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Hic Jacob loquitur de Messia; nam fore expectationem gentium, omninò convenit Messiæ, qui venturus erat ad salvandas gentes & nulli alteri aptari potest: de quo enim alio verè dici potuisset: *Et erit expectatio, &c.* Ergo sceptrum de Juda & dux de femore ejus, hoc est omnes suprema potestas à tribu Juda auferenda non fuit, donec veniret Messias. Ergo cùm jam à multis sæculis omni potestate suprema spoliati sint Judæi, confitendum est Messiam jam à multis sæculis advenisse.

Prob. 2. ex Danielis cap. 9. in quo Danielem alloquens Angelus ait: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte. Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursùm ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium; & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

1. In hac prophetia, Angelus per Christum Ducem Messiam intelligit: nam vocat eum Sanctum Sanctorum quæ denominatio homini puro convenire non potest talis enim reduplicatio, secundùm proprietatem linguæ Hebraicæ, significat supremam dignitatem & excellentiam in ratione sanctitatis, adeòque ei tantùm convenit, qui non ex accidenti, sed ex se & natura sua sanctus est, ac principium & fons omnis sanctitatis participatæ, qualis est solus Deus, non homo purus. Præterea angelus dicit, per Christum ducem iniquitatem delendam, & adducendam justitiam sempiternam, quod ab homine puro præstari non potest: intelligit igitur angelus Messiam, quem esse simul hominem & Deum supra probavimus.

2. Angelus dicit Christum ducem post septem & sexaginta duas, hoc est, post sexaginta novem hebdomadas venturum, & intra decimam occidendum. 3. Hebdomades illæ, de quibus loquitur angelus, vel sunt dierum, vel annorum: nam in Scriptura nulla aliarum hebdomadum mentio fit. 4. Cùm non sint hebdomades dierum, quod facilè concedunt omnes, vel sunt hebdamades annorum lunarium, omissis embolismis; vel ad summum annorum solarium. 5. Dato quòd sint hebdomades annorum solarium, jam à multi sæculis effluxerunt: nam tardiùs inchoari non possunt, quàm anno vigesimo imperii Artaxerxis, quo anno Artaxerxes decretum fecit, quo jubebat urbem Hierosolymam reædificari. Ab illo autem vigesimo Artaxerxis anno hactenùs elapsi sunt anni supra ter mille, & septuaginta hebdomades annorum facient tantùm annos, quadringentos nonaginta.

Ex allata igitur prophetia clarum est jam à multis sæculis venisse Messiam, quod adhuc ex eadem prophetia ampliùs demonstratur: nam in ea dicit angelus, in pœnam Christi ducis occisi, populum cum Duce venturum, civitatem ac sanctuarium dissipaturum, quod imperante Vespasiano à Romano exercitu, duce Tito ejus filio, ab annis supra mille & sexcentos, factum esse ignorat nemo. Ergo saltem ab annis supra mille & sexcentos effluxere hebdomades Danielis. Ergo, &c.

Prob. 3. Ex cap. 2. Aggæi Pprophetæ, in quo hæc leguntur; *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quàm primæ.* In hac propheria agitur de Messia: quem enim alium vocare potuisset desideratum cunctis gentibus? Sic autem eum vocat, vel quia ante adventum ejus nunquam defuere inter gentes, qui fidem illius & desiderium haberent: vel certè quia quamvis gentes, quæ illum ignorabant, illum non desiderarent, eis tamen maximè desiderabilis erat, cùm adventu illius maximè indigerent. Vel denique, quia more propehetarum, præteritum pro futuro usurpans, futurum erat, ut aliquando Messias desideraretur, & amaretur à gentibus.

Itaque cùm Judæi ex captivitate Babylonica reduces, Hierosolymæ alterum templum ædificantes, Dario Histaspe Persis imperante, tristes essent, & dejecti animis, eò quòd templum illud, quod ædificabant, videretur eis humilius templo Salomonis, eique minimè æquiparandum; Aggæus, ut eos consoletur, & alacriores atque ad opus promptiores efficiat, loquitur eis de adventu Messiæ, & prædicit illum præsentia sua aliquando cohonestaturum templum, quòd ædificant, adeòque hujus templi, longè majorem fore gloriam, quàm fuerit gloria templi, quòd Salomon extruxerat, quodque nobilitatum tantùm fuerat præsentia arcæ fœderis, quæ non fuit nisi umbra quædam & figura Messiæ. Ergo cùm templum, à Judæis post captivitatem Babylonicam ædificatum, ac deinde ab Herode Rege restauratum, jam à multis sæculis destructum & solo æquatum sit à Romanis, vel Aggæus Propheta falsum prophetavit, & mentitus est, quod non concedunt Judæi, vel jam à multis sæculis advenit Messias.

Idem argumentum sumi potest ex Malachia cap. 3. ubi per Prophetam sic Messias ipse loquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam:* quibus verbis prædicitur adventus præcursoris Messiæ. Tum continuò Propheta subjicit: *Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis* (quibus verbis apertè dicitur Messias esse Deus) *& Angelus testamenti, quem vos vultis* (Messiam Propheta angelum testamenti vocat, eò quòd novum testamentum, novamque legem gratiæ conditurus erat.) Templum autem illud, ad quod venturum fuisse Messiam, prædixit Malachias, non fuit templum Salomonis; hic enim Propheta vixit tempore Artaxerxis Longimani; sed secundum templum à Judæis post captivitatem extructum, cujus à tot jam sæculis nullum exrat vestigium: unde Messias jam à multis sæculis advenit, vel Malachias falsum prædixit, quod dici non potest.

§. III.

Messias, quem hominem simul & Deum esse, & à plurimis jam sæculis advenisse probavimus, alius non est, quàm Christus, seu Jesus ex Maria Virgine natus, Augusto imperante, & sub Tiberio ab Judæis cruci affixus.

Prob. Nam omnia quæ à Prophetis de Messia prænunciata fuerunt, impleta sunt in Christo, ut non difficilè ostendi potest inductione. 1. enim prodigia, quibus adventum suum probaturus erat Messias, enumerans Isaias cap. 35. sic loquitur: *Deus ipse veniet & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Atqui Christus

ſtus cœcorum oculos & aures ſurdorum aperuit, claudos erexit, & ſolvit linguam mutorum ; quin etiam omne morborum genus ſanavit, & mortuos ſuſcitavit; &, quod diligenter obſervandum eſt, ea omnia miracula, ut probaret ſe Meſſiam eſſe, patravit. Quod planè ſufficit, ſecluſo omni alio argumento, ad veritatis, quam hìc probare intendimus, demonſtrationem : unde cùm Matthæi, cap. 11. Joannes in vinculis duos de diſcipulis ſuis mittit ad Chriſtum, cui dicant : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus* ? reſpondet Chriſtus : *Euntes renunciate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, &c.*

2. Prophetæ prædixerunt, à Meſſia gentes ad veri Dei fidem convertendas: nam ſic ait Iſaias, cap. 49. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Et Zacharias, cap. 2. *Lauda & lætare filia Sion : quia ecce ego venio ... & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.* Atqui notum omnibus eſt, à Chriſto per diſcipulos ſuos gentes ad veri Dei fidem eſſe converſas. Quin etiam prædicit Iſaias Meſſiam ex Judæis ad ſe converſis homines in univerſum orbem miſſurum eſſe, & ab hominibus illis gentibus omnibus gloriam ejus annunciatum iri : nam ait Propheta, cap. 66. *Et mittam ex eis qui ſalvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tendentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam* (hoc eſt miracula à me patrata, quibus probavi me Filium Dei eſſe, & à Deo Patre miſſum ad redimendum genus humanum.) Atqui Chriſtus Apoſtolos, quos ex Judæis ſibi adjunctis elegerat, miſit in univerſum orbem, qui doctrinam ejus, & miracula ab eo patrata prædicarunt gentibus, & tot ipſi prodigiis prædicationem ſuam confirmarunt, ut gentes, relicta idololatria, in Chriſtum crediderint, eumque ut verum Deum, & hominum Salvatorem adoraverint, coluerint, atque invocaverint. Quod etiam expreſsè ab Iſaia, cap. 45. prænunciatum eſſe legimus: poſtquam enim dixit, Ægyptios, Æthiopas, & Sabæos ad Meſſiam tranſituros, & poſt eum vinctos manicis, hoc eſt, ingenti erga ipſum amoris ac devotionis affectu ambulaturos, ſic pergit: *Et te adorabunt, teque deprecabuntur.*

3. Prophetæ exponentes ea, quæ à Judæis paſſurus erat Meſſias, paſſionis Chriſti circumſtantias omnes ita accuratè deſcribunt, ut eos Chriſtum ipſum patientem ſuis oculis, cùm ſcriberent, vidiſſe dicerent, ut probatur ex Pſalmo 21. in quo Meſſiam loquentem ſic inducit David : *Deus Deus meus reſpice in me ! quare me dereliquiſti .... ego autem ſum vermis & non homo : opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me : locuti ſunt labiis, & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum ..... concilium malignantium obſedit me, foderunt manus meas & pedes meos : dinumeraverunt omnia oſſa mea.*

Ex Pſalmo 68. in quo per os Davidis loquens Meſſias ait : *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit : & qui conſolaretur, & non inveni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

Ex Iſaia cap. 53. ubi de Meſſia ſic loquitur : *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum : deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum ..... ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum ..... & cum ſceleratis reputatus eſt ... & pro tranſgreſſoribus rogavit.*

Denique ex Zacharia cap. 12. in quo ſic ait ipſe Meſſias : *Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem Spiritum gratiæ & precum* (quibus verbis manifeſtè probat ſe Deum eſſe) *& aſpicient ad me quem confixerunt.* Et cap. 13. hæc leguntur : *Et dicetur ei : Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me* (hoc eſt, qui à tot ſæculis adventum meum expectabant, meque ut liberatorem ſuum videre deſiderabant.) Hæc enim omnia in paſſione Chriſti contigiſſe, liquet ex Evangeliſtis, qui hujuſce Chriſti paſſionis hiſtoriam ſcripſere in oculis ipſorummet Judæorum, quorum tamen nullum relcamaſſe legimus, præterquam quòd Evangeliſtarum narratio ita omnibus veritatis characteribus inſignitur, ut apud nullum vel mediocri ſapientia præditum, in falſitatis ſuſpicionem venire queat.

Obj. 1. Prophetia Jacob, *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* Chriſto nullatenùs aptari poteſt. *R.* hoc eſſe falſum, & dico hanc prophetiam in Chriſto impletam fuiſſe. Pro quo accipe ſequentia 1. In prophetia Jacob, *Scetrum* & *Dux* non ſunt voces ſynonymæ, ſed nomine ſceptri poteſtas regia, & nomine ducis ſuprema poteſtas judicandi populum ſignificatur. Cùm dicitur : *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec, &c.* ſenſus non eſt, quòd neutra poteſtas auferetur, ſed quòd utraque non auferetur à Juda, donec, &c.

3. Sicut prima poteſtas in Regibus, ita ſecunda reſidebat in ſupremo ſenatu, quem aliquot poſt Chriſtum ſæculis Talmudiſtæ Sanhedrin nominarunt à nomine Græco συνέδριον, quo ſignificatur conſeſſus, hoc eſt, conventus hominum ſimul ſedentium. In hoc autem ſupremo ſenatu primarii judices erant ex tribu Juda oriundi, & conſtabat ſeptuaginta ſenioribus, ſeu ſenatoribus, ut patet ex Numerorum cap. 11. ubi legitur : *Et dixit Dominus ad Moyſem: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint ac magiſtri : & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Quibus verbis præcipit Deus, ut inſtituatur ſupremus ille ſenatus; vel certè ei jam inſtituto ſuprema judicandi poteſtas confertur.

4. Utrumque poteſtas anno mundi 3314. Samaria à Salmanzare Aſſyriorum Rege capta, & decem tribubus in captivitatem adductis ac diſſipatis, atque ita in regno Iſraelitarum extincto, devoluta eſt ad ſolam tribum Juda, ad quàm redacta quoque eſt tota Hebræorum gens, qui poſtmodùm Judæi appellati ſunt & utraque poteſtate potiti uſque ad captivitatem Babylonicam.

5. In captivitate Babylonica, amiſſa poteſtate regia, ſupremus Judæorum ſenatus ſupremam ſuam judicandi poteſtatem, annuentibus Chaldeorum, ac ſubinde Perſarum Regibus; retinuit uſque ad tempora Antiochi, qui cùm, expugnata Hieroſolyma, Judæorum gentem, eorumque ſenatum perdere vellet, à Machabæis repreſſus eſt, quo tempore ſenatus judaicus auctoritatem ſuam non parùm auxit, auctamque ſervavit, donec à Pompejo Magno Judæa, cum urbe Hieroſolyma ſubacta, in provinciam redacta eſt, à quo tempore Sanhedrii ſuprema poteſtas ſenſim à Romanis imminuta eſt, & tandem poſt adventum Chriſti abolita; quod fortaſſe ſignificare volunt Judæi, Joannis, cap. 18. cùm dicunt : *Nobis non licet interficere quemquam ;* quaſi dicerent : Nobis reos ultimo ſupplicio addicendi poteſtas ablata eſt: niſi quis tamen malit, Sanhedrii poteſtatem ſupremam nonniſi poſt mortem Chriſti extinctam eſſe, quando ſcilicet ab exercitu Romano, Tito duce, capta Hieroſolyma eſt, & cum templo ſuo funditùs everſa.

Itaque ante Chriſti adventum ſceptrum quidem, ſeu poteſtatem regiam amiſerunt Judæi; at, quod ſufficit ut prophetia Jacob verè dicatur impleta fuiſſe in Chriſto, non niſi poſtquam Chriſtus advenit, Judæi amiſerunt ducatum, ſeu ſupremam populum ſecundùm leges patrias judicandi poteſtatem, reſidentem in Sanhedrio, ſeu ſupremo ſeptuaginta ſeniorum concilio.

At inquies, Gratis aſſeritur ſupremus ille ſenatus judai-

judaicus, quem nomine Ducis intelligi volumus in prophetia Jacob, vel saltem gratis illi suprema judicandi potestas attribuitur. *R.* neg. utrumque. Et 1. quidem institutionem illius habemus Num. cap. 11. v. 16. *Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel.* Quæ verba Cornelius à Lapide interpretans, sic ait: „ Licèt Exodi 18. ex suggestione Jetro, Moses in populo constituisset decanos & tribunos, qui lites populi deciderent; tamen ultima appellatio semper erat ad „ Mosen. Ad hæc, majores causæ ad Mosen referebantur. Denique ea quæ Deum Deique cultum spectabant, solus Moses decernebat: quare grave ipse sustinebat onus; ad quod levandum Deus hìc jubet deligi septuaginta viros, qui hæc tria, æquè ut Moses præstarent: ideòque eos, æquè ac Mosen, spiritu prophetico insignivit, ut familiariter Deum consulerent in dubiis, & ab eo edocerentur. Cornelio à Lapide consonat Jacobus Tirinus, qui „ in eadem Scripturæ verba sic loquitur: „ Nota, „ hos septuaginta seniores non solùm separatim, necessitate sic exigente, populum docuisse ac judicasse, sed etiam communi subinde consilio res majoris momenti definiisse, & vice Moysis difficultates dissolvisse, tanquam supremum quoddam Judaicæ Monarchiæ concilium ac senatum, à quo nulla deinceps esset appellatio. Unde *Sahedrin* Judæorum exordium sumpsit.

Consentit etiam Baronius tom. 1. annalium ad annum 31. Christi. „ Erat quidem, inquit, apud Judæos ex senioribus atque magistris conflatum collegium, quod ab illis Synedrin dicebatur, constabatque ex septuaginta duobus viris. Hujus originem à Deo per Moysen institutam habes in libro „ Numeri, quando Deus Moysi præcepit, ut septuaginta viros deligeret, quos senes & magistros populi esse nosset.

2. Quòd supremus ille Judæorum senatus supremam judicandi potestatem habuerit, apertè colligitur verbis quæ Numerorum cap. 11. subjiciuntur: *Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Perinde enim est, ac si Deus diceret: Quia septuaginta viris, quos elegeris, partem jurisdictionis, quam solus habuisti hactenùs, daturus sum, dabo quoque eis partem spiritus prophetici, quem solus hactenùs habuisti. „ Utitur (inquit Cornelius à Lapide) hac „ phrasi (*auferam de spiritu tuo, tradamque eis*) „ elegantiæ causa; quasi Deus, sicut partem oneris „ ab humeris Moysis ablatam, in alios septuaginta „ dispertiit; ita similiter ex spiritu Moysis ad sustinendum illud onus comparato, aliquid acceperit, „ similemque spiritui Moysis spiritum in eos dispertierit.

Deus igitur jurisdictionem illam, quam solus Moyses habebat antea, divisit inter Moysem ipsum & septuaginta illos seniores, ex quibus deinceps constituturus erat senatus judaicus, quinque proinde Moysi subordinati non fuerunt, ita ut ab illis ad Moysen appellari non posset. Et verò si ab illorum judiciis appellari potuisset, adeòque appellatum esset ad Moysen, onus populi cum eo non sustentassent, nec minùs, quàm antea, gravatus fuisset Moyses.

Sic ratiocinatur Jacobus Salianus ad annum mundi „ 2545. cum Abulensi. „ Onus populi, inquit, interpretatur Abulensis graviores causas, quarum bonam partem deinceps isti septuaginta laturi & dijudicaturi erant, & sic Moysen in onere proprio & „ suo sublevaturi. Accepturi etiam erant partem jurisdictionis in iis, quæ pertinebant ad Deum, quoniam ornandi erant divinitùs prophetico spiritu, „ ut Deum consulere, & de divinis rebus populum, „ sicut & Moyses, edocere possent. Alioqui nec pares huic muneri esse, nec Moysen sublevare potuissent: ideòque, ut idem Doctor ratiocinatur, non „ erant subordinati Moysi, sicut ii qui consilio Jethro fuerant instituti: alioqui causæ devolverentur ad ipsum, & multùm temporis ac laboris adhibendum esset in istorum immediatorum processibus examinandis; sed planè eandem cum Moyse „ jurisdictionem, sicut ejusdem cum eo spiritus communionem habebant, ut illa verba significant, *Auferam de spiritu tuo, & tradam eis*; ideòque neque ab eis ad Moysen appellatio dabatur, cùm eodem spiritu gauderent, & ille sublevandus esset, „ uti postulaverat. „

At inquies. Senatus ille, à Deo per Moysen institutus, cum septuaginta illis senioribus, quos elegerat Moyses, extinctus est; nec alii eis deinceps successerunt, vel, si alii deinceps eis suffecti sunt, saltem suffecti non sunt cum eadem auctoritate. *R.* neg. utrumque.

Et 1. Quidem quòd septuaginta illis senioribus, à Moyse electis, alii deinceps successerint, docet Cornelius à Lapide in cap. 11. Num. ubi post verba à nobis jam citata, sic prosequitur paulò inferiùs: „ Manserunt hi septuaginta deinceps, & continuos habuere successores etiam in Chanaa: “ Tirinus verbis „ jam laudatis; Salianus ad annum mundi 2545. „ Post mortem Moysis, inquit, postquam ventum est in „ terram Chanaan, ubi neque Josue, neque Eleazar, „ neque cæteri deinceps, in quos eorum dignitas devoluta est, Prophetæ erant. Neque item qui istis „ septuaginta Prophetis (ex quibus Moyses jussu Dei „ senatum constituerat) morientibus successerunt in „ domo concilii, ut ajunt Hebræi, sive in senatu & „ consessu judicum, Prophetæ fuerunt: “ Et Baronius ab anno Christi 31. ubi post verba superiùs citata sic prosequitur: „ Hoc seniorum collegium, junctis „ duobus aliis, qui Heldad & Medad personas agerent, „ qui licèt remansissent in castris, eodem tamen afflati spiritu propherarunt, numero septuaginta duorum semper perseveravit in posteris. „

Quòd post mortem Moysis senatus ille perseveraverit, etiam ex Scriptura probari potest. Nam lib. 1. Machab. cap. 12. ubi dicitur: *Hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Jonathas Spartiatis: Jonathas summus sacerdos, & seniores gentes, & sacerdotes, &c.* Per *seniores gentis*, qui sacerdotibus præmittuntur, procul dubio intelliguntur senatores. Similiter Joan. cap. 1. cùm dicitur: *Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?* (hoc est, utrùm esset Messias, an non) nomine Judæorum intelligitur concilium septuaginta seniorum: nam ut rectè observat Baronius ad an. Christi 31. legatio illa ad Joannem facta, publica fuit & legitima, qualis fieri tantùm poterat à Concilio illo, cujus muneris erat imprimis de Propheta cognoscere. Denique Matth. cap. 26. & 27. de hoc supremo Judæorum senatu agitur, ut rectè observat Cornelius à Lapide loco jam non semel citato, ubi hæc habet: „ Hi seniores (septuaginta illorum, quos Moyses elegerat successo„ res) fuerunt, qui in magno illo suo συνεδρίῳ sive „ concilio, Christum mortis reum proclamarunt, & Pilato occidendum tradiderunt.

2. Quòd septuaginta senioribus, à Moyse electis, alii deinceps successerint cum pari, adeòque cum suprema judicandi auctoritate, insinuat Tirinus loco citato, & disertis verbis asserit Baronius ad annum Christi 31. ubi ait: „ Hoc seniorem collegium ... septuaginta duorum semper perseveravit in posteris. Erat „ horum summa auctoritas, ut qui de lege cogno„ scerent, & de Propheta, ac simul de Regibus ju„ dicarent. Idem affirmat ad annum Christi 231. ubi scribit, existimare se, ad Scripturas sacras ex Hebræo in Græcum, rogante Ptolomeo Philadelpho, vertendas, „ illos ipsos fuisse vocatos, qui ex officio de „ his, quæ spectarent ad divinam Scripturam, de„ cernere consueverant; nimirùm amplissimum illum „ senatum septuaginta duorum seniorum, à Moyse „ primitùs Dei consilio institutum, quem usitatiori „ voce Sanhedrin dicere consueverunt. Horum nam„ que munus erat, de lege, rege, sacerdote, atque „ Prophetis decernere. „

Suprema illa judicandi potestas, quam Synedrio attri-

attribuimus, demonstrari posse videtur ex Josepho, lib. 14. antiquitatum Judaicarum, cap. 17. ubi refert, matribus eorum, quos Herodes necaverat, per singulos dies in templo rogantibus ut ipse (qui tamen tunc temporis Galileæ præfectus erat) coram consessu judicum (hoc est, coram Synodo) facti sui rationem cogeretur reddere, Hyrcanum his permotum, hominem ad judicium & dicendam causam evocasse: tum hæc inferiùs subjicit: *Porrò Hircanus animadvertens judices propensiores ad damnandum Herodem, rem in sequentem diem distulit, & clam eum admonuit, ut fuga sibi consuleret: non enim esse remedium aliud.* Cur autem non aliud erat remedium, & sola fuga sibi consulere poterat Herodes, nisi quia sententia mortis, vel exilii, aut alterius pœnæ, si à Synedrio lata fuisset contra Herodem, rescindi non potuisset, nec ab ea ad aliud tribunal superius potuisset appellari?

At inquies. Non Synedrium, sed Summum Pontificem cum sacerdotibus summam habuisse judicandi potestatem in causis tam civilibus, quàm sacris, probari videtur ex cap. 17. Deuteron. ubi hæc leguntur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, &c.*

R. Moysem, cùm ait: *Venies ad sacerdotes levitici generis, & ad judicem, &c.* loqui de Synedrio, cui supremam judicandi attribuit potestatem: perinde enim est, ac si diceret: Venies ad sacerdotes & judices sæculares, ex quibus Concilium Sanhedrin constabit, & quibus præerit summus Pontifex; & quoniam summa erit in decernendo hujus Concilii auctoritas, qui decreto ejus noluerit acquiescere, morietur homo ille. Hanc Hebræorum, quibuscum potissimùm hìc nobis res est, interpretationem esse, observat Cornelius à Lapide in citatum cap. 17. Deuteron. „ Hebræi, inquit, hunc versum (*Venies ad sacerdotes & judices*) referunt ad concilium Sanhedrim, quod erat summum, instar parlamenti, & „ judicabat de Rege, lege, & Propheta, ad illudque „ erat ultima appellatio.

At inquies. Adversatur dictis hactenùs Scriptura lib. 2. Paralip. cap. 19. ubi hæc leguntur: *Constituit* (Josaphat) *judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singulæ loca ..... in Hierusalem quoque constituit Josaphat levitas & sacerdotes, & principes familiarum ex Israel* (hìc Israel pro Juda ponitur) *ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem & cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent, &c.* *R.* Scripturæ sensum non esse, quòd Josaphat primus instituerit judices in regno Juda, sed quòd ab hoc munere indignos vel minùs idoneos amoverit, aliosque in eorum locum aut probitate meliores, aut legis divinæ intelligentia instructiores suffecerit. Ex hoc autem loco habemus, Synedrium sedem suam habuisse Hierosolymis; in eo fuisse non solùm levitas & sacerdotes, sed etiam homines sæculares; & ei alia, quæ erant in aliis urbibus tribunalia subordinata, atque ab eis ad illud appellationem fuisse.

At inquies. In propheta Jacob omninò nobis obest hæc vox, *de femore ejus. Resp.* neg. Synedrium enim costabat non solùm sacerdotibus, qui ex Levi descendebant, sed etiam ex judicibus sæcularibus, qui erant ex Juda oriundi, & quidem omnes post separationem decem tribuum à tribu Juda mortuo Salomone, initio Roboami factam; quin etiam illos omnes ab eo tempore non solùm de tribu Juda, verùm etiam de domo David, de cujus stirpe descensurus erat Messias, ejusque regnum collapsum restituturus, fuisse probari videtur ex Philone lib. de temporibus. Unde altera ad objectionem factam responsio nobis suggeritur.

Dici itaque potest, hunc esse sensum prophetiæ Jacob: Postquam ablatum fuerit sceptrum à posteris Davidis, qui primus de tribu Juda illud accepturus est, in Synedrio seu supremo senatu Judaico non deficient judices de domo illius, donec veniat, qui mittendus est. Qui sensus Christo nostro planè congruit: nam natus est anno 35. Herodis, qui anno 30. regni sui, ut refert Philo libro citato, *Synedrin ex domo David delevit; & Annaelum quemdam atque Synedrin ex Proselytis suffecit, qui nimirùm in lege videbantur eruditi.* Quod confirmari potest 1. ex Josepho lib. 14. antiquitatum Judaicarum cap. 17. ubi ait, quòd *Herodes regnum adeptus, omnes illos judices* (quos sibi adversarios expertus fuerat) *& Regem quoque* (Hircanum) *sustulit.* 2. Ex Eusebio in chronico sic loquente: *Herodes ad ea, quæ supra crudeliter gesserat, etiam hoc addidit: virum sororis suæ Salomes interfecit, & cum eam alii tradidisset uxorem, etiam hunc necat: scribas quoque & interpretes divinæ legis pariter necat.* Nàm per legis divinæ interpretes procul dubio Eusebius intelligit Synedrii judices, quorum erat interpretari legem divinam. Huic porrò secundæ responsioni officere non potest, quòd Christus quinto tantùm post Synedrii judicum necem anno natus sit: nam quinque anni in tanto annorum cumulo non sunt alicujus considerationis.

At inquies. Denique in propheta Jacob nomine ducis non nisi violenter intelligi potest Synedrium. *R.* neg. Cùm enim Synedrii summa fuerit etiam in majoribus causis judicandis, & in lege divina populis interpretanda auctoritas, ad illudque non solùm de propheta, & urbium ac provinciarum præfectis, sed etiam, ut volunt Rabbini, & cum eis non uno loco Baronius, de Regibus judicare, videtur non sine sufficienti fundamento in præfata prophetia nomine ducis venire Synedrium illud. Cui verò non placebit hæc nostra responsio, quærat aliam apud Cornelium à Lapide in caput 49. Geneseos pag. 287. & seq.

Obj. 2. Saltem prophetia Danielis superiùs allata aptari non potest Christo: cùm septuaginta illarum hebdomadum, de quibus loquitur Angelus, nullo pacto definiri possit initium cum sufficienti probabilitate. *R.* neg. & dico ab ipsomet Angelo hebdomadum illarum initium designari per hæc verba: *Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem, &c.* hoc est, ab eo tempore, quo decretum de reædificanda Hierosolyma factum fuerit, ab eo scilicet, qui ædificationem hanc permittere, vel impedire poterit, &c. Unde certò concludi videtur hebdomadas septuaginta, de quibus loquitur Angelus apud Danielem, incipiendas esse ab anno 20. regni Artaxerxis Longimani: nam ex libro 2. Esdræ cap. 2. habemus Artaxerxem, qui Hierosolymæ ædificationem permittere, vel impedire poterat, decretum feciisse de ea restauranda, atque in Judæam misisse Nehemiam, qui eam restauraret.

Præterea, qui contrarium sentiunt, alium principem, cui paruerint Judæi, aliudve tempus assignare non possunt, quo Judæis reædificandæ Hierosolymæ potestas facta fuerit. Et verò Cyrus solius templi restaurandi potestatem fecit, ut patet ex lib. 1. Esdræ, cap. 1. ubi sic loquitur Cyrus: *Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso, ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Israel.* Darius quoque hystaspides templi tantùm extruendi fecit potestatem, ut patet ex eodem libro Esdræ cap. 6. ubi ait: *Dimittite fieri templum Dei illud à duce Judæorum, & à senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo.*

Deni-

Denique Nehemias ab Artaxerxe missus, Ecclesiastici cap. 49. laudatur, quòd urbem ædificaverit : *Et Nehemias*, inquit, *in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras*. Zorobabel verò, quem Cyrus miserat, ibidem laudatur tantùm, quod templum extruxerit. *Quomodo*, inquit Ecclesiasticus, *amplificemus Zorobabel* ? Nam & ipse quasi signum in *dextera manu ; sic & Jesum filium Josedech, qui in diebus suis ædificaverunt domum, & exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam*.

At inquies. Septuaginta hebdomades constant ex annis 490. At ab anno vigesimo Artaxerxis usque ad Christum occisum, inveniuntur ad summum anni 478. qui conflantur ex anni 444. ad ejus ortum, & triginta quatuor inchoatis ad mortem ejus. *R.* hoc verum esse de annis solaribus, sed annis solaribus 478. æquivalent anni lunares 490. nam anni lunares sunt dierum 354. solares verò 365. cum quadrante. Cùm autem Angelus dicit: Christum intra hebdomadas septuaginta occidendum, loquitur de hebdomadibus annorum, non solarium, sed lunarium, omissis embolismis, seu mensibus intercalaribus; quod sufficienter probari videtur ex eo, quòd Angelus hebdomadas illas vocet abbreviatas, & Septuaginta vocent concisas. *Nota* Anni communes & ordinati apud Hebræos erant anni lunares, quos ut ad solares reducerent, utebantur embolismis, seu mensem decimumtertium Adar per certa & stata intervalla intercalabant. Embolismos illos Angelus omittit; quamobrem dicit : *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, &c.* Sed

Ad prophetiæ intelligentiam, & aliarum difficultatum solutionem observa, 1. Cùm Angelus dicit, sexaginta novem fore hebdomadas usque ad Christum Ducem, verba illa, *usque ad Christum Ducem*, non significant diem incarnationis, vel nativitatis Christi, sed tempus illud, quo cœpturus erat manifestari hominis, prædicare, & docere, quod tempus inchoatum est ab ejus baptismate, in quo testimonium hoc accipit à Patre suo : *Hic est Filius meus Dilectus*, & à quo post tres annos & menses aliquot à Judæis cruci affixus est.

2. Cùm Angelus ait : *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*, loquitur de septuaginta hebdomadæ, in cujus dimidio posteriore Christus pactum suum, hoc est novum testamentum & novam legem confirmaturus erat miraculis, & ipsa sua morte, per quam sactificia & hostiæ legis veteris erant excludenda : unde hebdomades septuaginta in ipsa morte Christi terminatæ fuerunt.

3. Cùm Angelus ait : *Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio*; non significat, hoc septuaginta hebdomades complendum esse ; hæc enim non nisi annis post Christi mortem 40. contingerunt; sed præcisè attingit pœnam, quâ Judæi propter peccatum negandi & occidendi Christum multandi erant : neque hic Angelus omnia prædicit eo ordine, quo postea facta sunt ; quod familiare est Prophetis, ut mysteria magis occultentur, & sermonibus propheticis obscuritas aliqua concilietur.

At inquies denique. Videtur hebdomadum septuaginta initium sumendum esse, non à vigesimo, sed à septimo Artaxerxis anno. 1. enim ab hoc anno ad eum, quo Christus occisus est, inveniuntur anni solares 490. 2. Ex libro primò Esdræ cap. 7. Artaxerxe dicitur septimo regni sui anno Esdræ dedisse *omnem petitionem ejus*. At cùm jam extructum esset templum, quid aliud melius optare, vel postulare potuit, quàm potestatem urbis reædificandæ : Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam propter verba Angeli, *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, septuaginta hebdomades necessariò inchoandæ sunt ab eo anno, quo Artaxerxes decretum de reædificanda urbe fecit: fecit autem tale decretum, non septimo, sed vigesimo regni sui anno. Et verò in eo decreto, quod in gratia Judæorum edidit anno regni sui septimo, ne verbum quidem habetur de urbe extruenda, ut patet ex capite Esdræ citato ; & quantumlibet Esdras cum aliis Judæis urbem reædificari optaverit, illius reædificandæ potestatem à Rege petivisse, sufficienter colligi non potest ex eo, quòd eodem capite dicatur Rex dedisse ei *secundùm manum Domini Dei ejus super eum omnem petitionem ejus* : nam quæ petiverit à Rege, singillatim exponuntur in Regis edicto, in quo, ut jam observatum est, nulla prorsus urbis extruendæ mentio fit.

Ad primam autem antecedentis probationem *Resp.* minimè necessarium esse, ut ab eo anno, quo septuaginta hebdomades incoantur ; assignentur anni solares 490. usque ad Christi mortem : cùm enim Angelus Prophetam Hebræum alloqueretur rationi omninò convenit, asserere illum locutum esse non de annis, quibus gentes exteræ, putà Romani, utebantur, sed de annis, quibus utebantur Hebræi : Hebræi autem utebantur annis lunaribus, quamvis, ut jam notatum est, per certa & stata intervalla mensem secundum Adar intercalando, eos solaribus æquarent. Quòd verò annos lunares sine embolismis seu mensibus intercalaribus intelligeret, satis significavit Prophetæ, hebdomadas illas vocando abbreviatas.

Obj. 3. Aggæi prophetia Christo convenire non potest. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam 1. hæc verba : *Ego commovebo cœlum, & terram, mare, & aridam, & movebo omnes gentes*, impleta non sunt in adventu Christi. 2. In hac prophetia apertè supponitur, ut nos etiam volumus, Messiam ingressurum templum, quod tempore Aggæi ædificatum fuit. At hoc templum non duravit usque ad tempus, quo Christus advenit. Herodes enim anno regni sui 18. illud destruxit, & aliud in loco ejus ab ipsis fundamentis ædificavit intra spatium annorum octo.

R. neg. ant. *Ad 1. prob. R.* verba illa, *Commovebo cœlum, & terram, &c.* impleta fuisse in primo adventu Christi : quando scilicet Angeli è cœlo descendentes, gloriam Deo cecinerunt, nox clariùs resplenduit, quàm dies, stella in Oriente apparuit, & Magos duxit ad præsepe, & ut refert sanctus Thomas hic q. 36. a. 3. ad 3. Romæ fluxit oleum, & in Hispania tres soles apparuerunt, paulatim in unum coeuntes, quæ qui viderunt, iis proculdubio, præ admiratione & rerum novitate, commoti sunt.

Potest etiam probabiliter responderi, per verba illa, *Commovebo cœlum, &c.* prænuntiata fuisse bella civilia Romanorum, quæ aliquantò ante primum Christi adventum terra marique gesta sunt, quibus concussa respublica Romana pene concidit, & ex quibus toto pene orbe ingentes perturbationes exortæ sunt, donec Augustinus superatis & extinctis æmulis, solus rerum summa potitus est, eoque imperante, tranquillitas ubique restituta est, quo tandem tempore advenit Desideratus cunctis gentibus.

Ad 2. prob. R. Templum Aggæi tempore ædificatum, non ita solo æquatum fuisse, & ab ipsis fundamentis saltem quoad omnes sui partes, ab Herode destructum, ut non potuerit, post restaurationem ab eodem Herode factam, idem quod antea in morali æstimatione censeri, & secundùm usitatum hominum loquendi modum, idem quod antea, dici: unde Joan. cap. 2. Christo dicenti : *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, responderunt Judæi: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud* ? Hoc autem dicendo, intelligebant templum, quod Aggæi tempore extructum fuerat: nam tota Herodis ædificatio absoluta est spatio annorum octo, ut testatur Josephus libro 13. antiquitatum judaicarum cap. 13.

ARTICULUS II.

Incarnationis existentia probatur contra Ethnicos.

SIc. Jesus Mariæ Filius, sub Augusto natus, & sub Tiberio à Judæis crucifixus, apertè Filium Dei se dixit, hocque comprobavit morum sanctimonia, puritate doctrinæ, innumerisque miraculis, cœcorum oculos, & surdorum aures aperiendo; claudis gressum restituendo, omne morborum genus sanando, mortuos ad vitam revocando, &c. quæ prodigia nonnisi insanissimè negari possunt: unde sic adhuc argumentor. Si Jesus ille non fuit verè Dei Filius, fuit hominum scelestissimus, & impostorum improbissimus, sicque Deus hominum scelestissimis & impostorum improbissimis blasphemiis ac impostoris suffragatus est innumeris prodigiis; quod nonnisi impiissimè dici, vel excogitari potest prima consequentiæ pars per se manifesta est; secunda verò demonstratur ex eo, quòd solius Dei sit patrare vera miracula.

2. Si Jesus Mariæ Filius, non fuit verè Filius Dei, religio christiana purum hominem, eumque impostorum improbissimum, tamquam Deum reveretur & colit, & ita non est sancta & divina, sed impia & execranda religio. At sanctam & divinam esse nemo sanæ mentis negare potest religionem illam, quam piscatores duodecim per totum orbem, ipso toto orbe reluctante, propagarunt; quæ tot miraculis confirmata est; profligavit vitia; virtutesque omnes, à terra jam per tot sæcula exules, reduxit, tot hominibus sanctitate & doctrina insignibus floruit; tot hæresum atque persecutionum procellis non succubuit; tot utriusque sexus omniumque ætatum Martyrum myriades habuit, qui bona omnia amittere, tormenta gravissima pati, mortemque crudelissimam obire maluerunt, quàm doctrinam sensibus adversam, & creditu difficillimam, deserere; illam, inquam, religionem, quæ vitia omnia damnat; commmendat virtutes omnes; tam dignè de Deo sentit, tam sibi in doctrina sua constat, tanta sapientia, membrorumque consentione regitur, tanto divinæ gloriæ zelo ardet, tot utriusque sexus homines habet omni virtutum ac præsertim rerum omnium temporalium contemptus & perfectæ continentiæ laude commendabiles, &c. Ergo Jesu Mariæ Filius, sub Augusto natus, sub Tiberio mortuus, qui propria virtute à mortuis suscitatus, purgatione peccatorum nostrorum facta, *sedet ad dexteram majestatis in excelsis*, est verus Filius Dei, adeòque Filius Dei verè incarnatus est.

Objicies 1. Si Filius Dei incarnatus est, Deus mutatus est; sed implicat Deum mutari. Ergo, &c. *R.* dist. seq. maj. Deus mutatus est, si per to mutari, intelligitur præcisè, transire de contradictorio in contradictorium, seu acquirere novam aliquam denominationem, novum aliquod esse, quod antea non habebatur, Concedo seq. maj. nam revera Filius Dei incarnando se, transiit à non esse hominem ad esse hominem; acquisivit novam denominationem intrinsecam homini, seu novum esse intrinsecum hominis, quo carebat ante incarnationem. Deus mutatus est, si per to mutati, intelligitur idem, ac per to perfici, vel deteriorari, melius, vel pejus fieri, Neg. seq. maj. Nam ut rectè ait sanctus Leo in epistola ad Flavianum Constantinopolitanum, *Nativitas temporalis* (Filii Dei) *nativitati divinæ sempiternæ* (ejusdem Filii Dei) *nihil minuit, nihil contulit*. Et inferiùs: *Assumpsit* (Dei Filius) *formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens:* unde canit Ecclesia: *Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ, Deus homo factus est, id quod fuit permansit, & quod non erat, assumpsit*. Ad minorem *R.* quòd implicat Deum mutari in secundo sensu, non in primo.

At inquies. Etiam præcisè transire de contradictorio in contradictorium, dicit essentialiter in eo, qui transit, vel limitationem, vel indigentiam, vel inconstantiam, vel potentiam passivam & passionem, vel dependentiam aliquam, vel perfectibilitatem, vel denique deterioribilitatem. Ergo tam implicat, quòd Deus muretur in primo sensu, quàm in secundo. *R.* neg. ant. quoad omnes partes, si sumatur universaliter, ut hic sumitur.

Itaque, quòd Deus de non homine factus sit, & quidem intrinsecè homo, 1. non arguit in eo limitationem: neque enim, ut homo fieret, necesse fuit, ut esset in aliqua ratione finitus, aut de novo in aliqua ratione finiretur, atque tam est illimitatus in omni genere perfectionis, postquàm homo factus est, quàm ante: nam ut ait sanctus Augustinus epist. 2. ad Volusianum, *Magnitudo virtutis ejus ... nullas in angusto sentit angustias.*

2. Non dicit in eo indigentiam: nam ut homo fieret, non oportuit eum egere, sed satis fuit, ut nos egeremus; nec homo factus est, quia egebat, sed quia nos egebamus: ut enim ait S. Leo in epist. 2. ad Pulcheriam Augustam: *Nisi novus homo, factus in similitudinem peccati, nostram susciperet vetustatem ... naturamque sibi nostram, solus à peccato liber, uniret sub jugo diaboli, generaliter teneretur humana captivitas.*

3. Non arguit in eo inconstantiam: nam gravissimas ob causas ab æterno decrevit assumere naturam humanam, quam in tempore assumpsit, & semel assumptam nunquam reliquit, aut relicturus est.

4. Non arguit in eo potentiam passivam, aut passionem. Nam 1. Deus factus homo non est, recipiendo in se humanitatem, sed eam sibi assumendo, & uniendo substantialiter, nec humanitas inhæret Deo Verbo, aut ei inexistit tamquam formæ subjecto, sed solùm ei incumbit ut supposito suo. 2. Humanitas non est unita Deo Verbo per agentis alicujus actionem, in eo receptam, sed quia producta est, concurrente beata Virgine, & producta conservatur à tribus personis divinis dependenter à proprietate relativa Dei Verbi, eam sustinente formaliter: quare humanitas assumpta, Deo Verbo unita est per actionem in ea tantùm receptam. Igitur incarnari & uniri humanitati, non magis arguit in Deo Verbo potentiam passivam, & passionem, quàm amari ab hominibus, in eo potentiam passivam, & passionem importat; nec respectu Dei Verbi est pari physicè, sed solùm grammaticaliter, seu voce tenùs, & secundùm loquendi modum.

5. Non arguit in eo dependentiam. Nam 1. Deus Verbum non dependet ab humanitate, sed ipsa humanitas dependet à Deo Verbo, tamquam producente ac conservante ipsam per suam omnipotentiam, & suppositante ac terminante illam per suam proprietatem relativam. 2. Deus Verbum non dependet ab aliquo agente extrinseco, cujus virtute & actione, in ipso recepta, sive volens sive non, uniatur humanitati, ut facilè intelligitur ex modò dictis.

6. Non arguit in eo perfectibilitatem, aut deterioribilitatem: ut enim aliquid transeat de contradictorio in contradictorium, sufficit ut acquirat novum aliquod esse, sive per illud perficiatur, aut deterioretur, sive non. Porrò Deus Verbum non perficitur per humanitatem, quam assumpsit: cùm enim sit infinitè perfectum, & omnem entis plenitudinem in se contineat, non potest substantialiter augeri, magisque perfici accessione cujuscumque naturæ creatæ: unde, ut S. Thomas ait quæst. de unione Verbi incarnati, art. 1. ad 9. Verbum incarnatum, non est amabilius, quàm fuerit ante incarnationem, quamvis sit amabile secundùm aliam rationem. *Sicut incarnatio*, inquit, *nihil bonitatis adjicit ad personam divinam* (Verbi) *& ita nihil adjicit ei diligibilitatis: unde personaVerbi incarnati non est plus diligenda, quam persona Verbi simpliciter, licet sit secundum aliam rationem diligenda; quæ tamen ratio sub universali bonitate Verbi comprehenditur.*

Deus igitur Verbum non perficitur per humanitatem, quam assumpsit; sed neque per eam deterioratur; illam assumendo nullam perfectionem amisit: ut enim ait sanctus Leo epistola ad Julianum Episcopum Coensem: *Quod deitas est, caro non minuit*

(sicut

(sicut *quod carnis est , deitas non perimit : idem & sempiternus ex Patre, & temporalis ex matre, in sua virtute inviolabilis, in nostra infirmitate passibilis: in deitate Trinitatis cum Patre & cum Spiritu sancto unius ejusdemque natura .... ut idem esset dives in paupertate omnipotens in abjectione , impassibilis in supplicio immortalis in morte : nec enim Verbum aut in carnem , aut animam aliqua sui parte conversum est , cùm simplex & incommutabilis natura deitatis tota sit semper in sua essentia , nec damnum sui recipiens, nec augmentum.* Quæ omnia uno verbo comprehendit sanctus Augustinus in epistol. 1. ad Volusianum, dicendo: *Homo Deo accessit, non Deus à se recessit.*

At inquies. Si Deus incarnatus est, & quidem in utero beatæ Virginis , ita ut beata Virgo verè dicatur & sit mater Dei ; certè dependet à beata Virgine, tamquam à causa. *R.* Deum Verbum à beata Virgine tamquam à causa dependere, non secundùm se , & secundùm divinitatem , sed tantùm secundùm humanitatem, quam assumpsit in utero, & ex substantia beatæ Virginis ; actio enim beatæ Virginis recepta fuit, non in divinitate, aut personalitate Verbi, sed in sola natura humana, ab eo assumpta.

At inquies . Si Deus factus est homo , acquisivit novam perfectionem substantialem : nam esse hominem , essentialiter est quædam substantialis perfectio. Item Deus factus est mortalis , passibilis ; adeòque deterior factus est. Item Deus se ipsum exinanivit. Item Deus seipsum vilem reddidit. Item nunc alius est , quam ante fuit . Item nunc potest aliquid , quod ante non poterat , operationes scilicet theandricas exercere.

Ad 1. *R.* Deum revera per incarnationem acquisivisse, & habere novam perfectionem substantialem , quam ante non habebat formaliter : sed per novam illam perfectionem substantialem non evasit perfectior propter rationem jam allatam. Deus homo factus , perfectus , imò perfectissimus est secundùm humanitatem ; at non est perfectior secundùm humanitatem & divinitatem simul , quàm secundùm divinitatem solam. Porrò dixi, quàm ante non habebat formaliter : quia Deus Verbum perfectionem illam substantialem , quam incarnando se acquisivit , ante incarnationem habebat virtualiter , & eminenter: unde etiam apparet, quare per illam perfectionem perfectius non evaserit.

R. ad 2. Deum factum esse mortalem, passibilem , &c. non secundùm se , & divinitatem suam , sed secundùm humanitatem assumptam. *Nota.* Deus homo factus , ita secundùm humanitatem assumptam, mortalis & passibilis factus est , ut simul secundum se & divinitatem suam immortalis & impassibilis esse perseveraverit, ut dicit S. Leo loco supra citato.

Ad 3. *R.* Deum Verbum per incarnationem ita seipsum exinaniviſse , formam servi accipiendo , ut loquitur Apostolus , ut nihil ei de suprema majestate aliisve perfectionibus divinis detractum sit atque ita ad infimum gradum descendit , ut supremum non amiserit .

Ad 4. *R.* neg. Nam si Deus homo factus, vilis est, vel vilis est propter divinitatem; at hoc non: nullatenus enim divinitas immutata est per unionem sui cum natura humana in personalitate Verbi: vel vilis est secundùm humanitatem ; at hoc non : nam è contra humanitas à Verbo assumpta , omni honore dignissima est, tum propter dona naturalia & supernaturalia quibus cumulatissima est, & de quibus suo loco ; tum propter moralem quamdam & moraliter infinitam dignitatem , in eam ex unione hypostatica refusam : vel denique vilis est propter ipsam incarnationem ; at hoc non : nam incarnatio est operum divinorum præstantissimum ; cùm in eo mirabili prorsùs modo eluceſcant perfectiones divinæ , ut ostendetur . Præterea , plurimas , easque gravissimas causas Deus habuit , propter quas rationabiliter ac laudabiliter vellet incarnari.

Hæ causæ sunt 1. Ut ex intuitu tantæ misericordiæ & charitatis Dei erga nos , spes nostra erigeretur, & noster erga Deum amor accenderetur maximè. 2. Ut sub fidei jugo faciliùs ac libentiùs captivaremus intellectum nostrum, cùm Deo nobis, non ampliùs per Prophetas, sed per Filium suum loquenti credimus . 3. Ut discereмus quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinaremus peccato , ut rectè ait S. Augustinus lib. 13. de trinitate cap. 17. *Demonstratum est*, inquit, *homini , quem locum haberet in rebus, quas condidit Deus ; quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura , ut ex duabus substantiis fieret una persona.*

4. Ne dæmones auderent se homini præponere , quia incorporei sunt , & honores divinos propter suam immortalitatem affectarent. *Ut superbi illi*, inquit sanctus Augustinus, *maligni spiritus, qui se ad decipiendum quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideò se audeant homini præponere, quia non habent carnem ; & maximè, quia & mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideò ii tamquam deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales.* Ibid.

5. Ut superbia, in quam homo adeò proclivis est, reprimeretur: *Ut superbia hominis*, inquit S. Augustinus, *quæ maximè impedimento est inhæreatur Deo , per tantam Dei humilitatem redargui posset, atque sanari: discatque homo quàm longè recesserit à Deo.* Ibid.

6. Ut efficacissima virtutum omnium exempla haberemus. *Quod majus*, inquit S. Augustinus, *obedientiæ nobis præberetur exemplum, qui per inobedientiam perieramus , quàm Deo Patri Deus Filius obediens usque ad mortem crucis?* Ibid.

7. Ut per eam naturam vinceretur diabolus , quam se vicisse gloriabatur . *Pertinebat* , inquit S. Augustinus, *etiam ad justitiam, bonitatemque Creatoris , ut per eandem rationalem creaturarum superaretur diabolus , quam se superasse gaudebat , & de ipso genere venientem , quod genus origine vitiata per unum tenebat universum.* Ibid.

8. Ut natura humana singulari planè & excellenti modo nobilitaretur, & nobilitate illa ; cujus participes sumus omnes, ad morum innocentiam, & virtutum omnium exercitium excitaremur. 9. Ut liberaremur à servitute peccati, condigna pro peccatis nostris divinæ Majestati lætæ exhiberetur satisfactio, &c.

Ad 5. *R.* Deum incarnatum, alium non esse post incarnationem, quàm ante, eo sensu quòd aut aliquam perfectionem acquisiverit, quà melior, aut amiserit aliquam, quà deterior factus sit ; sed eò tantùm sensu quòd habeat novam denominationem intrinsecam novum esse intrinsecum, vi cujus tamen nec melior est, nec deterior: unde Deus incarnatus , post incarnationem alius est quàm ante, in sensu philosophico tantùm, non in sensu vulgari, in quo quis secundùm receptum & communem loquendi usum, alius esse dicitur , quia vel melior, vel pejor effectus est.

R. ad 5. Verbum per incarnationem acquisivisse novum operandi modum, eumque perfectissimum , sed quo non evasit perfectius, & potentius: quod enim omnem in se plenitudinem entis complectitur , nullius creatæ perfectioni accessione augeri potest . Potest quidem fieri novo modo perfectum , novo modo bonum & amabile per accessionem perfectionis creatæ: at fieri non potest perfectius, melius, & amabilius. Porrò operatio theandrica, vel est complexum ex duplici operatione divina & humana, vel est operatio humana infinitè dignificata per dignitatem infinitam personæ Verbi operantis per humanitatem suam , ut instrumentum conjunctum (supple non solùm intellectu, sed etiam propria libertate) adeòque motu proprio libero præditum.

Si primùm , Verbum incarnatum exercere posse operationes theandricas, nihil aliud est, quàm posse non solùm divinas , sed etiam humanas operationes exercere. At quòd Verbum incarnatum, non solùm divinas, sed etiam humanas operationes exercere possit, cùm ante incarnationem posset , tantùm divinitas, hoc non arguit in eo majorem perfectionem & potentiam; sed solùm posse novo modo operari, adeòque

arguit tantùm, illud esse novo modo potens, novo modo perfectum.

Si secundum, non aliud etiam ex eo sequitur, quàm quod modò dictum est. Et verò quòd Verbum, quia verè ac propriè suppositum est humanitatis assumptæ, per eam ea ex proprio motu libero operante, verè ac propriè operetur humana, non aliud dicit in illo, quàm novum modum operandi; & quòd operationes humanitatis assumptæ infinitè dignificentur ex eo, quòd verè ac propriè operationes sunt Verbi incarnati, hoc arguit infinitam ejus dignitatem, nullum verò perfectionis argumentum in eo importat.

Obj. 2. Si Deus incarnatus est, vel denominatio hominis est ei intrinseca, vel extrinseca tantùm. *R.* esse intrinsecam. *Dices ergo:* Humanitas est intrinseca Deo. *R.* esse intrinsecam, non inhæsivè, sicut accidens est intrinsecum subjecto; neque informativè, sicut anima rationalis est intrinseca corpori humano sed compositivè, quatenùs ei intimè præsens, cum ei substantialiter unitur.

Itaque denominatio hominis non est extrinseca Deo Verbo, sicut v.g. denominatio visi, vel cogniti, extrinseca est objecto, quod videtur, vel cognoscitur; neque ei tam intrinseca est, quàm Petro, v.g. vel Paulo; nam Petrus & Paulus sunt intrinsecè homines per humanitatis identitatem cum personâ Petri & Pauli: est tamen ei verè ac propriè intrinseca: humanitas enim assumpta, ei verè ac propriè intrinseca est, quia ei intimè præsens est, atque unita substantialiter, quia cum eo formaliter concurrit ad constituendum unum totum substantile, quod est ipsa Dei Verbi persona, subsistens duplici natura.

Ob. 3. Si Deus incarnatus est, supplet humanam subsistentiam. Sed hoc implicat. Ergo, &c. *R.* propriè loquendo, Deum incarnatum non supplere subsistentiam humanam, sed tantùm eam impedire, quatenùs naturam humanam sibi unitam, ulteriùs complendo substantialiter, impedit ne sit substantia tota & integra per se ipsam. Pro quo, *Nota*. Subsistentia humana est humana natura, tota & integra substantialiter per se: igitur eo ipso subsistentia humana impeditur, quòd impeditur humana natura, ne sit per se tota & integra substantialiter, & impeditur eo ipso, quòd ab alio, ei unito, ulteriùs substantialiter completur, ut patet ex terminis. Verbum autem humanitatem assumptam ulteriùs substantialiter complet, hoc ipso quòd est suum illius suppositum: suppositum enim non potest non esse complementum substantiale naturæ, cujus est suppositum. Præterea, ex humanitate assumpta, & Verbi persona, unitis inter se, resultat homo, qui Deus est. Ergo sicut corpus & anima, cùm inter se uniuntur, complentur substantialiter, quia ex illis inter se unitis resultat homo, ita humanitas assumpta, cùm unita est personæ Verbi, completa fuit substantialiter, quia ex inter se unitis resultavit homo Deus.

Igitur propriè loquendo, Deus Verbum impedit subsistentiam humanam: impropriè tamen dici potest illam supplere, quatenùs sic impedit, ne humanitas, quam assumpsit, sit suppositum, ut ipsum sit suppositum illius. Similiter impropriè dici potest Verbum consumpsisse personam humanam, in quantum naturam humanam sibi substantialiter uniendo, impedivit ne esset persona. Ita docet sanctus Thomas in 3. librum sententiarum dist. 5. q. 3. ad 4. *Improprie dicitur*, inquit, *consumi quod impeditur, ne fiat, & quia persona divina, quæ assumpsit humanam naturam, impedit quòd natura humana habeat propriam personalitatem, ideo dicitur consumpsisse personam* (humanam) *quamvis improprie*.

Obj. 4. Duo entia per se completa non possunt uniri substantialiter. Sed Verbum & natura humana sunt duo entia per se completa. Ergo, &c. *R.* dist. maj. Duo entia per se completa non possunt, &c. si utrumque sit per se completum simpliciter, etiam post unionem, Conc. maj. Si unum tantùm per se completum sit simpliciter post unionem, Neg. maj. At in unione Verbi cum natura humana manet quidem Verbum per se completum simpliciter; non enim ulteriùs completur per humanitatem, quam assumit: nam nec terminat Verbum, sed è contra ab eo terminatur; unde non ipsa Verbi, sed Verbum illius suppositum est; nec per modum compartis Verbum determinat ad constituendam tertiam aliquam substantiam, cujus Verbum sit pars; sicut corpus humanum per modum compartis complet substantialiter animam rationalem, illam determinando ad constituendum totum aliquod substantiale, cujus partes sunt corpus & anima.

Manet igitur Verbum per se completum simpliciter, etiam post unionem sui cum humana natura. At humanitas assumpta, post unionem illam non est per se completa, nisi secundùm quid, nempe in ratione naturæ, quia per unionem illam impeditur, ne sit per se tota & integra substantialiter: unde nunquam fuit nisi secundùm quid & in ratione naturæ completa, quia nunquam extitit sine unione sui cum persona Verbi.

Obj. 5. Ex Verbo & humanitate assumpta non potuit fieri unum per se. Ergo Verbum non potuit fieri homo: homo enim est ens per se non verò aggregatum ex pluribus entibus. Ergo, &c. *R.* ex Verbo & humanitate assumpta non potuisse fieri unum per se, quod sit tertia quædam substantia resultans ex Verbo & humanitate assumpta, sicut homo v.g. est tertia quædam substantia resultans ex corpore & anima: ita ut sicut homo est in recto corpus & anima unita, ita Christus sit in recto Verbum & humanitas unita: hoc enim repugnare suo loco ostendetur. At ex Verbo & humanitate assumpta potuit resultare unum per se subsistens in duabus naturis, hoc est persona divina habens duas naturas, divinam & humanam, seu Deus homo, qui est Verbum in recto, & humanitas in obliquo tantùm, id est, Verbum habens humanitatem: hunc Deum hominem, Christum, Jesum, Emmanuelem, Dominum nostrum, Salvatorem nostrum vocitamus.

Objicies denique. Infinitè distantia uniri non possunt, nullam enim inter se habent proportionem. Sed Verbum & humanitas à se invicem infinitè distant. Ergo, &c. *R.* neg. maj. & prob. ejus. Nam infinitè distantia, qualia sunt Verbum & humanitas, nihilo minùs habent inter se proportionem assumptibilis, & potentis assumere substentabilis, & potentis substentare, terminabilis, & potentis terminare; quæ proportio non entitatis quidem sed habitudinis est.

ARTICULUS III.

Incarnationis existentia probatur contra hæreticos.

§. I.

Proferuntur Scripturæ testimonia.

Præter loca veteris Scripturæ, quæ contra Judæos allegata sunt, & æquè valent contra hæreticos, habemus in Scriptura nova testimonium Joannis Evang. cap. 1. in quo ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et infra: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Ex quibus verbis sic ratiocinatur sanctus Leo in sua ad Flavianum epistola: *Unus idemque est verè Dei Filius & verè hominis Filius: Deus per id*, quod in principio erat Verbum, &c. *homo per id*, quod Verbum caro factum est, &c. Et c. 10. ubi Christus ipse apertè se dicit Deum, & in natura æqualem Deo Patri: *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus*. Quod cùm probè intellexissent, qui aderant, Judæi, Christum scilicet verbis illis æqualem se Deo facere, *sustulerunt lapides ut lapidarent eum*, eique interroganti, propter quod opus illum lapidare vellent, respondérunt: *De bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia; quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*; quod tamen non negavit Christus; sed è contra confirmavit, quamvis subobscurè, dicendo: *Quem Pater sanctificavit* (substantiali scilicet sanctitate per naturæ suæ communica-

tionem

tionem ab æterno factam) *& misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? ... Operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre* (per naturæ scilicet identitatem.

Præterea, habemus testimonium Apostoli Romanorum cap. 9. ubi dicit: *Ex quibus* (Hebræis) *est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula:* ubi illud, *super omnia*, sive cadat in to *Deus*, sive in to *benedictus*, perinde est: nam solus ille, qui est super omnia Deus, est super omnia benedictus; & vicissim solus ille, qui super omnia benedictus est, super omnia Deus est. Sed qui super omnia Deus est, verus est Deus. Ergo, &c. Et in in epistola ad Philippenses cap. 2. ita loquitur: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Ubi nomine *formæ* naturam, adeòque nomine formæ Dei, naturam divinam, & nomine formæ servi, naturam humanam intelligit Apostolus. Loci itaque sensus est, qui cùm naturam divinam haberet, non rapinam arbitratus est, se facere, cùm dixit, æqualem se esse Deo Patri, puta cùm dixit, *Ego & Pater unum sumus*, sed ipsum tamen postea exinanivit, incarnando se, seu uniendo sibi substantialiter naturam humanam; ita ut hac unione substantiali verè ac propriè factus sit homo: homo autem factus, hominibus aliis sese spectandum objecit, nec solùm homo esse voluit, sed etiam talis apparere viderique; ita ut ab hominibus visus & inventus sit ut verus homo.

At inquies. Christus ait Joannis cap. 14. *Pater major me est. R.* Dicit etiam cap. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Itaque cùm dicit, *Pater major me est*, loquitur de se, ut homo est; cùm verò dicit, *Ego & Pater unum sumus*, loquitur de se, ut Deus est: unde ex his duobus locis simul junctis habemus duo, in Christo scilicet unam esse personam, nempe personam Verbi cum duplici natura, divina & humana. Audiamus sanctum Leonem in epistola jam citata: *Non ejusdem*, inquit, *naturæ est dicere:* Ego & Pater unum sumus: *& dicere:* Pater major me est. *Quamvis enim in Domino Jesu Christo, Dei & hominis una persona sit; aliud tamen est; unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas: de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas.*

§. II.

Proferuntur testimonia Patrum Græcorum, qui floruerunt ante Concilium Nicænum.

SAnctus Ignatius Martyr, qui Antiochiæ sedere cœpit anno Domini 71. sic scribit in sua ad Ephesios
Sæc. 2. epistola: *Unus medicus est carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus in carne factus Deus in immortali vita vera, & ex Maria, & ex Deo, primo passibilis & tunc impassibilis, Dominus Christus noster:* quibus verbis docet, Dominum Christum nostrum ex Maria in tempore natum esse secundùm humanitatem, & in æternitate natum esse ex Deo Patre secundùm divinitatem, adeòque Deum esse simul & hominem, cujus una tantùm persona est. Et in epistola ad Magnesios sic loquitur: *Unus Deus est, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium ejus, qui est ipsius Verbum æternum, non à silentio progrediens, qui secundùm omnia bene placuit* (Patri) *mittenti ipsum* (per incarnationem.)

Sæc. 2. S. Justinus Martyr hæc habet sub finem apologiæ primæ: *Ingeniti & ineffabilis Dei* (Patris *rationem ac verbum secundùm Deum* (Patrem) *adoramus & complectimur, quoniam nostra causa id homo factum est, ut perpessionum nostrarum participatione medicinam nobis faceret.* In apologia secunda sic ait: *Et quod rationem & verbum, quod primum est genimem Dei, absque mixtione genitum esse dicimus, Jesum videlicet Christum, Magistrum nostrum, atque hunc crucifixum.* Et inferiùs: *Et Jesus Christus, unus & solus propriè Filius Deo genitus, qui nimirùm ratio & verbum ejus, primogenitus, & virtus est, atque de consilio voluntateque ejus, instaurandi & restituendi humani generis, ergo homo factus est, nos ista docuit.*

S. Irenæus Martyr libro 3. adversùs hæreses, 1. ca- Eod. sæc.
piti 17. hunc præfigit titulum: *Ostensio quoniam unus & idem & ipse Deus Christus Verbum sit Dei. 2.* Sic c. 18. orditur: *Et quoniam Joannes unum & eundem novit Verbum Dei, & hunc esse unigenitum, & hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum, sufficienter ex ipsius Joannis sermone demonstravimus. Sed & Matthæus unum & eumdem Jesum Christum cognoscens, eam, quæ est secundùm hominem generationem ejus ex Virgine, exponens sicut, &c.* Et inferiùs eodem capite sic prosequitur: *Prævidens Spiritus sanctus depravatores, & præmuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthæum ait: Christi autem generatio sic erat; & quoniam hic est Emmanuel, ne fortè tantùm eum hominem putaremus: non enim ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei Verbum caro factum est; neque alium quidem Jesum, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed unum & eumdem sciremus Deum esse.*

S. Clemens Alexandrinus in admonitione ad gen- Sæc. 3.
tes loquens de Verbo, incarnato, sic ait: *Non talis est meus cantor, neque multe post venit dissoluturus acerbam servitutem dæmonum, tyrannidem obtinentium.* Et inferiùs: *Dei Verbi sumus nos figmenta ratione prædita, per quem antiqui sumus, quoniam in principio erat Verbum, sed quoniam Verbum quidem, ab alto petita origine, divinum universorum principium & fuit, & est: quia autem nunc nomen accepit olim sanctificatum, potestate dignum Christus, novum mihi vocatum est canticum. Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus, erat enim in Deo, & ut bene essemus, causa fuit; nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo Deus & homo: & est nobis omnium causa bonorum, à quo edocti rectè vivere, ad vitam æternam transmittimur.*

S. Hyppolitus Martyr, Clementis discipulus, Epis- Eod. sæc.
copus Portuensis, magistro suo planè consonat in quodam sermone suo apud Theodoretum dialogo primo, *Dic mihi*, inquit, *ò beata Maria, quid erat, quod in tuo erat utero conceptum, & quid erat, quod à te in virginali matrice gestabatur? Sermo erat Dei primogenitus, de cœlis ad te descendens, & homo primogenitus in utero formatus, ut primogenitus sermo Dei hominis primogenito* (per hypostaticam scilicet unionem) *conjunctus ostenderetur.*

Origenes lib. 1. Periarchon cap. 2. loquens de Chri- Eod. sæc.
sto dicit: *Primò illud nos oportet scire, quod alia est in Christo deitatis ejus naturæ, quæ est unigenitus Filius Patris: & alia humana, quam in novissimis temporibus pro dispensatione suscepit.* Et homilia 6. in diversos de eodem loquens, sic ait: *Ipse corpore dormiebat, deitate verò concitabat, & conturbabat mare, & iterùm complacabat.* Quòd autem Origenes de divinitate Verbi malè senserit, hoc ad rem præsentem nullatenùs attinet.

Sanctus Dionysius Alexandrinus in sua adversùs Eod. sæc.
Paulum Samozatenum epistola hæc scribit: *Christus non solo nomine, sed veritate est Christus Jesus, qui est ante sæcula Verbum, ipse factus est homo ex Maria incarnatus.* Et inferiùs: *Filius Dei, qui est Verbum Christus hæres, mortuus est: quomodo ais tu hominem esse eximium Christum, & non re vera Deum, & ab omni creatura cum Patre & Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex sancta Virgine & Deipara Maria? Propter nos enim voluit nasci ex muliere; unde & passionem pro nobis suscepit .... unus est Christus, qui est in Patre, coæternum Verbum, una ejus persona, Deus invisibilis & visibilis factus. Deus enim apparuit in carne, natus ex muliere, qui erat ex Deo Patre genitus ex utero ante Luciferum, &c.*

Patribus hactenùs laudatis juvat addere Patres Con-

cilii Antiocheni I. in causa Pauli Samozateni anno 266. celebrari. Sic autem in epistola ad Paulum Samozatenum missa loquuntur: *Filium, qui est apud Patrem, Deum quidem & Dominum omnium creaturarum dicit* (Apostolus) *à Patre autem missum de cœlis, & carne assumpta, factum esse hominem. Quam ob rem corpus ejus ex Virgine sumptum, in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit, divinitati immutabiliter unitum & deificatum est. Qua de causa idem Deus & homo Jesus Christus prophetabatur in lege, &c.* Idem porrò cum aliis pluribus in altera Antiochiæ Synodo, in causa ejusdem Samozateni anno 272. celebrata, synodicam epistolam ad Dionysium Romanum Pontificem, & cæteros orbis christiani Antistites scripserunt, in qua Samozatenum accusant, quòd Filium Dei è cœlo descendisse confiteri renuerit, & Jesum Christum è terra ortum fuisse dixerit.

§. III.

Proferuntur testimonia Patrum Latinorum qui floruerunt ante Concilium Nicænum.

Sæc. 3. PRimus occurrit Tertullianus in apologetico cap. 21. ubi de Verbo loquens, sic ait: *Hunc* (λόγον) *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcircò Filium Dei & Deum dictum ex unitate substantiæ.* Tum postquam dixit illum respectu Dei Patris habere se, sicut se habet radius respectu solis, sic prosequitur: *Iste igitur Deus radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in virginem quamdam, & in utero ejus caro figurata, nascitur homo Deo mixtus, caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, & Christus est.*

In libro de præscriptionibus cap. 13. hæc habet: *Regula est autem fidei, ut jam hinc quid credamus, profiteamur, illa scilicet qua creditur, unum omnino Deum esse nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primò omnium emissum: Id Verbum Filium ejus appellatum ... Postremo delatum ex Spiritu Dei Patris virtute, in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum hominem, & esse Jesum Christum: exinde prædicasse novam legem, &c.*

Sæc. 3. Tertullianum sequitur Cyprianus Martyr. 1. In libro *quod idola Dii non sint*, ubi hæc leguntur: *Indulgentiæ hujus & gratiæ disciplinæque arbiter, & magister sermo, & Filius Dei mittitur ... Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus, & gloria; hic in Virginem inlabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, ut & homo possit esse, quod Christus est* (Deus scilicet, non quidem per essentiam, quod repugnat, sed per participationem.)

2. Epist. 70. ad Jubajanum de hæreticis baptizandis. *Dominus* inquit, *post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instituit, & docuit dicens ...* Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Insinuat Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eumdem asserit, quem & nos, Deum Patrem Creatorem? Numquid eumdem unum Filium Christum de Maria Virgine natum qui sermo caro factus est?*

Sæc. Novatianus in libro de trinitate, qui extat inter Tertulliani opera, idem planè quod Tertullianus & Cyprianus, docet cap. 9. *Eadem*, inquit, *regula veritatis docet nos, credere post Patrem, & jam in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, hujus Dei, qui & unus & solus est, conditor scilicet rerum omnium ... hunc enim Jesum Christum iterùm dicam hujus Dei Filium, & in veteri testamento legimus esse repromissum, & in novo testamento animadvertimus exhibitum, omnium sacramentorum* (veteri legis) *umbras & figuras de præsentia corporatæ veritatis implentem ... . neque eum hæreticorum agnoscimus Christum, qui in imagine ut dicitur, fuit, & non in veritate ... neque eum qui nihil in se nostri corporis gessit, dum ex Maria nihil accepit .... Omnes enim istos & nativitas Domini, & mors ipsa confutat. Nam & Verbum, inquit Joannes, caro factum est, & habitavit in nobis. Ut meritò corpus nostrum in illo fuerit, quoniam quidem nostram carnem sermo suscepit ..... Tam Scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quàm etiam hominem ipsum annuntiat Deum: tam hominem descripsit Jesum Christum, quàm etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed & hominis, &c.*

Arnobius lib. 1. adversùs gentes pro Christo disputans sic discurrit: *Ergone, inquiet aliquis... Deus ille est Christus: Deus respondebimus, & interiorum potentiarum Deus: & quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximæ causa à Summo Rege* (Deo Patre) *missus.* Et inferiùs: *Quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum bonis, potestati munificæ liberalitate donavit.* Et inferiùs: *Christus æqualiter bonis, malisque subvenit .... hoc est enim proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli.* Et inferiùs: *Deus ille sublimis fuit Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium principe Deus, sospitator est.* Denique adhuc inferiùs: *Sed si Deus, inquiunt, fuit Christus, cur forma est in hominis visus? Et cur more est interemptus humano? An aliter potuit invisibilis illa vis, & habens nullam substantiam corporalem, inferre & commodare se mundo, concilii interesse mortalium, quàm ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret?*

Postremò Lactantius, qui magistrum habuit Arnobium, lib. 4. institutionem divinarum sic loquitur cap. 10. *Imprimis igitur scire homines oportet, sic à principio processisse dispositionem summi Dei, ut esset necesse, appropinquante sæculi termino, Dei Filium descendere in terram.* Et cap. 13. *Summus igitur Deus ac parens omnium .... Doctorem justitiæ misit è cœlo, ut novis cultoribus novam legem in eo vel per eum daret ... Filium bis nasci oportuit, ut ipse fieret ἀπάτωρ* atque *ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris à solo Deo Patre generatus est; in secunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine Patris officio, virginali utero procreatus est.*

Porrò, quod hic operæ prætium erit observasse, cùm veteres illi Patres, quos laudavimus, asserunt Deum Verbum per incarnationem homini mistum esse, eodem sensu dicunt, quo in generatione hominis anima rationalis dicitur misceri corpori humano; nec aliud intelligunt nomine mistionis, quàm unionem intimam, qua duo intimè ac substantialiter inter se uniuntur manente utriusque substantia integra.

Eodem modo & sensu postea locutus est sanctus Augustinus in epistola sua 2. ad Volusianum: *Quidam*, inquit, *reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus hominis permistus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re, quæ quotide fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis: nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mistura est animæ & corporis, in hac persona mistura est Dei & hominis, si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam, quamquam & in ipsis corporibus aeris lux interrupta misceatur. Ergo persona hominis, mistura est animæ & corporis: persona autem Christi mistura est Dei & hominis: cùm enim Verbum Dei permistum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus, &c.* Sed de hoc adhuc infra.

§. IV.

§. IV.

Proferuntur testimonia Patrum Græcorum, qui scripserunt post Nicænum Concilium.

EX multis paucos hic allegamus, nempe Athanasium in libro de incarnatione Verbi. *Vide*, inquit, *ne pro conditione solitoque more naturæ, Salvatorem nostrum corpus gestasse arbitreris, sed potiùs eum, cum natura incorporeus esset, & ratio sui Patris, studio, nostri, Patrisque in nos benevolentia, ob salutem humani generis, ipsum sese in humano corpore exhibuisse.* Et inferiùs: *Cùm enim Patris sit Verbum, & supra omnes, meritò etiam solus omnia recuperare potuit ... Hac igitur de causa incorporalis illa & incorruptibilis numinis Dei ratio, sive id Verbum appellare manis, ad nostram regionem accessit, non quidem antea inde longinquus; nihil quippe ab eo vacuum relinquitur in rebus creatis, cùm omnia omninò impleverit sua Patrisque sui præsentia; sed eatenùs accessit, quatenùs se sua humanitate ad nos demisit, seque ipsum exhibuit.* Et inferiùs: *Hominum amator Deus, & communis omnium Salvator, Dei Verbum ac ratio corpus sibi assumpsit, homo inter homines versaturus, ut hominum sensus præoccuparet.*

Gregorium Nazianzenum in oratione de nativitate Christi sic loquentem: *Carnis expers incarnatur .. invisibilis cernitur, intractabilis contrectatur, temporis nescius principium capit, Dei Filius hominis filius efficitur, Jesus Christus heri & hodie, idem & in sæcula*, Et infra: *hoc autem erat ipse Dei Filius, sæculis prior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium.... Carnem carnis causa gerit ... atque humana omnia excepto peccato, suscipit, conceptus quidem ex Virgine.*

Chrysostomum homilia 10. in cap. 1. Joan. ubi in hæc verba, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, sic discurrit: *Cùm dixisset* (Joannes) *ex Deo natos, & filios Dei factos, qui eum receperunt, tanti honoris causam adjecit, quod Verbum caro factum est, & servi & formam Dominus accepit: factus est Filius hominis dilectissimus Dei Filius, ut filios hominum filios Dei faceret: supernum enim cum humili copulatum est, illud quidem nullo in propriam gloriam detrimento affectum, hoc autem ex multa elatum humilitate, quod certè in Domino factum est.*

Cyrillum Alexandrinum in epistola ad Nestorium scripta, quæ incipit, *Cùm Salvator noster*, ubi ait: *Ipsum unigenitum Dei Verbum ex Patris substantia natum, Deum verum de Deo vero ... salutis nostræ causa descendisse, seque ad exinanitionem demisso, incarnatum, & hominem factum, hoc est, carne ex sacra Virgine sumpta, eademque sibi appropriata in utero, more nostro genitum hominemque ex muliere in lucem editum dicimus.*

Et Damascenum libro 3. orthodoxæ fidei cap. 7. ubi loquens de Christo ait: *Quin etiam hoc nomine tum à Patre & Spiritu, tum à matre & nobis discrepat, quod idem simul Deus & homo sit ... quocirca eum etiam post assumptam humanitatem unum Dei Filium confitemur, eumdemque Filium hominis unum Christum, unum Dominum, unum unigenitum Filium, ac Dei Verbum, Jesum Dominum nostrum, duplicem ipsius generationem venerantes, alteram nempe ex Patre omni ævo priorem ... alteram extremo tempore, nostri causa, nostri instar, ac supra nos: nostri inquam causa, ut nobis salutem afferret: nostri instar, quia homo ex muliere ortus est ac certo temporis spatio utero gestatus: supra nos denique, quia non ex semine, sed ex Spiritu sancto & sancta Virgine; quod quidem pariendi legem ac modum excedit.*

§. V.

Proferuntur testimonia Patrum Latinorum, qui post Concilium Nicænum scripserunt.

SAnctus Hilarius libro 1. de trinitate sic loquitur: *Verbum Deus caro factum est, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum, ac ne Verbum caro factum, aut aliquid aliud esset, quàm Deus Verbum, aut non nostri corporis caro esset, habitavit in nobis: ut dum habitat, non aliud quàm Deus maneret; dum autem habitat in nobis, non aliud, quàm nostræ carnis Deus caro factus esset; per dignationem assumptæ carnis, non inops suorum, quia tamquàm unigenitus à Patre, plenus gratiæ & veritatis, & in suis perfectus sit, & verus in nostris.*

Sanctus Ambrosius lib. 1. in c. 2. Lucæ sic ait: *In principio, inquit* (Joannes,) *erat Verbum: habes quando eras ... habes etiam quid erat: & Deus, inquit, erat Verbum ... Quò venerit: in sua propria venit. Quomodo venerit; Verbum caro factum est.* Et in libro de incarnatione dominicæ sacramento cap. 5. sic habet: *Adversùm omnes tamen* (hæreticos) *generalis ista est fides, quia Christus est Dei Filius, & sempiternus ex Patre & natus, ex Virgine.*

Sanctus Augustinus epist. 2. ad Volusianum sic scribit: *Verbum igitur Dei, idemque Dei Filius Patri coæternus; eademque virtus, & sapientia Dei ... nusquam concluſa, nusquam discissa, nusquam tumida, sed sine mole ubique tota, longè alio modo quodam, quàm eo, quo creaturis cæteris adest, suscepit hominem, seque & illum fecit unum Jesum Christum, mediatorem Dei & hominum, æqualem Patri secundùm divinitatem, minorem Patre secundùm carnem, hoc est, secundùm hominem; incommutabiliter immortalem secundùm æqualem Patri divinitatem, eumdemque mutabilem atque mortalem secundùm cognatam nobis infirmitatem.*

Sanctus Leo sermone 1. de nativitate Domini ita loquitur: *Verbum igitur Dei Deus Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte, factus est homo: ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ majestatis inclinans, ut manens quod erat, assumensque quod non erat, veram servi formam ei formæ, in qua Dei Patri est æqualis, uniret, &c.*

Sanctus Fulgentius in sermone de duplici nativitate Christi ait: *Dies etenim æternus Pater, & Filius, nostrum corpus & animam fecit: in die vero temporis, solus Filius nostrum corpus animamque suscepit ... dies æternus Christus Deus de Deo Patre: Christus in die temporis Deus homo de Virgine matre. Christus dies æternus, Verbum eructatum de corde Patris: Christus in die temporis Verbum caro factum de utero Virginis matris ... ut panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus est homo, utrosque pascens, & integer permanens.*

Sanctus Gregorius lib. 18. expositionum libri Job, sic in caput 28. ratiocinatur: *Mediator quippe Dei atque hominum, homo Christus Jesus, non sicut iste hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in deitate est, Non purus homo conceptus, atque editus, post permeritum, ut Deus esset, accepit: sed nunciante Angelo, & adveniente Spiritu mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre & cum sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera, unde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula, temporalis posse esse in fine sæculorum: ut per ineffabile sacramentum, conceptu sancto & partu inviolabili, secundùm veritatem utriusque naturæ eadem Virgo & ancilla Domini esset, & mater.*

Sanctus Isidorus in libro de nativitate Domini c. 6. dicit: *Scripturæ auctoritate eumdem Filium Dei natum in carne monstremus. Manifestantes primùm quia idem Filius Dei propter nostram salutem incarnatus, & homo factus est. Sic enim de eo prædicat Isaias.* Parvulus: *inquit*, natus est nobis, Filius datus est nobis ... *Parvulus Christus, quia homo & natus nobis, non sibi. Quod enim homo factus est, nobis proficit, & ideò nobis natus est. Filius autem Deus est nobis: cujus, nisi Dei Filius?... Erubescant itaque impii Judæi, & agnoscant invocare Christum Filium Dei natum, & per assumptionem corporis parvulum factum, &c.*

Beda in Evangelium Joannis, hæc verba, *Et Verbum caro factum est*, &c. sic exponit: *Quod est dicere, Filius Dei homo factus est, & inter homines conversatus. Solet namque Scriptura modo animæ, modò carnis vocabulo totum designare hominem .... Sic ergo hoc in loco quod dicitur, Et Verbum caro factum est nihil aliud debet intelligi, quàm si diceretur, Et Deus homo factus est, carnem videlicet induendo & animam, ut sicut quisque nostrum unus homo ex carne constat & anima, ita unus ab incarnationis tempore Christus ex divinitate, carne, & anima constet.*

Sanctus Anselmus in speculo Evangelici sermonis sic verbum incarnatum alloquitur: *Cum esset Filius Dei, verus Deus, Deo Patri, sanctoque Spiritui coæternus, & consubstantialis ... non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum ..., ipse ad nos venire dignatus es per mandatum Patris, cujus nimiam charitatem experti sumus in te. Venisti, inquam, non locum mutando, sed præsentiam tuam nobis per carnem exhibendo. Descendisti à regali solio sublimis gloriæ tuæ in humilem & abjectam in oculis suis puellam., in cujus sacrosancto utero sola Spiritus sancti inenarrabilis virtus & te concipi fecit, & nasci in vera humanitatis natura.*

Sanctus denique Bernardus sermone 1. in die natalis Domini sic ait: *Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vultis nosce, quàm longum, quàm breve fecit? Cœlum, inquit hoc Verbum, & terram ego impleo. Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est. A sæculo, ait Propheta, & in sæculum tu es Deus: Et ecce factus est infans diei unius*, &c.

§. VI.

Profertur testimonium Conciliorum generalium.

PRo catholico nostro dogmate habemus auctoritatem octo primorum generalium Conciliorum, Nicæni in symbolo dicentis: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem ..... & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum unigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo ... Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus.*

Constantinopolitani I. confirmantis & exponentis Nicænum symbolum dicentisque: *Credimus in unum Deum .... & in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula .... Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est ex Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.*

Ephesini I. actione 1. cum symbolo Nicæno, tamquam indubitata fidei regula, duas epistolas, unam Cyrilli ad Nestorium, & alteram Nestorii ad Cyrillum, ad earum orthodoxiam, vel heterodoxiam definiendam conferentis, atque epistolam Cyrilli ut orthodoxam suscipientis, quia consentiens, Nestorii vero epistolam rejicientis ut heterodoxam, quia dissentientis Nicæno symbolo inventa est.

Chalcedonensis actione 5. in definitione fidei sic loquentis: *Omnem machinationem contra veritatem volens claudere præsens nunc sancta & magna & universalis Synodus, prædicationem hanc ab initio inconcussam docens, decrevit ante omnia, fidem integram & intemeratam permanere trecentorum decem & octo sanctorum Patrum* (Niccenorum .) Et infra: *Unum eumdemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum*, &c.

Constantinopolitani II. canone 2. ita pronuncians: *Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante sæcula ex Patre, sine tempore, incorporaliter; alteram verò in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui de cœlis descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei genitrice & semper Virgine Maria, natus est ex ipsa: talis anathema sit.*

Constantinopolitani III. actione 18. in expositione fidei, symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum suscipientis his verbis: *Id quod est à trecentis decem & octo Patribus editum, & dehinc à centum quinquaginta, Deo instituente, confirmatum est, quod etiam cæteræ sanctæ Synodi, ad extinguendam omnem pestiferam hæresim, alacriter susceperunt, & confirmaverunt symbolum, & hoc nostrum sanctum, & universale, à Deo inspiratum consignavit Concilium.* Tum subjecto utroque symbolo, sic post multa prosequentis: *Definit Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum nostrum ... perfectum in deitate, & perfectum eumdem in humanitate, Deum verè, & hominem verè, eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem per omnia similem nobis absque peccato.*

Nicæni II. actione 7. in definitione eodem modo Nicænum, & Constantinopolitanum symbolum suscipere se profitentis, & inferiùs sic loquentis: *Duas naturas confitemur ejus, qui incarnatus est propter nos ex intemerata Dei genitrice semper Virgine Maria, perfectum eum Deum, & perfectum hominem cognoscentes.*

Constantinopolitani IV. actione 10. in termino, ubi sic ait: *Insuper & confitemur unicum Dei Verbum, incarnatum, & factum fuisse propter nos, secundùm nos enim Angelus, non legatus, sed ipse Dominus venit, & salvavit nos, & nobiscum factus est Emmanuel: & iste erat Deus verus, &c.*

Prioribus illis Synodis cum Tridentino Concilio addi potest Lateranense IV. sub Innocentio III. cap. Firmiter, ubi hæc leguntur: *Et tandem unigenitus Dei Filius Jesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, una in duabus naturis persona viam vitæ manifestius demonstravit.* Sed antequam veritas catholica, hactenùs probata declaretur, & confirmetur ampliùs sequentibus articulis, sit

§. VII.

Solvuntur difficultates aliquæ.

OBjicies 1. Verbum incarnari conveniens non fuit: Ergo revera incarnatum non est. *R.* neg. ant. Nam Verbum incarnari 1. conveniens fuit Deo: quia incarnatio consentanea est divinæ bonitati: nam, ut ait S. Thomas hic q. 1. art. 1. in O. consentaneum est naturæ boni, ut communicet se, adeòque consentaneum est naturæ summi boni, ut se summè communicet. Bonitas autem divina est Bonitas summa: Ergo consentaneum est Bonitati divinæ, ut se summè communicet, quod aliter fieri non potest, quàm per incarnationem.

2. Conveniens fuit naturæ humanæ; nam per incarnationem factum est, ut Deus esset homo, ac proinde ut homo superior esset Angelis omnibus, totius universi caput, capax meriti infiniti, fons denique salutis omniumque bonorum spiritualium; quæ prærogativæ ita sunt Christi propriæ, ut tamen in totum genus humanum redundent moraliter.

3. Conveniens fuit universo: nam incarnatio fuit complementum quoddam universi: per eam enim factum est, ut universum comprehenderet ordines rerum omnes, ordinem scilicet naturæ, ordinem gratiæ, & ordinem unionis hypostaticæ. Præterea, nemo non videt, ex homine Deo decoris, dignitatis, & ornamenti plurimùm refundi in universum.

Obj. 2. Si Verbum incarnatum est, maximè propter redemptionem generis humani. Atqui conveniens non fuit Verbum incarnari ad redimendum genus humanum. Ergo, &c. Pro solutione, *Nota.* 1. Redemptio generis humani fuit opus maximè conveniens Deo, quia decet summam Bonitatem; generi humano, quia eximit illud à servitute peccati & dæmonis; & universo quia magnopere confert ad ejus perfectionem.

2. Redemptio generis humani fieri potuit tribus modis

modis ; ex pura misericordia , & liberalitae Dei , gratis condonando homini totam offensam ; ex justitia imperfecta , qualemcumque satisfactionem acceptando , & debiti reliquum condonando , & ex perfecta justitia , æqualem pro offensa satisfactionem exigendo .

3. Modus redimendi genus humanum ex perfecta justitia prioribus aliis duobus convenientior est, tum ex parte hominis; major enim gloria ejus est, quòd non indigeat liberali condonatione , & satisfacere possit ex perfecta justitia ; tum ex parte Dei , quia in tali redemptione magis relucent attributa divina, nempe summa justitia, æqualem satisfactionem exigendo summa misericordia tribuendo facultatem exhibendi satisfactionem æqualem ; & summa sapientia , in uno & eodem opere conjungendo virtutes duas , quæ videntur conjungi non posse, summam scilicet justitiam cum summa misericordia.

Igitur convenientissimum fuit , genus humanum redimi ex justitia perfecta: sic autem redimi non potuit, ut suo loco ostendetur, sine unione hypostatica personæ divinæ cum natura humana, vel angelica; aliunde verò convenientius fuit redimi per unionem hypostaticam personæ divinæ cum humana, quàm cum angelica natura: convenientius enim fuit, redimi per Deum hominem , quàm per Deum Angelum; nam quia homo offenderat Deum convenientius erat , ut homo satisfaceret Deo offenso : Præterea, sic major erat dæmonis confusio, quod vinceretur à natura , quam vicerat . Igitur convenientissimum fuit, Verbum incarnari ad redimendum genus humanum . Unde ad objectionem. *R.* neg. min.

At inquies. Major liberalitas est & charitas, gratis condonare, quàm exigere satisfactionem. Item majoris est virtutis injuriam gratis remittere , quàm postulare satisfactionem. *R. ad* 1. Est revera major liberalitas, &c. si non dentur vires & gratia ad satisfaciendum: secùs verò, si dentur. Deus autem sic æqualem satisfactionem exegit ab homine, ut simul ei dederit omnia ad talem satisfactionem exhibendam necessaria, suum nempe Filium unigenitum dando , & ita , ut dicitur Ps. 84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi; justitia & pax osculatæ sunt*.

Ad 2. *R.* In privatis sæpe majoris virtutis est, gratis remittere injuriam, quàm satisfactionem postulare; at non est majoris virtutis in Principe, ad quem delictorum vindicta pertinet: non enim expedit delicta manere impunita. Quod verissimum est , præsertim quando Princeps ita satisfactionem exigit, ut simul det vires ad satisfaciendum necessaria. Vide ad sanctum Thomam hic q. 1. art. 2. in O.

Quæres 1. utrùm secluſa revelatione divina & fide, solo lumine naturali cognosci possit, incarnationem possibilem , vel impossibilem esse.

R. 1. non posse lumine naturali evidenter cognosci, aut demonstrari , incarnationem esse impossibilem . Ratio est, quia falsi dari demonstratio non potest : at quòd incarnatio sit impossibilis , est falsum , ut patet ex dictis articulo 2. Ergo, &c.

R. 2. solo lumine naturali evidenter cognosci , aut demonstrari non posse, quòd possibilis sit incarnatio.

Nam ad hoc cognoscendum & demonstrandum , tria cognitu necessaria sunt , quæ tamen solo lumine naturali non possunt cognosci ; videlicet quòd natura humana possit existere, & non per se subsistere ; quòd tres sint personæ in Deo ; quòd uni ex illis natura humana conjungi substantialiter , & in ea subsistere possit.

At inquies. Angelus solo lumine naturali naturam humanam, & totam ejus capacitatem comprehendit. Ergo solo lumine naturali cognoscit, quidquid in illa, vel circa illam potest fieri; adeòque solo lumine naturali cognoscit , illam uniri posse substantialiter personæ divinæ , atque in ea subsistere . *R.* Angelum solo lumine naturali penetrare humanæ naturæ capacitatem naturalem, non verò obedientialem: unde solo lumine naturali cognoscit id omne, quod in illa aut circa illam fieri potest naturaliter: secùs verò id omne quod in illa aut circa illam supernaturaliter fieri potest . Quod autem natura humana substantialiter uniatur personæ divinæ, & in ea subsistat , non potest fieri, nisi supernaturaliter : quare hoc fieri posse solo lumine naturali non cognoscit Angelus.

At inquies. Angelus solo lumine naturali cognoscit Deum esse omniporentem. Ergo solo lumine naturali cognoscit, Deum posse id omne, quod contradictionem non implicat . Sed incarnatio contradictionem non implicat . Ergo Angelus solo lumine naturali cognoscit, incarnationem possibilem esse Deo . *R.* Angelus solo lumine naturali cognoscit in genere Deum esse omnipotentem , & posse id omne , quod non involvit repugnantiam : at non cognoscit distinctè & in particulari , hoc vel illud mysterium repugnantiam non involvere ; cùm lumine naturali non penetret omnipotentiam divinam , & creaturæ capacitatem obedientialem.

Quæres 2. utrùm solo lumine naturali cognosci aut demonstrari possit, quòd facta sit incarnatio.

R. neg. Quia 1. non potest naturaliter cognosci , quòd Trinitas existat. Ergo naturaliter cognosci non potest, Filium Dei esse incarnatum . 2. Nullum est principium, nullusque naturalis effectus, ex quo incarnatio possit evidenter colligi.

At inquies. Ex miraculis Christi poterat evidenter colligi eum esse Deum , & consequenter evidenter colligi poterat, factam esse incarnationem . *R.* miracula Christi fuisse effectus supernaturales, & quamvis evidenter vera fuerint evidentia simplici, evidentiam illam solo lumine naturali attingi non potuisse sufficienter ad hoc, ut ex illis plusquam probabiliter colligeretur, Christum esse Deum , adeòque incarnationem in eo factam esse.

At inquies. Angelus potest naturaliter cognoscere humanitatem Christi non subsistere per se. Ergo potest naturaliter cognoscere, quòd subsistat in alio, & quòd non subsistat in alia creatura . Ergo naturaliter cognoscere potest , quòd in Deo subsistat . *R.* neg. ant. Cùm enim natura humana non subsistat in se per modum sibi realiter supperadditum se per seipsam, & quidem necessariò, quamdiu non est alteri eam ulteriùs substantialiter complenti unita , certè Angelus non potest naturaliter cognoscere humanitatem Christi non subsistere per se , cùm non possit naturaliter cognoscere, eam esse unitam Verbo substantialiter, & ab illo substantialiter, cognoscere compleri.

ARTICULUS IV.

Utrùm Verbum assumpserit verum corpus humanum, & animam rationalem.

Responsio I.

VErbum assumpsit verum corpus humanum , & animam rationalem.

Prima pars, nempe quòd Verbum verum corpus humanum assumpserit, est contra Cerdonem , Marcionem , Manichæos; &c. & probatur 1. ex Scriptura, Joannis cap. 1. dicitur : *Verbum caro factum est* . At quomodo Verbum caro factum est, si non assumpsit corpus humanum? Lucæ cap. ult. Christus ipse ait : *Quid turbatis estis , & quæ cogitationes ascendunt in corda vestra* (putando me esse phantasma) *videte manus meas , & pedes , quia ipse sum : palpate , & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. At Christus sic loquendo , si non habuit verum corpus, discipulos suos decipere voluit , quod in Deum, qui summa veritas est, cadere non potuit . Idem de seipso dicit Lucæ cap. 18. *Tradetur gentibus* (Filius hominis) *& illudetur , & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint , occident eum, & tertia die resurget*. Quæ omnia falsa sunt , & totidem mendacia , si Christus verum corpus non habuit . Denique in Scripturis Christus passim dicitur manducasse, dormivisse, flevisse, fatigatus

gatus fuisse ex itinere; quæ omnia non nisi verum corpus habenti convenire possunt: unde si Christus verum corpus non habuit, sed apparens tantùm, in perpetua simulatione versatus est; quod Deo indignissimum esse, nemo non videt.

2. Ex symbolo Apostolico, Nicæno, & Constantinopolitano, in quibus Christus dicitur, passus, crucifixus, mortuus, & sepultus; quibus adde symbolum Athanasianum, in quo dicitur Christus *perfectus Deus perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.*

3. Ex Patribus Augustino scilicet libro 83. quæstionum q. 14. ubi ait: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; & si fallit, veritas non est: est autem veritas Christus non igitur phantasma fuit corpus ejus.* Leone Magno epist. 93. ad Turribium cap. 4. ubi de Priscillianistis die natali Domini, & diebus dominicis jejunantibus sic loquitur: *Quod utique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dogma Cerdonis, atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis per omnia concordantes.* Et Cyrillo Alexandrino in libro de recta in Dominum nostrum Jesum Christum fide, ad Theodosium Imperatorem scripto, in quo contra negantes Verbum factum esse carnem, seu Verbum verum corpus assumpsisse, sic argumentatur cap. 9. *Igitur si Dei Verbum caro factum non est, cùm nec in eo, quod sustinuit, tentatum sit, non potest iis, qui tentantur, opem ferre, si quidem nulla in umbram passio cadere potest, atque ita omnia, quæ salutis nostræ causa facta sunt, verè in nihilum recident. Nam quale dorsum, quæso, pro nobis cædendum præbuit? aut quales percutientibus genas exhibuit? aut quomodo ad Judæorum verbera fortiter prestitit?*

At inquies. Angeli in veteri testamento sæpe apparuerunt in specie humana; nec tamen inde argui potest, eos fuisse verè homines, & assumpsisse verum corpus humanum. Ergo, &c. *R.* neg. conseq. Dispar enim omninò ratio est de Christo, & Angelis, qui apparuerunt in humana specie: nam hi Angeli brevi aliquo tantùm tempore sic apparuerunt; nec aliquid sibi humani corporis proprium attribuerunt. At Christus è contra diutissimè cum hominibus conversatus est; ex muliere natus, ab eadem per annos plures educatus; deinde à Judæis morti traditus, ac postea à mortuis suscitatus. Præterea, passim se hominem prædicavit, vocando se filium hominis, & humanos affectus sibi attribuit: quare vel confietendum est, eum habuisse verum corpus humanum; vel dicendum, quòd per plures annorum decades in id unum incubuerit, ut ludificaretur homines, quod tamen de Deo sine manifesta impietate asseri non potest.

Secunda pars, nempe quòd Verbum assumpserit animam rationalem, est contra Arianos, & Apollinaristas, & probatur 1. ex Scriptura. Nam Matth. cap. 26. Christus ipse ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (supple, propter duritiem, & ingratitudinem Judæorum, propter instantem ignominiosissimam & crudelissimam mortem, &c.) Ejusmodi autem tristitia cadere non poterat, nisi in animam intellectivam & rationalem: talis enim tristitia non est corporis, aut etiam animæ sensitivæ, sed animæ rerum spiritualium apprehensivæ, & præsciæ futurorum, qualis profectò non est, nisi sola anima rationalis. Ergo Christus non solùm corpus humanum, sed etiam animam rationalem habuit. Ergo, &c.

2. Ex Concilio Romano IV. Damaso præside, quo tempore Gratianus Occidentis & Orientis Imperator factus est, celebrato, & anathematismo septimo sic pronuntiante: *Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali & intelligibili, dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, & non pro anima rationali & intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, rationalem & intelligibilem sine peccato animam susceperit, atque salvaverit.* Et ex quinta Synodo generali canone 4. anathematizante eos, *qui non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem, animatam anima rationabili & intellectuali, secundùm compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse.*

3. Ratione. Nam 1. Si Verbum est pro anima in Christo, Verbum est forma substantialis, est actus corporis, est pars, est ens incompletum, & ulteriùs complebile, quæ omnia evidenter Deo repugnant. 2. Verbum id totum assumpsit, quod salvavit: atqui salvavit nos potissimùm secundùm animam rationalem. Ergo, &c.

Hoc adversùs Apollinarem argumento usi sunt Patres, ut Athanasius in sermone contra omnes hæreses. *Alloquamur*, inquit, *novam hæresim, quæ ex Syria in Ægyptum promanavit, & Apollinarios, ipsumque Apollinarem, novum dogma proferentem*, (Filium Dei) *corpus solum ex illibata Virgine sumpsisse, Deumque vicem animæ subiisse . . Quid ais* (Apollinaris) *cùm perfectus homo ob prævaricationem mandati è Paradiso dejectus, in mortem cecidit, ejus tantummodò carnem redemptam, recuperatamque esse à Christo, arbitraris?*

Gregorius Nazianzenus in prima ad Celdonium epistola, in qua hæc scribit: *Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profectò est, nec dignus, qui totus salute donetur: nam quod assumptum non est, curationis est expers: quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur: si dimidia tantùm ex parte Adam lapsus est, dimidiatum quoque sit, quod assumptum est, & quod servatur: si autem totus peccavit, toti quoque homini unitus est Dei Filius, ac toti salutem affert, &c.*

Et Joannes Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 6. *Totum*, inquit, *me totus assumpsit, ac totus toti unitus est, ut toti salutem afferret: nam alioqui ne medicina quidem ei allata est, quod assumptum non est. Ergo Dei Verbum per mediam mentem carni unitum est, interiectam videlicet inter Dei puritatem, & carnis crassitiem.* Eodem planè modo ratiocinatur sanctus Thomas opusc. 2. cap. 204. & cap. 205. ubi contra Appolinarem disputans, & probans, Verbum homini Christi pro intellectu & ratione non fuisse, sic ait: *Fuisset contra incarnationis finem, qui est reparatio humanæ naturæ, quæ quidem principalius incipit reparari, quantùm ad intellectivam partem, quæ particeps peccati esse potest: unde præcipuè conveniens fuit, ut* (Verbum) *intellectivam hominis partem assumeret.*

Declaratur & stabilitur ampliùs utraque pars simul, 1. Auctoritate Patrum, Ambrosii scilicet in caput 22. Lucæ, ubi ad hæc Christi verba: *Tristis est anima mea*, alludens, ita loquitur: *Tristis est, non ipse* (Deus) *sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum, non me fefellit, ut aliud esset, & aliud videretur.* Et Damasceni loco proximè citato, ubi ait: *Toti humanæ naturæ totam divinitatis essentiam unitam esse asserimus: neque enim Deus Verbum quidquam eorum, quæ, cum nos initio fingeret, naturæ nostræ inserit, prætermisit: sed omnia assumpsit, hoc est, corpus, animam intelligentem, & ratione præditam, eorumque proprietates.* Consule Patres alios articulo superiore laudatos.

2. Ex Conciliis generalibus, Constantinopolitano primo in symbolo, in quo de Filio Dei dicitur: *Homo factus est.* Ephesino primo actione 1. epistolam Cyrilli ad Nestorium, quæ incipit, *Intelligo quosdam*, ut orthodoxam approbante, & suscipiente, in qua hæc verba leguntur: *Asserimus autem, Verbum unita sibi secundùm hypostasim carne animata rationali anima, inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum, & hominis Filium extitisse.* Calchedonensi actione 6. in fidei expositione, dicente de Christo: *Docemus eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundùm deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundùm humanitatem.* Constantinopolitano tertio hæc eadem Calchedonensis verba repetente, & Nicæno secundo pariter actione

ne 7. in definitione Christum agnoscente *perfectum Deum, & perfectum hominem.*

Ex his autem sic adhuc breviter argumentor. Filius Dei per incarnationem factus est homo; Christus est perfectus homo, esi verus homo. Atqui homo est totum substantiale ex corpore humano, & anima rationali constans. Ergo, &c. Item Filius Dei incarnatus, nobis consubstantialis est secundùm humanitatem; sicut Deo Patri consubstantialis est secundùm divinitatem. Ergo sicut Patri consubstantialis est secundùm divinitatem, quia unam & eandem numero naturam divinam habet cùm Patre: ita nobis secundùm humanitatem consubstantialis est, quia unam & eamdem specie naturam humanam habet nobiscum, adeòque naturam humanam habet, corpore & anima rationali constantem. *Amplius*, Christus Deo Patri consubstantialis est secundùm divinitatem, quia habet attributa omnia essentialia, quibus constituitur divinitas. Ergo nobis consubstantialis est secundùm humanitatem, quia habet partes omnes essentiales quibus natura humana constituitur.

Responsio II.

Verbum assumpsit corpus humanum ex Virgine Maria.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Matthæi c. 1. dicitur: *Jacob genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus qui vocatur Christus.* Et inferiùs: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum.* Luc. c. 1. Mariæ dicit Angelus: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur.* Et inferiùs: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et Apostolus ad Galatas cap. 4. sic ait: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere.*

2. Ex symbolis, Apostolico scilicet, in quo dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Constantinopolitano, in quo dicitur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Et Athanasiano, in quo hæc habentur: *Deus est ex substantia Patris ante omnia sæcula genitus; & homo est ex substatia matris in sæcula natus.*

3. Auctoritate Conciliorum generalium, Ephesini scilicet, à quo approba est, & suscepta Cyrilli ad Nestorium epistola, in qua hæc leguntur: *Non dubitarunt* (sancti Patres) *sacram Virginem Deiparam appellare; non quòd Verbi natura, ipsiusve divinitas ortus sui principium ex sancta Virgine sumpserit; sed quod sacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit, cui & Dei Verbum secundùm hypostasim unitum, secundùm carnem natum dicitur.* Chalcedonensis: in definitione fidei dicentis: *Ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem, unum eumdemque Christum, &c.* Constantinopolitani secundi canone secundo anathematizantis eum, qui non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante sæcula ex Patre . . alteram verò in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui de cœlis descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei genitrice & semper Virgine Maria, natus est ex ipsa Constantinopolitani tertii, in fidei expositione verba. Chalcedonensis proximè citata adoptantis. Nicæni secundi, in definitione fiedi, in qua sic loquuntur Synodi Patres: *Confitemur autem & Dominam nostram sanctam Mariam proprie ac veraciter Dei genitricem, quoniam peperit carne unum ex sancta Trinitate, Christum videlicet Deum nostrum.*

4. Auctoritate Patrum, & primò quidem eorum, qui scripserunt ante quartum sæculum, & quorum testimonia relata sunt articulo superiore. 2. Eorum: qui post tertium sæculum, sed ante Ephesinam Synodum scripserunt; pro quibus omnibus sint Athanasius, qui in sua ad Epictetum epistola, in Ephesina Synodo laudata, sic loquitur: *Quomodo quidam, qui inter Christianos censentur, in quæstionem vocare audent, Dominusne, quem Maria in lucem edidit, natura quidem & essentia Dei Filius existat, secundum carnem verò ex semine David, & sanctæ Mariæ carne ortum ducat? . . . Quomodo rursùm christiani hominis appellationem usurpare non verentur, qui Verbum in hominem sanctum, perinde atque in aliquem Prophetarum, descendisse asserunt, & non ipsum, sumpto ex Mariæ corpore, hominem factum, sed alium Christum, alium rursùm esse Dei Verbum, quod ante Mariam, & sæcula erat Filius Patris.*

Gregorius Nazianzenus in epistola 1. ad Cledonium, in qua sic ait: *Si quis Mariam Deiparam esse inficiatur, à Deo alienus est. Si quis per Virginem, perinde ac per fistulam, measse, nec in ea divino humanoque modo simul formatum esse dixerit, divino quidem, quia citra viri commercium, humano verò, quia communi prægnantium lege anathema sit.*

Et Ambrosius libro primo de fide cap. 16. ubi hæc Apostoli verba, *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*, sic interpretatur: *Filium, inquit, suum, non unum de multis, non communem, sed suum, Suum cùm dicit, generationis æternæ proprietatem significavit. Hunc postea factum ex muliere asseruit, ut factura non divinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur, factum ex muliere* (Maria scilicet) *per carnis susceptionem, &c.*

3. Ex Patribus qui scripserunt post Ephesinam Synodum; pro quibus omnibus hic nobis duo sufficient, nempe sanctus Leo in sua ad Flavianum epistola, in qua sic loquitur: *Idem verò sempiterni genitoris unigenitus sempiternus, natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ & sempiternæ nihil minuit, nihil contulit . . . conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum Matris Virginis, quæ ita illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.*

Et sanctus Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 2. ubi hæc habet: *Neque enim Deus Verbum præexistenti seorsim carni unitus est, verum posteaquam in sanctæ Virginis uterum immigravit, citra ullam circumscriptionem in hypostasi sua, ex castis ipsius perpetuæ Virginis sanguinibus carnem anima rationali atque intellectuali animatam condidit, humanæ nimirum conspersionis primitias assumens, ac Verbum ipsum carni hypostasis factum est, &c.*

Dices. Apostolus, prima Corinthiorum cap. 15. ait: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis.* Ergo falsum est, quòd Verbum corpus humanum assumpserit ex Virgine Maria. *R.* neg. cons. Nam Apostolus Christum appellat hominem cœlestem, & dicit eum de cœlo venisse, quia sic est homo, ut etiam sit Deus, cùm sit persona divina in duabus naturis subsistens. Hanc responsionem suggerit Leo Magnus in sua ad Flavianum epistola: *Propter hanc*, inquit, *unitatem personæ, in utraque natura intelligendam, & Filius hominis legitur descendisse de cœlo, cùm Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit.*

Articulus V.

Utrum Verbum ita assumpserit corpus & animam, ut divinitas, corpus, & anima in unam naturam coaluerint.

Responsio.

Verbum non ita assumpsit corpus humanum, & animam rationalem, ut divinitas, corpus, & anima in unam coaluerint naturam: sed post unionem in Christo duæ sunt naturæ integræ, distinctæ, & inconfusæ, nempe divina & humana.

Est contra Eutychem, & probatur 1. ex Patribus, qui ante exortam Eutychianam hæresim scripserunt; pro quibus omnibus erunt Athanasius, in lib. de incarna-

carnatione Christi, ubi ait: *Appellabitur perfectus Deus, & perfectus homo Christus . . . secundum rationem existendi sine defectu plenam & integram, ut unus sit utrinque per omnia idem & Deus, & homo.* At si Christus simul est Deus & homo, perfectus Deus & perfectus homo, necessariò divinitatem integram habet, cum integra humanitate.

Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. *Servemus*, inquit, *distinctionem divinitatis & carnis. Unus in utraq; loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Etsi idem loquitur, non uno semper loquitur modo . . quasi Deus loquitur, quæ sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dixit, quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur.*

Augustinus tract. 78. in Evangelium Joannis. *Quid igitur*, inquit, *hæretice, cùm Christus sit Deus & homo, loquitur ut homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam.*

Cyrillus in libro de incarnatione unigeniti cap. 13. ubi ait: *Unus igitur est & ante incarnationem Deus verus, & qui in humanitate mansit id, quod erat, & est, & erit. Non discernendum igitur unum Dominum Jesum Christum in hominem seorsum, & seorsum in Deum, sed unum eumdemque Jesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfusas inter se servantes.*

2. Ex Patribus, qui scripserunt post exortam hæresim Eutychianam; pro quibus omnibus sint sanctus Leo in sua ad Flavianum epistola, in qua sic loquitur: *Salva igitur proprietate utriusque naturæ, & in unam coeunte personam, suscepta est à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad persolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis, naturæ est unita passibili.* Porrò, quod hic obiter observasse operæ pretium erit, præfacta epistola, jam à nobis multoties laudata, & postmodùm laudanda; summæ auctoritatis est, cùm olim ab omnibus totius orbis christiani Episcopis suscepta & subscripta fuerit.

Sanctus Fulgentius in libro de fide ad Petrum diaconum cap. 14. ubi hæc habet: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, Christum Filium Dei, sicut de Deo Patre plenum perfectumque Deum, ita de Virgine matre plenum perfectumque hominem genitum, id est, Verbum Deum, habentem sine peccato veram nostri generis carnem & animam rationalem.*

Sanctus Gregorius lib. 18. moralium cap. 27. ubi ita loquitur: *Ipse* (Christus Jesus) *ante sæcula de Patre sine matre, ipse in fine sæculorum de matre sine patre . . . manens unus ex utraque & in utraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.*

Et sanctus Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 3. *Nos*, inquit, *Christum haud quaquam unius compositæ naturæ esse asserimus, neque ex aliis aliud, quemadmodum ex anima & corpore hominem, aut ex quatuor elementis corpus, verum ex aliis eadem; siquidem ex deitate & humanitate eundem Deum perfectum, & hominem perfectum & esse, & dici, atque ex duabus & in duabus naturis esse confitemur.*

3. Ex Synodis particularibus, Alexandrina in causa Nestorii, Cyrillo præside celebrata, quæ in sua ad Nestorium synodica epistola sic loquitur: *Unigenitum Dei Verbum ex Patris substantia natum . . . salutis nostræ causa descendisse, seque ad exinanitionem demisso, incarnatum & hominem factum . . . dicimus; id interim, quod suapte natura erat, non abjiciens, sed hoc ipsum quod erat, hoc est, verus naturalisque Deus, licèt carnem & sanguinem assumpsisset, constanter manens: neque carnem in divinitatis naturam versam, nec contra rursum ineffabilem illam naturam in carnis substantiam transmutatam asserimus.*

An. 649. Lateranensi sub Martino primo can. 6. quo dicitur: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè & secundum veritatem, in duabus & ex duabus naturis, substantialiter unitis, inconfusè, & indivisè unum eumdemque esse Dominum & Deum Jesum Christum, condemnatus sit.*

Hispalensi secunda, sancto Isidoro præside, actione 13. ubi referuntur, & adoptantur hæc sancti Fulgentii verba: *Si quis in Domino nostro Jesu Christo aut duas naturas, aut unam noluerit, sive dubitaverit credere aut prædicare personam . . . à catholica fide deprehenditur ac demonstratur extraneus . . . Verbum caro factum unus & plenus est Christus, unus ex utraque & in utraque, id est, in humana, divinaque natura.*

Toletana XI. in præfactione, ubi hæc verba leguntur: *Ita verbum caro factum est, ut non tantùm ibi sit Verbum Dei, & hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima; atque hoc totum, & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. In quo Dei filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis, &c.* An. 678.

Forojulienses, in symbolo fidei dicente: *In una Christi Jesu persona, verus Dei, verusque hominis filius, non alter hominis filius, & alter Dei; sed unus idemque Dei & hominis filius, in utraque natura, divina scilicet & humana, Deus verus, & homo verus . . . . In utraque natura proprium eum, & non adoptivum Dei Filium confitemur, quia inconfusibiliter, & inseparabiliter, assumpto homine unus idemque est Dei & hominis filius.* An. 791.

4. Auctoritate Conciliorum generalium, Calchedonensis in definitione fidei, in qua ait: *Unum eumdemque Christum* (docemus) *Filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magnisque salva proprietate utriusque naturæ, &c.*

Constantinopolitani II. can. 8. quo dicitur: *Si quis ex duabus naturis deitatis & humanitatis constitens unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic eam excipit, sicut Patres docuerunt, quòd ex divina natura & humana, unitione secundùm subsistentiam facta, unus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus unam naturam sive substantiam deitatis & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit . . . . æqualiter enim & eos, qui per partem dividunt, vel incidunt, & eos qui confundunt divinæ dispensationis mysterium Christi, rejicit & anathematizat Dei Ecclesia.* An. 553.

Constantinopolitani III. in fidei definitione verba Calchedonensis proximè relata repetentis, & Nicæni II. in definitione fidei, in qua sic loquitur: *Duas naturas confitemur ejus, qui incarnatus est propter nos, ex intemerata Dei genitrice semper Virgine Maria, perfectum eum Deum, & perfectum hominem cognoscentes.* An. 689. An. 787.

Obj. 1. Joannis cap. 1. Verbum eodem modo dicitur caro factum, quo ejusdem Joannis cap. 2. aqua dicitur vinum facta. Sed aqua dicitur vinum facta per conversionem ejus in vinum. Ergo, &c. *R.* Verbum dicitur caro factum eodem modo, quoad formam verborum, quo aqua dicitur vinum facta; non eodem modo quoad sensum, qui in eadem verborum forma potest esse, & sæpe est diversus pro materiæ diversitate. Sic v.g. cùm Apostolus Galat. cap. 3. dicit Christum factum esse maledictum, certè sensus non est, quòd Christus conversus sit in maledictionem.

At inquies. Justinus Martyr in secunda pro Christianis apologia dicit, panem in Eucharistia fieri carnem Christi, sicut Verbum caro factum est. At panis in Eucharistia fit caro Christi per conversionem. Ergo, &c. *R.* Justinum Martirem loco laudato velle tantùm, quòd in Eucharistia verè caro Christi sit; sicut Verbum verè caro factum est. Verba sancti Martyris sunt: *Quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus, ab ipso profecti, gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.*

Obj. 2.

Obj. 2. Patres sæpe comparant unionem divinitatis & humanitatis cum unione animæ rationalis & corporis. Sed ex unione animæ rationalis & corporis resultat una natura. Ergo pariter, &c. *R.* Patres comparant quidem unam unionem cum altera, at non in omnibus comparant, tantumque volunt, divinitatis cum humanitate unionem tam esse realem, physicam ac substantialem, quàm realis, physica, ac substantialis est unio animæ rationalis cum corpore; & sicut ex unione animæ rationalis cum corpore resultat unus homo, ita ex divinitatis & humanitatis unione resultare unum Christum, qui est Deus homo, seu persona divina in naturis duabus, divina & humana, subsistens.

Hujus responsionis bonitas patet ex symbolo Athanasino, in quo dicitur: *Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ: nam sicut anima rationalis & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.* Ex quibus verbis apparet, per illam unionis animæ rationalis cum corpore comparationem aliud nihil intendi, quàm quòd, sicut ex unione animæ cum corpore unus homo fit absque confusione, ita ex unione divinitatis cum humanitate, manentibus illis distinctis inter se, & inconfusis, fit unus Christus; & quòd, sicut unio animæ cum corpore, realis ac substantialis est, ita & realis ac substantialis est unio divinitatis cum humanitate: cum hoc tamen discrimine, quòd ex unione animæ & corporis resultet una natura; ex unione verò divinitatis & humanitatis resultet una persona, habens duas naturas, divinam & humanam.

Obj. 3. Patres, ut Cyprianus, Augustinus, & Cyrillus unionem divinitatis cum humanitate nominant mixtionem. Ergo, &c. *R.* quod jam aliàs observatum est; Patres nomine mixtionis, quando eam ad unionem Verbi cum humanitate conjunctionem exprimendam adhibent, nihil aliud intelligunt, quàm intimam & substantialem unionem, qua duo conjunguntur intimè, salva utriusque integritate.

Nota. Duplex distingui potest mixtio: una, qua duo sic intimè conjunguntur, & permiscentur, ut utrumque integritatem suam amittat; talis est mixtio duorum liquorum: altera verò, qua duo intimè conjunguntur, & quasi permiscentur, ita tamen ut utrumque servet suam integritatem; talis est mixtio duorum entium spiritualium, ut animæ rationalis, & gratiæ sanctificantis; vel duarum substantiarum, quarum una materia est, & altera spiritus, ut mixtio corporis humani & animæ rationalis: de hac autem, non de illa mixtione loquuntur Patres citati, cùm dicunt, Verbum per incarnationem mixtum esse homini, ut

Prob. 1. de sancto Cypriano: nam libro adversus idola, postquam dixit: *Deus cum homine miscetur*, statim subjicit: *Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Deum Patrem.* Quo modo loquendi apertè significat Deum Verbum, & humanitatem à Deo Verbo assumptam, tam retinere suam integritatem, quam suam retinet vestis, & corpus veste indutum: cum hoc tantùm discrimine, quòd corpus & vestis per solam juxtà positionem conjungantur, Verbum verò, & humanitas assumpta conjungantur, & quasi permisceantur per intimam & substantialem unionem, ex qua resultat unus Christus, ac mediator Dei & hominum, qui est una persona subsistens in duabus naturis; vel, si vis, vi cujus Deus est homo vere, & homo vere Deus. Unde sic statim prosequitur sanctus Martyr: *Quod homo est, esse Christus voluit.*

2. De sancto Augustino ex epistola 2. ad Volusianum; in ea enim sic loquitur: *In hac persona* (Christi) *mistura est Dei & hominis, si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, quà solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam.* Quibus verbis apertè significat, in incarnatione Verbum mistum esse homini, salva utriusque integritate, quod adhuc amplius declaratur ex eo, quod subjicit: *Ergo persona hominis mistura est animæ & corporis; persona autem Christi mistura est Dei & hominis:* sic enim loquendo, tam à mistione verbi cum homine, quàm à mistione corporis cum anima, confusionem excludi: nam sicut intelligit, personam hominis misturam esse animæ & corporis, utroque manente inconfuso; ita intelligit, personam Christi misturam esse Dei & hominis, utroque inconfuso manente; atque perinde est, ac si diceret: Sicut ex corpore & anima, sine confusione mistis, & integritatem suam servantibus, resultat persona hominis, seu persona, quæ est homo: ita ex Deo & homine, mistis absque confusione, & suam servantibus integritatem, resultat persona Christi, seu persona, quæ est Deus homo.

3. De S. Cyrillo, ex ejus ad Joannem Antiochenum epistola, quæ incipit, *Lætentur cœli*, & in qua expresse ac disertè à mysterio incarnationis removet eam mixtionem, qua duo ita confunduntur, ut utrumque, vel saltem alterutrum, suam integritatem amittat. *Tua verò sanctitas*, inquit, *illorum ora comprimere dignetur, qui concretionem, vel confusionem, vel commixtionem Verbi Dei cum carne factam esse dicunt: verisimile namque est nonnullos esse, qui ista quoque de me in vulgus jactent, quasi talia senserim, aut dixerim. Atqui tantùm abest, ut eos etiam insanire existimem, qui vel aliquam conversionis adumbrationem in divinam Verbi naturam cadere posse suspicantur: manet enim illa, quod est, semper, &c.*

Obj. 4. S. Damascenus in sua dialectica cap. ultimo, docet expresse, ex duabus naturis, divina & humana, in Christo factam esse unam naturam compositam: Sic enim habet loco laudato; *Illud scire attinet, hypostaticam unionem unam rerum conjunctarum naturam efficere.* Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad probationem R.* Billium, cujus versio nobis objicitur, malè vertisse naturam pro hypostasi, textus enim græcus habet μίαν ὑπόστασιν, non μίαν Φύσιν. Præterea, eodem capite negat idem Damascenus, ex duabus naturis unam tertiam compositam effici posse: sic enim inferius loquitur: *Illud autem intelligendum est, naturas quidem inter se per hypostasim uniri posse, ut in homine, & item naturam ab hypostasi assumi, & in ipsa subsistere posse: quæ quidem ambo in Christo intueri licet, nam in eo naturæ, divina nimirùm & humana, copulatæ sunt; atque in Dei Verbi hypostasi, quæ prius erat, animata ipsius caro subsistit, eamque hypostasim habuit. At verò ut ex duabus naturis, natura una composita, aut ex duabus hypostasibus una hypostasis efficiatur, omninò fieri nequit. Propterea quòd contrariæ substantiales differentiæ in una eademque natura simul esse non possunt: siquidem earum munus est, naturas eas, quibus insunt, inter se dirimere, &c.* Vide eundem lib. de natura composita, in quo contra Acephalos accuratè probat, in Christo non esse naturam ex divinitate & humanitate compositam.

Obj. 5. S. Cyrillus negat duas naturas post unionem, ut probatur ex libro ad Reginas misso, ubi Athanasium laudans sic ait: *Cognoscimus illum Dei Filium & Deum esse secundùm spiritum, filium autem hominis secundùm carnem: non duas naturas ... sed unam naturam divini Verbi incarnatam.* Ergo, &c. *R.* neg. ant. cujus falsitas ex innumeris sancti Cyrilli locis ostendi potest; pro quibus omnibus, unus aut alter hic nobis sufficiet. In epistola ad Nestorium scripta, quæ incipit, *Intelligo quosdam*, in Concilio Ephesino lecta, & ab omnibus Concilii Patribus suscepta, sic loquitur: *Asserimus Verbum unita sibi secundùm hypostasim carne, animata rationali anima, inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum ... & quamvis naturæ sint diversæ, veratamen unione coeuntes, unum nobis Christum & Filium effecerunt: non quòd naturarum differentia propter unionem sublata sit; verùm quòd divinitas & humanitas*

secre-

secreta quadam ineffabilique conjunctione in una persona unum nobis Jesum Christum & Filium constituerint. Juxta sanctum Doctorem igitur, in Christo post unionem naturæ manent diversæ, & divinitas ac humanitas, quamvis vera unione coeuntes, non unam tertiam naturam, sed unum Christum, & unum Filium, qui simul Deus & homo est, constituerunt.

In epistola ad Joannem Antiochenum scripta, quæ incipit, *Lætentur cœli*, sanctus Cyrillus relata confessione Episcoporum Orientalium, in qua expresse admittunt duas naturas post unionem; in ea enim sic loquuntur: *Duarum naturarum facta est unio, & propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur, Secundum hunc inconfusæ unitatis intellectum sanctam Virginem Deiparam esse confitemur, &c.* Hac, inquam, Orientalium confessione relata, Cyrillus sic continuò prosequitur: *Cum has ergo sacras vestras voces legissemus, & nos ipsos quoque non aliter sentire animadvertissemus, ... glorificavimus omnium Salvatorem Deum, &c.* Duas igitur in Christo naturas, easque substantialiter & secundùm hypostasim unitas, cum Orientalibus Episcopis agnoscebat Cyrillus, quod confirmatur ex eo, quòd inferius hæc subjicit: *Unus est Dominus Jesus Christus, quamvis naturarum differentia non ignoretur, è quibus inexplicabilem illam unionem factam fuisse dicimus.*

Porrò quia non deerant, qui præfatam Orientalium confessionem, ipsumque Cyrillum ejus laudatorem, eò quòd in illa Orientales duas naturas nominarent, & ita sentirent cum Nestorio, qui duas quoque naturas dicebat, ut refert Cyrillus ipse in commonitorio ad Eulogium presbyterum, ibidem respondet, non omnia quæ dicunt hæretici, statim rejicienda esse, & Nestorium non errare, duas naturas dicendo, sed earum substantialem & hypostaticam unionem negando. *Verum*, inquit, *qui hoc nomine nos accusant, respondendum est, non omnia, quæ hæretici dicunt, statim fugienda ac repudianda esse: multa enim confitentur ex iis, quæ nos quoque asserimus .. licèt duas naturas esse dicat* (Nestorius) *carnis & Verbi Dei differentiam significans* (in quo rectè sentit) *est enim alia Verbi, alia carnis natura; attamen* (in quo malè sentit) *unionem unà nobiscum non confitetur* (à quo errore longè absumus) *nos enim illas adunantes, unum Christum, unum eundemque Filium, unum Dominum confitemur, &c.* Duas itaque naturas dicebat Cyrillus cum Nestorio; sed eas, contra eundem Nestorium, secundùm hypostasim unitas, adeoque unum Christum, unum eundem Filium, unum Dominum efficientes confitebatur.

Ad probationem *R. S.* Cyrillum loco laudato non dicere, unam naturam Verbi incarnati: sed, quod longè aliud est, unam naturam Verbi incarnatam. Dicendo absolutè & simpliciter unam naturam Verbi incarnati, unicam in Christo naturam assereret: at dicendo unam naturam Verbi incarnatam, non aliud intendit significare, & significat, quàm naturam divinam & humanam in Verbo unitas esse substantialiter, & secundùm hypostasim, atque per unionem illam eas coivisse in unam personam, unum Christum, unum Filium, unum Dominum, ut ipse disertis verbis asserit in suo ad Eulogium commonitorio proximè citato, ubi ait de Nestorio loquens: *Licèt duas naturas esse dicat, carnis & Verbi Dei differentiam significans .. attamen unionem unà nobiscum non confitetur: nos enim illas adunantes, unum Christum, unum eumdem Filium, unum Dominum confitemur, & unam propterea Dei naturam incarnatam dicimus.* Quare quinta Synodus generalis canone 8. rectè mentem Cyrilli interpretatur, cùm ait, Cyrillum, dicendo unam Dei Verbi naturam incarnatam, non aliud voluisse, quàm *quod ex divina natura & humana, unitione secundùm subsistentiam facta, unus Christus effectus est*. Sed

Ad plenam loci, qui nobis objicitur, intelligentiam, *Nota*. Nestorius dicebat hominem assumptum cum Deo Verbo adorandum esse, sed tamquam alterum cum altero, ac proinde duplici adoratione, una scilicet, quæ ad Dei Verbum, altera verò, quæ ad purum hominem assumptum terminaretur, quarumque prima esset adoratio latriæ, altera verò non. Blasphemam hanc Nestorii doctrinam damnavit Cyrillus in Alexandrina sua Synodo canone 8. quo dicitur: *Si quis hominem assumptum unà cum ipso Dei Verbo adorandum, unà cum illo glorificandum, unà cum illo tamquam alterum in altero existentem Deum appellandum esse dicere ausus fuerit, (hunc enim intellectum particula cum adjecta, perpetuo & necessario afferre consuevit) & non una potius adoratione Emmanuelem honorat; unamque illi glorificationem attribuit, quatenùs Verbum factum est caro; anathema sit.*

Porrò in loco illo, qui nobis objicitur, non aliud intendit Cyrillus, quàm quod in præfato canone: *Agnoscimus*, inquit cum Athanasio in lib. de incarnatione Verbi, *illum Dei Filium Deum esse secundùm spiritum; filium autem hominis secundùm carnem: non duas naturas* (scilicet non substantialiter, sed accidentaliter tantùm unitas) *unam* (divinam) *adorandam* (adoratione latriæ) *alteram non adorandam* (eadem illa adoratione) *sed unam naturam divini Verbi incarnatam, quæ simul cum ejus carne una adoratione* (latriæ) *adoratur: neque duos rursum filios, alterum verum adorandumque* (latria) *nempe Filium Dei; alterum ex Maria hominem* (purum, adeoque) *non adorandum* (latria,) *sed per gratiam, perinde ac cæteri homines in filium cooptatum, &c.* (proindeque non nisi inferiori adoratione, quæ dulia dicitur adorandum.)

Quid igitur hìc volunt Athanasius & Cyrillus? In Christo non esse alterum & alterum, sed unum; non esse duos filios, unum Dei, & alterum hominis, sed unum, qui simul est Filius Dei & hominis; adeoque in Christo non esse duos, simul quidem adorandos, sed adoratione diversa, quorum scilicet unus, nempe Filius Dei, suprema, alter verò, nempe filius hominis, inferiori adoratione adorandus sit; sed unum tantùm, unica, nempe suprema adoratione adorandum, utpote Emmanuelem, seu Deum simul & hominem.

Breviter, hìc Athanasius & Cyrillus agnoscunt, non duas naturas, sed unam naturam divini Verbi incarnatam, hoc est, Christum non esse duas naturas discretas, & in recto, sed unam naturam Verbi divini humanæ conjunctam hypostaticè, proindeque unam in recto, nempe divinam, & alteram in obliquo, nempe humanam, atque adeò Christum non esse duos, sed unum, nempe Verbum cum sua divina natura habens humanam, quacum una suprema adoratione adorandum est.

ARTICULUS VI.

Utrùm Verbum ita corpus humanum, & animam rationalem assumpserit, ut divinitas, corpus, & anima in unam personam coaluerint.

Responsio.

VErbum sic corpus humanum, & animam rationalem assumpsit, ut divinitas, corpus, & anima in unam & eamdem personam coaluerint, hoc est, ut post assumptionem, una & eadem persona in duabus naturis, divina & humana, subsistat, atque ita una & eadem persona simul sit Deus & homo.

Est contra Theodorum Mopsuestenum, & Nestorium, & *prob.* 1. auctoritate Scripturæ. Joannis cap. 1. dicitur: *Verbum caro factum est*. Ergo vel Verbum desiit esse Deus, quod dici non potest, nec dicunt Theodorus, & Nestorius; vel Verbum simul est Deus & homo, adeoque una & eadem persona simul est Deus & homo. Ad Philippenses cap. 2. sic loquitur Apostolus: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; in simili-*

militudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens, &c. Ergo ex Apostolo, Deus Verbum in aliquo vero sensu semetipsum exinanivit, uniendo se naturæ humanæ. At in nullo sensu semetipsum exinanire potuit, uniendo se naturæ humanæ unione accidentali & morali, quæ est secundùm inhabitationem, affectum voluntatis, & dignitatis communicationem, quo modo Verbum naturæ humanæ unitum esse, Theodorus & Nestorius volunt. Ergo Verbum univit se naturæ humanæ unione substantiali, vel, ut Patres loquuntur, secundùm hypostasim, & unione physica; ita ut per hanc unionem, Verbum verè factum sit homo, & ex hac unione resultarit una persona in duabus naturis, divina & humana, subsistens, unus Dominus, unus qui simul est Deus & homo, unus qui simul est Dei & hominis Filius, unus Christus.

Argumentum hoc suggerit sanctus Thomas opusculo secundo cap. 203. ubi sic contra Nestorium ex verbis Apostoli laudatis argumentatur: *Hanc unionem Dei & hominis Apostolus exinanitionem nominat, dicens Philipp. 2. de Filio Dei, qui cùm in forma Dei esset . . . Non est autem exinanitio Dei, quod creaturam rationalem inhabitet per gratiam: alioquin & Pater, & Spiritus exinanirentur, quia & ipsi creaturam rationalem per gratiam inhabitant, dicente Domino de se, & de Patre, Joan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et Apostolus de Spiritu sancto, 1. Corinth. 3. *Spiritus Dei habitat in vobis.*

Legitur Joan. cap. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et cap. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Ex quibus locis sic argumentor cum S. Thoma, opusculo 2. cap. 203. In his locis persona loquentis attribuit sibi, quæ Dei sunt, nempe divinitatem cum æternitate: nam vox, *Ego*, personam loquentis demonstrat. Persona autem loquentis his in locis est persona Christi, his enim in locis Christus loquitur. Ergo persona Christi Deus est. Sed persona Christi est Christus ipse. Ergo persona Christi simul est Deus & homo, cùm Christus sit homo.

1. Joan. c. 5. dicitur: *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?* Et Matth. cap. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et Joan. c. 9. *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille & dixit: Quis est Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine, & procidens adoravit eum.* In penultimo textu Petrus Christo quærenti, quem eum esse dicat, ipse cum aliis discipulis respondet, eum esse Filium Dei; quam responsionem non modò non improbat Christus, sed è contra mirificè extollit, dicendo: *Beatus es Simon, &c.* illique præmium promittit primatum Ecclesiæ dicendo: *Tu es Petrus, &c.* In ultimo verò textu cæco illuminato apertè declarat, se esse Filium Dei, seque ab eo ut Filium Dei adorari patitur. Ex quibus sic jam argumentor. Si Christus est Deus, una est persona Dei & hominis. Verum prius. Ergo, &c. Sequelam majoris non negat Nestorius, & est per se manifesta. Nam si in Christo alia est persona Dei, & alia persona hominis, Christus non est Deus, sed purus homo. Minor verò patet ex locis Scripturæ laudatis.

Prob. 2. Ex symbolis: nam de Filio Dei dicitur in symbolo Apostolico: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus, &c.* Et in Nicæno: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus: passus est, & resurrexit, &c.* Et in Constantinopolitano: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, &c.* Quæ omnia apertè falsa sunt, si Verbi cum natura humana unio substantialis non est adeòque si persona Verbi diversa & distincta est à persona hominis ex virgine nati: in hac enim hypothesi omnia illa, quæ in laudatis symbolis dicuntur, soli personæ hominis ex Virgine nati convenient, nullatenùs verò personæ Verbi. Ita ex symbolo Apostolico S. Thomas cap. proximè citato ratiocinatur: *Non enim*, inquit *ea quæ sunt hominis, de Filio Dei prædicarentur, nisi eadem esset persona Filii Dei & hominis, quia quæ uni personæ conveniunt, non ex hoc ipso de alteræ prædicantur: sicut quæ conveniunt Paulo, non ex hoc ipso prædicantur de Petro.* Apertè igitur ex laudatis symbolis colligitur, unam & eandem in Christo personam esse Dei & hominis; quod ampliùs demonstratur ex symbolo Athanasiano, in quo hæc leguntur: *Est ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est . . . perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens . . . . qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus . . . unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Prob. 3. Auctoritate Patrum qui ante quartum sæculum scripserunt, & disertis verbis asseruerunt Christum esse Filium Dei, seu Deum Verbum. Primus occurrit Justinus Martyr in apologia 2. ubi ait: *Jesus Christus, unus & solus propriè Filius Deo genitus, qui nimirùm ratio & verbum ejus, & primogenitus, virtus est.*

Justinum sequuntur Irenæus, qui, lib. 3. udversus hæreses ubi cap. 17. hunc præfixit titulum: *Ostensio quoniam unus & idem & ipse Deus Christus Verbum sit Dei.* Clemens Alexandrinus in admonitione ad gentes: *Verbum quidem*, inquit, *ab alto petita origine, divinum universorum principium & fuit, & est: quia autem nunc nomen accepit olim sanctificatum, potestate dignum Christus, novum mihi vocatum est canticum. Hinc ergo verbum Christus . . . nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo Deus & homo.* Dionysius Alexandrinus in epistola adversus Paulum Samosatenum: *Christus*, inquit, *non solo nomine, sed veritate est Christus Jesus, qui est ante sæcula Verbum, & ipse factus est homo, ex Maria incarnatus.* Tertullianus in libro de præscriptionibus cap. 13. *Regula est autem fidei*, inquit, *ut* (credamus Verbum Dei Patris Filium) *delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum hominem, & esse Jesum Christum.* Et Cyprianus in libro adversus idola. *Sermo*, inquit, *& Filius Dei mittitur . . . . hic in Virginem illabitur, carne Spiritu sancto cooperante induitur . . . hic Deus noster, hic Christus est.*

Prob. 4. Ex Patribus, qui post sæculum tertium, & ante exortam Nestorianam hæresim scripserunt. Pro quibus omnibus hic erunt Athanasius in epist. ad Epictetum, ubi ait: *Quomodo christiani hominis appellationem usurpare non verentur, qui Verbum in hominem factum perinde atque in aliquem Prophetarum, descendisse asserunt, & non ipsum, sumpto ex Maria corpore, hominem factum; sed alium Christum, alium rursum esse Dei Verbum, quod ante Mariam, & sæcula erat Filius Patris?*

Gregorius Nazianzenus in epist. 1. ad Cledonium: *Si quis*, inquit, *duos introducit filios, unum quidem ex Deo & Patre, alterum verò ex Maria, non autem unum atque eundem; is quoque ab ea adoptione excidat, quæ rectam fidem servantibus promissa est. Duæ namque naturæ sunt; Deus & homo . . non tamen duo sunt filii.* Superiùs dixerat: *Neque enim hominem à divinitate separamus? sed utrumque unum eundemque esse profitemur: primò quidem non hominem, sed Deum & Filium unicum, ac sæculis omnibus antiquiorem . . . in fine autem etiam hominem propter salutem nostram assumptum, &c.*

Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. *Unus*, inquit, *in utraque* (divinitate & carne) *loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est . . . quasi Deus loquitur, quæ sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dixit, quæ sunt humana, quia in mea substantia* (sibi substantialiter unita) *loquebatur.* Hieronymus in epist. ad Hedibiam, q. 9. ubi sic loquitur: *Hæc dicimus,*

timus, non quòd alium Deum, alium hominem esse credamus, & duas personas faciamus in uno Filio Dei, sicut nova hæresis calumniatur: sed unus atque idem Filius Dei, & filius hominis est.

Et Augustinus in enchiridio cap. 35. *Christus Jesus*, inquit, *Dei Filius est, & Deus & homo est: Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo; Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & caro: quocirca in quantùm Deus est, ipse & Pater unum sunt; in quantùm autem homo, Pater major est illo: cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius: idemque ipse utrumque, ex utroque unus Christus .... unus Dei Filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei Filius: non duo Filii Dei, Deus & homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo à certo initio, Dominus noster Jesus Christus.*

Prob. 5. ex Patribus, qui post exortam Nestorianam hæresim scripserunt: pro quibus omnibus hic erunt Cyrillus in epistola synodica ad Nestorium scripta, cui duodecim anathematismi subjecti sunt, & in quorum primo anathematizatur is, qui *non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam.* In secundo, qui *non confitetur Dei Patris Verbum carni secundùm hypostasim unitum, & unum unà cum sua carne esse Christum, eumdem nimirum Deum simul & hominem.* Et in tertio, qui *in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque duntaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundùm dignitatem, hoc est, auctoritatem, vel potestatem, & non ea potius, quæ est secundùm naturalem unionem.*

Leo Magnus sermone 7. in nativitate Domini. *In utraque ergo natura*, inquit, *idem est Dei Filius, nostra suscipiens, & propria non amittens .... Quod Verbum caro factum est, non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quòd à Verbo in unitatem personæ sit caro susceptа.* Et in 1. sermone sic loquitur: *Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, & in unam coeunte personam, suscipitur à Majestate humilitas ... Deusque verus & homo verus in unitatem Domini temperatur, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei hominumque mediator, & mori posset ex uno, & resurgere posset ex altero.*

Fulgentius in libro de fide ad Petrum diaconum cap. 17. *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, Deum Verbum carnem factum, unam habere divinitatis suæ, carnisque personam: Deus enim verbum plenam naturam humanam ita sibi veraciter unire dignatus est, & permanente divinitate sua, ita Verbum caro factum est, ut quamvis naturaliter non hoc sit verbum, quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo, secundùm unam tamen personam idem verbum caro ab ipso fieret maternæ conceptionis initio. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam; & in æternam personam divinitatis, accepit temporalem substantiam carnis.*

Gregorius Magnus in epist. ad Quirinum Episcopum, in qua hæc habet: *Ad sanctam Ecclesiam catholicam venientes* (Nestoriani *de veræ fidei firmitate & confessione docendi sunt, ut unum eumdemque Dei & hominis Filium, Deum Dominum nostrum Jesum Christum credant, ipsum existentem in divinitate ante sæcula, & ipsum factum hominem in fine sæculorum, quia Verbum caro factum est ... non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat .... Una itaque persona est Verbum & caro .... Si juxta errorem Nestorii, alius verbum, atque alius esset, homo Jesus Christus, qui verus est homo, utique verus Deus non esset, & vita æterna; sed unigenitus Filius Verbum ante sæcula, factus est homo: hic est ergo verus Deus & vita æterna, &c.*

Et Damascenus in libro de natura composita contra Acephalos, ubi ait: *Pietatis finibus nos ipsos continentes, unam ex divinitate atque humanitate compositam personam dicimus: nam ipsa, ævo omni antiquior, Dei Verbi hypostasis, cum in sanctæ ac perpetuæ Virginis utero habitasset, in ipso carnem animatam, ac ratione utentem condidit, carnique animatæ ac ratione præditæ hypostasis extitit; factusque est ex perfecta divinitate ac perfecta humanitate unus Christus, unus Filius Dei & hominis, unus Dominus, idem Deus perfectus, & homo perfectus, &c.*

Prob. 6. ex Synodis particularibus, quarta Romana sub Damaso, dicente anathematismo 15. *Si quis non dixerit, excruciatum carne Dei Filium, & carne mortem gustasse ... anathema sit.* Et 16. *Si quis non dixerit, quod in carne, quam assumpsit, sedet ad dexteram Patris, in qua venturus est judicare vivos & mortuos, anathema sit.* In quibus anathematismis apertè supponitur, Filium Dei esse suppositum carnis in Christo, adeoque in Christo unicum esse suppositum. An. 373.

Toletana I. in regula fidei, in qua sic ait: *Hunc igitur Filium Dei, Deum natum à Patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterum Mariæ Virginis, atque ex ea verum hominem, sine virili generatum semine, suscepisse, duabus duntaxat naturis, id est, deitatis & carnis, in unam convenientibus omnino personam, id est, Dominum nostrum Jesum Christum, &c. confitemur.* An. 400.

Toletana IV. can. 1. in quo hæc leguntur: *Incarnatus est* (Filius Dei) *ex Spiritu sancto, & sancta gloriosa Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipsa ... anima & carne perfectum, sine peccato, suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat .... habens in una persona duarum naturarum proprietatem; naturæ enim in illo duæ, Deus & homo, non autem duo filii & Dei duo, sed idem una persona in utraque natura.* An. 633.

Lateranensi sub Martino primo, actione 5. pluribus canonibus, in 6. sic habetur: *Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur, propriè & secundùm veritatem ex duabus & in duabus naturis, substantialiter unitis, inconfusè & indivisè unum eundemque esse Dominum & Deum Jesum Christum, condemnatus sit.* An. 649.

Forojulensi in symbolo fidei, in quo dicitur: *Incarnatus est de Spiritu sancto, & ex semper Virgine Maria verus homo factus est, verusque permanet Deus .... in una Christi Jesu persona verus Dei, verusque hominis filius. Non alter hominis filius, & alter Dei: sed unus idemque Dei hominisque Filius in utraque natura, divina scilicet & humana.* Quæ verba Synodus Arelatensis VI. an. 813. celebrata, transcribit can. 1. An. 791.

Prob. 7. auctoritate Conciliorum generalium, Nicæni I. & Constantinopolitani I. in symbolis jam allegatis. Ephesini, in quo Nestorii epistola, quæ incipit, *Admirabilium litterarum*, & in qua sacram Virginem, non Deiparam, sed Christiparam appellandam esse decernebat, negabatque Deum Verbum in ejus utero, & ex ejus substantia hominem factum, ut heterodoxa ab Episcopis omnibus anathematizata est, ipseque, in hæresi obstinatus, Episcopali dignitate privatus est, & ab universo sacerdotum consortio & cœtu alienatus.

Chalcedonensis actione 5. in definitione fidei, ubi hæc leguntur: *Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum Christum, consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum ... ante sæcula quidem de Patre genitum secundùm deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem ... nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum eumdemque Filium, & unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum.*

Con-

Constantinopolitani II. collatione 8. can. 2. in quo anathematizatur, qui *non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante sæcula ex Patre, alteram verò in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui ... incarnatus de sancta gloriosa Dei genitrice & semper Virgine Maria, natus est ex ipsa.* Et can. 3. in quo anathematizatur, qui dicit, *alium esse Deum verum, qui miracula fecit, & alium Christum qui passus est; vel Deum Verbum cum Christo esse nascentem de muliere; vel in ipso esse ut alterum in altero, & non unum eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Verbum incarnatum, & hominem factum, &c.* Et can. 5. anathematizatur, qui *unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi sic intelligit, tanquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas; & duarum personarum, quas intrò producit, unam personam dicit secundùm dignitatem & honorem, & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius insanienter conscripserunt.*

Constantinopolitani III. actione 18. & ultima, in fidei expositione usurpantis verba Chalcedonensis supra laudata. Nicæni II. actione 7. in definitione, in qua sic ait: *Confitemur autem & Dominam nostram sanctam Mariam propriè ac veraciter Dei genitricem: quoniam peperit carne unum ex sancta Trinitate, Christum Deum nostrum, secundùm quod & Ephesinum prius dogmatizavit Concilium, quod impium Nestorium, cum collegis suis, tanquam personalem dualitatem introducentem, ab Ecclesia pepulit.* Et Lateranensis IV. sub Innocentio III. verbis jam aliàs relatis ex capite *Firmiter*.

Obj. 1. Philippensium cap. 2. de Christo dicitur: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et Colossensium cap. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ergo, &c. *R. ad* 1. hujus loci sensum esse, quòd Filius Dei hominibus factus sit similis substantialiter, uniendo scilicet sibi substantialiter humanam naturam, atque secundùm exteriorem figuram talem visum esse, quales sunt puri homines. *R. ad* 2. sensum esse, quòd in Christo secundùm humanitatem spectato, omnis plenitudo divinitatis realiter ac substantialiter habitet, per unionem scilicet substantialem divinitatis cum ipsa humanitate, in Verbi persona. Utriusque responsionis bonitas patet ex eo, quòd Apostolus, Christum Deum esse, disertè asserat, Romanorum, cap. 9. & alibi.

Obj. 2. Patres passim asserunt, Verbum assumpsisse hominem. Sanctus Basilius in Psalmum 59. vocat Christum Deiferum. Et Damascenus humanitatem Christi appellat instrumentum divinitatis. *R. ad* 1. Patres sic loquendo, concretum pro abstracto accipere, & hominem pro humanitate. *R. ad* 2. Basilium, non Christum, sed Christi carnem vocare Deiferam. *R. ad* 3. Damascenus humanitatem Christi vocat divinitatis instrumentum, non separatum, sicut securis est instrumentum fabri, sed conjunctum, & quidem substantiali conjunctione, atque ad personæ unitatem pertinente: sicut corpus est instrumentum animæ, cui substantialiter unitum est, nec suppositi diversitatem inducit.

Obj. 3. Humanitas Christi est substantia prima, singularis, individua. Ergo est persona. Ergo in Christo præter personam divinam Verbi, est etiam persona humana. *R.* neg. cons. utramque. Itaque licèt humanitas Christi sit substantia prima, singularis & individua, non est tamen persona: nam primo habetur ab alio principaliori, nempe à Verbo: unde sicut manus, v. g. quamvis sit substantia quædam singularis, non est tamen hypostasis, quia ab alio principaliori habetur, nempe ab homine: ita humanitas Christi, &c. Hanc responsionem suggerit S. Thomas opusculo 3. cap. 6. ubi sic objectionem proponit: *Si quis objiciat, quòd humana natura etiam in Christo non sit accidens, sed substantia quædam, non autem universalis, sed particularis, quæ hypostasis dicitur; videtur consequi, quòd ipsa humana natura in Christo hypostasis quædam sit, præter hypostasim Dei Verbi, & sic in Christo erunt duæ hypostases.*

Ad hanc autem objectionem sic respondet S. Doctor: *Considerare debet, qui sic objicit, quòd non omnis substantia particularis, hypostasis dicitur, sed solùm illa, quæ ab aliquo principaliori non habetur: manus enim hominis substantia est quædam particularis, non tamen potest dici hypostasis, nec persona, quia habetur à principaliori, quod est homo; alioquin in quovis homine essent tot hypostases, vel personæ, quot membra, vel partes. Humana ergo natura in Christo non est accidens, sed substantia, non universalis, sed particularis, nec tamen hypostasis, dici potest, quia assumitur à principaliori, scilicet à Dei Verbo.*

2. Persona est substantia discreta, per se existens, & seorsim posita: at humanitas talis non est; siquidem subsistit in Verbo, à quo habetur per intimam & substantialem unionem: sicut manus existit in homine, & ab illo per unionem substantialem habetur: tam enim, imò magis humanitas Christi Verbo, seclusis imperfectionibus, conjuncta est, quàm manus homini; & tam, imò multò magis humanitas Christi est sua natura Verbi, quàm manus est sua manus hominis: nam unio humanitatis Christi cum Verbo longè major est ac præstantior, quàm unio manus cum homine.

3. Persona est substantia per se tota, integra & completa: at humanitas Christi non est talis; cum ulteriùs compleatur & perficiatur substantialiter à Verbo, cui est unita, & quod est ejus persona: eo ipso enim quòd Verbum est persona naturæ humanæ, est quoddam ejus complementum substantiale, & quædam ejus perfectio substantialis, seclusa tamen omni imperfectione, se tenente ex parte Verbi.

4. Denique confirmatur responsio nostra. Illud non est persona, quod se habet ad modum partis, & ejus imperfectiones habet; nam manifestum est, illud non esse substantiam per se totam & integram. Atqui humanitas Christi se habet ad modum partis, & ejus imperfectiones habet. Ergo, &c. *Prob.* min. Nam 1. humanitas Christi perficitur substantialiter per Verbum, in quo existit, ut modò probatum est. 2. Habet se ad Verbum, ut id quod habetur, ad id, quod habet; nam ut ait sanctus Thomas, principalioris est habere, & Verbum est id, quod est principalius in homine Deo. 3. Non est sua sed alterius, sed non est sui juris, sed Verbi: natura enim sua non est, sed personæ cujus est natura: humanitas autem Christi est natura personæ Verbi. 4. Non est propriè id quod est, sed id, quo Verbum est homo: natura enim non est propriè id, quod est, sed id, quo persona est in tali specie. 5. Propriè loquendo non ejus est agere, sed Verbi per eam: nam propriè loquendo, non est naturæ agere, sed personæ per naturam: unde illud, Actiones sunt suppositorum. 6. Denique totum quod est, Verbi est, non sui: nam totum quod est natura, non ipsius naturæ, sed personæ est cujus est natura: persona enim habet, & natura habetur. Ergo, &c.

Dices. Humanitas Christi est completa in ratione naturæ. Ergo est substantia per se tota & integra. *R.* neg. cons. Aliud enim est, aliquid esse completum in ratione naturæ, & aliud, esse substantiam totam & integram per se: nam potest aliquid esse natura completa, & simul esse pars, vel saltem ad modum partis se habere: quod autem est pars, aut habet se ad modum partis, non est substantia tota & integra, ut patet ex terminis.

Dices iterùm. Si humanitas Christi non est substantia tota & integra, caret aliqua perfectione naturali, adeòque Verbum incarnatum non est perfectus homo, quod fidei repugnat. Ergo, &c. *R.* dist. 1. cons. Caret aliqua perfectione naturali, pertinente ad naturam humanam, N. Pertinente ad humanam hypostasim, C. Unde ad 2. cons. *R.* neg. Ut enim Verbum incarnatum, sit perfectus homo, sufficit quòd humanitas Christi habeat perfectiones omnes naturales, quæ ad naturam humanam pertinent.

At inquies. Concilia & Patres docent Verbum assumpsisse perfectiones omnes naturales hominis, excepto peccato. *R.* Concilia & Patres loqui de perfectionibus, ad naturam humanam pertinentibus, non verò de pertinentibus ad humanam hypostasim: alioquin dicendum esset à Verbo non solùm naturam humanam, sed etiam humanam personam assumptam fuisse, atque ita in Christo duas esse personas, quod Conciliis & Patribus repugnat, & est orthodoxæ fidei contrarium.

At inquies. Si humanitas Christi caret aliqua perfectione naturali, etiam pertinente tantùm ad hypostasim humanam, est in statu violento. *R.* neg. Nam multò melius est humanitati Christi, esse naturam personæ divinæ, quàm habere propriam personalitatem; & in Verbo subsistere, quàm subsistere in se, nec sui juris esse, sed Verbi. Nam ut rectè ait S. Bonaventura in 3. dist. 5. art. 2. qu. 2. *Natura assumpta in Christo, eo ipso est nobilior, quòd in nobiliori persona stabilitur, quia non in persona creata, sed in persona increata: unde ordinatio ad dignius, quamvis auferat rationem suppositionis, tamen non aufert dignitatis proprietatem. Melius enim est subesse superiori, quàm præesse alicui inferiori: sicut perfectior est anima, cùm possidetur à Deo, quàm cùm possidet res creatas: & melius nubitur Virgo nobilis, cùm contrahit matrimonium cum Rege, cui subsit, quàm cùm contrahit cum rustico, cui præsit.*

DISPUTATIO III.

De Unione hypostatica.

ARTICULUS I.

Quid sit unio hypostatica.

UNionem hanc explicari non posse, docet S. Thomas opusculo 3. cap. 6. *Quia*, inquit, *secundùm quantitatem virtutis, quam Deus exercet in creaturam, magis & minus dicitur creatura uniri, patet quòd cum efficacia divinæ virtutis humano intellectu comprehendi non possit, sublimiori modo Deus potest creaturæ uniri, quam intellectus humanus capere possit. Quodam ergo incomprehensibili & ineffabili modo dicimus Deum unitum esse humanæ naturæ in Christo, non solùm per inhabitationem, sicut in aliis Sanctis, sed quodam modo singulari, ita quòd humana natura esset quædam Filii Dei natura, ut Filius Dei, qui ab æterno habet naturam divinam à Patre, ex tempore per assumptionem mirabilem habeat humanam naturam ex genere nostro.*

Hanc tamen hypostaticam unionem explicare aggreditur lib. 4. contra gentiles cap. 41. ubi inter alia hæc habet: *Nihil igitur prohibet, secundum hunc modum ponere unionem humanæ naturæ ad Verbum: quòd humana natura sit quasi Verbi instrumentum, non separatum, sed conjunctum*. Sed hæc non sufficiunt: nam humanitas quidem Verbo unita esse intelligitur, hoc ipso quòd intelligitur esse instrumentum illius, non separatum, sed conjunctum: at ulteriùs supereſt explicandum id, quo formaliter humanitas Verbo conjungitur, & quod est ipsa unio hypostatica.

Eandem itaque explicationem paulò aliter tentat S. Doctor 3. p. q. 2. a. 7. in O. ubi sic loquitur: *Dicendum quòd unio, de qua loquimur, est relatio quædam, quæ consideratur inter divinam naturam & humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei*. Sed neque hæc explicatio sufficit: nam rectè quidem dicitur, divinitatem & humanitatem in Verbo unitas esse, eo ipso quòd conveniunt in persona Verbi; at non dicit S. Thomas id, quo formaliter conveniunt, & in esse personali Verbi individuæ & indiscretæ sunt, quod tamen est ipsa unio hypostatica.

Alii dicunt unionem hypostaticam nihil aliud esse, quàm ipsam Verbi divinitatem & humanitatem, prout se ipsis formaliter faciunt unam personam compositam. Sed hi primò supponunt falsum, nempe aliquod tertium componi ex divinitate Verbi & humanitate. 2. Confundunt unionem cum unitate, vel, si vis, afferunt unionem absolutam, de qua non agitur, & quæ aliud non est, quàm abstractum metaphysicum totius, ex pluribus constituti; afferunt, inquam, unionem absolutam pro unione relativa, hoc est, pro unione extremorum ad invicem, de qua quæstio est, & quam supponit unio absoluta: prius enim est humanitatem uniri cum divinitate Verbi, & vicissim; quàm humanitatem & divinitatem Verbi, se ipsis componere aliquod tertium substantiale, dato quòd componant.

Docent alii, unionem hypostaticam nihil aliud esse, quàm humanitatem prout terminatur à Verbo, & ipsum Verbum, prout terminat humanitatem. At hi per to humanitatem terminari substantialiter à Verbo, vel intelligunt, humanitatem à Verbo reddi incommunicabilem, vel intelligunt humanitatem à Verbo compleri ultimò substantialiter. Sed utrovis modo intelligant, prius est humanitatem uniri Verbo, quàm ab eo terminari: Verbum enim non potest reddere humanitatem incommunicabilem, aut eam ulteriùs complere substantialiter, quin priùs uniatur illi.

Alii volunt unionem hypostaticam esse modum quemdam substantialem, à Verbo & humanitate realiter distinctum, & in humanitate receptum, quo humanitas Verbo unitur formaliter. At hi non unionis hypostaticæ ideam, sed verba tantùm dant.

Durandus in lib. 3. dist. 5. quæst. 2. num. 8. significat, unionem hypostaticam esse novum essendi modum naturæ humanæ. Bene quidem: sed quæritur, quis sit ille novus essendi modus? Explicat ipse, sed obscuriùs num. 11. his verbis? *Restat ergo, unionem sic fuisse terminatam ad unum in persona, vel subsistentia, quod tota personalitas, vel subsistentia est à persona & natura divina: humana verò solum inexistit, & quantùm ad hoc degenerat in accidens, licèt sit vera substantia.*

Unus ex omnibus præsentem difficultatem enucleatiùs explicasse videtur Scotus in 3. dist. 1. q. 1. ubi ait 1. Unionem hypostaticam non esse aliquid absolutum, *quia*, inquit, *unio non intelligitur ad se*. 2. Unionem hypostaticam esse relationem aliquam: *Cùm non sit nihil*, inquit, *saltem dicit unio relationem*. 3. Hanc relationem non esse communem utrique extremo, & quæ in utroque sit ejusdem rationis, qualis est similitudo: nam *persona*, inquit, *assumens, nullam habet relationem realem ad naturam creatam*. 4. Itaque hanc unionis hypostaticæ relationem esse relationem disquiparantiæ, realem, existentem in natura assumpta, cui nulla relatio realis correspondet ex parte personæ assumentis, atque ita relationem hanc esse relationem subordinationis, & dependentiæ in natura assumpta ad personam assumentem.

5. Hanc relationem subordinationis & dependentiæ esse rationis alteriùs & diversæ ab omni dependentia & subordinatione causati ad causam, & causati posterioris ad causatum priùs. *Non est autem*, inquit, *ordinis causati ad causam, quia illa est communis ad totam Trinitatem; neque causati posterioris ad causatum prius, quia Verbum non est aliquid causatum, &c.* 6. Hanc relationem subordinationis & dependentiæ, quam natura assumpta ad personam assumentem habet, simillimam esse subordinationi & dependentiæ, quam accidens habet ad subjectum. Pro quo

Distinguit duplicem habitudinem accidentis ad subjectum. Prima est, ut informantis ad informatum; secunda verò ut natura posterioris ad naturam prius, à quo dependet, non tamen ut à causa etiam materiali, nisi quatenùs informat ipsum. Prima, habitudo est dependentiæ subjecti ad accidens, & arguit in subjecto imperfectionem. Secunda verò est

habi-

habitudo dependentiæ accidentis ad subjectum, & nullam dicit imperfectionem in subjecto, sed tantùm dicit in eo rationem naturæ prioris & sustentantis respectu accidentis: unde nihil verat huic secundæ habitudini accidentis ad subjectum, similem esse relationem dependentiæ, quam natura assumpta habet ad naturam assumentem.

Licèt, inquit, *difficile sit videre aliquam dependentiam esse talem* (qualis est humanitatis ad Verbum) *tamen ista potest patere aliqualiter in subjecto & accidente. Accidens enim ad substantiam sive ad subjectum suum duplicem habet habitudinem, scilicet informantis ad informatum, & ista necessario includit imperfectionem in subjecto informato, eo scilicet quòd potentialitatem habet respectu actus secundum quid, scilicet accidentalis; aliam habet, ut posterius naturaliter ad prius, à quo dependet, non ut ab aliqua causa; quia si habet subjectum pro aliqua causa, habet ipsum pro causa materiali, & hoc est, in quantum informat ipsum.*

Si igitur, pergit Scotus, *istæ duæ habitudines accidentis ad subjectum ab invicem distinguantur, altera necessariò est ad subjectum sub ratione imperfectionis in ipso subjecto, scilicet potentialitatis, altera nullam imperfectionem necessariò ponit in eo, sed tantùm prioritatem naturalem, & sustentationem respectu accidentis. Huic simillima est ista habitudo, quæ est dependentia naturæ humanæ ad personam divinam, quæ est extra omnem dependentiam causati ad causam.*

7. Denique addit, terminare hanc relationem subordinationis & dependentiæ, non repugnare personæ divinæ, neque in quantum est persona divina, *Quia*, inquit, *nec compositionem, nec potentialitatem, nec limitationem* importat in terminante: *non enim oportet, nisi quòd terminans istam dependentiam, sit in se aliquid independens, habens entitatem talem, qualis requiritur ad terminandum istam dependentiam*, &c. Neque in quantùm est hæc persona: *Nam*, inquit, *omnis entitas personalis independens potest sufficienter terminare istam dependentiam: talis est entitas propria cujusque personæ* (divinæ) etiam ut distinguitur ab alia. Sententiam Scoti hactenùs expositam proponimus, & confirmamus sequentibus propositionibus.

Propositio I.

Unio hypostatica humanitatis cum Verbo, est aliqua relatio transcendentalis humanitatis ad Verbum.

1. Est relatio, ut præter Scotum docet S. Thomas hìc q. 2. art. 7. in O. & ratio est, quia unio non est ad se, sed ad aliud, & quod unitur, alteri unitur. 2. Est relatio transcendentalis. Ratio est, quia vel est relatio transcendentalis, vel categorica: at non est relatio categorica, nam categorica relatio aliud non est, quàm plura absoluta modo relativo concepta. Præterea, sic argumentor. Relatio categorica resultat ex fundamento. Atqui relationis categoricæ unionis fundamentum aliud esse non potest, quàm ipsa unio; unitum enim non habet relationem categoricam ad illud, quocum unitur, nisi quia cum eo unitur. Ergo relatio categorica, si quam scilicet habet natura assumpta ad personam assumentem, resultat ex unione hypostatica, adeòque non est ipsa unio hypostatica, sed eam supponit, & in ea fundatur.

Propositio II.

Unio hypostatica humanitatis cum Verbo est transcendentalis relatio alicujus dependentiæ, quam humanitas habet ad Verbi personalitatem.

Prob. 1. Nam ut ait S. Thomas opusculo 3. cap. 6. *Tantò alicui naturæ perfectiùs unitur* (Deus) *quantò in eo magis suam virtutem exercet*. Unde sic argumentor. Univit sibi Verbum humanitatem hypostaticè, operando in ea mirabili quodam & ineffabili modo. Ergo humanitas unita est hypostaticè Verbo per mirabilem quandam & ineffabilem dependentiam, quam habet ad Verbum; nam hæc sunt correlativa. Et certè Verbum eatenùs univit sibi hypostaticè humanitatem, speciali quodam modo operando in ea, quatenùs vi talis modi operandi in humanitate, humanitas ad personam Verbi specialem quamdam habet dependentiam, vi cujus est Verbi natura propriè.

2. Verbum univit sibi hypostaticè humanitatem, illam assumendo, ut docent Patres, & cum eis S. Thomas loco proximè citato. Sed hæc assumptio nihil aliud dicit, aut dicere potest ex parte humanitatis, quàm specialissimam aliquam illius ad Verbum dependentiam, vi cujus Verbum est verè ac propriè suppositum illius. Ergo, &c.

Propositio III.

Unio hypostatica humanitatis cum Verbo, quantùm intellectu creato attingi potest, videtur esse constituenda in sustentatione formali humanitatis, seu in ipsa humanitate, ut formaliter sustentata à proprietate relativa Verbi.

Prob. Nam 1. formalis illa sustentatio humanitatis est relatio humanitatis ad Verbum: humanitas enim ut sustentata formaliter à Verbo, si habet ad illud, & ad illud taliter se habet. 2. Est relatio transcendentalis: nam humanitas, ut sustentata formaliter à Verbo, est ad illud taliter, non ut ad terminum purè, sed ut ad formale sustentativum. 3. Est relatio dependentiæ: humanitas enim, ut formaliter sustentata à Verbo, habet ad illud specialem dependentiam. 4. Est relatio dependentiæ, sufficientis ad unionem hypostaticam: nam Verbum univit sibi hypostaticè humanitatem, eam suscipiendo & assumendo, & eam suscepit & assumpsit, suam faciendo: *Non enim*, inquit sanctus Leo in sua ad Flavianum epistola, *superare nos possemus peccati & mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, & suam faveret*. Ergo humanitas eo ipso hypostaticè unitur Verbo, quòd est sua natura Verbi, & sic vicissim Verbum est persona humanitatis. Atqui humanitas eo ipso est verè, propriè, & intrinsecè sua natura Verbi, quòd formaliter sustentatur ab eo: sicut accidens est verè, propriè, & intrinsecè suum subjecti, eo ipso quòd ab eo sustentatur formaliter. Ergo, &c.

Confirm. Quia 1. formalis illa sustentatio nihil supponit in humanitate, quo dici possit uniri formaliter Verbo; sed è contra alia, in quibus ab aliis unio hypostatica constituitur, supponunt illam. 2 Formalis illa sustentatio nec ex parte Dei, nec ex parte humanitatis repugnat: quare enim repugnaret, Deum producere & conservare humanitatem; & humanitatem produci, & conservari, dependenter à Verbo, illam formaliter sustinente? 3. Non etiam repugnat ex parte personalitatis Verbi: quidni enim Verbum posset humanitatem sustentare formaliter per suam proprietatem relativam? Præterea, hoc nullam imperfectionem importat in Verbo. Nec dic humanitatem Verbum informare, si ab eo formaliter sustentatur, sicut accidens subjectum, à quo sustentatur, informat: nam humanitas non perficit Verbum, sicut accidens perficit subjectum.

4. In hac hypothesi facilè intelligitur, quare solum Verbum assumpserit humanitatem, & humanitas hypostaticè unita sit Verbo, non Patri, aut Spiritui sancto. Ratio enim in promptu est, quia humanitas formaliter sustentatur à solo Verbo, & ita solius Verbi ut suppositi sua est. Item facilè intelligitur illud sancti Thomæ hìc qu. 2. art. 7. in O. *Hæc unio* (hypostatica scilicet) *non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantùm; in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est*. Nam eo ipso quòd humanitas à Verbo formaliter sustentatur, est natura Verbi, & vicissim Verbum est persona humanitatis, sicque humanitas realiter refertur ad Verbum, non Verbum ad humanitatem: formalis enim sustentatio est realis relatio humanitatis ad Verbum, cui nihil correspondet ex parte Verbi, quo vicissim Verbum ad humanitatem referatur realiter; unde unio hypostatica tota se tenet ex parte humanitatis.

Item multò meliùs, quàm in qualibet alia senten-

tia, intelligitur, quare humanitas Christi non sit hypostasis, non sit sui juris, sed alterius, nempe Verbi; non sit id quod, sed id quo Verbum agit, non habeat Verbum, sed à Verbo habeatur: in hac enim sententia Scoti, humanitas à Verbo assumpta, est in alio non solùm ut toto, & ut ipsam complente substantialiter, sed etiam ut formaliter sustentante: unde minùs est hypostasis, minùs est sui juris, &c. quàm manus v.gr. pes, aut quælibet alia corporis pars: manus enim, pes, &c. non sunt in alio ut formaliter sustentante. Hinc Durandus loco supra citato non malè ait, naturam humanam in Christo ita inexistere Verbo, ut quantùm ad hoc degeneret in accidens, licèt sit vera substantia, quatenùs scilicet Verbo inexistit modo accidentis proprio, quamvis idcircò non desinat esse substantia.

5. Denique hæc Scoti sententia planè consonat Patribus, asserentibus Verbum humanitatem quam assumpsit, sibi univisse modo ineffabili: sustentatio enim illa formalis, in qua unionem humanitatis cum Verbo constituit Scotus, dicit in Deo mirabilem prorsus & ineffabilem operandi modum circa humanitatem: nam prorsus mirabile & ineffabile est, quòd Deus ita producat, & conservet humanitatem illam, ut verè ac physicè incumbat Verbo, & sic incumbat, ut hoc fulcimento deficiente, in nihilum abiret.

Dices. In hac sententia, unio hypostatica non erit supernaturalis. *R.* neg. Nam est modus essendi, humanitatis vires omnes, omnemque naturæ exigentiam superans: naturaliter enim impossibile est, & naturæ planè indebitum, quòd substantia aliqua sic producatur, & conservetur, ut verè ac physicè personæ divinæ incumbat, & ab ea formaliter sustentetur; ita ut sublata hac sustentatione, substantia illa statim deficeret, nisi nova aliqua actione majore teneretur in esse.

Dices 2. In hac sententia, humanitas Christi non esset substantia. *R.* neg. In hac igitur sententia Scoti humanitas Christi non desinit esse substantia, sed solùm non existit ad modum existendi substantiæ connaturalem, & quo naturaliter carere non potest.

At inquies. Substantiam necesse est desinere substantiam esse, hoc ipso quòd ab alio formaliter sustentatur. *R.* neg. Ex eo enim quòd substantia non existat, nisi dependenter ab alio ipsam sustentante formaliter, sequitur tantùm quòd non habeat eum existendi modum, quem naturaliter exigit, & sine quo naturaliter esse non potest: non autem sequitur, quòd desinat esse substantia, quia substantiæ essentiale non est, existere independenter ab omni formaliter sustentante, sed solùm essentiale est, posse, & exigere sic existere. Igitur in Scoti sententia humanitas Christi est vera substantia, quia potest, & exigit naturaliter, exigentia naturaliter infrustrabili, existere independenter ab omni sustentativo formali: at, quod aliud est, non existit ad modum substantiæ, sed ad modum accidentis, quia tam verè ac physicè incumbit proprietati relativæ Verbi, quàm accidens subjecto.

Dices denique. Formalis illa sustentatio, quam inducit Scotus, videtur insufficiens esse ad unionem substantialem & hypostaticam humanitatis cum Verbo explicandam. *R.* neg. Hoc ipso enim quòd humanitas Christi intelligitur existere in Verbo, secluſa tamen omni imperfectione ex parte Verbi, ad modum quo accidens existit in subjecto, intelligitur, adhærere Verbo, subsistere in Verbo, esse verè ac propriè intrinseca Verbo, esse organum quoddam & instrumentum Verbi conjunctum, inseri Verbo, & ita cum divinitate in unam personam concurrere, esse verè, propriè & intrinsecè naturam Verbi, quod proinde est aliquid ejus complementum substantiale, ipsamque substantialiter terminat.

Sententiam Scoti hactenùs expositam & probatam tenet Vasquez tom. 1. in 3. p. sancti Thomæ disp. 18. c. 3. ubi num. 28. sic loquitur: „ Dico igitur modum substantialem naturæ humanæ in Verbo (quem commodè vocare possemus modum inexistentiæ, quia „ natura humana, quæ per se existere poterat, in „ alio existit tamquam in supposito, licèt non tamquam in subjecto) esse modum, ut vocant, dependentiæ naturæ humanæ à Verbo, non tamquam à causa propriè, sed tamquam à supposito „ terminante, & sustentante: siquidem natura sustentata à supposito alieno, & in eo existens, verè ab eo in suo genere pendere dicitur. " In eo „ tamen dissentit à nobis, quòd velit modum illum, quo humanitas existit in Verbo, eique incumbit, & incumbendo unitur, esse realiter distinctum ab ipsa humanitate, & Verbo; nos verò velimus esse modum purum se habendi in humanitate, seu esse ipsammet humanitatem, seipsa formaliter sese taliter habentem ad Verbum. Quod ut meliùs intelligatur, sit

ARTICULUS II.

Respondetur Modestis, unionem hypostaticam in modo quodam substantiali, à Verbo & humanitate realiter distincto, constituentibus.

Objicies. Unio hypostatica est saltem modus ab humanitate & Verbo realiter distinctus. *R.* neg. Et dico modum illum, à Verbo & humanitate realiter distictum, veteribus Philosophis ac Theologis incognitum, à modernis fabricatum, hic inutilem esse, adeòque rejiciendum, juxta illud axioma in scholis receptissimum. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Dices 1. Potest esse Verbum, & simul esse hæc Christi humanitas, & tamen hæc humanitas non esse unita Verbo. Ergo humanitatem esse unitam Verbo, importat aliquid præter humanitatem & Verbum simul existentia. Non nisi modum realiter distinctum ab utroque. Ergo, &c. *R.* neg. subsumpt. & dico illud quod, humanitatem esse Verbo unitum, importat præter humanitatem & Verbum simul existentia, esse modum purum se habendi humanitatis, seu ipsam humanitatem, non simpliciter, sed cum addito, ut Verbo se ipsa formaliter incumbentem.

Dices 2. Illa distinguuntur realiter, quæ nemine cogitante separari possunt. Sed humanitas Christi separari potest ab unione hypostatica: posset enim existere, & non esse unita Verbo. Ergo, &c. *R.* illa distingui realiter, quæ possunt, nemine cogitante, separari simpliciter, & quoad entitatem. At humanitas à Verbo assumpta non potest simpliciter, & quoad entitatem, ab unione hypostatica separari, sed tantùm secundùm quid, quatenus humanitas à Verbo assumpta, sic est Verbo unita per se ipsam formaliter, ut posset existere, & non esse ei unita, quia per se ipsam formaliter ita Verbo incumbit, ut posset existere, & tamen Verbo non incumbere, sicut revera fieret, si desineret à Deo conservari dependenter à Verbo, eam formaliter sustentante, seu, quod idem est, si nova actione, eaque fortiore, teneretur in esse independenter à Verbo. &c.

Dices 3. Humanitas unita Verbo alia est, quàm si non esset unita. *R.* aliam esse, non quòd entitatem aliquam habeat, quàm non haberet, si non esset unita; sed quia habet purum essendi modum, quo careret, si non esset unita: nam unita Verbo, existit dependenter ab eo tamquam formali sustentativo, quo modo non existeret, si ei unita non esset; tunc enim existeret ad modum aliarum substantiarum, adeòque independenter ab omni fulcro.

Dices 4. Si humanitas Christi relinqueretur à Verbo, de unita fieret non unita, adeòque transiret de contradictorio intrinseco ad contradictorium intrinsecum. Ergo tunc amitteret aliquam entitatem. Non nisi entitatem unionis hypostaicæ. Ergo, &c. *R.* neg. conseq. Ut enim substantia aliqua tranieat à contradictorio intrinseco ad contradictorium intrinsecum, non requiritur ut amittat, vel acquirat entitatem aliquam, sed sufficit, si purum aliquem modum essendi intrinsecum amittat, vel acquirat. *At inquies.* Si humanitas

Christi

Christi relinqueretur à Verbo, tunc mutaretur intrinsecè. *R.* Mutaretur quidem intrinsecè, sed mutatione putà modali, quia tunc amittent tantùm purum modum essendi.

Dices 5. Humanitas Christi de se indifferens est, ut uniatur vel non uniatur Verbo. Ergo ut uniatur Verbo, requiritur entitas ab ea realiter distincta, eique superaddita. *R.* neg. cons. Nam humanitas Christi sic est de se indifferens, ut Verbo uniatur, vel non uniatur, ut tamen habeat, secluśa omni entitate ei realiter superaddita, quidquid intrinsecè requiritur ad hanc unionem: habet enim per se, quidquid intrinsecè requiritur, ut Verbo incumbat: nam ad hoc requiritur & sufficit, ut habeat entitatem aptam produci & conservari dependenter à Verbo ut formali sustentativo; & hoc ipso quòd sic producitur, & conservatur, se ipsa formaliter incumbit Verbo, adeòque se ipsa formaliter & immediatè Verbo unitur hypostaticè.

Dices 6. Omnis vera actio positiva & realis habet terminum realem positivum. Sed unitio humanitatis cum Verbo est vera actio realis positiva. Ergo habet terminum realem positivum. Atqui terminus ille alius non est, quàm unio hypostatica. Ergo unio hypostatica est entitas modalis, ab humanitate & Verbo realiter distincta. *R.* neg. hanc ultimam consequentiam: ad hoc enim ut unio hypostatica sit terminus realis & positivus actionis realis & positivæ, non requiritur, ut sit entitas; purus enim modus se habendi contingens, est aliquid reale & positivum, & potest esse terminus actionis realis & positivæ, quod longa inductione demonstrari posset.

At inquies. Omnis actio realis positiva producit aliquam entitatem. Ergo actionis realis positivæ terminus esse non potest, nisi entitas producta. *R.* neg. ant. quod gratis omninò ab adversariis pro principio assumitur. Itaque actio realis positiva alia productiva est, alia verò purè modificativa: productiva habet pro termino entitatem de novo productam: purè verò modificativa habet pro termino modum se habendi purum, & nihilominùs realem & positivum. Addo, etiamsi concederemus, omni actione reali positiva produci entitatem aliquam, nihil inde effectum iri pro adversariis: nam adhuc etiam rejecta unione hypostatica, quæ sit entitas modalis, ab humanitate & Verbo realiter distincta, unitio humanitatis cum Verbo habebit pro termino entitatem de novo productam, nempe ipsammet humanitatem: unitio enim illa est actio productiva humanitatis, non quidem simpliciter, sed cum addito, dependenter à Verbo ut sustentativo formali. Sed ex occasione data,

Nota 1. Humanitas Christi eadem indivisibiliter actione producta est, & verbo unita; ita ut pro nullo signo etiam rationis tantùm priùs extiterit, quàm unita fuerit Verbo, ut luculenter docet Leo Magnus in sua ad Julianum Coensem epistola, quæ incipit, *Licet per nostros*, & in qua sic ait: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur*. Quod factum esse intelligitur, hoc ipso quòd intelligitur humanitas producta esse dependenter à Verbo ut formaliter eam sustinente.

2. Hujus actionis terminus duplex est, unus scilicet immediatus & proximus, alter verò mediatus & ultimus. Terminus immediatus & proximus est humanitas per se ipsam formaliter tali modo existens, seu humanitas incumbens Verbo. Terminus mediatus & ultimus est Verbum homo: nam Verbum homo est id, quod in hac actione per se intenditur, & quod ex ea resultat: Verbum enim est homo humanitate ipsi incumbente, seu humanitate dependenter ab eo ut formali sustentativo existente; & humanitas producta est dependenter à Verbo tanquam formali sustentativo, ut Verbum esset homo.

3. Hæc actio dicitur unitio, incarnatio & assumptio. Unitio est, quatenùs productiva est naturæ dependenter à Verbo ut sustinente: incarnatio est, quatenùs naturæ, quæ caro est, productiva est dependenter, &c. Sub utroque hoc nomine attribui potest & debet toti Trinitati: tres enim personæ actione communi produxerunt dependenter à Verbo, ut sulcro, naturam illam, quæ caro est. Hæc actio denique est assumptio, sed respectu Verbi tantùm: nam personam assumere naturam, est personam producere naturam ipsi incumbentem, seu producere naturam dependenter à se ut sustinente, quod soli Verbo convenit.

4. Denique, actionis hujus œconomia tota convenienter explicari potest in hunc modum. 1. Trinitas cœpit conservare dependenter à Verbo (supple semper, ut formali sustentativo) partes materiæ, ex qua conflandum erat corpus Christi. 2. Ex partibus illis Verbo incumbentibus efformatum est Christi corpus, Spiritu sancto superveniente, & obumbrante Virgini, quæ ad hanc efformationem non solùm passivè, sed etiam activè concurrit, juxtà veriorem sententiam. 3. Trinitas creavit animam rationalem dependenter à Verbo, eamque eodem instanti infudit corpori organizato, & sic ex corpore & anima Verbo incumbentibus, producta est humanitas Verbo incumbens: sic ex corpore & anima, quæ jam erant sua Verbi, resultavit humanitas sua Verbi; sic Verbum caro factum est; sic actio generativa Virginis terminata est ad Verbum hominem factum.

ARTICULUS III.

Qualis sit Unio hypostatica.

Responsio I.

UNio hypostatica est unio substantialis.

Prob. Unio secundùm hypostasim facta, substantialis est. Sed talis est unio humanitatis cum Verbo, ut docent Patres & Concilia, unde hypostatica nominatur. Ergo, &c. Hæc ratio est S. Thomæ hìc q. 2. a. 6. ubi sic ait in O. *Fides catholica non dicit unionem factam Dei & hominis secundum essentiam, vel naturam, neque etiam secundum accidens; sed medio modo secundum subsistentiam seu hypostasim*. Tum in resp. ad 3. *Sufficit ad hoc, quod non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundùm hypostasim, licet non sit facta unio secundùm naturam*. Et verò eatenùs unio Verbi cum humanitate facta est secundùm hypostasim, quatenùs per illam unionem factum est, ut una esset persona Dei & hominis in Verbo, seu ut una persona, nempe Verbum, esset Deus & homo. At profectò talis unio non accidentalis, sed substantialis dicenda est.

Confirmatur. Sic humanitas Verbo unitur, ut non denominet illud humanatum, sed hominem. Ergo non denominat illud per modum formæ accidentariæ. Ergo non advenit illi per modum formæ accidentariæ. Ergo non advenit illi per unionem accidentalem. Ergo per substantialem. Præterea, sic humanitas unitur Verbo, ut faciat illud esse substantiam, nempe hominem. Ergo unio ejus cum Verbo dici debet substantialis, non accidentalis.

Dices. Quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter. Sed humanitas in tempore advenit Verbo, habenti esse completum ab æterno. Ergo, &c. *R.* 1. neg. maj. universaliter sumptam. *R.* 2. dist. maj. Quod advenit alicui, &c. advenit ei accidentaliter, si non trahatur in communionem illius esse completi, Conc. maj. *Si* trahatur, Neg. maj. Humanitas autem sic advenit in tempore Verbo, habenti ab æterno completum esse, ut trahatur ad communionem illius esse completi, quod Verbum habet: trahitur autem, quia vi unionis hypostaticæ, tam verè Verbum est persona naturæ humanæ, quàm naturæ divinæ; atque ita una & eadem est in Verbo persona divinitatis & humanitatis. Hanc responsionem suggerit sanctus Thomas articulo proximè citato in resp. ad 2.

Responsio II.

Unio hypostatica est unionum maxima in ratione doni.

*Prob.*1. ex S. Augustino, lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. ubi ait: *Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei & filius hominis simul, & filius hominis propter susceptum hominem, & Filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum, veraciter & propriè diceretur ... prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam celsa & summa subvectio, ut quò attolleretur altiùs, non haberet: sicut pro nobis ipsa divinitas, quousque se deponeret humiliùs, non habuit.*

*Prob.*2. ratione. Quia humanitas per hanc unionem hypostaticam, esse divinum tam perfectè participat, quàm participari potest à creatura, & perfectiùs participat, quàm participari possit quacunque alia ratione possibili: nam vi hujus unionis, persona divina est persona humanitatis, adeòque persona divina est humanitatis complementum quoddam substantiale, & ab ea participatur substantialiter, quo nihil excellentius & sublimius creaturæ potest contingere.

Obj. Visio beatifica est quid perfectius unione hypostatica. Nam per hanc unionem sola Verbi persona conjungitur humanitati; per beatificam verò visionem tota essentia divina cum tribus personis conjungitur beato. Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* Totam essentiam cum omnibus personis beato conjungi per visionem, sed accidentaliter tantùm & intentionaliter; at per unionem hypostaticam persona Verbi substantialiter conjungitur humanitati, hoc ipso quòd vi hujus unionis Verbum sit subsistentia humanitatis, quod longè perfectius est intensivè.

Dices 1. Unio hypostatica humanitati tribuit tantùm, ut in Verbo subsistat. At visio tribuit ei, ut beata sit. *R.* unionem hypostaticam utrumque tribuere humanitati Christi, nempe & ut subsistat in Verbo, sicque verè ac propriè sit natura illius, & ut beata sit. Primum tribuit proximè & immediatè, secundum verò consequenter; nam humanitati, Verbo secundùm hypostasim unitæ, debetur & quidem infrustrabiliter visio beatifica.

Dices 2. Unio hypostatica est in entitate naturalis, cùm sit purus essendi modus humanitatis. At visio beatifica in entitate supernaturalis est. Ergo, &c. *R.* neg. min. Cùm enim visio beatifica sit etiam purus modus intellectus beati, per lumen gloriæ elevati, & se ipso ac sine entitate superaddita, clarè intuentis Deum sibi intimè præsentem, est etiam in entitate naturalis; cùm entitas intellectus sit ejus entitas; adeòque quoad modum tantùm supernaturalis est, quatenùs intellectum clarè intueri Deum præsentem, vires omnes, omnemque exigentiam naturæ superat: sicut produci & conservari naturam humanam dependenter à proprietate relativa Verbi tanquam sustentativo formali, superat naturæ vires omnes, omnemque illius exigentiam: unde simpliciter supernaturalis est modus ille, quo humanitas in Verbo existit, & in quo consistit unio hypostatica.

Responsio III.

Unio hypostatica est unionum maxima quoad vim uniendi.

Prob. Quia revera vim habet unio hypostatica perfectè conjungendi extrema, ab invicem infinitè distantia, divinitatem scilicet & humanitatem; ita ut divinitas & humanitas sint unum in persona: sic enim inter se connectuntur, ut una sit persona utriusque, & ideò eadem persona sit Deus & homo.

Confirm. Ita unio hypostatica conjungit humanitatem cum Verbo, licèt infinitè distent ab invicem in perfectione, ut humanitas tam verè ac propriè sit natura Verbi, quàm divinitas, & per humanitatem tam verè ac propriè Verbum sit homo, quàm Deus est per divinitatem: unde sicut omnia attributa divinitatis, & operationes ejus ad extra sunt verè ac propriè Verbi, ita omnia attributa humanitatis, & omnes ejus actiones ac passiones, sunt verè ac propriè Verbi: quare Verbum verè ac propriè habet oculos, manus, &c. verè ac propriè videt, tangit, & verè ac propriè esuriit, defatigatum est, &c.

Ita Angelicus Doctor opusculo 3. cap. 6. ubi ait: *quælibet partes humanæ naturæ ipsius Filii Dei dici possunt Deus, & quidquid agit, vel patitur, quælibet pars naturæ humanæ in Filio Dei, potest attribui unigenito Dei Verbo: unde non inconvenienter dicimus animam & corpus esse Filii Dei, sed & oculos, & manus, & quòd Filius Dei corporaliter videat per oculi visionem, & audit per auris auditum, & sic de aliis, quæ partibus animæ vel corporis convenire possunt.*

Porrò humanitas tam propriè Verbi natura est, quàm divinitas, cum duplici discrimine. Nam 1. divinitas est natura Verbi, & Verbum per illam est Deus, propter illius identitatem cum Verbi proprietate relativa; humanitas verò est natura Verbi, & Verbum per illam est homo propter illius cum eadem Verbi proprietate relativa unionem. 2. Divinitas, ut modificata per proprietatem relativam Verbi, constituit Verbum simpliciter seu in esse Verbi, & ita est primum esse Verbi; humanitas verò cum eadem Verbi proprietate relativa hypostaticè unita, constituit Verbum cum addito, seu Verbum esse hominis, & ita solùm est secundum & adventitium esse Verbi, quo proinde sublato, Verbum non desineret simpliciter, sed tantùm desineret esse homo: at sublata per impossibile natura divina, Verbum simpliciter desineret.

Quæres, utrùm unio hypostatica sit etiam omnium maxima quoad firmitatem?

R. negativè: nam si esset omnium quoad firmitatem maxima, certè quia dissolvi non potest ab ullo agente naturali. At hæc ratio non valet: sunt enim etiam aliæ uniones, quæ à nullo agente naturali dissolvi possunt, qualis est unio quantitatis radicalis cum materia.

Quæres iterùm, an fuerit aliqua dispositio prævia ad unionem hypostaticam?

R. negativè. Ratio est, quia una & eadem indivisibiliter actione, & pro eodem instanti etiam rationis humanitas fuit producta & Verbo unita; cùm producta fuerit dependenter à Verbo ut formali sustentativo, sic ut pro nullo instanti etiam rationis priùs extiterit, quàm à Verbo sustentaretur, eique incumberet, ac proinde priùs, quàm inexisteret Verbo ut supposito.

ARTICULUS IV.

Utrùm ex unione hypostatica resultarit persona composita?

Solet sic proponi hæc quæstio, utrùm composita sit persona Christi; circa quod plures sunt sententiæ. Prima est antiquiorum Theologorum, ut Magistri sententiarum, sancti Thomæ, sancti Bonaventuræ, Scoti, Durandi, &c. & docet personam Christi non esse compositam compositione absoluta; quam compositionem Durandus, lib. 3. dist. 6. qu. 3. in O. appellat compositionem hujus ex his, quia ex componentibus resultat aliquod tertium, sicut v. g. ex corpore & anima rationali resultat homo. Secunda sententia, quæ est modernorum Theologorum, affirmat personam Christi sic esse compositam, ita ut secundùm illos, persona Christi sit tertium aliquod totum substantiale, resultans ex Verbo & humanitate. Tertia sententia, quæ est recentioris, quodam modo media est, & distinguit Christum à persona Christi, asseritque Christum quidem compositum esse compositione absoluta, personam verò Christi nonnisi impropriè esse compositam.

Responsio I.

Persona Christi non est absolutè composita ex divinitate, vel, si vis, ex personalitate Verbi & humanitate: ita ut persona Christi sit aliquid tertium, resultans

sultans ex divinitate, aut ex personalitate Verbi & humanitate: sicut homo, v.g. est aliquid resultans ex corpore & anima.

*Prob.*1. Auctoritate veterum Scholasticorum, pro quibus omnibus hìc nobis sufficit Doctor Angelicus, qui in 3. sententiarum dist.1.qu.1.art. 1. in O. Primò distinguit triplicem modum unionis. *Dicendum*, inquit, *quod unio aliquorum duorum, vel trium, potest esse tripliciter: uno modo, secundùm quod aliqua non uniuntur ad invicem, nisi per conjunctionem eorum in aliquo uno; quædam verò uniuntur è converso per conjunctionem eorum ad invicem, & in aliquo uno, quod ex eorum conjunctione constituitur, quædam verò per conjunctionem eorum adinvicem, sed non in aliquo uno, quia ex eorum conjunctione nihil resultat.*

Secundò, triplicem hunc unionis modum exponit in exemplis. *Primum horum*, inquit, *continget quatuor modis, quia vel illud unum, in quo conjunguntur, est idem numero: sicut duo brachia conjunguntur in uno pectore, vel duo rami qui se non tangunt, nisi in uno trunco .... quæ verò junguntur ad invicem & in aliquo uno, ex eorum conjunctione constituto, sunt sicut materia & forma, quia forma conjungitur materiæ, ut perfectio ejus, & ambæ conjunguntur in natura communi: & simile est de partibus quantitativis, continuatis ad invicem, ita quòd ex eis proveniat aliquod totum, in quo duæ partes conveniant. Et verò quæ uniuntur ad invicem, & non in aliquo uno, sunt sicut accidens & subjectum, ex quibus non efficitur unum per se, cujus subjectum & accidens partes dici possint.*

Tertiò, advertit, nullum ex his tribus modis hypostaticæ unioni convenire ex toto, sed aliquos ex parte tantùm. *Et quia*, inquit, *ut dicit Hilarius, comparatio terrenorum ad Deum nulla est, nec exemplum sufficiens rebus divinis ratio humana præstabit, sciendum est, quòd nullus istorum modorum competit ex toto ineffabili unioni, qua Deus homini unitus est. Sed tamen aliqui istorum modorum, quantùm ad aliquid, repræsentant illum modum unionis.*

Denique expresè asserit, primum & tertium modum unionis aliquatenùs, secundum verò nullo pacto Deo convenire: sic enim prosequitur: *Sciendum est ergo, quòd medius modus, quo aliqua conjunguntur ad invicem, ut ex eis aliquod tertium resultet, omninò non potest Deo convenire, quia duo, quæ conjunguntur secundum hunc modum, se habent ad tertium ut partes. Ratio autem partis, sicut & imperfecti, penitus à Deo removetur. Primum verò modum & tertium quantùm ad aliquid, possibile est Deo convenire.* Quod

Ostendit sic: *In incarnatione enim*, inquit, *ex parte assumentis duo possunt considerari, scilicet persona, & natura. Si autem consideremus personam assumentem, sic conjungitur humanæ naturæ assumptæ, tertio modo conjunctionis, quia persona divina fit persona hujus naturæ humanæ, sed ex his duobus non resultat aliquid tertium: sicut nec etiam in Socrate ex persona ejus & natura non fit aliquod tertium, sed persona ejus in humana natura subsistit. Si autem consideremus naturam assumentis, sic conjunctio ejus ad naturam humanam est secundùm modum primum conjunctionis, in quantùm duæ naturæ in una persona conveniunt, quæ in naturalibus proprietatibus nihilominùs distinctæ sunt: & ideò incarnatio insertioni comparatur. Sicut enim in insertione in eodem trunco, in quo erat unus ramus per naturam, fit ramus alius per insertionem: ita in eadem persona, in qua naturaliter erat divina natura, est per unionem humana natura.*

Itaque ex Angelico Doctore, neque divinitas, neque Verbum unitur cum humanitate, juxta secundum unionis modum; ita ut ex divinitate, vel Verbo & humanitate, resultet aliquid tertium, seu aliquod totum substantiale, sicut resultat ex materia & forma unitis: sed solùm divinitas unitur humanitati secundum primum modum unionis, quatenùs cum humanitate in una persona convenit, sicut in uno trunco conveniunt duo rami; vel, si vis, quatenùs in una persona, in qua erat naturaliter divinitas, est per unionem humanitas; sicut in uno trunco, in quo erat naturaliter unus ramus, fit alius ramus per insertionem, unde incarnatio insertioni comparatur.

Persona verò Verbi unitur humanitati secundùm tertium modum unionis, sicut subjectum unitur accidenti, quatenùs sicut per unionem accidentalem subjectum fit subjectum accidentis, & accidens fit accidens subjecti, sic tamen ut ex utroque non resultet aliquod tertium: ita per unionem substantialem persona Verbi fit persona naturæ humanæ, & natura humana fit natura personæ Verbi; sic tamen ut non resultet aliquod tertium ex persona Verbi & humana natura, sicut etiam v.g. in Socrate non fit aliquod tertium ex persona ejus, & natura humana, sed solùm persona ejus in humana natura subsistit.

Doctrinam hanc luculenter exponit etiam sanctus Doctor opusculo 2. cap. 211. *Quia*, inquit, *persona, hypostasis, & suppositum designant aliquid integrum, si divina natura in Christo est ut pars, & non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis, una persona Christi non se teneret tantùm ex parte naturæ divinæ* (subsistentis in Verbo) *sed esset quoddam constitutum ex tribus, sicut & in homine persona, hypostasis, & suppositum est, quod ex anima & corpore constituitur. Sed quia divina natura* (in Verbo subsistens) *est aliquid integrum, quod sibi assumpsit per quamdam ineffabilem unionem humanam naturam, persona se tenet ex parte divinæ naturæ* (in Verbo subsistentis) *& similiter hypostasis & suppositum: anima verò & corpus trahuntur ad personalitatem personæ divinæ, ut sit persona Filii Dei, sicut etiam persona filii hominis, & hypostasis, & suppositum.*

Doctrinam hanc illustrat exemplo in hunc modum: *Potest autem*, inquit, *hujusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri; subjectum enim & accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, & suppositum: accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis & albi, & similiter eadem hypostasis, & idem suppositum. Sic igitur secundum similitudinem quandam, persona, hypostasis, & suppositum Filii Dei est persona, hypostasis, & suppositum humanæ naturæ in Christo.* Ex quibus sic concludit sanctus Doctor: *Patet igitur ex præmissis, quòd in Christo non est alia persona nisi æterna, quæ est persona Filii Dei, nec alia hypostasis, aut suppositum: unde cùm dicitur, hic homo, demonstrato Christo, importatur suppositum æternum.*

Itaque ex sancto Thoma, Verbum est in Christo aliquid integrum, aliquid totum, & non pars, seu extremum componens. Item persona Christi se tenet tantùm ex parte Verbi, & non est aliquid constitutum ex tribus, Verbo scilicet, corpore, & anima; sicut in homine persona ex corpore & anima constituitur. Item per unionem hypostaticam corpus & anima trahuntur ad personalitatem Verbi, ut sicut est persona Filii Dei, ita sit persona filii hominis, non verò ut ex eo & corpore cum anima componatur nova aliqua persona.

Item sicut subjectum & accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur, sed accidens, putà albedo, per unionem accidentalem trahitur ad personalitatem hominis cui unitur, ut sit persona eadem hominis & albi: ita per similitudinem quandam, vi unionis hypostaticæ, humanitas trahitur ad personalitatem Verbi, non ut sit tertium aliquod ex eis constitutum, sed ut sit persona eadem Filii Dei & hominis; unde fit, ut qui antea erat Deus tantùm, jam sit Deus & homo. Denique in Christo non alia persona est, nisi æterna, quæ est persona divina Verbi; & cùm, demonstrato Christo, dicitur, Hic homo, importatur suppositum æternum, nempe Verbum, non verò novum aliquod suppositum, ex Verbo & humanitate constitutum.

*Prob.*2. Ratione ſancti Thomæ, & aliorum veterum Doctorum. Si perſona Chriſti eſt aliquod tertium, conſtitutum ex Verbo & humanitate, Verbum eſt pars illius perſonæ. Atqui implicat Verbum eſſe partem; nam pars multiplicem imperfectionem eſſentialiter involvit. Ergo, &c. Minorem admittunt adverſarii, ſed negant ſequelam majoris; pro quo diſtinguunt inter extremum componens & partem, aſſeruntque ex majore ſequi tantùm, quòd Verbum ſit extremum componens cum humanitate perſonam Chriſti, non autem quòd ſit illius pars. Sed contra eſt, quia manifeſtum videtur ex terminis, extremum componens, quà tale, eſſe eſſentialiter partem, atque ita diſtinctionem adverſariorum eſſe merum effugium.

Et verò ſi perſona Chriſti eſt aliquod tertium ex Verbo & humanitate conſtitutum, Verbum non unam tantùm, ſed omnes, aut ferè omnes partis imperfectiones habet, ut facilè poteſt oſtendi. Nam 1. Verbum etiam ſubſtantialiter ab alio extremo componente, nempe ab humanitate, complebitur in ordine ad conſtituendum illud tertium, ſicut viciſſim humanitas ab ipſo Verbo: quemadmodùm corpus & anima ſe mutuò complent in ordine ad conſtituendum illud tertium quod ex eis reſultat, nempe homo: impoſſibile enim eſt, quòd duo extrema conſtituant aliquod tertium ſubſtantiale, quin ſe mutuò compleant ſubſtantialiter in ordine ad illud conſtituendum. Unde

2. Verbum poſt incarnationem deſinet eſſe aliquid in ſe totum & integrum: illud enim deſinit eſſe in ſe totum & integrum ſubſtantiale, quod ulteriùs ab alio ſubſtantialiter, in ordine ad conſtituendum aliquod tertium ſubſtantiale, completur, ut patet in gutta aquæ, quæ ſeparata ab omni alia, eſt aliquid totum & integrum; unita verò alteri guttæ deſinit eſſe aliquid totum & integrum, quia à gutta illa, cui unitur, completur ſubſtantialiter in ordine ad conſtituendam tertiam guttam. Similiter anima rationalis, quæ ſeparata à corpore, ſecundum probabiliſſimam ſententiam, eſt aliquid in ſe totum & integrum, non eſt aliquid in ſe totum & integrum, unita corpori; quia ab illo ſubſtantialiter completur, ſicut & illud ſubſtantialiter complet in ordine ad conſtitutionem alicujus tertii ſubſtantialis, quod eſt homo. Hinc

3. Verbum poſt incarnationem deſinet eſſe perſona, quia deſinet eſſe aliquid in ſe totum & integrum. Item Verbum dependebit ab humanitate in ordine ad conſtituendam perſonam Chriſti: nam revera conſtituet illam dependentem ab humanitate. Item perſona Chriſti erit quoddam totum reſpectu Verbi, ſicut reſpectu humanitatis: aliquod enim tertium, ex duobus unitis conſtitutum, eſt neceſſariò totum reſpectu illorum: atque ita Verbum ſe habebit ad perſonam Chriſti, ut contentum ad continens, & habitum ad habens. Item, Verbum non erit ſuum, nec ſui juris, ſed alterius, nempe tertii, ex eo & humanitate conſtituti. Denique Verbum aget ut quo tantùm; tertium verò, ex eo conſtitutum, aget ut quod, cujus proinde Verbum erit inſtrumentum.

Confirm. Quia 1. ſi perſona Chriſti eſſet aliquod tertium, ex Verbo & humanitate conſtitutum, certè illud tertium ſimpliciter incœpiſſet eſſe; ſicut homo hodie conſtitutus ex anima & corpore, ſive per poſſibile, ſive per impoſſibile exiſtentibus ab æterno, ſimpliciter inciperet eſſe. Atqui ſi perſona Chriſti ſimpliciter incœpiſſet eſſe, eſſet perſona ſimpliciter temporanea, quod falſum eſt, & abſurdum. Ergo, &c. Hæc ratio eſt S. Bonaventuræ in 3. diſt. 6. art. 1. qu. 2.

2. Si perſona Chriſti eſt aliquod tertium conſtitutum ex Verbo & humanitate, Verbum non eſt perſona Chriſti: nam extremum componens non eſt compoſitum, ſed pars illius; ſic anima non eſt homo, ſed illius pars. Item Verbum non eſt homo: nam unum extremum componens non denominatur ab altero; ſic anima non denominatur à corpore. Sed hæc ſunt falſa, & abſurda. Ergo perſona Chriſti non eſt aliquid, ex Verbo & humanitate conſtitutum, adeòque compoſita non eſt compoſitione abſoluta.

Responsio II.

Perſona Chriſti cenſeri tamen debet, & ſimpliciter dici compoſita.

Ita ſentit D. Thomas hic q. 2. a. 4. in O. & probatur 1. ex Patribus, pro quibus omnibus hìc unus erit ſanctus Damaſcenus, lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 7. ubi ait: *Incarnatus eſt igitur* (Filius Dei) *aſſumptis maſſæ noſtræ primitiis, hoc eſt, carne unà cum anima ratione & intelligentia prædita; ita ut ipſa Dei Verbi hypoſtaſis carni hypoſtaſis exiterit, compoſitaque facta ſit Verbi perſona, quæ priùs ſimplex erat; compoſita, inquam, ex duabus perfectis naturis, nempe divinitate & humanitate.* 2. Auctoritate Conciliorum, pro quibus omnibus hìc erit quintum generale collatione 8. can. 4. ubi anathematizantur ii, qui *non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, ſecundum compoſitionem, ſive ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe, & ideò unam ejus ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus.*

*Prob.*3. ratione. Nam re ipſa perſona Chriſti compoſita eſt ſecundùm rationem ſubſiſtendi: ea enim perſona rectè dicitur compoſita ſecundùm rationem ſubſiſtendi, quæ ſubſiſtit in pluribus naturis; ſicut ea rectè dicitur ſimplex ſecundùm rationem ſubſiſtendi, quæ in una tantùm natura ſubſiſtit. Ita ratiocinatur S. Thomas hic q. 2. a. 4. in O. *Dicendum*, inquit, *quòd perſona ſive hypoſtaſis Chriſti dupliciter poteſt conſiderari: uno modo ſecundùm illud quod eſt in ſe, & ſic eſt omninò ſimplex, ſicut & natura Verbi. Alio modo ſecundùm rationem perſonæ vel hypoſtaſis, ad quam pertinet ſubſiſtere in aliqua natura; & ſecundùm hoc, perſona Chriſti ſubſiſtit in duabus naturis. Unde licèt ſit ibi unum ſubſiſtens, eſt tamen ibi alia & alia ratio ſubſiſtendi, & ſic dicitur perſona compoſita, in quantum unum duobus ſubſiſtit.*

Præterea, quod eodem redit, perſona Chriſti compoſita eſt ſecundùm primùm modum unionis de quo ſupra: nam duæ naturæ, divina & humana, in ea conveniunt. Atqui duæ naturæ in una perſona convenientes, rectè dicuntur eam componere. Hanc autem compoſitionem ſanctus Thomas articulo proximè citato ad 2. vocat compoſitionem ratione numeri, hoc eſt, ratione plurium diſtinctorum, in uno & eodem concurrentium.

Denique, perſona Chriſti compoſita eſt ſecundùm tertium modum unionis, de quo ſupra. Nam natura humana per unionem hypoſtaticam fit natura perſonæ Verbi, ſicut accidens per unionem accidentalem fit accidens ſubjecti: unde ſicut accidens rectè dicitur componere ſubjectum, cujus fit accidens; ita natura humana rectè dicitur componere perſonam Verbi, cùm fiat natura illius; rectè, inquam, dicitur componere perſonam Verbi, ſecluſis imperfectionibus, quæ comitantur compoſitionem ſubjecti per accidens.

Dices. Compoſitiones illæ omnes ſunt impropriæ tantùm compoſitiones. *R.* eas revera ita appellari à ſancto Bonaventura, & ab aliis antiquioribus: ſed meliùs cum S. Thoma, eas dicimus proprias compoſitiones: quamvis maximè propria & ſtrictiſſima compoſitio dicenda eſſe videatur ſola compoſitio abſoluta; quam compoſitionem hujus ex his vocat Durandus, quia vi illius, aliquod tertium reſultat ex pluribus unitis. Cùm autem hæc compoſitio ſola involvat eſſentialiter multas imperfectiones in componentibus, hæc Deo repugnat.

Quæres, quid ſentiendum ſit de Chriſto? *R.* de Chriſto idem ſentiendum eſſe, quod de perſona Chriſti. Ratio eſt, quia à recentiore quodam perperàm diſtinguitur perſona Chriſti à Chriſto: neque enim perſona Chriſti à Chriſto plus diſtinguitur, quàm v. g. perſona Petri à Petro. Et verò quid eſt Chriſtus, niſi Verbum homo, Verbum ſubſiſtens in natura divina & humana? At Verbum homo, Verbum in

natu-

natura divina, & humana subsistens, est ipsissima Christi persona.

ARTICULUS V.

Proponuntur objectiones contra primam responsionem, & solvuntur.

Objicies 1. Concilium generale quintum can. 4. ubi definitur, unionem hypostaticam factam fuisse secundùm compositionem, & ipsam personam Christi compositam esse. *Resp.* Non negamus unionem in Christo factam esse secundùm compositionem, & ipsam Christi personam compositam esse ex duabus naturis: sed solùm negamus, unionem illam factam esse secundùm compositionem absolutam, & Christum compositum esse ex duabus naturis, unum aliquod tertium constituentibus. Itaque ex Conciliis, unio hypostatica est vera compositio, sed compositio hujus ad hoc, ut Durandus loquitur, qua totum aliquod & integrum, manens totum & integrum, unitur cum aliquo, quod ad ejus totalitatem trahitur, & verè fit illius; compositio secundùm rationem subsistendi; compositio ratione numeri, seu ratione dualitatis naturarum, in una Verbi natura convenientium.

Item ex Conciliis, Christus est compositus ex duabus naturis, & quidem, ut loquitur Chalcedonense, in unam personam & unam subsistentiam concurrentibus. Concurrunt autem in unam personam & unam subsistentiam, non quòd constituant aliquod tertium, quod sit persona & subsistentia, sed quia per unionem, ut ait S. Thomas, natura humana inseritur personæ Verbi, cui naturaliter inest natura divina, atque ita eo ipso fit, ut duæ naturæ sint unius personæ, & una sit persona duarum naturarum.

Dices. Concilia docent Christum in duabus & ex duabus naturis subsistere. Ergo, &c. *Resp.* secundùm Concilia & Patres, Christum subsistere ex duabus & in duabus naturis, non constituentibus aliquod tertium, sed convenientibus in una persona; ita ut persona quæ ante concursum naturarum unam tantùm naturam habebat, post concursum habeat duas. Denique Christus est persona Verbi, duas naturas, divinam & humanam, habens; non haberet autem illas, nisi in unam Verbi personam concurrerent per unionem substantialem, & post concursum inconfusæ & integræ manerent: unde dicitur ex duabus & in duabus naturis subsistere.

Obj. 2. Symbolum Athanasii, in quo dicitur: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus*. *Resp.* In eo similitudinem esse, quòd sicut anima rationalis, & caro concurrunt in unum hominem, ita divinitas & humanitas concurrunt in unum Christum: at in eo dissimilitudinem esse, quòd anima rationalis & caro in unum hominem concurrunt, constituendo aliquod tertium substantiale, quod est unus homo; divinitas verò & humanitas in unum Christum concurrunt, quia duæ illæ naturæ sunt unius & ejusdem personæ, quæ est Deus & homo: homo quidem propter humanitatem, sibi substantialiter unitam in tempore; Deus propter divinitatem, sibi à Patre communicatam in æternitate; atque ita ex divinitate & humanitate unus est Christus, quia unus & idem Deus est per divinitatem, & homo per humanitatem; ad quòd non requiritur, ut aliquod tertium ex divinitate & humanitate constituatur, sed sufficit, quòd humana natura per unionem hypostaticam sit illius personæ, cujus est natura divina per communicationem & identitatem cum ejus personalitate.

Obj. 3. Sanctum Dionysium in lib. de divinis nominibus, cap. 1. ubi ait: *Ex qua* (humanitate) *ineffabiliter compositus est simplex Jesus*. *Resp.* Sanctum Dionysium apertè contrarium esse adversariis nostris: nam si simplex est Jesus, quomodo compositus est ex humanitate constituente aliquod tertium cum divinitate? Certè talis compositio excludit essentialiter simplicitatem. Itaque Jesus & simplex est, & simul compositus ex humanitate, quia eatenùs ex ea compositus est, quatenùs post incarnationem non solùm in divinitate, sed etiam in ea subsistit, cùm ante incarnationem in sola divinitate subsisteret. Item Jesus & simplex est, & compositus ex humanitate, quia ex ea & divinitate compositus est, non ut ex partibus aliquod tertium constituentibus, sed ut ex duabus naturis, convenientibus in una Verbi persona.

Obj. 4. Sanctum Augustinum: sic enim 1. loquitur in epist. 2. ad Volusianum: *Persona hominis mistura est animæ, & corporis; persona autem Christi mistura est Dei & hominis*. 2. Libr. 13. de Trinitate cap. 17. *Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne*. 3. In Enchiridio cap. 38. *Utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis*.

Resp. Ad primum locum Augustini, patere responsionem ex dictis ad secundam objectionem. Ad secundum locum. *Resp.* Ex utraque substantia factam esse unam personam compositam in ratione subsistendi, & ratione numeri, seu dualitatis naturarum in ea convenientium: vel, si vis, ex utraque substantia factam esse unam personam, sed ex divinitate, ut constituente, & ex humanitate, ut quasi modificante, dando esse hominis: sicut ex subjecto, & accidente fit unum album, ex subjecto quidem ut constituente, & ex albedine ut modificante, & determinante ad tale esse accidentale. Ad tertium locum patebit responsio ex dicendis ad sequentem objectionem.

Obj. 5. Leonem Magnum in epistol. ad Julianum Coensem Episcopum, ita loquentem: *Cur autem inconveniens, aut impossibile videatur, ut Verbum, & caro, atque anima unus Jesus Christus, & unus Dei hominisque sit Filius, si caro & anima, quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam, cùm multo facilius sit, ut hanc unitatem sui atque hominis deitatis præstet potestas, quàm ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas?*

Resp. Unum Dei & hominis Filium esse in bono sensu Verbum, & humanitatem; sed Verbum in recto, & humanitatem in obliquo: Christus enim est Verbum homo, & Verbum est homo humanitate: sic in bono sensu album, v. gr: est subjectum, & albedo, subjectum in recto, & albedo in obliquo: nam album est subjectum habens albedinem.

Itaque sicut corpus & anima, collectivè sumpta, sunt unus homo; ita Verbum & humanitas, collectivè sumpta, sunt unus Christus, sed alio & alio modo: nam corpus & anima, collectivè sumpta, sunt ambo in recto unus homo, quia homo est totum ex illis ut partibus suis constitutum, totum autem est in recto suæ partes collectivè sumptæ. At Verbum & humanitas, collectivè sumpta, non sunt ambo in recto unus Christus, quia Christus non est totum ex illis, ut partibus suis constitutum; sed totum, nempe Verbum, habens humanitatem; sicut subjectum, & accidens, collectivè sumpta, non sunt ambo in recto album v. gr: quia album non est totum constitutum ex illis, ut partibus suis, sed est totum nempe subjectum, putà Socrates, affectus albedine.

Quod autem hac nostra responsione satisfiat Leoni Magno, patet ex ejus scopo: solùm enim intendit, adversùs Eutychem probare divinitatem & humanitatem post incarnationem manere inconfusas simul & indivisas, & ex illis inconfusis simul & indivisis resultare Christum; sive resultet ex illis, ut totum constitutum ex eis, quod volunt adversarii, sive ut totum, ad cujus totalitatem trahitur aliquid, ut nos cum S. Thoma, & aliis antiquioribus Scholasticis volumus: nam post verba quæ nobis objiciuntur, sic statim concludit S. Leo: *Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est: sed utrumque*

in uno manet, & unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, nec alter ex patre, alter ex matre; sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine sæculorum. Sed

Hìc obiter pondera, 1. hæc verba: *Nec alter ex patre, alter ex matre*, quæ falsa sunt, si Christus est aliquod tertium ex Verbo & humanitate constitutum. Pondera 2. verba illa: *Sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine sæculorum*; ex quibus apparet, eumdem esse terminum utriusque generationis, æternæ scilicet & temporalis. At si Christus non est Verbum humanitatem habens, sed tertium aliquod substantiale, constitutum ex Verbo, & humanitate, terminus generationis temporalis non est Verbum, sed aliquod tertium substantiale, ex Verbo, & humanitate constitutum.

Itaque juxta S. Leonem: *Nec alter ex patre, nec alter ex matre* (est) *sed idem aliter ex Patre, &c. aliter ex matre, &c.* Quia idem planè, nempe Verbum, est terminus utriusque generationis, sed alio & alio modo: nam per generationem æternam accipit primum esse, nempe esse Verbi, quo constituitur simpliciter, & in esse totius, adeòque in esse personæ. Per generationem verò temporalem accipit esse aliquod secundarium, nempe esse hominis, quo constituitur secundùm quid, seu in esse subsistentis in humana natura.

Obj. 6. Maxentium in libro adversùs Acephalos, cap. 17. ubi ait; *Ex divinitate, & humanitate esse credimus* (Christum) *tamquam totum ex partibus: partes autem Christi divinitas ejus & humanitas sunt, in quibus & ex quibus per se est.* Ad hunc Maxentii locum, non explicandum, sed corrigendum. *R.* Id quod habet S. Thomas in 3. dist. 6. qu. 2. art. 3. ad 4. *Quamvis compositio quantum ad aliquid salvetur in incarnatione Verbi, nullo tamen modo est ibi ratio partis: divinitas enim pars esse non potest propter imperfectionem, quæ est de ratione partis. Humana autem natura non potest esse pars, quia compartem non habet, vel etiam quia non causat* (formaliter scilicet) *esse personæ, quæ dicitur composita.*

Obj. 7. S. Damascenum libro 3. de fide orthodoxa cap. 19. ubi hæc habet: *Nam & duæ naturæ unus Christus est, & unus Christus duæ naturæ.* *R.* dist. Unus Christus duæ naturæ, ambæ in recto, Neg. Una in recto, nempe divina, & altera in obliquo, nempe humana, C. vel, si vis, dist. sic. Unus Christus duæ naturæ, constituentes aliquod tertium substantiale, quod sit Christus, N. Unus Christus duæ naturæ, quarum una, nempe divina, cùm proprietate relativa filiationis constituit illum simpliciter, seu constituit illum in esse totius, & hypostasis; altera verò, quæ, illo in esse totius & hypostasis constituto, trahitur ad ejus totalitatem, eamque quasi modificat, & determinat ad esse hominis, C. Bonitas hujus responsionis patet ex lib. 3. de orthodoxa fide, cap. 7. ubi hæc leguntur verba: *Ita ut ipsa Dei Verbi hypostasis carni hypostasis extiterit.* Igitur ex Damasceno, persona Verbi est hypostasis humanitati assumptæ, adeòque est totum aliquod, & integrum respectu humanitatis assumptæ, cujus proinde nec est, nec potest esse compars; unde cum ea nec constituit, nec constituere potest aliquod tertium substantiale.

Superest igitur, ut juxta S. Doctorem, unus Christus sit duæ naturæ concurrentes in una persona, Verbi scilicet, & unus sit; quia in una persona concurrunt; quam personam componunt in ratione subsistendi, hoc ipso quòd illam in duabus naturis subsistere faciunt per concursum suum.

Objicies denique rationem. Compositio absoluta, quæ est compositio hujus ex his, aliud non est, quam realis conjunctio extremorum, realiter distinctorum, ad constituendum unum per se simpliciter. Atqui in Christo habetur talis conjunctio. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam in Christo Verbum & humanitas non conjunguntur ad constituendum unum per se simpliciter, hoc enim est impossibile; sed ut persona subsistens in natura divina, subsistat etiam in humana, & ita una & eadem persona sit Deus & homo.

At inquies 1. Ubicumque est compositio hujus ad hoc, est etiam compositio hujus ex his: sic v. g. non potest dari compositio albedinis ad parietem, quin exsurgat aliquod tertium ex illis constitutum. *R.* neg. maj. universaliter sumptam, & ejus exemplum. Sed ad pleniorem difficultatis solutionem.

Nota. Duplex distingui potest compositio hujus ad hoc. Prima est compositio partis ad partem; & ubicumque est talis compositio, est etiam compositio hujus ex his. Secunda est compositio alicujus totius ad aliquid, quod trahitur ad ipsum, & fit ipsius, ut compositio subjecti ad accidens, & suppositi ad naturam aliquam; & cum tali compositione numquam est compositio hujus ex his. At compositio hujus ad hoc, quæ reperitur in Christo, est compositio totius, seu suppositi divini ad naturam humanam, quæ trahitur ad ejus totalitatem, & fit natura illius. Ergo, &c.

At inquies 2. Omnis unio essentialiter ordinatur ad faciendum aliquod unum ex extremis: non unum simplicitate: ergo unum compositione. Ergo, &c. *Resp.* neg. antec. Nam unio accidentis cum subjecto non ordinatur ad faciendum unum ex subjecto & accidente, sed ad faciendum, ut accidens sit suum subjecti, & subjectum per accidens tali modo se habeat: sic pariter unio personæ Verbi cum humanitate non ordinatur ad faciendum aliquod unum simpliciter ex Verbo & humanitate, sed ad faciendum, ut humanitas sit sua personæ Verbi, & persona Verbi sit homo per humanitatem.

At inquies 3. Christus vel est unum per se, vel unum per accidens. Non est unum per accidens. Ergo est unum per se: ergo est aliquid tertium constitutum ex Verbo & humanitate. *Resp.* neg. secundam consequentiam. Nam Christus est unum per se: non quia est aliquid tertium, ex Verbo & humanitate constitutum, sed quia est suppositum divinum: nam omne suppositum est unum per se.

At inquies 4. Christus, qua Christus, est unum per se simpliciter: ergo qua Christus, est aliquod tertium constitutum ex extremis. *Resp.* neg. ant. Nam Christus, qua Christus, est suppositum divinum subsistens in humana natura, ac proinde non est unum per se simpliciter, sed unum per se cum addito, unum scilicet per se existens in natura sibi addita: sic album, qua album, non est unum per se simpliciter, sed unum per se cum addito, nempe suppositum tali modo se habens, unum per se modificatum. Christus igitur non est aliquid tertium substantiale, ex Verbo & humanitate constitutum, sed persona Verbi subsistens in humana natura: unde Christus dicit quidem Verbum & humanitatem, sed Verbum tamquam aliquod totum substantiale, & humanitatem tamquam aliquid, quod est in illo toto, & illius per unionem substantialem.

DISPUTATIO IV.

De persona assumente, & natura assumpta.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm sola persona Verbi assumpserit humanitatem?

Responsio.

Sola persona Filii assumpsit humanitatem.

Prob. 1. Generaliter ex Scripturis, Symbolis, Conciliis, & Patribus: quotiescumque enim loquuntur de mysterio Incarnationis, de sola persona Filii dicunt, quòd incarnata sit: hoc autem de sola persona

sona Filii dicendo, æquivalenter dicunt, solam fuisse incarnatam.

Prob. 2. In particulari ex Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 2. quo dicitur: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur, propriè & secundum veritatem ipsum unum sanctæ & consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cœlo descendisse, & incarnatum è Spiritu sancto, & Maria semper Virgine, & hominem factum .... condemnatus sit.* Et ex Toletano sexto, can. 1. in quo ait: *Ex his igitur tribus divinitatis personis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis ..... à secreto Patris arcanoque prodiisse, & humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse ..... solum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & cùm tota cooperata sit trinitas formationem susceptí hominis (quoniam inseparabilia sunt opera trinitatis) solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, in id quod est proprium Filii, non quod commune trinitatis.*

Prob. 3. Ex S. Fulgentio in libro de fide ad Petrum diaconum cap. 2. ubi hæc leguntur: *Secundùm carnem Filium natum, catholica fides & credit, & prædicat .... qui totum habet commune cum Patre, quod æternus naturaliter sine initio habuit: & nihil habet commune cum Patre eorum, quæ in suam personam temporaliter atque humiliter ..... accepit de Virgine ..... Rursus si non ille, qui proprius atque unigenitus Dei Patris Filius est, sed Spiritus sanctus nasceretur ex virgine, non ipsum, qui factus est ex muliere, factus sub lege, natum de Spiritu S. ex Maria Virgine .... corde ad justitiam crederet, & ore ad salutem sancta Ecclesia confiteretur, &c.*

Prob. 4. Ratione: quia humanitas producta est dependenter à sola proprietate relativa Verbi, ut sustentante formaliter. Ergo humanitas incumbit soli Verbo ut supposito. Ergo humanitas est natura solius Verbi ut suppositi; adeòque à solo Verbo assumpta est, & non ab aliis personis divinis.

Obj. 1. Tam Pater & Spiritus S. produxerunt humanitatem dependenter à Verbo ut sustentativo formali, quam ipsum Verbum. Ergo tam assumpserunt, quàm Verbum ipsum assumpsit. *R.* neg. cons. Nam ex antecedente sequitur quidem quòd Pater & Spiritus S. tam sint principium effectivum humanitatis, & ejus cum personalitate Verbi unitivum, quàm ipsum Verbum: sed hoc non sufficit, ut tam Pater & Spiritus sanctus, quàm Verbum ipsum, dicantur humanitatem assumpsisse. Ut enim persona dicatur assumere naturam aliquam, duo requiruntur. 1. Ut sit principium effectivum, & unitivum illius. 2. Ut sit illius sustentativum formale. Primum quidem commune est tribus personis divinis, secundum verò convenit soli Verbo: quare solum Verbum, non verò Pater, aut Spiritus sanctus, assumpsit humanitatem.

Obj. 2. Assumptio humanitatis est opus Dei ad extra. Sed opera Dei ad extra sunt communia tribus personis. Ergo, &c. *Resp.* Opera Dei ad extra tribus personis communia esse quantùm ad efficientiam, non quantùm ad formalem sustentationem; unde nego consequentiam.

Obj. 3. Quod convenit naturæ divinæ, convenit tribus personis. Sed natura divina incarnata est, ut Patres docent. Ergo, &c. *Resp.* Quod convenit naturæ divinæ ratione sui, convenit tribus personis. At incarnatam esse non convenit naturæ divinæ ratione sui, sed tantùm ratione proprietatis relativæ Verbi, cui identificatur; nec Patres aliter eam incarnatam esse intelligunt. Itaque humanitas existit dependenter à proprietate relativa Verbi, ut sustentativo formali; & sic humanitas est natura Verbi; & sic Verbum est persona duarum naturarum, divinæ & humanæ, & sic duæ naturæ, divina & humana, sunt unum in persona; & sic natura divina unita est humanæ in Verbo; & hac ratione, non alia, natura divina incarnata est.

Obj. 4. Non potest videri una persona à Beato sine aliis. Ergo nec potuit una persona sine aliis incarnari. *Resp.* Dato antecedente, non concesso (quidni enim visio posset esse præcisiva) neg. cons. Nam si una persona non potest videri sine aliis, non potest, quia natura divina non potest intuitivè cognosci, quin cognoscatur adæquatè ut in se est, adeòque quin cognoscatur cum personarum omnium divinarum proprietatibus relativis, à quibus terminatur, & quasi modificatur. At non est similis ratio pro incarnatione: cùm enim proprietates relativæ personarum divinarum distinctæ sint, sunt sustentativa distincta: unde humanitas incumbere potest uni proprietati relativæ, non incumbendo aliis, & sic una persona, putà persona Verbi, sine aliis incarnari potuit.

ARTICULUS II.

Utrùm persona Verbi assumpserit omnes partes naturæ humanæ.

CErtum est, quòd Verbum assumpserit corpus & animam, cùm certum sit, quòd humanitatem assumpserit. Sed difficultas est de quibusdam partibus corporis, nempe de sanguine, de dentibus, de unguibus, de capillis, &c. quæ quidem omnia fuisse in corpore Christi, dubium esse non potest: Verbum enim assumpsit corpus vivum, & integrum: unde extra controversiam est, quòd ea omnia Verbum assumpserit saltem mediatè, sicut ab eo assumpta sunt accidentia omnia physica ejusdem corporis: nam Verbum assumendo humanitatem, illam fecit suam, & illam faciendo suam, ea mediante, fecit quoque sua, quæcumque illius sunt, sicque illa saltem mediatè assumpsit; quod planè sufficiens est ad hoc, ut verè ac propriè dicantur sanguis, dentes, ungues, &c. Verbi: quare absolutè satis fuit, quòd mediatè seu mediantibus partibus essentialibus humanitatis, Verbum assumeret sanguinem, dentes, &c. Quæritur tamen utrùm etiam immediatè assumpserit illa omnia, ea scilicet, per suam proprietatem relativam formaliter sustentando? Pro quo sit

Responsio I.

Persona Verbi assumpsit immediatè sanguinem.

Prob. 1. Ex Scriptura & Patribus: eodem enim modo Verbo tribuunt sanguinem, quo carnem: nam Hebræorum, cap. 2. dicitur: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse* (Filius Dei) *similiter participavit eisdem.* Et sanctus Cyrillus epist. 8. quæ est ad Nestorium, ubi ait: *Quòd autem Verbum caro factum perhibetur, id aliud nihil est, quàm quòd perinde, ac nos carni & sanguini communicavit: suum ergo fecit nostrum corpus* (assumendo carnem, & sanguinem.)

Prob. 2. ratione. Verbum assumpsit immediatè humanitatem integram & perfectam. Ergo assumpsit immediatè partes omnes humanitatis. Atqui sanguis est pars ad integritatem humanitatis pertinens, ut patet ex communi hominum sensu, quo corpus non censetur integrum & perfectum sine sanguine; imò & ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. ubi evidenter supponit, sanguinem esse partem humanitatis Christi, cùm dicit: *Ipsum corpus* (Christi esse) *sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.*

Confirm. Quia plurimùm facit ad dignitatem & pretium sanguinis (idem dic de omnibus aliis partibus corporis Christi) quòd Verbum immediatè illum assumpserit. Ergo reverà Verbum, dici debet immediatè assumpsisse sanguinem. Adde, assumpsisse immediatè totum sanguinem. Nam 1. dum Scriptu-

ræ

ræ & Patres carnem & sanguinem ex æquo tribuunt Verbo, non distingunt inter sanguinem & sanguinem. 2. Totus sanguis corporis Christi pars erat, pertinens ad integritatem naturæ humanæ, præsertim cùm in Christo non esset sanguis superfluus.

Nec dic, Verbum immediatè assumpsisse sanguinem vitalem, non sanguinem alimentitium: nam omnis sanguis alimentitius est, seu nutritioni aptus, adeòque inutilis est hæc distinctio; quanquam, ea admissa, nihil efficeretur. Sanguis enim alimentitius tam pertineret ad integritatem naturæ, quàm sanguis vitalis.

Obj. 1. Sanguis non est pars, est enim natura completa per se, & totum aliquod substantiale. Ergo, &c. *Resp.* neg. antec. & ejus probationem: sanguis enim, quandiu est in corpore, est aliquid incompletum per se; nam ex sanguine, corpore, & anima, tanquam ex tribus substantialiter incompletis, resultat principium aliquod adæquatum certarum operationum; quod est totum aliquod substantiale, unum per se, una natura completa, quam constituendo, sese mutuò complent substantialiter.

Dices. Sanguis non est animatus. Item sanguis non est pars corporis. Item sanguis non est unitus corpori; non enim est ei continuus, sed tantùm contiguus. Item secundùm Aristotelem, sanguis non est pars actu, sed solùm potentia. Item sanguis est instrumentum animæ. Ergo sanguis non est pars.

Resp. Ad primum, non omnes partes, ad integritatem naturæ pertinentes, animatas esse. *Resp.* Ad secundum, sanguinem non esse partem corporis, at nihilominùs esse partem humanitatis. Certè anima est humanitatis pars, quamvis non sit pars corporis. Ad tertium *Resp.* neg. Sanguis enim cum corpore & anima facit unum per se, unam naturam completam, ad quod non requiritur continuitas sanguinis cum corpore, sed sufficit contiguitas. Ad quartum *Resp.* sanguinem non esse quidem partem corporis actu, sed potentia tantùm, quatenùs ex eo fiunt partes corporis, cùm in ossa, nervos, carnem, &c. per nutritionem convertitur: at, quod sufficit, etiam ante illius in partes corporis conversionem, est actu pars naturæ, ut probatum est. Ad quintum denique *Resp.* ipsummet corpus esse instrumentum animæ, & tamen esse partem humanitatis; imò est pars humanitatis, quia est instrumentum animæ. Ergo similiter, &c.

Obj. 2. Si Verbum assumpsit immediatè sanguinem, Verbum est sanguis, seu sanguis verè prædicatur de Verbo. Absurdum consequens. Ergo, &c. *R.* neg. sequelam maj. Nam v. gr. Verbum assumpsit immediatè caput, manus, & animam, quæ tamen de Verbo prædicari non possunt: non enim dici potest: Verbum est caput, manus anima. Ratio pro illis omnibus est, quia partes se habent ad instar formarum. Forma autem in abstracto prædicari non potest subjecto, cui inest, proindeque partes in abstracto prædicati non possunt de eo, cui insunt. Quare de Verbo dici non potest, quòd sit caput, manus, anima, sanguis; cùm hæc nomina, caput, manus, &c. sint nomina abstracta. Solùm igitur de eo dici potest, quòd sit habens caput, manus, animam, sanguinem. Præterea, ad veritatem propositionis affirmativæ, ut infrà fusiùs dicetur, requiritur, ut idem sit rectum subjecti & prædicati. At in his propositionibus, Verbum est sanguis, Verbum est caput, &c. non est idem rectum subjecti, & prædicati: rectum enim prædicati non est Verbum, quia hæc nomina, sanguis, caput, &c. supponunt tantùm pro sanguine, capite, &c. non pro habente caput, sanguinem. Ergo, &c.

At inquies. Patres docent, corpus Christi assumptum fuisse à Verbo mediatè tantùm: dicunt enim, corpus Christi assumptum fuisse à Verbo mediante anima. Ergo à fortiori sanguis mediatè tantùm à Verbo assumptus fuit. *Resp.* neg. antec. *Ad prob. Resp.* Patres cùm dicunt, corpus Christi assumptum fuisse mediante anima, nihil aliud velle, quàm corpus Christi assumptum fuisse propter animam, ejusque functiones, in eo exercendas ad satisfaciendum pro peccatis hominum, in quo etiam sensu sanguis à Verbo assumptus est, mediante anima.

Quæres obiter. Utrùm totus sanguis in passione effusus, & posteà in resurrectione resumendus in venas, toto triduo, quo Christi corpus fuit in sepulchro, unitus Verbo manserit?

Resp. Mansisse, sicut toto illo triduo corpus & anima, quamvis separata, unita Verbo remanserunt. Porrò sanguis in passione effusus, in resurrectione resumptus est totus moraliter, seu quoad maximam partem; cùm in corpore Christi non fuerit sanguis superfluus; non est tamen resumptus totus physicè, cùm in linteaminibus, clavis, & aliis instrumentis passionis remanserint maculæ sanguineæ, quæ maculæ non sunt nisi sanguis, qui tamen unitus non est ampliùs Verbo, cùm non sit ampliùs in humanitate Christi, propter quam tantùm, & non propter se, à Verbo assumptus fuerat.

Responsio II.

Persona Verbi assumpsit etiam immediatè dentes, ungues, & capillos.

Prob. Nam Verbum immediatè assumpsit ea omnia, quæ pertinent ad integritatem naturæ humanæ. Atqui dentes, ungues, &c. ad naturæ humanæ integritatem pertinent, Ergo, &c.

At inquies. Si ita est, fuit quotidie nova unio ad Verbum, & nova separatio à Verbo: nam quotidie crescebant, & resolvebantur ungues, & capilli. *Resp.* Ita fuisse, sicut etiam fuit in quotidiana nutritione, & resolutione carnis, & aliarum partium animatarum, quas tamen à Verbo immediatè assumptas esse, nemo inficiatur.

Dices. At hoc repugnat communi axiomati: Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. *Resp.* neg. Et dico sensum axiomatis esse, quòd Verbum numquam dimiserit animam & corpus, aliasque partes assumptas, sive physicè, sive moraliter tantùm eædem permanserint.

Quæres 1. Utrùm Verbum assumpserit etiam immediatè accidentia physica humanitatis?

R. Negativè. Nam accidentia humanitatis assumptæ, non à Verbo sustentantur formaliter, sed ab ipsa humanitate, cujus sunt, & quam informant: sunt tamen verè ac propriè accidentia Verbi, hoc ipso quòd sunt accidentia humanitatis, quæ cum iis omnibus, quæ sua sunt, sua est Verbi.

Quæres 2. Quo ordine assumptæ fuerint à Verbo partes naturæ humanæ?

Resp. 1. Si agitur de ordine durationis, eodem planè instanti reali corpus Christi efformatum est, anima creata, atque infusa corpori; & tam corpus quàm anima simul Verbo unita sunt, sine ullo ordine prioris & posterioris. 2. Si agitur de ordine dignitatis, assumptio totius humanitatis dignior est assumptione singularum partium, rursumque assumptio animæ dignior est assumptione corporis.

3. Si agitur de ordine intentionis, priùs intenta est assumptio totius humanitatis, quam assumptio singularum partium; partes enim assumptæ sunt, ut assumeretur humanitas, non contra. 4. Si agitur de ordine executionis, priùs partes assumptæ sunt, quàm assumeretur humanitas: humanitas enim assumpta est, quia partes ejus assumptæ sunt.

ARTICULUS III.

Utrùm humanitas, à Verbo assumpta, existat existentia propria.

Responsio.

HUmanitas, à Verbo assumpta, existit existentia propria.

Est contra Thomistas, qui communiter docent, humanitatem Christi per unionem hypostaticam à

Verbo

Verbo assumptam esse ad existendum existentia increata ipsius Verbi. Sed contra illos responsio nostra probatur. Quia 1. ad unionem hypostaticam necessæ non fuit, ut humanitas assumeretur ad existendum existentia Verbi; & sine tali assumptione explicatur & intelligitur unio hypostatica, ut patet dictis disputatione tertia. 2. Sententia adversariorum videtur apertè repugnare Conciliis & Patribus: unanimiter enim docent, Verbum assumpsisse perfectiones omnes, ad naturam pertinentes. Inter has autem perfectiones locum proculdubio tenet existentia, quæ est primus & maximè intimus, ac immediatus naturæ actus, adeòque prima, & maximè intima, ac immediata naturæ perfectio.

3. Res quælibet per se ipsam formaliter existit, & existentia non est nisi actus metaphysicus rei existentis, vel potiùs est tantùm abstractum illius metaphysicum: ita ut non magis existentia & existens inter se distinguantur, quàm humanitas v. g. & homo: unde sicut humanitas, & homo sunt omninò unum & idem, conceptum diversimodè, uno scilicet modo, ut abstractum, seu forma, & altero ut concretum, seu habens formam: ita existens & existentia, &c. Quare intolerabiliter supponunt adversarii humanitatem Christi realiter distingui à propria existentia. Contra quod adhuc

Sic argumentor. 1. Si natura distinguitur realiter à sua existentia, natura se habet ad suam existentiam, ut potentia physica ad formam physicam, cui physicè unitur, quando scilicet existit existentia propria. Ergo si natura realiter distinguitur à sua existentia, priùs saltem natura existit, quàm habeat suam existentiam. Unio enim physica nec est, nec potest esse, nisi inter extrema, priùs saltem natura, quàm uniantur, existentia. Ergo si natura realiter à sua existentia distinguitur, existit antequam habeat suam existentiam, adeòque existit, antequam existat; quod absurdum & ludicrum est.

2. Si natura ab existentia sua realiter distinguitur, natura habet se ad existentiam suam, ut potentia passiva ad formam physicam, quam physicè sustentat, & physicè sustentando facit suam, ab eaque informatur. Absurdum consequens. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si natura habet se ad existentiam suam, ut potentia passiva ad formam quam, &c. natura existit independenter ab existentia sua: priùs enim saltem natura subjectum existit, quàm physicè sustentet formam aliquam, & ptiùs natura physicè sustentat formam illam, quam ab illa informetur, proindeque subjectum priùs saltem natura existit, quàm informetur ab aliqua forma, & sic existit independenter ab illa. Porrò dixi, quòd in hypothesi distinctionis naturæ à sua existentia, natura habet se ad existentiam suam ut potentia passiva ad formam, quam physicè sustentat: nam existentia distincta à natura, si datur, non est forma per se subsistens, sed forma inhærens subjecto suo, adeòque forma à subjecto suo physicè sustentata. Sed

Confirm. Responsio nostra, 1. hac ratione. Si humanitas Christi existit existentia Verbi, existentia Verbi actuat humanitatem Christi, & sic existentia Verbi est actus physicus humanitatis Christi; humanitas verò Christi potentia passiva existentiæ Verbi. Atqui manifestè repugnat, Dei existentiam esse actum physicum ullius potentiæ passivæ. Ergo, &c.

Confirm. 2. Auctoritate S. Thomæ, quem suum esse contendunt adversarii, & quem tamen nostrum esse, patet ex quæstione de unione Verbi Incarnati art. 4. in O. ubi expresè agnoscit in Christo duplex esse, seu existere, unum scil. increatum, quod habet à natura divina, & alterum creatum, quod habet à natura humana. Item agnoscit in Christo duplex esse, nempe esse naturæ divinæ, quo Verbum simpliciter substantificatur, & idcircò est esse primarium, seu principale in Christo, & esse naturæ humanæ, quo Verbum substantificatur tantùm secundùm quid: unde in Christo tantùm est esse secundarium, & adventitium: *In Christo* (inquit S. Doctor) *suppositum subsistens est persona Filii Dei, quæ simpliciter substantificatur per naturam divinam, non autem simpliciter substantificatur per naturam humanam, quia persona Filii Dei fuit ante humanitatem assumptam ..... Substantificatur autem suppositum æternum per naturam humanam, in quantum est hic homo .... quod esse* (hominis) *etsi non sit esse accidentale, quia homo non prædicatur accidentaliter de Filio Dei, non tamen est esse principale sui suppositi, sed secundarium.*

Objicies 1. Apud S. Thomam, solum esse simpliciter est esse substantiale. At juxta eumdem, unum tantum est esse simpliciter in Christo, nempe esse Verbi. Ergo in Christo solum esse Verbi est esse substantiale, adeòque humanitas Christi non habet proprium esse substantiale, & ita, quod idem est, non existit existentia propria. *Resp.* Apud S. Thomam, solum esse simpliciter est esse substantiale, quod constituit rem per se subsistentem, hypostasim, suppositum; at juxta eumdem, præter illud esse substantiale, quod in Christo rem per se subsistentem seu personam constituit, & consistit in esse naturæ divinæ, supple, ut terminatæ, & quasi modificatæ per proprietatem relativam filiationis; est etiam in eodem Christo aliud esse substantiale, quod non constituit novam rem per se subsistentem, sed rei per se subsistenti, & ab æterno existenti, nempe Verbo, additur per unionem substantialem, & sic additum integrat illud in aliqua ratione, in ratione scilicet rei per se subsistentis in duplici natura.

Obj. 2. Juxta eumdem, humanitas, dum producitur unita Verbo, non acquirit, nec habet esse proprium. Ergo non existit existentia propria. *R.* neg. cons. Itaque S. Doctor dicit humanitatem, cùm producitur unita Verbo, non acquirere, nec habere esse proprium, non quòd credat eam, non propria, sed Verbi existentia existere; quem sensum S. Doctori affingendo, adversarii toto cœlo ab ejus mente aberrant: sed quia eo ipso quòd producitur unita Verbo, non est aliquid per se subsistens, sed aliquid per se subsistenti additum, & esse non acquiritur composito substantiali, quod per se non subsistit, sed per se subsistenti, cui additur.

Bonitas hujus responsionis patet ex S. Doctore in 3. dist. 6. qu. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: *Quando compositum ex materia & forma, est per se subsistens, acquiritur ex forma illi composito esse absolutum per se: quando autem non est per se subsistens, non acquiritur per formam esse illi composito, sed subsistenti, cui hoc adjungitur, acquiritur respectus secundum esse ad hoc, quod ei additur.* Doctrinam hanc illustrat exemplo: *Sicut*, inquit, *si ponamus hominem nasci sine manu; & manum per se separatim fieri, & postea ei miraculosè conjungi, constat quòd forma manus causabit esse manus per se subsistentis: sed postquam conjungitur homini, non acquiritur ex forma manus aliquod esse manui, quia* (tunc) *manus non habet esse proprium: sed acquiritur homini respectus ad manum secundùm suum esse.*

Hoc manus exemplo clarè exponitur mens sancti Doctoris. Itaque cùm producitur manus unita reliquo corpori, tunc esse proprium manus non acquiritur ipsi manui, quia tunc manus, quamvis se ipsa formaliter existat, non est res per se subsistens, sed pars rei per se subsistentis, nempe hominis, qui generatur, & cui proinde acquiritur esse proprium manus, cùm ad ejus integritatem pertineat. Quòd si homo generaretur sine manu, & manus separatim produceretur, tunc esse proprium manus acquireretur ipsi manui, quia tunc manus esset res per se subsistens, quando quidem esset substantia quædam per se tota & integra, quia à nullo alio ulteriùs compleretur substantialiter: unde manus, quandiu separatim existeret, haberet esse proprium manus. At si posteà miraculosè conjungeretur homini manus, tunc desineret habere esse proprium manus, & hoc esse acquireretur homini, cui conjungeretur, non quia tunc desineret se ipsa formaliter existere,

sed

sed quia desineret esse res per se subsistens, & incipe-ret esse pars rei per se subsistentis, nempe hominis, cui adderetur, & quem integraret.

Similiter, cùm humanitas producitur unita Verbo, esse proprium humanitatis non acquiritur ipsi humanitati, quia tunc humanitas, quamvis se ipsa formaliter existat, non est res per se subsistens, sed quasi pars rei per se subsistentis, nempe personæ Verbi, cui proinde acquiritur esse proprium humanitatis, quod ad ejus, ut in duplici natura subsistentis, integritatem pertinet.

Quòd si humanitas producta fuisset non unita Verbo, tunc esse proprium humanitatis acquisitum fuis-set ipsi humanitati, quia tunc humanitas fuisset res per se subsistens; fuisset enim substantia per se tota & integra, utpotè à nullo alio ulteriùs substantialiter completa: unde humanitas illa tandiu habuisset esse proprium humanitatis, quandiu extitisset non unita Verbo. At si posteà à Verbo assumpta fuisset hypo-staticè, tunc desiisset habere esse proprium humanita-tis, non quia desiisset per se ipsam formaliter existere, sed quia desiisset esse res per se subsistens, & cœpisset esse quasi pars rei per se subsistentis, nempe Verbi cui substantialiter addita fuisset, & quod in esse ho-minis integrare cœpisset.

Porrò si humanitas, quæ producta est unita Ver-bo, nunc desineret esse unita Verbo, ab eoque relin-queretur, nunc ei acquireretur esse proprium huma-nitatis, non quòd inciperet per se ipsam formaliter existere, sed quia inciperet esse per se subsistens; in-ciperet enim esse substantia per se tota & integra. Hoc disertis verbis asserit S. Doctor, quodlibet. 9. art. 3. in O. ubi sic ait: *Si ponatur humanitas à di-vinitate separari, tunc humanitas suum esse habebit aliud ab esse divino: non enim impediebat, quin proprium esse haberet, nisi hoc quod non erat per se subsistens.* Sed

Ad plenam mentis S. Thomæ intelligentiam. *Nota.* Non omnia, quæ revera existunt, quamvis se ipsis formaliter existant, apud S. Doctorem eodem modo habent esse: sed ex eis alia propriè habent, alia verò non. Illa propriè habent, quæ habent ut quod; illa verò non habent propriè, sed impropriè tantùm, quæ tantùm habent ut quo: unde apud S. Doctorem, solæ res per se subsistentes, habent pro-priè esse, quia solæ habent ut quod: reliqua verò, quæ per se non subsistunt, impropriè tantùm habent esse, quia illud habent ut quo tantùm. Hinc juxta sanctum Doctorem, forma accidentalis, putà albedo, non habet esse nisi impropriè, quandiu est in subje-cto, quia tandiu non est id quod est, sed id quo subjectum est album. Item pars substantialis, putà manus, impropriè tantùm habet esse manus, quandiu unita est corpori, quia tandiu non est id quod ha-bet, sed id quod habetur, atque adeò id, quo habe-tur esse manus.

Item natura, putà humanitas, propriè loquendo non habet esse humanitatis, sed tantùm est id quo il-lud esse habetur ab eo, cujus est humanitas, hoc est, à persona, quæ subsistit in humanitate: *Esse*, inquit sanctus Doctor hìc quæst. 17. art. 2. in O. *pertinet & ad naturam, & ad hypostasin: ad hypostasin qui-dem, sicut ad id quod habet esse ..... ad naturam autem sicut ad id quo aliquid habet esse.* Itaque juxta S. Doctorem, humanitas Christi propriè non ha-bet esse, quandiu manet unita Verbo, quia tandiu non est res per se subsistens, & ita tandiu non est id, quod habet, sed id quo habetur esse humanita-tis à Verbo, quod in Christo solum est res per se subsistens, adeòque solùm est id quod habet, quid-quid est in Christo.

Obj. 3. Idem S. Thomas hìc qu. 17. art. 2. in O. dicit & probat, quòd in Christo unum tantùm sit esse, nempe divinum & increatum. *Resp.* S. Docto-rem loco laudato solùm dicere & probare, quòd in Christo unum tantùm sit esse personale, quod fuit ab æterno, & per unionem substantialem humanita-tis cum Verbo non advenire in rerum natura no-vum esse personale, sed solùm fieri, ut esse perso-nale, quod jam erat, habeat novam habitudinem ad naturam humanam, in quantùm fit ut esse per-sonale, quod erat solius naturæ divinæ, jam sit et-iam humanæ: *Sic igitur*, inquit, *cùm humana na-tura conjungatur Filio Dei hypostaticè, vel perso-naliter, & non accidentaliter, consequens est, quòd se-cundum humanam naturam non adveniat sibi novum esse personale, sed solum nova habitudo esse perso-nalis præexistentis ad naturam humanam, ut scil. per-sona illa jam dicatur subsistere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam.*

Juxta S. Doctorem igitur, novum quidem esse, nempe hominis, advenit Verbo in incarnatione, sed illud novum esse hominis non fuit esse personale, distinctum ab esse personali Verbi: quia illud esse hominis advenit Verbo per conjunctionem hypostaticam, & substantialem humanæ naturæ cum ipso; & hæc conjunctio impedivit, ne humana natura es-set persona, impediendo, ne esset substantia per se tota, adeòque ne esset res per se subsistens. Quòd si natura humana in incarnatione accidentaliter tan-tùm, ut volebat Nestorius, Verbo conjuncta fuisset, præter esse personale Verbi, quod fuit ab æterno, advenisset novum esse personale, quia conjunctio illa accidentalis tantùm, non impedivisset, ne hu-mana natura esset persona, quia non impedivisset, ne esset substantia per se tota & integra, adeòque ne esset res per se subsistens: unde tunc in Christo tam fuissent duo suppositа distincta, nempe suppo-situm Verbi, & suppositum hominis puri, quàm duo sunt suppositа in Socrate vestito, nempe suppositum Socratis, & suppositum vestis, quæ quia Socrati non substantialiter, sed accidentaliter tantùm con-jungitur, ex eo quòd Socratem vestiat, nec amit-tit, nec amittere potest suam suppositalitatem.

At inquies. S. Thomas, quodlibet 9. art. 3. in O. expresè asserit, & probat, quòd in Christo unum tantùm sit esse substantiale. *Resp.* Dicit quidem san-ctus Thomas & probat, quòd in Christo unum tan-tùm sit esse substantiale: at unitatem hanc non re-petit ex eo, quòd una sit existentia, nempe divi-na, eorum omnium, quæ in Christo substantialia sunt; sed ex eo, quòd in Christo unum tantùm sit suppositum, ad cujus constitutionem, vel integrita-tem, pertinent ea omnia, quæ in Christo sunt sub-stantialia. Verba sancti Doctoris sunt: *Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cujus integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturæ, ideò oportet di-cere, quòd esse substantiale, quod propriè attribuitur supposito in Christo, est unum tantùm: habet autem ex ipso supposito, & non ex naturis.*

Itaque juxta S. Thomam, ubi unicum est suppo-situm, ibi unicum est esse substantiale; quia quid-quid ibi substantiale est, vel constituit; vel saltem integrat suppositum illud: unde omnia substantialia, quæ ibi sunt, in unum esse substantiale concurrunt propter unitatem suppositi. Quia ergo in Christo unicum est suppositum, nempe Verbum, unicum est esse substantiale, quamvis in Christo sint duæ natu-ræ, divina & humana. Sic quia in Socrate v. gr: unicum est suppositum, unicum est in eo esse sub-stantiale, quamvis in eo sint plures partes subst an-tiales. Sicut igitur in Socrate v. gr. unum est esse substantiale, quia partes substantiales, ex quibus So-crates constat, concurrunt in unum suppositum, aliæ constituendo, & aliæ integrando; ita in Chri-sto unum est esse substantiale, quia in Christo duæ naturæ concurrunt in unum suppositum, una, nem-pe divina, simpliciter constituendo illud, & altera, nempe humana, illud simpliciter constitutum inte-grando in esse hominis, vel, si vis, extendendo ad esse hominis.

Obj. 4. Humanitas non potest uniri substantialiter Verbo, nisi trahatur ad ejus esse personale. Sed hu-manitas non potest trahi ad esse personale Verbi, nisi existendo ipsius existentia. Ergo, &c. *Resp.* neg. min.

min. Et dico humanitatem trahi ad esse personale Verbi, eo ipso quòd fit verè ac propriè Verbi natura: at eo ipso verè ac propriè fit Verbi natura, quòd producitur ab eo ut formali sustentativo: sicut accidens verè ac propriè fit subjecti accidens, hoc ipso, quòd dependenter à subjecto ut formali sustentativo, producitur.

Præterea, quidquid sit de hac Scoti sententia, secundùm quam hic respondemus, humanitas ad esse personale Verbi trahi non potest, nisi per physicam sui cum illo unionem, adeòque nisi propria existentia existat: omnis enim physica unio nec est, nec potest esse, nisi inter extrema physica, ac physicè distincta, & quorum proinde utrumque suam habeat existentiam, ab alterius existentia distinctam.

At inquies. Si humanitas Christi existit existentia propria, actio generativa Virginis terminatur ad eam, non ad Verbum. *Resp.* Actionem generativam Virginis terminari ad humanitatem, & existentiam ejus propriam, ut ad terminum immediatum, & proximum; ad Verbum verò, ut ad terminum mediatum & ultimum.

DISPUTATIO V.

De communicatione Idiomatum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm detur communicatio idiomatum in sensu Catholicorum.

Nota 1. Nomen aliud est abstractum, aliud concretum. Abstractum est illud, quod tantùm significat formam, vel quasi formam, ut albedo, divinitas, humanitas, &c. Concretum verò, quod significat non solùm formam, vel quasi formam, sed etiam id, quod formam, vel quasi formam habet, ut album, Deus, homo. Porrò nomen abstractum significat formam, vel quasi formam secundùm se: sic v. gr: cùm dicitur: Divinitas est incarnata, sensus propositionis est, propriè ac strictè loquendo: Divinitas secundùm se est incarnata: unde hæc propositio in rigore vera non est.

Nomen concretum non eodem modo formam, & id quod habet formam, significat; nam significat formam expressè quidem, sed obliquè; confusè verò, sed directè; seu in recto id, quod formam habet, & pro eo supponit in propositione; nisi tamen, quod aliquando accidit, ad formale & expressum significatum determinetur suppositio: sic v. gr: album significat expressè, sed in obliquo albedinem; confusè verò, sed in recto id, quod habet albedinem: album enim idem est, ac habens albedinem; & cùm dico verbi gr: Paries est albus, to albus supponit pro eo, quod habet albedinem. Sensus enim propositionis est: Paries est habens albedinem. Dixi autem, nisi ad formale, &c. quia nomen concretum quandoque supponit pro forma, vel quasi forma, quam significat, ut cùm dicitur: Homo est species, album est accidens.

Nota 2. Ad veritatem propositionis affirmativæ, cujus subjectum & prædicatum sunt termini concreti, satis est, quòd rectum subjecti sit etiam rectum prædicati, atque adeò quòd subjectum & prædicatum supponant pro eodem recto. Sic vera est hæc propositio, facta de lacte: Album est dulce, quia idem est rectum utriusque termini, & uterque terminus supponit pro eodem recto: & verò perinde est ac si diceretur: Habens albedinem, est habens dulcedinem, quod sanè verum est, cùm idem, nempe lac, sit habens utramque formam.

Nota 3. Nomina concreta naturarum, & illarum attributorum, habent pro recto suppositum aliquod: nam suppositi est habere naturam, & ejus attributa: unde nomina concreta naturarum, & illarum attributorum, pro supposito aliquo supponunt in propositione, quoties suppositio terminorum non determinatur ad significatum formale & expressum. Hæc itaque nomina concreta, Deus, homo, mortalis, immortalis, &c. habent pro recto suppositum aliquod, & pro eo supponunt in propositione, quoties ad formale, & expressum significatum non determinatur suppositio, vel, si vis, quod idem est, quoties in propositione non ponitur terminus concretus pro abstracto. Hinc

Ad veritatem propositionis affirmativæ, constantis terminis, quæ sunt nomina concreta, satis est, quòd subjectum & prædicatum significent idem suppositum, ac pro eo supponant; sive uterque terminus sit nomen naturæ, aut attributi naturæ, vel personæ, sive unus sit nomen naturæ, & alter attributi naturæ, aut unus sit nomen personæ, & alter naturæ, vel attributi naturæ, vel à fortiori attributi personæ: nam in illis omnibus casibus idem erit rectum subjecti & prædicati propositionis, quod ad ejus veritatem sufficit ex notabili. 2. In his itaque propositionibus: Deus est homo, mortalis est immortalis, genitus ab æterno est genitus in tempore, homo est immortalis, Verbum est homo, Verbum est mortale, Verbum est genitum in tempore; ad veritatem requiritur & sufficit, ut subjectum & prædicatum idem suppositum significent, & pro eo supponant.

Nota 4. Quando unum, & idem suppositum duas habet naturas. 1. De hoc supposito duæ illæ naturæ, & vicissim de duabus illis naturis hoc suppositum; 2. De hoc supposito proprietates naturarum illarum, & vicissim de naturis illis proprietates hujus suppositi; 3. Illæ naturæ de se invicem; 4. De una natura alterius naturæ proprietates, & vicissim de proprietatibus unius naturæ altera natura; 5. Proprietates naturarum illarum, & ipsius suppositi de se invicem verè prædicantur per nomina concreta. Ratio universalis est, quia in omnibus illis prædicationibus rectum subjecti & prædicati primò est suppositum aliquod ex notabili tertiò. Secundò, est unum & idem suppositum; quia in hypothesi facta unum & idem suppositum habet duas naturas, atque ita, unum & idem est rectum subjecti & prædicati in omnibus illis prædicationibus; quod ad propositionis affirmativæ veritatem sufficit ex notabili secundo. Hinc

Nota 5. Cùm in Christo sit unum & idem suppositum habens duas naturas, circa ipsum sextuplex prædicandi genus distingui potest. Primus est, quo duæ naturæ de supposito, & suppositum de duabus naturis; secundus, quo proprietates naturarum de supposito, & proprietates suppositi de naturis; tertius, quo natura divina de humana, & humana natura de divina; quartus, quo proprietates naturæ divinæ de natura humana, & proprietates naturæ humanæ de natura divina; quintus, quo proprietates naturæ divinæ de proprietatibus naturæ humanæ, & proprietates naturæ humanæ de proprietatibus naturæ divinæ; sextus denique, quo proprietates duarum naturarum de proprietatibus suppositi, & proprietates suppositi de proprietatibus duarum naturarum verè prædicantur in concreto. Ratio communis pro omnibus his prædicationibus est, quia in omnibus subjectum & prædicatum unum & idem rectum habent; cùm significent in recto unum & idem suppositum, pro quo supponunt.

Nota 6. Hæc nomina concreta personalia, Verbum, Filius Dei, Christus, Jesus, unum & idem suppositum significant, nempe suppositum Verbi, & pro eo supponunt in propositione: cum hoc tamen discrimine, quòd, ut observat S. Thomas hic qu. 16. art. 5. in O. Christus dat intelligere utramque naturam divinam & humanam, in quibus suppositum illud subsistit, Jesus solam humanam, cætera verò nomina solam divinam: Christus enim idem sonat, ac suppositum subsistens in natura divina & humana; Jesus idem, ac suppositum hoc subsistens in natura humana; Verbum, & Filius Dei idem ac suppositum

tum hoc subsistens in natura divina: Unde Christus in obliquo significat explicitè utramque naturam divinam & humanam, Jesus solam naturam humanam, Verbum & Filius Dei solam naturam divinam, sicut & nomen hoc concretum naturæ Deus. Hinc

Hæ propositiones: Christus est homo, Jesus est homo, Verbum est homo, Filius Dei est homo, Deus est homo, licèt sint æqualiter veræ, quia in illis omnibus subjectum, & prædicatum supponunt pro uno & eodem supposito, non sunt tamen eodem modo veræ: nam prima & secunda veræ sunt necessariò, necessitate scilicet consequente; necesse enim est, suppositum subsistens in natura divina & humana, esse hominem: at reliquæ sunt veræ contingenter tantùm; contingens enim est, suppositum naturæ divinæ esse hominem.

Nota 7. Ex dictis hactenùs liquet verè dici: Verbum est Deus, Verbum est homo, Christus est Deus, Christus est homo, Jesus est Deus, Jesus est homo; & vicissim Deus est Verbum, homo est Verbum, &c. quamquam hæ prædicationes sint innaturales, quia prædicatur id, quod minùs aptum est prædicari, nempe suppositum de natura.

Item verè dici: Verbum est immortale, Verbum est mortale; Christus est immortalis, Christus est mortalis, Jesus est immortalis, Jesus est mortalis; & vicissim: Immortale est Verbum, mortale est Verbum, &c. Quæ prædicationes sunt innaturales, quia in illis prædicatur suppositum de proprietatibus naturarum. Cùm autem suppositi sit habere, & naturarum cum suis proprietatibus haberi, naturæ cum suis proprietatibus aptiùs prædicantur de supposito, quam suppositum de illis,

Item verè dici: Immortalis est mortalis, omnipotens est infirmus, immensus est circumscriptus utero Virginis, &c. & vicissim: Mortalis est immortalis, infirmus est omnipotens, circumscriptus utero Virginis est immensus, quæ prædicationes tam naturales sunt, quàm aliæ; quia in illis tam prædicatur id quod aptum est prædicari, nempe proprietas naturæ de supposito.

Item verè dici: Genitus ab æterno ex Patre, natus est in tempore ex Virgine; & vicissim: Natus in tempore ex Virgine, genitus est ab æterno ex Patre. Item verè dici: Deus est ex Patre genitus; & vicissim: Genitus ex Patre Deus est, homo est Spirator; & vicissim: Spirator est homo. Ratio generalis est, quia in omnibus illis prædicationibus subjectum & prædicatum habent unum & idem rectum, nempe unum, & idem suppositum Verbi, pro quo supponunt; quod sufficit ad veritatem propositionis affirmativæ, quæ constat terminis concretis. His omnibus præsuppositis, sit

Responsio.

Datur communicatio idiomatum in sensu Catholicorum.

Prob. 1. Communicatio idiomatum propriè ac strictè sumpta, secundùm Catholicos, consistit in eo, quòd proprietates naturæ divinæ de proprietatibus naturæ humanæ, & vicissim proprietates naturæ humanæ de proprietatibus naturæ divinæ; item in eo, quòd proprietates utriusque naturæ de proprietatibus personalibus, & vicissim proprietates personales de proprietatibus utriusque naturæ, verè prædicentur in concreto. Atqui proprietates naturæ divinæ de proprietatibus, &c. item proprietates utriusque naturæ de proprietatibus personalibus, &c. in concreto verè prædicantur. Ergo, &c.

2. Communicatio idiomatum minùs strictè sumpta, secundùm Catholicos, consistit in eo quòd natura divina de humana, & vicissim natura humana de divina; item in eo, quòd utraque natura de supposito, & vicissim suppositum de utraque natura verè prædicetur in concreto. Atqui in concreto verè prædicatur natura divina de humana, & natura humana, &c. Ergo, &c. Utraque minor patet ex notabili 8.

Porrò hujus communicationis idiomatum, quam Catholici omnes agnoscunt, fundamentum duplex est, unum scilicet reale, ac physicum, quod consistit in concursu duarum naturarum, divinæ & humanæ, in uno & eodem supposito Verbi; qui concursus fit per identitatem unius naturæ, nempè divinæ, & per hypostaticam unionem naturæ alterius, nempè humanæ cum supposito illo: alterùm verò logicum & rationis, in eo situm, quòd supposito illo naturarum duarum concursu in persona una & eadem, nomina concreta personæ, naturarum, & proprietatum personæ ac naturarum, idem rectum habeant, & pro eo supponant: cùm enim nomina illa, ex notabili 3, habeant pro recto suppositum aliquod, præsupposito concursu naturarum in uno & eodem supposito, habent pro recto unum & idem suppositum, atque ita habent idem rectum, pro quo supponunt.

Obj. Hæc prædicatio: Immortalis est mortalis, (idem dic de omnibus aliis,) involvit contradictionem. Ergo non est vera, adeòque non datur idiomatum communicatio, &c. *Resp.* Prædicationem hanc: Immortalis est mortalis (idem judicium esto de omnibus aliis, quæ ad idiomatum communicationem pertinent) contradictionem involvere, non veram ac realem, sed apparentem tantùm. Sed ad pleniorem hujus difficultatis solutionem,

Nota. Attributa, in quorum mutua prædicatione, in concreto facta, consistit idiomatum communicatio propriè sumpta, alia conveniunt Christo secundùm naturam divinam, ut esse æternum, infinitum, immensum, omnipotentem, remittere peccata, miracula facere, creare mundum, &c. alia secundùm naturam humanam, ut esse natum in tempore, finitum, loco circumscriptum, dormire, comedere, ambulare, &c. Alia denique ratione utriusque naturæ, ut esse redemptorem, mediatorem, mereri, & satisfacere; nam in actione merendi & satisfaciendi, duo sunt, scilicet ipsa substantia actionis, quæ est à Christo ut homine, & actionis valor infinitus, qui est à Christo ut Deo.

Christus igitur æternus est, in quantùm Deus; natus est in tempore, in quantum homo; satisfecit pro nobis, in quantum Deus & homo. Hinc cum per communicationem idiomatum dicitur: Æternus natus est in tempore; natus in tempore æternus est; sensus est: Æternus secundùm divinitatem, natus est in tempore secundùm humanitatem; natus in tempore secundùm humanitatem, æternus est secundùm divinitatem.

Similiter, cum dicitur: Qui satisfecit pro nobis, natus est in tempore; natus in tempore, satisfecit pro nobis; sensus est: Qui satisfecit pro nobis in quantum Deus & homo, natus est in tempore, in quantum homo; natus in tempore, in quantum homo, satisfecit pro nobis, in quantum Deus & homo.

Igitur in communicatione idiomatum, non est vera, sed apparens tantùm contradictio: nequè necesse est in propositione, addere subjecto & prædicato hæc verba, in quantum Deus, in quantum homo, in quantum Deus & homo: nam qui æternus est in quantum Deus, æternus est simpliciter, & de eo simpliciter dici potest, quòd sit æternus. Similiter, qui natus est in tempore, in quantum homo, simpliciter natus est in tempore, & de eo dici potest simpliciter, quòd sit natus in tempore. Similiter qui æternus est, in quantum Deus, & simul natus est in tempore in quantum homo, simul est æternus, & natus in tempore simpliciter, & de eo verè dicitur simpliciter, quòd sit æternus simul, & natus in tempore.

Bona est ergo hæc prædicatio: Æternus natus est in tempore; & ista: Natus in tempore æternus est (idem dic de aliis similibus prædicationibus.) Quod si tamen id, quod prædicamus de Christo, convenit ei ratione humanitatis v. g. & periculum est, ne videamur illud ei attribuere ratione divinitatis; in prædicatione addendum est: Secundùm humanitatem, vel, In quantum homo. Sic dici non debet simpliciter: Christus est mutabilis; sed, Christus secundùm

huma-

humanitatem, vel, in quantum homo, est mutabilis, ne videamur assentiri Arianis, qui volebant, Christum etiam secundùm divinitatem mutabilem esse.

Obj. 2. Hæc prædicatio, Deus est homo, non est propria, sed impropria tantùm. Ergo si datur aliqua idiomatum communicatio, nonnisi impropria datur. *Resp.* neg. ant. Ratio negandi est, quia vera natura humana est verè ac propriè natura suppositi divini. Quælibet autem natura verè ac propriè prædicatur de supposito, cujus est verè ac propriè natura. Hinc beata Virgo est verè ac propriè Mater Dei, ut docent Patres, & definiunt Concilia, ut Constantinopolitanum secundum œcumenicum can. 6. quò dicitur: *Si quis abusivè, & non verè, Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam.... & non propriè & verè Dei genitricem ipsam constetur .... talis anathema sit.*

Dices 1. Hæc prædicatio, Socrates est homo, magis propria est, quàm ista, Deus est homo. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. Veritas enim & proprietas prædicationis non repetitur à majori identitate, vel connexione prædicati cum subjecto, sed ex eo quòd subjectum & prædicatum habent idem rectum, quia hæc sola identitas in prædicatione enuntiatur per copulam. Est. Hinc prædicatio hæc, Socrates est albus, tam vera ac propria est, quàm ista, Socrates est homo; quia in hac prædicatione, Socrates est albus, rectum subjecti tam est idem cum recto prædicati, quàm in ista, Socrates est homo: quamvis hæc prædicatio, Socrates est albus, sit contingens; ista verò, Socrates est homo, essentialis sit.

Porrò in illa prædicatione, Deus est homo, rectum subjecti & rectum prædicati tam sunt unum & idem, quàm in hac, Socrates est homo; quare una prædicatio tam propria est, quàm altera, quantumvis homo de Deo dicatur contingenter, de Socrate verò essentialiter, & Socrates dicatur homo intransitivè, idest, habens humanitatem per se primò, & essentialiter ipsum constituentem; Deus verò homo dicatur transitivè, hoc est, habens humanitatem assumptam, & sibi substantialiter unitam, atque adeò à se distinctam realiter.

Dices 2. Homo prædicatur in quid de eo omni, de quo prædicatur propriè. Sed homo non prædicatur in quid de Deo: quærenti enim, quid sit Deus, responderi non potest, esse hominem. Ergo, &c. *R.* Hominem in quid strictè, hoc est, essentialiter, & quidditativè, vel saltem in quid latè, idest, substantivè, prædicari de eo omni, de quo propriè prædicatur. Homo autem prædicatur in quid latè de Deo, supponente pro Verbo: quærenti enim, quid sit Verbum, tam verè ac propriè respondetur, quòd sit homo, quàm quòd sit Deus: cum hoc tamen discrimine, quòd respondendo esse Deum, respondeatur per quid essentialiter, at respondendo esse hominem, respondeatur per quid substantivè tantùm.

Dices 3. Vera est hæc propositio, Deus est humanatus. Ergo propria non est ista prædicatio, Deus est homo. *Resp.* 1. neg. cons. Nam verè dicitur: Hæc persona divina est, & tamen omninò propria est hæc prædicatio: Hæc persona est Deus. Item verè dicitur: Hoc suppositum est humanum, & tamen dicitur etiam propriè. Hoc suppositum est homo. *Resp.* 2. Propositionem hanc, Deus est humanatus, veram esse, si to humanatus sumatur participialiter pro incarnato, secùs verò, si nominaliter sumatur; de quo infrà.

At inquies. Quia propriè dicitur: Socrates est homo; dici non potest: Socrates est humanus, Socrates est humanatus. *Resp.* 1. Dici non posse: Socrates est humanus, quia talis prædicatio non est usu recepta; dici tamen potest: Socrates est animal humanum, Socrates est substantia humana. 2. Dici non potest: Socrates est humanatus, quia prædicatio hæc, sicut & ista, Socrates est vestitus, importat suppositorum multiplicitatem.

Quæres 1. Utrùm homo prædicetur univocè de Christo & hominibus?

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia ad univocationem sufficit, quòd prædicatum conveniat pluribus, secundùm eamdem omninò significationem ex parte significati formalis & expressi. At homo Christo, & aliis hominibus sic convenit, quando quidem natura humana ejusdem essentiæ & rationis est in Christo, & aliis hominibus.

Quæres 2. Utrùm hæc propositio vera sit: Christus est creatura?

Resp. Veram esse, si sensus propositionis est, quòd Christus sit suppositum habens naturam creatam. Attamen simpliciter dicendum non est: Christus est creatura, sed: Christus secundùm humanitatem, seu in quantum homo, creatura est; ne videamur assentiri Arianis, qui dicebant Christum creaturam esse, etiam secundùm divinitatem.

Quæres 3. Utrùm admitti possit hæc propositio: Christus incœpit esse.

Resp. Secluso periculo Arianismi, admitti posse in duplici sensu. Primus est, quòd suppositum Verbi cœperit esse suppositum humanitatis. Secundus est, quòd suppositum Verbi sit suppositum naturæ, quæ incœpit esse. Ut autem omnis suspicio erroris vitetur, dicendum est: Christus incœpit esse secundùm humanitatem.

Quæres 4. Utrùm vera sit hæc propositio: Deus factus est hic homo?

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia to hic, additum prædicato propositionis, non afficit rectum ejus, sed obliquum: unde propositionis sensus est: Deus assumpsit hanc humanitatem, quod verum est; cùm Verbum non assumpserit humanitatem in communi, sed hanc in particulari humanitatem. Porrò dixi, additum prædicato propositionis: nam to hic (idem dic de quolibet alio articulo) additum subjecto propositionis, afficeret rectum illius. Unde si diceretur: Hic Deus factus est homo, sensus esset: Hoc naturæ divinæ suppositum factum est homo, quod verè diceretur.

ARTICULUS II.

Præcipuæ Regulæ, ad rectam in præsenti materia prædicationem pertinentes, traduntur.

I. Regula. Attributum merè negativum unius naturæ, simpliciter removens à supposito attributum aliud, quod ei convenit ratione alterius naturæ, prædicari non potest de ipso supposito, aut altera natura, etiam in concreto. Sic v. g. dici non potest: Christus est incorporeus, hic homo est incorporeus, si to incorporeus terminus est merè negativus, adeòque assumptus ad significandum attributum merè negativum: tunc enim sensus propositionum factarum est: Christus non est suppositum naturæ corporeæ, hic homo non est suppositum naturæ corporeæ; quod est falsum.

Dixi: Attributum merè negativum. Nam si attributum negativum est grammaticaliter tantùm, adeòque attributum est positivum, termino negativo expressum, prædicari potest de ipso supposito, & alia natura, ejusque attributis in concreto. Sic verè dicitur: Christus est immortalis, hic homo est immortalis, mortalis est immortalis: tunc enim nihil à supposito removetur, quod ei naturæ alterius ratione conveniat: neque hujus propositionis v. g: Christus est immortalis, sensus est: Christus non est suppositum naturæ mortalis; sed: Christus est suppositum naturæ habentis perfectionem, vi cujus non potest mori; quod verum est.

II. Regula. Abstracta de abstractis, aut abstracta de concretis, aut concreta de abstractis, prædicari non possunt in sensu formali & proprio. Sic dici non potest: Divinitas est humanitas, immortalitas est mortalitas, nec viciſſim. Item dici non potest: Divinitas est homo, humanitas est Deus, divinitas est mortalis, humanitas est immortalis, nec viciſſim; imò nec dici potest, in sensu scil. formali & proprio:

prio : Deitas est Verbum, Verbum est deitas ; & multò minùs potest dici : Verbum est humanitas, humanitas est Verbum.

Ratio pro omnibus propositionibus est, quia 1. in illis non est idem rectum subjecti, & prædicati realiter, vel saltem formaliter : nam v. grat: in hac propositione : Humanitas est Verbum ; aliud est realiter rectum subjecti, nempe ipsa natura humana, & aliud rectum prædicati, nempe ipsum Verbum ; unde hæc propositio ne quidem in sensu identico vera est. Hujus verò propositionis, Deitas est Verbum, prædicatum & subjectum habent quidem rectum idem realiter; unde propositio vera est in sensu identico : at non habent idem in sensu formali; deitas enim in sensu formali non est Verbum, sed ab eo præscindit : unde propositio in sensu formali vera non est.

2. Ut jam observatum est, nomina abstracta significant formas, vel quasi formas secundùm se: unde hujus propositionis v. gr. Divinitas est mortalis, sensus est : Divinitas secundùm se, & ratione sui, est mortalis ; quod est falsum. Similiter propositionis istius : Deitas est Verbum, sensus est : Deitas secundùm se, & ratione sui præcisè Verbum est; quod est etiam falsum, & sic de cæteris. Hinc quando Patres dicunt, divinitatem passam esse, incarnatam esse, mortuam esse, loquuntur in sensu identico, & nil aliud volunt, quàm suppositum, quod cum divinitate realiter idem est, passum, incarnatum, & mortuum esse per suam humanitatem.

III. Regula. De Christo, aut natura divina, etiam per nomen concretum expressa, prædicari non possunt partes sive essentiales, sive integrales humanitatis. Hinc dici non potest: Verbum est pes, Christus est anima, Deus est corpus. Ratio est, quia nomina partium non sunt nomina suppositi, nec habent pro recto suppositum, sed ipsas partes : unde in propositionibus factis, non est idem rectum subjecti & prædicati : ad veritatem autem omnis propositionis affirmativæ, requiritur, ut subjectum, & prædicatum idem rectum habeant.

IV. Regula. Concreta, quæ soli naturæ in abstracto, & non supposito ratione illius conveniunt, ut assumi, & esse puram creaturam, prædicari non possunt de supposito, aut de natura divina, etiam per nomen concretum expressa. Sic dici non potest : Christus est pura creatura, Deus est pura creatura, Christus est assumptus, Deus est assumptus. Patet.

V. Regula. Nomina concreta naturæ humanæ, & attributorum ejus, prædicari possunt de supposito, & natura divina in concreto, per verbum fieri, aut factum est esse; non vicissim. Sic verè dicitur: Verbum factum est homo, Christus factus est homo, Deus factus est homo, Deus factus est mortalis, infirmus, &c. Ratio est, quia in his prædicationibus, solùm significatur, rectum subjecti fuisse saltem priùs natura aliquid per se subsistens, quàm adveniret ei obliquum prædicati, quod ei per prædicationem attribuitur : hoc autem verum est de recto subjecti propositionum factarum : nam rectum illud est suppositum Verbi.

Dixi, Non vicissim : nam propriè loquendo, dici non potest : Homo factus est Verbum, homo factus est Deus, homo factus est Christus, mortalis factus est Deus, &c. Falsum enim est, rectum subjecti in his propositionibus fuisse priùs aliquid per se subsistens, quàm haberet id omne, quod ei attribuitur per prædicatum : nam in his propositionibus rectum subjecti, cùm sit ipsummet suppositum Verbi, non priùs fuit, quàm esset Verbum, Deus subsistens in natura divina, licèt priùs fuerit, quàm in natura humana subsisteret. Unde quando Patres aliqui dicunt: Homo factus est Deus, loquuntur impropriè, & per hunc improprium loquendi modum, nihil aliud volunt, quàm humanitatem hypostaticè unitam esse Deo, ita ut vi hujus unionis, suppositum, quod antea tantùm erat Deus, jam sit Deus & homo.

VI. Regula. Concretum unius naturæ prædicari non potest de alterius naturæ concreto, cum particula reduplicativa sumpto. Sic dici non potest : Deus, qua Deus, est homo ; hic homo, qua homo, Deus est. Ratio est, quia reduplicatio cadit saltem ex parte supra formale significatum subjecti, atque ita saltem significatur per reduplicationem, formale significatum subjecti rationem esse partialem cur prædicatum subjecto conveniat; quod in factis prædicationibus falsum est : falsum enim est, quòd humanitas sit causa etiam partialis tantùm, cur Christus sit Deus; & vicissim falsum est, quòd divinitas sit causa etiam partialis tantùm, cur Christus sit homo.

VII. denique Regula. Vitandæ sunt prædicationes illæ omnes, quæ unioni hypostaticæ repugnant. Item vitari debent ea omnia attributa, quæ vel important negationem suppositi divini, vel involvunt hypostasim creatam, & distinctionem personarum in Christo. Itaque dici non potest: Christus est purus Deus, Christus est pura creatura, hic homo est pura creatura, Christus est homo dominicus, divinus, Deifer adjectivè, Deus est humanus, Deus est humanatus nominaliter. Ratio est, quia hæ omnes prædicationes unioni hypostaticæ repugnant : nam prima negat, Christum esse hominem ; secunda & tertia negant esse Deum ; reliquæ important suppositorum distinctionem, ac multiplicitatem.

ARTICULUS III.

Utrùm detur communicatio idiomatum in sensu Lutheranorum.

SEntentia Lutheranorum est, idiomatum communicationem in eo positam esse, quòd proprietates naturæ divinæ, ut omnipotentia, omniscientia, immmensitas, seu omnipræsentia, & aliæ similes, realiter communicatæ sint humanitati Christi, ita ut veræ sint hæ propositiones : Humanitas Christi est omnipotens, omniscia, ubique præsens ; Christus etiam ut homo, est omnipotens, omniscius, ubique præsens. Sed contra hunc absurdissimum errorem, sit

Responsio.

Non datur communicatio idiomatum in sensu Lutheranorum.

Nam 1. humanitas Christi non magis est omnipotens, & omnisciens per omnipotentiam & omniscientiam divinam, quàm est æterna, & independens per æternitatem, & independentiam divinam. Atqui humanitas Christi non est æterna, & independens per æternitatem, & independentiam divinam. Ergo, &c. Minor patet : nam humanitas Christi incœpit esse in tempore, & à Deo, sicut & cætera creata, essentialiter dependet. *Prob. maj.* Nam omnipotentia & omniscientia divina non magis humanitati Christi communicatæ sunt, quàm æternitas, & independentia divina : æternitas enim, & independentia divina, non minùs humanitati Christi per hypostaticam unionem conjunctæ sunt, quàm omnipotentia & omniscientia divina. Ergo, &c.

2. Omninò repugnat humanitatem Christi ubique esse formaliter per immensitatem divinam : ad hoc enim, ut humanitas Christi ubique esset formaliter per immensitatem divinam, requireretur, ut per immensitatem illam, ut formam in se receptam, vel extensa esset infinitè, vel saltem esset replicata in locis pluribus, & pluribus in infinitum. At humanitatem Christi per immensitatem divinam, ut formam in se receptam, formaliter extendi infinitè, aut formaliter replicari in locis pluribus & pluribus in infinitum, evidenter repugnat. Præterea, constat ex Scripturis, Christum secundùm humanitatem suam modò fuisse in uno loco, modò in alio ; modò in Judæa, modò in Galilæa, &c. Ergo constat ex Scripturis, quòd Christus secundùm humanitatem non fuerit ubique.

Obj. 1.

Obj. 1. Cum hæreticis, varia Scripturæ loca. Dicitur Coloss. c. 2. *In ipso* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Et Matth. cap. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Et ejusdem cap. 28. vers. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Et ibidem vers. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Et ad Ephes. cap. 4. *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*. *Resp.* Ad primum locum, sensum esse, quòd deitas habitet in Christo non solùm per gratiam, & mirabilium operum efficientiam, sed etiam per substantialem sui cum substantia corporea, seu carne humana, anima rationali animata, conjunctionem in Verbi persona, juxta illud Joannis cap. 1. *Verbum caro factum est*. *Resp.* ad 2. Christus in hoc loco dicit, se omnia à Patre per generationem æternam accepisse, atque ita se, qua Deus est, in nulla re Patri inferiorem esse. *R.* ad 3. Ibi Christus vel loquitur de se ipso secundùm divinitatem, & tunc idem dicit, quod superiori loco; vel loquitur de se ipso secundùm humanitatem, & tunc per potestatem omnem intelligit imperium, quod in omnes creaturas habet, ut homo. *Resp.* ad 4. Hic Christus promittit Apostolis, & eorum successoribus Episcopis, sese illis usque ad finem mundi adfuturum per gratiam suam, & directionem, non per corporalem præsentiam. *R.* ad 5. Sensus Apostoli est, quòd Christus secundùm humanitatem suam, loca omnia, infima scilicet, media & suprema, non simul, sed successivè impleverit sua præsentia, virtute, gloria, victoria, trium; in tertia conversando cum hominibus, post mortem ad inferos descendendo, & post resurrectionem suam ascendendo ad cœlos, ubi secundùm naturam assumptam quietus possidet summam illam regni dignitatem ac gloriam, quam supra creaturam omnem habet, proximus Deo: unde Apostolus de eo dicit: *Qui est ad dexteram Dei*, Rom. c. 8. & *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis*, Heb. c. 1.

Obj. 2. Quando duæ res sunt inseparabiliter unitæ, tunc ubicumque una est, ibi alteram quoque esse necesse est. Sed humanitas Christi & persona Verbi sunt duo unita inseparabiliter, & persona Verbi est ubique. Ergo, &c. *Resp.* neg. maj. Universaliter sumptam. Nam ut duæ res sint inseparabiliter unitæ, necesse non est, ut ubicumque est una, ibi quoque sit & altera; sed sufficit, quòd alicubi simul sint, & semper simul sint alicubi. Sic v. g. quandiu vivit homo, caput & anima sunt duo inseparabiliter unita, & tamen caput non est, ubicumque est anima: anima enim non solùm est in capite, sed etiam in pede v. gratia in quo non est caput. Quia tamen simul sunt, & semper sunt alicubi, quandiu vivit homo, tandiu dicuntur, & sunt unita inseparabiliter. Verbum autem semper est alicubi cum humanitate sua, licèt cum ea non sit ubique. Ergo, &c.

At inquies. Si humanitas Christi non est, ubicumque est Verbum, Verbum alicubi non est homo. *R.* neg. seq. Aliud enim est Verbum non esse alicubi, seu non esse ubique cum humanitate sua, & aliud, Verbum alicubi non esse hominem: nam hæc omninò diversa sunt, Verbum alicubi esse sine humanitate sua, & Verbum, alicubi existens, non esse hominem; nec unum ex alio inferri potest. Verbum alicubi est sine humanitate sua, quia Verbum est immensum secundùm divinitatem; humanitas verò, Verbi, utpotè entitas finita & limitata, certo aliquo loco necessariò circumscribitur: at non idcircò dici potest Verbum ibi non esse hominem, ubi non est cum humanitate; sed solùm potest dici, Verbum cum humanitate, qua homo est, non esse, ubicumque est.

At inquies. Hic homo Christus est ubique. Ergo & humanitas est ubique. Item, si humanitas Christi non est ubique; Verbum movetur localiter, quando movetur humanitas. Falsum consequens. Ergo, &c. *Resp. ad* 1. dist. Hic homo Christus est ubique secundùm divinitatem, Conc. ant. Secundùm humanitatem, Neg. ant. & consequentiam. *Resp. ad* 2. Verbum, quando movebatur humanitas, motum fuisse localiter, non secundùm divinitatem, quæ est ubique, sed secundùm humanitatem, quæ cùm non sit ubique, successivè transire potest de uno loco ad alium.

DISPUTATIO VI.

De necessitate & fine Incarnationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm necesse fuerit Deum incarnari.

Hic circa Incarnationem multa quæruntur. 1. Quidem utrùm necessaria fuerit necessitate physica, aut saltem morali extra omnem hypothesim. 2. Utrùm saltem, suppositò quòd nulla necessitate necessaria fuerit extra omnem hypothesim, necessaria fuerit ex hypothesi creationis mundi, aut ex hypothesi peccati primi parentis, & naturæ lapsæ. 3. Denique, utrùm saltem necessaria fuerit ex hypothesi condignæ satisfactionis, per hominem exhibendæ pro peccatis.

§. I.

Incarnatio non fuit absolutè necessaria necessitate physica.

Prob. 1. Ex Apostolo Ephes. cap. 1. ubi de Deo dicit: *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Sed qui operatur secundùm consilium voluntatis suæ, operatur absque omni antecedenti determinatione ad unum. Ergo Deus incarnationem operatus est absque antecedenti ad unum determinatione, adeòque incarnatio, saltem extra omnem hypothesim, necessaria non fuit necessitate physica. 2. Ratione: quia libertas ad extra est perfectio maxima, & quidem simpliciter simplex, qua proinde Deus carere non potest. Ergo repugnat Deum antecedenter determinatum physicè ad aliquod opus ad extra. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia Deus est supremus rerum omnium Dominus. Ergo potest pro arbitrio de rebus omnibus disponere, eas scilicet producendo, vel non producendo, sicut & productas conservando, vel destruendo. Ergo, &c. Præterea, Deus est ab intrinseco perfectissimè beatus, sibique sufficientissimus. Ergo cùm nulla re, quæ sit extra ipsum, indigeat, aut indigere possit, non est unde antecedenter determinatus sit physicè ad producendum aliquod opus ad extra, quantamcumque excellentiam opus illud habere supponatur.

Obj. Deus habet infinitam inclinationem ad incarnationem. Ergo liber non est ad negationem illius: nam quò major est inclinatio ad aliquid, eò minor est libertas ad oppositum, adeòque ubi infinita est inclinatio ad aliquid, ibi nulla esse potest ad ejus oppositum libertas. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. Nam inclinatio illa; quam Deus dicitur habere ad incarnationem, est simplex complacentia. At Deus finitè tantùm sibi complacet in possibilitate incarnationis: nam actus ille necessariò commensuratur bonitati incarnationis, quæ infinita non est, sed simpliciter finita, quamvis in superiori ordine, ad quem nulla alia res creata pertingere potest.

At inquies. Actus ille, quo Deus sibi in bonitate incarnationis possibilis complacuit, est infinitus. *R.* actum illum esse revera infinitum, 1. entitativè, cùm sit ipse Deus tali modo se habens ad objectum aliquod. 2. Etiam in ratione complacentiæ, si realiter sumitur, & ut est à parte rei; quia sic sumptus, attingit possibilia omnia propter eorum bonitatem: Deus enim in omnibus possibilibus propter eorum boni-

tatem uno & eodem realiter actu sibi complacet. At aliud est Deum in aliquo objecto sibi complacere per actum infinitum, & aliud eum in objecto illo infinitè sibi complacere: nam v. gr. Deus per actum infinitum complacet sibi in bonitate musceæ possibilis; dici tamen non potest in bonitate musceæ possibilis, infinitè sibi complacere. Deus itaque per actum infinitum complacet sibi in singulis possibilibus, propter eorum bonitatem, & nihilominùs in illis finitè tantùm sibi complacet; unde in aliis magis, & in aliis minùs complacet sibi, quia alia majorem, alia verò minorem bonitatem possibilem habent.

Deus igitur, propriè loquendo, non habet infinitam inclinationem ad incarnationem, cùm in ejus bonitate sibi non complaceat infinitè, sed finitè tantùm, quamvis in ea complaceat sibi plus, quàm in quolibet alio possibili, vel etiam qualibet possibilium collectione; quia, ut jam dictum est, incarnatio bona est in superiore quodam ordine, ad quem nullius rerum aliarum creatarum collectionis bonitas potest pertingere. Addo, etiam si daremus bonitatem incarnationis esse simpliciter infinitam, adeòque Deum in ea sibi infinitè complacuisse, nihil inde contra nos effectum iri, quia in hac hypothesi Deus sibi quidem complacuisset infinitè in incarnatione possibili, at non in ea sibi complacuisset, tanquam in objecto sibi necessario: unde in eo ex complacentia illa, quamlibet infinita, necessitas antecedens incarnationem efficiendi nec orta esset, nec oriri potuisset.

§. II.

Incarnatio non fuit absolutè necessaria, etiam necessitate morali tantùm.

Est contra modernum Authorem, asserentem, 1. in rebus quibusdam assignari posse optimum: tales sunt incarnatio, & ejus negatio; prædestinatio, & non prædestinatio; creatio mundi, & ejus non productio: in aliis verò dari non posse optimum, quia in illis in infinitum proceditur: talis est multitudo individuorum intra speciem aliquam, vel specierum intra aliquod genus. 2. Et ita Deum posse in rebus aliquibus facere id quod est optimum, in aliis verò non posse: Deus enim non potest producere tot individua intra speciem aliquam, quin possit plura: item Deus non potest tot & tales species producere intra aliquod genus, quin possit plures & perfectiores.

3. Deum semper velle facere id quod optimum est, iis in rebus, in quibus datur optimum, atque ad illud volendum & faciendum, à sua bonitate & propensione ita necessitari, ut moraliter non possit illud nolle facere, & omittere, quamvis physicam aliquam habeat potentiam ad oppositum. Sed

Contra est, quia 1. cùm Apostolus de Deo ait: *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, omnem non solùm physicam, sed etiam moralem necessitatem à Deo excludit circa productionem cujuslibet operis ad extra.

2. Sententia Adversarii derogat supremo ac perfecto Dei in res creatas omnes dominio: supremum enim illud, ac perfectum Dei dominium exigit, ut Deus possit non solùm potentia physica, sed etiam morali, res creatas quaslibet producere, vel non producere, & productas conservare, vel non conservare, sed destruere; prædestinare homines, vel non prædestinare; naturam creatam hypostaticè assumere, vel non assumere, &c.

3. Deus ab intrinseco perfectissimè beatus est, sibique sufficientissimus: adeòque nullam habere potest necessitatem producendi aliquid extra se; & quòd ad producendum aliquid extra se, à nativa sua bonitate, ac propensione determinetur, ac necessitetur moraliter, gratis omninò asseritur.

4. Adversarii sententia reipsa inducit fatalem quamdam necessitatem, & tollit studium orationis: in iis enim, quæ à Deo fiunt, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ, omnia, aut penè omnia, in circumstantiis, in quibus fiunt, fieri melius est, quàm non fieri: quare sive ores, sive non, necessariò necessitate morali fient, adeòque certò fient: nam in ordine ad certitudinem, moralis illa necessitas, quam inducit Adversarius, necessitati physicæ æquivalet.

Obj. 1. Qui amat aliquem efficaciter, & perfectè propter ejus bonitatem, vult bonum ejus, & illud magis, quod majus bonum est. Ergo Deus, qui se ipsum propter summam suam bonitatem efficacissimè, perfectissimè & infinitè amat, eo ipso vult majus suum bonum, non solùm intrinsecum, sed etiam extrinsecum, atque adeò productionem creaturarum, quæ ad majus illud bonum extrinsecum conducere possunt. Ergo, &c. *Resp.* Is qui amat aliquem efficaciter & perfectè, propter ejus bonitatem, eo ipso vult ejus bonum, & illud magis, quod est majus ejus bonum, ipsi ad bene vel ad melius esse necessarium; minimè verò eo ipso vult ejus bonum, aut majus ejus bonum, quod ei non ita necessarium est. Quare Deus, qui se ipsum propter summam suam bonitatem efficacissimè, perfectissimè, & infinitè amat, vult sibi necessariò, etiam necessitate physica, omnia bona intrinseca, utpotè sibi necessaria, non verò bona extrinseca, quibus, cùm sibi sufficientissimus sit, nec ad bene, nec ad melius esse indiget.

Dices. Beati per amorem beatificum necessitantur saltem moraliter ad volendum Deo majus bonum ejus extrinsecum. Ergo pariter Deus, &c. *Resp.* neg. ant. Beati enim per amorem beatificum necessitantur tantùm ad volendum Deo bonum extrinsecum, quod ei magis placet, sive illud bonum sit majus, sive non: necessitantur autem, quia amor perfectus, qualis est amor beatificus, voluntatem amantis ad perfectam cum voluntate amati conformitatem necessitat, moraliter saltem necessitate.

Dices iterùm. Creatura, quæ posset facere plura, & meliora, in obsequium Dei, nec tamen faceret, eo ipso convinceretur, Deum minùs diligere. Ergo similiter, si Deus possit facere meliora in gloriam suam, nec tamen ea faciat, eo ipso convincitur, minùs diligere se ipsum, adeòque se ipsum non diligere perfectissimè & infinitè.

Resp. Creatura, quæ posset facere plura & meliora in obsequium Dei, nec tamen faceret, eo ipso, &c. si sciret, aut præsumeret, plura illa & meliora Deo magis placere; vel si illa omitteret propter majorem aliquam difficultatem, ad ea facienda superandam. At Deus non faciendo in gloriam suam plura & meliora, quæ potest facere, non omittit illa propter majorem aliquam difficultatem, quæ superanda esset; cùm nihil ei sit difficilè; neque illa omittendo, omittit ea, quæ magis optat fieri.

Obj. 2. Voluntas divina omninò conformatur intellectui divino. Sed intellectus divinus dictat meliùs esse, quòd Deus ita se ipsum amet, ut nihil omittat ex iis, quæ in majorem ejus gloriam cedere possunt. Ergo, &c. *Resp.* neg. min. Nam 1. impossibile est, Deum nihil omittere, quod cedere possit in majorem ejus gloriam: potest enim procurare sibi gloriam majorem & majorem in infinitum, adeòque quantamcumque sibi procuret, semper poterit majorem sibi procurare. 2. Deus tam perfectè se ipsum diligit, procurando sibi minorem gloriam, quàm procurando majorem: semper enim se ipsum diligit infinitè, & modo infinitè perfecto, sive majorem, sive minorem sibi procuret gloriam.

Dices. Intellectus divinus dictat, meliùs esse Deum ea facere, quæ ad majorem ejus gloriam conducunt. *Resp.* neg. Nam divinus intellectus dictat quidem, ea meliora esse, quæ conducunt ad majorem Dei gloriam: at non dictat, meliùs esse, Deum ea facere. Ratio est, quia actus, quo Deus vult facere ea, quæ minùs conducunt ad ejus gloriam, tam honestus & laudabilis est, quàm actus, quo vult facere ea, quæ magis conducunt: actus enim ille, quo Deus vult ea facere, quæ minùs conducunt ad ejus gloriam, infinitè honestus est, ac laudabilis, quia est volitio

boni

boni creati, concepta propter gloriam divinam, volitam ex amore bonitatis increatæ infinito, & infinitè perfecto.

Obj. 3. Deus reverà semper fecit id quod melius erat, & singulis creaturis dedit optima. Ergo, &c. *Resp.* Ad primam partem antecedentis, neg. Nam v. gr. melius erat creare alium mundum perfectiorem, & tamen Deus illum non creavit. *Resp.* Ad secundam partem. Deus singulis creaturis dedit optima secundùm quid, quia dedit illis ea, quæ naturali eorum exigentiæ magis erant proportionata: at non dedit illis optima simpliciter, quia potuit illis dare meliora, licèt non magis connaturalia.

Prætereà, cùm Deus dicitur optima dedisse singulis creaturis, vel intelligitur, singulis dedisse ea, quæ ipsis erant optima; & hoc est falsum: nam melius esset v. gr. reprobo cuilibet, perseverantiam finalem accipere, quàm non accipere. Vel intelligitur, singulis dedisse ea, quæ optima erant in ordine ad totum universum; & hoc est etiam falsum: nam proculdubio Deus majora potuit huic universo conferre beneficia, quàm contulerit. Denique, si Deus meliori & optimo modo hoc universum semper gubernaret, atque ad id necessitaretur moraliter, frustrà illum oraremus, ut mundum regat & gubernet; quod falsum est, & contra praxim Ecclesiæ.

Dices. Deus est artifex sapientissimus, non solùm in actu primo, in quantum habet perfectissimam artem, sed etiam in actu secundo. Nonnisi, quia semper operatur optima. Ergo, &c. *Resp.* Deum esse artificem sapientissimum, etiam in actu secundo, non quia semper operatur optima, ita ut nihil melius operari possit, sed quia semper operatur optimè, & absque omni defectu.

Obj. 4. Patres docent unanimiter, Deum semper velle & facere id quod optimum est. *Resp.* Patres docere, 1. Deum operari semper absque omni defectu & imperfectione positiva, hoc est, absque imprudentia, malitia, & inordinatione.

2. Deum semper velle & facere id, quod optimum est in ordine ad finem, quem intendit efficaciter: nam si posset dari aliquid melius in ordine ad consequendum finem, quem efficaciter intendit; deciperetur in electione mediorum; quod impossibile est: unde hoc sensu rectè dicitur Deus, semper velle & facere optimum, quia semper vult & assumit media optima ad consequendum finem gloriæ, quam intendit efficaciter: quamquam si majorem gloriam suam intenderet, ut posset intendere, vellet, & assumeret media meliora ad majorem illam gloriam suam procurandam necessaria, & sic meliora faceret.

3. Deum dare singulis creaturis, & huic universo, id quod ipsis connaturalissimum est, magisque proportionatum, attenta singulorum exigentia, & natura, quod verum est: quamvis enim Deus singulis, & huic universo, dare posset aliquid melius, non potuit tamen aliquid connaturalius dare.

4. Denique, Deum id quod optimum est semper velle & facere, eo sensu, quòd non solùm singulis creaturis, & huic universo, dederit id quod connaturalius est, & naturæ ac exigentiæ singulorum magis proportionatum, sed etiam id quod magis ad hujus rerum universitatis pulchritudinem conveniebat, ita ut non possit esse major venustas illius perfectiorque partium, e quibus constat, constitutio, varietas, proportio, & ordinatio, licèt aliam universitatem excellentiorem, partibus excellentioribus constantem, posset condere.

§. III.

Incarnatio non fuit necessaria, ex hypothesi creationis mundi.

P*Rob.* Quia si incarnatio fuit necessaria ex hypothesi creationis mundi, necessaria fuit, vel quia congruebat ad majorem mundi pulchritudinem, & venustatem, vel quia mundus sine illa optimus esse non poterat, & tamen creari non potuit nisi optimus. Sed neutra ratio valet. 1. Enim Deus potuit nolle majorem venustatem & pulchritudinem hujus universi, seu nolle huic universo tribuere tantam venustatem & pulchritudinem, quantam potest habere, ita ut non possit esse major. 2. Deus potuit hoc universum creare non optimum, & revera non optimum creavit: potuit enim illud creare melius, cùm potuerit ei conferre beneficia majora: immò verò potuit Deus hoc universum creare minùs bonum, quàm reipsa creavit, quia potuit illi minora beneficia conferre, quàm reipsa contulit.

Horum ratio est, quia, 1. Deus potuit pro arbitrio, majorem vel minorem gloriam suam extrinsecam intendere. 2. Nullo extra se indiget ad bene vel melius esse. 3. Supremus est Dominus rerum omnium, de quibus proinde potest disponere, illas creando, vel non creando, creatas conservando, vel destruendo, meliores, vel minùs bonas condendo. 4. Deus non tenetur legibus proportionis, aut naturalis rerum exigentiæ, easque potest pro libito non servare. 5. Deus tenetur tantùm, ad operandum semper absque omni defectu, & imperfectione positiva, atque ad eligenda media ad assequendum finem à se efficaciter intentum, maximè idonea.

Obj. Ex hypothesi quòd Deus velit aliquid extra se, non potest non velle id, quod melius & perfectius est, ejusque majorem gloriam procurat. Atqui incarnatio talis est. *Resp.* neg. maj. *Prob.* Si Deus volendo aliquid extra se, non vellet id quod melius & perfectius est, moralem imperfectionem incurreret. Nego seq. *Prob.* Homo ex duobus objectis moraliter inæqualibus, non eligens id, quod melius est & perfectius, eo ipso agit imperfectè moraliter. Ergo pariter Deus, &c.

Resp. Neg. conf. Ratio disparitatis est, quia non omnes actus honesti voluntatis humanæ, æqualem habent perfectionem moralem, & unus potest esse moraliter perfectior altero; cæterisque paribus, ille moraliter perfectior est, qui objectum habet melius ac perfectius moraliter. Unde fit, ut homo ex duobus objectis moraliter inæqualibus, non eligens illud quod melius ac perfectius est, eo ipso, cæteris paribus, operetur imperfectè moraliter, idest, careat majori aliqua perfectione morali, quam haberet, objectum melius ac perfectius eligendo, ex quo moralem quandam vituperabilitatem incurrit.

Divinæ verò voluntatis actus omnes liberi, æqualem habent perfectionem moralem, nec unus potest esse altero moraliter perfectior; nec ille, qui objectum habet melius & perfectius, perfectior est eo, cujus objectum minùs bonum est, ac perfectum. Ratio est, quia actus liber quilibet voluntatis divinæ infinitam habet honestatem, & laudabilitatem in genere moris: quilibet enim tendit in objectum suum modo infinitè honesto & laudabili in genere moris, illud volendo propter bonitatem divinam, perfectissimè, purissimè, & infinitè amatam, quo nihil in genere moris honestius, ac laudabilius excogitari potest.

Deus igitur ex duobus objectis inæqualibus illud eligendo quod minùs perfectum est, non operatur imperfectè moraliter, quia non ideò caret majore aliqua perfectione morali, quam haberet eligendo perfectius; cùm in eo electio minùs perfecti tam sit perfecta moraliter, quàm electio perfectioris, & utraque infinitam habet honestatem, & laudabilitatem in genere moris.

§. IV.

Nequidem ex hypothesi peccati primi Parentis, & naturæ lapsæ, Incarnatio necessaria fuit.

P*Rob.* Deus enim potuit nolle reparare genus humanum; & suppositâ voluntate illud reparandi, potuit nolle illud reparare per incarnationem. Ergo, &c.

Prima pars. Nempe quòd Deus potuerit nolle reparare

parare genus humanum. *Prob.* 1. Ex Scriptura: nam Sap. cap. 12. dicitur: *Quis ſtabit contra judicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Et Apoſtolus generis humani reparationem puræ miſericordiæ, ac liberalitati divinæ attribuit, ad Tit. cap. 3. ubi de Deo ait: *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Ratio eſt, quia cùm Deus ſibi ſit ſufficientiſſimus, & ſupremus rerum omnium dominus, non eſt, unde magis neceſſitatus fuerit ad reparandum hominem, quàm ad eum creandum. Addo, quòd hominem reparare nollet, hoc non fore contra inclinationem miſericordiæ divinæ, ſed ſolùm non fore ſecundùm illam, & fore ſecundùm aliam tantùm, nempe inclinationem divinæ juſtitiæ, ſicut quod nolit unquam damnatis parcere, hoc non eſt contra, &c.

Secunda pars. Nempe quòd Deus, ſuppoſita voluntate reparandi genus humanum, potuerit nolle illud reparare per incarnationem. *Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ hominis reparationem per incarnationem ſoli miſericordiæ divinæ attribuit: nam Joannis c. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* 2. Ex Patribus. Pro Græcis ſit Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos, ubi ſimiliter hominis redemptionem, factam per incarnationem Filii Dei, attribuit divinæ miſericordiæ: *Poſteà*, inquit, *Deus ut bonus, & Pater Domini noſtri, noſtram vicem dolens, cupienſque ſui apud omnes notitiam invaleſcere, author fuit Filio ſuo, ut induto corpore humano, homo fieret: atque in eo corpore ſe ipſum offerens pro omnibus, omnes liberaret ab ignorantia deitatis, & corruptione.*

Et pro Latinis, S. Auguſtinus lib. 13. de Trinitate, cap. 10. ubi hæc leguntur: *Eos itaque, qui dicunt: Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miſeria mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium Deum ſibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam, & carnem, mortalemque factum, mortem perpeti? parum eſt ſic refellere, ut iſtum modum, quo nos per mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Jeſum Deus liberare dignatur, aſſeramus bonum, & divinæ congruum dignitati; verùm etiam ut oſtendamus, non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cujus poteſtati cuncta æqualiter ſubjacent.*

3. Ratione evidenti: cùm enim Deus ſupremus ſit Dominus rerum omnium, hominem reparare potuit, vel gratis omninò condonando peccatum, vel acceptando ſatisfactionem qualemcumque, ab homine, vel ab angelo exhibitam, & reliquum condonando liberaliter. Quare S. Auguſtinus in libro de Agone Chriſtiano, cap. 16. ſtultos vocat eos, qui adverſantur ſententiæ noſtræ: *Sunt autem*, inquit, *ſtulti, qui dicunt: Non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus: Poterat omnino: ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret.*

Obj. Adverſantur nobis Patres, nempe Anſelmus, lib. 1. & 2. *Cur Deus homo.* Athanaſius in libro de Incarnat. Verbi, & ejus corporali adventu, ubi ait, indignum fuiſſe *bonitate Dei, ſi quæ ab ipſo creata eſſent, in interitum abirent ob diaboli adverſus homines fraudem*; & alii. *Reſp.* 1. Nobis quidem adverſari Anſelmum; ſed ei Patres alios, & rationem manifeſtam opponimus. *Reſp.* 2. Athanaſium, loco citato cum exageratione loquentem, nihil aliud ſignificare velle, quàm humani generis reparationem convenientiſſimam fuiſſe divinæ bonitati, & non reparationem generis humani ei futuram fuiſſe inconvenientiſſimam, non quidem poſitivè, ſed negativè, ideſt, carituram fuiſſe ſumma, non tamen debita, vel neceſſaria congruitate, quam generis humani reparatio habet cum ſumma Dei bonitate.

Hanc eſſe S. Doctoris mentem demonſtrari poteſt ex ſermone 3. contra Arianos, ubi poſtquam retulit hanc adverſariorum objectionem: *Poterat Deus, etiamſi Salvator creaturæ exiſteret, vel loqui tantummodo, & ita ſolvere maledictionem*; ſic continuò proſequitur: *Illud ipſum etiam iis ab alio quodam obtrudi poterit: poterat etiam ſine ullo adventu Chriſti ſolummodo loqui Deus, & ſolvere maledictionem. Cæterum ſpectandum eſt iſtic, quid hominibus ſit utile, non quid ſitum ſit in viribus Dei.*

Reſp. 3. Patres alios nihil aliud velle, quàm quod vult Athanaſius, nempe generis humani reparationem per Incarnationem bonitati divinæ convenientiſſimam fuiſſe, omnique alio modo reparandi convenientiorem, ut diſertè aſſerit Auguſtinus, lib. 13. de Trinitate cap. 10. poſt verba à nobis proximè laudata, aut nihil aliud velle, quàm incarnationem abſolutè neceſſariam fuiſſe, ſuppoſito quòd Deus condignam pro peccatis hominum ſatisfactionem exigere vellet, quod reipſa eum exigere convenientiſſimum fuit. Sed ad hujus difficultatis reſolutionem, ſit

ARTICULUS II.

Utrùm incarnatio neceſſaria fuerit ad redimendum hominem per ſatisfactionem condignam, exhibendam ab homine.

Hic tria probanda ſunt. 1. Quòd purus homo non poſſit ſatisfacere de condigno pro peccato ſuo mortali. 2. Quòd purus homo non poſſit ſatisfacere de condigno pro peccato mortali alieno. 3. Quòd homo Deus de condigno ſatisfacere potuerit pro peccatis hominum.

§. I.

Purus homo de condigno ſatisfacere non poteſt pro peccato mortali proprio, aut etiam alieno.

Prob. 1. Authoritate ſanctorum Patrum, Irenæi ſcilicet lib. 3. adverſùs hæreſes cap. 20. *Si enim* inquit, *homo non viciſſet inimicum hominis, non juſtè dictus eſſet inimicus. Rursus autem niſi Deus donaſſet ſalutem, non firmiter haberemus eam: & niſi homo conjunctus fuiſſet Deo noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis: oportuerat enim mediatorem Dei & hominum per ſuam ad utroſque domeſticitatem, & ad amicitiam & concordiam utroſque reducere, & facere ut & Deus aſſumeret hominem, & homo ſe dederet Deo.* Quibus verbis ſanctus Martyr aſſerit, lapſum hominem Deo reconciliari non potuiſſe, condigna ſcilic. ſatisfactione, niſi per Deum hominem.

Athanaſii in Paſs. Salvat. ubi ſic loquitur: *Chriſtus Dei potentia & Dei ſapientia .... miſeratus noſtram imbecillitatem, eam ipſam induit: ipſe enim infirmitates noſtras ſuſtinuit ... conſpicatuſque, quàm non ſolvendo eſſemus ad luendam pœnam, illam ipſam pœnam in ſe tranſtulit: Chriſtus enim factus eſt pro nobis piaculum, & ita humanitate noſtra indutus, & circumveſtitus, ſeſe obtulit Patri, ut ipſe pœnam ſuſtinens, hominem à pœna liberum faceret.*

Baſilii hom. in Pſal. 48. ubi ad hæc verba: *Non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ*, ita diſcurrit: *Neque enim fratrem in redemptionem querit, ſed unum aliquem, qui noſtram exuperet naturam. Non item hominem nudum, ſed hominem Deum Jeſum Chriſtum, qui ſolus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare poteſt .... Non dabit ergo Deo* (homo purus) *propitiationem pro ſe ipſo: quid enim uſquam tanti eſt momenti, quod homo* (purus) *poterit dare pro redemptione animæ ſuæ? Inventum tamen unum eſt pro omnibus ſimul hominibus dignum pretium, nempe ſanctus, & omni pretio ſuperior, ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti .... Redimere ſe ipſum nullus idoneus, niſi veniat is, qui convertat captivitatem populi, non pretio quidem, aut donis, ſed ſuo ſanguine.*

Cyrilli

Cyrilli Alexandrini in scripto ad Valerianum Episcopum: *Quo pacto etiam*, inquit, *unus pro omnibus mortuus est, qui justum pro omnibus pretium exsolveret, si illa passio puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* Et in libro ad Reginas missо §. *Quod Christi mors mundo salutaris extiterit*, sic argumentatur: *Si mundus aliter, quàm per Christi sanguinem, & mortem divina dispensatione salutaliter suscepiam propter præcedentium delictorum condonationem, quæ Deus toleraverat, salvari nequibat; (per Christum autem salutem sumus consecuti) quomodo incarnationis modus Dei Patris Verbo non erat, quo illos nimirùm, qui in ipsum crederent, per sanguinem suum justificaret, Patrique per corporis sui mortem reconciliaret.*

Leonis Magni serm. 1. de Nativ. Domini, ubi ait: *Nisi esset Deus verus, non afferret remedium; nisi esset homo verus, non præberet exemplum.* Et sermone 12. de Passione Domini: *Quia ergo*, inquit, *primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit è cœlo medicus singularis, &c.*

Fulgentii in lib. de Incarnatione & gratia Christi: *Nullatenùs*, inquit, *humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens, atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solùm personali unitate transiret, &c.* Et Auctoris cardinalium operum Christi apud sanctum Cyprianum, sic loquentis in sermone de Passione Christi: *Cùm originali morti nullum nisi in Christi morte potuerat esse remedium, nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium, & sine hoc holocausto poterat Deus tantùm condonasse peccatum, &c.* Ex his autem omnibus testimoniis apparet, SS. Patres magno consensu tenuisse, ab homine puro condignè satisfieri non posse pro peccato mortali, adeòque ad condignam pro eo satisfactionem Deo exhibendam necesse fuisse, ut incarnaretur persona divina. Sed

In assignanda ratione, cur homo purus de condigno satisfacere non possit pro peccato mortali proprio, non parùm laborant Theologi. Sic autem impotentiam illam in homine puro videtur nobis sufficienter probari posse. Ad condignam compensationem pro peccato mortali tanta requiritur proportio cum ejus malitia, quanta ad illius condignam punitionem proportio requiritur cum eadem illius malitia. Atqui ad condignam punitionem peccati mortalis requiritur pœna saltem infinita secundùm quid, hoc est, pœna major quacumque alia finiti temporis & intensionis, quantumlibet acerba & diuturna (unde mortale peccatum non punitur supra condignum per pœnam acerbissimam, infinitam in duratione) quia peccati mortalis malitia sic est finita simpliciter, ut sit secundùm quid infinita, eò quòd est offensa gravis infinitæ simpliciter Majestatis. Ergo pariter propter eamdem rationem, ad condignam compensationem pro peccato mortali, requiritur satisfactio infinita secundùm quid, hoc est, satisfactio major alia quacumque finita, & ab homine puro exhibita, quantumcumque magna: ita ut posita quantacumque obsequiorum, ab homine puro pro peccato mortali proprio exhibitorum, multitudine, magnitudine, & diuturnitate, Deus adhuc possit, si velit, manere rationabiliter infensus offensori.

Nulla igitur obsequiorum, ab homine puro pro peccato mortali exhibitorum, multitudine, magnitudine, & diuturnitate, extingui potest jus, quod Deus habet ad graviter indignandum offensori propter gravem offensam; adeòque nulla obsequiorum, ab homine puro pro peccato mortali exhibitorum multitudo, magnitudo, & diuturnitas potest esse condigna satisfactio pro peccato mortali: condigna enim satisfactio dicitur, & est ea, qua posita, in offenso extinguitur jus omne indignandi adversùs offensorem propter illatam offensam.

At inquies. Si peccatum mortale haberet malitiam simpliciter infinitam, ad condignam ejus compensationem non requireretur satisfactio major ea satisfactione, quam pro ejus malitia secundùm quid tantùm infinita requirimus. *Resp.* neg. Nam si peccatum mortale haberet malitiam simpliciter infinitam ad condignam compensationem requireret satisfactionem infinitam simpliciter, qualem non requirimus: nam ad satisfactionem, quacumque satisfactione finita, ab homine puro exhibita, quantumcumque magna majorem, per se non requiritur, ut sit simpliciter infinita, sed sufficit per se, ut sit superioris cujusdam ordinis ad quem pertingere non possit alia quæcumque satisfactio finita, ab homine puro exhibita, quantumcumque magna sit & multiplicata. Unde

Si per impossibile, satisfactiones Christi essent finitæ simpliciter, adhuc sufficerent ad condignam compensationem peccati mortalis, quia essent in superiori illo ordine, ad quem nullæ satisfactiones, ab homine puro exhibitæ, quantumcumque magnæ, & in infinitum multiplicatæ, pertingere possent; sicque quælibet Christi satisfactio, quantumvis finita simpliciter, propter infinitam simpliciter excellentiam Christi, in ratione satisfactionis major esset qualibet satisfactione puri hominis, quantumcumque magna, etiam in infinitum multiplicata, adeòque in ratione satisfactionis esset infinita secundùm quid, & sic sufficienter malitiæ peccati mortalis, secundùm quid infinitæ propter infinitam Dei offensi excellentiam, proportionata in ordine ad condignam compensationem.

Quòd si in superiori illo ordine non possunt esse nisi satisfactiones Dei hominis, vel Dei angeli, adeòque satisfactiones omnes ad superiorem illum ordinem pertinentes, sunt etiam infinitæ simpliciter, & ita condigna compensatio pro peccato mortali fieri non potest, nisi per satisfactionem simpliciter infinitam, hoc per accidens est respectu gravitatis peccati mortalis, quæ cùm sit simpliciter finita, & infinita secundùm quid tantùm, quantùm est ex se, condignè compensari potest per satisfactionem simpliciter finitam, sed simul infinitam secundùm quid, modo explicato: unde non solùm condignè, sed etiam superabundanter compensatur per satisfactionem infinitam simpliciter.

Itaque ad condignam compensationem peccati mortalis non magis requirimus satisfactionem simpliciter infinitam, quàm pœnam infinitam ad condignam ejus punitionem. Si malitia peccati mortalis esset infinita simpliciter, ad ejus condignam punitionem requireretur pœna simpliciter infinita; hoc est, pœna infinita secundùm intensionem simul & durationem, qualis sola, secundùm prudentem æstimationem esset infinita simpliciter in ratione pœnæ; & quia malitia peccati mortalis secundùm quid tantùm infinita est, ad justam sui punitionem exigit pœnam infinitam secundùm quid tantùm, seu pœnam, quæ sit superioris ordinis seu gravitatis, ad quam nulla alia pœna finita tam in intensione, quàm in duratione, quantumcumque acerba & diuturna, possit pertingere.

Confirmatur ratio à nobis allata. Malitia peccati mortalis propter infinitam excellentiam Dei, quem offendit graviter, major est malitia offensæ gravis creaturarum excellentiorum, & excellentiorum in infinitum. Ergo ad condignam compensationem peccati mortalis requiritur satisfactio major, ac difficilior satisfactione, à pura creatura exhibenda pro offensa gravi creaturarum excellentiorum, & excellentiorum in infinitum: minor enim satisfactio cum malitia peccati mortalis non esset proportionata, quantùm ad condignam compensationem requiritur. Atqui satisfactio major, ac difficilior satisfactione exhibenda pro offensa gravi creaturarum excellentiorum, &c. superat satisfactiones majores, ac majores, & difficiliores, ac difficiliores in infinitum, adeòque impossibilis est homini puro, etiam ad

actus supernaturales per gratiam elevato. Ergo ad condignam compensationem pro peccato mortali requiritur satisfactio, impossibilis homini puro, utpotè vires ejus omnes, tam naturales, quàm supernaturales superans. Sed

Quæres. Utrùm homo purus possit condignè satisfacere saltem pro suo peccato veniali?

Resp. 1. De homine existente in peccato mortali, illum non posse pro suo peccato veniali condignè satisfacere, quandiu in eo statu remanet. Ratio est, quia quandiu in statu peccati mortalis remanet, adeòque quandiu Dei inimicus est, planè indignus est, ut obsequiorum ejus & operum quantumlibet bonorum intuitu condignè placetur Deus ab indignatione, quam ex peccato veniali conceperat, & in hoc non est difficultas.

Resp. 2. De homine puro justo, triplicem esse sententiam. Prima negat, illum posse de condigno satisfacere pro culpa veniali, quia licèt sit levis intra genus offensæ divinæ, communem tamen offensæ divinæ rationem participat, sicque adæquari numquam potest per obsequia à puro homine, etiam justo exhibita, eò quòd satisfactio decrescit ex inferioritate personæ satisfacientis; offensa verò crescit ex dignitate personæ offensæ, & supremum infimi non attingit infimum supremi. Hanc sententiam tenet Perrus de Soto, & cum eo ex recentioribus aliqui.

Secunda sententia affirmat, hominem justum condignè satisfacere pro culpa veniali per actus charitatis perfectæ, quia perfecta charitas hominem perfectiùs convertit ad Deum, quàm ab eo avertit peccatum veniale. Addit autem hæc sententia, actum charitatis, vel contritionis perfectæ non tamen expellere, vel delere formaliter peccatum veniale se solo, sed requiri novum favorem, & Dei culpam remittentis condonationem.

Tertia sententia cum præcedenti in eo consentit, quòd purus homo justus possit condignè satisfacere pro peccato veniali; sed contendit, condignam ejus satisfactionem non indigere ullo favore superaddito, nec acceptatione, vel condonatione Dei, ad hoc, ut macula ex peccato veniali relicta aboleatur. Secundam sententiam tenet Suarez, & Vasques tertiam, quam etiam amplectitur Cardinalis de Lugo in tract. de mysterio Incarnationis, disput. 5. sect. 7. ubi tria asserit, & probat.

1. Dicit, supposito quòd purus homo justus pro sua culpa veniali condignam Deo exhibeat satisfactionem, necessariam non esse Dei acceptationem, vel favorem superadditum, sed per ipsam satisfactionem condignam formaliter, & immediatè tolli maculam ex veniali relictam; quod contra Suarem, hoc demonstrat argumento. Macula, ex peccato relicta, nhil aliud est, quàm peccatum præteritum, moraliter perseverans in ordine ad hoc, quòd Deus rationabiliter indignetur in hominem, perinde ac si homo actu peccaret. Quæ moralis perseverantia fundatur in actu præterito, nec sufficienter compensato, nec condonato, ut fatetur ipse Suarez. Ergo posita condonatione Dei, vel sufficienti compensatione ex parte hominis, peccatum præteritum hoc ipso formaliter, & immediatè desinit moraliter permanere in ordine ad hoc, quòd, &c, cùm hoc ipso formaliter & immediatè desinat fundamentum moralis illius permanentiæ. Ergo hoc ipso formaliter, & immediatè tollitur macula ex peccato relicta. Ex his autem

Sic adhuc argumentat. Peccatum habituale est peccatum præteritum, non condonatum, nec sufficienter compensatum. Posita autem sufficienti compensatione, non manet peccatum præteritum, non compensatum sufficienter. Ergo eo ipso non manet peccatum habituale, adeòque tollitur macula, ex peccato relicta, quæ in peccato habituali consistit.

Dicit 2. probabilius videri, quòd purus homo justus possit condignè satisfacere pro peccato veniali proprio, quia licèt veniale peccatum sit aliqualis offensa Dei, eo ipso quòd est tantùm levis offensa, tanti non æstimanda est, ut debuerint homines ab ea deterreri per pœnam æternam, & satisfaciendi impotentiam, sed sufficienter ab ea deterrentur per pœnam temporalem acerbissimam, & per difficilem valdè satisfactionem condignam.

Neque obstat quòd peccatum veniale sit offensa Dei infiniti: cùm enim sit levis offensa, non ita propter infinitam Dei excellentiam crescit in æstimatione prudentum, ut non possit adæquari per condignam satisfactionem puri hominis, quia juxta leges amicitiæ est, ut leves offensæ, quæ etiam inter amicos sunt inevitabiles, possint etiam obsequiis compensari & tolli, quantumcumque digna sit persona, quæ leviter offenditur. Ergo licèt ratione divinæ Majestatis condigna pro peccato veniali satisfactio difficilior sit, non tamen omninò impossibilis est homini puro.

Dicit denique 3. Licèt purus homo justus possit utcumque, & difficilè satisfacere condignè pro sua culpa veniali, de facto tamen credere se, quòd saltem regulariter non tollatur peccatum veniale sine gratuita Dei condonatione, & remissione, quamvis antecedat satisfactio aliqua nostra saltem de congruo; quod probat eo quòd Scriptura & Patres de peccatis in universum loquentes, nunquam dicant, ea tolli per nostram solutionem, sed per Dei misericordiam, & condonationem. Pro quo

Laudat Joannem Apostolum epist. 1. c. 1. ubi postquam dixit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, quo loco manifestè loquitur de venialibus, quæ certissimum est reperiri in omnibus nobis; statim de iisdem subjungit: *Si confiteamur peccata nostra* (per veram pœnitentiam) *fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra*. Ecce post pœnitentiam de venialibus consequitur remissio. Ergo pœnitentia nostra non tollit condignè, & sufficienter se sola maculam peccati venialis.

Præterea, omnis debiti remissionem petimus, & pro omnium peccatorum remissione gratias agimus Deo. Ergo credibile est Deum non expectare nostram condignam satisfactionem, sed posita congrua per pœnitentiam & detestationem satisfactione, condonare offensam venialem.

Non obstantibus his, quæ pro possibilitate condignæ compensationis peccati venialis allata sunt, prima sententia negans purum hominem justum satisfacere posse de condigno pro culpa sua veniali, videtur nobis multùm probabilis, & pro ea sic adhuc argumentari possumus. Malitia peccati venialis propter infinitam excellentiam Dei, cujus est offensa, major est malitia offensæ levis creaturarum excellentiorum, & excellentiorum in infinitum. Ergo propter eamdem infinitam Dei excellentiam, ad condignam sui compensationem exigit satisfactionem majorem condigna satisfactione exhibenda pro offensa levi creaturarum excellentiorum, & excellentiorum in infinitum, adeòque exigit satisfactionem superantem condignas satisfactiones pro levi offensa creaturarum exhibendas, majores ac majores, & difficiliores ac difficiliores in infinitum. Atqui talis satisfactio est secundùm quid infinita, & superiori quodam ordine, ad quem nulla puri hominis etiam justi & Deo grati satisfactio videtur posse pertingere. Ergo peccatum veniale propter infinitam Dei excellentiam, licèt eum leviter tantùm offendat, videtur ad condignam sui compensationem exigere satisfactionem, puri hominis etiam justi, & Deo grati, vires omnes superantem. Quod

Confirmari potest ex eo, quod observat & probat Cardinalis de Lugo, nempe ex eo, quòd Scriptura & Patres, de peccatis in universum loquentes, numquam dicant, peccata nostra etiam venialia, tolli per nostram solutionem, sed solùm dicant tolli per Dei misericordiam & condonationem: hoc enim videtur esse signum sufficiens, quòd in hominibus justis peccata venialia nunquam per condignam satisfactio-

factionem, sed semper per liberalem Dei condonationem tollantur, quoad reatum culpæ scilicet; unde videtur sufficienter colligi posse, condignam pro peccato veniali satisfactionem homini puro, quantumlibet justo, impossibilem esse: nam si possibilis esset, quidni aliquando, imò sæpe à Deo exigeretur, & expectaretur: certè exigi, & expectari, non parùm expediret, ne apud homines peccatum veniale vileisceret, atque ut ab illo efficaciùs deterrerentur.

Ad hoc, quod laudatus Author dicit, juxta leges amicitiæ esse, ut leves offensæ, quæ etiam inter amicos sunt inevitabiles, possint etiam obsequiis compensari & tolli, quantumcumque digna sit persona, quæ leviter offenditur. *R.* juxta leges amicitiæ esse, ut quantumcumque digna sit persona, quæ leviter offenditur, leves offensæ vel tolli possint per condignam satisfactionem, ab offensore exhibitam, vel si non possunt, exhibita ab offensore aliqui & congrua satisfactione, liberaliter condonenntur ab eo, qui offensus est. Unde non expectata condigna satisfactione pro levibus offensis, quia hominibus quamtumlibet justis impossibilis est, Deus aliquali satisfactione congrua, per pœnitentiam & detestationem offensæ levis à justo facta, contentus, offensam levem liberaliter ac misericorditer condonat.

At inquies contra rationem supra à nobis allatam. Licèt malitia peccati venialis major sit malitia offensæ levis creaturarum excellentiorum & excellentiorum in infinitum, ad condignam tamen sui punitionem non exigit pœnam infinitam secundùm quid, & quæ sit in superiori quodam ordine, ad quem pertingere non possint pœnæ majores & majores in infinitum, exsolvendæ pro offensa levi creaturarum excellentiorum & excellentiorum in infinitum. Ergo nec ad condignam sui compensationem exigit satisfactionem infinitam secundùm quid, & quæ sit in eo ordine, ad quem pertingere non possint condignæ satisfactiones, majores & majores in infinitum, exhibendæ pro offensa levi creaturarum, &c.

R. neg. ant. & dico, peccatum veniale non solùm ad condignam sui punitionem exigere pœnam secundùm quid infinitam, & quæ sit in eo ordine, ad quem, &c. sed etiam re ipsa tali pœna mulctari: nam pœna purgatorii, quæ ex duplici constat, pœna scilicet sensus acerbissima, seu pœna ignis, & pœna damni, facilè superat pœnas majores & majores in infinitum, exsolvendas pro offensa levi creaturarum excellentiorum & excellentiorum in infinitum; ex quo ratio, à nobis supra allata, validè confirmatur. Nam

Sic adhuc argumentor. Peccatum veniale, licèt Deum offendat leviter tantùm, propter infinitam Dei excellentiam, ad condignam sui punitionem exigit pœnam secundùm quid infinitam, & quæ sit superioris ordinis, &c. Ergo similiter, licèt Deum offendat leviter tantùm, propter infinitam Dei excellentiam, ad condignam sui compensationem exigit satisfactionem infinitam secundùm quid, & superantem condignas satisfactiones, majores ac majores, & difficiliores ac difficiliores, exhibendas pro offensa levi creaturarum excellentiorum & excellentiorum in infinitum. Atqui talis satisfactio videtur impossibilis omni homini puro, seu omni homini, qui non est simul Deus & homo. Ergo, &c.

Quare manus facilè damus primæ sententiæ; nec solùm peccatum mortale, sed etiam veniale in homine puro quolibet absolutam parere impotentiam condignè satisfaciendi Deo offenso, facilè credimus. Ex his porrò apparet, quanti etiam levis offensa Dei facienda sit, quantique nostra referat eam vitare, quandoquidem, quantacumque à nobis pro illa exhibita satisfactione, integrum Deo jus manet semper nobis propter illam indignandi.

§. II.

Purus homo, quantumlibet justus & Deo gratus, de condigno satisfacere non potest pro peccato mortali alieno.

Prob. ex Patribus, paragrapho superiore laudatis, qui cùm ad condignam pro peccato mortali satisfactionem, ab homine exhibendam, afferunt necessariam fuisse incarnationem personæ divinæ, dicunt, vel saltem manifestè supponunt, impossibilem fuisse homini puro, quantùmvis justo, talem satisfactionem. Ratio autem ex dictis superiore paragrapho facilè sumitur: sicut enim peccatum mortale, quamvis finitam simpliciter malitiam habeat, quia tamen graviter offendit personam infinitæ simpliciter dignitatis & excellentiæ, pro condigna sui punitione exigit pœnam, majorem omni pœna secundùm intensionem & durationem finita, quantumlibet acerba & diuturna, qualis est pœna acerbissima, infinita secundùm durationem: ita ad condignam sui compensationem exigit satisfationem majorem omni satisfactione, à creatura pura exhibita, quantumcumque magna sit & diuturna. Talis autem satisfactio hominis puri quantùmvis justi vires omnes excedere videtur.

Item sicut peccatum mortale, licèt finitæ simpliciter sit malitiæ, quia tamen est offensa gravis Dei infinitè simpliciter digni & excellentis, ad condignam sui punitionem exigit pœnam, superantem pœnas alias graviores ac graviores in infinitum, exsolvendas pro offensa gravi creaturarum digniorum & digniorum in infinitum; ita propter eamdem rationem, ad condignam sui compensationem exigit satisfactionem, superantem condignas alias satisfactiones, majores ac majores in infinitum, exhibendas pro offensa gravi creaturarum digniorum, &c. Atqui talis satisfactio videtur omninò inpossibilis homini puro, quantùmvis justus sit & Deo gratus. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia recta hominum gubernatio requirit, ut homines à peccato mortali, quo Deus offenditur graviter, deterreantur, quantùm meretur infinita Dei dignitas: recta enim hominum gubernatio exigit, ut homines eò magis deterreantur ab offensa gravi, quò dignior est & excellentior persona, quæ graviter offenditur. Atqui ad hoc ut homines à peccato mortali deterreantur, quantùm meretur infinita Dei dignitas & excellentia, requiritur, secundùm prudentem æstimationem, non solùm ut peccantibus mortaliter imponatur pœna secundùm quid infinita, & superioris ordinis, ad quem nullæ aliæ pœnæ finiti temporis & durationis, quantumlibet acerbæ & diuturnæ, pertingere umquam possint; sed etiam pro condigna peccati mortalis compensatione exigatur satisfactio infinita secundùm quid, & superioris ordinis, ad quem nulla pertingere possit obsequiorum, à pura creatura exhibitorum, multitudo, magnitudo, & diuturnitas. Ergo ad rectam hominum gubernationem requiritur, ut peccatum mortale pariat non solùm dignitatem pœnæ acerbissimæ & æternæ, sed etiam absolutam in omni pura creatura impotentiam exhibendi condignam pro illo satisfactionem: ita ut Deus quantacumque satisfactione, à qualicumque pura creatura exhibita, maneat nihilominùs rationabiliter infensus ei, à quo graviter offensus est.

Obj. Actus charitatis elicitus à puro homine, justo & Deo grato, est condigna satisfactio pro peccato mortali. Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis*. Actus charitatis, à persona grata, & ad statum adoptionis elevata elicitus, tam Deo placet, quàm ei displicet peccatum mortale. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Ratio negandi est, quia longè minùs est in æstimatione morali, vilissimam creaturam amare Deum, eique tot titulis debitam exhibere subjectionem, quàm illum inhonorare, & contemnere peccando mortaliter: unde Deus longè minoris æstimat actum

chari-

charitatis, à pura creatura elicitum, in eo eoque sibi minùs complacet in ordine ad laudem & præmium, quàm peccatum mortale æstimat, illudque aversatur in ordine ad indignandum peccatori.

Dices. In iis circumstantiis, in quibus urget præceptum charitatis, Deus tantùm amat charitatis actum, quantùm odit omissionem ejus mortalem. *R.* hoc verum esse eo sensu, quòd tunc Deus tam intensè velit, actum charitatis poni, quàm intensè aversatur peccatum mortale, in ejus omissione situm; at non idcircò tanti facit actum charitatis, si ponatur, quanti, si non ponatur, omissionem ejus mortalem facit in ordine ad imputabilitatem, & ad indignationem.

Dices. Per actum charitatis tantum redditur Deo, quantum ei ablatum est per peccatum mortale: nam per peccatum mortale ablata est à Deo ratio finis ultimi, & per actum charitatis restituitur. Ergo per actum charitatis condignè satisfit Deo pro peccato mortali. *R.* dato ant. negando cons. Nam reddendo totum, quod ablatum est, reparatur quidem jus læsum, sed non satisfit ad æqualitatem pro injuria illata, nec pro contemptu in inferenda injuria admisso, pro quo tamen sibi ad æqualitatem satisfieri persona offensa rationabiliter exigit: unde tamdiu manet infensa rationabiliter, quandiu satisfactio secundùm prudentem æstimationem æqualis non exhibetur ab offensore, vel ab alio, qui pro offensore satisfacit.

Dices. Actus charitatis tantùm honorat Deum, quantùm inhonoratur per peccatum mortale. Ergo, &c. *R.* neg. ant. & dico actum charitatis longè minoris esse æstimabilitatis in ordine ad honorandum Deum, quàm peccatum mortale in ordine ad illum inhonorandum: nam honor, qui per actum charitatis à pura creatura exhibetur Deo, æstimatur ex dignitate absoluta creaturæ honorantis, juxta illud: Honor est in honorante, non verè ex dignitate Dei, quem honorat: unde honor ille, qui per actum charitatis à pura creatura exhibetur Deo, non crescit ex dignitate Dei, è contra verò ex ea decrescit; honor enim à persona finitæ dignitatis exhibitus personæ digniori, hoc ipso minoris est æstimationis, quòd personæ digniori exhibetur; & eò minoris est æstimationis, quamvis non secundùm proportionem geometricam, quò persona dignior, quæ honoratur, dignitate & excellentia superat personam honorantem.

E contra inhonoratio Dei, quæ fit per peccatum mortale, æstimatur ex infinita Dei dignitate, licèt habita ratione malitiæ actus, per quem Deus inhonoratur: unde inhonoratio Dei, quæ fit per peccatum mortale, crescit ex infinita simpliciter dignitate Dei, habita tamen ratione malitiæ peccati mortalis, quæ cùm sit simpliciter finita, impedit, ne inhonoratio, per peccatum mortale facta, sit infinita simpliciter; sed non impedit, ne sit infinita secundùm quid, propter infinitam Dei excellentiam, & in superiori quodam ordine inhonorationis, ad quem pertingere non possunt inhonorationes creaturarum excellentiorum & excellentiorum in infinitum. Cùm itaque inhonoratio Dei, per peccatum mortale facta, sit infinita secundùm quid in sua ratione, honor verò, qui à puro homine justo exhibetur per actum charitatis, non ita sit secundùm quid infinitus in ratione honoris; falsum est, quòd Deus tantùm honoretur à puro homine justo per hunc actum, quantùm per peccatum mortale inhonoratur.

Dices. Actus charitatis, à puro homine justo elicitus, habet vim satisfaciendi secundùm quid infinitam. Ergo potest esse condigna satisfactio pro peccato mortali. *R.* neg. ant. Nam si habet vim satisfaciendi secundùm quid infinitam, vel habet à bonitate sua morali, aut à dignitate absoluta hominis justi à quo elicitur, vel ab utraque simul. Neutrum dici potest: moralis enim bonitas actus charitatis, & dignitas absoluta hominis justi, sicut & complexum ex utraque simul, sunt aliquid finitum simpliciter, & finitæ simpliciter æstimationis: unde non possunt efficere, nisi finitam omninò vim satisfaciendi.

At inquies. Vis satisfaciendi, quam habet actus charitatis, est infinita secundùm quid, propter infinitam dignitatem Dei, qui per actum charitatis diligitur. *R.* neg. Itaque actus charitatis, in ratione dilectionis, habet infinitam secundùm quid excellentiam propter infinitam Dei dignitatem; quia sub hac ratione crescit ex dignitate Dei, qui diligitur: nam amor ille excellentior est, quo amatur objectum excellentius: at non similiter valorem habet in ratione satisfactionis infinitum secundùm quid, propter infinitam dignitatem Dei quem diligit, quia sub hac ratione non crescit, sed è contra decrescit ex infinita dignitate Dei: nam secundùm prudentem æstimationem, omnis satisfactio, à persona inferioris dignitatis exhibita, decrescit propter excessum dignitatis in persona cui exhibetur: unde eadem satisfactio, quæ secundùm prudentem æstimationem gravis est, & sufficiens respectu personæ minùs excellentis, potest esse, secundùm eandem æstimationem, & sæpe est levis, ac insufficiens respectu personæ excellentioris.

Obj. iterùm. Purus homo justus potest de condigno mereri gratiam sanctificantem alteri. *R.* posse, non quidem de lege ordinaria, sed de potentia absoluta, mereri de condigno gratiam sanctificantem alteri non justo: at nequidem de potentia absoluta de condigno mereri potest gratiam sanctificantem alteri injusto & peccatori, quia nequidem de potentia absoluta mereri potest de condigno remissionem peccati mortalis.

At inquies. Actus charitatis à puro homine justo elicitus, habet vim merendi de condigno infinitam secundùm quid: habet enim vim merendi de condigno visionem beatificam, quæ est præmium secundùm quid infinitum, cùm superet bona naturalia, majora & majora in infinitum. Ergo vim habet sufficientem ad merendum de condigno remissionem peccati mortalis. *R.* neg. cons. Itaque actus charitatis, à puro homine justo productus, vim habet merendi de condigno infinitam secundùm quid, relatè ad aliquod præmium, putà relatè ad visionem beatificam: at non habet relatè ad aliud, nempe ad remissionem peccati mortalis, aut etiam probabilissimè venialis.

Ratio disparitatis est, quia vis merendi actus charitatis relatè ad visionem beatificam, & alia hujusmodi præmia, æstimatur ad incrementum non solùm ex dignitate personæ præmiandæ, sed etiam ex dignitate personæ præmiantis: unde non solùm crescit ex dignitate personæ præmiandæ, sed etiam ex præmiantis dignitate, quæ cùm sit simpliciter infinita, facit ut vis illa merendi de condigno, quam habet actus charitatis, ab homine justo elicitus, sit infinita secundùm quid, adeòque æqualis præmio secundùm quid infinito, & superioris ordinis, quod est visio beatifica. At relatè ad præmium remissionis peccati, vis merendi, quam habet actus charitatis, ab homine justo elicitus, non ad incrementum, sed ad decrementum æstimatur ex infinita simpliciter dignitate Dei præmiantis: unde cùm vis illa non crescat, sed è contra decrescat ex Dei dignitate, nec est, nec potest esse propter illam ullo modo infinita.

Quæres, utrùm purus homo justus possit condignè satisfacere pro peccato veniali alieno?

R. Posse, in sententia eorum, qui affirmant purum hominem justum posse condignè satisfacere pro peccato veniali proprio; at non posse in sententia aliorum, qui negant.

§. III.

Quamvis merita Christi habuerint tantùm bonitatem moralem finitam, quodlibet tamen habuit valorem ad merendum & satisfaciendum infinitum simpliciter.

Prima pars, nempe quòd merita Christi habuerint tantùm bonitatem moralem finitam. *Prob.* Quia merita Christi fuerunt actus Christi, ut hominis. Sed actus Christi, ut hominis, habebant entita-

tem

tem finitam; & Christus, ut homo, diligebat Deum finito modo, ac finito modo tendebat in honestatem virtutum, quarum actus exercebat. Ergo merita Christi habebant finitam simpliciter laudabilitatem & decentiam, & absolutè poterat habere majorem. Ergo, &c.

Secunda pars, nempe quòd meritum Christi quodlibet valorem habuerit ad merendum infinitum simpliciter, *Prob.* Quia ille actus habet valorem ad merendum simpliciter infinitum, cujus valor adæquari non potest per præmia finita, majora & majora in infinitum. Atqui actus quilibet Christi meritorius talem habuit valorem. Ergo, &c. Major patet ex terminis.

Prob. minor. Actus Christi quilibet meritorius meruit, in actu primo scilicet, aliquid in ratione præmii magnum respectivè ad dignitatem personæ præmiantis, & dignitatem personæ præmiandæ. Sed præmia finita, majora & majora in infinitum, non sunt aliquid magnum, sed tantùm aliquid parvum in æstimatione morali, respectivè ad dignitatem personæ divinæ præmiantis, & dignitatem personæ, divinæ præmiandæ.

Et verò persona divina, præmia finita, majora ac majora in infinitum, tribuens personæ divinæ merenti, non tribuit aliquid majoris momenti, secundùm prudentem æstimationem respectivè ad dignitatem utriusque, quàm si supremus aliquis monarcha, subdito suo sibi consanguineo, propter excellens aliquod obsequium ab eo præstitum, nucem, vel pomum retribueret. Ergo actus Christi quilibet in actu primo meruit aliquid in ratione præmii majus, quàm præmia finita, majora ac majora in infinitum, adeòque cujuslibet actus Christi valor præmiis finitis majoribus ac majoribus in infinitum, major est, illisque adæquari nunquam potest. Ergo, &c. Sed ut hæc meliùs intelligas, hæc sequentia accipe.

1. Quilibet actus ordinis supernaturalis, liberè à persona Deo grata elicitus ex motivo charitatis, meretur ex se magnum præmium, ut per se clarum est; & ita quilibet actus ordinis supernaturalis, à Christo viatore liberè elicitus, ex se præmium magnum merebatur.

2. Magnitudo præmii, quod ex se meretur actus ordinis supernaturalis, taxatur, secundùm prudentem æstimationem, ex dignitate personæ præmiantis, & dignitate personæ præmiandæ; atque ita magnitudo præmii, quod ex se merebatur quilibet Christi viatoris actus supernaturalis ordinis, æstimanda fuit ex dignitate personæ divinæ præmiantis, & personæ divinæ præmiandæ.

3. Et ita complexum ex dignitate personæ præmiantis, & dignitate personæ præmiandæ, quod erat adæquata mensura magnitudinis præmii, quo dignus fuit quilibet Christi viatoris actus supernaturalis ordinis, erat ex utraque parte infinitum simpliciter, atque adeò illam præmii magnitudinem simpliciter infinitabat.

4. Et sic complexum ex dignitate personæ præmiantis, & dignitate personæ præmiandæ, se habebat per modum formæ cujusdam moralis, moraliter intrinsecè afficientis quemlibet actum Christi meritorium, eique tribuentis effectum formalem, nempe infinitum simpliciter valorem ad merendum.

5. Et ita quilibet actus Christi meritorius valorem ad merendum habebat infinitum simpliciter; habebat, inquam, formaliter à solo complexo ex dignitate personæ divinæ præmiantis, & dignitate personæ divinæ præmiandæ; dispositivè verò à propria bonitate & laudabilitate morali, vi cujus habebat ut valorem illum accipere posset ab utraque dignitate simpliciter infinita, personæ divinæ scilicet præmiantis, & personæ divinæ præmiandæ, quatenùs ab illa habebat ut mereretur aliquid in ratione præmii magnum relatè ad dignitatem utramque.

Tertia pars, nempe quod etiam quodlibet Christi meritum habuerit valorem ad satisfaciendum simpliciter infinitum, *prob.* 1. ex dictis. Quilibet actus Christi meritorius valorem habuit ad condignè merendum quodlibet præmium excogitabile in qualibet hypotesi possibili. Ergo valorem habuit ad condigè merendam offensarum Dei plurium ac plurium, & graviorum ac graviorum in infinitum condonationem. Atqui hoc ipso quòd quilibet actus Christi meritorius valorem illum habuit, non potuit non habere simul valorem condignè satisfaciendi pro offensis Dei pluribus ac pluribus, & gravioribus ac gravioribus in infinitum, ut consideranti facilè patet. Ergo, &c.

2. Ille actus habet valorem ad satisfaciendum infinitum simpliciter, cujus valor adæquari non potest ulla condonatione offensarum, seu cujus valor non potest adæquari condonatione offensarum plurium ac plurium, & graviorum ac graviorum in infinitum. Atqui talem habuit valorem quilibet actus Christi meritorius. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Quilibet actus Christi meritorius valorem ad satisfaciendum habuit magnum respectivè ad dignitatem personæ Christis satisfacientis. Atqui valor ad satisfaciendum, quem posset adæquare & exhaurire certa condonatio offensarum, non esset, secundùm prudentem æstimationem, magnus respectivè ad dignitatem personæ Christi satisfacientis. Ergo, &c.

Confirm. Longè plus est, secundùm prudentem æstimationem, Deum submittere se ad saisfaciendum Deo pro offensa, quàm Deum offendi à creatura plus & plus, & gravius ac gravius in infinitum. Item longè plus obsequium quantulumcumque, à Deo exhibitum Deo in compensationem offensæ, valet, secundùm prudentem æstimationem, ad honorandum Deum, quàm valeant ad eum inhonorandum offensæ creaturarum plures ac plures, & graviores ac graviores in infinitum. Ergo quodlibet obsequium Christi plus valebat ad Deum condignè placandum, quàm creaturarum offensæ plures ac plures, & graviores ac graviores in infinitum, valent ad eum offendendum; atque sic vel unum quantulumcumque Christi obsequium valebat ad extinguendum jus indignandi ortum Deo ex offensis pluribus ac pluribus, & gravioribus ac gravioribus in infinitum; ita ut illo exhibito, & in compensationem absque ulla limitatione acceptato, eo ipso Deus desiisset esse rationabiliter infensus propter offensas etiam plures ac plures, & graviores ac graviores in infinitum. Ergo, &c. Sed pro his observa, quæ sequuntur.

1. Obsequium, quod personæ offensæ in recompensationem exhibetur à persona digna, aliquem habet valorem ad satisfaciendum, non solùm ex dignitate absoluta personæ, per illud sese ad satisfaciendum submittentis, sed etiam, & à fortiori, ex ejus dignitate respectiva, si quam habet. Dignitatem autem respectivam habere dicitur persona satisfaciens, si dignitas ejus, etiam collata cum dignitate personæ cui satisfit, retinet totam suam æstimabilitatem, aut saltem aliquid illius.

2. Valor ille rectè æstimatur ex dignitate respectiva personæ sese per obsequium submittentis ad satisfaciendum: nam revera idem obsequium eò plus ad satisfaciendum valet, quò persona, illud exhibens, majorem habet dignitatem respectivè ad personam placandam, seu quò personæ, obsequium exhibentis, dignitas absoluta plus æstimabilitatis retinet, etiam collata cum dignitate personæ placandæ.

3. Dignitas tum absoluta, tum respectiva personæ Christi sese ad satisfaciendum submittentis, est infinitæ simpliciter æstimabilitatis, adeòque valor cujuslibet obsequii, à Christo sed ad satisfaciendum submittente exhibiti, habet mensuram simpliciter infinitam, à qua proinde infinitatur simpliciter.

4. Et sic dignitas Christi, obsequium aliquod in recompensationem illatæ Deo injuriæ exhibentis, se habet per modum cujusdam formæ moralis, moraliter intrinsecè obsequium exhibitum afficientis, eique tribuentis effectum formalem, nempe valorem ad satisfaciendum simpliciter infinitum.

5. Quod-

5. Quodlibet itaque obsequium, in offensarum recompensationem à Christo præstitum, vim ad abolenda peccata simpliciter infinitam habuit formaliter, 1. In ratione satisfactionis, à dignitate personæ Christi ad satisfaciendum se submittentis. 2. In ratione meriti à dignitate personæ divinæ præmiantis, & dignitate personæ divinæ præmiandæ, dispositivè verò utrumque à propria bonitate, & excellentia morali.

§. IV.

Proponuntur objectiones contra præcedentem paragraphum, & solvuntur.

*Obj.*1. Valor, quem satisfactio exhibita accipit à persona satisfaciente, decrescit ex dignitate personæ offensæ, cui fit satisfactio. Ergo taxari non potest ex sola dignitate personæ satisfacientis. *R.* Vel persona satisfaciens habet dignitatem respectivam, seu, quod idem est, dignitatem habet etiam relatè ad dignitatem personæ offensæ, vel non habet. Si primum, vel habet æqualem dignitati personæ offensæ, & tunc valor, quem dat satisfactioni quam exhibet, decrescit quidem ex dignitate personæ offensæ, sed tantùm decrescit secundùm excessum, quo dignitas personæ offensæ dignitatem satisfacientis superat. unde consequitur valorem satisfactionis, resultantem ex persona satisfaciente, dignitatem respectivam habente, rectè æstimari ex sola dignitate respectiva personæ satisfacientis.

Quòd si persona satisfaciens non habet dignitatem respectivam, sed tantùm absolutam, ut quilibet homo justus, qui propter gratiam sanctificantem, dignitatem habet in se, & absolutè magnam, quæ tamen comparatè ad dignitatem Dei nulla est in æstimatione morali; tunc valor, quem exhibita satisfactio accipit à persona satisfaciente, decrescit ex dignitate personæ offensæ, sed quasi temperata, & modificata per dignitatem absolutam personæ exhibentis satisfactionem, & ipsius satisfactionis bonitatem moralem; ita ut persona satisfaciens pertingere possit ad satisfactionem, quæ sit alicujus momenti, etiam respectivè ad dignitatem personæ offensæ, licèt numquam possit attingere satisfactionem, quæ in morali æstimatione sit respectivè ad dignitatem illam magna, adeòque numquam possit attingere satisfactionem, quæ sit condigna offensæ gravis compensatio.

*Obj.*2. Si valor meritorum Christi crescebat ex dignitate personæ, 1. Inter puros homines, qui majorem habet gratiam sanctificantem, plus meretur, cæteris paribus; nam majorem habet dignitatem. 2. Aliquando homo magis justus, plus merebitur opere aliquo minimo virtutis, quàm homo minùs justus, eximio aliquo actu charitatis, vel martyrii. 3. Quilibet homo, per actum v.g. charitatis in statu justitiæ elicitum, merebitur plus & plus in infinitum; tum quia quælibet pars intensiva gratiæ, actum meritorium præcedentis, influet in illum valoris aliquid, & aliundè partes illæ sunt plures & plures in infinitum: tum quia justus, eodem instanti quo meretur, accipit augmentum gratiæ, proindeque fit justior. Ergo actus ejus, propter augmentum illud plus meretur, adeòque meretur novum gratiæ augmentum, propter quod adhuc plus meretur, sicque meretur tertium augmentum, & ita deinceps in infinitum.

R. ad 1. *part. seq.* Concedendo. Nam major dignitas confert operi majorem vim merendi, in quo dignitas personæ reddit opus considerabile secundùm prudentem æstimationem. *Ad* 2. *R.* Toties homo magis justus, plus meretur opere minimo virtutis, quàm minùs justus eximio aliquo virtutis actu, quoties hominis magis justi sanctitas plus superat sanctitatem minùs justi, quàm eximii operis exerciti à minùs justo, excellentia & bonitas moralis superat bonitatem moralem operis minimi, à magis justo exerciti; quòd certè nonnisi rarissimè potest contingere.

Ad 3. *R.* neg. *Ad* 1. *prob. R.* quamlibet quidem partem intensivam gratiæ præcedentis actum, valoris aliquid in eum influere: at gratia actum præcedens, non habet partes intensivas, plures & plures in infinitum, æquales, sed inæquales, & minores ac minores in infinitum, quæ proinde omnes simul nonnisi finitum aliquid faciunt, adeòque omnes simul nonnisi finitum valorem conferre possunt actui. *Ad* 2. *prob. R.* valorem operis peti ex dignitate operantis, quæ antecedit opus ipsum, & præmium ejus; nullatenùs verò ex ea quæ subsequitur: nam cum excessus dignitatis subsequens sit præmium operis, valorem ejus non auget, sed exhaurit.

Obj. 3. Ex nobis, valor simpliciter infinitus ad merendum & satisfaciendum, quem habet quodlibet Christi meritum, est aliquid increatum. Ergo est aliquid existens ab æterno; quod est absurdum. *R.* valorem illum esse aliquid increatum, non simpliciter, sed cum addito, seu esse aliquid increatum, habens se per modum formæ moralis, moraliter intrinsecè afficientis, non ab æterno, sed in tempore, actum aliquem, in tempore tantùm existentem. Unde nego cons.

*Obj.*4. Si merita Christi fuerunt infinita simpliciter, tam Deo placuerunt, quàm ipsa divinitas. Absurdum consequens. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Quia, 1. merita Christi simpliciter infinita fuerunt per participationem tantùm, nempe tantùm per moralem dignitatis personæ Christi communicationem: divinitas verò est infinita simpliciter per essentiam. Unde 2. merita Christi fuerunt simpliciter infinita, non per se, sed per aliquid distinctum, ipsis moraliter communicatum: divinitas verò est infinita simpliciter per se, & ex proprio fundo. 3. Merita Christi fuerunt infinita simpliciter in aliquo tantùm genere, nempe in genere valoris ad merendum & satisfaciendum: nam de cætero finitam entitatem & finitam bonitatem moralem habuerunt: divinitas verò est infinita simpliciter in omni genere perfectionis. Divinitas igitur omnibus Christi meritis infinitè excellentior & amabilior est, adeòque infinitè magis à Deo diligitur.

Obj. 5. Si singula Christi merita valorem habuerunt simpliciter infinitum ad merendum & satisfaciendum, Christus tam poterat satisfacere per unum, quàm per omnia simul, nec plus satisfacere poterat per omnia simul, quàm per unum. Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* Christus potuit tam intensivè satisfacere per unum meritum, quàm per omnia simul, licèt non tam extensivè; nec potuit plus intensivè satisfacere per omnia merita simul, quàm per unum, licèt potuerit plus extensivè.

Observa tamen, Christum reipsa non satisfeciisse pro peccatis hominum, nisi per omnia sua merita simul, ac præcipuè per suam passionem & mortem: tum quia Christus non voluit singula sua merita ad hanc satisfactionem sufficere, tum quia Deus noluit, ad hunc effectum acceptare singula. Unde ad humani generis cum Deo reconciliationem, necessaria fuerunt omnia Christi opera meritoria, per mortem ejus consummata. Porrò hoc convenientissimum fuit, 1. Ut nobis magis appareret peccati gravitas. 2. Ut charitas Dei & Christi erga nos magis eluceret. 3. Ne vilesceret nobis redemptio nostra, si perficeretur unico aliquo facili opere Christi.

Itaque singula Christi merita vim habuerunt satisfaciendi condignè, imò plus quàm condignè, pro peccatis hominum, nec tamen singula satisfecerunt, quia singula totam vim suam non exeruerunt; vel, si vis, quia singula vim suam infinitam finitè tantùm exeruerunt, scilicet secundùm mensuram ordinationis Christi, & acceptationis Dei, à quibus vis meritoria & satisfactoria meritorum Christi quoad exercitium dependebat, & à quibus proinde quasi temperata & modificata est meritorum Christi activitas.

*Obj.*6. In sententia nostra, quodlibet Christi meritum omnipotentiam divinam exhaurire potest. *R.* hoc esse

esse falsum: quia si quodlibet Christi meritum mereri potest plus & plus in infinitum, majora & majora in infinitum, potest quoque Deus dare plus & plus in infinitum, majora & majora in infinitum: nec potest excogitari præmium aliquod, quo digna sint merita Christi, & quod meritis Christi non possit à Deo retribui. Certè quantuscumque meritorum Christi valor, non est nisi ad præmium aliquod possibile: non enim meritum esse potest rei impossibilis. Ergo quantuscumque sit meritorum Christi valor, non est nisi ad aliquid, quod à Deo retribui potest.

Obj.7. Si quodlibet meritum Christi habuit valorem ad satisfaciendum simpliciter infinitum, plus exactum est à Christo, quàm pro peccatis hominum deberetur. Sed hoc justitiæ divinæ repugnat. Ergo, &c. *R.* neg. min. Quia 1. satisfactio æqualis pro peccato mortali, est impossibilis: nam satisfactio æqualis pro peccato mortali, esset satisfactio simpliciter finita, sed infinita secundùm quid, & ejus ordinis, ad quem satisfactiones plures ac plures, & majores ac majores in infinitum, à pura creatura etiam Deo grata exhibitæ, pertingere non possent. Talis autem satisfactio impossibilis est; quia qui pro peccato mortali satisfactionem aliquam exhibere possit, alius non est supra puram creaturam Deo gratam, nisi Deus homo, vel Deus angelus; & satisfactio omnis à Deo homine vel à Deo angelo exhibita, non potest non esse infinita simpliciter, propter dignitatem personæ satisfacientis simpliciter infinitam. Cùm itaque æqualis pro peccato mortali satisfactio possibilis non sit, vel Deus non potuit pro peccato mortali exigere, nisi satisfactionem imperfectam, & de se insufficientem, quod dici non debet; vel potuit exigere plus quàm condignam & superabundantem.

2. Quamvis non possit nisi injustè exigi sasisfactio major ab ipso offensore, potest nihilominùs absque injustitia exigi ab eo qui non est offensor, & se ad satisfaciendum offert loco offensoris: nam persona offensa potest sine ulla injuria non acceptare quamlibet satisfactionem, ab eo oblatam, & velle retinere jus ad indignandum, donec sibi ab ipso offensore condignè satisfiat; sicut potest velle, ut offensor ipse pœnam luat, & non alius, etiam quando alius offert se ad luendam majorem, quàm ab offensore debeatur pro offensa.

3. Quidquid à Christo exactum est ad nostram cum Deo reconciliationem, non ab invito, sed à volente & offerente exactum est: volenti autem injuria non fit. 4. Nec defuerunt gravissimæ causæ exigendi, ne v.g. vilesceret nobis redemptio nostra, si uno vel altero facili opere Christi perficeretur; vel ne minoris fieret à nobis, quàm par est, peccati gravitas.

Obj.8. Si merita Christi habuerunt valorem ad merendum & satisfaciendum infinitum simpliciter, meruerunt & satisfecerunt independenter ab omni promissione & acceptatione divina. Falsum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. 1. itaque, merita Christi non meruerunt ullum præmium sine determinata promissione præmii, à Deo facta: nam secluso pacto, nemo tenetur rem suam dare exhibenti pretium, vel obsequium æquivalens, aut etiam majus. Adde quòd aliunde Christi merita Deo debita erant, nullamque ex eis Deus utilitatem percipiebat.

2. Merita Christi non satifecerunt sine acceptatione divina: potuit enim Deus velle, ut reus ipse satisfaceret, & ita manere rationabiliter insensus reo, quantacumque satisfactione à Christo oblata; maximè cùm opera Christi satisfactoria alio titulo, nempe titulo supremi dominii, exigere potuerit.

Quantumcumque igitur satisfactiones Christi acceptabiles fuerint, licèrque de se fuerint infinitè dignæ quæ acceptarentur, secluſa tamen divina promissione explicita, vel implicita, Deus illas pro redemptione nostra non necessariò, sed liberè acceptavit: Dixi, Secluſa divina promissione, &c. Nam promissione illa acceptandi supposita, Deus nos potuit illas non acceptare; tunc enim ad eas acceptandas necessitatus fuit ex fidelitate in servandis promissis, & ex constantia in decretis non mutandis. Dixi adhuc, explicita, vel implicita: satis enim fuit promissio implicita, inclusa in decreto ordinante incarnationem ad perfectam hominum redemptionem.

Obj.9. Christus merebatur, & satisfaciebat ut homo. Ergo merita Christi habuerunt tantùm valorem finitum. *R.* Christus merebatur & satisfaciebat, non ut homo simpliciter, sed ut homo Deus. Merebatur & satisfaciebat ut homo, per to, ut reduplicando principium quo: merebatur & satisfaciebat ut Deus, per to, ut, reduplicando principium quod: nam persona Verbi verè ac physicè per suam humanitatem, ut instrumentum conjunctum, adeòque ut principium quo, actus meritorios & satisfactorios efficiebat, & recipiebat ipsa ut principium quod eosque sic efficiendo & recipiendo, infinitè simpliciter dignificabat.

Obj. ultimò. Merita Christi accipiebant valorem suum à persona Verbi, dependenter ab unione hypostatica, quæ finita est. Ergo tantùm valorem finitum accipiebant. *R.* disting. ant. Merita Christi accipiebant valorem suum à persona Verbi, dependenter ab unione hypostatica, ut pura conditione sine qua non, C. ant. Dependenter ab unione hypostatica, ut causa partiali, vel dispositione temperante & modificante activitatem dignitatis personæ, N. ant. & cons. Itaque supposita unione hypostatica humanitatis cum Verbo, actus meritorii humanitatis erant propriè ac physicè ac actus Verbi, & Verbum erat propriè ac physicè principium quod illorum actuum, sicque unio hypostatica non impedivit, sed è contra adjuvit moralem refusionem totius dignitatis Verbi in illos actus.

§. V.

Christus potuit satisfacere condignè, & plus quàm condigne pro peccato originali, & aliis peccatis mortalibus hominum.

Prob. ex dictis parag. 3. & 4. Nam, ut probatum est, quodlibet Christi meritum valorem habuit ad merendum & satisfaciendum simpliciter infinitum; ita ut vel per unicum obsequium quantulumcumque, Christus potuerit condignè, & plus quàm condignè satisfacere pro peccatis mortalibus pluribus ac pluribus, & gravioribus ac gravioribus in infinitum. Ergo à fortiori Christus potuit condignè, & plus quàm condignè satisfacere pro peccato originali, & aliis hominum peccatis, cùm sint numero finita.

Confirm. Quia valet ab actu ad potentiam: sed Christus re ipsa pro peccato originali, & aliis peccatis hominum satisfecit de condigno, & plùs quàm de condigno. Ergo, &c. *Prob.* min. & 1. quidem quòd Christus satisfecerit pro &c. *Prob.* ex Scriptura: nam dicitur Apocalip. cap. 5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Et 1. Joan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et ad Titum c.2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum, &c.* Scripturæ consonant Patres, pro quibus omnibus unus esto sanctus Leo serm. 12. de passione Domini, ubi ait: *Quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere: venit è cœlo medicus singularis ..... Cùm ea de propagine unus existeret, in quo diabolus, quod suum diceret, non haberet ... dum in eum sævit, quem sub peccati lege non tenuit, jus impiæ damnationis amisit: effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.*

2. Quòd Christus de condigno, & plusquam de condigno satisfecerit pro peccato originali, &c. *Prob.* 1. ex Scriptura: nam Rom. cap. 5. dicitur: *Non sicut delictum, & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gra-*

gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Quibus verbis Apostolus comparat vim peccati originalis ad nocendum, cum valore meritorum Christi ad sanandum, & hunc illi longè anteponit.

3. Ex Patribus, pro quibus omnibus hic erunt Chrysostomus homilia 10. ad Romanos, ubi hæc habet: *Si unius peccatum peremit omnes, multò certè magis unius gratia servare poterit. Postea ostendit* (Apostolus) *non illud modo peccatum per gratiam extinctum, sed & reliqua omnia; nec ipsa tantùm peccata esse extincta, sed & justitiam datam, atque adeò Christum non modo tantùm juvisse, quantùm læserat Adam, sed & multò magis, ac multo pleniùs.* Et Augustinus sermone de tempore 114. *Hodie*, inquit, *Dominus noster in statera crucis pretium nostræ salutis appendit, & una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret: meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretii supergressa est.* Sed ex occasione data

Observa, quamvis Christus pro peccato originali, & aliis hominum peccatis Patri obtulerit satisfactionem non modò condignam, sed etiam superabundantem, hanc tamen satisfactionem non prodesse, nisi iis, quibus applicatur, & quantùm applicatur per media à Christo, vel à Deo instituta: hinc nullo modo prodest infantibus, in utero materno morientibus, quia nullo modo eis applicatur: è contra tantùm prodest, quantùm potest, iis qui cum debita dispositione baptizantur, vel martyrio coronantur, quia per baptismum & martyrium perfectè applicatur ad abolendam pœnam omnem, peccato debitam: per alia verò media ordinariè non applicatur perfectè, sed imperfectè tantùm, quia per alia media ordinariè applicatur tantùm ad mutandam pœnam æternam in temporalem, vel graviorem in leviorem.

Ratio horum est, jam insinuata, quia Pater æternus acceptavit quidem pro omnibus hominibus satisfactionem Christi quantùm ad actum primum, seu quantùm ad sufficientiam; at non illam acceptat in actu secundo, & quantùm ad effectus, nisi juxta modum, quo per diversa media applicatur hominibus, & Christus ipse non aliter voluit, à Patre acceptari, & hominibus prodesse satisfactionem suam: quare mirum non est, quòd ab iis, quibus non applicatur perfectè satisfactio Christi, alia satisfactio exigatur; quod non est contra rationem condignæ satisfactionis, nec inde sequitur, debiti jam soluti exigi solutionem.

Corollarium.

Incarnatio necessaria fuit ad redimendum genus humanum per condignam satisfactionem, ab homine exhibendam.

Sequitur ex dictis hactenùs, ex quibus sic breviter argumentor. Nulla pura creatura condignè satisfacere potuit pro peccato mortali, etiam unico, sive proprio, sive alieno: Christus verò de condigno, & plus quàm de condigno satisfacere potuit etiam per unum quantulumcumque obsequium pro peccatis mortalibus pluribus ac pluribus, & gravioribus ac gravioribus in infinitum. Ergo, &c. Dixi porrò, per condignam satisfactionem ab homine exhibendam: nam incarnatio necessaria non fuit ad redimendum genus humanum per condignam satisfactionem præcisè, quia Verbum potuit genus humanum redimere per satisfactionem condignam, non humanam, sed angelicam naturam assumendo, quamquam non tam convenienter potuerit.

ARTICULUS III.

Utrum incarnatio facta tantùm fuerit ad redimendum genus humanum.

Nota, Hìc non quæritur, quid Deus circa incarnationem potuerit decernere, vel an aliud, & quod decretum habuisset, si præsens non haberet; cùm enim de eare nihil revelatum sit, nihil de eare nisi divinando dici potest. Agitur ergo de decreto, quod Deus habet; & quæritur, quale fuerit circa incarnationem, quantùm colligi potest ex certa, vel saltem magis probabili revelatione: utrùm scilicet Deus per illud decretum incarnationem voluerit ante prævisionem omnis peccati; ita ut facta esset incarnatio, etiamsi homo non peccasset; an verò per illud decretum voluerit Deus incarnationem post peccati prævisionem, & ad redimendum hominem, ita ut vi præsentis decreti Filius Dei non esset incarnatus, si homo non peccasset, & sic non indiguisset redemptione?

Circa hanc controversiam triplex est sententia. Prima docet incarnationem quoad substantiam decretam fuisse ante prævisionem peccati: licèt quoad circumstantiam carnis mortalis & passibilis decreta non fuerit, nisi post peccati prævisionem: ita ut venisset Christus, quamvis non in carne mortali & passibili, etiamsi non peccasset homo, nec adeò redemptione indiguisset.

Secunda sententia, quæ est S. Thomæ, asserit incarnationem, etiam quoad substantiam, decretam non fuisse, nisi post peccati prævisionem, & ad ejus remedium: ita ut vi præsentis decreti Christus omninò non venisset, si homo non peccasset.

Tertia denique sententia vult incarnationem decretam fuisse ex duplici motivo totali, scilicet priùs sui gratia, seu propter intrinsecam excellentiam, ante peccatum prævisum, abstrahendo à carne passibili vel impassibili; deinde iterùm post peccati prævisionem ex affectu redimendi genus humanum, determinando carnem passibilem: quare secundùm tertiam hanc sententiam, ita incarnatio etiam quoad substantiam facta est ad redimendum hominem lapsum, ut tamen facta esset, etiamsi homo non peccasset, nec redemptione opus habuisset. Sed cùm secunda sententia, sit

§. I.

Incarnatio volita fuit à Deo tantùm post prævisionem peccati, & ad redimendum genus humanum; ita ut vi præsentis decreti, Filius Dei incarnatus non esset, si genus humanum redemptione non indiguisset.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Joan. cap. 3. Christus ipse ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et cap. 10. idem sic loquitur: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et ad Galat. cap. 4. dicit Apostolus: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Idem asserit 1. ad Timoth. cap. 1. *Fidelis sermo*, inquit, *& omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Ex his autem locis, & aliis similibus patet, Scripturam pro motivo incarnationis redemptionem hominis à peccato perpetuò assignare: gratis igitur omninò dicitur, incarnationem ab eo volitam fuisse propter motivum aliud, ita ut facta fuisset, etiamsi homo lapsus non esset, & sic non eguisset redemptione.

Hoc ratiocinium est Angelici Doctoris hic quæstione 1. art. 3. in O. *Quidam*, inquit, *dicunt, quòd etiamsi homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Alii verò contrarium asserunt, quorum assertioni magis assentiendum videtur: ea enim, quæ sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in Sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, incarnationis opus ordinatum*

esse

esse à Deo in remedium contra peccatum, ita quòd, peccato non existente, incarnatio non fuisset; quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim, etiam peccato non existente, Deus incarnari.

Prob. 2. Ex Patribus, Iræneo scilicet lib. 5. cap. 14. *Si enim*, inquit, *non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.*

Athanasio serm. 3. contra Arianos. *Dominus*, inquit, *non habuit causam, ut esset Verbum, nisi quòd Patris esset germen, & sapientia unigenita: cùm tamen homo efficitur, tum causa substituitur, cur eum oporteat carnem gestare: necessitas quippe indigentiaque hominum anterior est, quàm illius nativitas, qua* (necessitate) *sublata, carnem non induisset, &c.* Superiùs sic locutus erat: *Deus ut bonus, & Pater Domini nostri, nostram vicem dolens ... author fuit Filio suo, ut induto corpore humano, homo fieret .... atque in eo corpore se ipsum offerens pro omnibus, omnes liberaret ab ingnorantia deitatis, & corruptione.*

Gregorio Nazianzeno in orat. 4. de Theologia, in qua sic ait. *Quæ autem humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extit? Profectò ut nobis salus pararetur: quid enim aliud causæ afferri possit?*

Ambrosio lib. de incarn. dominicæ sacram. cap. 6. ubi hæc habet: *Didicistis igitur, quia sacrificium de nostro obtulit* (Christus) *nam quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur ..... Carnem assumpsit, ut spolium carnis exuret, atque in semetipso & manubias diaboli crucifigeret, & trophea virtutis erigeret.*

Augustino serm. 79. de verbis Apostoli. *Nulla*, inquit, *causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ.*

Cyrillo Alexandrino in thesauro assertione 24. *Verbum Dei*, inquit, *non aliam ob causam factum est homo, quàm ut omnia, quæ sua sunt, nostris infirmitatibus commiscens, ac veluti contemperans, humanam naturam confirmaret, atque ad suum ipsius robur traduceret.* Et in assertione 15. sic ad mentem nostram aptissimè loquitur: *Adam primus homo factus est, dataque illi est à Deo via salutis; quàm quidem: divinum mandatum transgressus, misit, lapsusque est in interitum, provolutus in peccatum descendit in mortem. Aliam igitur viam nobis præmonstrari opus erat, qua ad pristinum statum conscenderemus. Cui quidem præmonstrandæ cum nullus hominum par esset, ipsum Verbum Dei cùm sit natura increatum, propter nos creatus homo .....*

Leone Magno serm. 3. de Pentecoste. *Si homo*, inquit, *ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suo honore naturæ mansisset, nec diaboli fraude deceptus, à longe sibi posita per concupiscentia deviasset, Creator mundi creatura non fieret.*

Et Gregorio magno in cap. 8. lib. 1. Regum. *Nisi Adam*, inquit, *peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret: non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.*

Patres igitur magno inter se consensu docent, Christum venisse, ut hominem lapsum erigeret, & sub peccati jugo positum ut libertatem affereret; quin imò nec Christum venturum fuisse, si homo peccaturus non fuisset, adeòque opus redemptione non habiturus. Quare Patribus apertè videntur repugnare ii, qui in prima, vel tertia sententia sunt.

§. II.

Solvuntur objectiones petitæ ex Scripturâ.

Obj. 1. Proverb. cap. 8. dicitur: *Dominus possedit me in initio viaum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Quæ verba à Patribus accipiuntur de sapientia incarnata, quamvis etiam de increata intelligantur. *R.* 1. verba illa non intelligi litteraliter de sapientia incarnata, sicut nec de increata, sed de sapientia in genere, abstrahendo à creata & increata; adeòque sensum esse: Deus ab æterno, & antequam quidquam decerneret, sapientissimus fuit, ac proinde omnia in tempore creanda decrevit ac præordinavit sapientissimè.

R. 2. Verba illa commodè intelligi posse de sapientia increata, seu de Filio Dei, quem Pater æternus ab æterno per generationem æternam possedit.

R. 3. Verba illa intellecta de sapientia incarnata, seu de Christo, non aliud significare, qua specialissimum amorem, quo Pater æternus ante realem mundi productionem, & ab æterno Christum prosecutus est, omniaque ad ejus gloriam ordinavit. *R.* 4. locum illum apud septuaginta Interpretes sic haberi: *Dominus creavit me in initio viarum suarum ad opera sua*; qua lectione admissa locus de sapientia incarnata intellectus, solùm significat Christum secundùm humanitatatem creatum esse, ut esset electis via ad beatitudinem, ad quam ipse ante omnes prædestinatus fuit.

Obj. 2. Ephesiorum c. 1. dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Quorum verborum sensus est: Propter Christum jam volitum elegit nos, antequam decerneret creationem mundi. *R.* neg. hunc esse hujus loci sensum. Sensus itaque est: Deus propter Christi merita absoluta futura, & absolutè prævisa elegit nos, antequam fieret mundus, hoc est, ab æterno. Pro quo

Nota. Deus absolutè prævidit lapsum Adami absolutè futurum. Lapsu Adami absolutè prævisо, ad humani generis redemptionem decrevit Christum, & ejus merita prædefinivit. Merita Christi prædefinita, & absolutè futura, absolutè prævidit. Propter merita Christi absolutè prævisa, certos homines elegit ad gloriam, & electos ad gratiam prædestinavit. Hæc est Apostoli doctrina.

Obj. 3. Hebræorum cap. 2. v. 10. dicitur, propter Christum omnia esse facta, adeòque propter Christum omnia fuisse decreta, & sic Christum à Deo decretum fuisse, antequam decerneret mundi creationem. *R.* neg. Verba Apostoli sunt: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat* (hoc est, per Christum adducere decreverat) *auctorem salutis eorum* (Christum) *per passionem consummare.* Ubi per to *eum* intelligitur Pater æternus, ad quem proinde, non verò ad Christum, pertinent verba illa, *propter quem omnia, & per quem omnia.*

Obj. 4. Colossensium cap. 1. dicitur de Christo: *In ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra ... omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes. R. breviter*, hæc omnia dici quidem de Christo, sed de eo dici, ut Deus est, non verò ut est homo.

Obj. 5. 1. Corinthiorum cap. 3. dicitur: *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei.* Ergo Deus decrevit immediatè Christum propter gloriam suam, deinde propter Christum electos, denique propter electos cætera omnia. *R.* neg. conseq. Hujus igitur loci sensus est: Omnia ordinantur ad vestram utilitatem. Vos verò estis membra mystica Christi, sicut Christus ipse, quatenùs homo, est Dei, quasi capitis ac Domini, creatura & possessio.

Obj. 6. hæc Christi verba apud Joannem cap. 17. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te* (hoc est, priusquam mundus à te esset decretus.) *R.* neg. hanc interpretationem, & post hæc verba, *Priusquam mundus esset*, virgulam poni debere, & sensum esse; Pater, fac ut in cœlo, quantùm fieri potest, mihi ut homini communicetur gloria, quam ut Deus habui apud te ante mundi creationem, & ab æterno.

Obj. denique hæc verba Ecclesiastici cap. 24. *Ego* (sapientia) *ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Ad solutionem *Nota.* Verbum, *primogenitus*, per hebraismum solet in Scriptura significare aliquid in suo genere præstantissimum, ut cùm dicitur, *primogenita mors*, hoc est, mors funestissima, vel, *primogeniti pauperum*, hoc est, paupertimi.

perrimi. *R.* itaque. Supposito, quòd verba laudata de sapientia incarnata intelligi debeant; vel dicuntur de Christo, ut est homo, & sensus est, quòd creaturis omnibus longè antecellat; vel de eo dicuntur, ut est Deus; & sensus est, quòd ab æterno genitus fuerit, & antequam produceretur ulla creatura.

Dices. Scriptura significat, Christum fuisse à Deo decretum, ut ducem, & pastorem ovium, hoc est, Angelorum & hominum, ut mediatorem vitæ spiritualis, hoc est, gratiæ & gloriæ, ut sponsum Ecclesiæ, quæ homines & Angelos comprehendit. Atqui ratio ducis, pastoris, &c. est aliquid de se planè independens à peccato, & ejus prævisione, potuitque proinde priùs intendi, & expeti à Deo, quàm homo prævideretur esse peccaturus. Ergo revera, &c.

R. Christum potuisse quidem à Deo ut ducem, & pastorem ovium, ut sponsum Ecclesiæ, ut mediatorem vitæ supernaturalis præcisè ac simpliciter decerni independenter à prævisione peccati; at verò non potuisse independenter à peccato præviso decerni ut ducem, & pastorem hominum lapsorum, ut mediatorem vitæ supernaturalis reparandæ, ut sponsum Ecclesiæ, quam sanguine suo acquireret, & pro qua se ipsum traderet, ut sanctificaret & mundaret illam, &c. Hoc autem secundo modo, non primo, Christus decretus est, ut probavimus ex Scriptura, & Patribus, & hoc secundo modo priùs decretus est, quàm decerneretur, ut judex vivorum & mortuorum, ut Angelorum dux & pastor, ut caput supra omnem Ecclesiam, hoc est, ut supremus hominum & Angelorum Monarcha.

§. III.

Solvuntur objectiones petitæ ex Patrum auctoritate.

*Obj.*1. Sanctum Irenæum, apud Cardinalem de Lugo, & alios Auctores, sic loquentem: *Cum præexisteret salvans, oportebat, quod & salvaretur, fieri, ut non vacuum sit salvans.* *R.* Irenæum loqui de Christo ut Deo, seu de ipso Verbo, existente ab æterno, quod erat salvans in actu primo, id est, potens salvare in natura assumpta: unde Deus moveri potuit ad permittendum hominis lapsum, aliàs fortasse non permissurus, si homo lapsus reparari non posset per Verbum hominem factum. Itaque juxta sanctum Irenæum, cùm ab æterno existeret Verbum, quod hominem lapsum salvare posset assumendo naturam humanam, Deus convenienter permittere potuit, & permisit, hominem labi, ut ex hominis lapsu, Verbo daretur occasio carnem assumendi, & hominem lapsum salvandi, quia inde maxima Deo gloria, plurimaque & maxima ipsi homini emolumenta profluxura erant.

*Obj.*2. Cyrillum Alexandrinum in thesauro, assertione 15. sic loquentem: *Idcirco quæ ipsum decent faciens* (Deus) *non quando nos facti sumus, tunc primùm de nobis deliberat; verum etiam antequam fieret terra, & ante sæcula rerum nostrarum successus & eventus prænovit; & ante sæcula fundavit Filium suum, quantum ad suam prænotionem attinet, ut nos super eum ædificati, resurgamus in incorruptionem, quia alioquin per prævaricationem in interitum & corruptionem incideramus.* *R.* Cyrillum hìc apertè nostrum esse: nihil enim aliud vult, quàm Christum fuisse præordinatum, & præparatum in providentia divina, antequam existeret mundus, & nos in tempore peccaremus, ut adveniente postea lapsu nostro in tempore, jam esset nobis præparata reparatio.

Christum autem sic præparatum fuisse post absolutam lapsus nostri prævisionem, clarè dicit S. Doctor; sic enim continuò prosequitur: *Sciebat enim, nos per peccatum morituros, & propter inobedientiam nostram in sepulchro terræ cubituros, atque audituros:* Terra es, & in terram reverteris. *Cum autem quæ ex re nostra erant, etiam ab æterno præcogitavit omnium nostrum conditor & creator, prævidit, atque præfinivit eum, qui propter nos & pro nobis homo futurus esset, hoc est, Verbum suum, ut initium viarum, & fundamentum reperiatur instauratæ in ipso humanæ naturæ ad incorruptionem.*

Idem luculenter docet dialogo 5. de sancta Trinitate circa medium, ubi ait: *Dicam enim aliquid, haud multùm decori in præsentiarum sollicitus, quòd necessitas ita postulat, hominum lapsibus, ac nostris peccatis maximam habeat gratiam unigenitus: sciat verò occasionem sibi fuisse gloriæ illius deificæ humanitatis peccata: nisi enim peccassemus, non factus fuisset nostri similis* (naturam scilicet nostram assumendo) *& nisi factus esset nostri similis, neque crucem sustinuisset, ac nisi mortuus esset, neque nobis, & sanctis Angelis adorandus esset.*

Nec dic, S. Cyrillum aliud non velle, quam Christum venturum non fuisse in carne passibili & mortali, si homo peccaturus non fuisset; adeòque Christum, ut venturum in carne passibili & mortali, à Deo decretum fuisse tantùm post peccati prævisionem, quod non impedit, quominùs simul independenter ab hac prævisione Christus decretus fuerit secundùm substantiam, præscindendo à carne passibili vel impassibili, adeòque non impedit, quominùs Christus adhuc venturus fuisset, etiamsi homo non fuisset peccaturus: nam contra est, quia talis distinctionis vestigium nullum apud S. Cyrillum aut Patres alios invenies.

*Obj.*3. S. Augustinum 1. in libro de spiritu & anima cap.9. ubi ait: *Propterea Deus homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret.* Et lib.1. de nuptiis cap.21. ubi dicit conjugium etiam in statu innocentiæ, si homo non peccasset, futurum fuisse sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia. *R. ad primum*, Auctorem libri de spiritu & anima alium esse ab Augustino: nam ut observat Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Auctor ille citat Boetium, qui annis ferè centum Augustino posterior est. Præterea, verba laudata nobis non obsunt: Deus enim finem hunc, scilicet ut hominem in se beatificaret, tam post prævisionem peccati, quàm ante, potuit intendere. *Ad* 2. *R.* neg. Sanctus enim Augustinus loco citato dicit tantùm, in statu innocentiæ, etiamsi homo non peccasset, futurum fuisse conjugium, quod postea Apostolus vocavit magnum sacramentum in Christo & Ecclesia. *Respondebit*, inquit, *connubii sacramentum: De me ante peccatum dictum est in paradiso*, Relinquet homo patrem, &c. *quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo & Ecclesia.*

Nostrum autem esse S. Doctorem, jam supra probavimus, & adhuc demonstramus ex libro 1. de peccatorum meritis cap.26. ubi hæc habet: *Commodius esse arbitror, acervatim cogere, quæ occurrere potuerint, vel quæ sufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Jesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, ac forma servi accepta factum obedientem usque ad mortem Crucis, nisi ut hac dispensatione misericordissimæ gratiæ, omnes, quibus tanquam membris, in suo corpore constitutis, caput est, ad capessendum regnum cœlorum vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui priùs fuissent in peccatorum morte, &c.*

§. IV.

Solvuntur objectiones petitæ ex ratione.

*Obj.*1. Si Christus non fuit decretus, nisi post prævisionem peccati primi parentis, non fuit primus prædestinatus, & exemplar aliorum omnium hominum prædestinatorum. Falsum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Licèt itaque Christus decretus non fuerit ad existentiam, nisi post Adamum, & ejus peccatum absolutè prævisum, nihilominùs ante Adamum prædestinatus fuit ad gloriam: Deus enim Adamum ad gloriam non prædestinavit, nisi post prævisionem peccati illius, & prædefinitionem Christi Salvatoris, ac meritorum ejus, propter quæ prædefinita, & absolutè prævisa, Adamum ad gloriam elegit, eique gratias

cum

cum assecutione gloriæ infallibiliter connexas præparavit: quare Adamus in tempore propter merita Christi Salvatoris absolutè futura, & absolutè prævisa, accepit gloriam & omnem suam gratiam, etiam illam quam habuit ante peccatum, non quidem ut primò datam, sed ut pœnitenti redditam; sub quo tantùm respectu effectus fuit electionis & prædestinationis. Quòd si Christus prædestinatus fuit ad gloriam ante Adamum, à fortiori fuit ante omnes Adami posteros, quos Deus elegit, seu quos ante prævisionem omnis proprii meriti, absolutè & efficaciter voluit consequi gloriam: nam qui ex Adami posteris ad gloriam electi fuerunt, non electi fuerunt ante ipsum Adamum, sed vel simul cum illo, vel etiam post illum, posterioritate scilicet rationis.

At inquies. Si Adamus non peccasset, nullus hominum secundùm nos, ex vi præsentis decreti prædestinatus fuisset: nam secundùm nos, si Adamus non peccasset, Christus ex vi præsentis decreti non venisset. Ergo secundùm nos, si Adamus non peccasset, nullus hominum salvatus fuisset; quod videtur absurdum. *R.* dist. seq. ant. Si Adamus non peccasset, nullus hominum secundùm nos, ex vi præsentis decreti prædestinatus fuisset prædestinatione gratuita, & antecedente prævisionem absolutam omnis proprii meriti, quo modo electi omnes in præsenti statu sunt prædestinati, C. seq. ant. Prædestinatione remunerata, & supponente prævisionem meritorum, ac perseverantiæ in statu gratiæ, N. ant. & conseq.

Itaque secundùm nos, præsenti decreto voluit Deus conditionatè quidem, sed seriò ac sincerè, ut Adamus, & omnes ejus posteri gloriam æternam consequerentur, si perseverarent in statu innocentiæ: unde vi præsentis decreti, Adamum, & ejus posteros æterna gloria propter eorum merita, ac perseverantiam in statu innocentiæ, absolutè prævisa, coronare consequenter voluisset absolutè & efficaciter, si reipsa in statu innocentiæ, & bonorum operum exercitio perseveraturi fuissent. Jam verò si Adamus non peccasset, in statu innocentiæ perseverasset, & eo perseverante, aliqui, imò multi ex ejus posteris, in illo statu perseverassent. Quare si Adamus peccaturus non fuisset, Deus ex vi præsentis decreti. Adamum, & multos ex ejus posteris ex absoluta meritorum & perseverantiæ prævisione, ad gloriam æternam ut mercedem prædestinasset, adeòque Adamus, & ex ejus posteris multi salvati fuissent.

Obj. 2. Adamus ante lapsum, gratiam habitualem & actualem, qua peccatum vitare, & in statu innocentiæ perseverare posset, accepit propter merita Christi prædestinata, & absolutè prævisa, juxta illud Apostoli Eph. c. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo*. Ergo necesse est, Christum cum suis meritis prædefinitum fuisse antè peccati prævisionem. *R.* neg. ant. Adamus enim gratiam habitualem & actualem, qua cum in statu innocentiæ perseverare posset, si vellet, accepit ex mera Dei liberalitate: quanquam utramque post lapsum, propter merita Christi recuperaverit. Apostolus autem loco citato loquitur de Christo redemptore, unde intelligendus est de gratiis, quæ post peccatum Adami absolutè prævisum, misericorditer à Deo, intuitu meritorum Christi jam absolutè futurorum, præparatæ fuerunt ipsi Adamo, & posteris ejus.

Dices. Si ita est, multò minùs Angeli gratiam ex meritis Christi acceperunt. Falsum cons. Ergo, &c. *R.* neg. min. Deus enim priùs Angelis gratiam, quà peccatum vitare possent, præparavit, quàm peccatum malorum angelorum prævideret: priùs peccatum malorum angelorum prævidit, quàm prævideret peccatum Adami; peccatum enim angelicum fuit aliquo modo causa peccati Adami: priùs denique prævidit peccatum Adami, quàm decerneret Christum, & ejus merita. Priùs igitur, quàm decerneret Christum, & ejus merita, Angelis gratiam, quacum vitare peccatum, & in bono in quo creandi erant, perseverare possent, præparavit.

At inquies. Christus tam est caput Angelorum, quàm hominum. Præterea, Angeli viatores habuerunt fidem Christi, & per illam sanctificati sunt.

R. ad primum, Christum etiam secundùm humanitatem, esse quidem caput, non solùm hominum, sed etiam Angelorum, sed cum aliquo discrimine: nam est caput hominum, & quoad exteriorem gubernationem, & quoad internum gratiæ influxum; Angelorum caput est, quoad exteriorem gubernationem, & excellentiam tantum.

R. ad secundùm negando. Nam quòd Christus angelis viatoribus revelatus fuerit, neque ex Scriptura, neque ex Patribus colligitur: imò quamvis certum sit, aliquos ex Angelis sanctis incarnationis mysterium, antequam impleretur, cognovisse, incertum omninò est an à principio beatitudinis cognoverint: multosque ex illis mysterium illud, etiam quoad substantiam, nonnisi postquam impletum est, cognovisse, videtur Apostolus significare, cùm 1. ad Tim. cap. 3. de mysterio incarnationis ait: *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus*.

Obj. 3. Mysterium incarnationis revelatum fuit Adamo innocenti, in sopore illo de quo Geneſi c. 2. dicitur: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset*, &c. Ergo Incarnatio decreta fuit ante absolutam peccati prævisionem. *R.* concesso antecedente, quod tamen multi negant, negando consequentiam nam etiamsi incarnatio nonnisi post peccatum Adami absolutè prævisum, volita fuerit, potuit tamen revelari. Adamo antequam peccaret; sicut enim absoluta peccati præscientia tempore prior fuit ipso peccato, licèt fuerit posterior causalitate, ita revelatio incarnationis potuit tempore priùs existere, quàm existeret peccatum, licèt ab eo & ejus absoluta prævisione dependeret.

At inquies. Si mysterium incarnationis revelatum fuit Adamo innocenti, Adamus innocens supernaturalem habuit fidem Christi, atque ita Adamus in statu innocentiæ habuit aliquod augmentum gratiæ dependenter à Christo & meritis ejus; illud scilicet augmentum, quod meritus est per fidem Christi supernaturalem. Oportuit igitur Christum & ejus merita prædefinita fuisse ante prævisionem absolutam status innocentiæ, & peccati. *R.* Adamum fidem Christi supernaturalem elicuisse cum adjutorio gratiæ, ex mera Dei liberalitate accepta, & per fidem illam supernaturalem meritum esse gratiæ augmentum dependenter à Christo, non ut causa meritoria, sed tantùm ut objecto credito unde pro opposita sententia nihil sequitur.

Obj. 4. Deus decrevit Christum propter gloriam suam extrinsecam. Ergo decrevit illum independenter ab absoluta prævisione peccati. *R.* dist. ant. Deus decrevit Christum propter gloriam suam extrinsecam præcisè, seu abstrahendo ab ea, ut tali vel tali modo procuranda, N. ant. Propter gloriam suam extrinsecam, ut procurandam per redemptionem humani generis, C. ant. Unde neg. cons.

Dices. Ergo Deus ordinavit Christum ad redemptionem humani generis. Sed hoc est inordinatum. *R.* neg. hoc esse inordinatum. Et verò, secundùm adversarios, Deus ordinatè velle potuit, & voluit Christum ut passibilem, & infinita passionis ejus merita propter redemptionem humani generis. Quidni ergo etiam potuit ordinatè velle simpliciter Christum, seu velle Christum quoad substantiam, & omnia ejus merita propter eundem finem.

Dices. Si Deus simpliciter voluit Christum propter redemptionem humani generis, simpliciter voluit perfectiùs propter minùs perfectum. Sed hoc est inordinatum. Ergo, &c. *R.* neg. min. Ratio est, quia in iis, quæ liberum est velle, vel non velle, nec sunt inter se essentialiter subordinata, potest agens, absque omni inordinatione, simpliciter velle perfectius propter minùs perfectum: ita ut minùs perfectum sit tota ratio sufficienter movens ad volendum efficaciter perfectius. Deus autem, utpotè agens ad

extra liberrimum, & sibi sufficientissimum, potuit velle, vel non velle Christum pro arbitrio; & aliunde incarnatio, & humani generis redemptio, non ita sunt inter se subordinatæ, ut non possit utraque proximè ac per se conferre ad gloriam divinam extrinsecam. Quare Deus potuit, absque omni inordinatione, priùs velle efficaciter redemptionem humani generis, ac deinde efficaciter velle Christum propter redemptionem illam, volitam propter gloriam divinam extrinsecam, primò & propter se intentam.

Dices. Si Deus simpliciter ordinavit Christum ad humani generis redemptionem, magis amavit purum hominem redimendum, quàm Christum. *Resp.* Deus hominem purum redimendum, magis quàm Christum amavit secundùm quid, in quantum, vi præsentis decreti, priùs voluit efficaciter redimere purum hominem, quàm decrevit Christum existere: at Christum, magis quàm purum hominem redimendum, amavit simpliciter, quia multò plus in Christo sibi complacuit, quàm in puro homine redimendo, multò plura ei bona voluit, eumque multò pluris fecit.

At inquies. Medium non potest plus amari, quàm finis. *R.* medium non posse plus amari, quàm finem, si ametur præcisè propter bonitatem relativam, hoc est, si ametur præcisè quatenùs utile est ad finem ad quem ordinatur, obtinendum: at medium potest plus amari, & plus amatur, quàm finis, si non solùm propter bonitatem relativam ametur, sed etiam propter bonitatem absolutam, & bonitate finis præstantiorem. Christus autem sic à Deo amatur propter bonitatem relativam, seu propter conducibilitatem, quam habet ad finem redemptionis hominum, ad quem ordinatur, & propter quem solùm vi præsentis decreti proximè volitus est efficaciter, ut etiam ametur à Deo propter bonitatem absolutam, quæ bonitati finis illius, ad quem ordinatur proximè, infinitè excellit; quamvis non sic propter bonitatem absolutam ametur, ut vi præsentis decreti, propter illam existeret, etiamsi homo redemptione non indigeret.

Obj. 5. Medium, propinquius fini generali operum divinorum, priùs à Deo volitum est, quàm medium remotius. Sed incarnatio est medium fini generali operum divinorum, nempe gloriæ divinæ extrinsecæ, propinquius, quàm redemptio hominum: incarnatio enim opus est longè præstantius hominum redemptione, & in eo perfectiones divinæ multò magis relucent. Ergo, &c. *R.* dist. maj. Medium, fini generali operum divinorum propinquius in agentis intentione, priùs à Deo, &c. C. maj. Propinquius dignitate & excellentia tantùm, N. maj. Incarnatio autem est quidem medium, fini generali operum Dei propinquius dignitate & excellentia: at non est medium propinquius in intentione Dei, qui priùs voluit efficaciter procurare gloriam suam extrinsecam per hominis redemptionem, quàm vellet efficaciter incarnationem.

At inquies. Medium, propinquius dignitate & excellentia, ordinari non potest ad medium remotius. Ergo incarnatio ordinari non potuit ad hominis redemptionem; adeòque hominis redemptio non potuit esse priùs in intentione Dei, quàm incarnatio. *R.* medium, propinquius dignitate & excellentia, ordinari non posse ad medium remotius, quando media illa ita sunt inter se subordinata, ut remotius non possit, nisi mediante propinquiore, conferre ad finem: secùs verò, si remotius tam per se & proximè ad finem conferre potest, quàm propinquius, licèt non possit tam perfectè: hominis autem redemptio tam potest per se & proximè ad gloriam Dei conferre, quàm incarnatio, licèt non tam perfectè possit.

Obj. 6. Si incarnatio non fuit volita, nisi post absolutam peccati prævisionem, est bonum occasionatum. Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* incarnationem esse bonum occasionatum, non hoc sensu, quòsi sit bonum fortuitum, vel nonnisi alterius occasione volibile, sed eo tantùm sensu, quòd sit bonum volitum tantùm occasione alterius, nempe peccati absolutè prævisi; in quo nullum est inconveniens.

At inquies. Si incarnatio non fuit volita à Deo, nisi occasione peccati, humanitas Christi gaudere potest de peccato. *R.* humanitatem Christi gaudere posse, non de peccato, quod secundùm se fuit impedimentum incarnationis, sed de infinita Dei bonitate, qua sola permotus Deus, ex peccato absolutè prævisо occasionem sumpsit volendi incarnationem.

At inquies. Priùs à Deo intenditur bonum, quàm permittatur malum, quod est occasio boni. Ergo Deus priùs voluit incarnationem, quàm vellet peccatum permittere, proindeque incarnatio ante absolutam peccati prævisionem volita fuit à Deo. *R.* neg. ant. Ad hoc enim, ut Deus malum permittere vellet, satis fuit, quòd priùs cognoverit bonum, cujus malum occasio esse poterat: nam hoc satis fuit, ut malum vellet permittere, nec ab eo permittendo deterreretur per illius odium.

Deus itaque voluit permittere peccatum, non ut ex eo sumeret occasionem ponendi incarnationem, priùs volitam efficaciter; sed quia cognoscens bona, quibus peccatum occasionem dare poterat, vidit posse se convenienter illud permittere, nec ab eo permittendo per odium illius deterritus fuit, præsertim cùm sibi complaceret in bonis illis, quibus occasionem dare poterat peccatum, atque imprimis circa incarnationem possibilem. Breviter. Deus voluit permittere peccatum, non ut esset Christus, sed quia poterat esse Christus, & per Christum in carne mortali & passibili venientem, poterat homo modo perfectissimo redimi, to quia, significante non causam motivam, sed merum removens prohibens.

Obj. 7. Intrinseca & absoluta Christi perfectio & excellentia, qua creata omnia superat, magisque valet ad potentiam, sapientiam & bonitatem divinam manifestandam, quàm omnes puræ creaturæ simul sumptæ, sufficienter Deum movere potuit. *R.* ita esse. At r. Deus, qui sibi sufficientissimus est, & ad extra liberrimus, potuit non velle Christum propter intrinsecam illam & absolutam illius excellentiam, potuitque convenientissimè illum velle efficaciter propter solam rationem redemptionis, ut sic magis misericordissimam suam erga nos charitatem commendaret. Sic autem reipsa Christum voluisse, satis superque ostensum est ex Scriptura, & Patribus.

Obj. 8. Non est conveniens, dicere quòd Christus non fuerit per se à Deo expetitus, sed tantùm ex occasione peccati, atque ita quòd tantùm sit bonum ortum ex occasione mala & pudenda, quamque Deus voluisset non esse: unde consequenter Deus potiùs voluisset Christum non esse, quàm esse. *R.* absolutè quidem convenientius fuisse, quòd Christus primò & efficaciter per se intenderetur à Deo: at Deus non tenetur ad convenientius absolutè, sed solùm ad conveniens. Conveniens autem, imò convenientissimum fuit, Christum primò & efficaciter intendi propter solam humani generis redemptionem, ut jam probatum est.

Addo, incarnationis primò & efficaciter propter solam hominis redemptionem decretæ convenientiam, non minui ex eo quòd idcircò sit bonum occasionatum, sive bonum ortum ex occasione mala & pudenda, & quam Deus nollet esse: peccatum enim fuit occasio purè per accidens incarnationis, nec ullo pacto Deum ad eam volendam movit; sed Deus, peccato absolutè prævisо, ad decernendam incarnationem motus est sola sua misericordia, quæ eò magis commendatur, magisque relucet, quà occasio pejor fuit, magisque pudenda.

Obj. 9. Excellentiæ Christi multùm detrahitur, cùm negatur Christus per se intentus & expetitus fuisse, illique Angeli, quoad suam justificationem & glorificationem, & primi parentes, quoad suam justificationem in statu innocentiæ, subtrahuntur. Ergo, &c. *R.* in nostra sententia nihil excellentiæ Christi detrahi, sed solùm ei subtrahi gloriam accidentalem aliquam,

quam, quam Deus noluit eum habere; in quo non est inconveniens. Et verò gloria accidentalis Christi tanta non est, quanta absolutè potuit esse: nam v. gr: angeli mali redimi potuerunt ex Christi meritis, & Deus potuit creare plures alios mundos, quibus Christus præesset, pluresque alias creaturas, quæ ex meritis ejus redimerentur, vel saltem justificarentur, & glorificarentur: attamen negando malos angelos ex meritis Christi redemptos, aut plures mundos alios creatos esse, &c. nihil propterea detrahitur excellentiæ Christi, sed solùm accidentalis, quam reipsa Deus noluit habere, gloria ei subtrahitur; quod inconveniens non est.

Præterea, Christus nihil in actu secundo meritus est, nisi per omnes actiones suas simul sumptas, & ejus passione, ac morte consummatas, ut Christus ipse significat, Joan. cap. 12. cùm ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sed meruit omnem gloriam accidentalem, quam habet, vel habiturus est. Ergo omnem gloriam accidentalem, quam habet, vel habiturus est, debet passioni ac morti suæ, adeòque si causa fuit justificationis & glorificationis bonis angelis, & justificationis primis parentibus in statu innocentiæ, pro angelis beatis, & primis parentibus innocentibus passus, & mortuus est, quod est certò falsum. Ergo, &c.

Obj. 10. Ex Trident. sess. 6. cap. 7. Christus est causa finalis nostræ justificationis, adeòque & prædestinationis nostræ, quæ nostræ justificationis causa est. Ergo Christus prius fuit in intentione Dei, quàm hominum prædestinatio, ac proinde & prius quàm peccatum Adami præviśum fuerit. *Resp.* Secundùm Tridentini doctrinam, non Christum, sed gloriam ejus accidentalem esse causam finalem justificationis nostræ, quod verum est, licèt Christus nonnisi post absolutam peccati primi parentis prævisionem decretus fuerit. Deus itaque, præviso Adami peccato, ex affectu efficaci redemptionis humani generis, nihil tamen statuendo in particulari circa homines redimendos, prædefinivit Christum & ejus merita; tum propter prædefinita, & absolutè prævisa Christi merita, efficaciter voluit in particulari justificationem iis omnibus, qui reipsa in tempore justificantur; voluit, inquam, propter gloriam suam, gloriam Christi, & justificandorum salutem, voluntate saltem conditionata intentam.

Obj. denique. Gloria animæ Christi majoris est dignitatis, magisque Deo amabilis, quàm gloria omnium hominum, simul juncta. Ergo dicendum est, gloriam hanc Christi per se magis fuisse à Deo expetitam, quàm gloriam hominum, potiusque ob Christi gloriam homines fuisse prædestinatos, quàm Christum propter gloriam hominum. Ergo, &c.

Resp. In sententia nostra, gloriam hominum affectu simplici & confusè volitam, prius in intentione Dei fuisse, quàm Christum ipsum, ac proinde quàm gloriam animæ illius. At gloria animæ Christi prius in intentione Dei fuit, quàm hominum gloria efficaciter & distinctè volita, & gloria animæ Christi est causa finalis gloriæ hominum, efficaciter & distinctè volitæ; ad quod non requiritur, ut Christus cum suis meritis, ante absolutam prævisionem peccati Adami, decretus fuerit. Ad cujus rei intelligentiam, sit

§. V.

Traditur ordo divinorum decretorum, quantùm ad præsentem materiam pertinet.

INter actus divinos non potest quidem esse prioritas & posterioritas secundùm rem; cùm sint ab invicem & ab essentia divina realiter indistincti, sintque ipsissima essentia, quæ se ipsa, nullo realiter superaddito, intelligit, & vult. At potest dari, & revera datur inter actus divinos prioritas & posterioritas secundùm rationem, cum fundamento in re, quia actus divini æquivalent pluribus actibus realiter distinctis, quorum alii ad existentiam aliorum, præsupponuntur, vel saltem quorum unius objectum præsupponitur objecto alterius.

1. Itaque scientia simplicis intelligentiæ prior est scientia media ratione objecti, quia prius est, actum aliquem creaturæ possibilem esse, quàm esse futuribilem. Item scientia simplicis intelligentiæ prior est scientia media, ratione necessitatis; nam hæc contingens est, illa verò absolutè necessaria. Item scientia simplicis intelligentiæ prior est scientia media in subsistendi consequentia: valet enim: Est scientia media: ergo & scientia simplicis intelligentiæ: at non valet vicissim: Est scientia simplicis intelligentiæ; ergo & scientia media.

2. Scientia simplicis intelligentiæ, & scientia media, priores sunt decretis circa res possibiles, & actus liberos creaturarum: nam scientia simplicis intelligentiæ, & media, ad existentiam decretorum illorum prærequiruntur. Addè decretis illis priores esse ratione necessitatis, & in subsistendi consequentia, ut alibi explicatum est.

3. Decretum aliquod prius est aliqua prævisione absoluta, & aliqua prævisio absoluta prior est aliquo decreto: aliquod enim decretum prærequiritur ad existentiam alicujus prævisionis absolutæ. Sic decretum de producendo mundo, præsupponitur absolutæ prævisioni mundi: Deus enim mundum absolutè prævidet, quia decrevit illum condere. Similiter aliqua prævisio absoluta prærequiritur ad existentiam alicujus decreti: sic prævisio absoluta impœnitentiæ finalis, decreto damnandi præsupponitur: Deus enim decrevit damnare Judam v. gr: quia prævidit absolutè finalem impœnitentiam Judæ. His præsuppositis, hunc actuum divinorum ordinem secundùm diversa signa rationis conformiter ad Scripturam & Patres instituimus.

1. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ ab æterno cognovit omnia possibilia, omnesque modos, quibus se ipsum ad extra communicare, & gloriam suam extrinsecam procurare potest.

2. Similiter, per scientiam mediam ab æterno cognovit omnia futuribilia libera, seu quid quælibet creatura libera liberè ageret, si in talibus, vel talibus circumstantiis poneretur.

3. Decrevit hunc mundum producere, & in eo creare Angelos, ad statum supernaturalem elevatos, quorum alios ex pura benignitate ad gloriam, & ad gratias cum assecutione gloriæ infallibiliter connexas, prædestinavit; aliis verò sincerè quidem, sed inefficaciter gloriam voluit, & vi hujus voluntatis, gratias ad assequendam gloriam idoneas præparavit.

Item decrevit in hoc universo creare Adamum in statu innocentiæ, volendo illi sincerè, non tamen efficaciter perseverantiam in hoc statu, & beatitudinem supernaturalem, eique ex mera liberalitate præparando auxilia gratiæ, quibuscum perseverare in statu innocentiæ, & perseverando, beatitudinem consequi posset. Voluit prærereà primum illum hominem constituere caput morale cæterorum omnium ex hominibus possibilibus, qui ab eo posteà per viam naturalem descensuri erant; voluit, inquam, constituere in ordine ad merendum vel demerendum omnibus statum innocentiæ, per observationem, vel transgressionem præcepti de non comedendo fructu scientiæ boni & mali: ita ut illi præceptum observasse, vel violasse, & ita justitiam originalem meruisse vel demeruisse censerentur, prout præceptum illud observasset, vel non observasset Adamus.

Porrò Deus Adamum constituit caput morale aliorum hominum, per viam generationis naturalis ab eo descensurorum, voluntati illius, in ordine ad observationem, vel transgressionem præcepti, pro supremo suo in res omnes dominio, alligando voluntates, non horum determinatè ex hominibus possibilibus (nam Deus pro illo signo rationis, quo Adamum constituit caput morale generis humani, non cognovit, nec cognoscere potuit, quinam determinatè

natè ex Adamo erant descensuri,) sed horum, vel illorum disjunctim ex omnibus possibilibus, ab eo pro tunc distinctè cognitis, prout hi vel illi postea ex Adamo descensuri erant seminaliter.

4. Per scientiam mediam præsciens Deus Adamum, si in talibus circumstantiis sibi relinqueretur, peccaturum, seu præceptum de non comedendo fructu scientiæ boni & mali transgressurum, simulque per scientiam simplicis intelligentiæ prænoscens Adamum, & genus humanum, cum eo lapsum, reparari posse per incarnationem, statuit Adamum sibi relinquere, seu speciale adjutorium, quo à lapsu præservaretur, ei non dare, & sic Adami peccatum, & in Adamo totius humani generis ruinam permittere.

5. Absolutè prævidit Deus Adamum peccaturum, & in eo, ut capite morali, peccaturos quotquot ab eo per generationem naturalem descensuri erant nondùm tamen determinatè, & in particulari hos ab eo descensuros cognoscens, sed tantùm disjunctim hos vel illos ex hominibus passibilibus, quos omnes distinctè, & in particulari congnoscebat.

6. Deus, præviso absolutè peccato, quod futurum erat Adami physicè, & posterorum ejus moraliter, cum debito in posteris contrahendi maculam peccati illius à primo instanti animationis, sola sua misericordia commotus, decrevit efficaciter redimere genus humanum, & quidem modo redemptionis perfectissimo, ad hunc finem decernendo Christum cum suis meritis, inter quæ præcipuum locum tenebat passionis ac mortis acceptatio.

7. Christi decreti ad existentiam merita prædefinita, & quod in illis præcipuum erat, passionis ac mortis ad perfectam redemptionem hominum præordinatam acceptationem absolutè prævidit.

8. Propter merita Christi absolutè futura, & absolutè prævisa, decrevit ipsi Christo gloriam animæ & corporis, nominis exaltationem, & omnem gloriam accidentalem, quam habet, vel habiturus est, cum variis prærogativis, quibus gaudet, ut homo: quales sunt esse hominum prædestinatorum exemplar, legislatorem, judicem vivorum & mortuorum, angelorum & hominum caput, & Regem spiritualem Ecclesiæ, non verò quales sunt, esset Redemptorem, Mediatorem, & Sacerdotem: nam ad hæc Christus ante merita sua absolutè prævisa, & ex solo affectu redemptionis hominum, prædestinatus fuit.

9. Propter eadem Christi merita absolutè prævisa, ut causam meritoriam, & propter gloriam ejus accidentalem, ut causam finalem partialem, ex hominibus naturaliter ab Adamo descensuris, alios ad gloriam prædestinavit, eorum merita & perseverantiam finalem prædefinivit, eisque media congrua præparavit; aliis verò gloriam voluit sincerè quidem, sed non efficaciter, unde præparavit illis auxilia idonea tantùm, & sufficientia, quorum simul abusum occultas unà & justissimas ob causas permittere decrevit.

Porrò, quod hic observandum est, Deus nec statuit, nec statuere potuit pro eodem signo rationis, id quod re ipsa statuit ab æterno de singulis hominibus: sed primò statuit de Adamo, deinde de immediatè ejus posteris, & sic deinceps per sequentia rationis signa de aliis, atque aliis, quos absolutè futuros prævidere non potuit, priusquam statuisset de parentibus illorum, eisque auxilia decrevisset, à quibus dependebat electio conjugii, vel cœlibatus, ab eis facienda; longitudo vel brevitas vitæ, & alia similia ad posterorum propagationem pertinentia: quare Deus ita ab æterno cognovit in particulari illos omnes, qui ex Adamo aliquando descensuri erant; vel sunt: ut tamen omnes non cognoverit pro eodem rationis signo, nec nisi postquam secundùm diversa rationis signa statuit de singulis progenitoribus.

10. Secundùm diversa signa rationis, prout de singulis hominibus statuit, electorum merita cum eorum perseverantia finali reproborum verò demerita, cum eorum finali impœnitentia absolutè prævidit, & sic secundùm diversa signa rationis, electis gloriam per modum mercedis, reprobis verò supplicium æternum destinavit.

ARTICULUS IV.

Aliquot dubia, quæ supersunt, resolvuntur.

Quæres 1. Utrùm Christus venerit in remedium solius peccati originalis? *R.* Christum venisse in remedium peccati originalis, & actualium, nec solùm pro originali, sed etiam pro actualibus passum & mortuum esse.

Est de fide, & expressè asseritur in Scriptura. Nam 1. Joan. c. 1. dicitur: *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et ad Titum c. 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ratio est, quia Christus venit ut perfectus Redemptor & Salvator, atque ut nos ad vitam æternam perduceret, ut testatur ipse Joan. cap. 10. *Veni*, inquit, *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Ergo Christus vel venit ad tollenda omnia impedimenta vitæ æternæ. Non solùm autem peccatum originale, sed etiam actualia, sunt impedimenta vitæ æternæ. Ergo, &c.

Quæres 2. Utrùm Christus venerit principalius in remedium peccati originalis, quàm in remedium actualium?

R. affirmativè, cum S. Thomas hic qu. 1. art. 4. in O. ubi ait: *Tantò principalius ad alicujus peccati delectionem Christus venit quanto illud peccatum majus est. Dicitur autem aliquid majus dupliciter: uno modo intensivè ..... & per hunc modum majus est peccatum actuale, quàm originale, quia plus habet de ratione voluntarii: alio modo dicitur aliquid majus extensivè ..... & hoc modo peccatum originale, per quod totum genus humanum inficitur: est majus quolibet peccato actuali, quod est proprium singularis personæ; & quantum ad hoc, Christus principaliùs venit ad tollendum originale peccatum, in quantùm bonum gentis divinius & eminentius est, quàm bonum unius.*

Hoc etiam suaderi potest, 1. ex Scriptura quæ peccato Adami præcipuè opponit redemptionem factam per Christum, ut patet ex Apostolo 1. Cor. c. 15. ubi ait: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* 2. Ex Parribus qui simpliciter asserunt, Christum venisse, quia Adamus peccavit, vel etiam, Christum venturum non fuisse, si Adamus non peccasset, ut patet ax Articulo præcedenti §. 1.

Quæres 3. Utrùm Christus, vi præsentis decreti, venturus fuisset, quamvis solùm fuisset peccatum originale?

R. affirmativè, & *probatur*, 1. Quia quamvis solum fuisset peccatum originale, mansisset motivum primarium & principale incarnationis, adeòque mansisset motivum sufficienter & efficaciter Deum movens ad incarnationem. Ergo fuisset incarnatio. 2. Christus decretus fuit ratione priùs, quàm prævidèrentur, aut prævideri possent in particulari posteri Adami. Ergo Christus decretus fuit ratione priùs, quàm prævidèrentur, aut prævideri possent ulla peccata actualia; imò priusquam prævideretur, aut prævideri posset peccatum originale, actu contractum à posteris Adami. Ergo Christus venisset, etiamsi nulla essent peccata actualia; imò etiamsi nulli ex posteris Adami contraherent actualem maculam peccati originalis; & ut Christus, vi præsentis decreti, veniret satis fuit Adamum peccasse, & ejus posteros in illo, debitumque proximum contraxisse habendi actualem peccati originalis maculam, à qua si præservati fuissent ex Christi meritis, ut præservari potuerunt, Christus non minùs, ut Redemptor, & occasione lapsus generis humani, venisset, quàm re ipsa venit.

At inquies. Cùm Deus decrevit incarnationem, non

non prævidit absolutè peccata actualia in se, sed ea absolutè prævidit in radice, nempe in rebellione concupiscentiæ, transfundenda in posteros Adami. *R.* ita esse: sed inde sequitur tantùm incarnationem decretam esse non solùm propter peccatum originale, sed etiam propter actualia impedienda, vel tollenda, adeòque Christum venisse non solùm propter peccatum originale, sed etiam propter actualia impedienda, vel tollenda; quòd verum est.

At inquies. Inde sequitur, incarnationem decretam esse, & Christum venisse tam principaliter propter peccata actualia tollenda vel impedienda, quàm propter originale. *R.* neg. *Observa*. 1. Deus prævidit absolutè peccatum Adami, ut capitis moralis posterorum, & in posteris debitum contrahendi peccati illius maculam, quæ secundùm nos, ex parte consistit in rebellione concupiscentiæ, ex qua necessariò necessitate morali secutura erant peccata actualia, nisi impedirentur. 2. Decrevit Christum primariò quidem ad impediendam peccati originalis transfusionem, vel ad illud tranfusum tollendum; secundariò verò ad impedienda, vel tollenda actualia, morali necessitate secutura ex concupiscentiæ rebellione, si non impedirentur. 3. Ex meritis Christi absolutè prævisis auxilia idonea ad vitanda peccata actualia omnia hominibus præparavit, non pro uno & eodem signo rationis, sed pro aliis atque aliis, pro quibus alii atque alii homines determinatè exituri fuerunt.

Christus igitur ut perfectus Redemptor decretus fuit propter originale in se prævisum, & propter actualia in radice prævisa: decretus fuit primariò & principaliter propter originale tollendum, & secundariò propter actualia impedienda, vel, si admitterentur, tollenda. Præviso Adami peccato, Christus cum suis meritis statim efficaciter volitus est ad tollendum peccatum illud: sed quia ita voluit Deus peccatum originale propter Christum tollere, ut tamen rebellionem concupiscentiæ ex eo ortam manere voluerit in hominibus, sive regenerarentur, sive non, Christus secundariò, & quasi ex incidenti, fuit etiam volitus propter actualia ex infausta illa radice pullulatura.

Christus igitur ut perfectus Redemptor, venit non solùm propter originale, sed etiam propter actualia; propter originale primariò; secundariò & ex incidenti propter actualia; venit propter originale impediendum in beata Virgine, & tollendum in cæteris hominibus, quamquam non in omnibus tollatur, ob negligentiam, vel malitiam hominum; & ad actualia, impedienda vel tollenda, quamquam non omnia impediantur, nec omnia admissa deleantur, propter abusum gratiarum: venit, inquam, sic tamen ut vi præsentis decreti venire potuerit propter originale, & actualia efficaciter impedienda, quare vi præsentis decreti venisset Christus, etiamsi neque peccatum Adami ad ullum ex ejus posteris transfusum fuisset, neque ullum actuale peccatum fuisset admissum.

Quæres 4. utrùm Christus vi præsentis decreti venturus fuisset, si peccatum originale non esset? *R.* Christum vi præsentis decreti venturum non fuisse, si Adamus non peccasset, ut caput humani generis, adeòque si sola essent peccata actualia, sive venialia, sive mortalia, etiamsi essent in omnibus naturæ individuis.

Prob. Nam deficiente primariò motivo decreti incarnationis, non esset illud decretum, proindeque nec esset incarnatio vi illius decreti. Atqui in hypothesi facta, primarium motivum præsentis decreti incarnationis deficeret; motivum enim illud fuit remedium peccati originalis, remedium verò actualium fuit tantùm motivum secundarium, & quasi ex incidenti: unde canit Ecclesia: *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte delendum erat!* Ergo tunc non esset præsens decretum incarnationis, atque adeò nec esset incarnatio vi præsentis decreti.

Dices. Si in omnibus, aut ferè omnibus hominibus essent peccata actualia, quamvis sine originali, fuisset necessitas redemptionis humani generis, ut nunc est. Ergo adhuc fuisset incarnatio. *R.* neg. conseq. Nam fuisset quidem necessitas redemptionis humani generis, sed non illius propter quam principaliter decreta est incarnatio: Deus enim Christum principaliter decrevit propter redemptionem humani generis à peccato originali.

Dices. Apostolus ad Galat. cap. 2. ait de Christo: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. *R.* sic loqui Apostolum, non ut significet, Christum ita venisse, & mortuum esse pro salute singulorum, ut venturus, & moriturus fuerit etiam pro salute cujuslibet hominis particularis; sed ut significet, incarnationem ita decretam fuisse, & mortem à Christo toleratam pro salute omnium simul, ut tamen singulis prosit, vel saltem prodesse possint incarnatio & mors Christi, perinde ac si Christus pro singulis in particulari venisset, & mortuus esset.

DISPUTATIO VII.

De gratia, de defectibus, & passionibus Christi.

ARTICULUS I.

Utrùm Christus ut homo, sanctus sit sanctitate substantiali.

Responsio I.

CHristus ut homo, sanctus est sanctitate substantiali, propter unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo.

Prob. 1. Nam humanitas Christi unita est Verbo formaliter, hoc ipso quòd ei unita est hypostaticè. Ergo humanitas Christi sanctificata est Verbo formaliter, hoc ipso, &c. Conseq. patet. Nam hic unctio & sanctificatio sunt unum & idem. *Prob. ant.* 1. auctoritate Scripturæ: nam Psalmo 44. ad Christum diriguntur hæc verba: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, (hoc est, præ omnibus Angelis, & hominibus sanctis:) Christus enim hic dicitur unctus præ omnibus aliis sanctis, non solùm propter majorem sanctitatem accidentalem, in majori gratia habituali positam, sed etiam & maximè propter sanctitatem substantialem, quam habet à divinitate Verbi, & qua cæteri omnibus Sanctis, tam Angelis, quàm hominibus infinitè excellit: Christus igitur ex Scriptura, secundùm humanitatem, ipsa Verbi divinitate, mediante unione hypostatica, formaliter unctus fuit.

2. Ex Patribus, pro quibus omnibus hic erunt Gregorius Nazianzenus in oratione quarta de Theologia, ubi de Filio Dei incarnato ait: *Christus verò* (appelatur) *propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est, non actu, ut in aliis, qui christi nuncupantur, sanctificans, sed totius unctionis præsentia*. Et in oratione 2. in Pascha de eodem dicit: *Perfectus autem non modo propter divinitatem, qua nihil perfectius, sed etiam propter divinitatem, divinitate delibutam*.

Sanctus Augustinus, lib. 15. de Trinitate cap. 26. ubi hæc habet: *Manifestiùs de illo* (Christo) *scriptum est in Actibus Apostolorum*. Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto, *non utique oleo visibili, sed dono gratiæ .... nec sanè tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit ... sed ista mystica & invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura; sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis,*

Dei Verbo est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona.

Et sanctus Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 3. *Christi porro*, inquit, *vocabulum personæ esse dicimus, ut quod non unimodè dicatur, sed duplicem naturam significet. Ipse etenim se ipsum unxit, corpus videlicet divinitate sua ungens ut Deus; unctus autem ut homo, quandoquidem ipse & hoc & illlud est. Ut porro humanitatis est divinitas.* Ergo, &c.

Prob. 2. Nam illud est forma, aut quasi forma sanctificans humanitatem Christi, quo formaliter humanitas Christi fit particeps esse divini redditur grata Deo, & sufficienter proportionata ad terminandam supernaturalem Dei amicitiam, jus habet ad æternam beatitudinem, & efficitur impeccabilis. Arqui tale est Verbum respectu humanitatis, hoc ipso præcisè quod est ei unitum hypostaticè: hoc ipso enim se ipsum formaliter etiam physicè communicat humanitati, & humanitas Christi, propter Verbum sibi formaliter communicatum physicè modo illo specialissimo, est Deo gratissima, ad terminandam supernaturalem Dei amicitiam maximè proportionata; item habet jus ad æternam beatitudinem infrustrabile, & est necessariò expers omni peccati, imò & impeccabilis. Ergo revera Verbum, unitum hypostaticè humanitati, est illius forma, vel quasi forma sanctificans, & humanitas formaliter ac immediatè ipso Verbo sanctificatur, adeòque sancta est sanctitate substantiali propter hypostaticam sui unionem cum Verbo.

Obj. 1. Si Verbum uniretur hypostaticè naturæ irrationali, non redderet illam sanctam. Ergo nec sanctam reddit naturam irrationalem, quam assumpsit. *R.* neg. conseq. Nam si Verbum naturam rationalem assumeret, non redderet illam sanctam ea sanctitate, quàm dicimus illud tribuere naturæ rationali, quàm assumpsit; non quia verbum hypostaticè unitum, natum non est sanctitatem illam tribuere, sed quia sanctitatis illius incapax est natura irrationalis: irrationalis enim natura non potest esse grata Deo, ut improportionata ad terminandam amicitiam divinam, & ut incapax æternæ beatitudinis &c. Sanctificaretur tamen à Verbo, alio sanctitatis genere, cujus nimirùm capax est, & quæ reperitur in rebus Deo specialiter dicatis, qualia sunt vasa sacra; atque reperta est in corpore Christi in mortis triduo, propter unionem ejus cum Verbo, etiam pro eo tempore perseverantem.

Obj. 2. Licet omnia attributa divina humanitati assumptæ unita sint, non tamen effectum suum formalem ei communicant: nam intellectio divina non facit humanitatem intelligentem, nec volitio volentem, nec immensitas immensam, nec omnipotentia omnipotentem, &c. Ergo quamvis sanctitas divina unita sit humanitati assumptæ, non ideò reddit eam sanctam substantialiter.

R. neg. conseq. 1. itaque intellectio, & volitio divina, humanitatem, cui uniuntur in Verbo, non faciunt intelligentem, & volentem, quia sunt actus vitales; & actus vitalis effectum formalem sibi proprium tribuit soli principio vitali, à quo realiter, vel virtualiter procedit.

2. Immensitas divina humanitatem, cui unitur in Verbo, non facit immensam, quia non eo ipso, quòd ei unitur, extendit eam ad omnia loca, vel eam formaliter replicat in omnibus locis. 3. Omnipotentia divina humanitatem, cui unitur in Verbo, non facit omnipotentem, quia potentia effectum formalem sibi proprium non tribuit, seu non facit posse, nisi illud, cui intrinseca est, vel per identitatem, vel per informationem, vel per compositionem ut supposito.

4. Humanitas tamen, unita Verbo, sanctificatur substantialiter per sanctitatem Verbi, & omnia alia ejus attributa, quia supposita unione hypostatica, omnia Verbi attributa se habent per modum formæ, formaliter & immediatè humanitati tribuentis effectus omnes formales sanctitatis, hoc ipso, quòd supposita unione hypostatica, per illa formaliter & immediatè participat humanitas esse divinum modo excellentissimo, & longè excellentiori, quam participetur per gratiam habitualem inhærentem.

Obj. 3. Si natura humana uniretur Angelo sancto, non idcircò sanctificaretur ab Angelo. Ergo nec sanctificatur à Verbo, quamvis sit ei unita. *R.* neg. conseq. Disparitas est, quia humanitas Christi, hoc ipso quòd unitur hypostaticè Verbo, per illud formaliter & immediatè participat esse divinum modo excellentissimo. At natura humana, Angelo sancto unita, non hoc ipso esse divinum participaret, quia gratia habitualis, qua natura angelica esset sancta, non esset participatio esse divini, nisi subjecto suo inhæsionis, & subjecto denominationis, ad quòd subjectum inhæsionis pertineret. Sed ad hujus solutionis intelligentiam.

Nota. Si natura humana uniretur naturæ angelicæ, dato quòd hæc unio sit possibilis, nec natura humana respectu angelicæ, nec natura angelica respectu humanæ supposiți rationem haberet, quia neutra haberet rationem totius, sed ex utraque, velut partibus; resultaret aliquod tertium, quod esset totum, ac proinde suppositum respectu utriusque: unde accidentia unius naturæ putà angelicæ, effectus suos formales huic naturæ immediatè tribuerent, & ea mediante, supposito illius, nullatenùs verò alteri naturæ: accidentia enim unius partis effectus suos formales alteri comparti non tribuunt, sed immediatè tribuunt soli parti, cujus sunt accidentia, & ea mediante, soli toti, cujus est pars illa. In facta igitu hypothesi, sanctitas, naturæ angelicæ inhærens, non redderet sanctam naturam humanam, angelicæ unitam, sed immediatè solam naturam angelicam, & ea mediante, solùm utriusque naturæ suppositum.

Fatendum tamen est, quòd ex conjunctione & consortio naturæ angelicæ, refunderetur in naturam humanam dignitas aliqua moralis, & honorabilitas, vel, si vis cohonorabilitas. Ratio est, quia suppositum utriusque naturæ, propter specialem naturæ angelicæ excellentiam, dignum esset speciali honore, in cujus communionem necessariò veniret natura humana, quia cultus & honor qui exhibetur supposito, ad ipsum totum, & omnes ejus partes indivisibiliter terminatur.

Præterea, ex sanctitate naturæ angelicæ resultaret amabilitas aliqua, vel si vis, aliqua coamabilitas in naturam humanam, (nisi tamen ipsa obstaret per malitiam propriam, posset enim peccare, & esse in statu peccati habitualis.) Ratio est, quia sicut homo totus, secundùm corpus scilicet & animam, amari potest, & amatur v. g. propter sapientiam, quæ residet in sola anima; ita in facta hypothesi suppositum utriusque naturæ, totum & secundùm utramque naturam amari posset, & amaretur à Deo propter sanctitatem residentem in sola natura angelica.

Obj. 4. Si humanitas Christi formaliter sancta est per Verbum, cui unitur hypostaticè, non est una, sed duplex causa formalis sanctitatis. Consequens repugnat Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. definienti, unicam esse causam formalem nostræ justificationis. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam Concilium loco laudato loquitur tantùm de causa formali justificationis puri hominis, quàm unicam, eamque nobis adæquatè intrinsecam esse, definivit contra hæreticos, docentes nos justos esse, & Deo gratos partim per justiciam nobis inhærentem, partim per justitiam Christi, nobis à Deo extrinsecè imputatam.

Responsio II.

Sanctitas substantialis, quam humanitati Christi se ipso formaliter & immediatè confert Verbum, est infinita simpliciter in genere sanctitatis participatæ.

Prob. Illud est infinitum simpliciter in aliquo genere, quod in eo superat alia perfectiora & perfectiora in infinitum, ipsum verò ab alio in eodem genere nec

supe-

superatur nec superari potest. Atqui sanctificatio humanitatis Christi per Verbum, superat sanctificationes alias perfectiores & perfectiores in infinitum, per gratias habituales perfectiores & perfectiores in infinitum factas; ipsa verò à nulla alia superatur, aut superari potest in genere sanctificationis participatæ. Ergo sanctificatio humanitatis per Verbum, in genere sanctificationis participatæ, simpliciter infinita est, adeòque, quod idem est, sanctitas substantialis, quam humanitati Christi se ipso formaliter & immediatè Verbum confert, est, &c.

Confirm. 1. Humanitas Christi magis sanctificatur per Verbum, sibi hypostaticè unitum, quàm sanctificaretur per gratiam habitualem, infinitè simpliciter intensam: negari enim non potest, Verbum vim majorem habere ad sanctificandam humanitatem, sibi unitam, quàm haberet gratia habitualis infinitè intensa. Atqui humanitas Christi per gratiam habitualem, infinitè intensam, infinitè simpliciter sanctificaretur in genere sanctificationis participatæ. Ergo à fortiori, in eodem genere per Verbum sibi unitum, sanctificatur infinitè simpliciter.

Confirm. 2. Anima (rationalis scilicet, peccati expers) sancta est quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quòd per unionem habet gratiam habitualem: quia eo ipso per unionem habet esse divinum imitativum; & anima sancta esset infinitè simpliciter, quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quòd per unionem haberet gatiam habitualem, infinitè intensam, quis eo ipso per unionem haberet infinitum simpliciter esse divinum imitativum. Ergo similiter humanitas Christi sancta est, quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quòd per unionem secum habet Verbum, quia eo ipso per unionem secum habet ipsum esse divinum; & sancta est infinitè simpliciter, quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quòd per unionem secum habet ipsum Verbum; qui eo ipso per unionem secum habet, non aliquam esse divini imitationem, & participationem, sed ipsum esse divinum, quod plus valet ad sanctificandum, quàm imitationes & participationes ipsius perfectiores & perfectiores in infinitum, ut per se clarum videtur.

Obj. 1. Humanitas Christi non est immensa, eo ipso quòd per unionem secum habet immensitatem divinam. Ergo non est sancta eo ipso quod per unionem secum habet sanctitatem Verbi. *R.* neg. conf. Disparitas est, quia ut sanctitas Verbi cum aliis ejus attributis humanitatem Christi sanctificet, etiam infinitè simpliciter in genere sanctificationis participatæ, satis est, quòd Verbum sit illi per unionem realem ac physicam præsens: nam eo ipso humanitas non solùm habet esse divinum per participationem, sed etiam omnes alios effectus formales, quos, & quantos ipsum esse divinum per participationem habitum, natum est tribuere omni naturæ rationali. At ad hoc, ut immensitas divina, ut sic loquar, immensitet, non sufficit, quòd sit præsens per unionem etiam realem & physicam, sed requiritur, ut habeatur per identitatem, quia res non nisi per se ipsam immensa esse potest, sicut non nisi per se ipsam potest esse extensa: nam immensitas est purus modus se habenti extensionis, & res quælibet est essentialiter extensa per entitatem suam.

Obj. 2. Humanitas Christi, ut unita Verbo, sancta est per participationem tantùm: habet enim tantùm per participationem sanctitatem Verbi. Ergo ut unita Verbo, non est infinitè simpliciter sancta. *R.* humanitatem Christi, ut unitam Verbo, sanctam esse per participationem tantùm, eo solùm sensu, quòd non sit sancta à se & per se, sed per aliud ab ipsa realiter distinctum, eique contingenter superadditum, & habere sanctitatem Verbi cum aliis attributis divinis per participationem tantùm, eo solùm sensu, quòd non habeat illa per identitatem, sed per unionem contingentem: unde sequitur tantùm, quòd non sit summè sancta, & in supremo genere sanctificationis, sed in inferiore, nempe in genere sanctificationis participatæ; in quo genere nihilominùs infinitè simpliciter sanctificatur per ipsum esse divinum, quod per unionem hypostaticam participat, quia per illud in hoc genere plus sanctificatur, quàm sanctificaretur per gratiam habitualem intensiorem & intensiorem in infinitum, imò, quàm sanctificaretur per gratiam habitualem infinitè simpliciter intensam; atque insuper tam perfectè sanctificetur per esse divinum, ut nulla alia creatura per illud sanctificari possit perfectiùs, quia nimirùm esse divinum tam perfectè participat, ut à nulla alia creatura possit perfectiùs participari.

At inquies. Si natura angelica uniretur hypostaticè Verbo, perfectiùs ei uniretur, quàm humanitas Christi. Ergo in genere sanctificationis participatæ, magis per Verbum sanctificaretur: quàm humanitas Christi, quæ proinde gratis dicitur infinitè simpliciter per Verbum sanctificari in genere sanctificationis participatæ. *R.* unionem hypostaticam naturæ angelicæ cum Verbo fore perfectiorem materialiter, quia natura angelica Verbo per entitatem perfectiorem uniretur; at non fore perfectiorem formaliter, & in ratione unionis, quia natura angelica per unionem hypostaticam non conjungeretur cum Verbo arctiùs, & intimiùs, quàm humanitas Christi, ficque Verbum non possideret pleniùs ac perfectius, quam Christi humanitas, adeòque nec magis sanctificaretur per Verbum.

Obj. 3. Sanctitas Verbi non potest infinitè sanctificare, nisi habeatur per identitatem. Ergo non sanctificat infinitè humanitatem Christi, à qua habetur per unionem tantùm. *R.* neg. ant. Nam gratia sanctificans, infinitè intensa, infinitè sanctificaret, licèt non per identitatem, sed solùm per unionem haberetur: quidni ergo pariter sanctitas Verbi cum aliis ejus attributis vim habeat infinitè sanctificandi humanitatem Christi, licèt ab ea, non per identitatem, sed solùm per unionem habeatur?

At inquies. Si Verbi sanctitas vim habeat infinitè sanctificandi, etiamsi habeatur per unionem tantùm, per eam humanitas Christi tam sancta est, quàm ipsum Verbum. Falsum conseq. Ergo & ant. *R.* neg. seq. maj. Ratio negandi est, quia sanctitas Verbi, habita solùm per unionem, non habetur optimo modo: quo haberi potest, cùm possit haberi per identitatem, unde habita solùm per unionem, non sanctificat tantùm, quantùm ex se nata est sanctificare: hinc humanitatem Christi solùm sanctificat in genere sanctificationis participatæ, quia ab humanitate Christi habetur solùm per unionem; adeòque non habetur optimo modo, quo haberi potest.

Porrò summè sanctificat Verbum, & in supremo genere sanctificationis, quia ab eo habetur per identitatem, adeòque habetur optimo modo, quo potest haberi; unde tantùm illud sanctificat, quantùm nata est sanctificare. Aliud est de gratia habituali, quæ aliter haberi non potest, quàm per unionem: unde cùm per unionem habetur, optimo modo habetur, quo haberi potest: quare sic habita, tantùm sanctificat, quantùm ex se nata est sanctificare. Sed de præsenti difficultate adhuc infra. Interea ex dictis.

Observa. 1. Humanitatem Christi pulchriorem esse & amabiliorem Deo, quàm creaturas rationales alias, pulchriores ac pulchriores, & amabiliores ac amabiliores Deo in infinitum, per gratiam scilicet habitualem, majorem ac majorem in infinitum: pulchritudo enim & amabilitas humanitatis Christi commensuratur sanctitati ejus substantiali, qua sanctior efficitur, quàm creaturæ rationales aliæ sanctiores ac sanctiores in infinitum per gratiam habitualem, perfectiorem ac perfectiorem in infinitum, imò quàm creaturæ rationales aliæ, sanctæ infinitè simpliciter per gratiam habitualem infinitè intensam.

2. Humanitatem Christi proportionatam esse ad terminandum super naturalem Dei amorem, appretiativum ipsius humanitatis supra creaturas alias rationales, sanctiores ac sanctiores in infinitum per gratiam habitualem, majorem ac majorem in infinitum, immò & suprà creaturas alias rationales, san-

ctas infinitè per infinitam habitualem gratiam: nam appretiabilitas creaturæ sanctæ, relatè ad Deum supernaturali amore amicitiæ diligentem, commensuratur sanctitati creaturæ illius.

3. Humanitatem Christi habere exigentiam superioris ordinis, supremo tamen Dei dominio subordinatam ad habitus supernaturales perfectiores ac perfectiores in infinitum; item habere acceprabilitatem, vel, si vis, jus superioris ordinis, sed subordinatum supremo dominio Dei, ad visionem Dei, intuitivam, perfectiorem ac perfectiorem in infinitum: item habere puritatem & impeccabilitatem simpliciter infinitam in genere puritatis & impeccabilitatis participatæ. Ratio est, quia hæc omnia sunt effectus formales sanctitatis substantialis, quam habet humanitas Christi per Verbum, sibi hypostaticè unitum, & cui proinde commensuratur. Est autem, ut probatum est, simpliciter infinita in genere sanctitatis participatæ. Ergo, &c. Sed ex occasione difficultatis ultimo loco propositæ, sit

Responsio III.

Humanitas Christi per sanctitatem etiam substantialem, quam habet à Verbo formaliter & immediatè, non est tam sancta, quàm ipsum Verbum.

Prob. Nam Verbum sanctum est per se & essentialiter; pulchrum & amabile, operativum actuum divinorum, & beatum per essentiam; dignum amore summo & super omnia absolutè; secundùm se & per essentiam impeccabile. Atqui horum nihil habet humanitas Christi, etiam ut per Verbum formaliter & immediatè sanctificata: nam 1. non est sancta per se & essentialiter, sed tantùm per aliud, & contingenter. 2. Non est sancta necessariò & per essentiam, sed tantùm per unionem, quæ posset non esse. 3. Non est pulchra, & amabilis, operativa actuum divinorum, & beata per essentiam, sed solùm per participationem. 4. Non est digna amore super omia simpliciter & absolutè; nam v. g. amabilior non est humanitate alia unita hypostaticè cum persona aliqua divina, sed solùm digna est amore super omnia secundùm quid, seu super omnia creata alia, non sanctificata eadem substantiali sanctitate Dei.

Obj. 1. Humanitas Christi per illud idem sancta est substantialiter, per quod sanctum est Verbum. Ergo. &c. *R.* neg. cons. Ratio est, quia illud idem, per quod utrumque sanctum est, non communicatur utrique eodem modo; divinitas enim, quæ est illud idem, per quod utrumque sanctum est, communicatur Verbo modo excellentissimo, nempe per identitatem perfectissimam; unde illud summè sanctificat: humanitati verò communicatur modo inferiori, nempe per unionem tantùm; unde illam non sanctificat summè, & in supremo genere sanctificationis, sed in inferiore, nempe in genere sanctificationis participatæ.

Obj. 2. Humanitas Christi tam amabilis est, quàm ipsum Verbum. Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis*. Humanitas Christi amabilis est propter eandem bonitatem, propter quam Verbum est amabile, nempe propter bonitatem Dei. Ergo, &c. *R.* neg. conseq. Ratio negandi est, quia bonitas Dei, propter quam humanitas Christi & Verbum sunt amabilia, non tam bona est humanitati Christi, quàm Verbo, eò quòd excellentiori modo communicat se Verbo, quàm humanitati Christi. Bonitas autem, excellentiori modo communicata, meliùs, & amabiliùs efficit id, cui sic communicatur, ut per se clarum est.

Dices. Deus eodem indivisibiliter actu diligit totum Christum, seu Verbum, & humanitatem ejus, & amor ille summus est, & super omnia absolutè. Ergo humanitas Verbi à Deo summè amatur & super omnia absolutè. Ergo tam amatur à Deo, adeòque tam amabilis est, quàm ipsum Verbum. *R.* neg. utramque conseq. Ratio negandi est, quia idem ille indivisibilis actus, quo totus Christus amatur à Deo, non terminatur æqualiter ad Verbum & ad humanitatem ejus, sed est summus & super omnia absolutè respectu Verbi, minor verò respectu humanitatis: sicut idem indivisibilis actus, quo Deus diligit creaturas propter bonitatem suam, non fertur æqualiter ad bonitatem Dei, & ad creaturas, sed est summus respectu bonitatis Dei, minor verò respectu creaturarum.

Dices iterùm. Quando adoratur Christus propter excellentiam Verbi, eadem & æqualis adoratio supremæ latriæ terminatur ad Verbum & ad humanitatem ejus. Ergo quando amatur à Deo totus Christus propter bonitatem Verbi, idem & æqualis amor summus terminatur ad Verbum & humanitatem ejus. *Resp.* neg. consequent. Disparitas est, quia adoratio est cultus exterior, qui toti supposito indivisibiliter redditur: nam cultum exteriorem, quem exhibemus alicui personæ, non possumus ita partiri, ut illius tantùm ad animam v. g. tantùm verò ad corpus terminetur: unde cùm honoris causa assurgimus alicui personæ, toti personæ assurgimus.

Itaque cùm adoratur Christus adoratione supremæ latriæ, hæc adoratio indivisibiliter terminatur ad totum Christum, adeòque ad Verbum & ejus humanitatem, quæ est aliquid substantiale, Verbum integrans in ratione suppositi subsistentis in duplici natura, divina & humana: sed sic terminatur indivisibiliter ad Verbum & humanitatem ejus, ut ad Verbum propter se, & ad humanitatem proprer ipsum Verbum terminetur: quando enim adoro Christum adoratione supremæ latriæ ita Verbo & humanitati ejus volo eundem indivisibiliter cultum externum exhibere, ut tamen cultum illum exhibere velim utrique propter solam Verbi excellentiam, adeòque Verbo propter se, & humanitati propter Verbum: unde sic affectus adorandi ex parte rei volitæ, æqualis est respectu Verbi & humanitatis ejus, ut ex parte modi volendi sit inæqualis: quare cùm adoro Christum, Verbum adorari, & humanitas ejus coadorari dicitur.

Similiter amor quo Deus diligit totum Christum, inæqualis est respectu Verbi & humanitatis ejus. Amor enim est affectus interior, ad bonum tendens, ac proinde magis tendens ad id, quod bonum magis est, minùs verò ad id, quod minùs est bonum, & ita æqualiter tendens ad ea, quæ inæqualiter bonitatem ad amandum moventem participant. Sic v. g. idem amor, quo Deus indivisibiliter totum hominem justum diligit propter gratiam habitualem, fertur inæqualiter ad corpus & animam illius justi. Major enim est respectu animæ, & minor respectu corporis, quia gratia habitualis magis animam perficit, quàm corpus, & ita anima bonitatem & pulchritudinem, qua Deus ad amandum hominem justum movetur, meliùs participat, quàm corpus.

Obj. 3. Si humanitas Christi non sanctificatur summè per Verbum, magis sanctificaretur, si uniretur tribus personis. *Resp.* neg. seq. Nam tres personæ simul non sunt aliquid intensivè melius, sanctius, & amabilius, quàm Verbum solùm, adeòque humanitas, solo Verbo unita, tam est intensivè bona, sancta, & amabilis, quàm si esset unita tribus personis. Item divinitas, quæ est sanctitas substantialis humanitatis, tam perfectè communicatur humanitati per unionem hypostaticam cum solo Verbo, quàm communicaretur per unionem hypostaticam cum tribus personis. Ergo tam intensivè sanctificat humanitatem hypostaticè unitam soli Verbo, quàm sanctificaret hypostaticè unitam tribus personis.

ARTICULUS II.

Utrùm Christus, ut homo, sanctificetur etiam accidentaliter per gratiam habitualem.

Responsio.

CHristus, ut homo, habet gratiam habitualem, ac proinde ut homo, fuit etiam sanctus sanctitate accidentali per gratiam habitualem.

Ita

Ita S. Thomas hìc quæst. 7. art. 1. in O. & cum eo Scholastici omnes. Ratio autem, secundùm principia nostra, efficax est; quia, ut suo loco probavimus, gratia habitualis non distinguitur realiter ab habitu supernaturali charitatis; & supernaturalis eadem qualitas, quatenùs est excellentissima quædam naturæ divinæ participatio, reddens animam, cui inhæret, Deo gratam & amabilem, proportionatam supernaturali amicitiæ Dei, &c. est gratia habitualis; & est habitus charitatis, quatenus reddit animam, cui inhæret, intrinsecè & permanenter habilem ad exercendos actus amoris Dei super omnia. Atqui humanitas Christi habet supernaturalem habitum charitatis: est enim intrinsecè & permanenter habilis ad diligendum Deum super omnia, nec talis est, aut esse potest per unionem hypostaticam, vel etiam per divinitatem, sibi unione illa communicatam, ut per se clarum est. Ergo, &c.

Quæres 1. Quare & quando gratia habitualis infusa fuerit animæ Christi?

Resp. 1. Gratia habitualis infusa fuit animæ Christi propter sanctitatem substantialem, quam habet formaliter, & immediatè à Verbo sibi unito: nam supernaturalis habitus charitatis animæ Christi infusus fuit propter ejus exigentiam; sed hanc exigentiam habuit formaliter à sanctitate substantiali, quam habet formaliter, & immediatè à Verbo sibi unito. Ergo, &c.

Resp. 2. Gratia habitualis infusa fuit animæ Christi à primo instanti creationis ejus: nam gratia habitualis infusa fuit animæ Christi intuitu sanctitatis substantialis, ut modò dictum est. Ergo anima Christi eodem instanti accepit gratiam habitualem, quo sanctitatem substantialem: sed sanctitatem substantialem accepit in primo instanti creationis suæ. Ergo, &c. *Nota*. Divinitas dupliciter se habet ad gratiam habitualem Christi. 1. Enim se habet ad illam ut forma, vel quasi forma exigitiva illius, sub quo respectu est sanctitas substantialis Christi. 2. Habet se ad illam ut principium illius effectivum, quo modo habet se ad omnia alia opera ad extra.

Quæres 2. Utrùm gratia habitualis animæ Christi infusa, actu sit infinita?

Resp. Gratia habitualis actu infinita, vel possibilis est, vel non. Si primum, Christus habet gratiam habitualem actu infinitam. Si secundum, ut probabilius est, & ut probabilius hìc tenemus, Christus habet gratiam habitualem finitam simpliciter.

Quæres 3. Utrùm gratia habitualis, animæ Christi infusa, potuerit augeri?

Resp. 1. Gratia habitualis infusa animæ Christi, augeri potuit de potentia absoluta: illam enim gratiam augeri non repugnat ex parte ipsius, cùm sit simpliciter finita; nec ex parte subjecti, cùm anima Christi capacitatem habeat obedientialem ad gratiam intensiorem, & intensiorem in infinitum. Quare si gratia habitualis data est Christo in tali mensura, seu tanta, & non major; non sic data est, quia major dari non potuit, aut quia anima Christi non fuit capax majoris gratiæ, aut quia sanctitas substantialis Christi exigebat gratiam tantæ intensionis, & non majoris; sed quia cùm non potuerit dari actu infinita, Deus dare voluit in tali mensura, & non in alia.

Resp. 2. Gratia habitualis infusa animæ Christi, augeri non potuit de potentia ordinaria: nam quod Deus statuit non augeri, augeri non potest de potentia ordinaria. Sed Deus statuit non augeri gratiam habitualem Christi, & statim propter sanctitatem substantialem ei à primo instanti conceptionis totam gratiam habitualem dedit, quam ei dare decreverat. Ergo, &c.

Quæres 4. Utrùm Christus ut homo, habuerit plenitudinem gratiæ?

Resp. Christus ut homo, habuit triplicem plenitudinem. Nam 1. habuit plenitudinem divinitatis: divinitas enim se totam humanitati Christi communicavit per unionem hypostaticam. 2. Habuit plenitudinem sanctitatis substantialis: nam humanitas Christi, ut probatum est, per divinitatem sibi communicatam sanctificata est infinitè in genere sanctificationis participatæ. 3. Habuit plenitudinem sanctitatis accidentalis: Christus enim ut homo, abundavit gratia habituali, & aliis donis supernaturalibus.

Quanta porrò fuerit hæc abundantia, certò definiri non potest. Pro indubitato tamen statuendum est, humanitati Christi infusam esse gratiam habitualem, cum aliis supernaturalibus donis, quæ esset in æstimatione morali, alicujus saltem momenti, respectivè, 1. ad sanctitatem substantialem, propter quam humanitas Christi digna erat gratia habituali, aliisque donis supernaturalibus, intensioribus, ac intensioribus in infinitum. 2. Ad amorem benevolentiæ, super omnia alia creata appretiativum, quo Deus humanitatem Christi prosequitur. 3. Ad infinitam excellentiam suppositi, nempe Verbi, cujus est hæc humanitas; imò & ad infinitam dignitatem ac munificentiam Dei Patris, unigenitum, quem super omnia absolutè, ac summè diligit, Filium in ipsius humanitate gratificantis: ex quibus facilè conjicimus, gratiam habitualem, & alia dona, Christo ut homini infusa, secundùm intensionem longè superare gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia omnium hominum & angelorum sanctorum, simul sumptorum.

Quæres 5. Utrùm plenitudo gratiæ sit propria Christi, ita ut nullus alius præter ipsum habeat, vel habuerit gratiæ plenitudinem?

Respondet S. Thomas hìc quæst. 7. art. 10. in O. *plenitudinem gratiæ posse attendi dupliciter: uno modo ex parte ipsius gratiæ, alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiæ, dicitur esse plenitudo gratiæ, ex eo quòd aliquis pertingit ad summum gratiæ, & quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem, quia scilic. habet gratiam & in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus: & talis gratiæ plenitudo est propria Christo. Ex parte verò subjecti gratiam habentis, esse dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenè gratiam secundum suam conditionem, sive secundùm intentionem* (Dei) *prout in eo est intensa gratia usque ad terminum præfixum à Deo .... sive etiam secundùm virtutem, in quantùm scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad suum officium, sive statum ..... & talis gratiæ plenitudo non est propria Christo, sed communicatur aliis per Christum.*

Plenitudo gratiæ, hoc secundo modo sumpta, fuit in B. Virgine, ut ait sanctus Doctor ad primum: *Dicendum*, inquit, *quòd beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratia, per comparationem ad ipsam: quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa à Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti ejus.*

Similis plenitudo gratiæ fuit quoque in Stephano Protomartyre, ut observat ibidem sanctus Doctor: nam sic prosequitur: *Similiter Stephanus dicitur plenus gratia: quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, quòd esset idoneus minister; & testis Dei, ad quod erat electus.* Nec solùm in Stephano plenitudo illa reperitur, sed etiam in aliis, ut in Apostolis, & aliis Sanctis, in quibus tamen omnibus, ut hìc notat S. Thomas, non est eadem, & æqualis: *Harum*, inquit, *plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum.*

Quæres 6. Utrùm Christus, ut homo, habeat amorem Dei actu infinitum?

Resp. Non habere, cùm non habeat charitatem infinitam, sed finitam in intensione. Attamen quia charitas habitualis, quam habet Christus, superat in intensione habitus charitatis omnes omnium hominum

num & angelorum, collectivè sumptos, Christus, ut homo, intensiùs diligit Deum, quàm homines & angeli omnes simul sumpti, cùm semper tam intensè, quàm potest, operetur.

Quæres 7. Utrùm Christus, ut homo, habuerit virtutes?

Nota. Virtutes duplicis generis sunt: nam aliæ dant simpliciter posse: unde se habent ad modum potentiarum, nec possunt acquiri per actus repetitos; & ideò dicuntur per se infusæ, quia aliter quàm per infusionem haberi non possunt. Aliæ verò non dant posse simpliciter, sed tantùm posse faciliùs, & per actus repetitos acquiri possunt: unde dicuntur acquisitæ. Quòd si quando à Deo infundantur, dicuntur infusæ per accidens. Hoc supposito,

Resp. 1. Christus, ut homo, omnes habet virtutes per se infusas, tum theologicas, tum morales, excepta fide, & fortasse etiam pœnitentia. Ratio est, quia Christus, ut homo, fuit intrinsecè & permanenter habilis ad exercendos actus virtutum omnium supernaturalium, qui non habent imperfectionem aliquam, cum statu unionis hypostaticæ repugnantem. Atqui tales sunt virtutum omnium supernaturalium actus, excepto actu fidei, & fortasse actu omni pœnitentiæ. Ergo, &c.

Dixi 1. Excepto actu fidei: nam actus fidei est assensus obscurus, datus propter revelationem obscurè cognitam. Atqui assensus obscurus, & revelatio obscurè cognita, statui unionis hypostaticæ repugnant. Ergo actus fidei cum unione hypostatica repugnat, Ergo Christus, ut homo, non habuit actum fidei, adeòque nec fidei habitum, utpotè inutilem.

Rectè tamen dicitur Christus, ut homo, habere supernaturalem habitum piæ credulitatis, quæ nihil aliud est, quàm voluntas se submittendi Deo obscurè revelanti. Hanc autem voluntatem haberi à Christo, ut homine, nihil vetat, & apertè significat S. Thomas hìc qu. 7. art. 3. in O. in resp. ad 2. ubi ait: *Meritum fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt .... obedientiam autem ad Deum plenissimè habuit Christus.*

Dixi 2. Excepto fortasse omni actu pœnitentiæ: nam si per actum omnem pœnitentiæ non possumus versari, nisi circa peccata propria, omnis actus pœnitentiæ repugnabat Christo, utpotè impeccabili: at fortasse nullus actus pœnitentiæ versari potest, nisi circa peccata propria. Ergo, &c.

Dices. Saltem Christus non habuit supernaturalem habitum spei. *Resp.* neg. Nam ille habitus inutilis non fuit in Christo: potuit enim Christus exercere actus aliquos habitus supernaturalis spei, licèt non potuerit omnes. Pro quo,

Nota. Spei theologicæ actus quadruplex est circa Deum, & visionem ejus intuitivam, nempe amor, desiderium, spes, & gaudium. Christus autem, ut homo, non potuit quidem habere actus desiderii & spei circa Deum possidendum, & visionem qua possidetur; quia non desideramus, nec speramus, nisi bonum abtens; & Christus à primo instanti conceptionis, Deum per visionem possedit: at potuit habere, & habuit actus amoris & gaudii circa Deum possessum, & visionem qua possidetur, quia & amavit, amore scilicet concupiscentiæ, Deum quem possidebat, ut summum bonum suum, & ipsam visionem, ut id quo summum bonum suum possidebat. Item gavisus est Deo amato, & possesso, ejusque amore & possessione.

Resp. 2. Christus, ut homo, habuit etiam virtutes, quæ dicuntur acquisitæ, & habuit per infusionem à primo instanti conceptionis suæ. Non enim solùm potuit exercere virtutum omnium actus, non habentes imperfectionem, cum statu unionis hypostaticæ repugnantem, sed etiam facilè potuit. Ergo non tantùm habuit habitus, quibus posset, sed etiam habitus, quibus facilè posset actus illos exercere. Præterea, quòd habuerit à primo instanti conceptionis suæ, probatur, ex eo, quòd à primo illo instanti totam facilitatem habuit, quam in toto vitæ mortalis decursu per actus suos acquirere potuisset: hoc enim exigebat ejus dignitas.

Quæres 8. Utrùm Christus, ut homo, habuerit dona Spiritus sancti?

Nota. Septem sunt Spiritus sancti dona, quorum quatuor ad intellectum pertinent, nempe sapientia, scientia, intellectus, & consilium: tria verò alia pertinent ad voluntatem, nempe timor, pietas, & fortitudo. Hoc supposito,

Resp. Christus, ut homo, habuit dona omnia Spiritus S., ut probatur, 1. Ex Scriptura. Nam Isaias cap. 11. dicit de Christo: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* 2. Ex S. Thoma hìc quæst. 7. art. 5. in O. ubi sic argumentatur: *Dona propriè sunt perfectiones quædam potentiarum animæ, secundum quod sunt natæ moveri à Spiritu sancto. Manifestum est autem, quòd anima Christi perfectissimè à Spiritu sancto movebatur: secundum illud Luc. 4.* Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Jordane, & agebatur à Spiritu in desertum: *Unde manifestum est, quòd in Christo fuerint excellentissima dona.* Quod etiam demonstratur ex eo quòd Christus, ut homo, fuerit excellentissimè sanctus.

Dices. Non fuit timor Dei in Christo. *Resp.* Non fuisse in Christo timorem servilem, sed filialem, qui fuit affectus quidam reverentiæ, conceptus ex consideratione infinitæ majestatis divinæ: *Dicendum*, inquit S. Thomas hìc quæst. 7. art. 6. in O. *quòd in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam; neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa; sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum, à Spiritu S. acta: Unde Hebr. 5. dicitur, quòd in omnibus exauditus est pro sua reverentia: hunc enim affectum reverentiæ ad Deum Christus, secundum quòd homo, præ cæteris habuit pleniorem;* & ideò ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.

Quæres 9. Utrùm Christus, ut homo, habuerit gratias gratis datas.

Nota. Gratiæ gratis datæ novem sunt, nempe sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, & interpretatio sermonum. Hoc supposito,

Resp. Christus, ut homo, habuit, & quidem in excellentissimo quodam gradu, gratias omnes gratis datas. Quod sic probat sanctus Thomas hìc qu. 7. art. 6. in O. *Gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei & spiritualis doctrinæ manifestationem. Oportet autem eum, qui docet, habere ea, per quæ sua doctrina manifestetur; aliàs sua doctrina esset inutilis. Spiritualis autem doctrinæ & fidei primus, & principalis Doctor est Christus..... unde manifestum est quòd in Christo excellentissimè fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo, & principali fidei Doctore.*

Dices 1. Christus non habuit fidem. *Resp.* disting. Non habuit fidem theologicam, quæ consistit in assensu obscuro, propter revelationem obscurè propositam, & cognitam, C. Non habuit fidem, quæ est gratia gratis data, N. Nam hæc fides aliud nihil est, quàm facultas res fide divina credendi, accommodatè proponendi ad captum omnium, etiam rudiorum; quam facultatem, & quidem in excellenti gradu, proculdubio Christus habuit.

Dices iterum. Saltem Christus non habuit prophetiam. *Resp.* Hoc esse falsum, ut patet ex Scriptura, in qua Christus vocatur Propheta: nam de eo dicitur, Deuteron. cap. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et Luc. cap. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Ratio autem est, quia prophetia, ut sic, nullam involvit imperfectionem: nam, ut

observat S. Thomas hic quæst. 7. art. 8. *De ratione prophetiæ non est ænigmatica cognitio ; adeòque de ratione prophetæ non est, ut obscurè cognoscat : sed prophetiæ* (ut ait S. Doctor ad 2. *est eorum, quæ sunt procul à communi hominum sensu, cum quibus propheta conversatur, & communicat in statu viæ.*

Dices 3. Christus non habuit donum linguarum ; nunquam enim tali dono usus est. *R.* neg. Christus enim in hac parte inferior non fuit Apostolis, quos certum est habuisse donum linguarum. Porrò hoc donum non inutiliter habuit Christus, licèt forasse eo nunquam usus sit : sicut non inutiliter habitum habet is, qui eo non utitur, quando opportunum non est, ut observat Sanctus Thomas hic quæst. 7. art. 7. ad 3.

ARTICULUS III.

Proponuntur dubia de defectibus Christi, & solvuntur.

QUæres 1. Utrùm Christus assumpserit omnes defectus corporis.

R. 1. Christus assumpsit omnes defectus corporis, qui toti humanæ naturæ communes sunt, quales sunt fames, sitis fatigatio, passibilitas, & mors. Constat ex Scripturis in quibus Christus legitur esuriisse, sitivisse, fatigatus esse ex itinere, passus esse, & à Judæis occisus. Ad hoc etiam pertinet illud Isaiæ c. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

Porrò defectus illos, toti humanæ naturæ communes à Christo assumi debuisse, debito scilicet convenientiæ & congruitatis, S. Thomas hic art. 1. in O. probat triplici ratione : *Primò quidem, quia ad hoc Filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Hujusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, & hujusmodi, sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum ..... Unde conveniens fuit, quantum ad finem incarnationis, quòd hujusmodi pœnalitates* (Christus) *in nostra natura susciperet vice nostra. Secundò, propter fidem incarnationis adstruendam : cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout hujusmodi corporalibus defectibus subjacet, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse ..... Tertiò, propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passiones & defectus humanos fortiter tolerando.*

R. 2. Christus non assumpsit defectus particulares corporis, quales sunt morbi, vel deformitates. Ita D. Thomas hic quæst. 14. art. 4. in O. ubi sic ratiocinatur : *Quidam defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis sic lepra, & morbus caducus, & alia hujusmodi. Qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, putà ex inordinato victu : quandoque autem ex defectu virtutis formativæ. Quorum neutrum convenit Christo : quia & caro ejus de Spiritu sancto concepta est, qui est infinitæ sapientiæ & virtutis, errare & deficere non potens : & ipse* (Christus) *nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit.* Adde defectus illos particulares à Christo assumi necessarium non fuisse ad hoc, ut aut sufficienter satisfaceret pro peccatis hominum, aut fidem incarnationis astrueret, aut denique sufficientissima nobis patientiæ exempla exhiberet.

Obj. Tertullianum in libro de carne Christi, ubi cap. 9. docet, Christum fuisse vultu & corpore deformem. *R.* hic Tertullianum, cùm probare vellet, corpus Christi non fuisse ex materia cœlesti conflatum, pro nativa sua duritie excessisse, prætensamque Christi deformitatem non ostendere ex constanti aliqua traditione, aut alio aliquo firmo argumento, sed levi admodùm & contemnenda conjectura, sumpta ex eo quòd Judæi Christum contempserint, & contumeliis affecerint, ipsumque milites in passione conspuerint. Verba ejus sunt : *Notaretur carnis in illo* (Christo) *novitas miraculo habita, sed carnis terrenæ non mira conditio, ipsa erat quæ cæteras ejus miranda faciebat, cùm dicerent* : Unde huic doctrina, & signa ista ? *Etiam despicientium formam ejus hæc erat vox. Adeò nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæ contumeliæ loquuntur. Passiones quidem humanam carnem, contumeliæ verò inhonestam probavere. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, ullam sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem ?* Quasi verò Judæi crebris, licet æquissimis Christi reprehensionibus exacerbati, æmulatione ac invidia perciti, à dæmone impulsi, hominem vultus ac corporis decore spectabilem spernere, conspuere, & alapis cædere non potuerint !

Longè ergo rationabiliùs ac veriùs de Christo sentit Chrysostomus hom. 28. in Matth. ubi hæc habet : *Repellebat* (Christus) *turbam, quoniam erant ei affixi non pauci, amantes, admirantesque ipsum, videreque ipsum semper cupientes. Et certè quis ab authore talium signorum non invitus recederet ; aut quis vel faciem solam aspicere, eosque ipsum ex quo divina præceptorum instituta profluebant, ingenti desiderio non arderet ? Nam ut in faciendis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse, idque ipse propheta significans, multò ante clamaverat : Speciosus pulchritudine super filios hominum.*

Christum speciosum fuisse, probat Chrysostomus. 1. Ex eo, quòd turbæ vix paterentur se ab eo divelli. 2. Ex traditione, de qua, cùm ipse Syrus esset ; meliùs instrui potuit, quàm Tertullianus. 3. Ex David, cujus hæc verba Psalmo 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, non tam de Salomone, quàm de Christo, cujus figura fuit Salomon, etiam litteraliter, proculdubio intelligi possunt & debent. Quare prophetas omnes de Christi pulchritudine tacuisse, immeritò Tertullianus scripsit.

His adde, nullam convenientem assignari posse causam, cur Christus corporis & vultus deformitatem assumere voluerit. Et verò hoc neque ad satisfaciendum Deo pro hominibus, neque ad probandam carnis assumptæ veritatem, neque ad danda hominibus virtutum exempla, proprer quas rationes, communes toti humano generi defectus à Christo assumpti dicuntur, necessarium fuit, aut etiam conveniens.

At inquies. Isaias de Christo loquens c. 53. dicit : *Non est species ei, neque decor.* Ad hoc respondet Chrysostomus hom. citata : nam post verba, quæ proximè retulimus, sic continuò prosequitur : *Quod autem dicit Esaias, Non habebat speciem, neque pulchritudinem, aut quoniam ad deitatis suæ ineffabilem gloriam, aut quoniam passionis cruentam deformationem, & lividos tumores respexit, id ita dixit : vel etiam quia tenui eum victu & vestitu usurum significare voluit.* Consule Nicephorum lib. 1. historiæ ecclesiasticæ c. 40. ubi divinam oris corporisque figuram ac formam Salvatoris nostri Jesu Christi ex veterum traditione graphicè describit.

Tres hic responsiones affert Chrysostomus, quarum secundam aliis duabus facilè anteponimus, utpote veriorem, & contextui magis conformem. Loquitur ergo Isaias de cruenta deformatione, quæ Christo in passione contingit ex crudelitate Judæorum, non verò de deformitate aliqua vultus & corporis, quam Christus antea habuerit, quamque re ipsa Christum non habuisse, juvat adhuc hoc demonstrare argumento. Si Christus vultu & corpore deformis fuit, deformitatem hanc vel habuit, antequam nasceretur, ita ut cum ea natus sit ; vel eam postea tantùm contraxit. Neutrum dici potest. Non primum : nam si cum ea deformitate natus est, illam habuit ex defectu virtutis formatricis : cum enim deformitas vultus &

cor-

corporis consistat in carentia debitæ proportionis, vel compositionis partium, in utero materno aliunde, quàm ex defectu virtutis formatricis contrahi non potest. Atqui Christus in utero materno nullum corporis defectum contrahere potuit ex defectu virtutis formatricis, quia ut ait S. Thomas: *Caro ejus de Spiritu sancto concepta est, qui est infinitæ sapientiæ & virtutis, errare & deficere non potens.* Ergo, &c.

Non etiam secundum: nam si Christus, postquam natus est, aliquam vultus & corporis deformitatem contraxit, contraxit vel ex morbo, vel ex intemperantia, vel denique, ex alio aliquo casu. Atqui nihil horum dici potest. Non primùm: Christum enim aliquando morbo laborasse, numquam auditum est. Non etiam secundum: nam, ut dicit S. Thomas, *nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit.* Non denique tertium: nam quis esset ille casus?

At inquies adhuc. Christus deformitatem vultus & corporis non contraxit quidem ex culpa, aut necessitate aliqua, sed voluntariè assumpsit. *R.* Quærendo quare assumpsisset: nam deformitas illa ad finem incarnationis nec necessaria fuit, nec utilis, sed potiùs fuit contraria: Christus enim venit, ut homines doceret, illos ad amorem sui alliceret, illis virtutum omnium exempla præberet. Ad hæc autem omnia quid conferre potuit vultus ac corporis deformitas? E contrà verò quantùm ad hæc omnia conferre potuit oris dignitas, & majestas totiùs corporis: hæc enim auditorium reverentiam conciliant, amorem accendunt, virtutem amabilem efficiunt, & ad imitandum provocant, ut certa docet experientia.

At inquies denique. Filius Dei deformitatem vultus & corporis assumere voluit ad majorem sui depressionem, & ut se hominibus contemptibilem exhiberet, ad majus humilitatis & patientiæ exemplum. *Resp. ad primum*, majori illa depressione opus non fuisse, cùm Filius Dei semetipsum etiam exinaniverit, assumendo naturam humanam cum defectibus toti humano generi communibus, ut expressè ait Apostolus in epist. ad Philip. cap. 2. *Resp. ad secundum*, Christum debuisse, se non contemptibilem, sed venerabilem hominibus exhibere, cùm venerit ut Magister, Doctor, Legislator, & Rex, non quidem temporalis, sed spiritualis. Quantùm autem eum, qui talibus gaudet prærogativis, vultus dignitas & majestas corporis deceant, quis ignorat? Fatendum igitur est, aptissimam in Christo membrorum omnium proportionem, ac consentionem extitisse cum incredibili venustate, quam tamen Christus, quoad vitam vixit mortalem, tantùm temperavit, quantùm postulabat status viatoris.

Quæres 2. Utrùm in Christo fuerit peccatum?

Resp. 1. In Christo non fuit peccatum originale, ut patet ex Luc. cap. 1. ubi dicitur: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ratio autem est, 1. quia in illis tantùm est peccatum originale, qui seminaliter descendunt ab Adamo: at non sic ab Adamo descendit Christus, cùm de Spiritu sancto conceptus fuerit; & cùm Apostolus, Rom. cap. 1. loquens de Christo, ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem;* per to *ex semine*, idem significatur ac per to ex stirpe & progenie. 2. Christus à primo instanti conceptionis suæ sanctus fuit sanctitate, tum substantiali, tum accidentali, ut probatum est. Ergo, &c.

Resp. 2. In Christo non fuit peccatum actuale, ut patet ex Scriptura: nam de eo dicitur, Hebr. cap. 4. *Tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.* Et 1. Petr. cap. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Ratio est, quia Christus fuit omninò impeccabilis, de quo infra. Utramque responsionem probat S. Thomas hìc qu. 15. art. 1. in C. in hunc modum: *Christus suscepit defectus nostros, ut pro nobis satisfaceret, & ut veritatem humanæ naturæ comprobaret, & ut nobis fieret exemplum virtutis: secundum quæ tria manifestum est, quòd defectum peccati assumere non debuit. Primò quidem, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem, quin imò virtutem satisfactionis impedit.... Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ, quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cujus Deus est causa..... Tertiò quia peccando, exemplum virtutis præbere non potuit; cùm peccatum contrarietur virtuti.*

Dices. Apud Davidem Psal. 21. Christus ipse dicit: *Deus Deus meus..... quare me dereliquisti? Longe à salute mea verba delictorum morum. R.* Christum loqui de delictis hominum, quæ vocat sua, quia ea in se susceperat, juxta illud, 1. Petr. cap. 2. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

Quæres 3. Utrùm in Christo fuerit fomes peccati?

Resp. 1. Non fuit fomes, seu concupiscentia actualis in appetitu materiali Christi: nam in appetitu materiali fomes actualis est actualis motio ad sensibile turpe & illicitum, rationem præveniens, & ad peccatum alliciens. Atqui talis motio non fuit in appetitu materiali Christi. 1. Enim est per se indecens, & repugnans rationi. 2. Est in aliis hominibus propter peccatum originale, quo Christus caruit. 3. Non est utilis ad redemptionem hominum, sed potiùs illi per se contrariatur. 4. Est contra perfectionem sanctitatis participatæ, quam tamen in Christo probatum est tantam fuisse, quanta potest esse. 1. Cùm in Christo nullus fuerit motus indeliberatus, si talis motio fuit in Christo, in eo deliberata fuit, adeòque peccatum: nullum autem peccatum fuit in Christo. Ergo, &c.

Resp. 2. Non fuit in appetitu materiali Christi fomes seu concupiscentia habitualis: nam in appetitu materiali fomes habitualis nihil aliud est, quàm ipse appetitus materialis, qua pronus est, & proximè expeditus ad motiones circa sensibilia turpia & illicita, rationem prævenientes, & ad peccatum allicientes. Atqui talis pronitas appetitus materialis non fuit in Christo: repugnat enim rationi perfectissimæ sanctitatis participatæ, qualem habebat Christus. Præterea, utilis non est ad finem redemptionis, sed potiùs illi per se contraria, ut de fomite actuali dictum est. Ergo, &c.

Resp. 3. Similiter non fuit fomes actualis, neque habitualis in intellectu & voluntate Christi: nam 1. intellectus Christi non habuit actus indeliberatos erroris, nec ad hujusmodi actus pronus fuit: utrumque enim repugnat rationi perfectissimæ scientiæ, qualem Christus habuit. 2. Voluntas Christi non habuit motiones indeliberatas odii, superbiæ, invidiæ, &c. nec prona fuit ad actus hujusmodi: nam utrumque repugnat rationi perfectissimæ sanctitatis participatæ, qualem habuisse Christum, demonstratum est.

Quæres. Utrùm in Christo fuerit ignorantia?

Resp. In Christo ignorantia non fuit; quòd sic probat S. Thomas hìc quæst. 15. art. 3. in C. *Sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ & virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ. Sicut autem in Christo plenitudo gratiæ & virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, quæ scientiæ opponitur. Unde sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia.*

Obj. S. Damascenus lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 21. de Verbo dicit, quòd ignorantem & servilem naturam assumpserit. *Resp.* S. Damasceni sensum esse, quòd Verbum assumpserit naturam, quæ de se, & in aliis hominibus ignorans est. Verba ejus sunt: *Scire operæ pretium est Christum ignoratione quidem laborantem, ac servam naturam assumpsisse. Hominis enim natura Dei conditoris sui serva est, atque in futurarum rerum ignoratione versatur..... Verum ob personæ identitatem, atque individuam conjunctionem, Domini anima rerum futurarum cognitione, quemadmodum, & reliquis miraculis, locupletata est..... Humana natura suapte quidem essentia futurarum rerum notitiam haud quaquam habet: at Domini anima ob unionem cum ipso Deo Verbo, ac personalem*

iden-

identitatem . . . futuravum, ut dixi, rerum notitiam consecuta est.

Hanc Damasceni interpretationem Jodocus in commentario capitis citati tradit, & illustrat hoc exemplo: *Si humili loco nata, & ex infima plebe asciscatur in regis uxorem, eique connubio jungatur, secundùm suam considerata originem plebeja diceretur & ignobilis: ut verò regalibus nuptiis illustrata, & regina dicitur & domina, neque plebea nuncupanda est, neque abjecta: nam præclari viri sui titulis nobilitatur.*

ARTICULUS IV.

Proponuntur dubia de Passionibus Christi, & solvuntur.

QUæres 1. Utrùm in Christo fuerint passiones.

Nota. Nomine passionum hic intelligimus actus animæ sentientis, naturali necessitate conjunctos cum perceptione alicujus commotionis, vel passionis corporis; unde passiones nuncupantur. Hoc supposito,

R. Fuerunt in Christo passiones: nam in Christo fuit dolor sensibilis, tristitia, &c. ut deinceps ostendetur. Circa passiones Christi S. Thomas hic q. 15. art. 4. in O. hæc habet notatu digna. *Sciendum est, quòd hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quàm in nobis, quantùm ad tria. Primò quidem, quantum ab objectum: quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundò, quantum ad principium: quia hujusmodi passiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundùm dispositionem rationis ..... Tertiò, quantum ad affectum, quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit; quia motus naturaliter humanæ carni convenientes, sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quæ conveniebant.*

Quæres 2. Utrùm in Christo fuerit dolor sensibilis?

Nota. Dolor sensibilis est actus animæ sentientis, aversantis læsionem corporis, sensu tactus perceptam. Unde ad dolorem sensibilem duo prærequiruntur, nempe læsio corporis, tamquam objectum, & perceptio hujus læsionis, tamquam applicatio objecti; quibus duobus positis, naturali necessitate sequitur in anima sentiente dolor sensibilis, seu actus, quo anima sentiens læsionem corporis perceptam aversatur. Hoc supposito,

R. In Christo fuit dolor sensibilis, ut patet ex Isaiæ capite 53. ubi de Christo dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit*. Ratio est, quia in Christo fuit læsio corporis, & perceptio hujus læsionis, quando tormenta passus est. Ergo etiam in eo fuit dolor sensibilis, cùm sit actus naturali necessitate consequens actum, quo percipitur læsio corporis, adeòque semper consequens, nisi miraculosè impediatur.

Porrò dici non potest Christus dolorem illum sensibilem per miraculum impediisse; ad redemptionem enim nostram conveniens fuit & utile, ut Christus experiretur dolorem sensibilem. Item nec dici potest, dolorem hunc excluſum fuisse per visionem beatificam, quàm semper habuit Christus, nam ut ait S. Thomas hic quæst. 15. art. 5. ad 3. *Virtute divinitatis Christi, dispensativè sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabat ad corpus, ut ejus passibilitas & mortalitas tolleretur; & eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quòd non derivabatur ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.*

Hic breviter observa, non solùm actum illum, quo anima sentiens aversatur læsionem corporis, sensu tactus perceptam, vocari dolorem, sed etiam ipsam corporis læsionem, & perceptionem ejus. Dolor autem, secundùm hanc tripicem acceptionem, fuit in Christo, ut ex dictis intelligitur.

Quæres 3. Utrùm in Christo fuerit tristitia sensibilis.

Nota. Tristitia sensibilis est actus animæ sentientis malum aliquod sensibile, apprehensum, seu perceptum ut præsens, aversantis: unde ad tristitiam sensibilem duo prærequiruntur, nempe malum aliquod sensibile; putà mors parentis tanquam objectum; & mali illius præsentis apprehensio, seu perceptio, tanquam applicatio objecti; quibus duobus positis, naturali necessitate sequitur in anima, quà sentiens est, tristitia sensibilis. Hoc supposito,

R. In Christo fuit tristitia sensibilis. Patet ex Matth. c. 26. ubi Christus ipse ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Et ratio est, quia in Christo potuit esse, & fuit mali alicujus sensibilis perceptio, quacum naturali necessitate conjunctus est actus, quo anima, quà sentiens est, aversatur malum illud, perceptum ut præsens. Porrò cùm Isaias cap. 42. de Christo ait, *Non erit tristis, neque turbulentus*; sensus est: Non erit pronus ad iracundiam, vel, ut vult S. Thomas hic q. 15. art. 6. ad primum, tristitia ei non dominabitur.

Quæres 4. Utrùm in Christo fuerit timor sensibilis.

Nota. Timor sensibilis est actus animæ, qua sensitiva est, aversantis malum aliquod sensibile, cognitum ut futurum, sive certò futurum sit, sive incertò tantùm. Ad timorem itaque sensibilem duo prærequiruntur: malum aliquod sensibilem tanquam objectum, & illius ut futuri perceptio sensitiva; quibus duobus positis naturali necessitate sequitur actus, quo anima, quà sensitiva est, malum illud sic perceptum aversatur. Dixi autem, sive certò futurum, sit, sive incertò tantùm: nam quòd malum sit incertò futurum, & ita aliqua sit spes evadendi, non requiritur ad timorem quemlibet, sed solùm ad eum, in quo locum habet consultatio. Jam

R. In Christo fuit timor sensibilis, ut patet ex Marci cap. 14. ubi de Christo dicitur: *Cœpit pavere, & tedere*. Ratio est, quia in Christo potuit esse, & fuit mali alicujus sensibilis, ut futuri, sensitiva perceptio, quam naturali necessitate consequebatur timor sensibilis, seu actus, quo anima sentiens aversatur malum, sic apprehensum, nisi per miraculum impediatur.

Obj. illud Proverbiorum cap. 28. *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit*. *R.* cum S. Thoma hic quæst. 15. art. 7. ad 1. *Justus dicitur esse absque terrore, secundùm quod terror importat perfectam passionem, avertentem hominem ab eo, quod est rationis; & sic timor non fuit in Christo, sed solùm secundùm propassionem*. Quod ut intelligas, adverte, ex S. Doctore hic quæst. citata art. 4. in O. *Passio perfecta intelligitur, quando animo, id est rationi dominatur; propassio autem quando est inchoata in appetitu sensitivo, sed ulterius non se extendit*, adeòque non dominatur rationi, sic ut hominem ab eo, quod rationbile est, avertat.

Quæres 5. Utrùm in Christo fuerit admiratio?

R. In Christo admiratio fuit, ut patet ex Matth. cap. 8. ubi legitur: *Audiens Jesus miratus est*. Hanc autem responsionem sic probat S. Thomas hic quæst. 15. art. 8. in O. *Dicendum, quod admiratio propriè est de aliquo novo & insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid novum & insolitum, quantùm ad scientiam divinam, qua cognoscebat res in Verbo: neque etiam quantùm ad scientiam humanam, qua cognoscebat res per species inditas: potuit tamen aliquid esse novum & insolitum secundùm scientiam experimentalem, secundùm quam sibi poterant quotidie aliqua nova occurrere. Et ideo si ..... loquamur de eo, quantùm ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit. Et assumpsit hunc defectum ad nostram instructionem, ut scilicet doceat esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur.*

Dices.

Dices. Ex Aristotele lib. 1. metaphysicorum, *admiratio causatur ex hoc quod aliquis videt effectum, & ignorat causam*; Sicque admirari non est nisi ignorantis. *Resp.* Non ex hoc semper causari admirationem, & ad eam sufficere, ut aliquid occurrat novum & insolitum, secundùm aliquam scientiam. Ita respondet S. Thomas art. citato ad 1. & rectè quidem; hoc ipso enim quòd aliquid alicui accidit novum ac insolitum, respectivè ad scientiam aliquam, quam priùs habebat, hoc ipso, inquam, in eo quod accidit, agnoscere potest excessum supra scientiam illam; quod est admirari.

Quæres 6. Utrùm in Christo fuerit ira?

Resp. Ira fuit in Christo, ut Prob. 1. ex Joan. cap. 2. ubi Christo ejiciente è templo, & flagellis cædente numularios, & vendentes, dicitur: *Recordati sunt discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* 2. Ratione, quia ira est actus, quo anima sentiens appetit repellere injuriam, sibi vel aliis illatam, de qua tristatur. Atqui talis appetitus potuit esse, & fuit in Christo. Ergo, &c.

Obj. 1. Ira duo dicit, tristitiam scilicet, & appetitum vindictæ, ut docet S. Thomas hic quæst. 15. art. 9. in O. *Ira*, inquit, *est effectus tristitiæ: ex tristitia enim alicui illata, consequitur in eo circa sensitivam partem appetitus repellendi illatam injuriam vel sibi vel aliis; & sic ira est passio composita ex tristitia, & appetitu vindictæ.* Sed appetitus vindictæ malus est. Ergo, &c. *Resp.* Cum S. Thoma loco laudato, ubi post verba citata, sic prosequitur: *Appetitus vindictæ quandoque est cum peccato, quando scilicet aliquis vindictam quærit sibi absque ordine rationis, & sic ira in Christo esse non potuit: hujusmodi enim dicitur ira per vitium. Quandoque verò talis appetitus est sine peccato, imò est laudabilis, puta cùm aliquis appetit vindictam secundùm ordinem justitiæ, & hoc vocatur ira per zelum ..... & talis ira fuit in Christo.*

Obj. 2. Illud Jacobi cap. 1. *Ira viri justitiam Dei non operatur.* *Resp.* Cum D. Thoma ad 1. *Ira dupliciter se habet in homine: quandoque enim prævenit rationem, & trahit eam secum ad operandum, & tunc propriè ira dicitur operari: nam operatio attribuitur principali agenti; & secundùm hoc intelligitur, quòd ira viri justitiam Dei non operatur. Quandoque verò ira sequitur ipsam rationem, & est quasi instrumentum ipsius; & tunc operatio, quæ est justitiæ, non attribuitur iræ, sed rationi.* Homo igitur peccat, quando ira prævenit rationem, eamque trahit; non autem quando eam sequitur, eique subservit, ut semper contigit in Christo.

Obj. 3. Ira opponitur mansuetudini. *Resp.* Cum S. Thoma ad 2. *Dicendum quòd ira, quæ transgreditur ordinem rationis, opponitur mansuetudini; non autem ira, quæ est moderata, & ad medium reducta per rationem: nam mansuetudo medium tenet in ira.* Igitur ira moderata, qualis in Christo semper fuit, non opponitur mansuetudini, ad quam pertinet iræ moderari.

Obj. 4. Illud S. Gregorii lib. 5. moral. cap. 33. *Ira per vitium, excæcat oculum mentis, ira verò per zelum ipsum turbat.* *Resp.* Cum S. Thoma ad 3. *In nobis secundùm naturalem ordinem, potentiæ animæ mutuò se impediunt; ita scilicet, quòd cùm unius potentiæ operatio fuerit intensa, alterius operatio debilitetur; & ex hoc procedit, quòd motus iræ, etiamsi sit secundùm rationem moderatus, utcumque impedit oculum animæ contemplantis. Sed in Christo per moderationem divinæ virtutis, unicuique potentiæ permittebatur agere, quod erat ei proprium; ita quòd una potentia ex alia non impediebatur; & ideò sicut delectatio mentis contemplantis non impediebat tristitiam, vel dolorem inferioris partis, ita etiam è converso passiones inferioris partis in nullo impediebant actum rationis.*

Quæres 7. Utrùm Christus fuerit simul comprehensor & viator?

Resp. Fuisse. Ita docet S. Thomas hic quæst. 15. art. 10. in O. ubi hæc habet: „ Dicendum, quòd aliquis dicitur viator, ex eo, quòd tendit in beatitudinem: comprehensor autem dicitur ex hoc, „ quòd jam beatitudinem obtinet. Hominis autem „ beatitudo perfecta consistit in anima & corpore: „ in anima quidem, quantùm ad id, quod est ei „ proprium, secundùm quòd mens videt & fruitur „ Deo: in corpore verò, secundùm quod corpus „ resurgit spirituale, & in virtute, & in gloria, & „ incorruptione. Christus autem ante passionem, se- „ cundùm mentem plenè videbat Deum, & sic ha- „ bebat beatitudinem quantùm ad id, quod est pro- „ prium animæ: sed quantùm ad alia, deerat ei „ beatitudo, quia & anima ejus erat passibilis, & „ corpus passibile & mortale. Et ideò simul erat „ comprehensor, in quantùm habebat beatitudinem „ propriam animæ, & simul viator, in quantùm „ tendebat in beatitudinem, secundùm quod ei de „ beatitudine deerat. „

Obj. Beati quorum animæ in cœlo sunt, & corpora in sepulchris, habent tantùm gloriam animæ, & tamen non dicuntur viatores, sed comprehensores. Ergo, &c. *Resp.* neg. conseq. Disparitatem affert S. Thomas art. citato ad tertium: *Non est eadem ratio de animabus Sanctorum, & de Christo, propter duo. Primò quidem, quia animæ Sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi. Secundò, quia corpora* (Sanctorum) *non agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus secundum corporis passiones in beatitudinem tendebat, quantùm ad gloriam corporis.*

DISPUTATIO VIII.

De scientia Christi, ut hominis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Christi scientia in communi.

Propositio I.

Christus habuit intellectum creatum.

Est de fide, & breviter probatur: quia Christus est verus ac perfectus homo, ut docent Scripturæ, Patres, & Concilia, ut suo loco demonstratum est. Ergo Christus habet animam rationalem: nam anima rationalis est essentialis pars veri ac perfecti hominis. Ergo Christus habet intellectum humanum: nam intellectus humanus est idem realiter cum substantia animæ rationalis; vel, si ab ea realiter distinguitur, ut opinantur aliqui cum tenui admodum probabilitate, saltem ab ea naturaliter inseparabilis est; & aliunde nulla fuit ratio, cur à Verbo non assumeretur.

Propositio II.

Christus intellexit per intellectum suum humanum.

Est de fide, & expresè in Scriptura asseritur; nam v. gr. Christus de se ipso, ut homine, loquens Joannis cap. 8. sic ait: *Scio quia filii Abrahæ estis. Ego novi eum* (Deum Patrem) *& si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem ejus servo.* *Prob.* Autem ratione: quia Christus loquebatur ut homo, docebat ut homo, orabat ut homo, diligebat ut homo; sed ex his alia includunt, alia verò supponunt intellectionem humanam. Ergo, &c.

Propositio III.

Christus, ut homo, nihil formaliter intellexit per intellectionem increatam divinitatis.

Est contra Hugonem à Sancto Victore, cujus sententiam inter Scholasticos alii ut hæreticam, alii ut temerariam, omnes ut falsam & absurdam damnant; & con-

& contra eumdem probatur efficaciter: quia intellectio est essentialiter actus vitalis potentiæ intellectivæ, cujus est intellectio, seu potentiæ intellectivæ, quæ per illam formaliter intelligit. Atqui intellectio increata non potest esse actus vitalis intellectus creati: omnis enim actus vitalis à potentia, cujus est actus, procedit, vel realiter, vel saltem virtualiter. Intellectio autem increata ab intellectu creato nec realiter, nec virtualiter procedere potest, ut per se est evidens. Ergo, &c.

Quæres. Quo tempore Christus cœperit intelligere intellectione humana?

Resp. Cum communi Theologorum sententia, Christum à primo instanti conceptionis suæ habuisse usum rationis, adeòque ab eo instanti intellexisse intellectione humana. Ratio est, quia Christus eos non assumpsit defectus, qui prodesse non poterant ad redemptionem nostram. At carentia usus rationis pro nullo instanti existentiæ Christi, ad redemptionem nostram prodesse potuit. Ergo, &c.

Propositio IV.

Omnis intellectio humana Christi fuit vera, certa, & evidens.

Prob. Intellectiones Christi, ut hominis, aliæ supernaturales fuerunt, aliæ verò naturales; cùm enim humanitas Christi fuerit ex omni parte perfecta, certè non caruit actibus naturalibus. Atqui 1. intellectiones Christi, ut hominis, supernaturales, fuerunt omnes veræ, & certæ; talis enim est essentialiter omnis intellectio supernaturalis, cùm sit ex speciali influxu Dei. Fuerunt etiam omnes evidentes, quia omnis intellectio supernaturalis obscura, est actus fidei: Christus autem actum fidei non habuit, ut supra ostensum est.

2. Omnes intellectiones Christi, ut hominis, naturales, fuerunt veræ ac certæ: nam error est magna imperfectio, quæ ad redemptionem nostram per se utilis non fuit, immò verò fuisset ei per se contraria, imminuendo scilicet auctoritatem Christi loquentis. Fuerunt etiam omnes evidentes: nam certitudo actus naturalis fundatur in evidentia, cùm solius fidei divinæ proprium sit, simul esse certam, & obscuram. Ergo, &c.

Obj. 1. Christus, ut homo, multa ignoravit. Ergo pari ratione in multis errare potuit ut homo. *R.* 1. Christum, ut hominem, propriè loquendo, non ignorasse: nam ille propriè non ignorat, qui scit omnia, quæ scire debet juxta naturæ suæ vel status sui conditionem. At Christus, ut homo, scivit ea omnia, quæ decuit, & oportuit eum scire, consideratis dignitate personæ ejus, conditione naturæ humanæ, & ratione status ac officii: unde propriè loquendo, scientiæ plenitudinem habuit.

Resp. 2. Dato quòd Christus, ut homo, aliqua propriè ignoraverit, N. conseq. Ratio est, quia error est imperfectio multò major, quàm simplex ignorantia, magisque opposita perfectioni, & in loquendo auctoritati, quam Christus, ut homo, quia ut homo, fuit primarius fidei Doctor ac Magister, habere debuit, & habuit.

Obj. 2. Error intellectus oritur ex errore sensùs. Atqui in Christo sæpè potuit esse error sensùs: nam v. gr. à longè potuit ei res apparere minor, quàm esset. Ergo, &c. *Resp.* 1. Errorem intellectus necessariò quidem sequi ex errore sensus, nisi sensus per intellectum corrigatur: at Christus per excellentissimam intellectus sui sapientiam facilè potuit sensum corrigere, si quando illum errare contigit. *Resp.* 2. neg. minor. Quia Christus virtute divina potuit ita sensus suos confortare, ut objecta, in qualibet distantia, vel modo quolibet applicata, semper apprehenderent, ut sunt.

Obj. 3. Christus, ut homo, habuit actus opinionis, & fidei humanæ: nam cognoscebat omnia motiva probabilia opinionum omnium, & hominibus, aliquid ipsi narrantibus, credebat. Sed falsum subesse potest actibus opinionis, & humanæ fidei. Ergo, &c. *Resp.* neg. maj. Nam Christus, ut homo, sicut nullum in voluntate habuit actum, qui non esset actus virtutis moralis, ita nullum habuit in intellectu actum, qui non esset actus virtutis intellectualis. *Ad prob. Resp.* 1. Per motiva probabilia, quæ cognoscebat, judicasse, non de veritate, sed de probabilitate opinionum, in quo judicio errare non potuit, cùm perfectè cognosceret vim omnium illorum motivorum probabilium. 2. Christum, ut hominem, nunquam testimonio hominum usum esse ad assentiendum, sed solùm de ipso hominum testimonio per evidentiam, quam de illo habebat, verum ac certum judicium tulisse.

Propositio V.

Imò nequidem absolutè intellectus humanus Christi errare, ac decipi potuit.

Prob. Quia 1. Verbum nequidem absolutè in assumpta natura admittere potuit, nisi quod honestum esset, vel ad honestum conferret. Error autem neque est aliquid honestum, neque ad honestum confert, aut conferre potest. 2. Cùm denominationes sint verè ac propriè suppositorum, sicut humanitate assumpta intelligente, volente, vidente, tangente, &c. Verbum verè ac propriè intelligebat, volebat, videbat, tangebat, &c. ita humanitate assumpta errante & decepta, Verbum verè ac propriè erraret, & deceptum fuisset. Per se autem & intrinsecè indecens est, Verbum verè ac propriè dici, errare & decipi. Verbum igitur nequidem absolutè potuit, circa humanitatem assumptam non habere providentiam, qua humanitas illa ab omni errore, & deceptione semper præservaretur.

Propositio VI.

Christus ut homo, habuit scientiam beatificam, & habuit illam à primo instanti conceptionis suæ.

Prob. prima pars. Ex Scriptura: nam Christus de se ipso, ut homine, loquens, ait Joan. c. 3. *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur.* Et cap. 8. *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Christus autem loquebatur de Deo. Ergo Deum videbat, adeòque habebat scientiam beatificam: unde Joan. cap. 3. de eo sic loquitur Joannes Baptista: *Qui de cœlo venit, super omnes est; & quod vidit, & audivit, hoc testatur.*

Eodem pertinet illud Christi, Joan. cap. 1. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo.* Ex quo sic argumentor. Christus tempore vitæ mortalis ascendit in cœlum secundùm humanitatem, non enim secundùm divinitatem ascendit. At tempore vitæ mortalis non ascendit in cœlum ascensu corporeo, ut certum est. Ergo Christus per humanitatem tempore vitæ mortalis ascendit in cœlum secundùm visionem beatificam. Accedit hæc ratio, quia Christus venit ut Magister doctrinæ divinæ, & primarius mysteriorum fidei Doctor. Ergo ad ejus dignitatem, & authoritatem pertinuit, ut cùm de Deo loqueretur, narraret non audita tantùm, sed à se visa.

Secunda pars prob. Quia humanitas Christi habuit à primo instanti conceptionis exigentiam visionis beatificæ, cùm à primo instanti conceptionis unionem hypostaticam habuerit. Præterea, nulla fuit ratio visionem illam differendi. Ergo dici debet humanitas Christi à primo instanti conceptionis visionem beatificam habuisse. Quod confirmatur ex eo, quòd credibile non est, Verbum humanitatem assumptam non statim exornasse donis omnibus gratiæ & gloriæ essentialis, præsertim cùm carentia gloriæ essentialis magna sit imperfectio, quam assumi nec necessarium, nec utile fuit ad opus redemptionis.

Obj. Illud Luc. cap. 24. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et illud, Joan. cap. 7. *Jesus nondum erat glorificatus.* Et illud ejusdem c. 17. *Clarifica me tu Pater.* *Resp. ad* 1. ibi agi de manifestatione & exaltatione nominis Christi. *Resp. ad* 2. ibi agi de gloria resurrectionis Christi, & ejus ascensionis.

sionis. *Resp. ad* 3. ibi agi de gloria corporis Christi, quæ Christo debita fuit à primo instanti conceptionis ejus, non solùm propter gloriam animæ, quam tunc habuit, sed etiam ratione unionis hypostaticæ: attamen divinitùs factum est, ut Christus propter redemptionem nostram illa caruerit tempore vitæ mortalis.

Propositio VII.

Christus, ut homo, habuit scientiam supernaturalem, à scientia beatifica distinctam, & habuit illam à primo instanti conceptionis.

Prob. 1. *pars*. Quia Christus fuit simul comprehensor & viator. Ergo sicut habuit scientiam propriam comprehensoris, nempe visionem beatificam, ita habuit scientiam propriam viatoris, nempe scientiam supernaturalem, diversam à visione beatifica, ut modo magis consentaneo statui viatoris, actus viatoris supernaturales ac meritorios exercere posset.

Prob. 2. *pars*. Quia 1. Christus à primo instanti conceptionis suæ fuit simul perfectè viator & comprehensor. Ergo sicut à primo instanti conceptionis habuit scientiam propriam comprehensoris, ita, &c. 2. Christus à primo instanti conceptionis suæ, actum meritorium exercuit, juxta illud Apostoli ad Hebræos cap. 10. *Ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi ..... tunc dixi: Ecce venio*. Atqui talem actum non exercuit sine cognitione supernaturali, ad statum viatoris accommodata. Ergo, &c.

Propositio VIII.

Christus, ut homo, habuit scientiam naturalem.

Prob. Quia Christus, ut homo, omnem habuit perfectionem animæ rationali connaturalem. Sed talis est scientia naturalis & humana. Ergo, &c. Præterea, ea scientia est magna naturæ humanæ perfectio, nullam habens imperfectionem, unioni hypostaticæ, vel statui beatitudinis repugnantem. Ergo non est ratio, cur Christo, ut homini, non concedatur.

Christus igitur habuit 1. scientias & artes omnes, quoad omnes conclusiones evidentes, quæ lumine naturali haberi possunt: in aliis verò rebus, in quibus lumen naturale attingere non potest evidentiam, Christus attigit rationes omnes probabiles, vim luminis naturalis non excedentes, per quas tamen non de veritate opinionum, sed de earum probabilitate judicabat. 2. Christus habuit cognitiones omnes naturales evidentes, quarum aliæ experimentales sunt, quia in experientia sensuum fundantur, & versantur circa singularia, quæ attinguntur per sensus; aliæ verò sunt conclusiones, ex propriis principiis, lumine naturali evidenter notis, deductæ. Per inditas denique species, cognitiones omnes habuit animæ separatæ ac beatæ connaturales, ut infrà probabitur.

Articulus II.

De Scientia beatifica Christi.

Propositio I.

Scientia beatifica Christi, ut hominis, est ejusdem speciei cum scientia beatifica aliorum beatorum, sed perfectior ac intensior, quàm in omnibus aliis, tam hominibus, quàm Angelis beatis.

Prb. 1. *pars*. Nam 1. gratia habitualis Christi est ejusdem speciei cum nostra, adeòque lumen gloriæ, cujus semen est gratia habitualis, est ejusdem speciei in Christo & aliis beatis. 2. In Scriptura promittitur nobis consortium ejusdem beatitudinis cum Christo, juxta illud Apostoli Romanorum cap. 8. *Hæredes Dei, cohæredes autem Christi*. Ergo, &c.

Prob. 2. *pars*. 1. Ex Scriptura: nam Ephesiorum cap. 7. dicitur: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro*. Ex quo textu & aliis similibus, evidenter colligitur, Christum, ut hominem, in gloria sublimiorem esse omnibus aliis, tam hominibus, quàm Angelis beatis: *Sed*, inquit sanctus Thomas hìc quæst. 10. art. 4. in Sed contra, *in illa cœlesti gloria tantò aliquis est superior, quantò perfectius cognoscit Deum. Ergo anima Christi perfectius videt Deum, quàm quævis alia creatura*.

Prob. 2. Ex S. Thoma art. citato in O. ubi sic discurrit: *Dicendum quòd visio divinæ essentiæ convenit omnibus beatis, secundum participationem luminis derivati in eos à fonte Verbi Dei ..... Huic autem Verbo Dei propinquiùs conjungitur anima Christi, quæ est unita Verbo in persona, quàm quævis alia creatura. Et ideò pleniùs recipit influentiam luminis, in quod Deus videtur ab ipso Verbo, quàm quæcumque alia creatura, & ideò præ cæteris creaturis perfectiùs videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia*.

Prob. 3. Ratione. Nam 1. gratia sanctificans perfectior & intensior est in Christo, ut homine, quàm in omnibus aliis, tam hominibus, quàm Angelis beatis. Ergo & perfectior, ac intensior est gloria: nam hæc commensuratur gratiæ habituali, quæ idcircò semen & mensura gloriæ dicitur. 2. Ad Christi, ut hominis, de quo Ephes. cap. 1. dicitur: *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, dignitatem manifestè pertinet, ut perfectiùs videat Deum, quàm omnes alii, tam homines, quàm Angeli beati, atque ita illis in cœlesti gloria sublimior sit.

Addo, scientiam beatificam in anima Christi propter rationes allatas non solùm tantam esse, quanta esse potest de potentia ordinaria visio Dei intuitiva, sed etiam perfectiorem esse, quàm in omnibus aliis, tam hominibus, quàm Angelis beatis, simul sumptis; quod probatur, 1. ex eo quòd Christo, ut homini, non est data minor scientia beatifica, quàm si data ei esset intuitu meritorum ejus; immò re ipsa sic datam esse, probabilissimum est. Sed merita Christi omnium aliorum, tam hominum, quàm Angelorum beatorum merita, simul sumpta, longè excedunt. Ergo, &c.

2. Christo, ut homini, data est scientia beatifica propter sanctitatem substantialem, quæ longo intervallo superat sanctitatem omnium aliorum, tam hominum, quàm Angelorum sanctorum, simul sumptorum. 3. Denique, in humanitate Christi donis gratiæ & gloriæ exornanda, habita est ratio infinitæ dignitatis personæ Verbi, adeòque dona gratiæ & gloriæ, quæ aliquam cum infinita Verbi dignitate proportionem haberent, collata sunt humanitati Christi. Quibus momentis facilè inducimur ad credendum, scientiam beatam Christi, ut hominis, sicut & alia ejus dona supernaturalia, infinitè propè excedere scientiam beatam, & alia supernaturalia dona omnium aliorum, tam hominum, quàm Angelorum beatorum, simul sumptorum.

Propositio II.

Christus tamen, ut homo, non cognoscit actu in Verbo, omnia quæ continentur in omni potentia divina.

Ita sanctus Thomas hìc quæst. 10. art. 1. in O. & *Prob.* Quia si Christus, ut homo, actu cognosceret in Deo possibilia omnia, ita ut Deus clarè visus Christo, ut homini, esset ratio cognoscendi omnia possibilia, Christus, ut homo, comprehenderet Deum: nam ut rectè ait sanctus Augustinus in Epistol. 112. cap. 8. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus videntem lateat*. Christus autem, ut homo, actu cognoscens in Deo possibilia omnia, cognosceret actu quidquid est in Deo formaliter, virtualiter, & eminenter, sicque nihil eorum, quæ in Deo sunt, lateret illum, ac proinde Deum comprehenderet. Atqui

hoc

hoc repugnat: nam repugnat Deum comprehendi intellectione creata, adeoque finita, qualis est intellectio Christi, ut hominis. Ergo, &c.

Obj. illud ad Coloss. cap. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. *R.* verba illa intelligenda esse de Christo, ut Deo. Quòd si tamen intelligantur de Christo, ut homine, ad eorum veritatem sufficit, ut Christus, qua homo, omnem habeat sapientiam & scientiam, quæ de potentia ordinaria haberi potest à creatura.

Dices. Esto quòd Christus, ut homo, non cognoscat actu in Deo possibilia omia, at saltem cognoscit habitu; ita ut per visionem beatificam possit pro arbitrio actu cognoscere in Deo modò hæc, modò illa. *Resp.* neg. Ratio est, quia visio beatifica in omni subjecto, in quo reperitur, semper est in actu secundo, & semper eadem, nec potest variari. At si anima Christi modò hæc, modò illa possibilia pro arbitrio actu cognosceret in Deo viso; variaretur in ea visio Dei, non solùm respectivè ad possibilia, sed etiam respectivè ad ipsum Deum, qui ut visus, esset ei ratio possibilia actu cognoscendi. Præterea, hæc visio in anima Christi modò intenderetur, etiam respectivè ad Deum, quando scilicet plura possibilia actu cognoscerentur; modò remitteretur, quando cognoscerentur pauciora; sicque anima Christi modò magis, modò minùs esset beata.

Propositio III.

Christus, ut homo, actu cognoscit in Verbo possibilia omnia, quæ continentur in potentia creaturarum, pro aliqua temporis differentia existentium, sive singillatim, sive simul sumptarum.

Prob. ex S. Thoma hic q. 10. a. 2. in O. cujus hæc sunt verba: *Quædam verò* (possibilia) *sunt non solùm in potentia divina, sed etiam in potentia creaturæ* (pro aliquo tempore existentis) *& hujusmodi omnia scit anima Christi in Verbo. Comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ* (pro aliquo tempore existentis) *essentiam, & per consequens potentiam & virtutem, & omnia, quæ sunt in potentia creaturæ* (existentis pro aliqua temporis differentia.)

Dices. Ergo anima Christi in Verbo actu cognoscit infinita: nam possibilia, quæ in potentia creaturarum, pro aliquo tempore existentium, continentur, sunt infinita. *R.* cum S. Thoma hic q. 10. art. 3. in O. ubi sic ait: *Quantum, ad alium modum sciendi, anima Christi in Verbo scit infinita: scit enim omnia, quæ sunt in potentia creaturæ* (supple semper, aliquando existentis) *unde cùm in potentia creaturæ sint infinita, per hunc modum scit infinita, quasi quadam scientia simplicis intelligentiæ, non autem scientia visionis*.

Dices. Ergo anima Christi habet scientiam infinitam: nam illa scientia est infinita, quæ cognoscit infinita. *R.* neg. conseq. Ad probationem distinguo. Illa scientia est infinita, quæ cognoscit infinita immediatè in se ipsis, C. nam talis scientia virtualiter in se continet gradus intensionis aliarum cognitionum plurium & plurium, ac intensiorum & intensiorum in infinitum: continet enim in se gradus intensionis cognitionis, qua cognoscerentur quatuor possibilia, & alterius cognitionis, qua cognoscerentur octo, & sic in infinitum. Illa scientia est infinita, quæ infinita cognoscit mediatè, & in uno aliquo principio finito, in quo sunt connexa; & prout in eo sunt connexa, N. Nam ad infinita cognoscenda mediatè, & in uno aliquo principio, in quo connexa sunt, satis est, si comprehendatur principium illud; & ad comprehendendum principium finitum, lumen finitum, & cognitio finita sufficiunt.

Porrò anima Christi per scientiam, quâ cognoscit infinita, quæ in creaturæ existentis potentia continentur, non attingit illa immediatè in se ipsis, seu in propria specie, sed solùm mediatè, & in uno principio finito, in quo sunt connexa, nempe in potentia creaturæ, quam comprehendit in Verbo, finitè cognito: quare scientia illa simpliciter finita est.

Dices. Si anima Christi cognoscit infinita, datur aliquid majus infinito: Deus enim plura cognoscit, quàm anima Christi. Sed infinito non potest esse aliquid majus. *Resp.* non posse esse aliquid majus infinito in omni genere: unde non potest esse aliquid majus Deo. At infinito secundùm quid determinato, seu in aliquo tantùm genere, non potest quidem esse aliquid majus in illo ordine, sed potest esse aliquid majus extra illum ordinem. Sic in speciebus numerorum parium, quæ sunt infinitæ, non est aliquid majus infinito; nam in numeris paribus non est aliquid ultra infinitum accipere; idem dic de speciebus numerorum imparium, quæ etiam sunt infinitæ. At si species numerorum parium cum speciebus imparium sumpseris, habebis aliquid majus infinito, nempe speciebus numerorum parium: nam numeri pares cum imparibus plures sunt, quàm pares.

Similiter in possibilibus, quæ continentur in potentia creaturæ aliquando existentis; & sunt infinita, non est aliquid majus infinito: nam in illis possibilibus non est aliquid ultra infinitum accipere. At si possibilibus illis alia possibilia infinita, quæ in omnipotentia divina continentur, adjungas, habebis aliquid majus infinito, possibilibus scilicet illis, quæ continentur in potentia creaturæ, aliquando existentis. Igitur anima Christi cognoscit infinitum, sed Deus cognoscit majus infinitum: anima Christi cognoscit infinita, & tamen Deus plura cognoscit. Vide S. Thomam hic quæst. 10. art. 3. ad 3.

Propositio IV.

Christus, ut homo, videt simul & actu in Verbo, omnia quæ videt Deus scientia visionis.

Ita sanctus Thomas hic q. 10. art. 2. in O. & probatur: quia ut ait S. Doctor, quilibet beatus cognoscit in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant. Atqui omnia, quæ Deus videt scientia visionis, spectant ad Christum, quâ hominem, quia qua talis, est judex omnium constitutus, illuminator cordium, & caput Angelorum & hominum, eique proinde omnia, quæ videt Deus scientia visionis, sunt subjecta. Ergo, &c. Christus igitur, ut homo, videt in Verbo simul & actu omnia præterita, præsentia, & futura usque ad diem judicii inclusivè, atque insuper cogitationes omnes hominum, & Angelorum, futuras per totam æternitatem.

Obj. 1. Si anima Christi sciret in Verbo omnia, quæ Deus ipse scit scientia visionis, scientia animæ Christi æqualis esset scientiæ divinæ. Falsum cons. Ergo, &c. *Resp.* neg. seq. maj. Nam scientia divina, adæquate sumpta, & ut est in se, non solùm est scientia visionis, sed etiam scientia simplicis intelligentiæ: unde scientia divina, adæquatè sumpta, & ut est in se, in infinitum excedit scientiam animæ Christi, etiam quoad multitudinem eorum, quæ cognoscuntur.

At inquies. Saltem scientia animæ Christi æqualis esset scientiæ divinæ, præcisè sumptæ. quâ scientia visionis est: quantitas enim scientiæ attenditur secundùm quantitatem scibilium. *R.* neg. seq. & ejus prob. Nam ut dicit S. Thomas art. citato ad tertium: *Quantitas scientiæ non solùm attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis: quamvis igitur scientia animæ Christi, quam habet in Verbo, parificetur scientiæ visionis* (sumptæ præcisè, qua scientia visionis est) *quam Deus habet in se ipso, quantum ad numerum scibilium; scientia tamen Dei* (etiam præcisè sumpta ut scientia visionis) *excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam animæ Christi, quia lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quodcumque, receptum in anima Christi*.

Atqui inquies iterum. Saltem anima Christi comprehenderet scientiam visionis. *R.* neg. seq. Nam scientia visionis non comphehenditur, nisi cognoscatur adæquatè, ut est in se, & à parte rei, adeoque adæquatè cognoscatur, ut est scientia visionis, & simplicis intel-

intelligentiæ. Anima autem Christi, simul & actu videns in Verbo omnia, quæ videt Deus scientia visionis, dato quòd scientiam divinam adæquatè cognoscat præcisè sumptam, ut est scientia visionis, saltem non cognoscit illam adæquatè sumptam simul ut est scientia visionis, & simplicis intelligentiæ; cùm non eam adæquatè cognoscat, etiam præcisè sumptam, ut est simplicis intelligentiæ scientia.

Obj. 2. Si anima Christi videt in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis, anima Christi habet visionem beatam simpliciter infinitam. Cons. implicat. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Itaque licèt anima Christi, videndo in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis, videat infinita, nihilominùs habet visionem beatificam simpliciter finitam, quia videt illa infinita in Verbo, finitè tantùm & limitatè viso; non enim illud comprehendit. Ad cognoscendum autem infinita in uno medio simplici, etiam infinito, sed finitè tantùm & limitatè cognito, sufficit cognitio finita & lumen finitum.

Probabis tamen seq. maj. Nam si anima Christi videt in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis, visio beatifica animæ Christi continet gradus intensionis aliarum visionum plurium ac plurium & perfectiorum ac perfectiorum in infinitum. Nego. *Probabis* hoc argumento calculatorio. Ad cognoscendum in Verbo 50. cogitationes futuras Gabrielis, requiritur visio saltem unius gradus. Ergo ad cognoscendum centum, requiritur visio duorum graduum. Ergo ad cognoscendum 200. requiritur visio quatuor graduum, sicque deinceps in infinitum. Ergo visio omnium cogitationum Gabrielis per totam æternitatem futurarum, utpote infinitarum, continet gradus intensionis visionum aliarum plurium ac plurium, & perfectiorum ac perfectiorum in infinitum. Ergo, &c.

Resp. neg. calculum illum. Nam cùm omnes Gabrielis cogitationes, per totam æternitatem futuræ, sint inter se tam connexæ in essentia divina, quà illarum similitudo est, quàm inter se connexæ essent in Gabrielis potentia, si esset ad illas antecedenter determinata, essentia divina clarè visa, quà similitudo est cogitationum Gabrielis, per totam æternitatem futurarum, omnes ex æquo tam exhibet videnti, quàm potentia Gabrielis, ad illas antecedenter determinata, omnes ex æquo exhiberet intellectui, à quo comprehenderetur.

Igitur sic calculus instituendus est. Ad videndum essentiam divinam, quà similitudo est cogitationum Gabrielis, per totam æternitatem futurarum, requiritur visio v. g. mille graduum. Ergo ad videndum simul essentiam divinam, qua similitudo est cogitationum Gabrielis, & quà similitudo est cogitationum Raphaelis, per totam æternitatem futurarum, requiritur visio bis mille graduum, & ita deinceps, percurrendo omnes Angelos, & homines, qui omnes simul sumpti, sunt quidem numero maximi, sed infiniti non sunt: unde ex calculo resultabit quidem visio perfectissima ac intensissima, sed finita simpliciter, nec Christi dignitatem superans.

ARTICULUS III.

De Scientia supernaturali Christi.

Propositio. I.

CHristus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognoscit res naturales, quas Angeli per species inditas cognoscunt.

Prob. Christus, ut homo, res omnes naturales, quas Angeli cognoscunt per species inditas, cognoscit non solùm in medio cognito, nempe in Verbo, sed etiam in proprio genere, & quidem altiori modo, quàm Angeli cognoscant: hoc enim utrumque ad Christi dignitatem pertinet, eique debetur ratione unionis hypostaticæ. Ergo cognoscit per scientiam supernaturalem: nam si tantùm cognosceret per scientiam naturalem, non cognosceret tam perfectè, quàm cognoscunt Angeli: scientia enim naturalis, quæ scilicet animæ rationali, sive conjunctæ, sive separatæ connaturalis est, inferior est scientia angelica, sicut intellectu angelico intellectus humanus est inferior.

Propositio II.

Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognovit omnes actus liberos præteritos, præsentes, & futuros, saltem usque ad diem judicii inclusivè.

Prob. Quia possibilis videtur scientia supernaturalis, quæ actus illos omnes sub objecto suo complectatur, & possibiles videntur species per se infusæ, ex natura sua repræsentantes objectum ut existens pro ea temporis differentia, pro qua existit, adeoque ut præteritum, si pro tempore præterito; ut futurum, si pro tempore futuro; ut præsens, si pro tempore præsenti existit. Ergo talis reipsa fuit scientia supernaturalis Christi; cùm fuerit in suo ordine perfectissima, & talem fuisse pertinuerit ad dignitatem & statum Christi, qui non solùm ut comprehensor, verùm etiam ut viator debuit habere perfectissimam providentiam, & consummatum prophetiæ donum, atque ad docendum perfectissimè dispositus esse: ad hæc autem actuum liberorum, præteritorum, præsentium, & futurorum cognitio necessaria fuit.

Quæres, utrùm Christus dici possit per scientiam hanc cognovisse etiam omnes actus liberos omnium hominium & angelorum, per totam æternitatem futuros?

R. dici posse: quia possibilis videtur una species per se infusa, simul repræsentans omnes actus liberos Gabrielis v. g. per totam æternitatem futuros; idem dic de omnibus aliis, tum angelis, tum hominibus: cùm enim essentia divina etiam finitè cognita, sit similitudo repræsentans omnes actus liberos Gabrielis, per totam æternitatem futuros, quidni posset esse sub hac ratione participalis? Unde ut Christus per scientiam supernaturalem cognoscat omnes actus liberos omnium angelorum & hominum, futuros per totam æternitatem, sufficere possunt species numero finitæ, atque ita, ut cognoscat etiam simul omnes illos actus, sufficere potest lumen finitum, & attentio finita.

Propositio III.

Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem quidditativè & intuitivè cognovit, gratiam, habitus, & actus supernaturales, lumen gloriæ, visionem beatificam, amorem patriæ, & unionem hypostaticam.

Prob. Res supernaturales natæ sunt esse objectum primarium alicujus scientiæ. Non scientiæ beatificæ, quia hujus scientiæ objectum primarium est Deus. Ergo alicujus scientiæ inferioris, & per se infusæ, quæ viatoribus communicari potest. Sed talis profectò scientia non defuit Christo; Cùm simul fuerit comprehensor & viator perfectissimus. Ergo, &c.

Propositio IV.

Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem cognovit Deum quoad unitatem ejus, omnia ejus attributa essentialia, & personarum trinitatem.

Prob. Quia Christus, ut homo, per scientiam supernaturalem perfectissimè cognovit, ac comprehendit multa, quæ essentialem habent ordinem ad Deum unum & trinum, ut sunt visio beatifica, & amor beatificus, in quibus proinde per hanc scientiam, Deum ut unum & trinum cognovit indirectè, & abstractivè. Præterea, si Christus per scientiam supernaturalem non cognovisset essentiam divinam, & mysterium Trinitatis, neutrum cognovisset ut viator; & scientia Christi ut viatoris, ex parte objecti fuisset minùs perfecta, quàm fides nostra. Utrumque consequens absurdum est. Ergo, &c.

Pro-

Propositio V.

Christus in usu scientiæ supernaturalis, non dependebat à phantasmatibus.

Prob. 1. ex S. Thoma hic q. 11. art. 2. in O. ubi ait: *Christus in statu ante passionem fuit simul viator & comprehensor; & præcipuè quidem conditiones viatoris habuit ex parte corporis, in quantum fuit passibilis: conditiones verò comprehensoris maximè habuit ex parte animæ intellectivæ. Est autem hæc conditio animæ comprehensoris, ut nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur ... Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata converti, quòd est corpori obligata, & quodam modo ei subjecta, & ab eo dependens: & ideò animæ beatæ, & ante resurrectionem & post, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plenè habuit facultatem comprensoris.*

Prob. 2. ratione. Quia species scientiæ, de qua agitur, erant per se infusæ, adeoque nullam habebant connexionem cum sensu interno. Ergo Christus uti poterat speciebus illis sine conversione ad phantasmata, hoc est, non repræsentando & percipiendo simul tempore, per sensum internum, idem, vel aliquid affine ei, quod cognoscebat per illas species.

Propositio VI.

Proprius & connaturalis modus cognoscendi per scientiam supernaturalem, quam habebat Christus, ut homo, erat per simplicem intuitum.

Prob. Quia scientia supernaturalis, quam Christus habebat, ut homo, perfectior erat, quàm scientia indita angelorum, ut S. Thomas hic q. 11. art. 4. in Sed contra, probat ex Apostolo, dicente ad Heb. cap. 2. *Eum autem, qui modicò quàm angeli, minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum: ex quo*, inquit S. Doctor, *apparet, quòd propter solam passionem mortis dicatur Christus ab angelis minoratus: non ergo propter scientiam.* Atqui modus proprius & connaturalis cognoscendi scientiæ inditæ angelorum est per simplicem intuitum. Ergo à fortiori, &c. Hinc anima Christi numquam usa est, aut uti potuit scientia supernaturali, componendo, vel discurrendo, sed per actus hujus scientiæ, simpliciter intuita est res vel in se, vel in alio, ut medio cognito.

Obj. Christus, ut homo, per hanc scientiam cognoscebat Deum per effectus. *R.* Cognoscebat, sed absque discursu: uno enim & indivisibiliter actu cognoscebat effectum directè, ac in se, & in effectu Deum indirectè, abstractivè, & tanquam in medio cognito.

Obj. iterùm Matth. cap. 17. Christus, cùm à Petro quæsivisset, à quibus Reges terræ acciperent tributum, vel censum, utrùm à filiis suis, an ab alienis? Petro respondente, *Ab alienis*, sic concluſit: *Ergo liberi sunt filii. Resp.* Christum usum esse tantùm discursu externo, & per modum discursus id explicuisse, quod concipiebat absque discursu: vel dicendum est, Christum tunc usum esse scientia naturali.

Propositio VII.

Christus à primo instanti conceptionis suæ, fuit semper in usu scientiæ supernaturalis.

Prob. Nam potuit esse: hæc enim scientia ad usum suum nullam in ordine exigebat dispositionem, cum à conversione ad phantasmata non dependeret; neque impediri potuit aut somno, aut alia sive exteriori, sive interiori occupatione, aut morbo, aut denique defatigatione corporis. Ergo, &c. Præterea, dignitati Christi omninò congruit, ut à primo instanti conceptionis suæ, semper non solùm ut comprehensor, sed etiam ut viator, in usu rationis fuerit.

Quæres, utrùm Christus à primo instanti conceptionis suæ semper fuerit in actu adæquato hujus scientiæ per se infusæ; ita ut per scientiam hanc semper cognoverit, quidquid poterat per eam cognoscere.

R. Potuit esse: ad hoc enim nihil ei defuit. 1. enim nihil defuit ex parte objectorum cognoscendorum; cùm semper species illorum habuerit. 2. Nihil enim defuit ex parte potentiæ; cum semper habuerit lumen sufficientissimum, & potentiam sufficientissimè completam. Adde, ad hoc nullum fuisse, nec potuisse esse impedimentum ex parte corporis. Quare quòd Christus reipsa à primo instanti conceptionis suæ semper fuerit in actu adæquato scientiæ per se infusæ, convenientissimè asseri potest.

Dices, Attentio ad infinita simul distinctè cognoscenda, debet esse infinita, qualis in Christo esse non potuit. *R.* attentionem ad infinita simul distinctè cognoscenda infinitam esse debere, si unumquodque cognoscatur per distinctam ac propriam speciem, adeoque si infinita simul distinctè cognoscantur per species numero infinitas: secùs verò, si infinita simul distinctè cognoscantur per finitas numero species: ad hoc enim attentio finita sufficit. Ergo Christus per scientiam supernaturalem simul cognoscere potuit omnia hujus scientiæ objecta, si per species numero finitas repræsentari possunt. At possunt per species numero finitas, immò & fortasse per unicam speciem repræsentari. Ergo, &c.

Quæres, utrùm in scientia supernaturali, quam Christo, ut homini, attribuimus, præter species intelligibiles, detur habitus per se infusus, elevans & corroborans intellectum ad illius actus?

R. affirmativè. Ratio est, quia virtus activa intellectus de se insufficiens est, & improportionata ad actus scientiæ supernaturalis, nec ad id sufficienter elevatur, & completur per species intelligibiles: nam illæ species supplent tantùm id, quod ex parte objecti deest, non id, quod deest ex parte potentiæ. Ergo præter species intelligibiles, requiritur habitus infusus, seu virtus intrinseca, inhærens & permanens, qua intellectus intrinsecè & permanenter elevetur, & compleatur ad actus hujus scientiæ.

Porrò hic habitus est una simplex qualitas: nam habet se ad modum potentiæ, quæ altioris cujusdam ordinis est, & sub objecto suo complectitur non solùm res supernaturales, sed etiam naturales, altiori, quàm naturaliter possint, modo cognoscendas. Præterea, hic habitus diversus ac distinctus est à lumine gloriæ: habet enim pro objecto primario res creatas; lumen verò gloriæ Deum ipsum. Habitus autem objecta primaria diversa habentes, sunt habitus inter se distincti ac diversi.

Articulus IV.

De Scientia naturali Christi, ut hominis.

Propositio I.

CHristus, ut homo, etiam in statu viæ, habuit scientiam rerum omnium, quæ naturaliter cognosci possunt ab anima separata.

Prob. Nam Christus, ut homo, etiam in statu viæ, omnem habuit perfectionem, sibi ratione beatitudinis debitam, cujus carentia non fuit necessaria, vel utilis ad opus redemptionis: cùm etiam in statu viæ beatitudinem essentialem, sibi ratione unionis hypostaticæ debitam habuerit. Atqui scientia rerum omnium, quæ ab anima separata naturaliter cognosci possunt, Christo debita fuit ratione beatitudinis; nam status beatitudinis illam exigit: unde & est in omnibus animabus beatis. Ergo, &c.

Propositio II.

Christus, ut homo, naturalem illam scientiam habuit à primo instanti conceptionis suæ, & in usu illius non dependebat à phantasmatibus.

Prob. 1. *pars.* Quia pertinebat ad dignitatem Christi, ut anima ejus à primo instanti creationis suæ haberet omnem perfectionem, non solùm super-

naturalem, sed etiam naturalem, quam poterat tunc habere; & cujus carentia nobis nec necessaria, nec utilis fuit. Atqui talis est scientia illa, de qua loquimur: nam 1. carentia ejus nec necessaria, nec utilis fuit ad redemptionem nostram. 2. Species in quibus consistit, nullam in corpore dispositionem prærequirebant. Ergo, &c.

Præterea, videtur negari non posse, quòd anima Christi à primo instanti creationis suæ, se ipsam, substantias immateriales, substantias materiales, & accidentia intueri potuerit eo modo, quo naturaliter potest anima separata, ac beata. Atqui intuitio ejusmodi ad scientiam de qua agitur, pertinet. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia species, in quibus consistit hæc scientia, licèt sit ordinis naturalis, sunt per se infusæ, adeoque nullam cum phantasmaribus & sensu interno connexionem habent. Ergo Christus poterat uti hac scientia sine conversione ad phantasmata, seu absque eo quòd sensus internus repræsentaret idem, vel aliquid affine ei, quod cognoscebat Christus per hanc scientiam.

Dices, Hæc scientia, quam naturalem dicimus, non differt à scientia, per se infusa. de qua art. sup. K. neg. Nam scientia per se infusa, de qua art. sup. actum est, est scientia ordinis supernaturalis, per quam res supernaturales & naturales modo supernaturali cognoscuntur, & est supra animæ humanæ, tam separatæ, quàm conjunctæ conditionem, non solùm ratione specierum, sed etiam ratione luminis. At scientia, de qua hic, est scientia ordinis naturalis, connaturalis animæ humanæ, & ad eam animæ humanæ lumen naturale sufficit, & species per se infusæ, in quibus consistit, sunt naturalis ordinis, quales animæ separatæ juxta naturalem ejus conditionem infunduntur, quæque proinde planè diversæ sunt à speciebus alterius scientiæ, & eis planè inferiores.

Propositio III.

Christus, ut homo, habuit modo excellentissimo scientiam rerum omnium, quæ naturaliter acquiri potest componendo, & discurrendo.

Prob. Quia hæc scientia est perfectio maxima, & intellectui humano maximè connaturalis; cujus carentia nec necessaria, nec utilis fuit ad opus redemptionis. Ergo nulla ratio est, cur hæc scientia Christo, ut homini, denegetur. Sed quæritur utrùm Christo infusa fuerit à Deo à primo instanti conceptionis; an verò Christus illam successu temporis, componendo & discurrendo acquisiverit?

Respondet S. Thomas hic q. 12. art. 2. in O. Christum scientiam illam successu temporis acquisivisse, per actionem intellectus agentis, seu per actionem intellectus, species intelligibiles, in quibus habitus scientiarum acquisitos S. Doctor cum schola Peripatetica constituit, extrahentis ex phantasmatibus. Ratio S. Doctoris est, ne intellectus agens in Christo, otiosus & inutilis fuerit. Verba ejus sunt: *Quia inconveniens videtur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cùm extrahere species intelligibiles à phantasmatibus, sit quædam naturalis actio hominis secundùm intellectum agentem; conveniens videtur, hanc etiam actionem in Christo ponere: & ex hoc sequitur, quòd in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, qui per hujusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari; ex hoc scilicet, quod intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus, poterat etiam alias & alias abstrahere.*

Sed hæc S. Doctoris ratio minimè nunc convincit; illa enim distinctio intellectus in possibilem & agentem, seu in receptivum & expressivum specierum intelligibilium, jam ferè obsolevit, & species illæ intelligibiles à phantasmatibus abstractæ, in quibus philosophia vetus ponit habitus scientiarum acquisitos, jam facilè rebus inutilibus accensetur; & juxta meliorem philosophandi rationem, habitus scientiarum acquisiti, videntur constituendi in ipsis phantasmatibus, quæ vel sunt vestigia quædam cerebro impressa, vel consistunt in certa modificatione fibrarum cerebri.

Itaque cùm melius fuisse Christo videatur, nunquam hac, de qua agitur, scientia caruisse, quàm ea caruisse aliquo tempore, ut eam successu temporis propriis ac naturalibus viribus acquireret; omninò dicendum videtur, Christum scientias illas omnes, quæ acquisitæ dicuntur, à primo instanti conceptionis suæ, vel certè ante nativitatem accepisse, impressis ejus cerebro phantasmatibus, in quibus scientiæ illæ consistunt.

Quòd si quis objiciat hæc verba Luc. cap. 2. *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*; responderi potest, 1. illa pertinere ad scientiam experimentalem, quam Christus successivè acquisivit, & de qua modò. 2. Responderi potest, id quod dicit ipse S. Thomas art. citato in O. *Duplex*, inquit, *est profectus scientiæ, unus quidem secundum essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur; alius autem secundùm effectum; putà si aliquis secundùm eundem & æqualem scientiæ habitum, primò minora aliis demonstret, & postea majora & subtiliora. Hoc autem secundo modo manifestum est, quod Christus in scientia & gratia profecit, sicut & in ætate: quia scilicet, secundum augmentum ætatis, opera majora faciebat, quæ scilicet majorem scientiam & gratiam demonstrabant.*

Propositio IV.

Christus, ut homo, non habuit à primo instanti conceptionis scientiam humanam experimentalem, sed eam successu temporis acquisivit.

Prob. Quia hæc scientia fundatur in experimento sensuum, Sed Christus, ut homo, multa sensibus successu temporis expertus est; nam successu temporis multa vidit, audivit, &c. quæ antea non viderat, non audiverat, &c. Ad quod pertinet illud Heb. c. 5. *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*; hoc est, proprio experimento didicit, quàm arduum esset exercitium obedientiæ. Ergo, &c.

Præterea, scientia experimentalis est essentialiter cognitio rerum sensibus perceptarum, & quà perceptarum, hoc est, rerum sensibus antea perceptarum simul & ipsius perceptionis præteritæ. Ergo consistit essentialiter in speciebus relictis ex perceptione sensuum præterita; adeoque sensuum perceptionem, antea factam, supponit essentialiter. Ergo Christus non potuit eam à primo instanti conceptionis habere, sed ad eam acquirendam Christo opus fuit successu temporis. Christus igitur in ea scientia successivè profecit, ac propterea dictum videtur Luc. cap. 2. *Jesus proficiebat sapientia; & ætate, &c.*

DISPUTATIO IX.

De Voluntate Christi, ut hominis.

ARTICULUS I.

Utrùm Christus, ut homo, habuerit actum volendi.

Responsio.

IN Christo, præter actum volendi divinum, fuit etiam actus volendi humanus.

Est de fide, contra Monothelitas, & *probatur* 1. ex Scriptura. Nam Christus ait Matth. cap. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Luc. cap. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Et Joan. cap. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Quibus locis Christus duplicem asserit voluntatem, seu actum volendi: unum, quem vocat suum, quia est actus volendi humanus, ipsi proprius, utpote elicitus ab humanitate assumpta, quæ illius, non verò Patris, aut Spiritus sancti, natura est; & alterum, quem vocat actum volendi Patris, quia est actus volendi divinus, communis tribus personis, utpote virtualiter elicitus à natura divina, quæ trium personarum

narum est natura. Unde actus ille volendi, est actus Patris, quamquam etiam duarum aliarum personarum, nempe Filii, & Spiritus sancti, actus sit.

Prob. 2. ex Patribus, qui ante exortam Monothelitarum hæresim scripseruut, & quorum testimonia longo ordine referuntur in secretario V. Concilii Lateranensis, sub Martino I. pro quibus omnibus hic nobis sufficient Athanasius in sermone contra Apollinarium, ubi ad hæc verba Christi, *Pater, si possibile est &c.* sic discurrit: *Duas voluntates hic ostendit, tam humanam, quod est carnis, quàm divinam, quod est deitatis. Humana quidem, propter infirmitatem carnis, recusat passionem; divina autem ejus est promptissima.* Ambrosius serm. 2. ad Gratianum, ubi de Christo ait: *Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam.* Augustinus lib. de gratia novi testam. ad Honoratum scripto. *Nec enim*, inquit, *Christus homo factus, sicut suspicantur Apollinaristæ hæretici, aut rationalem animam non habuit, aut sensum, aut voluntatem, sed, &c.* Et Leo Magnus in secundo volumine, ad Leonem Imperatorem directo, ubi hæc habet: *Secundùm quidem formam servi non venit facere voluntatem suam, sed ejus qui misit eum, propriam dixit, quam temporaliter accepit de Virgine. Voluntatem autem ejus, qui misit eum, utique hanc ostendit, quam sine tempore habuit cum Patre communem.*

Prob. 3. ex Patribus, qui post exortum Monothelismum floruerunt, & pro quibus hic sufficient Sophronius in epistola synodica, ad Sergium Constantinopolitanum scripta, in qua hæc inter alia scribit de Christo: *Secundùm quòd Deus quidem est, idem ipse est,* (operans) *quæ divina sunt; secundùm quòd homo, idem ipse est,* (operans) *quæ humana sunt: se ipsum omnibus volens ostendere, quòd Deus idem ipse & homo sit.*

S. Maximus Martyr in disputatione cum Pyrrho, ubi Pyrrho sic interroganti: *Quid igitur, qui unam Christi voluntatem esse sentit, videtur tibi à christiana doctrina traduci?* respondet in hunc modum: *Maximè. Quid enim magis impium, quàm dicere, eumdem una & eadem voluntate ante incarnationem quidem omnia ex nihilo fecisse, continere, & procurare, ac salubriter dirigere; post incarnationem verò cibum & potationem appetere, loca locis mutare, &c.*

Et S. Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 13. *Eundem porrò*, inquit, *Deum Dominum nostrum Jesum Christum, & perfectum Deum, & perfectum hominem confitentes eumdem & omnia habere, quæ Pater habet ... quin habere etiam eum, ut duabus naturis consentaneum est, duplices naturarum duarum naturales proprietates, hoc est, duas voluntates naturales, divinam nimirùm & humanam; duas naturales operationes, divinam & humanam, &c.*

Prob. 4. authoritate Conciliorum, ex quibus, cum multa sint, pauca brevitatis gratia seligimus, nempe Concilium Lateranense sub Martino I. sic definiens can. 10. *Si quis secundum sanctos Patrem non confitetur propriè & secundum veritatem duas unius ejusdemque Christi Dei nostri voluntates, coherenter unitas, divinam & humanam ... condemnatus sit.* Concilium Mediolanense sub Mansueto episcopo, in epistola synodica ad Constantinum Imperatorem scripta, in qua Synodi Patres sic loquuntur: *Duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum, & perfectum hominem, unum eumdemque ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, pietatis nos regula perstruit.*

Concilium Romanum centum viginti quinque Episcoporum, sub Agathone papa, in synodica epistola, directa ad Constantinum Imperatorem, in qua dicunt Episcopi: *Sicut duas naturas, sive substantias, id est deitatem & humanitatem, inconfusè, indivisè, incommutabiliter eum* (Christum) *habere veraciter confitemur: ita quoque & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum, & perfectum hominem, unum eumdemque ipsum Dominum Jesum Christum, pietatis nos regula instruit: quia hoc nos apostolica atque evangelica traditio, sanctorumque Patrum magisterium, quos sancta, apostolica atque catholica Ecclesia, & venerabiles synodi suscipiunt, instituisse monstratur.*

Et Concilium Constantinopolitanum III. generale, actione 18. in definitione fidei sic loquens: *Duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, secundùm sanctorum Patrum doctrinam adæoque prædicamus, & duas naturales voluntates, non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius & subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.*

Prob. denique 5. authoritate Summorum Pontificum, nempe Martini I. in epistola encyclica, ad fideles omnes directa, in qua sic loquitur: *Pari numero unitis substantialiter ei naturis, ejusdem voluntates & operationes sapere nobis tradiderunt* (Patres) *hoc est, increatam & creatam, divinam & humanam, & coherenter unitas.* Agathonis in privata sua ad Constantinum Imperatorem epistola, in qua Romanæ Ecclesiæ doctrinam exponens, sic ait: *Duas dicimus eundem Dominum nostrum Jesum Christum, sicut naturas, ita & naturales in se voluntates & operationes habere, divinam scilicet & humanam: divinam quidem voluntatem, & operationem habere ex æterno, cum coessentiali Patre communem; & humanam, temporaliter ex nobis cum nostra natura susceptam. Hæc est apostolica, atque evangelica traditio, quam tenet spiritalis vestri fœliciſſimi Imperii Mater Apostolica Christi Ecclesia.*

Leonis II. in epistola ad Constantinum Imperatorem scripta, in qua acta sextæ Synodi confirmat, & approbat, eamque laudat, quòd duas naturales voluntates, duasque naturales operationes Christum habere veraciter prædicaverit. Et Eugenii IV. in decreto, in quo hæc habet: *Duas naturales voluntates, & operationes confitemur, ad salutem humanam convenienter in* (Christo) *concurrentes.*

Responsio II.

In Chrito, præter facultatem volendi divinam, fuit etiam facultas volendi humana.

Est etiam, secundùm non paucos, contra Monothelitas: non enim pauci volunt hosce hæreticos non solùm actum volendi humanum, sed etiam humanam volendi facultatem, seu potentiam, Christo denegasse, nullamque aliam facultatem volendi, sicut & nullum allium volendi actum in eo agnovisse, præter actum, & facultatem volendi naturæ divinæ.

Hæc autem responsio, quæ est de fide, sequitur evidenter ex præcedenti, & adhuc probatur breviter: quia Patres unanimi consensu docent, Verbum assumpsisse perfectiones omnes naturales humanitatis. Sed humana facultas volendi est humanitatis perfectio naturalis, & quidem magna. Item secundùm Patres & Concilia, Verbum assumpsit animam intellectualem & rationalem. Sed anima rationalis est essentialiter volitiva, & appetitiva. Item ex Patribus & Conciliis, integra natura humana est in Christo. Sed humana facultas volendi ad naturæ humanæ integritatem pertinet. Item, juxta Patres & Concilia, Christus est perfectus homo, & nobis per omnia similis absque peccato: sed ad hoc utrumque requiritur, ut sicut nos habemus, ipse quoque habeat facultatem volendi humanam.

Denique Verbum, incarnando se, id totum assumpsit, quod sanandum fuit. Atqui quod in homine lapso præcipuè sanandum fuit, est volendi facultas, cum facultate intelligendi: illa enim utraque facultas peccato primi parentis gravissimè vulnerata est; cum ex eo ignorantia in intellectum, & in voluntatem infirmitas profluxerit. Ergo, &c.

Sic argumentantur Patres, inter alios Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 18. *Quidnam*, inquit, *ex humanitate ab eo assumpta utilitatis in nos rediit, si ei quod primum vitium contraxit, salus allata*

Tom. 6. Con. p. 287.
Pag. 282.
P. 287.
P. eod.
P. 869.
Tom. 5. Con. P. 1784.
An. 649.
Tom. 6. Conc. P. 606.
Tom. eod. Conc. P. 1684.
Tom. eod. P. 1025.
Tom. eod. P. 370.
Tom. eod. P. 635.
P. 1113.
Tom. Con. 13. pag. 534.

non est, nec id actum, ut per divinitatis conjunctionem innovaretur, ac robur contraheret? Neque enim quod non assumptum est, morbo levatum est. Quocirca totum hominem assumpsit, & quod in eo præstantissimum erat, & in morbum inciderat, ut toti salutem afferret.

Sic autem discurrit S. Doctor pro mente humana seu pro facultate intelligendi: sed quod dicit pro humana intelligendi facultate, manifestè valet pro humana facultate volendi. Nam si ad hoc ut humana mens sanaretur à Verbo, necesse fuit, ut à Verbo assumeretur; similiter ut voluntas à Verbo sanaretur, necesse fuit, ut assumeretur à Verbo: & sicut mens non assumpta, morbo levata non esset, ita & voluntas non assumpta, &c. Quamobrem Damascenus appositè dicit: *Totum hominem assumpsit, ut toti salutem afferret.*

Quæres 1. utrùm voluntas humana Christi habuerit actus?

R. affirmativè. Nam 1. habuit actus liberos & necessarios; necessarios quidem, ut amorem beatificum; & liberos, ut acceptationem mortis. 2. Habuit actus virtutum omnium, quæ beatitudinis, & hypostaticæ unionis perfectioni non repugnant: non enim virtutes omnes illas habuit frustra, nec actus illarum proprios exercuisse negari potest. 3. Habuit voluntatem, ut vocant, simplicem, intentionem, electionem, usum, & fruitionem: nam perfectissimè propter finem operata est, amando illum, illum intendendo, media ad illum consequendum idonea eligendo, & electa exequendo, atque illo obtento fruendo. 4. Habuit actus amoris, odii, desiderii, spei, & audaciæ: nam Christus, ut homo, dilexit Deum, & proximum, odio habuit peccatum; desideravit redemptionem nostram; speravit gloriam corporis sui, & nominis sui exaltationem; & generosè aggressus est pericula, ad bonum obtinendum.

5. Habuit affectus iræ, timoris, & tristitiæ, ut jam probatum est. 6. Habuit actus efficaces, per quos virtutum omnium opera exercuit, & divinæ voluntati obsecutus est semper. 7. Habuit etiam actus inefficaces, ut patet ex illo Matth. cap. 26. *Pater, si possibile est, &c.* Hi porrò actus, qui in nobis plerumque necessarii sunt propter motionem appetitus materialis rationis advertentiam prævenientis, & rapientis voluntatem, antequam agere possit liberè, fuerunt omnes & semper in Christo liberrimi, quia nimirum in eo appetitus materialis in officio ita continebatur, ut nec rationem prævenire, aut perturbare, nec voluntatem rapere posset.

Quæres 2. utrùm voluntas humana Christi aliquos habuerit actus, contrarios actibus divinæ voluntatis?

R. negativè, cum sexta Synodo generali in definitione fidei verbis supra relatis. Præterea, si voluntas humana Christi actum aliquem habuit actui voluntatis divinæ contrarium, actus ille vel fuit efficax, vel inefficax. Neutrum dici potest. Non primum: nam voluntas humana Christi semper voluit efficaciter, quidquid Deus voluit eam velle, & quatenus voluit, ut manifestè significat Christus ipse, cùm ait Joan. cap. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, & perficiam opus ejus.* Et cap. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper.*

Non etiam secundum: nam si voluntas humana Christi habuit actum inefficacem, actui voluntatis divinæ contrarium, maximè actum illum vitandi mortem, quem Christus habuit, cùm dixit: *Pater, si possibile est, &c.* Atqui actus ille contrarius non fuit actui voluntatis divinæ: nam 1. Deus volebat, ut Christus haberet actum illum; & voluntas humana Christi, ut obtemperaret voluntati divinæ, in actum illum liberè erupit. 2. Actus ille vitandi mortem non repugnabat actui, quo Deus volebat efficaciter, ut Christus moreretur: cùm enim nec impediret nec retractaret actum, quo, Christus ut homo mori volebat efficaciter, mortem Christi, quam volebat Deus, nec impediebat, nec retardabat.

Quæres 3. utrùm humana Christi voluntas semper fuerit impleta?

R. 1. Omnis voluntas humana, qua Christus omninò absolutè ac efficaciter, & absque omni restrictione voluit aliquid, fuit semper impleta: Christus enim nunquam voluit omninò absolutè & efficaciter, nisi ea, quæ perficere potuit, quia nunquam nisi prudentissimè & honestissimè voluit. 2. Non omnis voluntas humana Christi, etiam ea, qua voluit aliquid absolutè & efficaciter, sed non omninò, & cum aliqua restrictione, putà quia tantùm voluit illud, quantùm per vires naturales & humana media perfici poterat, impleta fuit: talis est v. g. voluntas, qua aliquando voluit latere, & tamen latere non potuit.

ARTICULUS II.

Utrùm voluntas humana Christi peccare potuerit.

Responsio.

VOluntas humana Christi nequidem de potentia absoluta peccare potuit.

Prob. & primò quidem, quòd Christus, ut homo, nulli peccato obnoxius fuerit, magno consensu docent Patres, pro quibus omnibus hic erunt Dionysius Alexandrinus in epistola adversùs Paulum Samosatenem scripta, in qua hæc leguntur: *Nisi fuisset Christus idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi: nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus sanctus.*

Athanasius in lib. de salutari adventu Jesu Christi, ubi Apollinaristis sic objicientibus: *Si omnia assumpsit* (Deus Verbum) *omninò quoque mentem, cogitandique vim humanam assumpsit: atqui impossibile est, in humanis cogitationibus peccatum non versari: quomodo igitur Christus absque peccato erit?* S. Doctor respondens, hoc inter alia habet: *Si in peccatrice* (quantùm est ex se) *natura, impeccabilitas non apparuisset, quomodo peccatum in carne damnari potuisset, neque carne prævaricationem habente, neque divinitate peccatum sciente.* Quibus verbis Christo, ut homini, impeccabilitatem attribuit, sine qua diaboli opera dissolvere, & homines à peccati servitute liberare nequivisset.

Ambrosius in libro de incarnationis dominicæ sacramento, ubi eandem Apollinaristarum objectionem dissolvens, ait: *Quæro igitur, qua ratione animam putent quidam à Domino Jesu non esse susceptam? An quia metus est, ne sensu Christus laberetur humano? ... Tantum abest, ut Christum* (Apostolus) *putaverit, lege carnis in peccati vincula fuisse deducendum, ut ipse in æstu positus fragilitatis humanæ, per Christum sibi subveniri posse crediderit ... Qui ergo alios à carnis lubrico vindicabat, nunquid formidare poterat, ne etiam ipse dominatu quodam carnis istius vinceretur? ... Quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus advenerat?*

Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Numquid*, inquit, *metuendum fuit, ne accedente ætate, homo ille* (Christus) *libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat? Nempe ista omnia* (ex quibus est peccandi impotentia) *singulariter admiranda, & alia, si qua ejus propria verissimè dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est, nostra natura, nullis suis præcedentibus meritis.*

Et Cyrillus Alexandrinus in libro adversus Anthropomorphitas cap. 26. ubi ait: *Stolidi verò ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto peccare posse affirmant, eam ob causam, quod in eadem, atque nos, specie fuerit versatus, quodque, forma servi accepta, cum hominibus in terra egerit.* Et libro de recta in Cristum fide, Theodosio Imperatore nuncupato, sic loquitur: *Quemadmodum*

caro,

caro, posteaquam Verbi, omnia vivificantis, caro effecta est, mortis & corruptionis imperio superior evasit: sic anima, posteaquam illius effecta est, qui peccatum non novit, è vestigio statum firmum, ac in omnibus bonis stabilem, peccatoque, quod olim tyrannidem exercebat, multis partibus potiorem nacta est.

2. Quòd Christus, ut homo, nequidem de potentia absoluta potuerit peccare, probatur 1. sic. Si humanitas Christi præceptum aliquod divinum transgressa esset, humanitas fuisset tantùm principium quo, ipsum verò Verbum fuisset principium quod transgressionis: sicut cùm humanitas Christi exercebat actus meritorios, humanitas erat tantùm principium quo, ipsum verò Verbum erat principium quod meriti; unde sicut humanitate Christi actus meritorios exercente, propriè ac strictè loquendo, non humanitas, sed Verbum per humanitatem merebatur: ita humanitate Christi præceptum aliquod divinum transgrediente, propriè loquendo, non humanitas, sed Verbum ipsum per humanitatem peccasset. Item sicut humanitate actus meritorios exercente, meritum verè ac propriè imputabatur Verbo, actio meritoria humanitatis erat verè ac propriè actio meritoria Verbi, & Verbum verè ac propriè merebatur, atque simpliciter dicebatur mereri: ita humanitate Christi divinum aliquod præceptum transgrediente, transgressio divinæ legis verè ac propriè imputata fuisset Verbo, actio peccaminosa humanitatis verè ac proprie fuisset actio peccaminosa Verbi, & Verbum verè ac propriè peccasset, atque simpliciter dici potuisset peccare.

Atqui quòd Verbum sit principium quod transgressionis alicujus, adeoque sit causa particularis alicujus transgressionis; quòd actio aliqua peccaminosa sit verè ac propriè actio peccaminosa Verbi; quòd Verbum verè ac propriè peccet; quòd simpliciter dici possit Verbum peccare; est aliquid positivè dedecens ipsum Verbum, & summæ illius sanctitati oppositum, ac injuriosum, adeoque est aliquid absolutè repugnans. Ergo quòd humanitas Christi præceptum aliquid divinum transgessa fuerit, fuit aliquid absolutè repugnans; adeoque ne de absoluta quidem potentia contingere potuit, ut peccaret humanitas Christi, quæ proinde rectè dicitur fuisse impeccabilis.

Dices. Potuit Verbum efficaciter velle, & facere, ut actiones humanitatis assumptæ ad illud non alio pertinerent titulo, quàm titulo causæ universalis, proindeque ne actiones peccaminosæ humanitatis assumptæ magis illi imputari posset, quàm peccata aliorum hominum. Ergo dici potest, re ipsa hoc efficaciter voluisse, & fecisse, adeoque rationem allatam inefficacem esse. *R.* neg. ant. Hoc ipso enim quòd Verbum humanitatem assumpsit, factum est inimpedibiliter suppositum illius, & consequenter principium quod, & causa particularis omnium ejus actionum: unde vel unio hypostatica absolutè impossibilis est, quod est falsum, & hæreticum; vel inimpedibiliter ratione illius, tam peccatum quodlibet repugnavit humanitati assumptæ, quàm repugnat Verbum sub quocumque respectu verè ac propriè peocare: hoc autem absolutè repugnat. Ergo humanitati assumptæ peccatum quodlibet absolutè repugnavit vi unionis hypostaticæ, vi cujus inimpedibiliter facta est verè ac propriè natura Verbi, atque ideò Verbum inimpedibiliter factum est verè ac propriè suppositum illius.

Dices iterum. Aliqua verè ac propriè conveniunt humanitati assumptæ, quæ tamen Verbo attribui non possunt: nam humanitas assumpta, est verè ac propriè creatura, & tamen Verbum nec dici potest, nec est creatura. Ergo etiamsi humanitas assumpta peccasset, non tamen idcirco dici potuisset Verbum peccare, nec re ipsa peccasset. *R.* neg. ant. Nam revera Verbum, quà homo, seu secundùm humanitatem, verè ac propriè dici potest, & est creatura; quamquam non dicimus simpliciter: Verbum est creatura; ne videamur hoc dicere in sensu Arianorum, qui asserebant Verbum secundùm se, seu secundùm divinitatem suam creaturam esse.

At inquies. Humanitas assumpta, est filia Dei adoptiva, nec tamen propterea Verbum dici potest, aut est Filius Dei adoptivus. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam esse Filium Dei adoptivum, est denominatio personalis: unde cùm humanitas assumpta non sit persona, nec est, nec potest esse filia Dei adoptiva.

At inquies. Humanitas assumpta, est Dei serva, & tamen Verbum nec dici potest, nec est servus Dei. *R.* Verbum dici posse, & esse servum Dei eo sensu, quo humanitas assumpta, est Dei serva. Humanitas aut assumpta non est propriè ac strictè, sed impropriè tantùm & latè serva Dei, unde Verbum, quà homo, seu secundùm humanitatem, dici potest, & est, non propriè ac strictè, sed impropriè & latè servus Dei, & hoc secundo sensu re ipsa servus Dei non semel appellatur in Scriptura. Sed de hoc aliàs.

Dices denique. Non est aliquid repugnans Verbo, quòd possit mori, & moriatur secundùm humanitatem assumptam. Ergo nec est aliquid ipsi repugnans, quòd secundùm eamdem humanitatem assumptam possit peccare, & peccet. *R.* neg. conseq. Nam quòd Verbum verè ac propriè dicatur posse mori, & mori secundùm humanitatem assumptam, non est aliquid ipsum positivè dedecens, nec oppositum sanctitati ejus, aut alteri attributo divino. At in æstimatione prudenti Verbum positivè dedecet, & sanctitati ejus adversatur, quòd verè ac propriè dicatur posse peccare, & peccare etiam secundùm naturam creatam, ipsi unitam hypostaticè, adeoque simpliciter dici possit posse peccare, & peccare, quia quod secundùm naturam assumptam potest, hoc simpliciter potest.

2. Si humanitas Christi præceptum aliquod divinum transgressa esset, Verbum peccasset non solùm secundùm voluntatem humanam, sed etiam secundùm divinam: ita ut in Christo fuissent duo peccata, unum voluntaris humanæ, & alterum divinæ. Atqui absolutè implicat, ut Verbum peccet secundùm voluntatem divinam. Ergo, &c. Minor constat. *Prob. seq. maj.* Quia quandiu unio hypostatica perseverat, tandiu voluntas divina tenetur humanam dirigere, & impedire ne peccet: ex duabus enim voluntatibus, in eodem supposito convenientibus, superior tenetur inferiorem regere, & ejus peccatum impedire, quantùm potest; ita ut non impediendo, cùm potest, ipsa etiam peccet secundùm se. Ergo voluntate humana Christi peccante, peccasset etiam voluntas divina, quia peccatum voluntatis humanæ impedire potuisset, & tamen non impedisset, adeoque humanitate Christi præceptum aliquod transgrediente, Verbum peccasset, non solùm secundùm voluntatem humanam, sed etiam secundùm divinam, & sic Verbum non solùm peccasset ut homo, sed etiam ut Deus.

Dices. 1. Quando duæ naturæ in eodem supposito conveniunt, tunc tantùm natura superior tenetur regere inferiorem, quando inferior propriam libertatem non habet. *R.* hoc esse falsum: ad hoc enim ut ex duabus naturis, una alteram regere teneatur, sufficit, quòd sit superior altera, & cum ea conveniat in eodem supposito: nam hoc ipso altera ei in operando subordinatur, tanquam aliquid, cujus regimen ad eam specialiter attinet: & suppositum, in quo duæ illæ naturæ conveniunt, tenetur inferiorem regere per superiorem.

Dices 2. Dus non tenetur impedire peccata hominum justorum: unde hominum justorum peccata nec imputantur, nec imputari possunt Deo. Ergo Verbum non tenebatur impedire peccata naturæ assumptæ, &c. *R.* neg. cons. Disparitas est, quia respectu hominum justorum, & aliorum, Deus est tantùm causa universalis, quæ non ita tenetur causas particulares regere, ut earum defectus impedire teneatur: at respectu naturæ assumptæ Verbum habet se ut suppositum, ac proinde ut principium quod, & causa parti-

cularis omnium ejus actionum: unde omnes ejus actiones, ut speciatiter suas, sibique proprias, curare & ordinare tenebatur, & eas non curando nec ordinando, peccasset.

Dices 3. Humanitate Christi peccante; Verbum non peccasset secundùm se: sicut humanitate Christi actus meritorios exercente, Verbum non merebatur secundùm se, & humanitate Christi moriente Verbum non moriebatur secundùm se. *R.* Humanitate Christi actus meritorios exercente, Verbum non merebatur secundùm se præcisè, sed secundùm se simul & humanitatem suam: Christus enim merebatur ut homo Deus, ut homo exercens actus meritorios, & actus meritorios, quos exercebat ut homo, infinitè dignificans ut Deus. Moriente humanitate Christi Verbum non moriebatur secundùm se, quia non moriebatur secundùm naturam divinam, sed solum secundùm naturam assumptam: Humanitate Christi præceptum aliquod divinum transgrediente, Verbum peccasset non solùm secundùm naturam assumptam, sed etiam secundùm se, quia non solùm peccasset secundùm voluntatem humanam, sed etiam secundùm voluntatem divinam, quæ peccatum voluntatis humanæ, quod impedire tenebatur, non impedivisset.

Dices 4. In divinam voluntatem obligatio non cadit. Ergo nec tenetur, nec teneri potest ad regendam modo supra dicto voluntatem humanam, quamvis in eodem supposito cum ea convenientem. *Resp.* dist. ant. In divinam voluntatem non cadit obligatio strictè sumpta. *C.* ant. nam hæc obligatio oritur ex lege, & voluntas divina non habet superiorem, cujus lege ligari possit. Non cadit obligatio latè sumpta, orta scilicet ex ipsa natura voluntatis divinæ, quæ cùm sit essentialiter recta, ab eo quod rectum & honestum est, deviare non potest, N. ant. Item non cadit obligatio latè sumpta, orta ex ipsa rerum exigentia & natura, Neg. iterùm ant. & conseq. Itaque sicut Deus tenetur ad non mentiendum, vel, si vis, hoc sibi debet ut non mentiatur, quia mentiri inhonestum est per se & intrinsecè: ita Verbum tenetur regere naturam sibi hypostaticè unitam, vel, si vis, hoc sibi debet, ut regat naturam sibi hypostaticè unitam, quia suppositum naturam suam non regere, per se & intrinsecè inhonestum est.

Dices 5. Voluntas divina tribus personis communis est, & Pater ac Spiritus sanctus non tenentur regere humanitatem Christi. Ergo nec ad id tenetur Verbum. *R.* neg. conseq. Nam voluntas divina sic tribus personis communis est, ut sit singularum propria, sicque quatenus est propria unius personæ, aliquam habere potest obligationem, quam non habeat, quatenùs propria est personarum aliarum: quare voluntas divina, quatenus est in Verbo, non verò quatenùs est in aliis duabus personis, tenetur regere humanitatem, à Verbo assumptam: unde si per impossibile, voluntas divina humanitatem hanc peccare permisisset, solum Verbum etiam secundùm voluntatem divinam peccasset, quanquam peccati hujus à Verbo commissi turpitudo & infamia in æstimatione morali redundasset etiam in Patrem, & Spiritum sanctum, propter summam trium personarum in natura divina identitatem.

Prob. 3. Divinitas humanitati Christi hypostaticè unita summè sanctificat illam in ordine creato, seu in ordine sanctificationis participatæ: divinitas enim in hoc ordine non potest meliùs & perfectiùs participari, quàm participatur ab humanitate Christi. Ergo divinitas, humanitati Christi tantam tribuit sanctitatem, quanta esse potest in ordine creato, seu in ordine sanctitatis participatæ. Ergo divinitas humanitati Christi tribuit totam sanctitatem, quæ in ordine creato seu in ordine sanctitatis participatæ ex conceptu suo non repugnat. Atqui ex conceptu suo non repugnat creatura ita per participationem sancta, ut etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, omne peccatum, sive mortale, sive veniale, repugnet illi in sensu composito formæ sanctificantis. Ergo revera humanitas Christi repugnantiam hanc habet à divinitate sibi unita hypostaticè: adeoque stante unione illa, nequidem de potentia Dei absoluta contingere potuit ut peccaret. Ex his

Nota. 1. Humanitas Christi habet formaliter à divinitate repugnantiam cum omni peccato etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam; unde ipsa divinitas est formalis repugnantia humanitatis Christi cum omni peccato, &c.

2. Consequenter humanitas Christi habet formaliter à divinitate de potentia Dei etiam absoluta, infrustrabilem exigentiam, non solùm auxiliorum, quibuscum bonum semper vellet, & ageret; sed etiam, quod adhuc melius erat, ac perfectius, physicæ prædeterminationis ad bonum, & negationis concursus omnis, necessarii ad potentiam completam & expeditam ad malè agendum: unde divinitas ipsa est in humanitate Christi non solùm auxiliorum, quibuscum bonum, &c. sed etiam physicæ prædeterminationis ad bonum in genere, & negationis concursus omnis, &c. exigentia formalis, de potentia Dei etiam absoluta infrustrabilis.

3. Et ita humanitas Christi est formaliter, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, impeccabilis per divinitatem: unde divinitas ipsa est formalis, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, substantialis impeccabilitas humanitatis Christi.

4. Hinc humanitas Christi habet impeccabilitatem longè superiorem impeccabilitate intrinseca beatorum, posita in visione & amore beatifico, & impeccabilitate extrinseca confirmatorum in gratia orta ex decreto, quo Deus illos à peccato præservare decrevit efficaciter.

5. Habet nihilominus humanitas Christi impeccabilitatem, impeccabilitate Dei longè inferiorem, quamvis sit impeccabilis per eandem formam, qua Deus impeccabilis est, nempe per divinitatem. Ratio est, quia humanitas Christi non est impeccabilis divinitate per essentiam, sicut Deus est, sed tantùm per participationem, eò quòd divinitatem non habeat per identitatem, sicut Deus habet, sed solùm per unionem contingentem, quippe quæ posset non esse: est tamen humanitas Christi intrinsecè ac substantialiter impeccabilis divinitate: quia divinitas non per aliquid creatum, sui imitativum, sed se ipsa humanitatem Christi, sibi intrinsecè ac substantialiter unitam, efficit impeccabilem. Sed ut hæc omnia meliùs intelligas,

Nota. 6. Divinitas, substantialiter unita humanitati Christi, respectu illius, habet se, seclusis imperfectionibus, ad modum formæ intrinsecæ, illam substantialiter sanctificantis, cujus formæ effectus formalis primarius est substantialis participatio esse divini: effectus verò formales secundarii sunt amabilitas summa in ordine creato, dignitas ad dona supernaturalia majora & majora in infinitum, dignitas ad gloriam, gloria qualibet finita majorem, denique repugnantia cum omi peccato, & absolutè infrustrabilis exigentia prædeterminationis ad bonum, & negationis concursus omnis necessarii ad potentiam expeditam peccandi; quæ potentia Christo nec necessaria, nec utilis fuit ad opus redemptionis nostræ.

Dices. Humanitas Christi non potuit quidem peccare in sensu composito unionis hypostaticæ, at potuit in sensu diviso illius; ita ut primum esse peccati esset primum non esse unionis, & eodem instanti reali, quo peccasset, posteriùs natura desiisset unio propter peccatum, ut accidit in homine justo peccante. Sed contra est. 1. Si ita est, humanitas Christi non magis fuit impeccabilis, quàm quilibet homo justus: nam homo justus non potest peccare in sensu composito gratiæ habitualis, sed tantùm in sensu diviso, eo scilicet modo, quo hic asseritur de humanitate Christi. Atqui quòd Christus ut homo non magis fuerit impeccabilis, quam quilibet purus homo justus, dici non potest sine manifesta absurditate. Ergo, &c.

Contra est 2. Quia si ita est, humanitas Christi re ipsa non fuit impeccabilis: nam non posse

pecca-

peccare in sensu composito unionis, sed tantum in sensu diviso, ut hic intelligitur, nihil aliud est, quàm non posse conjungere peccatum cum unione, seu cum peccato retinere unionem: sicut in quolibet homine justo non posse peccare in sensu composito gratiæ habitualis, sed tantùm in sensu diviso, nihil aliud est, quàm non posse conjungere peccatum cum gratia habituali, seu cum peccato retinere gratiam habitualem.

Contra est 3. Quia si ita est, unio hypostatica pendebat in conservari, ac proinde in esse ab actionibus humanitatis, & humanitas priùs naturâ operabatur, quàm esset unita Verbo. Sed hoc est falsum: nam substantia quælibet natura saltem prius subsistit in se, vel in alio, quàm operetur. Ergo humanitas Christi priùs saltem natura subsistebat in Verbo, quàm operaretur. Ergo prius saltem natura, quàm operaretur, unita erat Verbo. Ergo unio hypostatica priùs saltem natura existebat, quàm quælibet operatio humanitatis, adeoque existebat independenter, & antecedenter ad quamlibet operationem humanitatis.

ARTICULUS III.

Utrùm voluntas humana Christi elicere potuerit actum minùs perfectum, omisso perfectiori, sibi possibili.

Responsio I.

HUmanitas Christi potuit potentia saltem physica elicere actum minùs perfectum, omisso perfectiori, sibi possibili.

Prob. breviter. Nam si Christus, ut homo non potuit potentia saltem physica, actum minùs perfectum elicere, omisso perfectiori, sibi possibili, fuit antecedenter ac physicè determinatus intrinsecè ad actum perfectiorem. Falsum cons. Ergo, &c. Seq. maj. per se patet. *Prob. min.* Nam si Christus fuit antecedenter ac physicè determinatus intrinsecè ad actus perfectiores, eliciendo actus perfectiores, & in quibuslibet circumstantiis optimum semper eligendo, non fuit dignus laude, gratitudine, & præmio, quod est falsum, & absurdum. Ergo, &c.

Dices 1. Quantumvis supponatur Christus fuisse antecedenter ac physicè determinatus intrinsecè ad optimum, potuit tamen inter actus optimos eligere hunc vel illum, quorum neuter erat melior altero, sicque unum elegit liberè, cùm posset illum non eligere, sed alterum. Ergo unum eligendo præ altero, laude, gratitudine ac præmio dignus fuit. Ergo Christus potuit cum antecedenti ac physica ad optimum determinatione intrinseca, habere libertatem, ad laudem, gratitudinem & præmium sufficientissimam. *R.* neg. utramque conseq. Ratio negandi est, quia libertas eligendi hunc vel illum actum ex duobus planè similibus, vel æqualibus, est quidem libertas in genere physico; at non est libertas in genere moris, & qualis in prudenti æstimatione requiritur ad laudem, gratitudinem & præmium.

Dices 2. Atqui ad libertatem in genere moris non requiritur libertas inter inæqualia, sed libertas inter æqualia sufficit. Nego. *Probabis.* Deus non est activè indifferens ad actus inæquales; omnes enim actus divinæ voluntatis sunt infinitè honesti; & tamen Deus operatur honestè ac laudabiliter in genere moris, determinando se ad hunc actum, potiùs quàm ad alium æquè bonum ac perfectum, ad quem poterat se determinare. Ergo, &c. *R.* neg. conseq. Deus enim non est quidem indifferens ad actus inæquales, propter rationem datam; at est indifferens ad objecta inæqualia. Deus itaque operatur honestè & laudabiliter in genere moris, eligendo hoc objectum, quia licet non possit habere actum minùs bonum, posset tamen eligere objectum minùs bonum: unde actus ejus honestus est & laudabilis in genere moris, quia eligit objectum magis bonum, cùm posset minus bonum eligere.

Nota. Ad honestatem & laudabilitatem in genere moris, requiritur, & sufficit inæqualitas in actibus, vel in objectis, ex quibus unum præ alio potest eligi: Unde ubi neque in actibus, neque in objectis reperitur inæqualitas, ibi nullum prorsus est fundamentum laudis, & imputabilitatis in genere moris.

Dices 3. Ipsa bonitas formalis actus, quo Deus eligit objectum aliquod, illi tribuitur, & imputatur ad laudem in genere moris. Ergo Deus honestè ac laudabiliter in genere moris operatur, præcisè quia ponit actum bonum, quamvis hoc actu, vel alio æquè bono carere non possit. *R.* neg. conseq. Ratio negandi est, quia bonitas ipsa actus, quo Deus eligit objectum aliquod, ideò illi ad laudem in genere moris tribuitur, quia objectum illud, quod per actum eligit, melius est objecto alio, quod posset eligere; vel, si vis, quod idem est, quia per actum, objectum melius minùs bono anteponit liberè.

Dices 4. Actus quo Deus eligit objectum melius, cùm posset eligere minùs bonum, non est melior nec perfectior, quàm actus alius, quo objectum minùs bonum eligeret. Ergo gratis dicitur Deus operari honestè & laudabiliter in genere moris, eò quòd eligit objectum melius, cùm posset minùs bonum eligere. *Probabis ant.* Quia omnes actus divinæ voluntatis æqualem habent bonitatem ac perfectionem, cùm omnes sint infinitè boni ac perfecti.

R. neg. conseq. Itaque quamvis actus, quo Deus eligit objectum melius, non sit melior ac perfectior actu alio, quo minùs bonum eligeret, ut probatum est, habet tamen honestatem & laudabilitatem in genere moris, quam non haberet actus alius, quia majorem habet bonitatem objectivam, vi cujus haberet etiam majorem bonitatem formalem, si possibilis esset. Unde per actum illum Deus rectè dicitur operari honestè ac laudabiliter, non solùm in genere physico, sed etiam in genere moris: is enim rectè censetur operari honestè ac laudabiliter in genere moris, qui liberè eligit majorem bonitatem objectivam, atque ita majus ad laudem fundamentum ponit liberè, quantùm est ex parte objecti, licèt non ponat majus, quantùm est ex parte actus; quia possibile non est, eò quòd actus ejus omnes essentialiter habent æqualem bonitatem, ac perfectionem formalem in genere physico.

Dices 5. Si imputatur Deo ad laudem in genere moris, quòd eligat objectum melius, quamvis actus quo eligit, non sit melior ac perfectior; debet quoque ei imputari ad vituperium aliquod, si eligat objectum minùs bonum, quamvis actus non sit minùs bonus. *R.* neg. seq. Nam si Deus esset aliquo modo vituperandus, eò quòd eligeret objectum minùs bonum, vel quia peccaret, vel quia saltem moraliter deficeret, bonum minus majori præferendo. Neutrum dici potest. Non primum, ut per se clarum est. Non etiam secundum: nam ille moraliter deficere dicitur, qui voluntariè caret actu meliori ac perfectiori, quem posset habere. At Deus minus bonum eligendo, non sic careret actu aliquo melior ac perfectiori, quem habere posset, eligendo scilicet bonum majus: actus enim quo Deus minus bonum eligit, tam bonus ac perfectus est in genere physico, quàm bonus ac perfectus esset actus quo eligeret bonum majus; cùm in genere physico sit infinitè bonus ac perfectus.

At inquies. Actus, quo Deus eligeret minus bonum, non haberet honestatem ac laudabilitatem in genere moris, quam haberet actus, quo majus bonum eligeret. Ergo Deus eligendo minus bonum, voluntariè careret aliqua perfectione, quam habere posset eligendo bonum majus, adeoque deficeret moraliter, & sic aliquo modo vituperandus esset. *R.* neg. conseq. Ratio est, quia honestas & laudabilitas in genere moris, quam haberet actus, quo Deus majus bonum eligeret, nullam perfectionem & bonitatem dicit supra bonitatem ac perfectionem in genere physico, quam haberet actus quo Deus eligeret minus bonum: unde ex eo quòd actus aliquis divinæ voluntatis

tatis non habet honestatem & laudabilitatem in genere moris, vel quia necessarius est, vel quia non tendit in majus bonum; non minùs bonus ac perfectus est, nec minùs voluntatem divinam perficit, ut patet ex amore quo Deus se ipsum diligit, cui nihil bonitatis ac perfectionis deest, ex eo quòd, quia summè necessarius est, caret honestate & laudabilitate in genere moris.

Dices denique. Objecta omnia habent æqualem bonitatem respectu Dei *R.* neg. Unum enim magis Deum decet, quàm aliud, & unum majorem habet vim alliciendi amorem Dei, quàm aliud: quamvis Deus pro arbitrio suo, & absque omni vituperabilitate, possit illud eligere, quod minorem habet decentiam, & minorem vim alliciendi amorem divinum. Porrò cùm Deus in operibus suis ad extra potuerit eligere longè minora iis, quæ re ipsa elegit, omnes actus liberi divinæ voluntatis non solùm in genere physico, sed etiam in genere moris, infinitè honesti sunt, ac laudabiles.

Responsio II.

Christus, ut homo, potuit etiam potentia morali, elicere actum minùs perfectum, omisso perfectiore.

Prob. Nam si non potuit, maximè quia voluntas ejus humana fuit antecedenter, per visionem & amorem beatificum determinata & necessitata moraliter ad actum perfectiorem, & ad semper eligendum optimum. Sed hæc ratio est falsa: nam actus boni ac meritorii Christi viatoris, de quibus hic agitur, & quos Christus ex prævia cognitione scientiæ supernaturalis eliciebat, erant natura priores, quàm actus Christi, ut comprehensoris; nempe visio & amor beatificus. Ergo erant à visione & amore beatifico planè independentes: quod enim est natura prius, non potest ullo modo dependere ab eo, quod est natura posterius. Ergo voluntas humana Christi nullo pacto per visionem & amorem beatificum determinari & necessitari poterat ad actus illos.

Antecedens, in quo est tota difficultas, defenditur à pluribus Doctoribus, tam veteribus, quàm recentioribus, & sic probari potest. Quia Christus, ut homo, quandiu viator fuit, visionem & alios actus beatificos habuit non solùm titulo debiti connaturalis propter unionem hypostaticam, & sanctitatem substantialem, sed etiam titulo præmii ac mercedis: ita ut visionem cum aliis actibus beatificis à primo instanti conceptionis acceperit, & sequentibus retinuerit propter actus bonos ac meritorios, quos ut viator singulis momentis exercuit: melius enim fuit, & gloriosius Christo, habere ex merito, quàm sine merito, id quod ex merito habere potuit. Ergo actus boni ac meritorii Christi, ut viatoris, fuerunt natura priores visione & amore beatifico: meritum enim saltem natura præcedit mercedem. Sed dato quòd actus meritorii Christi ut viatoris, non fuerint natura priores actibus ejus, ut comprehensoris, sic

Adhuc argumentor. Gratis dicitur voluntas humana Christi fuisse per visionem & amorem antecedenter determinata ac necessitata moraliter ad actum perfectiorem, & ad eligendum optimum. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam si voluntas humana Christi fuit per amorem beatificum sic determinata ac necessitata moraliter ad actum, &c. maximè, ut contendunt adversarii, propter difficultatem ad oppositum, ortam ex ipso amore beatifico, & tantam, ut non posset moraliter superari propter imbecillitatem potentiæ: sed hoc gratis asseritur. Ergo, &c.

Prob. min. Nam dato quòd voluntas humana Christi propter amorem beatificum tale ad actum perfectiorem & ad optimum, pondus habuerit, cui moraliter non posset resistere potentia non confortata, quæ idcircò tantam ad actum imperfectiorem, & ad non optimum difficultatem passa sit, ut eam superare non posset moraliter; at potuit voluntas humana Christi à Deo confortari, & dico ita re ipsa confortatam esse contra amoris beatifici pondus, ut ei resistere moraliter posset, si vellet; & hoc dico, quia necessitas moralis in Christo ad actum perfectiorem & ad optimum, orta ex amore beatifico, qui necessarius fuit, videtur non parùm obfutura fuisse actuum Christi viatoris laudabilitati in genere moris.

Porrò Deus voluntatem humanam Christi contra pondus amoris beatifici confortavit, non per pondus oppositum, seu per actum vitalem, quo voluntas humana Christi indeliberatè propenderet ad actum imperfectiorem, & ad non optimum, sed per concursum prævium, seu physicam præmotionem, qua voluntas humana Christi ita complebatur, & accingebatur ad eligendum vel non eligendum actum perfectiorem, ut moraliter posset illum eligere vel non eligere, illumque absque omni necessitate eligeret. Physica autem illa præmotio, activè sumpta, erat omnipotentia divina, se ipsa immediatè agens in voluntatem humanam Christi: sumpta verò passivè, erat ipsa voluntas humana Christi, tali modo se habens se ipsa formaliter vi actionis divinæ in ipsa, seu vi actionis divinæ in ipsam se ipsa formaliter sic completa, & accincta ad operandum.

At inquies. Deum non decebat, ut sic voluntatem humanam Christi compleret, ut ponderi amoris beatifici moraliter posset resistere. *R.* neg. Itaque Deum, & quidem maximè, decebat sic voluntatem humanam Christi complere per præviam actionem in illam, videlicet ut sic completa, posset se ipsa laudabiliter in genere moris ac meritoriè determinare ad actus perfectiores, & ad optimum. Sed

Nota pro sequenti propositione. Duplex distingui potest vituperabilitas in genere moris. Prima est ea, quæ oritur ex actu malo, sive mortali, sive veniali. Qui enim peccat, sive mortaliter, sive venialiter tantùm, proculdubio vituperabilis est. Secunda oritur ex carentia moralis perfectionis, quam quis potest habere; & tamen eam liberè non habet: nam qui liberè omittit actum perfectiorem, quem potest elicere, dignus est vituperio aliquo, illique exprobrari potest, quòd actum imperfectiorem eliciat, omisso perfectiori, quem posset elicere; præsertim si æquè facilè elicere posset perfectiorem: quare cùm omnis vituperabilitas in genere moris sit macula, vel fundetur in macula ejusdem generis, duplex distingui potest macula in genere moris; una scilicèt, quæ consistit in actu malo, sive mortali, sive veniali; altera verò, quæ consistit in carentia perfectionis moralis, quam quis potest habere, & tamen liberè eam non habet. Hoc præsuppositio, sit

Responsio III.

Humanitas Christi sic potuit, etiam moraliter, actum minùs perfectum elicere omisso perfectiori, ut tamen habuerit exigentiam absolutè infrustrabilem assistentiæ specialis, vi cujus semper & infallibiter actum perfectiorem eliceret, omisso minùs perfecto, & optimum eligeret.

Prob. 1. Quia, ut supra probatum est divinitas tenebatur regere humanitatem Christi. Ergo humanitas Christi non potuit incurrere vituperabilitatem aliquam, & maculam in genere moris, quin eandem incurreret divinitas. Sed humanitas Christi, non eligendo optimum, & actum eliciendo imperfectiorem, perfectiori omisso, incurrisset vituperabilitatem, & maculam aliquam in genere moris, ut patet ex notabili posito. Ergo eandem incurrisset divinitas. Atqui simpliciter repugnat divinitatem, vituperabilitatem & maculam aliquam in genere moris incurrere. Ergo simpliciter etiam repugnabat, humanitatem Christi non eligere optimum, & actum imperfectiorem, omisso perfectiori, elicere; repugnabat, inquam, propter regimen ipsi debitum à divinitate; adeoque vi hujus regiminis, sibi à divinitate debiti, humanitas Christi vel fuit antecedenter determinata intrinsecè ad actum perfectiorem, & ad optimum; quod dici non posse supra probatum est: vel habuit infrustrabiliter specialem assistentiam, vi cujus semper & infallibiliter eliceret actum perfectiorem, & optimum eligeret. Ergo revera, &c.

Prob.

Prob. 2. Sanctitas substantialis humanitatis Christi, ut patet ex supra dictis, summa fuit in ordine creato, seu in ordine sanctitatis participatæ. Ergo fuit incompossibilis cum omni viruperabilitate & macula in genere moris; alioquin non fuit summa. Ergo fuit incompossibilis cum omissione actûs perfectioris, & electione non optimi. Ergo humanitas Christi propter sanctitatem suam substantialem, vel fuit physicè prædeterminata ad actum perfectiorem, & ad optimum, quod est falsum; vel infrustrabiliter habuit specialem assistentiam, vi cujus semper & infallibiliter, &c. Ergo reverà specialem illam assistentiam habuit infrustrabiliter.

Dices 1. Ex nobis, repugnabat simpliciter, humanitatem Christi elicere actum imperfectiorem, omisso perfectiori. Ergo neque moraliter, neque physicè poterat actum imperfectiorem, perfectiori omisso, elicere. *R.* dist. ant. Repugnabat simpliciter humanitatem Christi elicere, &c. propter antecedentem aliquam determinationem intrinsecam ad ponendum actum perfectiorem, vel propter defectum alicujus prærequisiti ad ponendum actum illum, N. ant. Repugnabat humanitatem Christi elicere, &c. propter regimen ipsi debitum, & infrustrabilem specialis assistentiæ exigentiam, quam habebat formaliter & immediatè à sua sanctitate substantiali, C. ant. & dist. cons. Ergo actum imperfectiorem, perfectiori omisso, elicere non potuit potentia, quæ sibi relicta esset, aut etiam relinqui posset, C. conseq. Potentia, quæ nec sibi relicta esset, nec reliqui posset, quia infrustrabiliter exigebat specialem assistentiam, vi cujus semper & infallibiliter actum perfectiorem, imperfectiori repudiato, eliceret, N. conseq.

Dices 2. Repugnantia illa, quàm secundùm nos habuit humanitas Christi ad actum imperfectiorem; fuit antecedens. Ergo vi illius, humanitas Christi fuit antecedenter determinata ad actum perfectiorem. *R.* dist. ant. Repugnantia illa, quem secundùm nos, &c. fuit antecedens, & fundata in aliquo voluntati humanæ Christi intrinseco, quo modus illius operandi immutaretur, & ad unum ipsa applicaretur irresistibiliter, N. ant. Repugnantia illa, quem secundùm nos, &c. fuit antecedens, & fundata in aliquo, intrinseco quidem voluntati humanæ Christi, nempe in divinitate humanitati Christi compositivè intrinseca, sed solùm per se ipsam formaliter tribuente infrustrabilem specialis assistentiæ exigentiam, & jus infrustrabile ad auxilia planè infallibilia simul & repudiabilia, C. ant. & N. conseq.

Dices 3. Si humanitas Christi habuit repugnantiam illam, quam ei attribuimus, non habuit concursum divinum, paratum ad actum imperfectiorem: nam Deus non potuit velle concurrere ad actum implicantem. Ergo si humanitas Christi habuit repugnantiam illam, quam ei attribuimus, nequidem physicam, actum imperfectiorem eliciendi potentiam habuit. *R.* neg. ant. *Ad probationem* dist. Deus non potuit velle concurrere ad actum, repugnantem ratione sui, aut ratione potentiæ, C. Ad actum repugnantem præcisè ratione alicujus exigentis infrustrabiliter omissionem ejus, & quidem liberam, meritoriam, & laudabilem in genere moris, N. Cùm enim ad talem actus illius omissionem necessaria sit facultas completa & expedita ad ponendum, vel non ponendum actum illum, necesse est, ut Deus paratus sit ad actum illum concurrere, adeoque ut Deus possit velle ad actum illum concurrere.

Ex dictis hactenùs intelligitur, Christum, ut hominem, non habuisse quidem indefectibilitatem physicam, quæ consistit in antecedenti & intrinseca determinatione ad actus perfectiores, & ad optimum, sed habuisse indefectibilitatem moralem, seu indefectibilitatem juris, quæ tamen hominem denominat simpliciter indefectibilem: qui enim jus habet infrustrabile ad specialem assistentiam, vi cujus semper & infallibiliter eliciet actum perfectiorem, & optimum eliget, rectè dicitur, & est simpliciter indefectibilis, etiam in sensu composito potentiæ moralis eliciendi actum imperfectiorem, & eligendi non optimum: nam hæc potentia, cum jure infrustrabili ad specialem assistentiam, &c. conjuncta, impeditur per jus illud, ne voluntatem denominet defectibilem.

At inquies. Quid est, voluntatem esse defectibilem in genere moris, seu voluntatem posse in genere moris deficere, nisi voluntatem posse actum imperfectiorem, perfectiori liberè omisso, elicere, & non optimum eligere posse? *R.* Voluntatem esse defectibilem in genere moris, seu voluntatem posse in genere moris deficere, est voluntatem posse elicere actum minùs perfectum, omisso, &c. nec habere jus infrustrabile ad specialem assistentiam, vi cujus, seu, quod idem est, jus infrustrabile ad auxilia congrua, quibuscum semper & infallibiliter eliceret actum magis perfectum, repudiato minùs perfecto, &c.

At inquies iterum. Si Christus, ut homo, non habuit indefectibilitatem physicam, sed moralem tantum, & juris, dici quoque potest, & debet, non impeccabilitatem physicam, sed moralem tantùm & juris habuisse. Ergo perperam à nobis art. sup. Christo, ut homini, attributa est physica impeccabilitas. *R.* neg. ant. Ratio disparitatis est, quia cum impeccabilitate physica stat libertas in genere moris, & potentia exercendi actus meritorios ac laudabiles in genere moris: unde melius fuit Christo, ut homini, esse impeccabilem impeccabilitate physica, quàm esse impeccabilem impeccabilitate morali & juris tantùm: nam plus est, aliquem esse impeccabilem physica impeccabilitate, quàm esse impeccabilem impeccabilitate tantùm morali & juris.

E contra verò indefectibilitas physica libertatem in genere moris ab humana voluntate Christi excluisset, nec cum tali indefectibitate actus meritorios & laudabiles in genere moris exercere potuisset voluntas humana Christi: unde melius fuit Christo, ut homini, esse indefectibilem indefectibilitate morali & juris, quàm esse indefectibilem physica indefectibilitate: nam Christus, ut homo, indefectibilitate morali & juris, fuit simpliciter indefectibilis, simulque potuit actus meritorios & laudabiles in genere moris exercere.

At inquies denique. Sanctitas substantialis Christi, ut hominis, secundùm nos, incompossibilis fuit cum potentia bene vel malè agendi. Ergo pariter incompossibilis fuit cum potentia eliciendi actum magis perfectum, vel minùs perfectum. *R.* neg. cons. Itaque sanctitas substantialis Christi, ut hominis, incompossibilis fuit cum potentia bene vel malè agendi: quia hæc potentia Christo, ut homini, necessaria non fuit ad exercendos actus meritorios & laudabiles in genere moris, & ita cum impotentia peccandi voluntas humana Christi sanctior ac perfectior fuit sine detrimento libertatis ad merendum requisitæ. Sanctitas substantialis Christi, ut hominis, incompossibilis non fuit cum potentia etiam morali actum perfectiorem vel imperfectiorem eliciendi, quia hæc potentia Christo, ut homini, ad exercendos actus meritorios & laudabiles in genere moris, necessaria fuit, atqui ita absque hac potentia habere non potuit libertatem in genere moris, quacum proculdubio incompossibilis non fuit substantialis ejus sanctitas.

ARTICULUS IV.

Utrùm Christus, ut homo, habuerit liberum arbitrium.

Responsio.

CHristus, ut homo, habuit liberum arbitrium, seu libertatem non solùm à coactione, sed etiam à simplici necessitate.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Isaiæ cap. 7. *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum:* quæ verba ad Messiam manifestè pertinent. Et ejusdem cap. 53. de eodem Messia dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Denique Christus

ſtus ipſe, Joan. cap. 10. ſic ait: *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à me ipſo, &c.*

Prob. 2. ex Patribus, pro quibus omnibus hic ſufficiet Auguſtinus tract. 37. in Joan. ubi ad hæc verba, *Nemo apprendit eum, quia nondum venerat hora ejus*, ſic ait: *Audi, ſtulte*, Nondùm venerat hora ejus, *non qua cogeretur mori, ſed qua dignaretur occidi.* Et inferiùs: *Quandiu voluit, inter homines vixit; quando voluit, à carne diſceſſit. Hoc eſt poteſtatis, non neceſſitatis. Hanc ergo horam ille expectabat, non fatalem, ſed opportunam, & voluntariam .... Quomodo ſub fati neceſſitate poſitus erat, qui alio loco dixit:* Poteſtatem habeo ponendi animam meam? &c.

Et lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 15. ubi loquens de Chriſto, hæc habet: *Numquid metuendum fuit, ne accedente ætate, homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato ſervire non poterat?*

Prob. 3. authoritate S. Thomæ, ſic loquentis q. 29. de veritate, art. 6. ad 1. *Licèt anima Chriſti eſſet determinata ad unum ſecundum genus moris, ſcilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum ſimpliciter: poterat enim hoc vel illud facere, & non facere. Et ideò libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad merendum.* Et hic q. 18. art. 4. ad 3. *Voluntas Chriſti, licèt ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc, vel ad illud bonum. Et ideò pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium, confirmatum in bono, ſicut ad beatos.*

Prob. 4. ratione. Quia libertas indifferentiæ eſſentialiter requiritur ad meritum. Sed Chriſtus, ut homo, dum eſſet in via, meritus eſt. Ergo Chriſtus, ut homo, indifferentiæ libertatem habuit, adeoque non ſolùm à coactione, ſed etiam à ſimplici neceſſitate circa plurimos actùs ſuos immunis fuit. Minor eſt de fide. Major verò prob. breviter hic. 1. Ex S. Hieronymo, ſic loquente lib. 2. contra Jovinianum: *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt.* 2. Authoritate Innocentii, damnantis ut hæreticam hanc Janſenii propoſitionem: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Nam hæc verba, *In ſtatu naturæ lapſæ*, non ſunt reſtrictiva, ſed ampliativa, perindeque eſt ac, ſi diceretur, Etiam in ſtatu naturæ lapſæ; ut patet ex eo, quòd Summus Pontifex intendat damnare doctrinam Janſenii, aſſerentis libertatem indifferentiæ fuiſſe quidem in ſtatu naturæ innocentis, at non eſſe ampliùs in ſtatu naturæ lapſæ.

Obj. 1. S. Thomam in 3. diſt. 18. q. unica art. 2. ad 5. ubi ait: *Vel dicendum, quod etiamſi* (Chriſtus) *eſſet determinatus ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis ſive meriti, quia in illud non coactè ſed ſponte tendit: & ita eſt actus ſui dominus. R.* 1. S. Thomam reſponſioni illi eodem loco aliam hanc præmittere: *Liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad unum ſecundum numerum, ſed ad unum ſecundum genus, ſcilicet ad bonum, quia in malum non poteſt: ſed tamen hoc poteſt facere & non facere: & hoc non excludit libertatem arbitrii, quia poſſe peccare, nec eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, &c.* Quam reſponſionem refert, & referendo approbat S. Doctor q. 29. de veritate a. 6. ad 1. & in tertia parte q. 18. a. 4. ad 3. quibus in locis eandem ſolvit difficultatem. Cùm autem alterius reſponſionis, quæ nobis objicitur, neutro loco meminerit, hoc ſuo ſilentio eam revocaſſe, & improbaſſe cenſendus eſt.

R. 2. S. Doctorem in illa reſponſione, quæ nobis objicitur, ſupponere quòd Chriſtus ita determinatus fuerit ad actum dilectionis Dei, ut tamen fuerit omninò liber libertate indifferentiæ quoad modum actus, hoc eſt, ad hanc vel illam intenſionem actus; quod ſatis fuiſſe ad laudem & meritum, & ad hoc ut Chriſtus in actum ſuum liberè tenderet, & actus ſui dominus eſſe cenſeretur, exiſtimavit S. Doctor tunc, cùm in tertium Sententiarum ſcribebat, nec immeritò videtur exiſtimaſſe: nam qui Deum intenſiſſimè diligit, cùm poſſet remiſsè tantùm diligere, videtur omninò exercere actum meritorium & laudabilem in genere moris, quantumvis ſupponatur ad unum numero, nempe ad diligendum Deum, intrinſecè prædeterminatus eſſe: quamquam actus ejus magis meritorius ac laudabilior eſſet in genere moris, ſi omninò abſtinere poſſet ab actu diligendi Deum.

Obj. 2. Chriſtus habuit præſcientiam certam actuum omnium à ſe ponendorum. Sed cum tali præſcientia ſtare non potuit libertas indifferentiæ. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam Chriſtus per hanc præſcientiam actus ſuos futuros, & circumſtantias omnes, quibuſcum erant futuri, præſcivit, quia reipſa futuri, & cum talibus circumſtantiis futuri erant: unde præſcientia illa in Chriſto ratione poſterior fuit actibus, & omnibus actuum circumſtantiis, quarum fuit præſcientia: quare Chriſti actus futuri, & omnes circumſtantiæ quibuſcum erant futuri, ab hac præſcientia nullo modo dependere potuerunt; proindeque per hanc præſcientiam nullatenùs immutari modus operandi voluntatis humanæ Chriſti, & actuum ejus libertas impediri potuit.

Dices 1. Qui ſcit, aliquid eſſe determinatè & abſolutè futurum tali tempore, tali loco, &c. non poteſt efficaciter velle oppoſitum. Ergo Chriſtus, qui ſciebat, actus ſuos determinatè & abſolutè futuros eſſe tali tempore, tali loco, &c. non poterat velle efficaciter illorum oppoſitum, adeoque circa illos liber non erat libertate indifferentiæ. *R.* diſt. ant. Qui ſcit, aliquid, &c. ſi ſciat illud ita futurum eſſe independenter à libertate ſua, & ex mera determinatione aliena, C. ant. Si ſciat, illud ita futurum eſſe ex ſua libera determinatione, N. ant. talis enim ſcit, ſe poſſe velle efficaciter oppoſitum. Chriſtus autem præſciebat, actus ſuos determinatè & abſolutè futuros eſſe tali tempore, tali loco, dependenter à ſua libera determinatione, adeoque ſciebat, oppoſitum actuum ſuorum ſibi poſſibile eſſe. Poterat igitur in ſenſu compoſito præſcientiæ ſuæ, velle efficaciter oppoſitum actuum ſuorum.

Dices 2. Præſcientia Chriſti pariebat in eo judicium hoc: Quantumlibet coner in oppoſitum, hoc faciam, & non aliud. Ergo non poterat efficaciter velle oppoſitum. *R.* neg. ant. Itaque præſcientia Chriſti in eo non pariebat judicium hoc: Quantumlibet coner, &c. ſed illud: Conabor hoc facere, & non aliud, quamvis poſſem; & ita hoc faciam, & non aliud, quamvis poſſem aliud facere. Manifeſtum autem eſt, Chriſtum cum tali judicio potuiſſe illius, quod faciebat, oppoſitum velle efficaciter.

Dices 3. Chriſtus non ſolùm præſciebat actus ſuos futuros, ſed etiam eos à Deo Patre prædefinitos eſſe. Ergo præſciebat, actuum ſuorum oppoſitum eſſe ſibi impoſſibile. Ergo non poterat velle efficaciter oppoſitum actuum ſuorum: nemo enim velle poteſt efficaciter id, quod ſibi impoſſibile eſſe judicat.

Ad ſolutionem hujus difficultatis, *nota*. Deus dici poteſt, actum aliquem ſupernaturalem prædefinire duobus modis. Primus eſt, ſi per ſcientiam futuribilium præſciens, hominem cum tali medio de ſe repudiabili, ſi detur ei eliciturum eſſe talem actum, velit efficaciter talem actum, ut faciendum cum tali medio, de ſe repudiabili: ita ut nequidem ratione priùs velit talem actum ut faciendum, quàm velit illum ut faciendum cum tali medio de ſe repudiabili.

Secundus modus prædefiniendi eſt, ſi Deus per ſcientiam neceſſariam prænoſcens, ſe non poſſe non habere in theſauro omnipotentiæ ſuæ media, de ſe repudiabilia ſimul & congrua, quibus creaturam rationalem quamlibet ad quoslibet actus bonos permovere poſſit, velit, abſolutè & efficaciter talem actum ut libere faciendum ab homine, tum per ſcientiam futu-

futuribilium præsciens, hominem tali medio de se repudiabili, si accipiat illud, ad actum prædefinitum eliciendum permotum iri, velit in altero signo rationis, vi prædefinitionis factæ, medium illud homini conferre in tempore, ut actum prædefinitum exerceat. His præsuppositis.

Resp. Si actus Christi dicuntur fuisse primo modo prædefiniti, Christus præscire non potuit, actuum suorum oppositum sibi impossibile esse: nam sensus divisus prædefinitionis verè fuit in ejus potestate, quia in ejus potestate verè fuit scientia futuribilium, ex cujus directione facta est prædefinitio: verè enim potuit impedire, ne Deus præviderit, tales actus suos futuribiles esse sub conditione talium mediorum, de se repudiabilium, adeoque verè potuit impedire, ne Deus voluerit tales actus suos ut eliciendos per talia media de se repudiabilia. Cùm autem hæc omnia sciverit Christus, non potuit non scire, in hypothesi prædefinitionis primo modo factæ, possibile sibi esse actuum suorum oppositum.

Quòd si dicatur (ut plane videtur nobis dicendum, utpote magis consentaneum S. Augustini & S. Thomæ principiis) actus Christi secundo modo prædefinitos à Deo fuisse, sensus quidem divisus prædefinitionis hoc modo factæ non fuit in potestate Christi: & nihilominùs possibile illi fuit oppositum actuum prædefinitorum. Ratio est, quia Deus Pater actus Christi ut hominis scilicet, quod semper debet suppleri) non prædefinivit hoc secundo modo præcisè ut eliciendos, sed ut eliciendos liberè, & cum potentia completa ac expedita ad illos eliciendos, vel non eliciendos: undè vi prædefinitionis actuum illorum, futuritio non magis certa fuit & infallibilis, quàm possibilitas oppositi.

At inquies. Potentia illa completa ac expedita, quam Christo ut homini, ad eliciendos vel non eliciendos actus ejus attribuimus in sensu composito prædefinitionis secundo modo factæ, ad actum nec reducenda, nec reducibilis fuit. Ergo fuit potentia merè chymerica. *R.* neg. ant. & dico potentiam illam in sensu composito prædefinitionis secundo modo factæ, fuisse verè reducibilem ad actum.

At inquies. Si potentia illa in sensu composito prædefinitionis secundo modo factæ, fuit ad actum reducibilis, effectu suo frustrari potuit prædefinitio. Absurdum cons. nulla enim voluntas Dei absoluta & efficax, effectu suo frustrari potest. Ergo, &c. *Resp.* neg. seq. maj. Imò è contra si Christus non habuisset potentiam actus prædefinitos non eliciendi completam & expeditam, adeoque ad actum verè reducibilem, prædefinitio illa actuum Christi secundo modo facta, ex parte frustrata fuisset effectu suo, quia Christus actus prædefinitos non elicuisset liberè.

Ad hoc itaque ut Christus verè dicatur potuisse effectu suo frustrare prædefinitionem actuum suorum, etiam secundo modo factam, non sufficit, ut potentiam actus prædefinitos non eliciendi completam habuerit, ac expeditam, proindeque ad actum verè reducibilem; sed præterea requiritur, ut impedire potuerit, ne Deus in omnipotentiæ suæ thesauro media haberet de se repudiabilia, quibus voluntatem ejus efficaciter permovere posset. Atqui hoc Christo impossibile fuit. Ergo Christus ex eo quòd præcisè in sensu composito prædefinitionis actuum suorum secundo modo factæ, potentiam habuerit illos non exercendi, ad actum verè reducibilem, malè arguitur eum prædefinitionem illam effectu suo frustrare potuisse.

ARTICULUS V.

Utrùm Christus, ut homo, capax fuerit præcepti.

RESPONSIO.

CHristus, ut homo, capax fuit præcepti, etiam sub culpa obligantis.

Prob. Quia Christus, ut homo, habuit superiorem, nempe Deus, à quo potuit efficaciter dirigi & gubernari. Ergo superiorem habuit, à quo talem accipere potuit actuum suorum regulam, ut illi se conformare necessarium esset ad servandam morum honestatem. Atqui hujusmodi regula est præceptum rigorosum, & obligans sub culpa. Ergo, &c. 2. Humanitas Christi Deo subjecta fuit ut creatura rationalis ac libera. Atqui creaturæ rationalis ac liberæ propria subjectio consistit in eo, quòd subdatur præcepto superioris. Ergo Deus præcepta imponere potuit humanitati Christi. 3. denique Christus, ut homo, sicut veram humilitatem, ita & veram ac propriam habuit obedientiam. Sed vera ac propria obedientia locum non habet, nisi ubi intervenit præceptum sub culpa obligans. Ergo, &c.

Obj. Præceptis rigorosis inest non solùm vis directiva, sed etiam coactiva, ut hoc pacto subditi ad illorum observationem efficaciter induci possint. Ergo illi tantùm præcepti rigorosi capaces sunt, qui possunt subdi virtuti coactivæ. Ergo Christus, ut homo, præcepti rigorosi incapax fuit; cùm ei repugnaverit, virtuti coactivæ subdi. *R.* Præceptum rigorosum habet quidem non solùm vim directivam, sed etiam coactivam, at magno cum discrimine: habet enim primariò & essentialiter vim directivam, in eo positam, ut faciat actum, qui præceptus est, necessarium ad rectitudinem & honestatem morum; vim verò coactivam, seu pœnæ comminationem non habet, nisi secundariò, contingenter, & respectivè tantùm ad subditum transgressionis capacem: nam vis coactiva respectivè ad subditum incapacem transgressionis, inutilis est, quia subditus, transgressionis incapax, per solam vim directivam ad rem præceptam exequendam movetur, ac inducitur efficaciter.

Itaque ad hoc ut aliquis præcepti rigorosi capax sit, satis est, ut sit inferior, & subdi possit vi directivæ, sive etiam subdi possit vi coactivæ, sive non. Christus autem, ut homo, inferior fuit, & subdi potuit vi directivæ, licèt non potuerit subdi vi coactivæ: quia per præceptum potuit ei reddi necessarius ad morum honestatem actus aliquis, qui seclusò præcepto necessarius non esset: quamvis ipse transgressionis incapax fuerit, adeoque vis coactiva respectu illius fuerit inutilis.

Dices. Deum imponere præceptum sub culpa obligans, est Deum dicere: Fac hoc, alioquin eris mihi inimicus. Atqui talis comminatio dirigi non potest, nisi ad eum, qui inimicus Dei esse potest. Ergo cùm Christus, ut homo, inimicitiam Dei incurrere non potuerit, non potuit ei imponi præceptum obligans sub culpa. *Resp.* neg. maj. Ad hoc enim ut Deus præceptum sub culpa obligans imponat, necesse non est, ut dicat: Nisi hoc feceris, eris mihi inimicus; sed satis est, quòd habeat obligandi voluntatem, quæ nihil aliud est, quam voluntas reddendi actum aliquem necessarium ad rectitudinem & honestatem morum, seu oppositum actus illius reddendi turpe ac inhonestum in subdito.

Porrò talis voluntas locum habere potuit respectu Christi, ut hominis, quamvis impeccabilis esset, adeoque actionis cujuslibet turpis ac inhonestæ incapax: potuit enim Deus pro jure suo facere, ut actus aliquis, vel ejus omissio, de se indifferens, turpis esset respectu Christi ut hominis; ita ut si per impossibile, Christus, stante præcepto, actionem illam faceret, vel omitteret, turpiter ac inhonestè ageret.

Deus autem faciendo, ut actio aliqua, vel ejus omissio turpis esset ac inhonesta respectu Christi, ut hominis, nequidem virtualiter dixit: Nisi hoc feceris, eris mihi inimicus; sed ad summum dixit virtualiter: Si per impossibile hoc faceres, esses mihi inimicus: quod non est inconveniens respectu Christi, nec comminationem continet. Aliud est de cæteris hominibus, qui transgressionis præcepti, proindeque & inimicitiæ divinæ capaces sunt, quibus nihil vetat Deum præcipiendo dicere virtualiter: Fac hoc, alioquin eris mihi inimicus.

Dices.

Dices. repugnat eum, qui impeccabilis est, obligari sub culpa. Sed Christus, ut homo, fuit impeccabilis. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Ut enim aliquis sub culpa obligari possit ad actum aliquem, vel ejus omissionem, sufficit, ut actus ille, vel ejus omissio reddatur illi ad honestatem morum necessaria: at hoc fieri potest respectu illius, qui impeccabilis est. Ad hoc enim sufficit, quòd superiorem habeat: nam hoc ipso quòd superiorem habet, à quò dirigi & gubernari potest, subjectus est ei, qui potest illi præcipere, & præcipiendo illi reddere actum aliquem necessarium ad rectitudinem morum; ita ut si per impossibile actum stante præcepto omitteret, peccaret, atque ita propter ejus impeccabilitatem, omissio actus, stante præcepto, reddatur illi impossibilis.

Porrò quòd obligari sub culpa non repugnet ei, qui impeccabilis est, patet ex Deo, cui mendacium v.g. turpe ac inhonestum est, & verum dicere, ex hypothesi quòd loquatur, necessarium ad rectitudinem & honestatem: ita ut si per impossibile mentiretur, verè culpabilis esset, quia aliquid sibi turpe ac inhonestum committeret. Unde quamvis essentialiter impeccabilis sit, verè sub culpa obligatur ad non mentiendum, & ad verum, ex hypothesi quòd loquatur, dicendum; non quòd obligetur ex præcepto, non enim habet superiorem, qui possit ei præcipere, sed quia obligatur ex propria excellentia, quatenùs ens supremum hoc sibi debet indispensabiliter, ut nunquam mentiatur.

Essentialis igitur impeccabilitas Dei non est in eo incompossibilis cum obligatione ad aliquid sub culpa, sed solùm id, ad quod sub culpa obligatur, reddit ei absolutè necessarium: hoc ipso enim quòd voluntas divina essentialiter recta est atque impeccabilis, hoc ipso, inquam, essentialiter determinata est ad faciendum, vel omittendum id omne, quod non posset omittere, vel facere sine culpa, seu quod omittere, vel facere non posset, nisi dedecenter, & contra dictamen intellectus divini, adeoque nisi reddendo se culpabilem, ac vituperabilem.

Dices denique. Præceptum non fit de objecto necessario, sed de objecto libero, hoc est, de re, quam subditus pro arbitrio facere vel non facere potest, etiam stante præcepto: frustra enim subdito præciperetur, ut faciat id, quod non potest non facere, vel omittat id, quod non potest non omittere: sicut frustra subdito prohiberetur id, quod est ipsi impossibile. Ergo repugnat imponi præceptum illi, qui non potest illud violare. Ergo cum Christus fuerit impeccabilis, non fuit capax præcepti.

R. dist. ant. Præceptum fit de objecto libero secundum se, & præscindendo à præcepto, Esto ant. Dico, Esto, quia propositio non est universaliter vera. Præceptum fit de objecto libero, etiam posito præcepto, ita ut in sensu composito præcepti, subditus liber maneat ad non faciendam rem præceptam, quia scilicet liber manet ad violandum præceptum, Neg. ant. Itaque ut plurimum præceptum fit, ut subditus faciat aliquid, quod aliàs posset non facere, vel omittat aliquid quod aliàs posset facere, sive posito præcepto possit adhuc non facere, quod facere jubetur, vel facere quod jubetur omittere, quia præceptum violare potest, sive non possit non facere quod, &c. & ita posito præcepto eoque stante, necessitetur ad faciendum id, quod jubetur facere, vel ad omittendum id, quod jubetur omittere: quia scilicet propter impeccabilitatem præceptum violare non potest, quo casu præceptum non frustra imponitur: tunc enim ad rem præceptam efficacissimè movet subditum, illum simpliciter necessitando ad faciendum id, quod præcipitur fieri, vel ad omittendum id, quod præcipitur omitti; unde nego utramque conseq.

ARTICULUS VI.

Quibus Legibus Christus, ut homo, subjectus, vel non subjectus fuerit.

Responsio I.

CHristus, etiam ut homo, nullis legibus humanis subjectus fuit, aut esse potuit.

Prob. Nam Christus, ut homo, accepit à Patre potestatem excellentiæ super omnes homines, adeoque in omnes homines dominium habuit & jurisdictionem superioris ordinis. Ergo Christus, ut homo, non magis potuit subjectus esse legibus hominum, quàm supremus Monarcha subjectus esse potest legibus à subjecto latis.

Obj. Christus, ut homo, tenebatur obedire matri suæ, cui subditus erat. *R.* Christum in rigore subjectum non fuisse matri, quia in eam sicut & in alios homines habuit potestatem excellentiæ: unde matri suæ, sicut & Josepho, non necessariò & ex debito, sed sponte sese subjecit

Dices. Christus, ut homo, tenebatur matrem colere. Ergo tenebatur etiam illi obedire. *R.* Christus, ut homo, tenebatur quidem lege naturali ad matrem colendam & honorandam, sed non similiter tenebatur eadem lege ad ei obediendum: lex enim naturalis ad obediendum parentibus non obligat filium, qui in illo potestatem habet excellentiæ, & jus superioris ordinis, quale habuit Christus, etiam ut homo.

Responsio II.

Christus, etiam ut homo, nec legi Evangelicæ, nec Mosaicæ subjectus fuit.

Prob. prima pars, nempe quòd Christus, etiam ut homo, subjectus non fuerit legi Evangelicæ: nam Christus ipse, ut homo, legem Evangelicam tulit hominibus peccatoribus, & purè viatoribus. Ergo Christus non fuit ejusdem status & conditionis cum iis, quibus tulit legem Evangelicam. Ergo Christus, etiam ut homo, non potuit obligari lege Evangelica, sicut legislatores alii quandoque legibus suis obligantur, quando scilicet leges illæ versantur in materia, tam ad legislatores ipsos, quàm ad subditos pertinente. tunc enim legibus suis tenentur legislatores ipsi, quia lex naturalis talibus legibus illos subjicit, eò quòd sunt ejusdem cum subditis suis status & conditionis. Adde, quòd lex Evangelica vigere & obligare non cœperit, nisi à die Pentecostes, quo Hierosolymis promulgata est; quo sanè tempore non poterat ea obligari Christus, cùm jam in cœlos assumptus esset.

Prob. secunda pars, nempe quòd Christus, etiam ut homo, subjectus non fuerit legi Mosaicæ; nam lex illa per Moysem data est populo Judaico pro se, & posteris suis, qui per viam ordinariam descensuri erant à progenitoribus suis. Ergo lex illa nullo modo comprehendit Christum, qui de Spiritu sancto conceptus, & de Virgine natus est.

Confirmatur. 1. Quia lex Mosaica lata fuit hominibus imperfectis, peccatoribus, & purè viatoribus. 2. Quia lex illa lata fuit; ut esset figura Christi, & homines ad ejus adventum disponeret; atque per Christum abroganda erat: quare Christum, etiam ut hominem, lege illa obligari non decuit.

Obj. Christus ipse ait Matth. cap. 5. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas: non veni solvere, sed implere*. Item Apostolus ad Galatas cap. 4. dicit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Item lex Mosaica obligavit omnes circumcisos, juxta illud Apostoli ad Galatas cap. 5. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*.

R. ad 1. verbis Christi argui, quòd plenè ac perfectè legem Mosaicam servaverit, non quòd ei subjectus fuerit. *Ad* 3. Apostolus significat factum, non

jus,

jus, seu id quod re ipsa factum est, non quod fieri debuit. Christus itaque ab Apostolo dicitur factus esse sub lege, quia pondus legis sponte in se suscepit, eique quantùm ad observationem, sese absque obligatione omni subjecit. *Resp. ad* 3. Circumcisio ad legis Mosaicæ observationem obligavit puros homines tantùm: cùm lex Mosaica lata fuerit pro solis Israelitis, & allis hominibus per circumcisionem populo Israelitico aggregatis, qui via ordinaria à progenitoribus descendunt.

Responsio III.

Christus ut homo, subjectus fuit legi naturali.

Prob. Quia lex naturalis est lex divina, omnibus hominibus seu toti humanæ naturæ à Deo ut auctore naturæ lata, & quidem necessariò, ex hypothesi creati hominis, intimata habitualiter per rationem, & actualiter per dictamen rationis, qua præcipitur id omne, cujus omissio, & prohibetur id omne, cujus commissio dedecet naturam rationalem. Ergo lex naturalis Christum ut hominem tam ligat quàm cæteros homines: hinc Christo, ut homini, perinde ac omnibus aliis hominibus, mendacium v. g. fuit illicitum, non solùm propter intrinsecam inhonestatem & repugnantiam, quam habet cum natura rationali, sed etiam propter legis naturalis præceptum, quo à Deo ut auctore & gubernatore naturæ rationalis prohibitum est.

Obj. Lex non fertur de objecto necessario, sed de libero, saltem antequam lex lata sit: frustra enim præcipitur fieri id, quod non potest non fieri, etiamsi non præcipiatur, & frustra præcipitur non fieri id, quod non potest fieri etiamsi non prohibeatur. Sed Christus, ut homo, propter suam impeccabilitatem, secluså omni lege, non potuit non facere quod præcipit lex naturalis, nec potuit non omittere, quod lege naturali prohibetur. Ergo lex naturalis à Deo nec lata est, nec ferri potuit pro Christo, ut homine, adeoque Christus, etiam ut homo, subjectus non fuit legi naturali. *R.* Ad hoc, ut lex ferri possit toti communitati, non requiritur, ut objectum, de quo fertur, liberum sit omnibus omninò membris communitatis, sed satis est, quòd liberum sit plerisque membris illius, sive antequam lex feratur, sive etiam postquam lata est: quòd si aliqua sunt, quorum respectu objectum necessarium est, etiam antequam feratur lex, lex etiam pro illis fertur non inutiliter, quia hoc pacto magis removentur ab eo quod illicitum est & inhonestum.

Quæres 1. Quomodo Christus, ut homo, liber fuerit in observatione legis naturalis?

R. non fuisse liberum quoad substantiam operis, sed solùm quoad circumstantias intensionis, motivi, &c.

Prob. 1. Quòd non fuerit liber quoad substantiam operis: nam non poterat non observare legem naturalem, quia peccasset illam non observando, & erat impeccabilis, ut demonstratum est. *Prob.* 2. Quòd fuerit liber quoad circumstantias intensionis, motivi, &c. nam potuit observare præcepta naturalia actu intensiore, vel minùs intenso, ex motivo perfectiore, vel minùs perfecto, ut probatum est: hinc Christus, ut homo, observando legem naturalem, non merebatur quia eam observabat, sed quia observabat eam per actum intensissimum, & ex motivo perfectissimo: sic v. g. non merebatur, quia non mentiebatur, sed quia veritatem diligebat intensissimè, eamque ex motivo perfectissimo diligebat.

Quæres 2. Quomodo Christus, ut homo, liber fuerit in observatione præceptorum humanorum, ut in solvendo tributo, & præceptorum legis Mosaicæ.

R. Christum, ut hominem, in observatione præceptorum illorum liberum fuisse non solùm quoad circumstantias intensionis, motivi, &c. sed etiam quoad substantiam operis.

Prob. Nam Christus hujusmodi præceptis non obligabatur, ut probatum est. Ergo poterat illa absque peccato non observare; adeoque liber erat non solùm ad illa observanda cum tali vel tali intensione actus, & ex tali vel tali motivo, sed etiam simpliciter ad illa observanda, vel non observanda. Ergo, &c. Christus igitur circa observationem præceptorum humanorum & legis Mosaicæ, merebatur, non solùm quia observabat illa tali modo, sed etiam simpliciter, quia illa observabat.

Articulus VII.

Utrùm Christus, ut homo, rigorosum habuerit præceptum moriendi, & quomodo liber fuerit in obeunda morte pro salute hominum.

Responsio I.

CHristus, ut homo, rigorosum habuit præceptum redimendi genus humanum per passionem & mortem suam.

Ita S. Thomas hic q. 47. a. 2. ad 1. & *prob.* Quia 1. Christus, ut homo, capax fuit talis præcepti, ut probatum est. 2. Quòd re ipsa habuerit tale præceptum, apertè videtur ipse significare, cum ait Joan. cap. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterùm sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo* (scilicet, ut interpretatur S. Thomas loco citato, ponendi & iterùm sumendi animam meam.) Unde sic argumentor breviter. Verba Scripturæ semper accipi debent in sensu proprio, nisi scriptura alia, vel gravis aliqua ratio obsit. Atqui mandatum in sensu proprio significat rigorosum præceptum. Ergo cùm Christus dicit, se à Patre moriendi mandatum accepisse, dicit, se à Patre accepisse rigorosum præceptum moriendi.

Præterea, Psal. 39. sic loquens inducitur Christus: *Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* Hanc autem voluntatem Patris verum ac proprium præceptum esse, sufficienter significat, eam statim legem appellando.

Præterea, Christus ex vera ac propria obedientia mortuus est, juxta illud Apostoli ad Philip. cap. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Sed vera ac propria obedientia locum non habet, nisi ubi intervenit verum ac proprium seu rigorosum præceptum, ut expresè docet S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2. ubi sic ait in O. *Cùm inferiores suis superioribus multa debent exhibere, inter cætera hoc est unum speciale, quòd teneantur eorum præceptis obedire: unde obedientia est specialis virtus, & ejus speciale objectum est præceptum tacitum, vel expressum.* Et ad 2. *Obedientia non est virtus theologica: non enim per se objectum ejus est Deus, sed præceptum superioris cujuscumque, vel expressum, vel interpretativum.* Ergo Christus verum ac proprium moriendi præceptum accepit à Patre. Quod

Confirmatur ex Apostolo Rom. cap. 5. ubi ait: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Quibus verbis Apostolus obedientiam Christi opponit inobedientiæ Adami. Ergo sicut Adami inobedientia fuit vera inobedientia, vero ac proprio præcepto contraria; ita obedientia Christi fuit vera ac propria obedientia, vero ac proprio præcepto exhibita. Ergo, &c.

Iis omnibus addi possunt rationes congruæ: nam 1. Conveniens fuit, ut sicut homines per veram inobedientiam, & veri præcepti transgressionem, lapsi fuerant, & peccatores constituti, ita per veram obedientiam, & veri præcepti observationem reparentur, & à peccati servitute liberarentur. 2. Conveniens fuit, ut Christus verum ac proprium de morte subeunda præceptum observando, nobis non solùm humilitatis, sed etiam obedientiæ perfectissimæ perfectissimum exemplar existeret. 3. Denique, mors

obita

obita ex obedientia Deo Patri gratior futura fuit: opus enim ex obedientia factum, ut observat Suares hic disput. 48. sect. 3. cæteris paribus perfectius est, & Deo gratius.

Obj. S. Chrysostomum homil. 7. in epist. ad Philip. ubi ad hæc verba, *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, hæc habet: *En, inquit* (Ariani) *sponte factus est obediens, cùm ei minimè æqualis esset, cui obedivit. O stolidi ac dementes! hoc de illo nihil detrahit, quandoquidem etiam amicis obedimus, neque id tamen nos minores facit. Sponte Filius Patri obedivit, non quasi in servilem conditionem decidisset, sed hoc ipso maximè servans suspiciendam illam germani filii dignitatem.* R. hic Chrysostomo satisfieri, si dicatur Deus Pater Christo ut homini, nonnisi volenti, præceptum moriendi pro hominum salute imposuisse. Quòd autem Deus Pater Christo, ut homini, expectato illius consensu, tale præceptum imposuerit, maximè consentaneum videtur dignitati Christi.

Responsio II.

Christus in subeunda morte pro redemptione hominum, liber fuit non solùm ad circumstantias, sed etiam ad substantiam mortis.

Prob. Nam Christus liber fuit simpliciter ad moriendum vel non moriendum pro redemptione hominum, & ita pro hominum redemptione mortuus est, ut simpliciter potuerit non mori. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Ex Scriptura: nam Isaiæ cap. 53. de Messia seu de Christo dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et inferius: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, &c.* Propheta autem sic loquendo, *Si posuerit, &c.* apertè significat, Christum nulla necessitate animam suam positurum esse ad satisfaciendum Deo Patri pro peccatis hominum. Præterea, Christus ipse ait Joan. cap. 10. *Ego pono animam meam . . . Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Quibus verbis exprimitur plena potestas moriendi vel non moriendi pro arbitrio.

Prob. 2. *ant.* auctoritate Patrum, Hieronymi scilicet commen. in cap. 53. Isaiæ. *Dominus*, inquit, *posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, sive tradidit eum pro peccatis nostris, ut quod propter imbecillitatem virium ferre non poteramus, pro nobis ille portaret, qui oblatus est, quia ipse voluit: non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit.* Chrysostomi homil. 28. in epist. ad Hebræos ubi hæc verba, *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta*, sic interpretatur: *Hoc est, licebat ei nihil pati, si voluisset, neque enim peccatum fecit... Erat ergo ei promptum, si voluisset non venire ad crucem: potestatem enim, inquit, habeo ponendi anima meam ... Si ergo qui minimè necesse habebat crucifigi, propter nos fuit crucifixus: quanto magis par est, ut nos omnia fortiter feramus.*

Augustini lib. 4. de Trinitate cap. 13. ubi ait: *Demonstravit Spiritus mediatoris, quam nulla pœna peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit.* Et tract. 119. in Evang. Joan. *Quis ita dormit*, inquit, *quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit? Quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? Quis ita cùm voluerit, abit, quomodo cùm voluerit, obiit? Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis?*

Et Gregorii Magni lib. 24. Moral. cap. 2. ubi sic loquitur: *Quia ergo in carne veniens Dominus, non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit; nulla enim labe peccati pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit, atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cùm voluit, sponte suscepit.*

Prob. ant. 3. ratione. Quia si Christus non fuit liber simpliciter ad moriendum vel non moriendum, sed solùm liber fuit ad mortem acceptandam cum hac vel illa intensione actus, ex hoc vel illo motivo, hoc vel illo instanti, non potest ei absolutè & simpliciter ad laudem tribui, quòd mortuus sit, nec propter hoc illi gratiæ sunt agendæ, neque idcircò meritus est, & genus humanum redemit; sed solùm ei ad laudem tribui potest, quòd mortem acceptarit ex hoc motivo, hoc instanti, cum hac intensione actus, vel, si vis, quòd mortem acceptarit libentius, vel citiùs; vel ex motivo præstantiori. Sed hoc manifestè repugnat Scripturis. Ergo, &c.

Prob. min. Nam Scripturæ Christo ad laudem simpliciter & absolutè tribuunt, quòd mortuus sit pro salute hominum, & dicunt Christum meritum esse, & genus humanum redemisse acceptando mortem, & moriendo. Sic Apostolus ad Galatas cap. 2. ait: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et ad Ephesios cap. 2. *Vos qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi.* Et ad Colossenses cap. 1. *Reconciliavit* (vos Deus Pater) *in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Et ad Philippenses cap. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Denique ad Hebræos cap. 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.*

Obj. Ex nobis, Christus, qui etiam secundùm humanitatem fuit impeccabilis, habuit præceptum rigorosum de morte acceptanda & subeunda pro salute hominum. Ergo non potuit non acceptare mortem, adeoque liber non fuit quoad substantiam mortis. *R.* conc. ant. neg. cons. Itaque non obstante impeccabilitate humanitatis assumptæ, & præcepto rigoroso de morte acceptanda, à Deo Patre impositio, Christus fuit omninò liber ad acceptandam, vel non acceptandam mortem, atque ita omninò liber fuit ad moriendum, vel non moriendum.

Ratio est, quia quando Christus mortem acceptavit, nec pro eo instanti, quo eam acceptavit, nec pro alio sequenti, physicam habuit necessitatem illam acceptandi: nondùm enim præceptum urgebat, eo instanti quo acceptavit, & præcepti illius poterat petere & obtinere dispensationem pro sequenti tempore. Quare quando Christus acceptavit mortem, simpliciter & absolutè in ejus potestate fuit, illam non acceptare, tam pro eo tempore quo acceptavit, quàm pro omni alio subsequenti, adeoque simpliciter & absolutè in ejus potestate fuit, illam omninò non acceptare. Sed qui tunc mortem acceptat, quando simpliciter & absolutè in ejus potestate est, illam omninò non acceptare, proçul dubio omninò liber est ad moriendum, vel non moriendum. Ergo, &c. Sed ut mentem nostram plenè intelligas, sequentia accipe.

1. Præceptum de acceptanda morte Christi impositum fuit cum aliqua temporis latitudine, seu, quod idem est, Deus Pater Christo præcepit, ut mortem acceptaret, non hoc instanti determinatè, sed vel intra tempus aliquod breve, putà intra hanc hebdomadam; vel potiùs intra tempus longum, putà intra hunc annum, aut hoc biennium, &c. nam decuit, & ipsa Christi dignitas hoc postulavit, ut aliquid ejus sapientiæ & charitati permitteretur. Præterea, quòd Christus mortem suam, etiam stante præcepto moriendi, differre potuerit, satis apertè docet S. Augustinus lib. 4. de trinitate cap. 13. ubi de Christo ait, quòd *non carnem deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit.*

2. Christus petere potuit dispensationem præcepti de acceptanda morte; atque si illam efficaciter & absolutè petivisset, certo certiùs obtenturus fuisset: hoc enim satis colligitur ex ipsius Christi verbis Matt. cap. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum.* Præterea, præcepta solent imponi cum hac conditione tacita, ab omni sapienti legislatore subintellecta: Nisi dispensavero; & aliunde dignitas Christi, ejusque apud Patrem authoritas postulabant, ut ei concederetur dispensatio, si efficaciter & absolutè illam peteret.

3. Chri-

3. Christus ad acceptandam mortem, non expectavit ultimum instans temporis, ita quod ex præcepto sibi à Patre facto tenebatur illam acceptare, sed tempus illud anticipavit, ut facilè colligitur ex ardentissimo gloriæ divinæ zelo, & hominum redemptionis desiderio, quo flagrabat; & apertè significat Christus ipse, cùm ait Lucæ cap. 12. *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, usquedùm perficiatur.* Et ejusdem cap. 22. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

Christus igitur mori voluit eo tempore, quo potuit simpliciter nolle mori; cùm præceptum moriendi non urgeret pro eo tempore; & potuit hujus præcepti dispensationem petere pro eo tempore sequenti, atque ita tollere obligationem omnem moriendi postea. Quare potuit simpliciter nolle mori, non solùm pro eo tempore, quo mori voluit, sed etiam pro omni omninò tempore. Quando igitur Christus mortuus est, nullam omninò moriendi necessitatem habuit, & in ejus potestate fuit, non mori omninò quamobrem liberè pro salute nostra mortuus esse dici potest & debet, non solùm quia pro salute nostra liberè mortem anticipavit notabili tempore, sicut Martyres qui necessitatem habent moriendi aliquando, & tamen simpliciter dicuntur liberè pro Deo mori, propter mortem liberè pro Deo anticipatam notabiliter; sed etiam, quia quando voluit pro salute nostra mori, nullam habuit necessitatem moriendi pro eo tempore, vel alio sequenti, & in ejus potestate fuit non mori omninò.

Dices. Ad summum Christus formaliter meruit per solam voluntatem non petendi dispensationem, non verò per voluntatem implendi præceptum: nam stante præcepto, non poterat non obedire. *R.* neg. Itaque in Christo non solùm voluntas non petendi dispensationem præcepti, sed etiam voluntas implendi præceptum, & obedientia, formaliter & in se meritoria fuit. Ratio est, quia voluntas implendi præceptum, & obedientia, non solùm denominativè ex libera voluntate non petendi dispensationem, sed etiam formaliter & in se libera fuit: nam etiam in sensu composito præcepti vigentis, & voluntatis non petendi dispensationem, durantis eo tempore; quo Christus voluit implere præceptum, & obedire, Christus necessitatus non fuit ad volendum implere præceptum, & ad obediendum, neque pro eo instanti, quia pro eo non urgebat præceptum, neque pro alio sequenti, quia propositum mutare, & dispensationem petere poterat, atque ita tollere obligationem omnem implendi præceptum, & obediendi.

Dices. Cùm præcepto moriendi, non poterat à Christo conjungi negatio omnis acceptationis, sed solùm negatio acceptationis factæ eo tempore, quo mortuus est. Ergo quando mortuus est, poterat quidem non acceptare mortem tunc, sed simul necessitatem habebat eam acceptandi postea, proindeque poterat quidem non mori tunc, sed simul necessitatem habebat postea moriendi. *R.* dist. ant. Negatio omnis acceptationis non potuit à Christo conjungi cum præcepto moriendi, durante toto illo tempore, intra quod implendum erat, C. ant. Non durante toto illo tempore, N. ant. & cons. Christus enim non expectavit instans ultimum temporis illius, intra quod implendum erat præceptum, sed è contra illud notabiliter anteverit: quare negationem acceptationis cum præcepto conjungere potuit, non solùm pro eo instanti quo mori voluit, sed etiam pro aliis subsequentibus pluribus, usque ad ultimum exclusivè instans temporis illius, intra quod præceptum implendum erat; quod ultimum instans antevertere potuit, petendo dispensationem, eaque obtenta, tollere obligationem omnem acceptandi mortem, ficque negationem omnis acceptationis conjungere cum præcepto, non durante toto illo tempore, intra quod implendum fuit.

Dices. Si Christus mortem acceptasset in ultimo instanti temporis, intra cujus latitudinem tenebatur mortem acceptare, ac proinde mortem acceptasset in eo instanti, pro quo præceptum urgebat, certè necessariò mortem acceptasset. At certum non est Christum non expectasse ultimum illud instans ad acceptandam mortem. Ergo, &c. *R.* 1. Quod Christus ultimum illud instans anteverterit, sufficienter probatum est. Præterea, si supponitur Christus, expectato ultimo instanti temporis, intra cujus latitudinem tenebatur mortem acceptare, non liberè, sed necessariò acceptaturus fuisse mortem; supponi quoque debet, instans illud ultimum non expectasse, sed illud præoccupasse, & mortem acceptasse in instanti aliquo priori, in quo nullam moriendi necessitatem habebat, proindeque simpliciter & absolutè liber erat ad acceptandam vel non acceptandam mortem, ad moriendum vel non moriendum: neque enim in dubium revocari potest, quòd Christus præceptum implere & obedire voluerit eo tempore, & modo, quo obedientia ejus posset esse formaliter & in se libera ac meritoria, tum quoad circumstantias, tum quoad substantiam mortis, cùm hoc potuerit. Sed dato quòd Christus instans ultimum temporis, intra cujus latitudinem præceptum moriendi implendum erat, ad acceptandam mortem expectaverit.

R. 2. Præceptum moriendi intra certum tempus, putà intra hoc biennium, Christo à Patre imponi potuit duplici modo. 1. quidem sic: Volo ut mortem acceptes intra hoc biennium; nisi dispensationem petas. 2. sic: Volo ut mortem acceptes intra hoc biennium, vel dispensationem petas. Si præceptum primo modo impositum est, ejus obligatio dependens fuit à conditione libera Christo, nempe à libera voluntate non petendi dispensationem, ita ut in nullo instanti extiterit, nisi dependenter ab hac voluntate libera Christi, & hæc voluntas libera Christi fuerit natura priùs pro omni instanti, pro quo extitit illa obligatio: quare obligatio illa si usque ad ultimum instans inclusivè perseverasse supponatur, non imposuit Christo, nec imponere potuit mortem acceptandi necessitatem, nisi consequentem, & ipsi Christo liberam in libera non petendi dispensationem voluntate, in qua proinde voluntate mortis acceptatio Christo libera fuit, & quidem secundùm moralem æstimationem sufficienter ad laudem in genere mortis, & ad meritum; atque ad hoc quòd Christus simpliciter dicatur liberè mortem acceptasse, & liberè mortuus esse.

Si verè præceptum secundo modo impositum est, obligatio ejus fuit quidem absoluta, & ab omni conditione Christo libera independens, pro omni instanti pro quo extitit, sed simul fuit disjunctiva: unde si hæc obligatio usque ad instans ultimum inclusivè supponatur perseverasse, imposuit Christo necessitatem aliquam antecedentem, sed disjunctivam tantùm, necessitatem scilicet vel mortem acceptandi, vel petendi dispensationem. Cum tali autem necessitate Christus potuit liberè alterutrum eligere, hoc est, vel acceptare mortem, vel petere dispensationem; & acceptando mortem, rejecta altera disjunctionis parte, quæ longè facilior erat, minùsque laudabilis, mereri laudem, præmium & gratitudinem.

Christus igitur, si supponatur mortem acceptasse in ultimo instanti temporis, intra cujus latitudinem implendum fuit præceptum, & hoc præceptum simul supponatur impositum fuisse secundo modo; mortis acceptatio, etiam formaliter & secundum se, Christo libera fuit sufficienter ad laudem, præmium & gratitudinem. Christus igitur in factis suppositionibus, pro ultimo instanti temporis, intra quod præceptum impleri oportuit, fuit absolutè & simpliciter liber ad acceptandam vel non acceptandam mortem, ad moriendum vel non moriendum omninò.

Dices. Supponendo, quod nos volumus, Christum ad mortem acceptandam non expectasse ultimum instans temporis, intra quod ipsi moriendum fuit, nisi peteret dispensationem; quando Christus mortuus est, moriendi obligationem habebat. Ergo & physicam necessitatem. *R.* neg. cons. Christus itaque, quando mortuus est, habebat obligationem moriendi, vel instanti illo quo mortus est, vel alio sequenti; sed non idcircò habebat moriendi necessitatem physicam

pro illo instanti, vel alio sequenti, & obligatio cum necessitate physica hìc malè confunditur.

Dices. Obligatio moriendi pro hominibus, in Christo pertinuit ad præceptum naturale charitatis: Christus enim videns mortem suam ad salutem humani generis necessariam esse, tenebatur illud vitæ propriæ brevi postea recuperandæ dispendium subire, ad impediendum irreparabile damnum generis humani, alioquin in æternum perituri. Sed Christus circa præceptorum naturalium observationem habuit tantùm libertatem ad circumstantias, non ad substantiam operis. Ergo, &c.

R. 1. Nobis dubium videtur, quòd vitæ Christi etiam ad breve tempus dispendium, non fuerit malum ordinis superioris ad damnationem totius generis humani. 2. Ex hypothesi quòd obligatio moriendi in Christo pro hominibus, pertinuerit ad præceptum naturale charitatis, ideò pertinuit, quia Deus homines hoc modo & non alio redimi volebat: quare cùm Christus potuerit à Deo impetrare, ut alio satisfactionis genere contentus esset, sicut impetrare potuit dispensationem præcepti positivi de acceptanda morte; non magis per præceptum naturale charitatis necessitatus fuit ad moriendum pro hominibus, quàm per præceptum positivum de morte acceptanda.

Dices. Præceptum de acceptanda morte fuit indispensabile, ut probatur ex verbis Christi Matth. cap. 26. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri*? Et Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum*? Præterea, reipsa Christus dispensationem petiit, ut patet ex his verbis: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*; & tamen eam non obtinuit. Ergo, &c.

R. neg. ant. *Ad* 1. *prob. R.* locis citatis significari tantùm necessitatem consequentem, ortam ex divina præscientia, quam præsupponebat, & in qua fundabatur revelatio divina. *Ad* 2. *prob. R.* petitionem Christi non fuisse absolutam & efficacem, sed inefficacem & conditionatam, ut manifestum est ex his verbis: *Si possibile est*; & ex istis quæ subsequuntur: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: unde mirum non est, quòd Christus dispensationem, quam petebat, non obtinuerit.

ARTICULUS VIII.

De Merito Christi.

Quæres 1. Utrùm Christus meritus fuerit?

R. Christum verè ac propriè meritum esse, & hoc esse de fide. Ratio autem est, quia multa Christi opera conditiones omnes ad meritum requisitas habuerunt: fuerunt enim libera, honesta, præmio proportionata, facta ab homine justo & grato, & à Deo Patre cum promissione præmii acceptata.

Quæres 2. Per quos actus Christus meruerit?

R. Christum meritum esse, 1. per amorem Dei liberum, ab amore beatifico distinctum, eoque naturæ priorem, quem ut viator habuit ex directione scientiæ supernaturalis, à scientia beatifica distinctæ. 2. Per actus virtutum moralium, imò per omnes omninò actus liberos voluntatis suæ; quia omnes fuerunt honesti, & præmio cuilibet, propter personæ operantis infinitam excellentiam, proportionati.

Quæres 3. Quo tempore Christus mereri cœperit, & quo desierit?

R. 1. Christum meruisse à primo instanti conceptionis: nam à primo instanti conceptionis Deo Patri sese obtulit ad moriendum pro salute hominum, ut testatur Apostolus ad Hebr. cap. 10. ubi de Christo ait: *Ideò ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi .... Tunc dixi: Ecce venio*. Atqui hæc oblatio meritoria fuit. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia ad dignitatem Christi, & sanctitatem ejus pertinuit, ut actus virtutum exerceret omni tempore, quo exercere potuit. Sed Christus à primo instanti conceptionis exercere potuit virtutum actus; ab illo enim instanti usum rationis à phantasmatibus independentem habuit, propter scientiam supernaturalem, tunc ipsi infusam.

Dices. Prius est esse, quàm operari. Ergo Christus operari non potuit à primo instanti conceptionis suæ. *R.* dist. ant. Natura prius est esse, &c. C. ant. Tempore prius est esse, N. ant. Christus igitur eodem instanti reali potuit incipere esse, & simul, natura posteriùs agere, & agendo mereri.

R. 2. Christum non ampliùs meruisse post mortem, ut probatur ex ipso Christo, dicente Joan. cap. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari*. Ratio est, quia Christus per mortem desiit esse in statu viatoris, & hic status ad meritum requiritur de lege ordinaria, à qua Christus ipse non fuit exemptus, ut constat ex ejus verbis.

Dices. Christus orat pro nobis in cœlo. Item Christus meritus est redemptionem nostram morte sua. Item Patres docent ex latere Christi mortui fluxisse sacramenta. *R. ad* 1. Ex hypothesi quòd Christus oret pro nobis in cœlo, non orat ut mereatur, sed ut exigat id, quod dum mortalem vitam viveret, nobis meritus est. *R. ad* 2. nos idcircò tantùm dicere quòd Christus post mortem mereri desierit. *R. ad* 3. secundùm Patres, ex latere Christi mortui sacramenta fluxisse, non meritoriè, sed figurativè tantùm: non enim aliud volunt Patres, quàm sanguinem & aquam, quæ post Christi mortem ex ejus latere fluxerunt, figurasse sacramenta novæ legis, nempe Baptismum & Eucharistiam.

Quæres 4. Quid Christus sibi mereri potuit, & meritus sit?

R. 1. Ne quidem de potentia absoluta Christum potuisse sibi mereri unionem hypostaticam. Ratio in promptu est in doctrina nostra, in qua unio hypostatica essentialiter est natura prior omni actione humanitatis Christi: nam humanitas Christi nequidem ratione priùs extitit, quàm esset unita Verbo, quia nequidem ratione priùs extitit, quàm Verbo incumberet, cùm producta fuerit dependenter ab eo, ut formali sustentativo. Ergo pro omni signo etiam rationis, pro quo fuit humanitas Christi, fuit etiam unio hypostatica; & omnis actio humanitatis Christi, sicut essentialiter natura posterior fuit, quàm ejus existentia, ita quoque essentialiter natura posterior fuit, quàm unio hypostatica.

R. 2. Christum meruisse sibi gloriam animæ. Ratio est, quia quod quis mereri potest, melius est ei, illud habere ex merito, quàm sine merito: hoc enim gloriosius est habenti. Sed Christus mereri potuit gloriam animæ. Ergo, &c.

Dices. Gloria animæ debebatur Christo, propter sanctitatem substantialem, tamquam proprietas connaturalis. *R.* Christum idcircò à primo instanti conceptionis suæ gloriam animæ accepisse duplici titulo, titulo scilicet debiti connaturalis propter sanctitatem substantialem, & titulo meriti: nec enim duo illi tituli pugnant inter se.

R. 3. Christus meritus est gloriam sui corporis, nominis exaltationem, & bona alia extrinseca, quæ post passionem accepit. *Prob.* ex Apostolo, dicente ad Hebr. cap. 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Et ad Philipp. cap. 2. *Humiliavit semetipsum .... propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Ratio autem pro hac responsione eadem est, quæ pro præcedenti.

Dices. Christus non venit propter se, sed propter nos. Item Christus dici non potest pro se mortuus; & S. Cyrillus Alexandrinus anathematismo 10. anathema dicit iis, qui asserunt Christum pro se mortuum esse. *Si quis*, inquit, *Christum pro se ipso quoque, & non potius pro nobis solis sacrificium obtuliisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat) anathema sit*.

R. ad 1. Christum venisse propter nos, ut primarium motivum veniendi, ita ut non venisset, si nobis redemptione opus non fuisset: quod non impedit,

quo

quo minùs sibi aliquid mereri potuerit, & meritus sit. *R. ad* 2. Christum dici non posse pro se mortuum ex primaria intentione, vel pro peccatis propriis, propter quæ opus habuerit redemptione. Cyrillus autem eos tantùm anathematizat, qui Christum asserunt hoc sensu pro se mortuum esse; seu eos qui asserunt Christum sacrificium obtulisse pro se, tanquam puro homine, peccatis obnoxio, ad satisfaciendum Deo pro peccatis à se admissis.

Quæres. Utrùm Christus meritus fuerit aliquid Angelis?

R. Christus nullum gratiæ & gloriæ gradum meruit Angelis. Ratio est, quia 1. Christus iis tantùm gratiam & gloriam meruit, quibus mortuus est. Sed Christus mortuus non est pro Angelis. Ergo, &c. 2. Ante prævisionem peccati originalis, adeòque ante incarnationis decretum, Angelis gratia, & consequenter iis, qui in gratia perseveraverunt, gloria à Deo præparata est. Ergo, &c. Superest igitur, ut Christus Angelis, quasdam tantùm illustrationes, & gaudia, aliaque dona accidentalia meritus sit.

Obj. illud Christi Joan. cap. 14. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Item illud Ephes. cap. 1. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt*. Item illud Apocalyp. c. 12. *Et ipsi vicerunt propter sanguinem Agni*; quæ verba dicuntur de Michaele, & aliis Angelis pugnantibus cum dracone. *R. ad* 1. hunc locum, & alia similia, de solis hominibus intelligenda esse. *R. ad* 2. his verbis significari tantùm, quòd per Christum Angeli & homines inter se reconciliati sint, in eoque, ut capite morali, uniti. *R. ad* 3. verba illa dici non de Michaele & aliis Angelis cum dracone pugnantibus, sed de hominibus fidelibus: nam relato prælio Michaelis & Angelorum ejus cum dracone & ejus angelis, sic prosequitur Author sacer: *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, Et ipse* (fratres nostri) *vicerunt eum* (draconem) *propter sanguinem Agni*.

Quæres 6. Quid nobis meruerit Christus?

R. 1. Christus meruit nobis gratiam sanctificantem, & remissionem peccatorum mortalium. Est de fide, & probatur ex Apostolo ad Rom. cap. 3. ut ait: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*.

2. Meruit nobis omnia gratiæ dona, quæ primam gratiam sanctificantem, & peccatorum remissionem sequuntur, nempe gratias actuales, merita bonorum operum, augmentum gratiæ sanctificantis, remissionem peccatorum venialium, relaxationem pœnæ temporalis & donum perseverantiæ. Est de fide, & patet ex Apostolo ad Ephesios cap. 1. dicente: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*.

3. Meruit nobis omnia auxilia gratiæ excitantis & adjuvantis, quibuscum ad justificationem disponimur, adeòque & motum fidei, spei, dilectionis & contritionis, de quibus congruo meremur justificationis beneficium. *Prob.* Ex Apostolo 2. ad Timoth. c. 1. ubi ait: *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia*. Ratio est, quia Christus venit ut Redemptor perfectus proindeque per illum habemus omnia, quæ ad perfectam redemptionem requiruntur, quales sunt dispositiones ad peccatorum remissionem.

4. Denique Christus meruit nobis vitam æternam. Est de fide, & *prob.* Ex Apostolo ad Rom. c. 6. *Gratia Dei*, inquit, *vita æterna in Christo Jesu*.

Obj. Christus Joan. c. 6. dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*. Item: Si non solùm gratia justificans, sed etiam dispositiones ad eam sunt ex merito Christi, tota justificatio nostra est ex Christi merito, atque ita tota justificatio nostra est ex justitia. Item: Auxilia quæ infidelibus nunc dantur, non dantur eis ex meritis Christi. Denique si Christus non venisset, adhuc Deus dedisset nobis auxilia gratiæ ad vitanda peccata, & legem servandam.

R. ad 1. Patrem trahere neminem, nisi propter merita Christi, quem pro nobis tradidit, & quocum omnia nobis donavit. *R. ad* 2. totam justificationem nostram, respectu Christi, esse ex justitia, & totam gratuitam respectu nostri. *R. ad* 3. neg. Christus enim non solùm in fideles influit, quia membra ejus sunt, sed etiam in infideles, ut fiant ejus membra. *R. denique ad* 4. neg. Omnia igitur gratiæ dona, quæ accipimus, debemus Christo ut causæ meritoriæ, cujus merita toties nobis applicantur, quoties intuitu illorum nobis salutare aliquid datur.

Quæres 7. Quomodo merita nostra à meritis Christi dependeant.

R. merita nostra à Christi meritis dependere, 1. quoad causam efficientem: nam causa efficiens, & quidem totalis in suo ordine, sunt gratiæ auxilia, quæ nobis ad benè operandum conceduntur. At hæc auxilia conceduntur nobis ex meritis Christi. 2. quoad rationem perfecti meriti: nam bona nostra opera perfecti meriti rationem non habent, nisi accedente divina promissione de mercede illis retribuenda. At hæc promissio propter Christi merita facta est, ut apertè colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 16. ubi ait: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filius Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda*.

DISPUTATIO X.

De Prærogativis Christi.

ARTICULUS I.

Utrùm Christus, ut homo, sit servus Dei.

Nota. Duplex distinguitur servitus: una naturalis, qua creaturæ sunt servæ Dei; & altera humana, seu legalis, qua unus homo servus est alterius. Naturalis servitus fundatur in essentiali creaturarum à Deo dependentia: legalis verò, in jure belli vel nativitate, vel condemnatione justa judicis, vel in emptione. Porrò de legali servitute hic non agitur, sed de naturali.

Responsio I.

Christus, ut homo, propriè ac strictè loquendo non est servus Dei.

Prob. 1. Authoritate Patrum; pro quibus omnibus hic unus erit S. Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei c. 21. ubi sic loquitur: *Illud quoque sciendum est, eum* (Christum) *ne servum quidem dicere nobis licere* (propriè scilicet & strictè loquendo;) *servitutis enim ac dominationis vocabula: non naturas indicant, sed ex eorum sunt genere, quæ ad aliquid referuntur, quemadmodum & paternitatis & filietatis voces: hæc enim non essentiam, sed affectionem ac relationem ostendunt. Nam ... si ... subtilibus mentis imaginationibus, id quod creatum est, ab eo quod increatum est, sejunxeris, sanè servilis ordinis esset caro, nisi Deo Verbo copulata esset. At cum semel ei personaliter unita sit; sui ipsius profectò & servus & dominus esse nequit ..... Cujusnam igitur servus erit? Patrisne? Ergo non omnia ea, quæ pater habet, filii quoque sunt: siquidem puris servus est, sui autem ipsius minimè ..., si autem qui servum eum dicunt, unum Christum, instar Nestorii, in duos dividunt*.

Prob. 2. Hac ratione. Ad servitutem propriè ac strictè dictam requiruntur tria. Et 1. quidem, ut qui servus dicitur, teneatur obedire. 2. Ut non sit sui juris. 3. Ut cum domino nec in bonis, nec in honore, nec

in fede communicet. Sed humanitas Christi cum tribus personis divinis communicat in bonis, honore, & fede, juxta illud ab Apostolo ad Hebræos cap1.. dictum de Christo ut homine. *Sedet ad dextram Majestatis in excelsis*. Ergo Christus secundùm humanitatem, nec sui nec aliarum personarum divinarum servus est, aut esse potest, propriè ac strictè loquendo.

Prob. 3. Hac alia ratione. Si propriè ac strictè loquendo, Christus, ut homo, esset servus Dei, Christus, ut est homo, propriè ac strictè loquendo, esset servus Christi ut Deus est. Falsum cons. Ergo, &c. Sequela maj. videtur evidenter vera: nam quæ Deo præcisè, ut Deus est, conveniunt, Christo, ut Deus est, communia sunt cum aliis personis divinis. *Prob. itaque min.* Nam si propriè ac strictè loquendo, Christus, ut est homo, servus esset Christi, ut Deus est, essent in Christo duo suppositа distincta & diversa, suppositum scilicet increatum, nempe Verbum, & suppositum creatum, nempe homo. Atqui cons. falsum est & hæreticum. Ergo, &c. Minor constat.

Prob. sequela maj. Quia denominatio domini & denominatio servi, propriè ac strictè sumptæ, sunt denominationes personales, ut observat S. Thomas hic q. 20. a. 1. ad 2. ubi ait: *Relatio servitutis & dominii fundatur super actione & passione in quantum scilicet servi est moveri à domino secundùm imperium. Agere autem non attribuitur naturæ sicut agenti, sed personæ; actus enim suppositorum sunt & singularium*. Præterea, denominationes illæ servi & domini sunt correlativæ, & adeò inter se oppositæ. Ergo propriè ac strictè sumptæ, non solùm naturarum, sed etiam suppositorum seu personarum multiplicitatem important. Ergo si propriè ac strictè loquendo, Christus, ut homo, servus esset Christi, ut Deus est, &c.

Dices. Verbum est dominus humanitatis assumptæ: nam humanitas assumpta, non est sua, sed Verbi, & Verbum de illa tanquam de re sua potest disponere. Ergo humanitas assumpta est serva Verbi: servitus enim & dominium sunt duo correlativa. Ergo propriè ac strictè loquendo, Christus, ut homo, &c. *R.* neg. 1. conseq. Itaque humanitas assumpta, non est serva Verbi, quia 1. non est suppositum distinctum à supposito Verbi, sed est natura Verbi, in quo ut supposito suo subsistit. 2. Cum Verbo in bonis, honore, & fede communicat: cum hac autem communicatione servitus incompossibilis est: unde nego etiam 2. conseq.

Dices. Saltem Christus, ut homo, est propriè ac strictè loquendo servus Dei Patris: nam Christus ut homo, subjectus est Deo Patri, ut docet S. Thomas art. proximè citato in O. ubi ait, Christum ut hominem, ad Deum Patrem habere subjectionem triplicem; unam quidem secundùm gradum bonitatis, quatenùs Deus Pater bonus est per essentiam, & Christus ut homo, per participationem tantùm: alteram, quantùm ad Dei potentiam; quia Christus, ut homo, sicut & quælibet alia creatura, subjacet operationi divinæ dispositionis, & omnia quæ circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur. Tertiam denique, quantùm ad necessitatem obediendi; quia Christus ut homo, Deo Patri obedire tenetur. Ergo, &c.

R. neg. instant. *Ad prob.* neg. conseq. Nam in humanis v.g. filius, quandiu non emancipatur, est subjectus patri, & tamen nec est, nec potest esse servus ejus, quia vi suæ originis, jus habet ad bona & hæreditatem paternam. Christus itaque cùm sit Dei Filius naturalis, sub nullo respectu potest esse propriè & strictè servus illius. Præterea, etiam ut homo, ad bona & hæreditatem Patris jus habet infrustrabile, propter sanctitatem substantialem humanitatis, & cum Deo in honore communicat. Cum hoc autem jure & hac communicatione stare non potest propriè ac strictè dicta servitus.

At inquies. S. Thomas hic qu. 20. art. 1. ad 2. expressè asserit Christum ut hominem, esse servum Dei Patris. *Nihil prohibet*, inquit, *Christum dicere Patri subjectum, vel servum secundùm humanam naturam*. Imò art. 2. in O. dicit Christum ut hominem, esse servum sui ipsius, ut Deus est. Nam hæc habet: *Dicere possumus, secundùm unam earum* (naturarum) *in qua cum Patre convenit, simul eum* (Christum) *cum Patre præesse & dominari: secundùm verò alteram naturam, in qua nobiscum convenit, ipsum subesse & servire*. *R. breviter*. S. Doctorem in utroque loco de servitute latè & impropriè sumpta loqui. Pro quo sit

Responsio II.

Christus, ut homo, latè dici potest esse servus Dei.

Prob. Nam 1. in Scriptura Christus dicitur servus Dei, ut Isaiæ cap. 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum*. Et cap. 53. *Justificabit ipse justus servus meus multos*. Præterea, ad Philipp. c. 2. de Christo loquens Apostolus sic ait: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* 2. Ex Patribus, quorum unus hic nobis sufficiet Augustinus in epist. 178. in qua sic loquitur: *Subjectionem Fili, Patri debitam ex carnis infirmitate susceptam, etiam nos, quia justum est, verissimè confitemur; in qua eum infirmitate non solum subditum, sed & servum evidentissimè confitemur, ipso dicente in prophetia ad Patrem*: O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ, *id est, Mariæ. Patet ergo in quo sit æqualis Patri Filius, in quo sit non solum subditus aut inferior, sed etiam humillimus servus*.

Prob. 3. Ratione. Quia servitus latè sumpta, est relatio fundata præcisè in dependentia & subjectione unius ad alterum, ita ut unum non sit suum, sed alterius, & alterum possit de eo tanquam de re sua disponere, eique imperare. Atqui humanitas assumpta essentialem habet dependentiam & subjectionem ad Deum, qui de ea tanquam de re sua disponere, eique imperare potest. Ergo Christus secundùm humanitatem assumptam dici potest, & est latè servus Dei.

Igitur nihil vetat, quominùs in sensu lato, adeòque nec communicationem in bonis & honore, nec in eo qui servus dicitur, naturalem filiationem excludente, Christus simpliciter dicatur servus Patris, sicut simpliciter dicitur subditus Patri, & Patri obedire, secluso tamen Arianismi periculo; alioquin addendum esset, secundùm humanitatem, & dicendum: Christus secundùm humanitatem servus est Patris, subditus est Patri, &c. Ita docet S. Thomas hic quæst. 20. art. 1.

Porrò Christus non potest similiter, quamvis in sensu lato tantùm, dici simpliciter servus Verbi, sicut nec simpliciter dici potest subditus Verbo, & obedire Verbo; quia hic modus loquendi importat distinctionem ac diversitatem suppositorum. Addendum igitur est, quà homo, & dicendum: Christus, quà homo, est servus Verbi, est subditus Verbo, obedit Verbo; quo modo loquendi Nestorianismi suspicio vitatur, quia importat tantùm distinctionem naturarum in Christo, & unius, nempe humanæ inferioritatem & subjectionem ad alteram, nempe divinam. Ita docet S. Thomas quæst. proximè citata a. 2.

Obj. Hadrianum I. in epistola ad Episcopos Hispaniæ contra Elipandum Toletanum Episcopum scripta, in qua sic loquitur; *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, ut æquare eum nubibus & legislatoribus non erubescatis: adoptivum eum Filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum, & quod pudet, dicere servum eum, impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit?* *R.* Hadrianum loqui de servitute strictè dicta, adeòque includente distinctionem suppositi, & communicationem in bonis & honore excludente, qualem ad Deum servitutem habere non potest, nisi pura creatura: unde jure merito invehitur Hadrianus in Elipandum, & alios erroris illius sectatores, qui Christum, ut hominem,

asse-

asserentes esse Dei servi servum in sensu stricto, hoc ipso duas in Christo personas ponebant, unam scilicet personam Verbi Dei, & alteram hominis, sicque Christum purum hominem faciebant, & hoc faciendo instaurabant Nestorii hæresim.

ARTICULUS II.

Utrùm Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus.

Nota 1. Adoptio humana communiter & rectè describitur, Gratuita personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio. *Aliquis homo*, inquit S. Thomas hic quæst. 23. art. 1. in O. *adoptat alium sibi in Filium, in quantùm & sua bonitate admittit eum in participationem suæ hæreditatis.* Ad hanc adoptionem tres à Jurisperitis conditiones requiruntur. Prima est, ut persona quæ adoptatur, extranea sit, hoc est, ut ex vi originis suæ, ad hæreditatem, ad quam admittitur, jus non habeat. Secunda, ut admissio ad hæreditatem sit gratuita, non onerosa; alioquin esset venditio, vel alius similis contractus, non adoptio. Tertia denique, ut is qui adoptatur, in adoptionem consentiat, vel per se, si usum rationis habet, vel per parentem aut tutorem, si nondùm habet usum rationis; adoptio enim est humanus quidam contractus, proindeque necessariò, voluntarius ex utraque parte, seu ex parte adoptantis & adoptati.

Nota 2. Adoptio divina consistit in gratuita assumptione personæ extraneæ ad beatitudinis æternæ participationem; hæc enim beatitudo est Dei hæreditas, ad quam Angeli & homines adoptantur per justificationis gratiam, per quam jus ad visionem beatificam, & alios actus beatificos acquirunt; ut de hominibus asserit Apostolus ad Titum cap. 3. cùm ait: *Ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.*

Ita docet S. Thomas hic q. 23. a. 1. in O. *Deus autem est infinitè bonitatis, ex qua contingit quòd ad participationem bonorum suorum suas creaturas admittit, & præcipuè rationales creaturas, quæ, in quantùm sunt ad imaginem Dei factæ, sunt capaces beatitudinis divinæ; quæ quidem consistit in fruitione Dei, per quam etiam ipse Deus beatus, est & per se ipsum dives, in quantùm se ipso fruitur. Hoc autem dicitur hæreditas alicujus, ex quo ipse est dives. Et ideo in quantum Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis hæreditatem, dicitur eos adoptare.* Præcipuum autem adoptionis humanæ & divinæ discrimen subjicit S. Doctor nam sic prosequitur: *Hoc plus habet adoptio divina, quàm humana, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœlestem percipiendam: homo autem non facit idoneum eum quem adoptat, sed potiùs eum jam idaneum eligit adoptando.*

Nota ex dictis 3. nullam irrationalem creaturam capacem esse adoptionis divinæ: cùm enim nulla sit capax visionis beatificæ, nulla capax est hæreditatis æternæ: quare cùm Deus dicitur Pater irrationalis alicujus creaturæ, talis creaturæ pater dicitur non per adoptionem, sed per creationem, ut Job cap. 38. *Quis est pluviæ pater?* E contra rationalis creatura omnis ex se divinæ adoptionis capax est, quia creatura omnis rationalis capax est hæreditatis æternæ, cùm omnis capax sit visionis Dei intuitivæ, & aliorum actuum beatificorum. Omnes itaque Angeli sancti, & omnes homines justi, etiam ii, qui reprobi sunt, sunt filii adoptivi Dei, pro eo tempore quo sunt justi; quia eo tempore quo justi sunt, jus habent ad hæreditatem æternam.

Nec dic excipiendos esse homines justos veteris Testamenti: verè enim fuerunt filii adoptivi Dei, cùm jus ad hæreditatem æternam habuerint; quamquam dicuntur potiùs servi, quàm filii, tum quia sub lege erant & spiritu timoris agebantur, tum quia in statu justitiæ defuncti, æternam, ad quam jus habebant, hæreditatem adire non poterant, donec veniret Christus. Sed quæritur utrùm Christus saltem cum hac determinatione, *quà homo*, dici possit Filius Dei adoptivus.

Resnposio.

Christus, etiam quà homo, nec dici potest, nec est Filius Dei adoptivus.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Apostolus ad Romanos c. 8. dicit: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Christus autem non ut Deus, sed tantùm ut homo, à Patre traditus est, & tradi potuit in mortem. Ergo hic Apostolus loquitur de Christo non quà est Deus, sed quà homo est. Ergo Apostolus hic Christum, quà hominem, vocat proprium seu naturalem Filium Dei. Ergo Christus, etiam quà homo, est Filius Dei proprius ac naturalis. Atqui filio proprio ac naturali repugnat esse filium adoptivum. Ergo Christo, etiam quà homo est, repugnat esse Filium adoptivum Dei.

Ad eumdem Scripturæ locum eodem modo argumentatur Hadrianus I. in sua ad Episcopos Hispaniæ epistola jam citata. *Paulus*, inquit, *electionis vas ait:* proprio Filio suo non pepercit, &c. *Scimus enim, quia non est traditus secundùm divinitatem, sed secundùm id, quod homo verus erat; illum nimirùm qui traditus est, id est, hominem ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Tum post multa, quibus Christum, etiam qua hominem naturalem Dei Filium esse probat, sic prosequitur: *Si quis adversùs divinas Scripturas alium dicens Filium Dei, & alium qui ex Maria Virgine, hominem secundùm gratiam adoptatum sicut nos, quasi essent duo filii, unus secundum naturam, qui ex Deo, & unus secundum gratiam, qui ex Maria ..... hunc anathematizat sancta & apostolica Ecclesia.*

Prob. 2. Ex libello Episcoporum Italiæ contra Elipandum, à Concilio Francofordiensi approbato, & ejus jussu ad Hispaniæ provincias missо, in quo sic loquuntur Episcopi: *Eos valdè execramur, qui eum* (Christum) *adoptivum impio grunniunt ore ... Quia adoptivus dici non potest, nisi is quis priùs alienus est ab eo à quo adoptari desiderat. Dei ergo Filius qua ratione credi potest adoptivus qui inseparabiliter assumpto homine, in una persona coeunte utraque natura, non duo filii alius Dei, & alius hominis, ut ... adoptivus sit hominis filius, & sine adoptione Dei filius: sed in una persona unus idemque Dei & hominis filius, qui numquam hominem, quem assumpsit, deseruit.*

Sic itaque cum Episcopis Italiæ Francofordiensis Synodus argumentatur. In Christo non sunt duo filii, quorum unus sit Filius Dei, & alter filius hominis: sed unicus est, qui simul est Dei per generationem æternam ex Patre, & hominis per generationem temporaneam ex matre filius est. Unde in Christo filius hominis est Filius Dei, & vicissim Filius Dei est filius hominis. Ergo Christus, quà filius hominis est, non est persona extranea Deo Patri, quia quà filius hominis est, est etiam naturalis Filius Dei Patris. Ergo Christus, quà filius hominis est, nec est, nec potest esse Dei Patris adoptivus Filius. Ex quibus sic subsumo. Atqui Christus, quà filius hominis, est Christus quà homo. Ergo Christus, quà homo, nec est, nec potest esse Filius adoptivus Dei Patris. Quod

Confirmatur & declaratur ampliùs: quia cùm dicitur Christus quà filius hominis, Christus quà homo, to quà specificativè sumitur, & in recto importat suppositum humanitatis. Unde cùm dicitur Christus quà filius hominis, Christus quà homo, perinde est ac si dicatur, Christus quà suppositum humanitatis assumptæ. Atqui Christus, qua suppositum humanitatis assumptæ, est naturalis Filius Dei: est enim Verbum ipsum subsistens in humanitate assumpta. Ergo Christus, quà filius hominis, Christus quà homo, est naturalis Filius Dei to quà significante rationem, non propter quàm est naturalis Filius Dei, sed propter quam non impeditur, ne sit naturalis Filius Dei. Ergo Christus qua filius hominis, qua homo, nec est, nec potest esse Filius adoptivus Dei, cum sit naturalis Filius ipsius.

Prob. 3. authoritate Patrum, Augustini scilicet tract. 82. in Joannem, dicentis. *Numquid & hic gratia intelligenda est, qua Pater diligit Filium, sicut etiam gratia est, qua nos diligit Filius, cùm simus nos filii gratia, non natura: Unigenitus autem natura, non gratia?* Juxta S. Doctorem igitur, nos cùm justi sumus, sumus filii Dei per gratuitam assumptionem, adeòque filii adoptivi tantùm; Christus verò Dei Filius est per naturalem generationem, adeòque naturalis ac proprius, non adoptivus Dei Filius. Quòd autem de Christo non solùm ut Deo, sed etiam ut homine loquatur S. Doctor, patet ex verbis subsequentibus; sic enim prosequitur: *An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sane.*

Præterea, lib. contra Secundinum cap. 5. sic loquitur S. Augustinus: *Lege Scripturas; nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei, De nobis autem sæpissime legitur:* Accepistis spiritum adoptionis filiorum; adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri: *aliud est enim per Patris excellentiam esse unicum Filium Dei, aliud per misericordem gratiam accipere potestatem filios Dei fieri credentes in eum.* Juxta S. Doctorem igitur, puri homines, cùm justificantur, fiunt Dei filii adoptivi, ut passim inculcant Scripturæ: at Christus, & quidem solus, non adoptivus per gratuitam assumptionem, sed ex vi originis æternæ, naturalis ac proprius Filius Dei est.

Et Gregorii Magni lib. 1. moralium cap. 6. ubi ad hæc verba, *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*, hæc habet? *Quia omnes homines tantummodò homines sunt ipse autem Oriens Deus & homo; rectè dicitur:* Erat magnus inter omnes Orientales; *ac si apertè diceretur: Omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat, qui etsi humanitate cæteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis,* (utpote solus proprius ac naturalis Filius Dei; cùm cæteri omnes justi filii Dei non sint, nisi adoptione, adeòque filii Dei non sint, nisi per similitudinem quandam, & participationem naturalis ejus filiationis.)

Christus igitur, juxta S. Gregorium, cùm non sit purus homo, sed homo Deus, superat reliquos omnes homines, qui Deo nascuntur filii per fidem, quæ per dilectionem operatur, quia reliquos omnes sola adoptio divina, ipsum verò divinitas per generationem æternam accepta, quà naturalis Filius Dei est exaltat. Quo modo loquendi S. Doctor à Christo, sub quocunque respectu considerato, adoptionem removet; alioquin ipsum dixisset non adoptione tantùm, ut cæteros homines, sed etiam naturali filiatione exaltari.

Prob. 4. authoritate S. Thomæ, hic q. 23. a. 4. in O. ubi ait: *Filiatio propriè convenit hypostasi, vel personæ, non autem naturæ: unde & in prima parte dictum est, quod filiatio est proprietas personalis. In Christo autem non est alia persona, vel hypostasis, quàm increata, cui convenit esse Filium per naturam. Dictum est autem supra, quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur, aliquid dici participativè, quod per se dicitur; & ideò Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici Filius adoptivus.*

Juxta Angelicum Doctorem, Christus nullo modo dici potest Filius Dei adoptivus, adeòque Filius Dei adoptivus dici nequidem potest cum hac determinatione quà homo. Ratio est, quia cùm filiatio sit proprietas personalis, si Christus aliquo pacto est Filius Dei adoptivus, hoc habet formaliter, non ab humana natura quam assumpsit, sed à persona sua. Atqui hoc habere non potest à persona sua, quæ alia non est, quàm increata, nempe persona Verbi, cui, cùm esse Filium Dei per naturam conveniat, repugnat esse Filium Dei per participatam similitudinem filiationis divinæ naturalis, (in qua similitudine participata consistit filiatio adoptiva) & cui proinde adoptari, & esse Filium Dei adoptivum repugnat.

Confirmatur & declaratur ampliùs ex eodem S. Doctore, qui post verba laudata sic prosequitur: *Secundùm autem illos, qui ponunt in Christo duas personas, vel duas hypostases, seu duo suppositа, nihil rationabiliter prohiberet Christum hominem dici Filium adoptivum.* Itaque si in Christo duæ essent personæ, una scilicet divina, & altera humana, atque ita Christus esset aggregatum ex duabus personis, quarum altera esset divina, & altera humana, tunc Christus, sicut esset Filius Dei naturalis secundùm personam divinam, ita esset Filius Dei adoptivus secundùm personam humanam, tunc enim illi secundùm personam divinam conveniret filiatio divina naturalis; & secundùm humanam, hujus filiationis divinæ naturalis similitudo participata per habitualem gratiam, qua sicut cæteri puri homines, qui justificantur gratuitò, ad æternam hæreditatem assumptus esset. Item, secundùm personam divinam solùm esset Filius Dei naturalis, quia secundùm personam hanc repugnaret illi filiatio participata, seu participata similitudo filiationis naturalis; & secundùm personam humanam solùm esset Filius Dei adoptivus, quia secundùm personam hanc, filiatio naturalis illi repugnaret, & capax tantùm esset filiationis participatæ. Cùm itaque in Christo non duæ sint personæ, sed una tantùm, eaque increata, nempe persona Verbi, nec est, nec potest esse nisi Filius Dei naturalis. Igitur qui dicunt Christum, quà hominem, esse Filium Dei adoptivum, vel nesciunt quid dicunt, vel duas in Christo personas seu hypostases ponunt; quod Nestorianum est, & hæreticum.

Prob. denique 5. ratione. Ex dictis hactenùs, adoptio est gratuita personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio. Sed Christus etiam cum hac determinatione, quà homo, non est persona extranea Deo. Ergo, &c. Major continet definitionem adoptionis; minor verò facilè probatur. Quia in Christo non est alia persona, quàm increata, nempe persona Verbi, & Christus cum hac determinatione, quà homo, est suppositum divinum in humana natura subsistens. Ergo, &c.

At inquies. Christus non est Filius Dei naturalis secundùm humanitatem: non enim habet ab humanitate sua, ut sit Filius Dei naturalis. Ergo Christus, quà homo, non est Filius Dei naturalis. Ergo quà homo, potest esse Filius Dei adoptivus. *R.* concesso ant. & ejus probatione, dist. 1. cons. Ergo Christus non est Filius Dei naturalis, quà homo reduplicativè, & li quà significante rationem, propter quam Christus est Filius Dei naturalis, C. cons. Ergo Christus, non est Filius Dei naturalis, quà homo specificativè, & li quà significante tantùm rationem, propter quam non repugnat Christo esse Filium Dei naturalem, N. cons. Nam Christus quà homo specificativè, est Christus sumptus quà suppositum naturæ humanæ. Quantumlibet autem Christus præcisè accipiatur ut suppositum naturæ humanæ, nihilominùs est Filius Dei naturalis, quia nihilominùs est suppositum Verbi. Unde N. etiam 2. cons. Ad hoc enim ut Christo, quà homo est, repugnet esse Filium Dei adoptivum, non requiritur ut Filius Dei naturalis sit secundùm humanitatem, sed omninò sufficit, quòd reipsa sit Filius Dei naturalis, etiamsi sit suppositum humanæ naturæ.

At inquies. Humanitas Christi à Deo adoptata, seu filia Dei adoptiva facta est per gratiam unionis: nam per gratiam unionis, ad visionem beatificam, & alios actus beatificos, adeòque ad bona & hæreditatem Dei jus infrustabile consecuta est. Ergo Christus secundùm humanitatem, ac proinde quà homo reduplicativè, est adoptatus à Deo, & Filius ejus adoptivus. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* dist. Humanitas Christi ad visionem beatificam, & alios actus beatificos, &c. jus consecuta est immediatè & proximè per gratiam unionis, N. Consecuta est mediatè tantùm & consequenter, C. Humanitas Christi per gratiam unionis immediatè & proximè consecuta est tantùm, ut esset natura propria Verbi. Hoc ipso autem

tem

tem quòd fuit natura propria Verbi, per Verbum ipsum ut causam formalem, jus habuit infrustrabile ad bona & hæreditatem Dei: quare jus infrustrabile ad bona & hæreditatem Dei, nonnisi mediate & consequenter consecuta est per gratiam unionis, quæ proinde non fuit vera adoptio.

Præterea, cùm filiatio non naturæ, sed personæ propriè conveniat, ut docet S. Thomas loco supra citato, adeòque propriè adoptari personæ conveniat, non naturæ; si gratia unionis est propriè adoptio, dicendum est, Verbum ipsum divinum per unionis gratiam gratuitò assumptum esse ad bona & hæreditatem Patris; quòd dicere absurdum est quandoquidem Verbum Filius est Dei per naturam, proindeque naturaliter ac necessariò ex vi suæ originis bonorum paternorum hæres. Igitur gratia unionis adoptio non est, sed gratuita assumptio humanitatis ad esse substantiale Verbi, à quo consequenter ad illam assumptionem, ut forma quadam substantiali, humanitas assumpta substantialiter sanctificatur, & jus infrustrabile accipit ad visionem beatificam, & alios actus beatificos, ut jam dictum est.

At inquies. Ex concessis, humanitas assumpta à Verbo, saltem mediatè & consequenter per gratiam unionis gratuitò assumpta est ad bona & hæreditatem Dei. Atqui hoc sufficere videtur ad hoc, ut gratia unionis dicatur propriè adoptio. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam adoptio propriè est actio, qua persona extranea immediatè assumitur gratuitò ad hæreditatem. Humanitas autem assumpta nec est persona, sed natura personæ Verbi est, nec est extranea Deo, cùm sit unita substantialiter Verbo, sic ut integret illud in ratione subsistentis in duplici natura, atque ita ad esse substantialis Verbi incarnati integritatem pertineat.

At inquies. Unionis gratia adoptio vocatur à Patribus, ut à S. Hilario lib. 2. de trinitate, ubi de Christo loquens ait: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur*. Et à S. Irenæo lib. 3. c. 21. ubi etiam de Christo agens dicit: *Qui Filius Dei est, filius hominis factus est, & commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, fiat Filius Dei*. *R.* à laudatis Patribus gratiam unionis impropriè vocari adoptionem; ad quod satis est, humanitatem assumptam, per gratiam unionis mediatè & consequenter jus ad bona & hæreditatem Dei accepisse, quatenùs per unionis gratiam facta Verbi natura propria, per Verbum ipsum formaliter sanctificata est substantialiter, & jus infrustrabile consecuta est ad visionem Dei intuitivam, & amorem beatificum.

Porrò Irenæus loco laudato valdè impropriè loquitur, nec aliud vult quàm unione substantiali humanitatis cum Verbo, factum esse, ut Filius Dei esset filius hominis, & filius hominis esset Filius Dei; factum esse ut eadem persona in duplici natura divina & humana, subsisteret, & sic eadem persona simul esset Dei & hominis Filius.

At inquies. Secundùm nos, Christus quà homo, dici potest, & est servus Dei, quamvis in sensu lato tantùm. Atqui non videtur magis repugnare Christum, quà homo est, esse Filium Dei adoptivum, quàm esse servum Dei. Ergo, &c. *R.* neg. min. Disparitas, est quia servitus, latè sumpta, est aliquid necessariò consequens ad humanitatem assumptam, quæ hoc ipso quòd creatura est essentialiter subjecta est Deo, ab eoque essentialiter dependens: unde est essentialiter Dei serva, saltem in sensu lato, cùm servitus latè sit relatio ex subjectione & dependentia necessariò resultans: ex quibus sequitur Christum, secundùm humanitatem, non posse non esse servum Dei latè sicut secundùm humanitatem non potest non esse loco circumscriptus.

At verò adoptio non est aliquid necessariò consequens ad humanitatem assumptam: adoptio enim non est necessariò conjuncta cum natura humana, sed est aliquid ei superadditum gratuitò, sine quo proinde potest esse, & sæpe est; ut patet in hominibus peccatoribus. Quare ex eo quòd Christus secundùm humanitatem sit verè servus Dei in aliquo sensu, malè infertur, quòd sit etiam secundùm humanitatem Filius Dei adoptivus: servitus enim latè sumpta, non autem adoptio, ab humanitate inseparabilis est.

At inquies. Gratia habitualis, quam habet Christus ut homo, est ejusdem speciei cum gratia habituali, quam habent alii homines justi. Ergo sicut alii homines justi fiunt filii adoptivi Dei per gratiam habitualem, quam habent; ita Christus quoque quà homo est, est Filius adoptivus Dei per gratiam habitualem quam habet. *R.* neg. conseq. Nam adoptio non est effectus primarius gratiæ habitualis, sed secundarius tantùm & contingens: unde graria habitualis potest esse in aliquo subjecto, nec tamen effectum illum ei tribuere, si subjectum, in quo est incapax est effectus illius. Puri autem homines justi capaces sunt adoptionis divinæ, quia sunt personæ extraneæ Deo: Christus verò, propter oppositam rationem, eò quòd scilicet non est persona Deo extranea, etiam quà homo, adoptionis divinæ incapax est: quare Christus, etiam qua homo, nec factus est, nec fieri potuit Filius adoptivus Dei per gratiam habitualem quam habet, quantùmvis hæc gratia sit ejusdem speciei cùm ea, qua nos, cùm justificamur, filii adoptivi Dei simus.

At inquies denique. S. Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum c. 15. sic loquitur: *Ea gratia fit ab initio fidei homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio sui factus est Christus*. Ex quibus verbis S. Thomas q. 23. a. 4. ad 2. sic subsumit pro sententia oppositâ: *Sed alii homines sunt christiani per gratiam adoptionis. Ergo & ille homo est Christus per adoptionem, & ita videtur esse filius adoptivus*. *R.* cum eodem S. Doctore. Augustini sensum esse, quod primam justificationem peccatoris, qui ad fidem convertitur, nulla præcedant merita; sicut assumptionem humanitatis ad Verbum, & illius cum eo substantialem unionem, ex qua resultavit Christus, seu persona Verbi in duplici natura, divina & humana subsistens, nulla merita præcesserunt.

ARTICULUS III.

De reliquis prærogativis & officiis Christi ut hominis.

Quæres 1. Utrùm Christus sic caput Ecclesiæ? *R.* Christum esse caput totius Ecclesiæ, tam triumphantis in cœlo, quàm militantis in terra, & sic Ecclesiam, tam triumphantem, quàm militantem, esse Christi corpus mysticum.

Prob. 1. ex Apostolo ad Ephesios c. 1. ubi loquens de Christo, ut homine, hæc habet: *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*. At si Deus Pater omnia subjecit Christo, tam Angelos, quàm homines ei subjecit, & si constituit illum caput omnis Ecclesiæ, illum tam triumphantis, quàm militantis Ecclesiæ caput constituit, & unum ex utraque Ecclesia mysticum Christi corpus conflavit.

Prob. 2. ratione: quia, ut ait S. Thomas hic q. 8. a. 1. in O. *Sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundùm diversa membra habet diversos actus, ut Apostolus docet Rom. 12. & primæ ad Cor. 12. ita Christus dicitur caput Ecclesiæ, secundùm similitudinem humani capitis*.

Hæc autem similitudo Christi cum naturali capite in tribus potissimùm consistit. 1. enim sicut caput naturale supereminet aliis omnibus membris corporis naturalis, ita Christus membris aliis omnibus totius Ecclesiæ supereminet: *Nam sedet ad dexteram majestatis in excelsis*, ut ait Apostolus ad Hebræos c. 1. quod adhuc expressius asserit ad Ephesios c. 1. ante verba à nobis proximè laudata: *Suscitans illum, inquit, à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem; & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro*.

2. Sicut membrorum omnium corporis naturalis perfectissimum est caput naturale; nam ut ait S. Thomas loco citato, *In capite vigent omnes sensus & interiores & exteriores, cum in cæteris membris sit solus tactus*; ita totius Ecclesiæ membrorum omnium perfectissimum est Christus: nam, ut ait S. Thomas hic quæst. 7. art. 9. in O. *Christus gratiæ plenitudinem habuit in summo secundum perfectissimum modum, quo haberi potest*; quod sic probat S. Doctor; *Quanto aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit: & ideo anima Christi, quæ propinquius conjungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiæ ejus.*

3. Denique. Sicut caput naturale naturale corpus gubernat, interiùs quidem per spirituum animalium in omnes alias corporis partes emissionem, factam secundùm determinationem sensus interni, exteriùs vero per pedum & manuum directionem; ita Christus totam Ecclesiam gubernat per gratiæ influxum & gubernationem externam, quorum primum præstat per se, moraliter quidem & meritoriè, quà homo est; & efficienter, quà Deus est: secundùm verò præstat non per se, sed per summum suum in terris Vicarium, Romanum Pontificem, & alios Ecclesiæ Præsules. Rectè igitur Christus caput morale Ecclesiæ, & vicissim Ecclesia corpus morale Christi dicitur.

Quæres 2. utrùm Christus sit sacerdos?

R. 1. Christum verè ac propriè sacerdotem fuisse,

Prob. 1. ex Apostolo dicente ad Hebr. cap. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei*, Et cap. 8. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlo. Prob.* 2. ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. *Oportuit*, inquit, *Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere.* 3. Ratione: quia sacrificium offerre pertinet ad eum, qui verè ac propriè sacerdos est. Sed Christus pro hominibus duplex sacrificium obtulit: unum scilicet cruentum in ara crucis, & alterum incruentum, quando scilicet pridie mortis Eucharistiam instituit, & Corpus ac Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.

R. 2. Christum etiamnum perseverare sacerdotem esse, & usque ad finem mundi perseveraturum.

Prob. 1. ex Apostolo dicente ad Hebr. cap. 7. *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes* (sumni in lege Mosaica) *idcircò quòd morte prohiberentur permanere. Hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* 2. Ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. ubi hæc leguntur: *Quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat ..... sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* 3. Ratione: quia etiamnum fungitur, & usque ad finem mundi functurus est officio sacerdotis, 1. Patrem suum pro hominibus in cœlo interpellando, ut expresè asserit Apostolus loco proximè citato. 2. Per sacerdotes, ut ministros suos in persona ipsius agentes, Eucharistiæ sacrificium offerendo. Sed

Nota. 1. Christus fuit, & est sacerdos non secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem. Ratio est, quia secundùm divinitatem non habuit superiorem, cui posset offerre sacrificium.

2. Christus simul fuit sacerdos & sacrificium in ara crucis, juxta illud Apostoli ad Ephesios cap. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Similiter nunc est sacerdos & sacrificium in consecratione Eucharistiæ, ut expresè docet Trident. sess. 22. cap. 2. *Una enim*, inquit, *eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit sola offerendi ratione diversa.*

3. Christus dicitur sacerdos in æternum, saltem quia sacerdotium ejus duraturum est quandiu Eucharistiæ sacrificium Deo offeretur, adeòque duraturum est usque ad finem mundi. Dico, saltem: quia Christus potest etiam dici sacerdos in æternum, sumendo to æternum strictè pro duratione numquam finienda, eò quòd in eo per totam æternitatem ad dignitatem & ornamentum manebit potestas sacedotalis, quamvis post mundi consummationem ad actum non ampliùs redigenda.

4. Christus fuit & est sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, propter repræsentationem: nam Melchisedech panem & vinum in sacrificium obtulit, Christus verò Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulit per se pridie mortis, & nunc offert, atque usque ad finem mundi oblaturus est ministerio sacerdotum.

5. Denique, sacerdotium Christi fuit altioris ordinis, quàm ullum aliud sacerdotium, sive legis naturæ, sive legis Mosaicæ, aut etiam Evangelicæ. 1. Propter infinitam personæ offerentis dignitatem. 2. Propter ampliorem ejus potestatem. 3. Propter finem nobiliorem, qui fuit redemptio generis humani.

Quæres 3. Utrùm Christus sit mediator Dei & hominum?

R. 1. Christus & quidem solus fuit perfectus mediator Dei & hominum.

Prob. 1. Ex Apostolo, 1. ad Timoth. c. 2. ubi ait: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* 2. Ratione: quia perfectus mediator rectè dicitur ille, qui solvit & satisfacit uni parti pro altera, atque solvendo & satisfaciendo, unam partem alteri reconciliat. Atqui Christus & quidem solus pro nobis Deo solvit, & satisfecit; atque solvendo & satisfaciendo cum eo nos reconciliavit. Ergo, &c. Sic ratiocinatur S. Thomas hic q. 26. ar. 1. in O. *Ad mediatoris officium*, inquit, *propriè pertinet conjungere & unire eos, inter quos est mediator ... Unire autem homines Deo perfectivè quidem convenit Christo, per quem homines sunt reconciliati Deo secundùm illud 2. ad Cor.* 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; *& ideò solus Christus est perfectus Dei & hominum mediator, in quantùm per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit.*

R. 2. Christus etiamnum exercet, & usque ad finem mundi exerciturus est officium mediatoris: nam etiamnum interpellat, & usque ad finem mundi interpellaturus est pro hominibus, juxta illud Apostoli ad Hebræos cap. 7. *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et illud Joannis Apostoli epistola 1. cap. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum Justum.*

R. 3. Christus, non ut Deus, sed ut homo, & homo Deus, fuit mediator Dei & hominum. Ratio est quia Christus non per actiones divinitatis, sed per actiones humanitatis, per divinitatem dignificatas, satisfecit pro nobis, nosque Deo reconciliavit. Falsa igitur est hæc propositio: Christus in quantùm Deus, est meditor: & veræ sunt istæ: Christus in quantùm homo est, mediator; Christus in quantùm homo Deus, est mediator.

Dixi, solùm Christum esse perfectum Dei & hominum mediatorem; quod non impedit quominùs sint etiam alii mediatores inferiores, & secundùm quid, ut loquitur S. Thomas art. proximè citato: nam in vero sensu mediator ille dicitur, qui uni parti supplicat pro altera. Atqui beata Virgo, & alii Sancti in cœlo pro nobis Deo supplicant. Ergo, &c.

Quæres 4. Utrùm Christus fuerit Propheta?

R. fuisse, ut prob. 1. ex Scriptura: nam cap. 18. Deuteronomii Moyses loquens de Messia sic ait: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audiens.* 2. Ratione: nam Christus omnia Prophetæ officia exercuit.

Ergo,

Ergo, &c. *Prob. ant.* Officia Prophetæ fuerunt, 1. docere populum, eumque ad verum Dei cultum revocare. 2. Vitia reprehendere, & objurgare peccatores. 3. Bona vel mala futura prædicere. 4. Cognoscere secreta & occulta. Atqui hæc omnia eximiè præstitit Christus. Ergo, &c.

Quæres 5. Utrùm Christus fuerit legislator?

Resp. Christum etiam ut hominem habuisse potestatem spiritualis jurisdictionis ad ferendas leges, quibus homines obligarentur.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam Isaiæ cap. 33. de Christo dicitur: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Et Christus ipse dicit Joan. c. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Et inferiùs: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.*

Prob. 2. Ex Conc. Trid. sess. 6. can. 21. quo dicitur: *Si quis dixerit Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant: anathema sit.*

Porrò potestas illa legislativa, quam habuit Christus, fuit in eo cum singulari quadam excellentia, quacum nulli creaturæ unquam communicata est, ut facilè probatur: quia 1. potestas illa fuit quodammodo divina, utpotè ex dignitate Verbi orta: unde jus per potestatem illam constitutum simpliciter divinum est. 2. Præcepta per potestatem illam imposita, ad internum animæ bonum, & ad majorem Dei cognitionem majoremque conjunctionem cum illo pertinent omnia. 3. Per potestatem illam lex Mosaica, etiamsi à Deo data esset, abrogari potuit. 4. Potestas illa amplissima fuit, fuit enim in Orbem universum, ut asserit Christus ipse, Matth. cap. 28. ubi ait: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes ..... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Vide Suarez disp. 47. sect. 2.

Quæres 6. Utrùm Christus sit judex?

Resp. Christum etiam secundùm quod homo est, judicem esse.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam Actor. cap. 10. dicitur de Christo: *Ipse est, qui constitutus est ab eo judex vivorum & mortuorum.* Et Matth. cap. 23. idem de se ipso affirmat Christus: *Cum autem*, inquit, *venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c.*

Prob. 2. Ratione, ex sancto Thoma hìc quæst. 59. art. 2. in O. ubi sic argumentatur: *Quamvis apud Deum remaneat primæva auctoritas judicandi, hominibus tamen committitur à Deo judiciaria potestas respectu eorum, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur .... Dictum est autem supra, quod Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiæ, & quod sub pedibus ejus Deus omnia subjecit. Unde ad eum pertinet etiam secundùm naturam humanam, habere judiciariam potestatem.* Vide S. Doctorem quæst. cit.

Quæres 7. Utrùm Christus propriè dici possit prædestinatus?

Resp. 1. Christum secundùm divinitatem propriè dici non posse prædestinatum ad aliquid. Ratio est, quia propriè loquendo, prædestinatio est pars providentiæ supernaturalis, atque ita propriè loquendo, prædestinatio est eorum tantùm, quæ providentiæ divinæ subjiciuntur. Atqui Verbum divinum providentiæ divinæ subjectum non est. Ergo, &c. Hinc propriè dici non potest Verbum ab æterno prædestinatum fuit, ut esset homo: sed dici debet: Ab æterno decretum est, ut Verbum esset homo. Multò minùs dici potest: Verbum prædestinatum est, ut esset Filius Dei naturalis; vel: Prædestinatum est ad increatam beatitudinem. Res enim dici non potest prædestinari ad id, quod est ei intrinsecum & essentiale.

Resp. 2. Christus secundùm humanitatem propriè dici potest prædestinatus ad gratiam & gloriam: nam prædestinatio est gratiæ & gloriæ præparatio. Sed humanitati Christi ab æterno gratia & gloria præparata fuit. Ergo, &c.

Quæres ultimò. Utrùm orare conveniat Christo?

Resp. 1. Christum in hac vita mortali verè ac propriè oràsse Patrem: hoc enim expressè testatur Scriptura, ut Lucæ cap. 6. ubi de Christo dicitur: *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Porrò rogavit & pro aliis, ut patet ex Lucæ cap. 22. ubi ait Petro: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et Joan. cap. 17. ubi etiam ipse dicit: *Ego pro eis rogo.* Et pro se ipso, ut patet ex Marc. cap. 14. ubi de eo dicitur: *Procidit super terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora.* Et ex Apostolo ad Hebræos cap. 5. sic de illo loquente: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Resp. 2. Christus etiam nunc in cœlo verè ac propriè orat pro hominibus.

Prob. 1. Ex Scriptura: Nam ad Rom. cap. 8. dicit Apostolus de Christo: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et ad Hebr. cap. 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Hìc autem interpellare, idem est ac orare, ut interpretatur sanctus Augustinus epist. 59. ad Paulinum, in qua hæc scribit: *De ipso Domino Jesu Christo dictum est, quòd interpellat pro nobis. Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est, interpellat. Evidenter quippe alibi de eo dicitur:* Et si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum, ipse est exoratio pro peccatis nostris.

Prob. 2. Auctoritate Patrum, pro quibus omnibus sit Augustinus verbis modo laudatis, & enarratione in Psalm. 85. ubi sic loquitur: *Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis; orat pro nobis ut sacerdos noster: orat in nobis ut caput nostrum: oratur à nobis ut Deus noster.* Accedit ratio: quia Christus etiamnum in cœlo fungitur officio sacerdotis. Ad sacerdotis autem officium pertinet non solùm sacrificia, sed etiam preces offerre pro salute populi. Ergo Christus etiamnum in cœlo existens, sicut per sacerdotes, in ejus persona Eucharistiam consecrantes sacrificat, ita per se ipsum Patri supplicat pro nobis.

DISPUTATIO XI.

De Adoratione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit adoratio, & quotuplex.

Responsio I.

ADoratio est honor, quem exhibemus alteri propter aliquam ejus excellentiam, ad nostram erga illum submissionem protestandam.

Bonitas hujus descriptionis probatur ex eo, quòd omni & soli adorationi convenit, & vocetenùs aliæ adorationis descriptiones ab ea differunt. Sed ut naturam adorationis pleniùs intelligas.

Nota 1. Honor latiùs patet, quàm adoratio: nam ut ait S. Augustinus in lib. contra sermonem Arianorum cap. 27. *Honorat omnis, qui adorat; non autem adorat omnis, qui honorat.* Et verò honor exhiberi potest non solùm superiori, sed etiam æquali, immò & inferiori: at adoratio semper respicit alium ut excellentem & superiorem respectu adorantis. Ratio est, quia honor, ut sic est tantùm signum excellentiæ; adoratio verò præter signum excellentiæ, dicit etiam submissionem, seu recognitionem superioritatis illius, qui adoratur, respectu illius qui adorat: honorat igitur alterum, qui ei aliquod excellentiæ ejus testimonium exhibet; adorat verò alterum, qui signo aliquo

hono-

honorifico ei tanquam superiori sese submittit propter ejus excellentiam. Quod de honore dictum est, dici quoque potest de laude: laus enim quidam honor est; & si fiat ex intentione protestandi submissionem suam erga alterum, & recognoscendi superioritatem ejus, rationem adorationis habet.

Nota 2. Hìc plures actus distingui debent. Primus est, quo cognoscitur excellentia & superioritas alteriùs. Secundus, judicium prudens, dictans honestum esse, submittere se illi propter ejus excellentiam & superioritatem. Tertius, voluntas submittendi se illi propter excellentiam & superioritatem illam. Quartus, voluntas exhibendi illi signum aliquod hujus submissionis, & ita excellentiam & superioritatem ejus practicè recognoscendi. Quintus denique est exhibitio talis signi in protestationem suæ erga illum submissionis, & recognitionem ejus excellentiæ & superioritatis.

Tres primi actus præsupponuntur adorationi: quartus verò & quintus constituunt adorationem adæquatè sumptam, & prout est actus quidam totalis, liber, ac moralis, coalescens ex actu imperante & actu imperato, vel ut communiter dicitur, ex actu interno & externo. Dixi, adæquatè sumptam: nam si adoratio sumitur tantùm inadæquatè, ut sumi potest, tunc constat uno tantùm actu; tunc enim vel sumitur pro solo actu imperante & interno, vel sumitur pro solo actu externo vel imperato.

Nota 3. Adoratio sumpta inadæquatè pro actu imperante & interno, habet objectum triplex, nempe objectum quod, objectum cui, & objectum propter quod. Objectum quod, seu materia, circa quam proximè versatur, est actus imperatus & externus, quo signum aliquod exhibetur ad protestandam submissionem suam alicui, & ejus excellentiam, ac superioritatem recognoscendam. Objectum cui est persona, cui signum illud exhibetur. Objectum propter quod, est honestas, quæ in exhibendo signo illo relucet.

Quòd si adoratio adæquatè sumitur pro actu scilicet totali ex actu imperante & imperato coalescente, habet objectum duplex, nempe objectum circa quod, & objectum propter quod. Objectum circa quod, seu materia, circa quam versatur adoratio sic sumpta, est persona quæ adoratur. Objectum verò propter quod, est idem quod adorationis, inadæquatè sumptæ pro actu imperante, & interno, scilicet honestas, quæ relucet in exhibitione signi, quo persona adoratur.

Porrò in persona, quæ adoratur, duo distingui debent; unum scilicet materiale, & alterum formale. Materiale est ipsa persona; formale verò, excellentia, propter quam persona adoratione digna est, & honestum est illam adorare: quare objectum circa quod adorationis adæquatè sumptæ, seu, quod idem est, objectum cui adorationis sumptæ inadæquatè pro actu imperante & interno, est complexum quoddam ex persona quæ adoratur, & excellentia propter quam adoratione digna est, & honestum est eam adorare. Hæc autem excellentia, eo quòd fundat honestatem propter quam immediatè personam adoramus, est quasi objectum propter quod remotum adorationis; & is qui adorat, rectè dicitur personam adorare propter ejus excellentiam.

Responsio II.

Adoratio multipliciter dividitur.

Primò enim ex parte actus tanquam genus in species adoratio dividitur in internam & externam. Adoratio externa est ea, quæ fit per actus externos corporis, & sensu aliquo perceptibiles, quales sunt genuflectio, capitis inclinatio, pectoris percussio, &c. Adoratio interna est ea, quæ fit per actus internos intellectus vel voluntatis, quæ voluntas ordinat ad protestandam submissionem suam Deo, & Spiritibus beatis, quibus tales actus innotescere possunt, & innotescunt sine signis sensibilibus.

Secundò, ex parte personæ quæ adoratur, adoratio dividitur in latriam, duliam, hyperduliam, & cultum politicum. Latria est adoratio, quæ Deo exhibetur propter increatam excellentiam, habitam modo perfectissimo, hoc est, per summam identitatem. Dulia est adoratio, quæ alicui creaturæ exhibetur propter excellentiam creatam supernaturalem. Hæc autem excellentia est sanctitatis, vel gloriæ, vel utriusque simul. Hyperdulia est adoratio, quæ exhibetur propter sanctitatem, vel gloriam, modo aliquo singulari excellentem. Cultus denique politicus est ille, qui defertur hominibus propter potentiam, vel sapientiam, aut aliquam aliam excellentiam naturalem.

Tertiò, adoratio dividitur in absolutam & respectivam. Adoratio absoluta est ea quæ exhibetur rei alicui propter se, seu propter excellentiam ipsi intrinsecam. Respectiva verò est ea, quæ exhibetur alicui rei non propter se, sed propter excellentiam, quæ est in aliqua persona, ad quam habitudinem aliquam habet. Primo modo adorabilis est sola substantia intellectualis, quia sola capax est excellentiæ propter se adorabilis. Præterea, cùm homo sit naturæ intellectualis, non potest rectè & honestè sese submittere rei alteri, nisi sit ejusdem naturæ, vel excellentioris, habeatque excellentiam aliquam, naturæ intellectuali convenientem. At posteriori modo adorabiles sunt res ordinis inferioris: cùm enim hoc modo non adorentur propter se, sed propter personæ alicujus excellentiam, adoratio illis exhibita non sistit in illis, sed terminatur ad personam, propter cujus excellentiam adorantur.

ARTICULUS II.

Utrùm divinitas & humanitas Christi adorandæ sint una & eadem adoratione.

Responsio I.

CHristus adorabilis est summa, & perfectissima adoratione latriæ.

Prob. Quia Christus est persona subsistens in duabus naturis, divina & humana. Sed talis persona summa & perfectissima adoratione latriæ adorabilis est: ex eo enim, quòd in tempore cœperit subsistere in natura humana, cùm antea in divina tantùm subsisteret, non amisit dignitatem suam, & nihilominùs habet excellentiam increatam, & quidem per summam identitatem, sicut habent Pater, & Spiritus S. Ergo, &c.

Præterea, Christus sumi potest tripliciter. 1. Ut est Deus homo. 2. Præcisè ut est Deus. 3. Præcisè ut homo specificativè. Sed quovis ex modis illis accipiatur, adorabilis est summa & perfectissima adoratione latriæ, ut de primo modo probatum est; de secundo per se patet, & de tertio facilè ostenditur: nam Christus sumptus præcisè qua homo specificativè, est Verbum ipsum præcisè qua suppositum naturæ humanæ, seu Verbum præcisè qua subsistens in humana natura. Sed Verbum præcisè sumptum qua subsistens in humana natura, non idcircò desinit esse persona divina, proindeque non desinit esse adorabile propter increatam excellentiam, habitam modo excellentissimo, nempe per summam identitatem. Ergo, &c.

Responsio II.

Quando summa & perfectissima latriæ adoratione adoratur Christus, eadem illa adoratione simul coadoratur ejus humanitas.

Prob. 1. Ex epistola synodica Concilii Alexandrini à S. Cyrillo in causa Nestorii celebrati; cui epistolæ subjecti sunt duodecim anathematismi, quorum hic octavus est: *Si quis hominem assumptum, una cum ipso Dei Verbo adorandum, una cum illo glorificandum, una cum illo tanquam alterum in altero existen-*

tem

tem Deum appellandum dicere ausus fuerit ..... & non una potius adoratione Emanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro: anathema sit. Hìc anathematizantur, qui dicere audent, humanitatem assumptam adorandam non esse cum Verbo Deo una & eadem adoratione, sed distincta ac diversa, adeòque inferiore. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex quinta Synodo generali can. 9. quo dicitur: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo Verbo, & separatim homini ..... sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Ecclesiæ Dei traditum est: talis anathema sit.*

Prob. 3. Authoritate Patrum; pro quibus omnibus sint S. Athanasius in lib. de Incarnat. Verbi, apud S. Cyrillum in libro Reginis nuncupato, in quo Cyrillus Athanasium sic loquentem inducit: *Agnoscimus illum Dei Filium & Deum esse secundum spiritum: filium autem hominis secundùm carnem, non duas naturas* (discretas & separatas) *unum filium, unam adorandam, alteram non adorandam; sed unam naturam divini Verbi incarnatam, quæ simul cum ejus carne una adoratione* (propria Deo, proinque supremæ latriæ) *adoratur.*

Et S. Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei c. 3. ubi ait: *Dei Filium simul cum Patre & Spiritu sancto adoramus, corporis quidem expertem antequam humanitatem assumpsisset, nunc autem etiam eundem incarnatum hominemque, una cum eo, quod Deus est, affectum. Ac proinde ipsius caro suapte quidem natura ..... haud quaquam adoranda est, utpotè condita: at cùm Deo Verbo copulata sit, ob ipsum & in ipso adoratur* (adoratione scilicet supremæ latriæ) *quemadmodum, &c.* Et inferiùs: *Caro quoque suapte quidem natura minimè adoranda est* (supple semper, suprema latria) *verùm in incarnato Verbo Deo adoratur, non quidem vi sua, sed ob Deum Verbum personaliter ipsi copulatum: neque hac dicimus, nudam & simplicem carnem à nobis adorari, verùm Dei carnem sive Deum carne indutum.*

Prob. 4. Ratione. Quia cùm adoratur persona aliqua, tota adoratur, ut observat sanctus Thomas hìc quæst. 25. art. 1. in O. *Propriè*, inquit, *honor exhibetur toti rei subsistenti;* & persona, quæ adoratur, adoratur tota, propter excellentiam aliquam, quam habet, quamvis hæc excellentia non sit in omnibus ejus partibus, vel quasi partibus, ut patet in homine sancto, qui cùm adoratur adoratione duliæ, propter excellentiam sanctitatis in sola anima residentem, totus, hoc est, non solùm secundùm animam, sed etiam secundùm corpus adoratur. Ergo quando Christus adoratur adoratione suprema latriæ, adoratur totus, quamvis adoretur propter excellentiam increatam, quæ solius divinitatis est. Atqui Christus, qua totus, dicit intrinsecè humanitatem assumptam: nam Christus, qua totus, tria dicit intrinsecè, nempe personalitatem Verbi, divinitatem, & humanitatem assumptam; quia qua totus, est suppositum Verbi subsistens in duplici natura, divina & humana. Cùm igitur suppositum Verbi per assumptam humanitatem integretur in ratione subsistentis in duplici natura: per assumptam humanitatem Christus integratur in esse Christi, & sic non solùm personalitas Verbi, & divinitas, sed etiam humanitas assumpta ad totalitatem Christi intrinsecè pertinet.

Obj. 1. Solus Deus adorari potest adoratione suprema latriæ. Sed humanitas Christi non est Deus. Ergo, &c. *Resp.* Solum Deum primariò & propter excellentiam propriam, adoratione supremæ latriæ adorari posse. Hoc autem non obstat, quominùs creatura aliqua possit etiam adoratione supremæ latriæ adorari secundariò, & propter excellentiam deitatis, quacum unita est substantialiter, & per unionem substantialem in una & eadem subsistentia convenit. Hoc porrò modo dicimus humanitatem Christi adoratione suprema latriæ adorari, quando tali adoratione adoratur Christus.

Itaque in Christo divinitas & humanitas assumpta adorantur una & eadem adoratione suprema latriæ, sed non eodem modo adorantur: nam divinitas adoratur primariò & propter se, seu propter excellentiam propriam; humanitas verò secundariò tantùm, & propter excellentiam alteriùs, nempe divinitatis, quacum substantialiter unita est. Unde non dicimus simpliciter humanitatem adorari, sed solùm dicimus coadorari, hoc est, adorari propter divinitatem, quæ propter excellentiam propriam adoratur, & quacum substantialiter unita est.

Itaque dicimus una & eadem adoratione suprema latriæ adorari humanitatem cum divinitate, quia una & eadem omninò reverentia externa exhibetur divinitati & humanitati: nam genuflexio v. g. non dividitur inter divinitatem & humanitatem; immò & eadem ac summa utrique habetur reverentia, ac submissio interna. Sed addimus adorationem illam, respectu humanitatis, dici debere, & esse, propriè loquendo, non adorationem simpliciter, sed coadorationem: quia reverentia externa & interna eadem non est eodem modo volita divinitati & humanitati, cùm sit divinitati volita primariò & propter se, humanitati verò secundariò tantùm, & propter increatam excellentiam divinitatis.

Obj. 2. Quando suprema adoratione latriæ adoratur Christus, humanitatis adoratio inferior est adoratione divinitatis. Ergo adoratio humanitatis non est suprema. *Resp.* dist. ant. Adoratio humanitatis adoratione divinitatis inferior est ex parte rei volitæ & exhibitæ, Neg. ant. nam eadem omninò & summa reverentia, tam interna quàm externa, divinitati & humanitati volita est, & eadem omninò utrique exhibetur, quando Christus adoratur adoratione suprema latriæ. Adoratio humanitatis adoratione divinitatis inferior est ex parte modi volendi, C. ant. nam reverà, ut ex dictis constat, eadem illa reverentia, tum interna, tum externa, quæ divinitati & humanitati simul habetur, modo inferiori volita est humanitati, quàm sit volita divinitati.

At inquies. Quando suprema adoratione latriæ adoratur Christus, ex concessis adoratio humanitatis ex parte modi volendi, inferior est adoratione divinitatis. Ergo suprema non est. *Resp.* neg. cons. Nam ad hoc ut adoratio humanitatis suprema non esset, requireretur inferioritas non solùm ex parte modi volendi, sed etiam ex parte rei volitæ, hoc est, ex parte internæ submissionis, quam protestamur per reverentiam externam.

Obj. 3. Quando adoratur Christus suprema adoratione latriæ, adoratio divinitatis est absoluta, & adoratio humanitatis est respectiva tantùm. Ergo adoratio humanitatis adoratione divinitatis simpliciter inferior est, adeòque adoratio humanitatis non est adoratio suprema latriæ. *Resp.* neg. ant. Adoratio enim respectiva est, quando suppositum aliquod adoratur propter excellentiam alterius suppositi, ad quod habet habitudinem aliquam vel conjunctionem. At quando humanitas adoratur cum divinitate in Christo, non adoratur suppositum aliquod propter excellentiam suppositi alterius, sed natura adoratur propter excellentiam sui suppositi, & Christus una & eadem adoratione absoluta adoratur totus propter propriam, & intrinsecam excellentiam increatam, quamvis hæc excellentia non sit in humanitate, qua completur & integratur in esse suppositi subsistentis in duplici natura.

At inquies. Quando Rex purpura indutus adoratur, & ita purpura adoratur cum rege, etiam per modum unius objecti, adoratio Regis est adoratio absoluta, & adoratio purpuræ est adoratio respectiva, & inferior adoratione Regis. Ergo similiter, quando Verbum adoratur cum humanitate sua, adoratio Verbi est adoratio absoluta, & supremæ latriæ; adoratio verò humanitatis assumptæ est tantùm adoratio respectiva, & suprema latria inferior.

Resp.

Resp. neg. conſ. Itaque quando Rex, cum purpura, qua indutus eſt, adoratur per modum unius objecti, tunc actus adorandi, qui æquè immediatè ad Regem & purpuram terminatur, eſt adoratio abſoluta & qua terminatur ad totum, ex Rege ac purpura conſtans, quia totum hoc adoratur propter excellentiam quam includit, adeòque propter ſe; & qua partialiter terminatur ad perſonam Regis, in qua reſidet excellentia illa, propter quam totum ex ipſa & purpura conſtans adoratur: at qua partialiter terminatur ad purpuram, eſt tantùm adoratio reſpectiva, quia purpura in toto illo quod ex ipſa & Rege conſtat, eſt ſuppoſitum adoratum, non propter ſe, ſed propter aliud, nempe propter ſuppoſitum Regis, quocum facit totum illud accidentale, quod adoratur propter excellentiam in Rege reſidentem. Unde affectus ſubmiſſionis ac ſervitutis internæ, quem adorans proteſtatur & ſignificat per actum ſuum adorandi, ad ſolam Regis perſonam, & nullo pacto ad purpuram terminatur. Quando autem adoratur Chriſtus, actus adorandi non ſolùm æquè immediatè ad Verbum & humanitatem aſſumptam terminatur, ſed etiam eſt adoratio abſoluta, non tantùm qua terminatur ad totum quod adoratur, nempe ad Chriſtum, ſeu ad ſuppoſitum ſubſiſtens in duabus naturis divina & humana, & qua partialiter terminatur ad Verbum præcisè ſumptum, propter cujus increatam excellentiam adoratur totum ex ipſo & humanitate aſſumpta reſultans; ſed etiam qua partialiter terminatur ad humanitatem aſſumptam, quia humanitas aſſumpta in Chriſto qui adoratur, non eſt perſona, ſed natura adorata, propter perſonam cujus eſt natura, & quam in ratione ſubſiſtendi intrinſecè complet & integrat. Quare affectus ſummæ ſubmiſſionis ac ſervitutis internæ qui propter increatam verbi excellentiam concipitur, & per actum adorandi ſignificatur, terminatur non ſolùm ad Verbum, ſed etiam ad humanitatem aſſumptam; ad Verbum quidem primariò & per ſe, ad humanitatem verò ſecundariò tantùm, & concomitanter, ac veluti per accidens.

Obj. 4. Si quando Chriſtus adoratur, coadoratur humanitas cum divinitate, actus quo adoratur Verbum Incarnatum, diversùs eſt ab actu, quo Verbum adoratur ante Incarnationem. *Reſp.* Actum, quo adoratur Verbum incarnatum, ab eo actu, quo ante Incarnationem adorabatur, diverſum quidem eſſe ex parte objecti materialis, quatenùs terminatur ad divinitatem & humanitatem, cùm alius, quo Verbum adorabatur ante Incarnationem, ad ſolam divinitatem terminaretur; at eundem eſſe ex parte objecti formalis, ſeu ex parte motivi adorandi: ſicut enim Verbum ante Incarnationem adorabatur propter excellentiam increatam, ita & propter eandem increatam excellentiam poſt Incarnationem Verbum cum humanitate aſſumpta adoratur: quare duo illi actus, quorum uno Verbum adoratur ante Incarnationem, & altero poſt Incarnationem cum humanitate aſſumpta adoratur, ſunt ſaltem ejuſdem ſpeciei moralis, & ad eandem virtutem religionis pertinent.

Obj. 5. Damaſcenum dicentem orat. 1. de imaginibus, carnem Chriſti non adorari ut Deum ..... *Non materiam*, inquit, *ſed materiæ Auctorem adoro, qui propter me materia factus eſt, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi ſalutem præberet: materiam verò, per quam ſalus mihi parta eſt, colere non deſinam, non tamen ut Deum, abſit: quomodo enim id, quod ortum nihilo eſt, conſecutum eſt, Deus ut ſit?*

Reſp. Damaſcenum hìc aliud non velle, quàm Chriſti carnem non adorari adoratione ſuprema latriæ propter propriam excellentiam, & primariò, ſicut divinitas adoratur, ſed ſolùm cum divinitate coadorari, tanquam quaſi partem integrantem Verbum in eſſe Chriſti. Bonitas hujus reſponſionis patet ex lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 3. ubi ſic loquitur S. Doctor; *Ipſius caro ſuapte quidem natura ... haud quaquam adoranda eſt, utpotè condita: at cùm Deo Verbo copulata ſit, ob ipſum & in ipſo adoratur, &c.* Et inferiùs addit, carnem illam in incarnato Verbo Deo adorari, non quidem vi ſua, ſed ob Deum Verbum, perſonaliter ipſi copulatum.

Obj. ultimò. Sacrificium offerri non poteſt Chriſto ut homini, ſed ſolùm ut Deo. Ergo non Chriſtus ut homo, ſed ſolùm, ut Deus adorari poteſt adoratione ſuprema latriæ. *Reſp.* conc. ant. & neg. conſ. Itaque ſacrificium in lege nova non offertur nec offerri poteſt Chriſto ut homini, quia in lege nova unicum habemus ſacrificium, nempe ſacrificium Euchariſtiæ, quod à Sacerdotibus offertur in perſona ipſius Chriſti, & in quo proinde Chriſtus ipſe eſt offerens miniſterio Sacerdotum, & quidem qua homo. Chriſtus autem qua homo, neque per ſe, neque per Sacerdotes ſibi qua homini, ſed ſolùm qua Deo ſacrificare poteſt: nam inter offerentem ſacrificium, & eum cui ſacrificium offertur, realem aliquam diſtinctionem intercedere neceſſe eſt, ut per ſe manifeſtum eſt.

Diſparitas igitur eſt, quia aliud in lege nova ſacrificium offerri non poteſt, quàm Euchariſtiæ ſacrificium; & hoc ſacrificium aliter offerri non poteſt, quàm in perſona ipſius Chriſti, qua homo eſt: unde neceſſariò ſequitur, in lege nova ſacrificari non poſſe Chriſto, niſi qua Deus eſt. At quando adoramus Chriſtum adoratione ſuprema latriæ, non adoramus illum in perſona ipſius, ſed in propria noſtra perſona: quare nihil obſtat, quominùs illum non ſolùm qua Deum, ſed etiam qua hominem adoremus. Quod confirmatur ex eo, quòd ſi Chriſtus præter Euchariſtiæ ſacrificium aliud inſtituiſſet, quod homines in propria perſona offerrent, tale ſacrificium offerri poſſet Chriſto non ſolùm qua Deo, ſed etiam qua homini, ſeu Chriſto, qua ſubſiſtenti in duplici natura, divina & humana.

Porrò ſacrificium hujuſmodi, quod Chriſto ut homini Deo offerri poſſet, & offerretur, à Chriſto in lege nova inſtitui potuiſſe apertè ſignificat S. Auguſtinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 20. cùm ait: *Homo Chriſtus Jeſus, cùm in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & unus Deus eſt, tamen in forma ſervi ſacrificium maluit eſſe, quam ſumere, ne vel hac occaſione, quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ.*

ARTICULUS III.

Utrùm Chriſtus ſit etiam adorabilis alia ſpecie adorationis.

RESPONSIO I.

CHriſtus ſecundùm humanitatem eſt adorabilis adoratione latriæ inferioris.

Prima pars. Nempe quòd Chriſtus ſecundùm humanitatem adorabilis ſit adoratione latriæ, *probatur*. Quia Chriſtus ſecundùm humanitatem ſubſtantialiter ſanctificatur per divinitatem ipſam, ſibi ſubſtantialiter unitam, ut ſuo loco probatum eſt. Ergo Chriſtus ſecundùm humanitatem, excellentiam habet omni excellentia creata poſſibili ſuperiorem. Ergo Chriſtus ſecundùm humanitatem meretur adorationem ſuperiorem omni adoratione, debita propter quamlibet excellentiam creatam poſſibilem. Atqui talis adoratio dici poteſt eſſe, & eſt aliqua, & quidem abſoluta adoratio latriæ. Ergo, &c.

Secunda pars. Nempe quòd adoratio illa latriæ, qua Chriſtus ſecundùm humanitatem dignus eſt, non ſit ſuprema & perfectiſſima, ſeu non ſit ejuſdem ordinis cum ea, quæ Dei propria eſt, *probatur*. Quia adoratio latriæ ſuprema & perfectiſſima, ac Dei propria, honeſtè exhiberi non poteſt, niſi propter excellentiam increatam, habitam modo perfectiſſimo & excellentiſſimo, adeòque habitam per identitatem ſummam. Ergo honeſtè exhiberi non poteſt propter excel-

excellentiam increatam, habitam tantùm per participationem, & unionem. Atiqui sanctitatis substantialis excellentia, quam Christus habet secundùm humanitatem, est tantùm excellentia increata, per participationem & unionem habita. Ergo adoratio latriæ suprema honestè exhiberi non potest Christo propter sanctitatis substantialis excellentiam, quam habet secundùm humanitatem, adeòque supereſt, ut Christus inferiori tantùm latria honestè adorari possit, propter excellentiam sanctitatis substantialis, quàm secundùm humanitatem habet. Sed ad horum pleniorem intelligentiam,

Nota. Adoratio latriæ, ut jam articulo primo dictum est, est ea quæ debetur propter excellentiam increatam, propter quam solam honestè exhiberi potest. Quia autem hæc excellentia haberi potest duplici modo, nempe per summam identitatem, qui modus eam habendi perfectissimus, & excellentissimus est, & per unionem substantialem, seu per concursum naturæ divinæ cum alia natura creata rationali in unum & idem suppositum divinum, qui modus habendi excellentiam illam, est inferior: duplex potest esse adoratio, etiam absoluta, latriæ; una scilicet latriæ summæ, ac perfectissimæ, & altera latriæ inferioris, quarum prima exhibetur propter excellentiam increatam habitam per summam identitatem, & altera propter eandem excellentiam increatam, habitam per unionem substantialem. Primam meretur Christus secundùm divinitatem, & alteram secundùm humanitatem, quia secundùm divinitatem excellentiam increatam habet per identitatem summam; & secundùm humanitatem eandem excellentiam increatam habet per unionem & participationem.

Nota iterùm. Quando duplici illa adoratione latriæ, suprema scilicet & inferiore, Christus adoratur, adoratur suppositum duplicis naturæ, divinæ & humanæ, Christus enim est tale suppositum; & quia quando Christus adoratur, adoratur totus, duplici illa adoratione adoratur secundùm utramque naturam, divinam & humanam; cùm utraque natura ad ejus totalitatem intrinsecè pertineat. Secundùm autem utramque naturam adoratur cum aliquo discrimine: nam adoratione suprema latriæ adoratur primariò secundùm naturam divinam, & concomitanter secundùm humanam; quia excellentia, propter quam sic adoratur, non in humanitate, sed in divinitate residet; adoratur verò adoratione latriæ inferioris primariò secundùm naturam humanam, & concomitanter secundùm divinam.

Porrò, quòd natura divina concomitanter adoretur adoratione inferiori, inconveniens non esse distertis verbis asserit S. Thomas hìc quæst. 25. art. 2. in O. ubi probans Christum secundùm humanitatem adoratione duliæ adorari posse, sic loquitur: *Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum, & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed adoratio duliæ; ita scil. quòd una & eadem persona Christi adoretur adoratione latriæ propter suam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis. Nec hoc est inconveniens: quia ipsi Deo Patri debetur honor latriæ propter deitatem, & honor duliæ propter dominium, quo gubernat creaturam.*

Responsio II.

Christus adorabilis est propter gloriam & sanctitatem creatam, quam habet secundùm humanitatem, & hæc adoratio inferior est omni adoratione latriæ, ac hyperdulia dicenda est.

Prima pars. Nempe quòd Christus adorabilis sit propter gloriam & sanctitatem, quam habet secundùm humanitatem, *probatur*. Quia puri homines sancti adorabiles sunt propter gloriam & sanctitatem creatam, quam habent. Ergo à fortiori Christus. Ratio pro utroque est, quia gloria & sanctitas creata tribuunt personæ, cujus sunt, excellentiam cultu dignam, ut per se manifestum est.

Secunda pars. Nempe quòd hæc adoratio, qua Christus adorabilis est propter gloriam & sanctitatem creatam humanitatis, inferior sit omni adoratione latriæ, *probatur*. Quia hæc adoratio non in excellentia increata, sed creata fundatur. At omnis adoratio fundata in excellentia creata, inferior est adoratione latriæ, quæ propter totam excellentiam increatam debetur, & honestè exhiberi potest. Ergo, &c.

Tertia pars. Quòd hæc adoratio hyperdulia dicenda sit, *probatur*. Nam hæc adoratio 1. est ejusdem speciei cum adoratione, quæ exhibetur Sanctis: fundatur enim in gloria & sanctitate creata Christi, quæ ejusdem speciei est cum gloria & sanctitate aliorum Sanctorum. Ergo hæc adoratio, sicut adoratio Sanctorum aliorum, est dulia. 2. Gloria & sanctitas creata Christi infinito prope excessu superant gloriam & sanctitatem Sanctorum aliorum, etiam simul sumptorum, adeòque habent summam quandam excellentiam relatè ad gloriam & sanctitatem Sanctorum aliorum, etiam simul sumptorum. Ergo adoratio duliæ, quæ Christo secundùm humanitatem exhiberi potest, fundatur in summa quadam excellentia relatè ad adorationem duliæ, quæ Sanctis aliis honestè potest exhiberi. Ergo cùm quælibet adoratio proportionetur excellentiæ, in qua fundatur, adoratio duliæ, quæ exhiberi potest Christo, ut homini, non simpliciter dulia, sed hyperdulia dicenda est.

Obj. 1. Christus est perfectè unus. Ergo unam tantùm habet excellentiam. Ergo adorabilis non est diversis speciebus adorationum. *Resp.* Christum ita esse perfectè unum, quatenùs est unum suppositum, non duo, ut tamen duas habeat naturas, tam distinctas, diversas, & inconfusas, quàm si esset duo suppositа, accidentaliter tantùm unita: unde fit, ut non una tantùm sit excellentia in Christo, sed multiplex, eaque notabiliter diversa. Et verò secundùm divinitatem habet excellentiam increatam per summam identitatem, & secundùm humanitatem habet eandem excellentiam increatam per participationem cum excellentia creata planè singulari, & quodammodo summa, quarum excellentiarum unaquæque completa est in suo genere, & diversi ordinis ab aliis, ac per se sumpta Christum reddit adorabilem specie adorationis sibi proportionata. Doctrinam hanc tradit S. Thomas hìc qu. 25. art. 2. in O. ubi ait, unam & eandem personam Christi adorari posse adoratione latriæ propter suam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.

Obj. 2. Quælibet persona divina, putà persona Patris plures habet excellentias, unam scilicet absolutam, & alteram relativam, & tamen persona Patris adorabilis tantùm est una specie adorationis propter illas excellentias, nempe adorationis supremæ latriæ. Ergo pariter Christus, &c. *R.* neg. cons. Disparitas est, quia in Patre excellentia absoluta inferior non est relativa, nec vicissim, & utraque æqualem exigit adorationem, adorationem scilicet supremam & perfectissimam latriæ: unde propter excellentias illas Pater adorabilis non est alia & alia adoratione, quarum una superior sit, & altera inferior, sed solùm propter illas pluribus titulis adorabilis est una specie adorationis, supremæ scilicet, & perfectissimæ. At in Christo plures sunt excellentiæ, inter se inæquales notabiliter: unde propter illas Christus alia & alia adoratione adorabilis est.

Obj. 3. Concilia definiunt, Christum una adoratione adorandum esse. *Resp.* dist. Concilia definiunt, Christum adorandum esse una adoratione ex parte rei adoratæ, C. Ex parte modi adorandi, *Neg. Nota*. Concilia damnant eos, qui dicunt Christum cum Verbo adorandum esse, tamquam unum cum altero, seu tamquam suppositum cum suppositо sibi speciali quidem, sed accidentali tantùm unione conjuncto, & non potiùs dicunt, Verbum hominem factum, cum carne sua una adoratione adorandum esse, tamquam unicum suppositum, in duabus naturis subsistens:

at Concilia non definiunt, Christum uno tantùm modo, seu una tantùm adorationis specie adorabilem esse.

Doctrinam hanc tradit S. Thomas hìc quæst. 25. art. 1. in O. *Si in uno*, inquit, *homine sunt plures causæ honoris, putà prælatio, scientia, & virtus, erit quidem illius hominis unus honor ex parte ejus qui honoratur, plures tamen secundùm causas honoris: homo enim est, qui honoratur & propter scientiam, & propter virtutem. Sic ergo cùm in Christo sit tantùm una persona divinæ & humanæ naturæ ..... est quidem ejus una adoratio & unus honor ex parte ejus, qui adoratur. Sed ex parte causæ, qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes, ut scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam. Si autem ponerentur in Christo plures personæ seu hypostases, sequeretur quòd simpliciter essent plures adorationes; & hoc est, quod in Synodis reprobatur, &c.*

Porrò ita Christus adorabilis est adoratione suprema latriæ secundùm divinitatem, & adoratione latriæ inferioris, ac hyperduliæ, secundùm humanitatem, ut tamen quotiescumque adoratur, adorari debeat adoratione suprema latriæ. Ratio est, quia ut ait Suarez hìc disput. 53. sect. 2. „ unusquisque sim- „ pliciter adorari debet perfectissimo honore, ratione „ suæ supremæ excellentiæ sibi debito, sicut Rex sem- „ per tractatur regio honore, non ducis, aut comitis.

Aliqui tamen distinctionem adhibent: nam ut hìc prosequitur Suarez. „ Observavit Cajetanus præser- „ tim id observandum esse in publica & communi „ Ecclesiæ adoratione: nam in interiori & privata, „ quæ solùm inter hominem & Christum intercedit, „ si quis rectè sciat distinguere rationes adorandi, „ poterit interdùm uti aliqua ex dictis adorationibus „ suo arbitrio & devotione: homines enim externa „ vident, & de exterioribus judicant, Christus au- „ tem Dominus intuetur cor, & intentionem cogno- „ scit. " Hanc Cajetani distinctionem probare non possumus, quia omninò videtur nobis rationem allatam nempe quòd unusquisque simpliciter adorari debeat perfectissimo honore, &c. valere pro omni adoratione, adeòque non solùm pro publica & communi, sed etiam pro interiori & privata.

At inquies. Possumus amare, admirari, & laudare Christum ob excellentiam increatam participatam, aut excellentiam creatam sanctitatis & gloriæ, non excludendo, sed tantùm præscindendo ab amore, admiratione, & laude ipsi debitis propter excellentiam increatam modo excellentissimo, hoc est, per summam identitatem habitam. Ergo similiter possumus saltem privatim adorare Christum præcisè propter excellentiam increatam participatam, aut etiam excellentiam creatam gloriæ & sanctitatis, modò non excludamus, sed tantùm præscindamus à summo honore, illi debito propter excellentiam increatam, quam per summam identitatem habet Deus.

Resp. neg. conseq. Disparitas est, quia Christum amando, admirando, & laudando præcisè propter excellentiam increatam participatam, aut excellentiam creatam sanctitatis & gloriæ, sine exclusione amoris, admirationis, quæ illi debetur propter increatam excellentiam, quam ut Deus habet per identitatem, non indecenter tractamus eum: at adorando illum præcisè propter excellentiam increatam participatam, aut excellentiam creatam sanctitatis & gloriæ, illum tractamus indecenter, etiamsi non excludamus adorationem supremam, ipsi aliunde debitam: videtur enim persona eo ipso indecenter tractari secundùm prudentem æstimationem, quòd non honoretur perfectissimo honore, ipsi propter maximam suam excellentiam debito; sive publicè, sive privatim honoretur; nisi tamen cedat jure suo, & permittat sibi minorem exhiberi honorem, aut is qui honorat, aliunde jus habeat ad minorem honorem, vel non teneatur ad majorem exhibendum.

Quæres. Utrùm humanitas Christi possit per se & præcisè adorari non adorato Verbo?

Ad hanc quæstionem Suarez disputatione proximè citata sect. 3. respondet, 1. „ Propriam & usi- „ tatam adorationem dirigendam esse ad personam, „ vel suppositum: nam propriè illud habet excel- „ lentiam, & potestatem, & dominium, & reliqua „ in quibus adoratio fundatur. 2. Nihilominùs ta- „ men non repugnare, ipsammet humanitatem, „ quæ reipsa conjuncta est Verbo, cogitatione præ- „ scindere, & circa illam occupari per actus adora- „ tionis, ita ut illa sola sit materia, in qua tales „ actus versentur: hoc enim licèt minùs proprium „ sit, nullam tamen repugnantiam involvit, cùm „ in tali natura sit sufficiens principium adoratio- „ nis.

Hanc Suarez sententiam acriter impugnat Vasquez hìc disput. 96. ubi cap. 4. sic loquitur: „ Mihi sanè summoperè placuit sententia eorum, qui affirmant „ in universum, humanitatem Christi nunquam de- „ center adorari, nisi adorata simul Deitate, & ipso „ Verbo, cui est unita. " Vasquesio libenter assentimur. 1. Quia adoratio videtur semper esse dirigenda ad personam; nam ut observat Suarez ipse, propriè loquendo, non natura, sed persona habet excellentiam, in qua fundatur adoratio. Ita docet S. Thomas hìc qu. 25. art. 1. in O. ubi ait: *Propriè honor exhibetur toti rei subsistenti: non enim dicimus, quòd manus hominis honoretur, sed quòd homo honoretur. Et si quandoque contingat, quòd dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quòd hujusmodi partes secundùm se honorentur: sed quia in istis partibus honoratur totum.* Unde juxtà S. Doctorem, quando honoramus humanitatem Christi, vel ejus vulnera v. g. non ea secundùm se, sed Christum ipsum totum in illis honoramus.

2. Quia humanitatem per se & præcisè honorare non possumus tantùm, quantùm honorari potest; cùm possit simul cum Verbo, cujus natura est, adoratione suprema & perfectissima latriæ coadorari. Videtur autem humanitas Christi, cùm adoratur sive publicè, sive privatim, indecenter tractari, si non adoretur tantùm, quantùm adorari digna est, adeòque si non adoretur una cum Verbo sibi substantialiter conjuncto, propter increatam excellentiam Verbi. Affert etiam pro hac sententia Patres & Concilia Vasquesius, qui consuli potest.

ARTICULUS IV.

Utrùm Angeli beati, & sancti homines vita functi; & cum Christo regnantes in cœlis, sint adorabiles cultu aliquo sacro.

PRimus, qui sacrum cultum Sanctorum reprobavit, & Christianis objecit, videtur fuisse Julianus Apostata. Ex hæreticis verò primus cultum hunc damnavit Leo Isaurus. quem secutus est filius ejus Constantinus Copronymus, qui edicto publicè proposito invocationem, & cultum Sanctorum prohibuit; in quo etiam insigniter blasphemans, ajebat beatam Virginem, quam Dei Matrem appellare dedignabatur, dignam quidem fuisse honore aliquo, quandiu Christum in utero gestavit, posteà verò nullo honore dignam fuisse. Copronymum, hominem luxuria, idololatria, homicidiis, & arte magica infamem, multis post sæculis secuti sunt Vvicleffistæ, & Vvicleffistas Calvinus, & Centuriatores, qui honorem sacrum, quem Sanctis defert Ecclesia, idololatriam appellant. Sed contra illos omnes sit

Responsio I.

Angeli beati, & homines sancti, cum Christo regnantes, adorandi sunt.

Prb. 1. Ex Scriptura, in qua dicuntur justi ac prudentes viri adorasse sanctos Angelos. Nam v. gr. Josue cap. 5. hæc leguntur: *Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum stantem*

tem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait, &c.

Prob. 2. Ex usu & praxi veteris Ecclesiæ, quæ dies festos instituit, & templa Deo dicavit in memoriam & honorem Sanctorum, ut testes sunt S. Augustinus sermone 1. de beatis Petro & Paulo, ubi ait: *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo credentium.* Et S. Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Cypriani martyris, in qua sic loquitur: *Cyprianus ferè nobis effluxit, o grave damnum! idque vos passi estis, qui in eum omnium maximè suspicitis, annuisque honoribus festisque celebratis.*

Ejusdem Ecclesiæ veteris praxim testantur veteres Synodi, nempe Laodicena can. 31. quo dicitur: *Non oportet Christianum, derelictis martyribus Christi, abire ad falsos martyres: hi enim alieni à Deo sunt.* Et Gangrensis can. 20. quo dicitur: *Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conventus qui per loca, & basilicas sanctorum Martyrum fiunt accusaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas putaverit, anathema sit.*

Prob. 3. Authoritate Patrum, pro quibus omnibus hìc erunt S. Ambrosius serm. 6. ubi hæc habet: *Igitur, fratres, quotiescumque memoriam Martyrum celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dubitatione concurrere debemus reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt ..... præsertim cum dicat ad Sanctos suos omnipotens Deus:* Qui vos honorat, me honorat; & qui vos spernit, me spernit: *Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum; & qui spernit sanctos, spernit & Dominum.* Et S. Damasc. lib. 4. Orthodoxæ fidei c. 16. ubi ait: *Sanctis ut Christi amicis & Dei filiis atque hæredibus, honor haberi debet.* Et inferiùs: *Ecquid igitur causæ esse potest, quin eos honore complectamur, qui Dei servi & amici ac filii appellati sunt?* His adde Nazianzenum & Augustinum, verbis supra laudatis.

Prob. 4. Authoritate Synodi septimæ generalis, quæ fuit Nicæna secunda. Hæc in fidei definitione, postquam definiit, in sanctis Dei Ecclesiis & sacris vasis, &c. imagines Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum collocandas esse ad venerationem, hanc rationem subjicit: *Imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.* Juxta hanc igitur Synodum, Sancti in imaginibus suis adorari possunt; & honestè adoramus imagines Sanctorum, quia adorando illas, adoramus Sanctos ipsos, quorum sunt imagines. Sic autem ratiocinando, Synodus evidentissimè supponit ut veritatem etiam ab ipsis Iconoclastis receptam, Sanctos honestè adorari propter excellentiam eis intrinsecam gloriæ ac sanctitatis.

Et verò, quod non est hìc prætermittendum, Synodus pseudo-septima, quæ fuit Iconoclastarum sub Constantino Copronymo, postquam can. 16. imaginum sacrarum usum proscripsit his verbis: *Si quis Sanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatis & mutis, materialibus coloribus depingere studeat, cum nullum omninò usum afferant picturæ, anathema;* canon. 17. sic apertè definit Sanctos ipsos invocandos esse, ac venerandos: *Si quis non confitetur omnes, qui à sæculo hucusque, & ante legem, & in lege, & in gratia à Deo data fuerunt, Sanctos venerandos esse coram Deo & anima & corpore, & horum intercessiones non petierit, utpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo secundum ecclesiasticam traditionem intervenire, anathema.* Ex quo apparet, tunc temporis traditionem de invocandis & honorandis Sanctis in cœlo regnantibus cum Christo, adeò receptam & constantem fuisse, ut à Copronymo ad Sanctorum intercessionem, & venerationem proscribendam adduci non potuerint Episcopi Iconoclastæ, quos proinde à Calvino & Centuriatoribus impietate superari manifestum est.

To. 7. Conc. p. 871. 2.

Prob. 5. Authoritate Concilii Tridentini sess. 25. in decreto de invocatione, vel veneratione & reliquiis Sanctorum, &c. Et ratio est, quia Sancti propriam habent excellentiam, vi cujus cultu, ac veneratione digni sunt.

Obj. 1. Scriptura reprehendit cultum sanctorum: nam 1. Deuteron. cap. 6. dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* 2. 1. ad Timoth. cap. 1. sic loquitur Apostolus: *Soli Deo honor & gloria.* 3. Dæmoni adorationem postulanti Christus respondit: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, &c.* 4. Actorum cap. 4. Paulus & Barnabas Lycaones, ipsos adorare volentes, impediunt. 5. Actorum cap. 10. Cornelius adorans Petrum, ab eo prohibetur. 6. Apocalypsæos cap. 19. Angelus Joannem, ipsum adorantem, prohibuit. 7. Mardochæus constanter recusavit coram Amano genuflectere, *Esther cap.* 3.

Resp. neg. objectionem. *Ad* 1. & 2. *probationem Resp.* In illis locis agi de adoratione suprema latriæ. *Ad* 3. *Resp.* Dæmonem postulasse adorationem latriæ, & aliunde illum omni reverentia indignum esse: unde jure meritò repulsam à Christo passus est. *Ad* 4. *Resp.* Lycaones latriæ adorationem Paulo & Barnabæ obtulisse: unde Paulus & Barnabas illos prohibere debuerunt. *Ad* 5. *Resp.* Cornelium volentem adorare Petrum, à Petro prohibitum fuisse præ modestia, non quòd Cornelius eum adorando peccaret. *Ad* 6. *Resp.* Angelum à Joanne adorari noluisse, ut singularem suam erga humanitatem assumptam à Verbo, reverentiam ostenderet.

Nota. Ante incarnationem, boni Angeli passi sunt se ab hominibus adorari: at post Incarnationem non patiuntur, propter singularem reverentiam, quam habent humanitati Christi, & propter singularem dignitatem, quam tota natura humana ex Verbi Incarnatione accepit.

Ad 7. *Resp.* Cum Vasquesio, Mardochæum noluisse coram Amano genuflectere, quamvis hæc genuflexio non esset cultus latriæ (nam credibile non est, Assuerum subditis suis imperasse, ut Amano deferrent cultum divinum, quem ipse sibi nunquam exegerat) Mardochæum, inquam, noluisse coram Amano genuflectere, quia ipse Judæus erat, & apud Judæos nonnisi soli Deo genuflexio communiter exhibeatur; Regibus autem & principibus rarò, nec nisi ex magna causa: Quare Mardochæus meritò timuit, ne aliis præberet scandalum, si passim Amano genuflecteret.

Obj. iterùm. Patres passim dicunt, adorationem soli Deo exhibendam esse. Item Concilium Laodicenum can. 35. anathematizat eos, qui colunt Angelos. Item Sancti non degunt nobiscum. Ergo nec debemus, nec possumus eos adorare. Item de fide non est, hunc hominem, putà Petrum Apostolum, sanctum esse, & esse in cœlo. Ergo, &c.

Resp. ad 1. Patres, quando hoc dicunt, loqui de adoratione absoluta & suprema latriæ. *R. ad* 2. Concilium Laodicenum prohibere, can. cit. cultum malorum angelorum, seu Dæmonum. *R. ad* 3. neg. cons. Ex eo enim quòd nobiscum non degunt, non minùs digni sunt reverentia, immò verò idcircò digniores sunt, quia sunt in feliciori & sanctiori statu, vitamque sanctiorem agunt, & cum Christo regnant. Præterea, rerum nostrarum cur amgerunt, pro nobis orando, & omnia quæ ad eorum statum pertinent, cognoscunt in Verbo, in quo proinde vident cultum, quem illis exhibemus, & quoties exhibemus. *Resp. denique ad* 4. 1. neg. ant. Cujus falsitas patet ex tract. nostro de fide. 2. Esto ant. neg. conseq. Nam saltem de fide est, quòd Sancti, in cœlo regnantes cum Christo, adorabiles sint; & insuper certum est morali saltem certitudine, Petrum Apostolum sanctum esse, & in cœlo regnare cum Christo; quod sufficit ad hoc, ut cultus sacer Petro Apostolo honestè possit deferri.

Re-

Responsio II.

Angeli beati, & homines sancti cum Christo regnantes, adorabiles sunt absoluta adoratione duliæ.

1. Quòd sint adorabiles adoratione absoluta, *prob.* Quia adoratio absoluta dicitur ea, quæ fundatur in propria & intrinseca excellentia rei, quæ adoratur. Sed Sancti propriam habent & intrinsecam excellentiam, in qua fundari potest aliqua adoratio. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam gratia & gloria Sanctorum est aliquid ipsis inhærens, illisque tribuens excellentiam quandam cultu dignam.

2. Quòd hæc absoluta adoratio, quæ sanctis exhiberi potest, sit adoratio duliæ, *Prob.* Quia adoratio duliæ est ea, quæ medium locum tenet inter adorationem latriæ, & adorationem merè humanam & politicam, ita ut sit ordinis inferioris quàm omnis adoratio latriæ, & superioris ordinis, quàm omnis adoratio merè humana & politica. Atqui adoratio absoluta, quæ Sanctis potest exhiberi, talis est. Ergo, &c.

Prob. min. Nam excellentia gratiæ & gloriæ, in qua fundatur adoratio absoluta, quæ Sanctis potest exhiberi. 1. Est excellentia creata, proindeque ordinis inferioris, quàm excellentia increata, in qua fundatur omnis adoratio latriæ, tam inferior quàm superior. 2. Est excellentia supernaturalis, adeòque ordinis superioris, quàm excellentia naturalis, in qua omnis adoratio merè humana & politica fundatur. Ergo absoluta adoratio, quæ Sanctis exhiberi potest, est inferioris ordinis, quàm omnis adoratio latriæ, & superioris, quàm politica: adoratio enim absoluta proportionatur excellentiæ in qua fundatur, & propter quam exhibetur, & est cum illa in eodem ordine, ut per se manifestum est.

Obj. 1. Quando adoratur Sanctus, quia sanctus est, adoratur, quia amicus Dei est. Ergo adoratur propter Deum, adeòque adoratur adoratione respectiva latriæ, & sic non adoratur adoratione absoluta duliæ. *Resp.* neg. conseq. nam Sanctus quando adoratur, quia sanctus est, adoratur propter propriam & intrinsecam excellentiam luminis gloriæ, gratiæ habitualis, & aliorum donorum supernaturalium, quæ illum reddunt proportionatum amicitiæ divinæ, eaque dignum: unde sequitur tantùm, quòd tunc Sanctus adoretur propter aliquid sibi proprium, & intrinsecum, habens ordinem ad Deum. Aliud autem est, Sanctum adorari propter aliquid habens ordinem ad Deum, sibi proprium & intrinsecum; & aliud, Sanctum adorari propter Deum, seu propter increatam Dei excellentiam.

Confirmatur hæc nostra responsio. Nam si Sanctus adoratur propter Deum, quando adoratur quia sanctus est, & amicus Dei; vel adoratur immediatè propter Deum, vel saltem mediatè. Neutrum dici potest. Non primum: nam tunc Sanctus adoratur immediatè propter propriam sibi & intrinsecam excellentiam. Ergo non adoratur immediatè propter increatam excellentiam Dei. Non etiam secundùm. Nam tunc adoratur Sanctus propter propriam sibi & intrinsecam excellentiam, quæ colitur propter se, non propter excellentiam divinam: qui enim adorat Sanctum, quia sanctus est, hæret in propria & intrinseca excellentia Sancti, quæ propter se honorabilis est, & quam honorans intendit honorare propter se.

Quòd si Sanctus adoraretur propter sanctitatem suam, honoratam non propter se, sed præcisè propter excellentiam naturæ divinæ, cujus est singularis quædam participatio, tunc adoraretur mediatè propter Deum; sicut propter illum immediatè adoraretur, si adoraretur præcisè quia à Deo diligitur; vel quia est quoddam Dei templum, quod Deus specialiter inhabitat; aut imago quædam, in qua magis ad vivum relucet divina bonitas & excellentia. In utroque autem casu, adoratio Sancti esset non adoratio absoluta duliæ, sed adoratio respectiva latriæ. Sapienter autem monent Scholastici post S. Thomam hìc qu. 25. art. 5. ab hujusmodi Sanctorum adoratione abstinendum esse, tum ad vitandum periculum erroris & idolatriæ, tum quia Sancti adorabiles sunt adoratione absoluta, propter propriam & intrinsecam excellentiam; & melius est illis, sic adorari propter excellentiam propriam, quamvis creatam, quàm adorari adoratione relativa propter excellentiam alienam, etiam increatam.

At inquies. Deus communiter dicitur honorari in Sanctis, qui honorantur propter sanctitatem suam. Non nisi quia quando honorantur propter sanctitatem suam, propter Deum honorantur. Ergo, &c. *Resp.* neg. min. Deus dicitur honorari in Sanctis, non quia honorantur propter Deum, sed quia propter specialem, quam habent cum Deo conjunctionem, honoratio illorum est quædam honoratio Dei, & illorum inhonoratio est quædam Dei inhonoratio: sicut honoratio ministri, vel consanguinei Regis, est quædam honoratio Regis, & inhonoratio ministri, & consanguinei Regis, est quædam Regis inhonoratio in prudenti æstimatione. Præterea, Deus dici potest honorari in Sanctis, qui honorantur, quia sanctitas propter quam honorantur, est excellens quædam participatio naturæ divinæ, in quam proinde moraliter redundat honor sanctitati illi exhibitus.

Obj. 2. Adoratio quam exhibemus Sanctis ob sanctitatem eorum, non elicitur ab habitu supernaturali religionis. Ergo non est cultus religiosus, sed merè humanus & politicus. *Resp.* neg. conseq. Itaque probabilius quidem est, adorationem duliæ, & adorationem latriæ, propter nimiam excellentiarum, in quibus fundantur, diversitatem, non elici ab eodem habitu supernaturali, sicque probabilius quidem est, habitum supernaturalem religionis versari circa solùm cultum latriæ, & cultum duliæ esse ab alio supernaturali habitu innominato: at nihilominùs adoratio duliæ, quæ Sanctis exhibetur propter excellentiam gloriæ & sanctitatis, quam habent, cultus est sacer ac religiosus. 1. Quia maximam habet cum cultu divino affinitatem; unde qui colit Sanctos propter sanctitatem eorum, hoc ipso promptissimus est ad colendum Deum. 2. Quia per eadem ferè signa omnia exercetur, quibus exercetur cultus divinus, ut manifestum est ex praxi Ecclesiæ. 3. Quia exhibetur propter excellentiam, quæ est singularis quædam, eximia, & supernaturalis participatio divinæ naturæ. Hinc Sanctorum inhonoratio, etiam qua talis est, est sacrilegium, non quidem strictè loquendo, quia qua talis, non opponitur virtuti religionis, sed paulò latiùs, quia qua talis, seu qua inhonoratio Sanctorum est, cultui sacro ac religioso opponitur. Dico inhonorationem Sanctorum, præcisè qua Sanctorum inhonoratio est, non esse sacrilegium strictè loquendo: nam sub alia ratione, nempe qua est etiam quædam Dei inhonoratio, sicut inhonoratio legati Regis, est etiam Regis ipsius inhonoratio, est sacrilegium propriè, quia sub hac ratione virtuti religionis verè opponitur.

Responsio III.

Beata Virgo adorabilis est adoratione absoluta hyperduliæ.

Et 1. quidem, quòd beata Virgo sit adorabilis, evidenter sequitur ex prima responsione. Nam si Angeli beati, & homines sancti adorabiles sunt, à fortiori beata Virgo adoratione digna est. Accedit praxis Ecclesiæ etiam veteris, quæ beatæ Virgini sacrum, ac religiosum cultum exhibuit; dies festos instituit, & templa atque altaria Deo erexit ad eam honorandam.

2. Quòd B. Virgo adorabilis sit adoratione absoluta, sequitur ex responsione secunda, & adhuc sic breviter probatur: quia B. Virgo habet propriam & intrinsecam excellentiam, propter quam adorari potest. Hæc autem excellentia duplex est, nempe sanctitas cum gloria, & dignitas maternitatis, quæ est ipsi moraliter intrinseca: ex eo enim quòd B. Virgo fuerit Mater Dei Verbi, moralem habet dignitatem, ipsi moraliter intrinsecam.

3. Quòd

3. Quòd beata Virgo adorabilis sit adoratione hyperduliæ, *Probatur*. Quia adoratio hyperduliæ est adoratio duliæ cujusdam singularis & eximiæ. Atqui beata Virgo tali adoratione digna est, tum propter singularem & eximiam sanctitatem & gloriam, tum proper maternitatis dignitatem singulari modo excellentem, quo duplici titulo Sanctis aliis omnibus, tam Angelis, quàm hominibus, singulari modo eminet.

Ita docet sanctus Thomas hic quæst. 25. art. 5. in quo quærit, utrùm Mater Christi adoranda sit adoratione absoluta latriæ? & in O. non esse sic adorandam probat his verbis: *Nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ. Cùm igitur beata Virgo sit pura creatura rationalis non debetur ei adoratio latriæ.* Tum ut ei adorationem hyperduliæ debitam esse probet, sic prosequitur: *Sed solùm* (debetur ei) *veneratio duliæ, eminentiùs tamen; quàm cæteris creaturis, in quantùm ipsa est Mater Dei* (supple & huic divinæ maternitati proportionatam habet sanctitatem & gloriam) *& ideò dicitur, quòd debetur ei, non qualiscumque dulia, sed hyperdulia.*

Quæres, an non beata Virgo adorari possit adoratione respectiva latriæ, sicut Crux Christi, & aliæ ejus imagines adorantur?

R. Physicè loquendo beata Virgo propter contactum ad Corpus Christi, tam potest adoratione respectiva latriæ adorari, quàm Crux Christi; & si propter contactum illum adoretur, adorabitur propter increatam Dei excellentiam, sicut ipsa Crux. Dixi, physicè loquendo: nam à tali adoratione beatæ Virginis abstinendum est, tum ad vitandum periculum erroris, tum quia beata Virgo propriam habet, eamque eminentem excellentiam, propter quam adorari potest adoratione absoluta; in quo disparitas est inter beatam Virginem, & Crucem Domini, quæ secundùm se considerata, non est capax venerationis, quæ secundùm se nullam habet excellentiam, propter quam creatura rationalis honestè possit ei se submittere: unde aliter adorari non potest, quam adoratione respectiva latriæ, propter excellentiam increatam Dei Verbi, quod in ea ad redimendum genus humanum sese secundùm humanitatem Deo Patri obtulit. Vide S. Thomam articulo citato ad 3.

Contra cultum beatæ Virginis objiciunt hæretici S. Epiphanium hæresi 79. quæ fuit Collyridianorum, ubi §. 1. mulieres aliquas reprehendit, quòd beatam Virginem colerent. *Etenim*, inquit, *mulieres quædam currum sive sellam quadratam adornantes, ac lineo desuper extento, solemni tempore, per aliquot dies panem proponunt, & in Mariæ nomen offerunt: tum ad unam omnes illos vescuntur.* R. S. Epiphanius mulieres illas reprehendere, non quòd cultum duliæ, vel hyperduliæ beatæ Virgini deferrent, sed quòd eam ut Deum colerent adoratione suprema latriæ, eique tanquam Deo munera offerrent. Veritas hujus responsionis patet ex §. 4. ubi cultum à præfatis mulierculis beatæ Virgini delatum impugnans, sic ait: *Sanctum erat Mariæ corpus, fateor: non tamen Deus illa fuit. Eadem & virgo extitit, & honorata fuit; minimè tamen nobis adorandum proposita, sed eum adorans ipsum, qui è sua carne genitus, è cœlo ac paterno sinu descenderat.* Cultum igitur à mulierculis Beatæ Virgini exhibitum culpat S. Epiphanius, quia Beata Virgo non est Deus: quæ ratio manifestè probat tantùm, cultum latriæ deferendum non fuisse Beatæ Virgini, & quia mulierculæ illæ eandem Beatæ Virgini exhibebant adorationem, quàm ipsa exhibuerat Deo Verbo, ex ea secundùm humanitatem genito: hæc autem adoratio erat adoratio suprema latriæ.

Objiciunt iterùm hæretici catholicis, quòd B. Virgini, ad eam honorandam, titulos deferant, qui soli Deo possunt convenire: nam Athanasius appellat illam regeneratricem, Bernardus restauratricem & advocatam, Ecclesia spem nostram, in Antiphona, *Salve Regina*, B. Ephrem, salutem mundi. Denique in Ecclesia canitur B. Virgini: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.*

Resp. Cùm Vasquez hìc disp. 99. cap. 2. catholicos honoris causa titulos illos beatæ Virgini tribuere, non quòd illam habere credant æqualem cum Filio suo dignitatem, sed ad explicandam eximiam illius apud Filium intercessionem. Vocamus igitur beatam Virginem regeneratricem, restauratricem, advocatam, spem nostram, salutem mundi, & cunctarum hæresum domitricem, quia ejus intercessio apud Filium, qui est spes nostra, auctor, & restaurator vitæ spiritualis, & hæresum omnium extinctor, maximi ponderis est; quod ab idololatria toto cœlo distare quisque facilè potest videre.

ARTICULUS V.

Utrùm imagines Dei & Sanctorum adorabiles sint.

PRæter Mahumetanos, & Judæos, imaginibus omnibus infensissimos, hæretici multi imaginum adorationem impugnarunt, nempe intra quinque priora Ecclesiæ sæcula Marcionistæ primùm, deinde Manichæi, posteà Eutychiani, & Theopaschitæ. Sæculo octavo Leo Isaurus Orientis Imperator, à Judæis quibusdam artis magicæ peritis delusus, post eum filius ejus Constantinus Copronymus, & Copronymi filius Leo quartus cognomine Chasarus. Nono sæculo Leo Armenus, Michael Balbus, & Theophilus Orientis Imperatores. Eodem sæculo in Occidente Claudius Episcopus Taurinensis, Felicis Urgellitani discipulus. Sæculo duodecimo Albigenses. Sæculo decimo quarto Vvicleffistæ, & sæculo decimo sexto Carlostadius Lutheri discipulus, quem secuti sunt Zuvingliani, & maximè Calvinus. Contra quos omnes sit.

Responsio.

Imagines Dei & Sanctorum adorari possunt.

Prob. 1. Auctoritate Conciliorum particularium, nempe Romani III. sub Gregorio II. anno 726. celebrati, in quo Leo Isaurus Iconoclasta, cum aliis ejusdem hæreseos sectatoribus anathematizatus est, & sacrarum imaginum veneratio confirmata. Hierosolymitani sub Theodoro Patriarcha, quæ, ut in libello synodico dicitur, recens natam Iconoclastarum hæresim anathemati subjecit.

Romani II. sub Gregorio III. anno 732. celebrati à nonaginta tribus Episcopis, in quo de usu sacrarum imaginum decretum editum est, & anathemate percussi, qui huic decreto adversarentur.

Lateranensis sub Stephano III. anno 769. cui cum Episcopis Italis interfuere Episcopi Galli duodecim, & in cujus actione 4. communi omnium, qui aderant, Episcoporum consensu editus est hic canon: *Si quis sanctas imagines Domini nostri Jesu Christi, & ejus Genitricis, atque omnium Sanctorum secundùm sanctorum Patrum statuta venerari noluerit, anathema sit.*

Constantinopolitani anno 842. Theophilo Imperatore Iconomacho è vivis sublato, Michaelis, & matris ejus Theodoræ cura convocati, in quo, pulso Joanne Patriarcha hæretico, & S. Methodio in ejus locum suffecto, sacræ imagines, ut in libello synodico legitur, ad eam venerationem, quæ eis olim debebatur, reductæ sunt. Sic tandem Iconoclastarum hæresis post centum viginti annos in Oriente penitùs extincta est.

Et Senonensis celebrati anno 1528. in decr. 14. in quo relatis hisce Damasceni verbis: *Non abs re igitur Apostoli vivificam crucem & sacras erexerunt imagines, quæ cum ab initio nascentis Ecclesiæ debita semper ab orthodoxis veneratione colerentur, nihil illis à sacrosanctis quatuor universalibus Concilis derogatum est.* In calce dicitur: *Quisquis igitur de Christi vel SS. imaginibus aliter senserit, is Christo & Sanctis*

injurius, cum Vvaldenſibus peſtiferam hæreſeos labem ſe noverit incurriſſe.

Prob. 2. Auctoritate Conciliorum generalium, nempe Nicæni ſecundi, anno 787. celebrati, præſidibus Adriani primi legatis, cui cum Tharaſio Conſtantinopolitano & monachis duobus Joanne ac Thoma, qui ſedium Orientalium Alexandrinæ ſcilicet, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ locum tenebant, interfuerunt Epiſcopi 350. Actione autem ſeptima in fidei definitione poſtquam definitum eſt venerabiles, ac ſanctas imagines proponendas in templis, ſacris vaſis, & veſtibus & in parietibus, domibus, &c. ſic Patres loquuntur: *Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacriùs eriguntur ad primitivorum earum memoriam & deſiderium, & his oſculum & honorariam adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam decet, impertiendam, &c.* Et paulò inferiùs: *Imaginis honor in prototypum reſultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat depicti ſubſiſtentiam.*

Et Tridentini ſeſs. 25. in decreto de ſacris imaginibus aſſerentis: *Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quòd credatur ineſſe aliqua iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum; vel quòd fiducia ſit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

Prob. 3. Ex perpetua Eccleſiæ praxi, veterum teſtimoniis probata in Synodo Nicæna ſecunda, actione 4. & 5. Et apud S. Damaſcenum in orationibus, quas conſcripſit de imaginum uſu & cultu.

Prob. denique 4. Ratione: nam imaginum cultus nulla lege prohibitus eſt. 1. Enim prohibitus non eſt lege naturali, quia nullam habet intrinſecam indecentiam. 2. Non eſt prohibitus lege aliqua poſitiva: nulla enim ejuſmodi lex extat ſaltem in novo teſtamento. Præterea, honeſtum eſt perſonam honorabilem honorare non ſolùm in ſe, ſed etiam in imagine: nam eo ipſo quòd perſona aliqua honorabilis eſt, digna eſt, ut honoretur non ſolùm in ſe, ſed etiam in iis, quæ ſpecialem aliquam cum illa conjunctionem vel habitudinem habent. Ergo, &c.

Obj. 1. Illud Exodi cap. 20. *Non facies tibi ſculptile*, reſpondet Suarez, verbis illis à Deo Judæis prohibita fuiſſe tantùm idola, & deorum falſorum imagines. Vaſquez verò quaſcunque imagines, quæ in forma eſſent apta ad cultum eis exhibendum, Judæis propter nimiam eorum ad idololatriam propenſionem prohibitas fuiſſe contendit. Utraque ſententia ſuam habet probabilitatem: Quare

Reſp. Judæis ad ſummum imagines quaslibet, quæ eſſent in forma apta ad cultum, prohibitas fuiſſe præcepto divino merè poſitivo, quòd una cum lege veteri antiquatum eſt.

Obj. 2. Illud Iſaiæ cap. 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* *Reſp.* Hoc loco & aliis ſimilibus non damnari imagines Dei, ſed ſolùm oſtendi, quòd formari non poſſit Dei imago, quæ illum repræſentet, ut in ſe eſt, cùm ſit incorporeus, adeòque omni figura careat. Nec aliud volunt Patres, cùm imagines Dei improbare videntur.

Obj. 3. Sanctorum Patres, nempe ſanctum Irenæum lib. 1. adversùs hæreſes cap. 15. ubi Gnoſticos reprehendit, quòd haberent quaſdam Chriſti imagines depictas, quas colebant. Sanctum Ambroſium in oratione de obitu Theodoſii dicentem: *Regem* (Chriſtum) *adoravit* (Helena) *non lignum utique, quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum: ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo.* S. Hieronymum in cap. 3. Danielis, ubi ad hæc verba: *Notum tibi ſit, Rex, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, &c.* ſic ait: *Sive ſtatuam, ſive imaginem auream voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo judices & Principes ſæculi, qui Imperatorum ſtatuas adorant & imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo.* S. Auguſtinus in lib. de moribus Eccleſiæ cap. 34. ubi picturarum adoratores carpit. Et S. Gregorium pluribus locis aſſerentes imagines non eſſe adorandas.

Reſp. ad 1. A S. Irenæo reprehendi Gnoſticos, quòd illas Chriſti imagines ſacrificiis, ut gentes idola, colerent, atque inſuper illas eodem haberent loco, quo imagines Platonis, Pytagoræ, &c. Verba ejus ſunt: *Gnoſticos ſe autem vocant, etiam imagines quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Chriſti factam à Pilato, illo in tempore quo fuit Jeſus cum hominibus, & has coronant, & proponunt, eas cum imaginibus mundi Philoſophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquorum, & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter ut gentes faciunt.*

Repſ. ad 2. Sanctum Ambroſium loqui de adoratione ſuprema latriæ, alicui rei primariò & propter ſe exhibita, qualem adorationem gentiles idolis ſuis exhibebant, & qualem Helena, mulier chriſtiana, non ligno, nempe titulo crucis Chriſti, ſed ipſi Chriſto, qui in cruce pro ſalute noſtra pependerat, exhibuit. Quòd autem adoratio aliqua cruci Chriſti exhiberi poſſit, diſertè aſſerit paulò inferiùs: *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, & locavit, ut Crux Chriſti in Regibus adoretur.*

Ad 3. *R.* S. Hieronymum eos reprehendere, qui id faciebant, quod tres pueri facere noluerunt. Noluerunt autem tres pueri ſupremum latriæ cultum deferre ſtatuæ aureæ Nabuchodonoſoris: quare S. Hieronymus non eos, qui ſacras imagines cultu debito propter prototypa venerantur, ſed eos qui Imperatorum, quos ut deos habebant, ſtatuis vel imaginibus ſupremum latriæ cultum deferebant, reprehendit, ut ex toto contextu manifeſtum eſt.

Reſp. ad 4. Sanctum Auguſtinum loco citato carpere illos, qui picturas cultu ſuperſtitioſo adorabant: *Nolite*, inquit, *conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint quid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulchrorum, & picturarum adoratores.* Loquitur ergo S. Doctor, non de quibuslibet picturarum adoratoribus, ſed ſolùm de adoratoribus ſuperſtitioſis.

Reſp. ad 5. Sanctum Gregorium dicere tantùm, imagines adorandas non eſſe ut deos, ſicut gentiles idola ſua adorabant; vel, ſi vis, imagines adorandas non eſſe propter ſe, in illis ſiſtendo, quaſi aliquid in ſe divinum habeant: nam v. gr. ſic loquitur epiſtola, lib. 7. epiſtol. 53. ad Secundinum: *Scio quidem quòd imaginem Salvatoris noſtri non ideò petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recaleſcas, cujus te imaginem videre conſideras. Et nos quidem non quaſi ante divinitatem ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut paſſum, ſed in throno ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura quaſi ſcriptura ad memoriam Filium Dei reducit animum noſtrum, aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet.*

At inquies. S. Gregorius loco citato videtur, cultum omnem ſeu venerationem imaginibus denegare; cùm diſertè aſſerat, illas haberi non ad adorationem, ſed ſolùm ad recordationem prototyporum, quæ repræſentant, & quibus in præſentia imaginum, non verò ipſis imaginibus cultus ſacer deferendus eſt. *Reſp.* Falſum eſſe, quòd S. Gregorius cultum omnem ſacrum ſacris imaginibus deneget: nam dicendo, nos proſterni ante imaginem Chriſti,

sti, hoc ipso agnoscit, adorationem aliquam exhiberi imagini Christi; & dicendo, nos prosterni ante imaginem Christi, non tamquam ante divinitatem aliquam, solùm negat, latriæ adorationem exhiberi imagini Christi propter se, in ea sistendo tamquam ipsa Deus sit.

Juxta S. Gregorium igitur, quando ante imaginem Christi prosternimur, adorationem ei exhibemus, non propter se, cùm nullam in se excellentiam habeat, propter quam adoratione digna sit, sed propter Christum, quem in memoriam nostram revocat, quemque, ante ipsius imaginem prosternendo nos, propter se, seu propter increatam quam habet excellentiam, supremo latriæ cultu adoramus. Denique cùm videtur sanctus Doctor asserere, sacras imagines adhiberi tantùm ad recordationem prototyporum, sic loquitur, non ut arceat ab omnimoda illarum adoratione, sed tantùm ut significet illas non esse adorandas, nec in Ecclesia Catholica adorari adoratione absoluta, illis primò ac propter se exhibita. Ex his

Intellige eumdem sanctum Doctorem, cùm sic ait epistolarum lib. 9. epist. 9. ad Severum Massiliensem Episcopum: *Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses, omninò laudavimus: fregisse verò reprehendimus.* Et paulò inferiùs: *Aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere: nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant: in ipsa legunt, qui litteras nesciunt.*

Loquitur enim S. Gregorius de adoratione absoluta, rei alicui primariò & propter se exhibita, qualis adoratio imaginibus honestè exhiberi non potest, sed solis prototypis, quæ repræsentant nobis imagines, & repræsentando in memoriam nostram revocant: unde videndo illas, addiscimus quid absolutè primariò ac propter se adorandum sit. Quod non obstat, quominùs imaginibus ipsis venerationem aliquam exhibeamus, illas vel cum prototypis quæ repræsentant, concomitanter & quasi per accidens adorando, vel etiam illas adorando per se, non tamen propter se, sed propter prototyporum excellentiam, ad quam habitudinem aliquam habent. Hinc dicitur cap. *Venerabiles*, de consecratione dist. 3. desumpto ex Synodo septima act. 6. *Venerabiles imagines Christiani non deos appellant, neque serviunt eis ut diis ... sed ad memoriam & recordationem primitivorum venerantur eas, & adorant.*

Hinc etiam eadem sess. 6. audiente & consentiente universa Synodo, Epiphanius diaconus dicit: *An nondum sentimus, probam & laudabilem esse imaginum erectionem? an non sentimus spiritualiter nos per eas referri ad prototyporum recordationem? Sane sentimus. Quapropter non indignas habebimus eas honore, salutatione, & veneratione, debitamque adorationem illis dare debemus. Sive igitur placebit salutationem, sive adorationem appellare, idem profectò erit, modò sciamus excludi latriam, &c.* Et inferiùs: Qui verò dicunt, sufficere usum imaginum ad memoriam solùm, non verò ad salutationem eas habendas, illud quidem recipientes, hoc verò recusantes, semi-probi quadamtenùs & falsòveri, ut ita dicam, deprehenduntur; altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera verò perversè agentes. O insignem quoque horum insaniam!

Obj. 4. Concilium Eliberitanum can. 36. quo dicitur: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* *Resp.* Ab hoc Concilio, quod generale non fuit, nec approbatum à Sede Apostolica, non prohiberi absolutè imagines, sed solùm ne pingantur in parietibus, non ut ne in parietibus depictæ adorentur, sed quia sic depictæ, non poterant amoveri, atque ita persecutionis tempore gentilium ludibrio exponebantur: quæ ratio jam à multis sæculis locum non habet.

Obj. 5. Concilium Constantinopolit. à trecentis triginta & octo Episcopis sub Constantino Copronymo celebratum, in quo usus & cultus imaginum proscriptus est, can. 16. ut videre est act. 6. Synodi Nicænæ secundæ. *Resp.* Hujus Concilii, vel potiùs conciliabuli, nullam esse authoritatem: Quia 1. Rom. Pontifex nec per se, nec per Legatos suos illi interfuit. 2. Illi nec per se, nec per Legatos consensere Alexandrinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus Patriarchæ. Quod utrumque expressè testatur Zonaras in vita Constantini Copronymi: *Copronymus*, inquit, *multis Episcopis sibi suffragantibus convocatis, quorum princeps erat Theodosius Ephesinus, & Hastilas Pergamus, per eos quidquid libuit decrevit, nemine vel ex vetere Roma, vel ex aliis Patriarchis præsente. Eum concursum prophanorum hominum Synodum œcumenicam appellare non dubitavit.* Idem habet Sedrenus in compendio historiarum. 3. Concilium illud à Stephano II. Summo Pontifice reprobatum fuit, ut testatur Adrianus I. in epist. ad Constantinum & Irenem Augustos, & ab universa Ecclesia rejectum.

Porrò sapienter observat Bellarminus lib. 2. de imaginibus Sanctorum cap. 14. præfatum conciliabulum Constantinopolitanum imprudenter laudari à Calvino & Centuriatoribus, quia Concilium illud, etiamsi de imaginibus impiè senserit, tamen de cultu & invocatione Sanctorum, & de meritis bonorum operum sensit quod sentit Ecclesia, & anathema dixit iis, qui docent id quod docent Calvinus & Centuriatores: nam anathematizat can. 15. eos, qui non invocant beatam Virginem. Can. 17. eos, qui non colunt, nec invocant Sanctos alios. Et can. 18. eos, qui non credunt Deum unicuique secundùm sua opera retributurum in altera vita.

Porrò nobis etiam opponunt novatores Concilium aliud Constantinopolitanum, adversùs imagines sub Leone Isauro, Copronymi decessore celebratum. Sed similiter respondemus, conciliabulum hoc nullius esse authoritatis; cum celebratum fuerit sine authoritate Romani Pontificis, & sine consensu Patriarcharum aliorum omnium, Constantinopolitani, Alexandrini, &c. & à Gregorio II. in Synodo Romana reprobatum, ut testatur libellus synodicus, & Hadrianus I. in epist. ad Carolum Magnum.

ARTICULUS VI.

De Concilio Francofordiensi.

Obj. 6. Concilium Francofordiense, à quo asserunt Centuriatores reprobatam fuisse Synodum VII. seu Nicænam II. quæ imagines retinendas, & honorandas esse definiverat. Ad hanc objectionem Bellarminus lib. 2. de imaginibus cap. 14. respondet tria. Et primò quidem, quidquid Francofordiense Concilium definierit, non esse magni faciendum, quia sine dubio illi anteponi debet Concilium Nicænum II. quod certum est fuisse universalius, antiquius, & sine controversia à Summo Pontifice approbatum: Nam in eo adfuere Legati Hadriani I. cum Patriarcha Constantinopolitano, & Legatis aliorum Patriarcharum; & rursùs approbatum fuisse à Leone III. Hadriani successore. Patet ex Ivone decreti part. 4. cap. 147.

Secundò, nihil Catholicis Francofordiensem Synodum obesse, si quod dicunt Centuriatores cent. 8. cap. 9. verum est: nam ipsi dicunt, Synodo Francofordiensi non consensisse, sed repugnasse Hadrianum, & Legatos ejus. Certum autem est Synodum, cui Romanus Pontifex repugnat, nullius esse authoritatis, ut patet experientia: nulla enim Synodus unquam habita est legitima, cui Romanus Pontifex repugnaverit. Præterea, ibidem Magdeburgenses dicunt, Nicænam Synodum ab Hadriano confirmatam fuisse: Concilium autem Francofordiense reprobat

Synodum factam sine authoritate Papæ, ut patet ex libris Carolinis. Ergo Magdeburgenſium ipſorum judicio, non Nicæna noſtra Synodus, ſed aliqua alia in Concilio Francofordienſi reprobata eſt.

Tertiò, rem eſſe incertiſſimam, quid in Synodo Francofordienſi ſtatutum ſit de imaginibus; nam authores antiqui non ſibi conſtant, ſed contraria conjungunt. Multi verò Hiſtorici recentiores dicunt in Synodo Francofordienſi damnatam Synodum de tollendis imaginibus, quam Græci Septimam generalem vocabant, ut Platina, Blondus, Sabellicus, & Paulus Æmilius. Denique relata Alani Copi ſententia, quam ait ſuſpicari ſe falſam eſſe, & allatis ſuſpicandi rationibus, addit videri ſibi in Synodo Francofordienſi verè reprobatam fuiſſe Nicænam II. Synodum, ſed per errorem & materialiter: nam Author, inquit, librorum Carolinorum impoſuit Synodo, illique duo mendacia obtruſit. Unum mendacium fuit, in Synodo Nicæna definitum fuiſſe, ut imagines adorarentur cultu latriæ; alterum mendacium, decretum illud factum à Græcis ſine conſenſu Papæ Romani. His duobus mendaciis pro veritate habitis Synodus Francofordienſis meritò reprobavit Nicænam Synodum, tamquam prophanam, illegitimam.

Quòd illa duo mendacia fuerint perſuaſa Concilio, Bellarminus probat ex libris Carolinis, & ex antiquis Authoribus, qui falſam Synodum, quæ decreverat imagines eſſe adorandas, reprobatam eſſe ſcribunt, & ſine dubio per illud *adorandas*, intelligunt adorandas cultu latriæ; cùm ipſi quoque imagines venerandas eſſe doceant. Porrò verè mendacia eſſe, quòd Synodus Nicæna caruerit authoritate Papæ, & quòd decreverit imagines adorandas cultu latriæ, demonſtrat idem Author ex actis hujus Synodi. Sed

Quòd duo illa mendacia obtrudi potuerint Synodo Francofordienſi, vix ac ne vix quidem credibile eſt: nam 1. in hac Synodo adfuere Legati ſummi Pontificis Hadriani I. cujus juſſu convocata à Carolo Magno fuerat, atque adeò hæc Synodus facilè inſtrui potuit à Legatis illis, qui proculdubio Authori librorum Carolinorum, Nicænam Synodum ſine Summi Pontificis conſenſu celebratam fuiſſe mentienti, naviter reſtitiſſent, oſque obſtruxiſſent.

2. Dato quòd Synodus Francofordienſis Legatis Pontificiis fidem habere noluiſſet, habebat præ manibus genuina Nicænæ Synodi acta, quæ legati illi ſecum attulerant, & in quibus, quotquot habebant oculos, legere poterant, in ea Synodo non modò definitum non fuiſſe, imagines adorandas eſſe cultu latriæ, ſed è contra diſertis verbis declaratum in fidei definitione, ſalutationem & honorariam adorationem imaginibus exhibendam, non eſſe veram latriam; quippe quæ ſolùm divinæ naturæ competit.

Adde quòd Author librorum Carolinorum nullibi in quatuor ſuis libris aſſerere auſus ſit Nicænam Synodum definiviſſe, cultum latriæ imaginibus exhibendum. Hunc enim errorem aliquibus tantùm privatis per calumniam impingit; ut Conſtantino Conſtantiæ Cypri Epiſcopo, quem lib. 3. cap. 17. mentitur dixiſſe, ſe ſuſcipere & amplecti ſanctas & venerandas imagines eadem veneratione & adoratione, quam exhibet ſanctiſſimæ Trinitati: quare mendacium hoc, nempe à Nicæna Synodo definitum, imagines cultu latriæ adorandas, Synodo Francofordienſi obtrudere voluiſſe Authorem librorum Carolinorum, ſine fundamento dicitur.

Ex his etiam manet confutata conjectura Genebrardi in ſuo chronico, ſub anno 794. in hunc modum divinantis: *Addo, Patres qui Francofurtum convenerant, non ſatis habuiſſe perſpectam Nicænæ Synodi ſententiam, ac fuiſſe deceptos falſis rumoribus ac ſcriptis: nam contra eam ſic dimicarunt, ac ſi ad ſtatuendam imaginum adorationem ſimpliciter incubuiſſet, cùm potius de retinendis imaginibus ſanxiſſet & egiſſet adverſus Conſtantinopol. VII. pſeudo-Synodum, quæ de confringendis & omnino tollendis, paulò antea canones tulerat:* cùm enim Synodus Francofordienſis præ manibus habuerit acta Nicænæ Synodi, & præſentes Legatos Pontificios; gratis omninò dicitur, eam decipi potuiſſe falſis rumoribus, & ſcriptis, ſeu libris Carolinis. Porrò quod ſubjungit, Nicænam Synodum egiſſe tantùm de retinendis imaginibus, & tantùm ſanxiſſe retinendas, apertè falſum eſt, ut patet ex definitione hujus Synodi, in qua decernitur imagines non ſolùm retinendas, ſed etiam adorandas, quamvis non adoratione latriæ, qualem idolis ſuis exhibebant gentiles.

Ad propoſitam difficultatem Alanus Copus dial. 4. cap. 18. & 19. reſpondet, in Synodo Francofordienſi ſolùm damnatam fuiſſe Synodum Conſtantinopolitanam Iconoclaſtarum, ſub Conſtantino Copronymo celebratam, quam Iconoclaſtæ, ut ſeptimam generalem falsò venditabant, & in qua uſus ſacrarum imaginum proſcriptus fuerat: Nicænam verò Synodum, quæ verè ſeptima generalis eſt, non ſolùm non eſſe damnatam à Francofordienſis Concilii Patribus, ſed etiam confirmatam. Sententiam hanc ambabus ulnis amplectitur Sanderus lib. 2. de imaginibus cap. 5. & probatur auctoritate recentiorum Hiſtoricorum, ut Platinæ in vita Adriani I. Laurentii Surii in ſuo Conciliorum tomo tertio; Pauli Æmilii lib. 2. de geſtis Francorum, prope finem, ubi aſſerit Concilium Francofordienſe egiſſe contra hæreticos, qui damnabant imagines, & in eo imaginibus ſuum honorem ſervatum eſſe; ad quos accedit authoritas Concilii Senonenſis celebrati anno 1528. & decreto decimo-quarto ſic loquentis: *Inſurgentibus tandem imaginum everſoribus, Romani Pontifices ..... tanta animi conſtantia reſtitere, ut illi ſeptima tandem apud Nicæam Synodo, concordi Patrum aſſenſu damnarentur: & Carolus ille, cognomento Magnus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus, Francofordienſi conventu ejuſdem erroris ſuppreſſerit inſaniam, &c.* Sed

Quòd Synodus Nicæna II. à Francofordienſi ſuſcepta & confirmata fuerit, repugnat antiquioribus Scriptoribus, ut Hincmaro loco infra citando, ubi aſſerit Synodum, Nicææ non longè ante ejus tempora celebratam, in generali Concilio à Carolo Magno in Francia convocato deſtructam, ac penitùs abdicatam; Adoni Viennenſi in chronico, ubi ſub anno 792. ſic ait: *Sed Pſeudo-Synodus, quam ſeptimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus, abdicata penitus eſt.* Reginoni libro 2. ſub anno 794. ſic loquenti: *Pſeudo-Synodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, à Pontificibus* (hoc eſt, à Francofordienſis Concilii Epiſcopis) *rejecta eſt.* Aimoino in Annalibus Francorum, qui ſub anno 794. hæc habet: *Ibi etiam* (nempe Francofurti) *Synodus, quæ ante paucos annos Conſtantinopoli congregata ſub Irene & Conſtantino Filio ejus, ſeptima & univerſalis ab ipſis appellata eſt, ut nec ſeptima, nec aliquid diceretur, quaſi ſupervacanea ab omnibus abdicata.* Et Eginharto, quem primùm nominari oportuit, cujus verba referemus.

Quòd autem non ſolùm Hincmarus, ſed etiam alii hic à nobis citati, de Synodo Nicæna II. loquantur, patet pro Reginone & Adone, ex eo quod loquantur de Synodo à Græcis facta pro adorandis imaginibus; & pro Aimoino, ex eo quòd loquatur de Synodo congregata ſub Irene, & Conſtantino filio ejus, & quam Græci ſeptimam & univerſalem appellarunt: nam Synodus à Græcis pro adorandis imaginibus ſub Irene & Conſtantino filio ejus facta, & ab ipſis ſeptima & univerſalis appellata, alia certè eſſe non poteſt, quàm Synodus Nicæna II. Porrò dicere, quòd hi omnes mentiantur, vel libri eorum corrupti ſint, ut dicit Alanus, Alano divinanti parùm, vel potiùs nihil prodeſſe poteſt: neque poteſt obſtare, quòd Aimoinus ponat *Conſtantinopolim* pro *Nicæa*: quod enim addit, videlicet Synodum ſub Irene, & Conſtantino filio ejus celebratam, ſufficientiſſimè indicat Nicænam II. relatis aliorum ſententiis.

Quid in præſenti controverſia tenendum nobis videatur,

deatur, sequentibus numeris accipe. 1. Concilium Francofordiense Constantinopolitanam Synodum sub Copronymo celebratam, in qua abolendas sacras imagines definitum fuerat, damnavit & execratum est, sicut jam damnaverat & execrata fuerat Synodus Gentiliaca sub Pipino Rege celebrata anno 767. Colligimus ex præfatione libri primi Carolini, in qua dicitur: *Gesta sanè est ante hos annos in Bithyniæ partibus quædam Synodus, tam incautæ tamque indiscretæ procacitatis, ut imagines, in ornamentis Ecclesiæ & memoria rerum gestarum ab antiquis positas, incauta aboleverit abdicatione.* Et inferiùs: *Gesta præterea est fermè ante triennium & altera Synodus illis in partibus, ab eorum, qui priorem gesserant, successoribus, vel à plerisque qui in priore fuisse narrantur: quæ tamen quamquam à priore distet voto, non tamen distat errore: etsi dispar est negotio, est tamen compar flagitio.* Et inferiùs: *Nos denique propheticis, Euangelicis & Apostolicis Scripturis contenti .... omnes novitates vocum, & stultiloquas adinventiones abjicimus... sicut & eam quæ propter adorandarum imaginum imprudentissimam traditionem in partibus Bithiniæ gesta est, Synodum, cujus Scripturæ textus, eloquentia sensuque carens, ad nos usque pervenit.* Et adhuc inferiùs: *Cùm igitur præfatarum duarum Synodorum conditores, nec illius, &c. mirum ducimus, cur tantæ vanitatis vento inflati sint, ut eas non solum agitare præsumpserint, sed etiam sex venerabilibus Synodis adnumerari conati sint, &c.*

Ex quibus verbis omninò videtur argui posse utramque Synodum à Græcis gestam, Constantinopolitanam sub Copronymo, & Nicænam sub Irene & Constantino ejus filio, in Francofordiensi Concilio pariter abjectam & damnatam fuisse: non enim dubitare possumus, libros Carolinos, quamvis mendaciis atque calumniis adversùs Nicænam Synodum refertos, in ipso Francofordiensi Concilio, vel continuò post, ad probandam judicii ab eo de utraque Synodo lati æquitatem, ab uno vel pluribus Episcopis exaratos fuisse.

Porrò Concilium Francofordiense contra Constantinopolitanam Synodum Copronymi sacras imagines retinendas judicavit, contra Nicænam verò retinendas tantùm ad ornamenta Ecclesiarum, & recordationem eorum, quæ per imagines illas repræsentantur, non verò ad venerationem, & honorariam aliquam adorationem. Colligitur ex citata præfatione, in qua sub finem legitur: *Nos denique Esaiæ vaticinio docti, qui dicit: Hæc via, ambulate in ea, non declinabitis ab ea, neque ad dexteram neque ad sinistram ..... imagines in ornamentis Ecclesiarum & memoria rerum gestarum habentes, & solum Dominum adorantes, & ejus Sanctis opportunam venerationem exhibentes, nec cum illis* (Constantinopolitanis) *frangimus, nec cum istis* (Nicænis) *adoramus.* Sed

Hìc ex occasione data observa obiter, Concilium Francofordiense imprudenter nobis objici à Lutheranis & Calvinistis: cum ab eo prædamnati fuerint. Censuit enim hoc Concilium, juxta veterem Ecclesiæ traditionem sanctas imagines retinendas esse in templis, & ipsi eas è templis tollunt, franguntque.

2. Itaque Concilium Francofordiense Synodum septimam, sub Irene & Constantino ejus filio Nicææ celebratam rejecit, ejusque definitioni, Legatis Apostolicis ad subscriptionem frustrà urgentibus, subscribere constanter vel potiùs pertinaciter renuit. Quod *prob.* 1. ex Eginharto, cujus vel unius authoritas hìc posset sufficere: fuit enim Caroli Magni Cancellarius & veluti oculatus testis hæc scribit in chronico: *Synodus etiam, quæ ante paucos annos Constantinopoli sub Irene & Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non solum septima, verùm etiam universalis erat appellata, ab omnibus* (Francofordiensis Concilii Patribus) *abdicata est.* 2. Ex Adone, Reginone, Aimoino, quorum verba supra jam relata sunt, & Hincmaro in lib. contra Laudunensem Episcopum c. 20.

Ejus verba sunt: *Septima autem apud Græcos vocata universalis pseudo-Synodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas docebant, neutra verò pars intellectu sano definiens; sine auctoritate Apostolicæ Sedis, non longè ante nostra tempora Nicæa est à compluribus Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ Sedis generalis Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum Scripturarum tramitem traditionemque majorum ipsa Græcorum pseudo-Synodus destructa, & penitùs abdicata: de cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum.*

Ex hoc Hincmari loco habemus, acta Synodi Nicænæ II. à Legatis Apostolicis, qui in ea præsederant, Romam allata fuisse; eadem illa acta ab Hadriano I. missa esse in Franciam, ut ab Episcopis confirmarentur, & ab eodem Pontifice jussum, ut nationalis Synodus haberetur; Synodum hanc à Carolo Magno convocatam Francofurtum, quæ civitas erat Franciæ Orientalis; in hac Synodo contra spem Hadriani Nicæni Concilii definitionem rejectam; denique libros Carolinos, quos intelligit nomine voluminis, quod adolescentulus legerat in Palatio, compositos ad defensionem Synodi Francofordiensis, quantùm ad Concilii Nicæni abdicationem ab eo factam attinebat. Porrò libros illos Carolus Magnus non per Episcopos, ut falsò narrat Hincmarus, sed per Engilbertum Abbatem, & Capellæ ministrum misit ad Hadrianum, qui eorum contentus refutatione, quam ad Carolum misit, majoris mali vitandi gratia, Synodi Francofordiensis inobedientiam dissimulavit.

3. Concilium Francofordiense Synodum Nicænam rejecit, ejusque definitioni refragarum est; non ex errore facti, sed ex errore juris, hoc est, non quòd Episcopi, qui Francofurti adfuerunt, crediderint à Synodo Nicæna definitum esse, imagines sacras cultu latriæ adorandas; contrarium enim suis oculis in hujus Synodi definitione videre potuerunt, & viderunt; sed quia ipsi versabantur in eo errore, quòd sacris imaginibus nulla prorsùs veneratio, seu honoraria adoratio honestè exhiberi posset: nam temporibus illis Gallorum Episcopi, Ecclesiarum suarum, ut ajebant, traditione freti, huic mordicus adhærebant sententiæ, quòd imagines Christi, B. Virginis, & Sanctorum aliorum, adhiberi tantùm possent ad ornamenta Ecclesiarum, & memoriam ac institutionem fidelium, ut patet ex præfatione libri primi Carolini verbis supra ultimo loco relatis, immò & ex totis quatuor libris, in quibus auctores illorum in hoc unum incumbunt, ut probent nullam venerationem & honorariam adorationem imaginibus exhiberi licitè posse.

At inquies. Quòd Patres Francofordienses Nicænam Synodum, quia credebant, in ea definitum, imagines cultu latriæ adorandas, adeòque ex errore facti rejecerint, manifestum videtur ex secundo canone Francofordiensi, quo dicitur: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes, contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

R. 1. Recentiores plurimi canonem hunc rejiciunt ut spurium, & fabricatum ab Iconomacho quodam de grege Lutheri & Calvini, qui Eli. Phili. se nominat, & librorum Carolinorum editioni anno 1549. factæ præmisit præfationem, in qua canon ille. Allata est, &c. ferè ad verbum legitur. Sed hanc responsionem confugere necesse non habemus, & malumus fidem habere Sirmundo nostro, asserenti canonem præfatum à se repertum esse in vetusto codice sancti Remigii Rhemensis, adeòque jam in dubium revocari non posse; nec eos, qui canonem illum rejiciunt, To. 7. Conc. pag. 1066.

ciunt, juvat, quòd in eo Synodus pro adorandis imaginibus celebrata, dicatur facta Constantinopoli: nam rectè dici potest to *Constantinopoli* positum esse, non pro ea civitate, sed pro ea ditione, in qua celebrata est Synodus: ita ut cùm dicitur, *Constantinopoli fecerunt*, perinde sit ac si diceretur, In ditione Constantinopolitani Imperatoris fecerunt.

2. Ex his verbis: *In qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, &c. anathema judicarentur*, quæ omninò videntur nobis ab Authoribus librorum Carolinorum per fraudem inserta fuisse, nihil contra nos concludi potest: non enim dicitur. In qua definitum habebatur, sed quod longè aliud est; *In qua scriptum habebatur*, quod relativum est ad cap. 17. libri tertii Carolini, in quo per insignem calumniam Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus asseritur dixisse, sanctas, ac venerandas imagines suscipere se, eisque eandem; quam Trinitati, adorationem exhibere. Dato autem quòd hæc calumnia Patribus Francofordiensibus obtrudi potuerit, prorsùs incredibile est, quòd propter perversum unius hominis sensum Synodum integram abjicere & condemnare voluerint.

Dixi, Authores librorum Carolinorum calumniari Constantinum Constantiæ Cypri Episcopum, cum asserunt eum dixisse, sanctas ac venerandas, &c. Nam actione 3. contrarium disertis verbis asserit Constantinus: lectis enim Theodori Patriarchæ Hierosolymitani litteris, sic ait: *His* (Theodori litteris) *consentio, & concors efficior, suscipiens & amplectens honorabiliter sanctas & venerabiles imagines: atque adorationem, quæ per latriam, ideſt, Deo debitam servitutem efficitur, soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati impendo. Et qui ita non sapiunt, neque prædicant, à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia segrego, &c. Ex quo vel uno intellige, quam fidem mereantur librorum Carolinorum authores, in iis de quibus Nicænam Synodum insimulant.*

Resp. denique 3, Sententiam nostram probari ex his præfati canonis verbis: *Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Quare ergo Francofordiensis Concilii Episcopi Nicænam Synodum contempserunt, & condemnaverunt? Quia omnimodis adorationem & servitutem, seu submissionem imaginibus exhibere renuebant. Omnimodis autem adorationem imaginibus exhibere nolle, aliud certè nihil est, quàm nullam imaginibus adorationem exhibere velle. Francofordienſis igitur Concilii Episcopi Nicænam Synodum, eò quòd sentirent nullam imaginibus adorationem exhibendam, rejecerunt, & condemnarunt, adeòque illam rejecerunt & condemnarunt ex errore juris.

At inquies. Temporibus illis Gallorum Episcopi religiosè venerabantur imaginem Crucis, vasa sacra, Evangeliorum libros, & sanctorum Martyrum reliquias, ut apertè colligitur ex capitibus 28. 29. 30. lib. 2. pro imaginibus Crucis, sacris vasis, & libris evangeliorum; & ex cap. 24. lib. 3. pro Sanctorum reliquiis. Ergo prorsùs improbabiliter dicitur, eos venerationem omnem sacris imaginibus denegasse. *Probabis conseq.* Quia manifestè par & eadem est ratio v. gr. pro imaginibus Christi, ac pro imaginibus crucis.

Resp. Concesso antecedente neg. conseq. Nam ex iisdem libris Carolinis manifestum quoque est, quod tunc temporis Gallorum Episcopi nullam imaginibus sacris venerationem concederent; quod etiam demonstrari potest ex Jona Aurelianensi, qui annis aliquot post Francofordiense Concilium in lib. 1. contra Claudium Taurinensem, de eo ita loquitur: *Immoderato & indiscreto zelo succensus, non solum picturas sanctarum rerum gestarum, quæ non ad adorandum, sed solummodò, teste B. Gregorio, ad instruendas nescientium mentes, in ecclesiis suis antiquitus fieri permissæ sunt, verum etiam cruces materiales, quibus ob honorem & recordationem redemptionis suæ sancta consuevit uti Ecclesia, à cunctis paro-chiæ suæ basilicis dicitur deleviſſe ..... Dicitur etiam Claudium eundem adversus reliquias Sanctorum non contemnendas (utpotè quorum mors pretiosa in conspectu Domini, eorumque sepulchra, ut à Sanctorum Patribus traditum est, honoranda) quædam nefanda dogmatizasse, &c.* Secundùm Jonam igitur, in Galliarum ecclesiis imagines Crucis, & Sanctorum reliquiæ honorabantur; imagines verò, solummodò ad instituendas nescientium mentes adhibebantur. Quod

Confirmatur. Quia cùm Claudius Taurinensis non solùm Crucis, sed etiam imaginum adorationem impugnaret, Jonas tamen de sola Crucis adoratione sollicitus est, eamque totis viribus libro integro defendit, & ne verbum quidem pro adoratione imaginum habet: immò his Taurinensium, qui imagines adorabant, verbis, ex libro apologetico Claudii recitatis: *Non putamus, imagini quam adoramus, aliquid ineſſe divinum, sed tantummodò pro honore, cujus effigies, tali eam veneratione adoramus;* sic prosequitur: *Una* (tecum) *reprehendimus, ac detestamur, quia cùm eorum scientiam non subterfugit, imaginibus nil ineſſe divini, majori digni sunt invectione, eò quòd debitum honorem divinitati, impenderent infirmo & egeno simulacro.* Quibus verbis etiam calumniando damnat adorationem imaginibus exhibitam, licèt non propter se, sed propter excellentiam prototyporum, & ad prototypa honoranda. Jonas igitur imaginem Crucis adorabat, minimè verò imagines etiam Christi, neque in hac re aliud sentiebat, quàm cæteri Gallorum Episcopi, inter quos doctrina eminebat. Unde Bellarminus lib. de scriptoribus ecclesiasticis meritò admonet, hunc Authorem cautè legendum esse: *Quoniam*, inquit, *laborat eodem errore, quo Agobardus, & reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant sacris imaginibus ullum deberi cultum religiosum.* Florebat autem Jonas sub Ludovico Pio circa annum 820.

Ad probationem conſ. Resp. Par quidem, & eadem ratio est pro imagine Christi, & imagine Crucis; at disparem esse volebant Gallorum Episcopi, & quantùm possunt probant librorum Carolinorum Authores lib. 2. cap. 28. ubi ajunt: *Quod excellentiæ prærogativis quodve virtutum insignibus mysterium dominicæ Crucis manufactis imaginibus, quas illi* (Nicæni Concilii Episcopi) *temere ei æquiparare affectant, emineat, operæ pretium est breviter pandere ..... hoc enim vexillo antiquus hostis, non imaginibus, victus est: his armis, non colorum fucis, Diabolus expugnatus est ..... in cruce namque, non in imaginibus, pretium mundi pependit.* Itaque ex eo quòd par saltem sit, & eadem ratio pro imagine Christi, ac pro imagine Crucis, sequitur tantùm quòd Galli Episcopi sibi non constarent, & inconsequenter agerent.

Hanc porrò inconsequentiam Anastasius Bibliothecarius in sua ad septimam Synodum præfatione exprobrat Gallis Episcopis sui temporis, qui in decessorum sententia adhuc persistentes, & imaginem Crucis adorantes, nullam imaginibus venerationem exhibendam esse contendebant. Hæc autem sunt Anastasii verba: *Ajunt quòd non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum: quasi non sit codex Euangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant ..... similiter & forma sanctæ Crucis, quam se adorare omnes ubique Christiani fatentur. In quo videlicet considerare libet, quia si quamlibet crucem auream, vel argenteam, aut ligneam adoramus, quæ utique non eadem est ipsa crux, in qua salus nostra patrata est, sed figura & imago ejus veræ Crucis? quare non adoremus figuram, & imaginem ejus qui eamdem salutem operatus est in medio terræ? Venerabilior namque est, qui salutem operatus est, quàm ea materia, in qua idem salutem operatus est. Ac per hoc magis est adoratione digna imago Christi salutem operantis, quàm imago Crucis salutem tantummodò bajulantis.* Florebat autem Anastasius circa annum 858.

At

At inquies. Si Francofordienſis Concilii Epiſcopi Nicænam Synodum non contempſerunt, & condemnaverunt ex errore facti, eò quòd ſcilicet eis falsò perſuaſum fuerit, ab hac Synodo definitum, imagines cultu latriæ adorandas; nullam prorſus habent facti ſui excuſationem, neque ab hæreſi excuſari poſſunt. *R.* neg. ſeq. Francofordienſis igitur Concilii Patres excuſari poſſunt ex eo quòd Hadrianus I. qui Nicænam Synodum ſuſceperat, nondùm eam publico ac ſolemni judicio confirmaverat, & ut œcumenicam habendam decreverat. 2. Ad Synodum illam ſoli Orientales Epiſcopi convocati fuerant, & in ea ex Occidentalibus, præter Hadriani Legatos duos, nullus adfuerat: unde mirum non fuit quòd Patres Francofordienſes illam haberent tantùm ut Synodum Orientalis Eccleſiæ, non verò ut totius orbis chriſtiani, adeòque ut œcumenicam Synodum, cùm tunc temporis totius penè Occidentis conſenſus adhuc illi deeſſet, nec Hadrianus ipſe eam ut œcumenicam haberet, ut patet ex apologia, quam pro ea ad Carolum Magnum conſcripſit, & in qua ei œcumenicitatem nullibi attribuit. 3. Denique, Francofordienſis Concilii Patribus, quod Nicæna Synodus definierat, imagines ſcilicet non ſolùm retinendas, ſed etiam adorandas, contrarium videri poterat Gregorio Magno, cujus potiſſimùm authoritate nitebantur, quique illis videri utcumque poterat imaginum adorationem damnaſſe, lib. 9. epiſtol. 9. ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum, & lib. 7. epiſt. 53. ad Secundinum; cenſuiſſe imagines non ad venerationem aliquam, ſed ad ſolam recordationem admittendas: quare Francofordienſes Patres ſuam, & ut autumabant, Gregorii Magni ſententiam facilè potuerunt ſententiæ Synodi, quam ut particularem tantùm habebant, anteponere abſque pertinacia, ſine qua nota hæreſis non incurritur.

Porrò Epiſcoporum illorum qui in Francofordienſi Concilio, veritate nondum planè explorata, Synodo Nicænæ reſtiterant, ſucceſſores poſt nonum ſaltem ſæculum, rebus naturæ ponderatis & perfectis, Synodum illam amplexi ſunt, & religioſum imaginibus cultum exhibere cœperunt multis ante ſæculis, quàm nova exoriretur hæreſis Iconoclaſtarum, Lutheranorum ſcilicet & Calviniſtarum, quorum proinde cauſam juvare non poteſt Concilii Francofordienſis de non adorandis imaginibus judicium, quòd tot ante Lutheranam & Calvinianam luem annorum centuriis, omnes Galliarum Eccleſiæ facto ſuo, hoc eſt, imagines Chriſti, B. Virginis, & aliorum Sanctorum cum reliquo orbe chriſtiano religioſè venerando, reprobarunt.

ARTICULUS VII.

Qua adoratione adorabiles ſint imagines.

Responsio I.

IMagines adorabiles ſunt adoratione reſpectiva tantùm.

Primò, quòd ſint adorabiles adoratione reſpectiva, *probatur*. Quia 1. adorabiles ſunt aliqua vera adoratione, ut probatum eſt. Ergo adoratione ſaltem reſpectiva adorabiles ſunt. 2. Illud adorabile eſt adoratione reſpectiva, quod adorari poteſt propter excellentiam exiſtentem in alio ſuppoſito, ut patet ex terminis. Atqui imago adorari poteſt propter excellentiam prototypi, ſeu exemplaris: prototypon enim, ſeu exemplar, habens propriam & intrinſecam excellentiam, propter quam honore & cultu dignum eſt, poteſt propter excellentiam illam honeſtè honorari & coli, non ſolùm in ſe, & in perſona propria, ſed etiam in imagine; atque ad ejus honorem pertinet ut poſſit honorari & coli non ſolùm in ſe, ſed etiam in iis omnibus, quæ ſpecialem ad illud habitudinem, vel ſpecialem cum eo conjunctionem habent. Ergo, &c.

2. Quòd imagines tantùm ſint adorabiles adoratione reſpectiva, ſeu, quod idem eſt, quòd non ſint adorabiles adoratione abſoluta, *probatur*. Quia illud ſolùm adorabile eſt adoratione abſoluta, quod habet propriam & intrinſecam excellentiam aliquam, propter quam honore & cultu dignum eſt, ſeu propter quam homo honeſtè poteſt velle illi tanquam ſuperiori ſe ſubmittere, atque hujus ſubmiſſionis notam aliquam externam exhibere. Atqui imago nec habet nec habere poteſt talem excellentiam, cùm ſit res inanimata, & res omnis inanimata, homini, utpotè ſubſtantiæ intellectuali, eſſentialiter inferior ſit: nec homo, niſi ſtultè & inhoneſtè, rei inanimatæ, quæcunque illa ſit, tanquam ſuperiori poſſit ſe ſubmittere. Ergo, &c.

Responsio II.

Adoratio relativa imaginis eſt ſimul & indiviſibiliter adoratio abſoluta exemplaris.

Probatur 1. Quia religio (tam ea ſcilicet, quæ latè, quàm ea quæ ſtrictè religio dicitur, ſeu tam ea quæ eſt virtus duliæ, quàm ea quæ eſt virtus latriæ) eſt pars ſaltem poteſtativa juſtitiæ. Ergo religio eſt eſſentialiter ad alterum; & ſicut juſtitia eſſentialiter reſpicit debitum alteri reddendum, ita religio reſpicit eſſentialiter cultum & honorem debitum alteri. Item ſicut juſtitiæ objectum formale eſt honeſtas, quæ relucet in reddendo alteri eo, quod illi debetur; ita objectum formale religionis eſt honeſtas, quæ relucet in exhibendo cultu & honore, alteri propter excellentiam ſuam debito. Atqui adoratio relativa imaginis eſt actus religionis. Ergo eſſentialiter eſt actus, quo cultus & honor debitus exhibetur, elicitus ex affectu honeſtatis, quæ relucet in exhibendo cultu & honore alteri debito.

Cultus autem, qui exhibetur imagini, nec debetur, nec deberi poteſt imagini: cùm enim ſit res inanimata, juris omnis prorsùs incapax eſt; adeòque ſupereſt ut debeatur exemplari, propter propriam & intrinſecam, quam habet, excellentiam. Ergo adoratio reſpectiva imaginis eſt eſſentialiter actus, quo exhibetur cultus debitus exemplari, elicitus ex affectu honeſtatis, quæ relucet in exhibendo cultu & honore, exemplari non ſolùm in ſe, ſed etiam in imagine debito, propter propriam & intrinſecam excellentiam quam habet. Sed qui adorat imaginem, ut exhibeat cultum & honorem exemplari debitum in imagine, & quia honeſtum eſt, exemplari, quod ei propter excellentiam ſuam debetur, reddere, ipſum colendo & honorando etiam in iis, quæ ſpecialem habent ad illum habitudinem, vel conjunctionem cum illo; non ſolùm adorat imaginem, ſed etiam ipſum exemplar in imagine, imò minus adorat imaginem, vel non tam adorat imaginem, quàm ipſum exemplar in imagine. Ergo adoratio reſpectiva imaginis ſimul eſt & indiviſibiliter adoratio abſoluta exemplaris, imò minùs eſt imaginis adoratio reſpectiva, quàm abſoluta adoratio exemplaris, non quidem immediatè in ſe, ſed mediatè in alio, ſpecialem ad illud habitudinem habente, & ſpeciali modo attinente ad illud.

Prob. 2. Omnis vera adoratio eſt honor, quem exhibemus ad proteſtandam & ſignificandam internam noſtram ſubmiſſionem alicui, cujus ſuperioritatem & excellentiam recognoſcimus. Ergo vera adoratio imaginis eſt honor, quem exhibemus imagini, ad proteſtandam & ſignificandam internam noſtram ſubmiſſionem alicui, cujus recognoſcimus excellentiam & ſuperioritatem. Sed cùm adoramus imaginem, nihil volumus proteſtari, vel ſignificare imagini, quæ eſt res inanimata; nec recognoſcimus, aut recognoſcere poſſumus aliquam ejus ſupra nos excellentiam & ſuperioritatem, cùm nobis inferior ſit. Ergo ſupereſt ut cùm imaginem adoramus, internam noſtram ſubmiſſionem & ſervitutem proteſtemur ac ſignificemus exemplari, ſeu perſonæ quam repræſentat imago, & cujus ſuperioritatem recognoſcimus,

mus, & propter cujus excellentiam imaginem ejus veneramur. Ergo cùm adoramus imaginem adoratione relativa, propter excellentiam exemplaris, simul ac indivisibiliter adoramus ipsum exemplar adoratione absoluta, quamvis mediatè tantùm, & in alio, illud repræsentante, & quasi vicem ejus gerente: nam adorare imaginem, eique honorem exhibere propter excellentiam exemplaris, cujus est imago, ad protestandam & significandam internam submissionem exemplari, & exteriùs recognoscendam excellentiam & superioritatem illius, est verè ac propriè adorare, & quidem absolutè, exemplar ipsum in imagine, seu per imaginem. Ergo, &c. Sed ut hæc adhuc meliùs intelligas,

Nota. In adoratione imaginis propter excellentiam exemplaris, cujus est imago, multi interveniunt actus. Et 1. quidem, judicium de excellentia propria exemplaris, & de honestate submittendi se interiùs exemplari propter ejus excellentiam, hujusque submissionis internæ signum aliquod externum illi exhibendi in se, vel in imagine, illud repræsentante.

2. Affectus submissionis & servitutis internæ, qui terminatur ad solum exemplar, & est actus voluntatis affectivè cedentis exemplari, ac veluti recognoscentis inferioritatem suam, & exemplaris superioritatem & excellentiam.

3. Affectus submissionis & servitutis externæ, qui terminatur immediatè ad imaginem, & mediatè, seu mediante imagine, ad exemplar, estque voluntas efficax honorem aliquem exhibendi imagini, tanquam signum exernum affectus submissionis ac servitutis internæ, quem adorans habet erga exemplar, propter ejus excellentiam & superioritatem.

4. Submissio & servitus externa, quæ immediatè ad imaginem, & mediante imagine, ad exemplar terminatur, estque actio aliqua externa circa imaginem, seu nota aliqua externa honoris exibita imagini ad protestandum & significandum exemplari affectum submissionis & servitutis internæ, illi propter propriam excellentiam debitæ, & ad exteriùs superioritatem illius recognoscendam.

Porrò quia adoratio formaliter constat tantùm ex affectu submissionis externæ, & ipsa submissione externa verè ac propriè adoratur imago, cùm modo supra explicato adoratur; quia adorans vult exhibere, & exhibet imagini submissionem externam: item verè ac propriè adoratur exemplar imagine, quia adorans vult exhibere, & exhibet exemplari submissionem externam in imagine, eo ipso quòd vult exhibere & exhibet imagini submissionem externam ad protestandam internam suam submissionem & servitutem exemplari, ejusque superioritatem exteriùs recognoscendam.

Quamvis autem, cùm adoratur imago, mediatè tantùm adoretur exemplar, hæc adoratio censenda est esse magis ac principalius adoratio exemplaris, quàm imaginis: hoc ipso enim quòd adoratio exhibetur imagini tantùm propter excellentiam exemplaris, & ad exteriùs recognoscendam superioritatem illius; eo ipso, inquam, magis exhibetur exemplari in imagine, quàm ipsi imagini, ut per se manifestum est.

Doctrina hactenùs exposita planè congruit. 1. Patribus, quos longo ordine recenset Vasques. Pro omnibus unus hic sufficiat Adrianus I. in epistola ad Irenem & Constantinum filium ejus, quæ in Nicæna Synodo II. actione 2. lecta & suscepta fuit, & in qua sic loquitur Pontifex; *Jacob proprio demum arbitrio summitatem virgæ filii sui Joseph deosculatus est . . . . . Non virgæ, sed tenenti eam honoris ac dilectionis exhibuit affectum. Sic nos pro amore & dilectione, quam apud Dominum & Sanctos ejus habemus, honorabiles eorum effigies imaginibus depingentes, non tabulis & coloribus honorem exhibemus, sed illis pro quorum honore consistunt*. Et inferiùs: *Omnis imago in nomine Domini, aut Angelorum, aut Prophetarum, &c. facta sancta est: non enim lignum adoratur; sed id quod in ligno conspicitur & memoratur, honorificatur*. Quibus verbis non intendit Pontifex negare imaginibus veram ac propriam adorationem; si quidem ipse cum Nicæna Synodo definivit, imagines esse verè ac propriè adorandas; sed solùm vult adorationem imaginis esse simul ac indivisibiliter adorationem exemplaris, & magis ac principalius esse adorationem exemplaris, quàm imaginis, nec sistere in imagine, sed ulteriùs tendere, & terminari ad exemplar, tanquam ad primarium & principale adoratum.

Nota, ad Patrum, quos Vasques refert, intelligentiam. Quando imago v. g. Christi adoratur cultu latriæ raspectivo dicunt Patres Christum ipsum, non ejus imaginem adorari, sicut homo diligens amicum amore concupiscentiæ tantùm, dicitur se ipsum, non amicum diligere. Itaque sicut quando quis alterum diligit amore concupiscentiæ tantùm, dicitur se ipsum, non illum diligere, non quòd reipsa illum non diligat, nam amor concupiscentiæ est verus amor, sed quia illum non propter ipsum, sed propter se diligit; ita secundùm Patres, qui adorat imaginem Christi, dicitur non imaginem Christi, sed Christum adorare; non quòd non verè adoret imaginem Christi, nam vult illi exhibere, & revera exhibet honorem & submissionem externam; sed quia imaginem Christi adorat, non propter ipsam, sed propter Christum, quem repræsentat; quia imaginem Christi adorat, ut cultum & honorem exhibeat, non ipsi imagini, sed Christo in imagine debitum, quia imaginem Christi adorat, ad exteriùs protestandum & significandum submissionis ac servitutis internæ affectum, quem habet erga Christum propter increatam ejus excellentiam, non erga imaginem illius.

2. Planè congruit Conciliis generalibus; nempe Nicæno II. in fidei definitione sic dicente: *Imaginis honor in prototypon resultat; & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum*. Et Tridentino sess. 25. in decreto de sacris imaginibus: ubi hæc leguntur: *Honos, qui eis* (imaginibus) *exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*.

Quæres 1. An non dici possit cum aliquibus, quando imago adoratur, ipsam imaginem non esse terminum adorationis, sed tantùm esse signum, quo excitamur ad honorandum Sanctum quem repræsentat; ita ut actus adorationis ad sanctum per imaginem repræsentatum, dirigatur totaliter?

R. negativè. Ratio est, quia tunc imago non adoraretur, nisi impropriè & abusivè, quod adversatur Conciliis & Patribus, ex quibus constat, imagines esse verè ac propriè adorandas.

Quæres 2. An non dici possit, quando imago adoratur, ipsam imaginem terminare tantùm signum externum honoris, genuflexionem v. g. inclinationem capitis, &c. internum verò submissionis affectum terminari ad solùm exemplar?

R. hoc dici non posse, & sententiam hanc habere manifestam contradictionem: nam signum externum honoris & submissionis, putà genuflexio, non terminatur ad imaginem, nisi ad eam dirigatur; & non dirigitur ad imaginem genuflexio, nisi adorans velit exhibere genuflexionem imagini. At voluntas exibendi genuflexionem imagini, est quidam internus affectus submissionis. Ergo genuflexio non terminatur ad imaginem, nisi ad illam terminetur etiam internus aliquis affectus submissionis. Sed ad pleniorem intelligentiam,

Nota. Duplex distinguendus est affectus internus submissionis, qui in adoratione imaginis intervenit. Primus est affectus submissionis internæ, qui est actus voluntatis affectivè cedentis alteri, & superioritatem illius affectivè recognoscenti. Secundus est affectus submissionis externæ, & est actus voluntatis imperantis externum submissionis ac servitutis

inter-

internæ signum. Primus affectus terminatur ad solum exemplar imaginis, secundus verò terminatur immediatè ad imaginem, & per imaginem ad exemplar, cujus excellentiam & superioritatem per signum externum honoris & reverentiæ, ejus imagini exhibitum, recognoscimus, eique internum submissionis ac servitutis nostræ affectum significamus. Quòd si nil aliud intendit Vasques, cujus hic sententia proponitur, noster est, & rectè sentit.

Quæres 3. An non adorari possit imago seorsim ab exemplari suo, ita ut ipsa sit totalis terminus adorationis, exemplari tantùm concurrente, ut fundamento adorationis illius.

R. negativè. Non enim potest imago adorari; nisi propter excellentiam exemplaris, & ad protestandum exemplari submissionis ac servitutis internæ affectum, ejusque superioritatem recognoscendam. Eo ipso autem quòd sic adoratur imago, simul ac indivisibiliter in ea adoratur exemplar, & magis adoratur exemplar, quàm imago.

Dices. Legatus Regis potest ita adorari, ut Rex nullo modo sit terminus istius adorationis. Ergo similiter imago ita potest adorari, ut exemplar nullo modo adoretur. *R.* neg. conseq. Magna enim disparitas est imaginem inter & legatum Regis: nam legatus Regis potest adorari dupliciter. 1. Propter solam Regis excellentiam, & tunc legatus adoratur adoratione respectiva, quæ terminatur immediatè ad ipsum legatum, & eo mediante ad Regem: unde hæc adoratio simul ac indivisibiliter est adoratio legati in se, & Regis in legato. 2. Legatus adorari potest propter propriam & intrinsecam excellentiam, quam habet, etiam quà legatus Regis, & tunc adoratur adoratione absoluta, quæ adoratio ad ipsum solùm terminatur, quamvis in æstimatione morali redundet in Regis honorationem. At imago adorari tantùm potest propter excellentiam exemplaris, & ad honorandum in ea, seu per eam exemplar: unde omni vera & religiosa adoratio imaginis terminatur non solùm ad imaginem, sed etiam & potissimum ad exemplar, per imaginem.

Quæres 4. An non adorari possit imago cum exemplari, ita ut adoratio æquè immediatè terminetur ad imaginem, & exemplar.

R. posse: nam intellectus potest uno & eodem actu simul apprehendere imaginem & exemplar, adeòque voluntas utrique, uno & eodem actu, velle potest æquè immediatè exhibere notam externam honoris & cultus. Tunc autem exemplar dupliciter adoratur. 1. Immediatè in se, cùm ad ipsum immediatè dirigatur actus adorationis; & mediatè in imagine, cum idem actus adorationis ad ipsum etiam dirigatur in imagine, quæ adoratur propter ipsum. Hæc porrò adoratio absoluta est quatenùs est adoratio exemplaris in se & in imagine; & respectiva, quatenus est adoratio imaginis.

Quæres 5. An non etiam adorari possent exemplar, & imago ejus, per modum unius objecti, seu per modum unius compositi accidentalis, sicut v. g. adoretur Rex purpura, quà indutus est?

R. 1. posse quidem Regem, & purpuram qua indutus est, propter compositionem localem quam habent inter se repræsentari ab intellectu per modum unius objecti, seu per modum unius compositi accidentalis: at nullum apparet fundamentum sic concipiendi imaginem, & exemplar ejus videnturque non aliter repræsentari posse, quàm per modum duorum objectorum, quorum unum specialem quandam habet habitudinem ad alterum.

2. Dato quòd imago & exemplar ejus, ab intellectu repræsentari possint per modum unius objecti, & cujusdam accidentalis compositi, unus & idem actus adorandi terminatur immediatè ad exemplar & imaginem ejus, & est quidem adoratio absoluta, quà terminatur ad totum illud, constans ex imagine & exemplari, quia totum illud adoratur propter se, & quà terminatur partialiter ad exemplar, quia similiter propter se adoratur: at est adoratio tantùm respectiva, quà partialiter terminatur ad imaginem, quia imago in illo toto, quod adoratur, est suppositum adoratum, non propter se, sed propter excellentiam alterius suppositi, nempe exemplaris, quocum supponitur totum repræsentativè constituere; sicut cùm Rex & purpura per modum unius objecti adorantur, actus adorandi est adoratio absoluta, quà terminatur ad Regem vestitum purpura, & quà partialiter terminatur ad personam Regis præcisè: sed est adoratio respectiva, quà partialiter terminatur ad purpuram, quia purpura est suppositum adoratum propter alterius suppositi, nempe Regis, excellentiam, propter quam adoratur totum accidentale, constans ex Rege & purpura; quod proinde totum, adoratur non propter aliud, sed propter intrinsecam, quam includit, excellentiam.

Quare sicut cùm Rex & purpura adorantur per modum unius objecti, seu unius accidentalis compositi, sic actus adorandi æquè terminatur ad Regem, purpuram, & compositum ex Rege & purpura, ut affectus submissionis ac servitutis internæ terminetur ad solum Regem, & nullo modo ad purpuram: ita si quando contingit imaginem & exemplar ejus adorari per modum unius compositi accidentalis, sic actus adorandi æquè terminatur ad exemplar, imaginem, & compositum ex imagine & exemplari, ut affectus submissionis ac servitutis internæ ad solum exemplar terminetur.

E contra cùm adoratur Christus adoratione latriæ, adoratio absoluta est, non solùm quà terminatur ad divinitatem, sive ad Verbum divinum, sed etiam quà terminatur ad humanitatem assumptam; & affectus submissionis ac servitutis internæ, quam adorans protestatur ac significat per actum adorandi, terminatur non solùm ad divinitatem & Verbum divinum, sed etiam ad humanitatem assumptam, quamvis secundariò tantùm, & propter increatam divinitatis excellentiam. Ratio est, quia in Christo humanitas adoratur, non ut suppositum distinctum à suppositio divino, sed ut quasi pars suppositum divinum substantialiter integrans in esse subsistentis in duplici natura: quare quando Christus adoratur adoratione latriæ, tam adoratio absoluta est, non solùm respectu divinitatis, sed etiam respectu humanitatis, quàm cùm homo eximiæ sanctitatis adoratur adoratione duliæ, adoratio absoluta est non solùm respectu animæ, in qua residet sanctitas, sed etiam respectu corporis, quod cum anima constituit hominem, qui propter eximiam sanctitatem adoratur.

Quæres 6. Utrùm adoratio absoluta exemplaris in se, & adoratio relativa imaginis ad eundem habitum pertineant?

R. Affirmativè. Nam ad eundem habitum pertinet inclinare voluntatem ad honorandum exemplar in se, & ad honorandum illud in iis omnibus, quæ specialem habent ad illud habitudinem, vel cum eo conjunctionem: & verò utriusque adorationis idem est objectum formale, nempe honestas, quæ relucet in honorando exemplari, eique exhibendo cultu, ipsi propter ejus excellentiam debito.

Porrò quamvis adoratio respectiva & absoluta ad eundem habitum pertineant, respectiva inferioris ordinis est ad absolutam: longè enim aliud est adorare rem aliquam ad protestandam alteri submissionem ac servitutem internam, alteriusque superioritatem recognoscendam; & aliud adorare rem aliquam ad ei protestandam submissionem, &c. & recognoscendam superioritatem ejus.

Hinc v. g. adoratio latriæ, quæ exhibetur imagini Christi propter increatam Christi excellentiam, non est latria simpliciter, sed secundùm quid, & cum addito diminuente, imò & destruente, respectiva: unde Synodus Nicæna II. in definitione fidei, adorationem, imaginibus Christi exhibitam, simpliciter negat esse latriam: rectum quælibet rectè simpliciter negatur esse id, quod non est, nisi secundùm quid, & cum addito diminuente; & à

for-

fortiori quod non est nisi cum addito destruente veram ac propriam rationem illius, quod esse dicitur. Vera autem & propria ratio latriæ in eo consistit, quòd sit cultus exhibitus rei propter se ad protestandam ei internam submissionem ac servitutem summam, illiusque summam, superioritatem recognoscendam propter summam ejus excellentiam; qualis cultus, ut dicit Nicæna Synodus loco citato, soli naturæ divinæ convenire potest.

Quæres 7. In quo Christiani, qui adorant imagines, differant à gentilibus, qui idola adorabant?

R. Discrimen esse multiplex: nam 1. imagines nostræ non sunt idola: idolum enim est, quod cùm non sit Deus, ut Deus tamen colitur; sacras autem imagines non adoramus ut Deum, sed tantùm, & quidem cultu solùm respectivo, vel ut imagines Dei, quando Deum præpræsentant, vel ut imagines B. Virginis, aut aliorum Sactorum, cùm repræsentant B. Virginem, aut Sanctos alios.

2. Gentiles adorabant idola adoratione sæpissimè absoluta, eò quòd putarent eis inesse aliquid divinum; nos verò sacras imagines adoramus, non propter ipsas, seu propter excellentiam eis intrinsecam; nullam enim in eis agnoscimus, propter quam sint cultu dignæ; sed propter excellentiam exemplarium quæ nobis repræsentant, & ut illas adorando, exemplaribus cultum debitum exhibeamus.

3. Gentiles adorabant idola, quæ repræsentabant personas cultu omni indignas, ut Jovem, Junonem, Mercurium, quibus tanquam diis supremum in idolis illis cultum exhibebant, sicque cultum soli Deo vero debitum ad indignissimas creaturas transferebant. Nos autem soli vero Deo cultum latriæ propter increatam ejus excellentiam; & Sanctis, in cœlo regnantibus cum Christo, cultum duliæ tantùm propter creatam excellentiam sanctitatis & gloriæ exhibemus.

4. Denique, Gentiles colebant Deum modò sub forma hominis, modò sub forma animalis, putà tauri, &c. putantes eum habere formam illam. Nos verò nullam Deo formam attribuimus, & purum, ut reverà est, Spiritum credimus.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrùm Reliquiæ sint adorabiles.

RESPONSIO.

RElIquiæ Christi & Sanctorum adorabiles sunt. *Prob.* 1. Ex Conciliis & Patribus, apud Bellarminum, & alios. 2. Ex miraculis, quæ ad reliquias Sanctorum facta fuerunt, & referuntur ab Authoribus fide dignissimis, qualis est Augustinus. 3. Ex constanti & perpetua Ecclesiæ praxi & traditione, quæ relucet potissimùm in honorifica reliquiarum translatione, variis temporibus facta; in honorifica assevatione reliquiarum sub altaribus, & in usu cereorum ac lampadum, quæ honoris causa ante reliquias accenduntur; cujus consuetudinis antiquitatem Bellarminus probat. 4. Denique, ratione: quia honestum est honorare Sanctos non solùm in imaginibus, sed etiam & à fortiori in eorum reliquiis, quæ majorem ad illos habitudinem, & cum eis conjunctionem habent, quàm imagines, quibus repræsentantur.

Obj. 1. Christus Luc. cap. 11. Judæos reprehendit, quòd Prophetis sepulchra magnifica ædificarent. *R.* Christum eos reprehendere tantùm, quia id faciebant per hypocrysim, & ut tantò securiùs ipsum Christum Propheratum Principem persequerentur.

Obj. 2. Deus abscondit corpus Moysis. *R.* abscondisse, ne Judæi, qui ad idololatriam maximè proclives erant, Moysem tanquam Deum colerent, eique tanquam Deo sacrificarent, si notum haberent sepulchrum illius.

Obj. 3. Concilium Eliberitanum can. 34. quo vetat, ne cerei interdiu ad sepulchra accendantur, quia spiritus Sanctorum inquietandi non sunt. *R.* Concilium prohibere, ne cerei accendantur ex superstitione gentilium, qui cereos accendebant ad evocandas defunctorum animas, quæ superstitio Sanctis maximè displicebat. Respondet Binius, hoc canone, Sanctorum nomine accipiendos esse fideles, quorum spiritus, dum orationis causa ad Ecclesiam adveniunt, inquietantur frequentia & cura immodica cereorum ardentium; & addit inferiùs, Concilium agere de Neophytis, qui more gentilium lucernas publicè accendebant, non verò de iis, qui lucernas accendebant ad cultum & gloriam Dei.

Obj. 4. S. Hieronymum, qui Vigilantio objicienti idololatriam esse, cereos accendere coram reliquiis, respondet eos, qui hoc faciunt, zelum Dei habere, sed non secundùm scientiam. Locus Hieronymi integer hìc est in libro adversùs Vigilantium: *Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cœci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui, propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum (de quibus verè possumus dicere, confiteor, zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam) hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?*

R. 1. S. Hieronymum, primò non improbasse cultum reliquiarum, sed è contra pro illo pugnasse contra Vigilantium, ut patet ex epist. 53. contra hunc Hæresiarcham scripta, in qua sic loquitur S. Doctor: *Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Et inferiùs: *Si non sunt honorandæ reliquiæ Martyrum, quomodo legimus: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Elisæus mortuus mortuum suscitavit?*

2. Loco, qui objicitur, non improbare modum colendi reliquias, cereos coram illis accendendo, tamquam intrinsecè malum & indecens, ut patet ex his verbis: *Hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* sed solùm non approbare, quia nondùm satis usu receptus erat tunc temporis in Ecclesia, & quia tunc periculum erat, ne adhiberetur, aut adhiberi crederetur ex superstitione gentilium, qui ad evocandas, vel consolandas defunctorum animas cereos accendebant: unde ibidem eos, qui hunc colendi reliquias modum adhibent sine superstitione, dicit à Deo remuneratum iri. *Quicumque*, inquit, *accendunt cereos* (ex cultu scilicet religioso) *secundùm fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Unusquisque in suo sensu abundet.* Quibus postremis verbis significat id, quod nondùm ipse probabat, ab aliis probari, scilicet quòd reliquiæ honorarentur cereis accensis.

Obj. 5. Cultus reliquiarum falso cultui exponitur. *R.* hoc negando de reliquiis, quæ publicè in templis exponuntur: semper enim Ecclesia magnam adhibuit diligentiam, ne reliquiæ sine sufficienti examine & approbatione, fidelium venerationi exponerentur.

Obj. 6. Crux, in qua pependit Christus, spinæ, lancea & cætera Passionis instrumenta, potiùs execranda sunt, quàm honoranda. *R.* neg. Nam ista omnia signa sunt Christi erga nos amoris, & triumphi ejus pignora, ex contactu sacratissimi Corporis ejus sanctificata, & consecrata, ejusque sacratissimo Sanguine perfusa. Aliud est de labiis Judæ, quibus Dominum osculatus est, & de manu, qua servus Principis sacerdotum percussit Dominum. Hæc enim & alia similia in æstimatione prudenti specialem quamdam habent indecentiam, propter quam adorari non possunt.

Obj. ultimò. Non potest dici quo cultu adorandæ sint reliquiæ. *R.* neg. Nam reliquiæ Christi adorandæ sunt cultu latriæ respectivo, propter increatam Christi excellentiam: reliquiæ verò Sanctorum adorandæ sunt cultu respectivo duliæ, propter excellentiam creatam sanctitatis & gloriæ, quam habent illorum

animæ.

animæ in cœlo. Hic autem cultus respectivus reliquiarum est simul ac indivisibiliter cultus absolutus illius, cujus sunt reliquiæ, sicut supra dictum est de cultu respectivo imaginum.

Porrò doctrina de imaginum & reliquiarum adoratione hactenùs tradita, applicari debet ad res alias sacras, ut sunt calices, aræ, templa, corporalia, & vestes sacræ: nam v. g. calicem adorare possumus propter excellentiam Christi, ad cujus cultum & sacrificium pertinet. 2. Ad Sanctissimum Nomen Jesu, & alia sacramenta: nam v. gr. si adorabilis est imago Christi, quia illum repræsentat, cur non pariter adorari posset Nomen Jesu, quia significat Christum? Hinc nomini illi caput inclinamus, cùm illud à nobis, aut ab aliis profertur, & scriptum osculamur. 3. Ad cruces, quæ figuram habent illius, in qua pependit & mortuus est Christus, quandiu figuram illam retinent, tandiu enim Christum crucifixum nobis repræsentant, nec alium habent usum: quare tandiu propter Christum adorari possunt. Quòd si figuram illam amittant, non sunt ampliùs adorabiles, quia nullam ampliùs rationem habent, propter quàm adorentur. Aliud est de ea Cruce, in qua Christus pependit, quæ adorabilis est, etiam in particulas divisa. Ratio est, quia in particulis illis manet ratio, propter quàm adorari possint, sanctificatio scilicet & consecratio illarum, ex contactu sacratissimi Corporis & Sanguinis Christi consecuta.

4. Ad species consecratas, sub quibus in sacramento Eucharistiæ Christus continetur. Sic autem adorari possunt per modum objecti distincti à Christo, propter cujus excellentiam adorantur, ut adorari possint, & re ipsa adorentur frequentiùs cum Christo per modum unius objecti, seu per modum unius compositi accidentalis, quod est Eucharistiæ sacramentum. Tunc autem una & eadem adoratio Christi & specierum, sub quibus Christus continetur, absoluta est respectu solius Christi, seu quà terminatur ad Christum; respectiva verò tantùm ac inferior respectu specierum; seu quà terminatur ad species.

Quæres, utrùm imago, sicut adorari potest cum exemplari, ita possit cùm illo orari?


R. Negativè. Ratio est, quia adoratio potest quidem terminari ad rem inanimatam; propter excellentiam exemplaris, cujus est repræsentatio: at oratio terminari non potest, nisi ad suppositum intellectuale, quod præces percipere, & id, quod postulatur, concedere possit.

Quæres denique, utrùm Eucharistia adorari debeat sub conditione?

R. 1. In omni legitima adoratione Eucharistiæ requiri conditionem virtualem legitimæ consecrationis. Ratio est, quia ad legitimam Eucharistiæ adorationem requiritur, ut is, qui adorat, sit ita dispositus, ut si sciret ibi Christum non adesse, non adoraret contentum sub speciebus. Ad hoc autem adorans censetur esse sufficienter dispositus, eo ipso quòd adorat, quia ibi Christum esse existimat. 2. Explicitam conditionem non esse apponendam; & si apponatur, aliquam indecentiam habere, nisi adsit sufficiens causa dubitandi de valida consecratione. Ita Doctores communiter:

FINIS TOMI SECUNDI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
892 a